11. 1. 91

Digitized by Google

11. 1. 91

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

ORDINIS PRAEDICATORUM

OPERA.

EDITIO ALTERA VENETA
ad plurima exempla comparata, & emendata.

ACCEDUNT

Vita, ſeu Elogium eius a IACOBO ECHARDO diligentiſſime concinnatum,
& BERNARDI MARIAE DE RUBEIS in ſingula Opera
Admonitiones prævia.

TOMUS TERTIUS

complectens Commentaria in EVANGELIA S. MATTHAEI,
& S. IOANNIS.



VENETIIS
MDCCXLV.

Cudebat IOSEPH BETTINELLI
EX PRIVILEGIO EXCELLENTISSIMI SENATUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

F. IO. FRAN. BERNARDI MARIAE

DE RUBEIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

ADMONITIO PRAEVIA,

in qua

I. Antiquorum teſtium fide evincitur, confectum a D. Thoma Commentarium in Matthæum; ipſumque inter Opera eius, quæ reportata dicuntur, enumerandum.

II. Refellitur Hieronymus Vielmius, quem Criticorum plerique ſecuti ſunt, editum a Bartholomæo de Spina Piſano prædictum Commentarium adiudicans Petro Scaligero Ord. Præd. Epiſcopo Veronenſi.

III. Laudati Bartholomæi de Spina Elogium cum criticis animadverſionibus. Eiuſdem nuncupatoriæ epiſtolæ, quæ Divi Thomæ Commentariis per ipſum editis præfiguntur, cum notis.

IV. Commentarius in Ioannem, partim proprio Thomæ ſtylo ſcriptus oſtenditur, partim a Reginaldo Privernenſi reportatus, ab ipſo tamen Aquinate correctus adprobatuſque. Sixti Senenſis locus ad examen vocatur.

V. Cenſura expenditur Caſimiri Oudini.

1. PRimum Novi Teſtamenti librum, *Evangelium Ieſu Chriſti ſecundum Matthæum*, commentario ſuo Thomam noſtrum Angelicum Præceptorem expoſuiſſe ac illuſtraſſe, diſertiſſime perhibent antiqui Operum eius probatiſſimi Nomenclatores. Bartholomæus Logotheta in Fragmento, quod in lucem protulit Baluzius, inter Opera S. Thomæ, *quæ alii recollegerunt poſt eum legentem vel prædicantem*, laudatum collocat Commentarium, inquiens: *Lecturam ſuper Mathiam* (Matthæum.) *Idem Frater Petrus* (nempe *de Andria*.) *Quidam Scholaris Pariſienſis*. Senſum accipe: Divum Thomam e ſuggeſtu expoſuiſſe Matthæum: eamdemque expoſitionem partim exceptam a F. Petro de Andria, partim ab alio Pariſino Scholari, ſeu in Pariſienſibus Scholis auditore. Addit Logotheta: *Quæ* (lectura ſuper Matthæum) *defectiva eſt*.

Paria ſunt Nicolai Triveti verba in Chronico apud Dacherium: *Alia quidem inveniuntur ſibi* (Thomæ Aquinati) *attributa, quæ tamen ipſe non ſcripſit, ſed poſt eum legentem vel prædicantem ab aliis ſunt collecta, ut puta...... lectura ſuper Matthæum completa* (alicubi tamen, teſte Logotheta, manca & hiulca:) *quam partim idem Frater* (quem *Petrum de Adria* paullo ſuperius appellat;) *partim ſæcularis quidam* (*Scholarem* vocat Loghoteta) *recollegit eius ſtudio delectatus*.

Idem protulit iudicium Bernardus Guidonis in Elencho Operum Thomæ, quem integrum luci dedit Caſimirus Oudinus: *Lecturam ſuper Matthæum, quæ defectiva eſt, Frater Petrus de Andria dicitur reportaſſe*. Conſentiunt Pignonus, & Valleoletanus apud Echardum: eademque verba, ac Bernardus Guidonis, habet S. Antoninus in Chronico Parte III. Titulo XVIII. Capite X. §. II. Laudatum vero Petrum, qui

hanc Divi Thomæ expoſitionem excepiſſe, ſcriptoque mandaſſe dicitur, *de Andria* cognomitatum a Patriæ loco in Apulia, Angelici Doctoris in Italia ac Pariſiis auditorem, Prædicatorum Ordinis inſignem alumnum, ad Sedem AEquenſem ſub Metropoli Surrentina a Clemente V. evectum, fatoque demum mortalitatis anno circiter MCCCXVI. ereptum condigno præconio celebrat Iacobus Echardus in Bibliotheca.

Iamvero colligere pronum eſt 1. S. Thomam, dum Pariſiis commorabatur, regebatque Scholas, Evangelium ſecundum Matthæum e ſuggeſtu coram palamque expoſuiſſe. 2. Hanc poſtillam, quam ore dictabat Thomas, exceptam ſcripto notiſque fuiſſe a Petro de Andria, alioque Pariſino auditore, Doctori Aquinati eiuſque doctrinæ addictiſſimis. 3. Veluti mancam & imperfectam, ſeu *defectivam* proponi illam a Logotheta, Triveto, Bernardo Guidonis, & Antonino: ſive quia inchoatam expoſitionem non compleverit Thomas, aut inexplicatas & intactas reliquerit aliquas Evangelii partes; ſive quia Commentarium, quem ore promebat e ſuggeſtu S. Doctor, non exceperint integrum auditores. Porro ſilentii, quo opus iſtud præteriere Ptolomæus Lucenſis, Guillelmus de Tocco, Ioannes de Columna, Petrus Rogerius, optima ratio patet; cum ipſi maxime de operibus enumerandis ſolliciti fuerint, quæ proprio ſtylo Thomas conſcripſerat, non quæ ex eius dicentis ore reportarunt recollegeruntque alii.

Hanc præſtant *expoſitionem in Matthæum* editiones omnes, Romana anni MDLXX. Antverpienſis, ſeu Colonienſis anni MDCXII. & Pariſina anni MDCLX. Idem opus primus in lucem protulit Bartholomæus Spina, patria ac profeſſione Piſanus, litteris moribuſque clariſſimus. Operam quippe eo dante, *Venetiis, ſumptibus heredum q. D. Octaviani Scoti Modoetienſis ac Sociorum*, ſub nomine Sancti Thomæ, *Commentaria in Evangelium Matthæi, item & in Hieremiam Prophetam, eiuſdemque Hieremiæ Threnos, necnon & in Eſaiam*, typis prodierunt *anno Salutiferæ Incarnationis Domini noſtri* MDXXVII. *die vero* XXVIII. *menſis Septembris*. Voluminis initio, & in calce duæ habentur eiuſdem Bartholomæi nuncupatoriæ epiſtolæ: altera inſcripta *Reverendiſſimo in Chriſto Patri D. Dominico Grimano Epiſcopo Portuenſi S. R. E. Sancti Marci Cardinali*: altera, *Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac D. D. Marino Grimano Aquileienſi Patriarchæ digniſſimo*. Prior *Ferrariæ* XXI. *Iulii* MDXXI. data legitur: temporaria nota caret poſterior, quæ tamen non alia fuerit, quam annus completæ editionis M. D. XXVII. Inchoatam priore anno impreſſionem, tum adigente cauſa prætermiſſam, ac anno demum poſteriore perfectam completamque, ſatis indicant hæc alterius epiſtolæ ad Marinum Grimanum verba: *Iure igitur hereditario cuncta, quæ patruo* (Dominico Cardinali) *debebantur, ſpiritalia præcipue munera tibi vendicas: inter quæ minimum, quod ex me per impreſſam epiſtolam* (priorem) *eidem* (Dominico) *fuerat oblatum; ſed interpoſitione impreſſionis, ut pars qua mutilum erat opus hoc ſanctiſſimum, diligentius inquireretur, nequaquam adhuc redditum; tibi nunc aptatum atque perfectum debetur*.

Quid operæ, laboris, ac diligentiæ in huiuſmodi Commentariorum editione præſtiterit Bartholomæus de Spina, enarrat ipſe in eadem priore ad Dominicum Grimanum epiſtola: *Cum infinitis*, inquiens, *pene vigiliis, & non ſine Numinis ope, Commentarios Divi Thomæ in Matthæum, in Eſaiam, Hieremiam, & eiuſdem Hieremiæ Threnos emendaſſem; vel* (*ut rectius dixerim*) *laceros & mutilos iniuria temporum in ſua membra redegiſſem ec.* Codices mſſ. qui prædictos Divi Thomæ Commentarios complectebantur, a Spinæo adinventos animadverte, *laceros* nempe *& mutilos iniuria temporum*, ab ipſo Bartholomæo Piſano multis *vigiliis emendatos* ſuppletoſque. Hinc vero ratio redditur cur in Expoſitione in Matthæum, quam *defectivam* vocant antiqui teſtes, nulli occurrant defectus, lacunæ nullæ: ac diligentiſſimus iam innoteſcit emendator, ſcilicet Bartholomæus de Spina Piſanus.

II. Editum ergo a Spinæo Commentarium in Matthæum pro genuino S. Thomæ opere, ex eo tamen illorum genere quæ *Reportata* dicuntur, habuerunt Sixtus Senenſis, cæteriſque noſtræ gentis Bibliographi, ac Robertus Bellarminus. Exſtabant olim

olim in Veneta S. Antonii Bibliotheca, quæ iam incendio conſumpta tota periit, Codices mſs. Plut. 17. apud Iacobum Philippum Tomaſinum, cum hac epigraphe: *Divus Thomas in Iob. Item in Ioannem, & Matthæum*. Sed hanc expoſitionem primus a Thoma Aquinate abiudicare auſus eſt Hieronymus Vielmius, patria Venetus, Conventus SS. Ioannis & Pauli inſignis alumnus; adiudicavitque Petro Scaligero Ordinis Prædicatorum; Viro ætate ſua doctiſſimo, infuliſque Veronenſibus ab anno MCCXC. ad annum MCCXCV. apud Ughellum ornato. Proſtat eiuſdem Vielmii opuſculum *De Divi Thomæ Aquinatis doctrina & ſcriptis*, tributum *in libros duos*, typis editum Patavii apud Paſqualium anno M. D. LXIV. in 4. & Venetiis apud Iuntas anno M. D. LXXV. in 4. Sicque habet ille Libro II. *Circumferuntur vero in Matthæum quoque & in Epiſtolas ſeptem quas Canonicas vocant, atque poſtremo in Apocalypſim Commentarii, ſive expoſitiones eius* (Sancti Thomæ) *nomine inſcriptæ: quarum aliquot Quaterniones, earum ſcilicet quæ in Matthæum, ego adoleſcens, cum Veronæ in Cœnobio S. Anaſtaſiæ religioni & litteris operam darem, deprehendi eſſe F. Petri Scaligeri Ordinis noſtri & Veronenſis Epiſcopi, cuius ſcripta in communi Bibliotheca ſervabantur. Et paulo poſt Repetundarum veluti reum admonui Magiſtrum noſtrum & Præceptorem meum F. Bartholomæum Spinam, qui id opus omnium primus typis in vulgus dederat, quod lectori factum non indicaſſet. Reliqui vero, quos iam enumerabam.* (Commentarii in Epiſtolas Canonicas, & in Apocalypſim) *nec ſtylo nec diligentia cum aliis eius Viri commentariis conferri poſſunt: nec ſunt a ſectatoribus, alumniſque Thomæ antiquioribus agniti; ut pluribus coniecturis eos vel non eſſe fœtus Aquinatis noſtri hæſitare liceat, vel certe eumdem ſupremam manum illis non impoſuiſſe.*

In eamdem, quod attinet ad Commentarium in Matthæum, ivere ſententiam, qui Vielmium exceperunt Viri critici, Antonius Poſſevinus, Philippus Labbe, Ludovicus Ellies Dupinius, Guillelmus Cave, Theophilus Raynaudus in Erotematis de bonis & malis libris, Vincentius Placcius de Scriptoribus Pſeudonymis. Labbei verba refero ex Hiſtorica eiuſdem Diſſertatione: *Quæ* (expoſitio) *in Matthæi Evangelium dicitur, ſuppoſititia eſt: & teſte Hieronymo Vielmio pertinet ad Petrum Scaligerum Dominicanum Veronenſem Epiſcopum, cuius nomine proſtabat Veronæ in Bibliotheca Cœnobii S. Anaſtaſiæ, cum Vielmius ibi tironem ageret. Sed neque cum ſtylo, ſpiritu ve, aut diligentia, quæ in ſuis ſcriptionibus Beatus Thomas adhibuit, conferendam monet Poſſevinus.* Hæc eadem promunt alii. Criticæ nempe artis, qua pollebant illi, leges æquiſſimas præterierunt. Cæcis oculis errantem Vielmium, ut infra dicendum, ſecuti ſunt: adhibitamque a Vielmio cenſuram in Commentarios *in Epiſtolas canonicas & Apocalypſim*, minus attenti latam intellexerunt in expoſitionem in *Evangelium Matthæi*. Labbei & Poſſevini in Apparatu Sacro Tom. II., lector humaniſſime, verba compara cum verbis Vielmii, & expende. Ceteroqui vero quid mirum, *Styli ſpirituſque ac diligentiæ*, quæ in Divi Thomæ Scriptionibus effulgent, diverſitatem in hocce Commentario deprehendi, cum ad id Operum genus pertineat iſte, quæ proprio Auctoris pugno ſcripta non ſunt, ſed ex ore dictantis reportata?

Sed oſtio toto erraſſe Vielmium, iam oſtendamus. Rem confecit omnem Doctiſſimus Iacobus Echardus, cuius accipe verba: „ Ego vero quatuor minimum exempla
„ Commentariorum Scaligeri ſuper Matthæum vidi, tria in Sorbona, quorum duo no-
„ men *F. Petri de Scala Ordinis Prædicatorum* ipſa prima Codicis totius manu ex-
„ hibent, tertium non repræſentat; aliud in Victorina . . . . . . in quo deeſt nomen
„ Auctoris, ſed monetur eſſe Ordinis Prædicatorum: cęterum omnia eiuſdem omni-
„ no rationis, quæque nec ſtylo nec annotationibus conveniunt cum Commentario
„ ſub nomine Sancti Doctoris edito. “ Echardi itaque fide conſtat, Commentarium Petri Scaligeri *in Matthæum* in quatuor codicibus Pariſinis, quos ipſe vidit luſtravitque, integrum adſervari: ipſumque nec ſtylo, nec annotationibus convenire cum expoſitione, qua de agimus. Abiudicandam ergo hanc eſſe Petro de Scala, Divoque Thomæ cum Bartholomęo de Spina diligentiſſimo eiuſdem editore tribuendam, nemo iam ambigat.

Ex

Digitized by Google

Ex eodem Commentario Petri Scaligeri loca nonnulla decerpta Echardus exhibet in eius elogio, quæ liceat lectorum oculis collata ſubiicere cum Expoſitione Sancti Doctoris Aquinatis nomine inſignita, ut latiſſima ſtatim appareat diſcrepantia, iudiciumque præceps Vielmii magis innoteſcat.

Proœmium S. Thomæ in Commentarium ſuper Matthæum.

„ *Matthæus ex Iudæa &c.* Hieronymus „ præmittit prologum, in quo tria facit. „ Primo enim ipſum Auctorem deſcribit. „ Secundo Evangelii myſteria aperit, ibi, „ *Duorum in ſe &c.* Tertio ſuam intentio- „ nem oſtendit, ibi, *Nobis autem in hoc* „ *ſtudio &c.* “

Prologus I. Petri Scaligeri in Poſtillam ſuper Matthæum ex Codd. Sorbon. apud Echardum.

„ *Habet argentum venarum ſuarum princi-* „ *pia, & auro locus eſt in quo conflatur*. „ Iob XXVIII. Sicut dicit Beatus Auguſti- „ nus IV. Lib. de Doctrina Chriſtiana ca- „ pite II. &c.

Prologus II. ex Codd. Sorbon. & Victorino.

„ *Oſtendit mihi fluvium aquæ ſplendidum* „ *tamquam chriſtallum procedentem de ſede* „ *Dei & agni.* Verba propoſita ſcripta ſunt „ ſuper XXII. Apocal. in quibus verbis ſu- „ per ſuſcepto opere in expoſitione Evan- „ gelii ſuper Matthæum, cauſa quadru- „ plex declaratur &c. “

Animadverte, in antiquis Bibliis mſs. editiſque, præter genuinum Hieronymi prologum in quatuor Evangelia Damaſo Papæ inſcriptum, qui incipit, *Novum opus facere me cogis*; ac præter eiuſdem proœmium Commentarii in Matthæum, cuius initium, *Plures fuiſſe qui Evangelia ſcripſerunt*; peculiares quaſdam legi alias præfationes, ac etiam Librorum argumenta, quæ olim veluti genuini Hieronymi fœtus, vulgo habita ſunt. Hac de re conſule Ricardum Simonium in Hiſt. Critica Verſionum novi Teſtamenti cap. IX. Biblia præ manibus habeo Venetiis impreſſa per Franciſcum de Hailbrun, & Nicolaum de Frankfordia Socios M. CCCC. LXXVI. ubi prologus in Matthæum incipit, *Matthæus cum primo prædicaſſet in Iudæa*. Sequitur argumentum, cuius initium eſt: *Matthæus ex Iudæa, ſicut in ordine primus ponitur*: ipſumque ſuo illuſtrat Commentario Thomas. Hæc ſunt vero aliarum Præfationum initia; in Marcum, *Marcus Evangeliſta Dei electus, & Petri in baptiſmate filius*; in Lucam, *Lucas Syrus natione Antiochenſis, arte medicus*; in Ioannem, *Hic eſt Ioannes Evangeliſta unus ex diſcipulis Domini, qui virgo a Deo electus eſt*: quem poſtremum pariter Commentario ſuo prologum exponit Doctor Aquinas. Idem ætate ſuppari ac ſequiori præſtitum a Lyrano, aliiſque Bibliorum interpretibus.

Cap. XXIII. Matthæi.

„ Supra oſtenſum eſt, quomodo Phariſæi „ & Scribæ provocati ſunt ex gloria Chri- „ ſti, & etiam ex ſapientia eius &c.

Finis Commentarii.

„ *Ecce ego vobiſcum ſum &c.* Hic pro- „ mittit auxilium. Quare reſpondet dicen-

Cap. XXIII. Matthæi.

„ Hæc eſt ſecunda pars a XXII. cap. „ in qua declaratur iuſtitia divinæ actio- „ nis &c.

Finis Commentarii.

„ *Ecce ego vobiſcum ſum*, cum ipſe cor- „ poraliter in cælum aſcenderit. Reſp. In-

telli-

„ tibus: Tu mandas quod doceamus omnes; „ non ſumus ſufficientes. Non timeatis, „ *quia ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſ-* „ *que ad conſummationem ſæculi*. Non ſic „ dicit, ut quaſi poſt non ſit vobiſcum, ni- „ ſi uſque ad conſummationem ſæculi; ſed „ quia tunc erimus per conſummationem in „ gloria ...... *Uſque ad conſummationem ſæ-* „ *culi*; quaſi dicat: Generatio fidelium for- „ tior eſt, quam mundus: non enim per- „ ibit mundus, donec omnia fiant; ideſt Ec- „ cleſia fidelium conſummetur, & complea- „ tur numerus electorum a Deo in vitam „ æternam, cui eſt honor & poteſtas per in- „ finita ſæculorum ſæcula Amen. “

„ telligendum eſt, quod *nobiſcum eſt uſ-* „ *que ad conſummationem ſæculi* in Sacra- „ mento altaris. Vel, ſecundum Bernar- „ dum, dicit: *Vobiſcum ſum*, quantum ad „ divinitatem, auxiliator in tribulationibus „ ſemper veſtris: & vos, finitis labori- „ bus, mecum regnabitis ſine fine per „ infinita ſæculorum ſæcula.

Longe lateque ac omnino diverſum Petri Scaligeri commentarium *in Matthæum* nemo non videt ab alio Commentario, quem ſub nomine Divi Thomæ in Codicibus MSS. inventum protulit in lucem Bartholomæus de Spina. Aut ergo deceptus Vielmius, utpote *adoleſcens*, adeoque nondum in Auctorum lectione verſatus, ut coniectat Echardus, *F. Petrum de Scala* in illis quaternionibus, quos in Veronenſi S. Anaſtaſiæ Bibliotheca invenit, legit accepitque pro *F. Petro de Andria*, quem dictatam e ſuggeſtu a divo Thoma expoſitionem *in Matthæum* reportaſse litteriſque excepiſse, produnt Veteres. Vel etiam quaterniones mſſ. revera Commentarium Sancti Thomæ complectentes, ſed falſo Petri Scaligeri nomine inſcriptos nactus fuerit: prætermiſſoque maturiore examine, iuvenili tractus ardore, poſtulandum repetundis cenſuerit Bartholomæum de Spina, eiuſdem Commentarii primum editorem.

III. In tuto iam poſita laudati Spinæi fide, ſibi conſtat etiam edita per ipſum ſub nomine Thomæ Aquinatis expoſitio *in Matthæum*; eadem, dubio procul omni, quam antiqui teſtes meminerunt. De viro præſtantiſſimo addere hoc loco pauca liceat, quæ vel augent elogium eius ab Echardo concinnatum, vel corrigunt. Nuncupatoriæ epiſtolæ, quas memoravimus, ac integras ne pereant dabimus infra, ipſum repræſentant inprimis carum Grimanæ genti, Venetiis inter Patricias nobilitate, honoribus, dignitatibus, opibuſque præpollentem. Dominico S. R. E. Cardinali, ac Marino nepoti Aquileienſi Patriarchæ nuncupatos vidimus Commentarios Divi Thomæ, quos ipſe primus edendos anno MDXXI. & MDXXVII. curavit, *in Eſaiam, Hieremiam, ac Threnos* eiuſdem, *&* *Matthæum*.

Refert Echardus: „ Anno MDXXXVI. mortuo Thoma Omnibono Veneto Viro clariſſimo, qui cathedram Theologiæ in via S. Thomæ Patavii moderabatur, eodem „ anno die XIX. Novembris a Senatu Veneto ſuffectum ei fuiſse (*Grimanis abſque dubio favorem præſtantibus*,) in eadem cathedra Bartholomæum noſtrum, ut narrat „ Tomaſinus Gymn. Patav. pag. 282. Exinde evecto ad purpuram Thoma Badia Sacri Palatii Magiſtro, Paulum III. ei mox Spinam ſubſtituiſse anno MDXLII. menſe „ Iulio .... Senio demum ac meritis gravem Romæ piam exhalaviſse animam anno „ Chriſti MDXLVI.“ Eamdem indepti Magiſterii Sacri Palatii epocham definierant Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano, & Ambroſius de Altamura in Bibliotheca. Sed hanc dubiam efficiunt, ac pene convellunt epocham verba laudati Tomaſini loco citato, quæ refero: *In eius* (Omniboni) *locum ſucceſſit* MDXXXVI. XIX. *Novembris Bartholomæus Spina Piſanus eiuſdem Ordinis: qui anno* MDXLV. *electus a ſummo Pontifice Sac. Palatii Romani Magiſter, cathedram reliquit, in quam accitus eſt* MDXLV. *Sixtus Medices Venetus*. Mirum eſt, diligentiſſimum Echardum non advertiſſe animum in ea Tomaſini verba, quæ Sacri Palatii Magiſterium anno MDXLV. con-

latum

latum Bartholomæo de Spina efferunt; in eiſque cubantem non oſtendiſse errorem, ſi pridem anno MDXLII. ad eam quidem dignitatem electus fuerit Spinæus! At fidem Tomaſini confirmant monumenta Univerſitatis Patavinæ. Hæc diligentius, abs me ſiſcitatus cum luſtraverit Doctiſſimus Iacobus Facciolatus, qui in Hiſtoriam eiuſdem Univerſitatis texendam totus incumbit, humanitate ſumma reſcripſit in hæc verba: „ Anno MDXXXVI. VII. Kal. Dec. F. Mag. Bartholomæus Spina Piſanus Ord. „ Præd. obſervantium, ad Theologiam ex doctrina Divi Thomæ tradendam condu- „ ctus florenis 80. Anno MDXLI. Prorector Artium & Conſiliarii, Univerſitatis no- „ mine, litteris ad Triumviros v. Id. Ian. datis queruntur, Mag. Spinam to o anno „ Religionis ſuæ negotiis detentum gymnaſio abſtinuiſse: itaque rogant, ut eo ab- „ dicante, ſufficiatur Mag. Paris de Cingulo Picenus Ordinis eiuſdem, quem aiunt ab „ univerſo Cœnobio commendari. Contra anno MDXLII. Mag. Spina queritur apud „ Magiſtratum, ſtipendia ſibi negari, quamvis muneri ſuo minime deeſset: quod cu- „ iuſmodi ſit, Triumviri quærunt a Rectoribus Civitatis per litteras v. Kal. Ian. „ datas. Anno MDXLV. cum Mag. Spina Romam migraſſet S. Palatii Magiſtera Pon- „ tifice dictus, loco eius v. Kal. Novembris ſuccedit F. Mag. Sixtus de Medicis ex „ eodem ordine. “ Quo in loco Bartholomæum Patavii commorantem habes anno cadente MDXLII. ſeu v. Kal. Ianuarii; ac iterum definitum annum MDXLV. quo Magiſter Sacri Palatii Romani dictus ille eſt, eique in Patavinam cathedram ſucceſſit Sixtus de Medicis. Ac ſane huiuſce Viri præclariſſimi Stromata mss. propriis oculis luſtrare licuit, favente Dominico Maria Berardello Cœnobii SS. Ioannis & Pauli alumno ac Bibliothecario; quorum Volumine quinto recenſetur eiuſdem *Oratio de ingenio Theologicis facultatibus excolendo*, *Patavii habita*, *antequam ſacram Theologiam auſpicaretur*, *ſexto Idus Novembris* MDXLV. *Marco-Antonio Foſcareno Prætore*, *Hieronymo Zane Præfecto*: itemque continentur, *Lectura primi anni* MDXLV. *in eodem Gymnaſio publico Patavino de Providentia Dei*, *in quadrageſima de poteſtate Concilii & Papæ*; *Lectura anni ſecundi*, *nempe* MDXLVI. *in Gymnaſio*, *de Trinitate*, *de Libero arbitrio*, *de Angelis*; & ſic deinceps. Memorata Sixti Medicis *oratio*, quam habuit ipſe cum primum ad Theologiam publice in Gymnaſio Patavino tradendam accederet, lucem vidit typis Venetis edita anno MDLV. Alia eiuſdem, eodem anno impreſſa proſtat *Oratio de Humanæ induſtriæ præſtantia*, cum nuncupatoria epiſtola, *clariſſimis Viris*, *M. Antonio Venerio Doctori præſtantiſſimo*, *Marco Molino*, *Antonio Priolo*, & *Antonio Mocenico*, *Patriciis Venetis*, *Divi Marci Procuratoribus meritiſſimis*, inſcripta, in qua ſe Bartholomæo Piſano ſuffectum in cathedra Patavina, diſertiſſime teſtatur. Verba ſunt: *Sacræ vero Theologiæ interpretes Patavii fuerunt ex hoc eodem* (SS. Ioannis ac Pauli cœnobio) *exorti* .... *Poſt Bartholomæum Piſanum ego*, *qui per octo annos nullis laboribus parcens*, *contuli quæ pro viribus potui*. Quam bene conſonant omnia.

Quæ negotia Religionis ac Ordinis, in Monumentis Univerſitatis Patavinæ indicata, detinerent anno MDXLI. occuparentque Bartholomæum de Spina, explicare videtur Dominicus Codalius in Hiſtoria Inſulæ S. Secundi prope Venetias anno MDCIX. typis edita. Nempe locum illum, ex eodem abire iuſſis Sanctimonialibus Benedictinis, exceptiſque in inſigni Monaſterio SS. Coſmæ & Damiani „ Veneti Senatus munificentia Fratribus Prædicatoribus conceſsit, immediato Magiſtri Generalis regimini ſubiectum. Vicariam præfecturam primus geſsit Zacarias Lunenſis Provinciæ Romanæ alumnus ab anno MDXXXV. ad annum MDXL. quo ſucceſsit *Bartholomæus de Spina Piſanus*, *vir litteris ornatiſſimus*, *Magiſter Sacræ Theologiæ*. (Anni partem Patavii moderaturus Theologicam Cathedram traducebat ille, partem in Inſula cum Fratribus.) *Abſente illo*, *cum Lucam profectus eſſet*, *Clementem* (VII. Paulum III.) *Papam inviſurus*, *ac alibi pertractaturus negotia*, *pro viribus egerunt alumni Provinciæ Lombardiæ*, *ut eorum regimini idem Cœnobium S. Secundi adiiceretur*. *Quod exoptabant*, *eodem Spinæo fruſtra renitente*, *obtinuere*. Lucenſe Bartholomæi iter ad annum MDXLI. pertinet, quo Pontifex, teſte Raynaldo in Annalibus, die XXVII.

Au-

Auguſti diſceſſit Roma , Lucam ingreſſus eſt die VIII. Septembris , in eadem civitate die XIX. eiuſdem menſis commorabatur , elapſoque dierum aliquot intervallo Bononiam migravit & Romam . Anno inſequente MDXLII. ad Sacram Purpuram die II. Iunii iuxta Raynaldum , vel die II. Iulii , ut Echardus ac Fontana notant, Thomam Badiam Magiſtrum Sacri Palatii alioſque evexit: eodemque tamen anno cadente menſe Novembri , Cœnobiolum in inſula Sancti Secundi adhuc regebat Bartholomæus de Spina; ut epocha electionis eius in Magiſtrum S. Palatii , quam cum præcedente *Menſe Iulio* illigat Echardus , iam cadat . Quod aio , certum faciunt compertumque autographæ Tabulæ , quæ in Archivo eiuſdem Cœnobii S. Secundi adſervantur. Verba refero, quæ initam conventionem inter Bartholomæum noſtrum , ac Bartholomæum de Paſſis Bergomatem enunciant : „ In Chriſti nomine Amen . „ Anno nativitatis eiuſdem milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quintadecima , die lunæ ſexto menſis Novembris . Conſtitutus coram me Notario , & Teſtibus infraſcriptis ſier Bartholomæus de Paſſis de Bergomo quond. ſier Ioannis Petri , narravit & expoſuit, ſibi a Venerabili in Chriſto Patre & Sacræ Theologiæ Magiſtro D. Fratre Bartholomæo Piſano Vicario Generali Conventus S. Secundi Venetiarum Ordinis Prædicatorum Sancti Secundi, datam fuiſſe notitiam de quadam Minera : & non habens idem ſier Bartholomæus , ut aſſerit , modum faciendi huc Venetias conducere ipſam Mineram , ſupplicavit præfatum Venerabilem Fratrem Bartholomæum , ut ſibi dare velit auxilium & favorem tam de pecuniis, quam de perſonis pro faciendo conducere aliquam partem dictæ Mineræ &c. Actum Venetiis in confinio S. Hieremiæ , domi habitationis ſupraſcripti ſier Bartholomæi ; præſentibus ibidem ſier Iacobeto Albanenſi q. ſier Petri Barcharolo ad tragitum Margariæ , & ſier Ioanne Andrea quond. ſier Boni deputato ſuper coloribus ad officium Magnificorum Dominorum Proviſorum Communis, teſtibus vocatis & rogatis. Ego Angelus de Calvis qu. ſier Ioannis . . . . Notarius præmiſſa rogatus ſcripſi &c. „

Quis ergo ſubſtitui debeat , qui poſt Badiam, & ante Spinæum , Sacri Palatii Romani Magiſterium obtinuerit, incompertum mihi , cum certa monumenta deſint . Michael Pius Parte II. de Viris illuſtribus in Ticinenſi editione anni MDCXIII. pag. 210. ſeriem Magiſtrorum Sacri Palatii italice texit hoc modo: *F. Tommaſo Badia. F. Bartholomeo Spina Piſano. F. Pietro Martire da Breſcia, ſecondo il Panormitano creato* MDXLII. *F. Girolamo Mozzarello . F. Egidio Foſcarari* . Si Magiſterium Sacri Palatii anno MDXLII. iuxta fidem Panormitani collatum Petro Martyri Brixienſi fuerit, difficultas evaneſcit omnis, quam hactenus verſavimus : ſimulque vero ſeries a Pio propoſita reformanda eſſet , ut ſequiorem poſt eumdem Brixienſem obtineat locum Bartholomæus de Spina. Qua demum in ſerie contexenda animadverto minus attentos videri Noſtrates , ut ex ſequenti patet , quam exhibet Vincentius Fontana, *Thomæ Badia* ſcilicet, *Bartholomæi Spina* , *Petri-Martyris de Brixia*, *Egidii Foſcherarii*, *Hieronymi Muzzarelli;* cum e contra *Muzzarellum* præpoſuerit *Foſcarario* Michael Pius . Splendidior lux , quæ tenebras omnes diſpellat , ex Regeſtis Romanis expectanda.

Nuncupatorias Bartholomæi noſtri epiſtolas iam profero , ut eas a facillimo interitu, cum ſemel gothicis, ut aiunt, characteribus impreſſæ fuerint , vindicemus. „ Reverendiſſimo in Chriſto Patri D. Dominico Grimano (*a*) Epiſcopo Portuenſi S. R. E. Sancti Marci Card. Domino meo colendiſſimo , Fr. Bartholomæus de Spina Piſanus Ordinis Prædicatorum felicitatem. Cum primum , præſul ampliſſime , & rumor & ipſe conſtans, & amicorum litteræ mihi ſignificaſſent, Clariſſimum Patrem tuum Antonium Grimanum Nobiliſſimæ urbis Venetiarum (*b*) Principem declaratum eſſe, idque Civium omnium ſumma gratulatione, & totius Senatus aſſenſu; nihil mihi fuit antiquius , quam uti Deum immortalem pie ſancteque colens ex religionis inſtituto noſtræ, illi gratias agerem; ſimulque omni ſtudio ab eo peterem,

„ terem, ut diuturnum ac felix hoc munus ſuum nobis eſſe vellet. Optime enim „ videbam ſic conſultum fore primo ampliſſimæ Civitati veſtræ, quæ ſitus admira- „ tione, civium concordia, imperii diuturnitate & magnitudine, rerum geſtarum „ gloria, chriſtianæ pietatis propugnatione adverſus Turcas conſtantiſſima, omnibus „ facile civitatibus aliis eſſet anteferenda. Deinde facile ſperare poteram hac Patris „ tui deſignatione, cum tali Reipublicæ præeſſet hoc tempore, ut Turcarum hæc „ rabies & immanitas adverſus chriſtianum nomen eius auſpiciis & ductu, non „ modo in præſens reprimeretur, ſed ita in poſterum tolleretur, ut quæ gens ſeptin- „ genteſimum iam annum in nos debacchatur ac ſævit, tandem extincta cum imperio „ nomen amitteret. Nec vero augurari id mens falſo videbatur mea, cum tacitus „ mecum agitarem animo, qualiſnam ſemper ab initio ætatis Pater ipſe fuiſſet tuus, „ quamve indolem ille in omni vitæ parte de ſe præſtitiſſet. Qui natus in clariſſi- „ ma omnium Civitate, & familia in ea maxime inſigni, iam tum eas dignitates „ fuiſſet aſſecutus ab honorum ſuorum auſpicio, quas ad eam diem adeptus eſſet „ nemo. Neque ſolum id ei contingit, ut quaſi per ampliſſimos dignitatis decurre- „ ret gradus, ſed ut in ampliſſima fortuna poſitus maximis ſemper honoribus excel- „ leret (c), qui illi toties demandabantur, quoties ille gerere voluit. Quare ut „ reliqua dignitatum eius omittam tempora, non poſſum non eius recordari temporis „ cum illi maris imperium maximo Civitatis aſſenſu demandatum eſt. Nam cum nun- „ ciaretur, Payzetem Turcarum potentiſſimum principem mari terraque ad everten- „ dum imperium veſtrum contendere, iamque inſtructiſſima claſſis Græciæ ac Pe- „ loponeſi littora compleret & maria, nemo ſane fuit in veſtro Senatu, qui non „ ſtatim exiſtimaret aut Patris tui prudentia & felicitate tantam tempeſtatem ſedari „ poſſe, aut certe immaniſſimi hoſtis libidini ſerviendum eſſe. Nec ſane ſapientiſ- „ ſimos homines fallebat divinatio, qui cum meminiſſent quam ille ſemper in Ma- „ giſtratibus omnibus gerendis ſapientiam & auctoritatem exhibuiſſet, quamque for- „ titer ac feliciter primum claſſi Venetæ præfuiſſet imperator, cum bello Gallico priore „ Appuliæ Oppidum munitiſſimum expugnaſſet, non eamdem fortunam ſibi hoc bello „ polliceri non poterant. Et certe quantum humana prudentia perſpici, quantum au- „ ctoritate perſuaderi, quantum ſcientia rerum maritimarum præſtari, quantum feli- „ citate imperatoria ſperari ab initio potuit. declaravit facile ſolus cum primum ven- „ tis vela (ſicut ego accepi) ex Patriæ littore dediſſet. Nam tantam claſſem bre- „ viſſimo tempore comparavit, quantam nemo uſquam ſperaſſet ab omni ferme Eu- „ ropa conflari anno vertente poſſe. Sic omnes Græciæ tumultus ſedavit, ut iam vi- „ ctoriam omnes in manibus haberent. Sic omnem claſſem & navium numero, & „ virorum robore, & omni reliquo apparatu inſtruxit, ut Turcæ ad primum nun- „ cium trepidi, qui de excidio chriſtiani nominis antea cogitabant, portu ſalutem, „ cui Longo cognomen eſſe audio crediderint ſuam. Unde cum fame adacti prodiiſ- „ ſent, victi quantum in Patre tuo fuit, Corinthiaci Sinus latebris ſeſe incluſere. „ Quod ſi illi per adverſam chriſtianæ Religionis, & Patriæ fortunam tuæ, licuiſſet „ ſequenti anno manum extremam funeſto bello imponere, non dubitarem nunc Tur- „ cas qui Ungariæ imminent & univerſæ pietatis noſtræ infenſiſſimi hoſtes, de ſua „ ſalute ſolicitos hoc tempore futuros. Cæterum Dei conſilia alta & ſublimia ſunt, „ nec qui conſiliarius illi ſit, dicente Apoſtolo, invenitur ullus. Quare ſi coniectura „ noſtra valet, facile divinare poſſum, eius potiſſimum providentia factum, ut cala- „ mitoſiſſimo Patriæ tuæ tempore ſuis reſtitueretur civibus, qui labantes eorum ani- „ mos ſua auctoritate & prudentia per Gallici belli ſecundi tempeſtatem excitaret. „ Qui Procuratoriam dignitatem iterum ſtatim aſſequutus, eum tandem bello finem „ imponeret, quem ſapientiſſimi Viri conſilia parare poſſunt: qui denique luctuoſiſ- „ ſimis hiſce temporibus ſummæ rerum præeſſet, ut omnia feliciſſime moderetur & „ temperet. Quod niſi verear, ne modum ſervaſſe epiſtolæ non dicar, commemorarem „ ſane quampluima, quæ doctiſſimi noſtrates homines ſcripſere in hanc ſententiam

„ divi-

„ divinitus; cum ſcilicet dicant, & id quam veriſſime, Principum conſilia a Deo ipſo „ regi, eoſque Dei providentia potiſſimum gubernari; eorum principatus in difficillima ſæpe tempora incurrere, ut eorum virtus magis eluceat; Principem, quem ille elegerit unum, ſalutem afflicto populo afferre ſolere; nec militum numero ac „ robore, neque claſſium apparatu magnas res magis geri, quam Principis unius prudentia & auctoritate expediri. Quod ſi umquam fuit Princeps apud vos, de quo „ hæc omnia dici iure poſſint, hic certe eſt unus glorioſiſſimus Pater tuus; qui Leonardo Lauretano Principi optimo vita nuper functo ſuccederet; qui re domi compoſita, poſt ingentem omnium ordinum gratulationem, poſt populi fauſtiſſimas „ voces, poſt reliqua gaudiorum & lætitiæ argumenta, quæ paſſim per omne imperium veſtrum exhibita plane ſunt, rem foris ea felicitate & laude adminiſtret, ut „ omnium Principum qui antea floruere laudes adęquet, poſteris autem æmulationis „ faces relinquat. Qui præter alias virtutes ſuas & fortunæ dona, te Filio, magnus „ & celebris ad omnem poſteritatem tranſeat. Nam cum illa Patris tui ampliſſimi „ Principis merita & benefacta celebrabit ſine ulla invidia; falleris, ſi non tuas quoque laudes cum parentis laudibus adiungendas ſemper fore non exiſtimes, ut neſciam profecto quandoque dignoſcere: pluſne laudis accedat tibi ex parentis hac tui „ nova dignitate Grimanæ familię quæſita, an te Filio hac doctrina, hac morum „ ſanctimonia, hac dignitate, hac animi moderatione (*d*) Patri plus aliquando decoris addatur. Etſi enim ille multis & amplis tum animi bonis, tum fortunæ & „ corporis commodis omnes mortales excellat; te uno tamen Filio, eam laudem aſſequitur, ut ad virtutum cumulum poſtrema tua ſemper accedat gloria. Cæteri „ enim Principes Viri, qui umquam floruere, id quod ſæpe legi, aut nullos reliquere liberos, aut certe ſui genuere diſſimiles. Pater cum ſtirpem eam habuit, quæ „ maxime ſemper fuerit illuſtris & ampla; tum vero te cum procreavit, quem non „ ſolum ut Filium amaret, ſed quem plane propter ampliſſimam dignitatem & vitæ „ integritatem & coleret ac prope adoraret. Quæ omnia cum ſæpe mecum cogitarem, memor etiam eius vinculi quo tibi iampridem aſtringor, volutabam crebro „ animo, quodnam argumentum ad gratulationem meam afferrem animi ac voluntatis gratiſſimæ erga te meæ. Et voluntati, ut arbitror, occurrit certiſſimum: „ nam cum infinitis pene vigiliis, & non ſine Numinis ope, Commentarios Divi „ Thomæ in Matthæum, in Eſaiam, Hieremiam, & eiuſdem Hieremiæ Threnos „ emendaſſem; vel, ut rectius dixerim, laceros & mutilos iniuria temporum in ſua „ membra pro viribus redegiſſem: videbatur munus dignum tua hac excellenti doctrina & probitate. Cui enim iuſtius offerrem Doctiſſimi Viri lucubrationes, quam „ doctiſſimo omnium Cardinali? Cui Sanctiſſimi Viri vigilias dicarem, niſi illi qui in „ ampliſſima dignitate poſitus, vitæ maxime ſanctitate excellat? Aut cui magis ipſe „ debeam quam tibi, qui me tamquam aliquem eſſe eorum crederet qui Chriſto mererent, ita ſemper amplexus es ut noſtri Ordinis fere magis neminem? Accipies „ igitur illos primo nunc editos, & cum tibi ſacræ imprimis litteræ placuerint, hoſce „ quamlibenter lege, quos velim Nepoti tuo integerrimo (*e*), & Sapientiſſimo „ Patriarchæ Aquileienſi poſtea tradas. Cui ego propter eius egregiam humanitatem „ & divinam plane virtutem, ideſt tuam, me addictum ſemper eſſe cupio. Bene ac „ feliciter R. D. T. cum Patre ampliſſimo & reliqua Familia valeat. Ferrariæ XXI. „ Iulii MDXXI. "

(*a*) In numerum Cardinalium S. R. E. anno MCCCCXCIII. Dominicum Grimanum cooptaverat Alexander VI. die XXI. Auguſti ut Oldoinus habet, vel potius die XX. Septembris, ut diſerte notant Stephanus Infiſſura apud Muratorium Tomo III. P. II. & Marinus Sanutus in Hiſtoria Ducum Venetorum apud eumdem. Inter Diaconos locum habuit ille, mox inter Presbyteros: conſecratuſque Epiſcopus Eccleſias rexit Albanenſem, Tuſculanam, ac demum Portuenſem ab anno MDXI. ad annum MDXXIII. emortualem. Conſule Ughellum. Patriarchatum Aquileienſem magna Veneti Senatus frequentia pridem obtinuerat anno MCCCCXCVIII. die XIII. Fe-

bruarii, ut evincitur in Monumentis Aquileienſibus capite CXIII. Eiuſdem Patriarchatus titulum præterit in inſcriptione nuncupatoriæ epiſtolæ Bartholomæus de Spina, cum ipſum in gratiam Marini nepotis iam abdicaſſet Dominicus cum regreſſu, ut in more poſitum tunc fuerat. Vide citata Aquileienſia Monumenta typis edita anno MDCCXL.

(*b*) Eiuſdem Dominici Pater Antonius Grimanus, Vir proſperis adverſiſque rebus iactatus, Dux Venetiarum electus eſt anno MDXXI. die VII. Iulii, quindecim diebus ante datas a Spinæo litteras.

(*c*) Egregias Grimani Principis dotes, ac virtutes, honores, dignitates, ac geſta præclariſſima percenſent Petrus Marcellus, Andreas Maurocenus, Petrus Iuſtinianus, Io: Baptiſta Contarenus, Iovius, Egnatius, Palatius in Faſtis Ducalibus. Viri Principis laudes & ipſe Bartholomæus de Spina pro ſua parte digne ac vere celebrat.

(*d*) Dominici Grimani elogium vide apud Scriptores Venetos, Ughellum, & Oldoinum. Inſtructiſſimam Codicum mſs. Bibliothecam publicæ commoditati Venetiis poſuerat in Cœnobio Sancti Antonii, quæ poſtea incendio tota periit, anno MDCLXXXVII. die XXIII. Aprilis, Divo Georgio ſacra. Codicum numerum ac titulos poſteritati ſervavit Tomaſinus in Bibliothecis mſs. Venetis, inter quos non pauca numerabantur Divi Thomæ Opera. Ingentem iacturam *magnopere dolet* Mabillonius Tomo I. Muſæi Italici in Præfatione.

(*e*) Nepotem Dominici, Patriarcham Aquileienſem, intellige laudatum Marinum: quem inſulis Eccleſiæ Metropolitanæ Aquileienſis, abdicante ſe Patriarchatu Dominico patruo, ornatum anno MDXVII. ante diem tertiamdecimam Martii, late oſtendimus loco citato.

„ Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac D. D. Marino Grimano Aquileienſi Patriarchæ digniſſimo (*a*) Frater Bartholomæus de Spina Piſanus Ordinis Prædicatorum Felicitatem. Sicut hereditario iure, Præſul Honoratiſſime, carnis Filiis debentur bona corporis, quæ prædefuncti parentes aut ſanguine magis proximi poſſidebant: ſic & virtutum heredibus debentur præmia, quæ virtutes ipſæ depoſcunt; honor, inquam, & gloria delegantibus debita. Felicitatem terrenam Antonius Venetiarum Princeps, ſoluto carnis debito, in cæleſtem & æternam, ut pie creditur, commutavit: terrenæ gloriæ ſuper cumulatiſſimas opes duo ex Filio Nepotes, Marcus (*b*) atque Victorius, fratres tui ſic heredes effecti ſunt, ut etiam Procuratoria dignitate, qua poſt Principatum in præcelſo Venetorum Senatu nulla maior eſt, virtutum ſuarum veluti præmio donarentur. Extinctum eſt corpore quidem, non autem perpetua triumphantis animæ gloria Sanctæ Matris Eccleſiæ lumen præfulgidum, Dominicus præfati Principis filius, toto terrarum orbe celebratiſſimus Cardinalis: ſed quaſi non eſſet mortuus, tu Præſul ampliſſime, una cum germano tuo Domino Ioanne (*c*) Reverendiſſimo Epiſcopo Cenedæ, vivam illius præſentiam ſupra terrenas divitiarum copias, virtutibus, ſapientia, Eccleſiaſtica dignitate præfers, in proximo etiam non minori factus heres illius bonorum omnium capaciſſimus. Iure igitur hereditario cuncta, quæ Patruo debebantur, ſpiritualia præcipue munera, tibi vendicas: inter quæ minimum, quod ex me per impreſſam epiſtolam eidem fuerat oblatum, ſed interpoſitione impreſſionis ut pars, qua mutilum erat opus hoc ſanctiſſimum, diligentius inquireretur, nequaquam adhuc redditum, tibi nunc aptatum atque perfectum debetur, uti primario primum & ſpirituali Principi ſpirituale donum; cuius auctoritate Fratribus ſuis commune fiat doni principium, & in præclariſſimam Grimanorum domum amor meus atque perpetua obſervantia per illum utcumque manifeſtetur. Accipe igitur, Obſervantiſſime Domine, quod tuum eſt, nedum inquam meum in hoc opere corrigendo, & ut Eccleſiæ Sanctæ uberrimam afferret utilitatem quoad fieri potuit coaptando laborem, verum etiam laborantis amorem: perpetuoque tibi non minus, quam Patruo tuo digniſſimo fuerim, obſequentiſſimum ama. “

(*a*) Nun-

Digitized by Google

(*a*) Nuncupatos Marino Grimano Aquileienſi Patriarchæ Divi Thomæ Commentarios a Bartholomæo de Spina, typis in lucem prodiiſſe *anno* MDXXVII. *die* XXVIII. *Menſis Septembris* adnotavimus, eodemque etiam anno datam epiſtolam ſuperiorem nuncupatoriam. Hoc anno Clemens VII. die quinta Maii renunciaverat Marinum Presbyterum Cardinalem S. Vitalis titulo Veſtinæ; ſed ipſum tamen nonniſi anno inſequente MDXXVIII. publicatum fuiſſe initio Menſis Februarii, prodit Oldoinus: unde factum, novæ dignitatis Cardinalitiæ titulum non legi in eiuſdem nuncupatoriæ epiſtolæ inſcriptione. Cætera præclariſſimi Viri geſta prætereo, quæ proſtant apud Oldoinum, & Ughellum, & in Monumentis Aquileienſibus.

(*b*) Dignitate Procuratoria Marcum Grimanum ornaverat Senatus Venetus anno MDXXII. *die* XXVI. Martii, teſte Sanſovino in Chronico Veneto, vel *die* XXVIII. ut Fulgentius Manfredus habet in libro inſcripto, *Dignità Procuratoria di S. Marco di Venezia*, vel potius *die* XXX. ut in mſs. monumentis. Dignitatem eamdem obtinuit Victorius, frater Marci, anno inſequente MDXXIII. vel die XXV. Ianuarii iuxta fidem Sanſovini, vel die XXVI. iuxta Manfredum, ac monumenta mſs. Patriarcha Aquileienſis dictus eſt Marcus, abdicante ſe regimine Marino cum regreſſu, anno MDXXIX. die XVI. Aprilis: eodemque anno die IX. Decembris temporalis poſſeſſio decreta legitur in ſæpe iam citatis mſs. monumentis. Commentarium noſtrum Aquileienſem, & Ferdinandum Ughellum conſule. Hunc Paulus III. renunciavit Pontificiæ claſſi Præfectum contra Solimanum Turcarum Imperatorem anno MDXXXVII. vel inſequente, ut habent Rainaldus, Spondanus, Andreas Maurocenus, Hieronymus Bardus, Ioannes Sagredus, & Io: Nicolaus Doglionus. Numiſma eius circumfertur, in cuius priori facie Marci imago cum barba, bireto in capite ornata inſpicitur: legiturque in averſa, *Marcus Grim. D. M. Proc. Pat. Aquil. Pont. claſſis Imper.* 1524. Annum expende, temere ſine dubio expreſſum: proque certo habe, neque dignitatem Procuratoriam, neque infulas Aquileienſes, neque Pontificiæ claſſis præfecturam Marco conlatas eodem anno fuiſſe: quodve attinet ad Aquileienſem Patriarchatum, & ipſum ſilentio præterit Spinæus in prædictis litteris anno MDXXVII. datis. Fortaſſe annum 1524. poſuere pro anno 1542. oſcitantes artifices.

(*c*) Marco Patriarcha præmortuo, annuit Summus Pontifex, ut Eccleſiæ Patriarchalis infulæ, iterum cedente Marino cum regreſſu, Ioanni fratri imponerentur. Id vero factum anno MDXLV. Iamvero Eccleſiam Cenetenſem, a Dominico Grimano Cardinali reſignatam, anno MDXX. regere inceperat Ioannes. Adminiſtrationem eius poſt undecim annos, anno ſcilicet MDXXXI. reſumpſit Marinus: qui hac infula ſe iterum ſpoliavit anno MDXL. in eiuſdem Ioannis favorem. Hinc Epiſcopum Cenetenſem vocat Ioannem in ſuis anno MDXXVII. datis litteris Bartholomæus de Spina.

IV. Non ingratas lectoribus adnotationes noſtras, tametſi extra cancellos quodammodo vagantes, fore puto, quæ ſicuti eiuſdem Bartholomæi fidem maxime probant in recenſendis Grimanæ Familiæ ornamentis, ita diligentiam omnem facile ſuadere poſſunt, ab ipſo adhibitam in edendis Commentariis *in Eſaiam*, *ac Hieremiam*, *eiuſque Threnos*, *& Matthæum*, adiudicandiſque Divo Thomæ. Sequitur *Expoſitio in Evangelium S. Ioannis*, eidem Doctori Aquinati tributa. Quinque priora capita Commentario illuſtravit ipſe, quem proprio pugno ſcripſit: ex eius ore dicentis e ſuggeſtu reliqua recollegit, mandavitque litteris F. Reginaldus de Priverno: eademque demum diligentius reviſa correxit, adprobavitque ipſe Thomas. Rem diſertiſſime narrat Ptolomæus de Luca in Hiſtoria Eccleſiaſt. Libro XXIII. capite XV. *Item poſtilla ſuper Ioannem*, inquiens, *de qua ipſe* (Thomas) *ſuper* V. *capitulo* (quinque capitula) *proprio ſtylo notavit: totum aliud reportatio fuit, ſed correctum per ipſum*. Conſonum eſt Bernardi Guidonis teſtimonium apud Oudinum: *Scripſit quoque poſtillam ſuper Evangelium Ioannis, maxime ſuper quinque capitula, ſtylo proprio; reſiduum vero dicitur reportaſſe, ipſo legente, F. Reginaldus ſocius ejus: quod poſtmodum idem Doctor correxit, & approbavit*. Eadem habet ipſiſſima verba S. Antoninus in Chronico Parte III. Capite X. §. II.

Nulla

Nulla quinque Capitulorum exceptione ingeſta, in eorum Operum cenſu hanc *in Ioannem expoſitionem* annumerant Logotheta, Trivetus, & Valleoletanus, quæ dici *Reportata & recollecta* conſueverunt. Bartholomæi Logothetæ accipe verba apud Baluzium: *Item lecturam ſuper Iohannem, qua non invenitur melior: quam recollegit idem F. Raynaldus* (Reginaldus;) *ſed correxit eam Frater Thomas*. Trivetus ait apud Dacherium: *Iterum lectura ſuper Ioannem*. Et apud Echardum Valleoletanus: *Item ſcripſit poſtillam ſuper Ioannem. Incipit, Vidi Dominum ſedentem; & hoc per modum Lecturæ*. Quod eorum teſtimonium ne putes Ptolomæo Lucenſi, Bernardo Guidonis, & Antonino adverſum, cum maiorem Poſtillæ partem ex ore dictantis Thomæ exceptam intellexerint illi, ac priora quinque dumtaxat capita adnotaverint iſti proprio fuiſſe ſtylo conſcripta. Pretium vero animadverte, quo eadem expoſitio, cum primum innoteſcere ac teri manibus cœpit, habita eſt, ut *non inveniri meliorem*, perhibuerit Logotheta.

Egregium idem opus, nullam *reportationis* mentionem iniicientes, abſolute Thomæ tribuunt Guillelmus de Tocco, & Petrus Rogerius. Ait ille in Vita capite IV. num. 18. *Præter quod opus* (quod vulgo *Catena Aurea*,) *fecit poſtillam ſuper Evangelium Beati Ioannis: in qua oſtendit, quam alte de ſuo ingenio, adiutus per gratiam, ad profunda myſterii libri pervenerit, quæ Sanctorum auctoritatibus declaravit*. Iterum animadverte, quam magno in pretio hoc haberi opus debeat. Ait vero Rogerius, ſive Clemens VI. apud Oudinum: *Item poſtillas ſuper Evangelium Ioannis*. An ergo pugnent inter ſe antiqui, ſynchroni ſuppareſque, Scriptores, qui Thomæ Operum texuere catalogum? Cave, antilogiam aut pugnam ullam ſuſpiceris: Commentarium quippe Doctoris Aquinatis ore dictatum, exceptumque ab aliis, ab ipſo poſtea reviſum, correctum, adprobatumque, cur eidem abſque nota ſimpliciter non adiudicaverint Guillelmus de Tocco, & Clemens VI.?

At maiorem huiuſce Commentarii partem a Reginaldo Privernate recollectam fuiſſe, luculentiſſimo demum ipſius Reginaldi teſtimonio evincitur. Codices mſs. *expoſitionis in Ioannem*, qua de agimus, teſte Echardo in Elogio laudati Reginaldi, adſervantur Pariſiis in Eccleſia Metropolitana, & in Bibliotheca Regia, apud Saniacobęos Prædicatores, & Auguſtinianos ad Pontem novum, quibus omnibus appicta legitur notatio ſequens: *Hæc ergo ſunt, quæ ego F. Raynaldus de Piperno Ordinis Prædicatorum ad preces quorumdam ſociorum, & ſpecialiter ad mandatum R. P. D. Præpoſiti S. Adomari poſt Fratrem Thomam de Aquino, quaſi qui colligit racemos poſt vindemiam, utinam non diminute, collegi*. Tam illuſtri teſtimonio rem confectam, nemo non videt. Præpoſitum illum S. Adomari adnotat Echardus fuiſſe *Adenulphum de Anagnia*, una Canonicum Eccleſiæ Pariſienſis: ſed qui ne infulam accipere cogeretur, ad Canonicos Regulares Victorinos ſeceſſit, veſtem eorum induit, regulamque profeſſus eſt, anno MCCLXXXIX. morte ſublatus. Ita ſcilicet *Annales Victorini* ferunt apud Gerardum Dubois in Hiſtoria Eccleſiæ Pariſienſis Tomo II. Libro XVII. capite II. ubi rem attamen paullo aliter accidiſſe narrat ipſe Dubois num. 14. *In locum*, inquiens, *Ranulfi Epiſcopi ſubrogatus eſt communi Canonicorum conſenſu Adenulfus de Anagnia, qui olim Præpoſitus Eccleſiæ Audomarenſis fuerat, & Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus: ac deinde ad Victorinos ſeceſſerat. Is quidem confirmationem electionis acceperat, ſed ante conſecrationem deceſſit anno* MCCLXXXIX. *In choro Baſilicæ Victorinæ ſepultus eſt*. Quod Hiſtoriæ diſcrimen mihi in medio relinquendum. Quam inde vero coniecturam Echardus haurit, lubens amplector: hanc ab Aquinate lectam fuiſſe expoſitionem, & e ſuggeſtu dictatam, cum ſecundo ſcholas Pariſiis regeret ipſe ab anno MCCLXIX. ad annum MCCLXXI.

Tum ſeorſim idem prodiit Commentarius, tum ipſum præſtant editiones hactenus curatæ, quæ Thomæ Opera omnia complectuntur. Miratio forte ſubeat, eamdem ſilentio prætermiſſam a Ioanne de Columna in Indice, quem in Admonitione prævia Tomi I. dedimus num. II. At miratio nulla fuerit, ſi animadvertas, hanc inter Opera *reportata* locum habere poſtillam, idque genus opera omnia a Ioanne de Colu-

mna

mna prætermiſſa . Ipſius Divi Thomæ prologus a themate incipit , quod ex verbis Iſaiæ cap. *VI.* ℣. 1. deſumptum eſt : *Vidi Dominum ſedentem &c.* Sequitur eiuſdem Aquinatis *in prologum B. Hieronymi expoſitio . Hic eſt Ioannes Evangeliſta &c.* Nempe Thomæ ętate tum iſte, cum alii peculiares in Novi Teſtamenti libros circumferebantur Prologi ſub nomine Sancti Hieronymi : quos iam Doctori Maximo abiudicandos cenſeti , iubetque Criticorum natio.

Hæc ignoraſſe omnia, quæ diſſeruimus, videtur Sixtus Senenſis, qui in Bibliotheca Libro IV. prædictum Commentarium *in Ioannem*, unius Trithemii fide, adiudicat Divo Thomæ: ſeque dubium & ancipitem prodit Libro VI. Annotatione CCVII. Verba eius ſunt: „ Thomas Aquinas in *Commentariis ſuper Ioannem* , qui eius eſſe di„ cuntur, affirmat Philippum Apoſtolum, qui Gentiles duxit ad Chriſtum, (*Io. cap.* „ *XII. verſ.* 20. *& ſeqq.*) eum eſſe quem Lucas octavo capite Actuum (*verſ.* 5.) „ refert Samaritis prædicaſſe, & Eunuchum Reginæ Candacis (*verſ.* 27. *& ſeqq.*) „ baptizaſſe. Adverſatur huic ſententiæ Euſebius Libro II. Eccl. Hiſtor. capite 1. „ Chryſoſtomus hom. XVIII. in Actus dicens, eum fuiſſe unum de ſeptem Diaco„ nis . ſecundum a Stephano. Idem confirmat in Collectaneis Oecumenius . . . . . . „ idipſum Beda in Comment. Apoſtolicorum Actuum comprobat . “ Atenim Trithemii teſtimonio opus non eſt, ut Commentarii auctorem addiſcamus; cum Veterum fide conſtet, dictatum a Divo Thoma e ſuggeſtu , a Reginaldo quidem auditore ſcriptis exceptum, ſed ab eodem Aquinate correctum adprobatumque. Adnotati a Sixto Senenſi loci verba refero: *Gentiles Chriſtum videre volentes , non venerunt immediate ad eum , ſed ad unum ex diſcipulis eius , ſcilicet ad Philippum: & hoc congruenter , quia ipſe primus prædicavit his qui erant extra ritum Iudæorum , ſcilicet Samaritanis , ut habetur Act.* VIII. ubi Philippus, de quo Ioannes, idem adſeritur ac Philippus, de quo Actorum loco citato . At miratio nulla ſubeat : notum quippe compertumque , Veterum nonnullis eamdem inſediſſe ſententiam : quod etiam diligenter adnotarunt Cotelerius in caput VII. Libri VI. Conſtitutionum, Valeſius in caput XXXI. Libri III. Hiſt. Eccl. Euſebii, & Montſauconius in Nota marg. in Homil. XXXV. Chryſoſt. in Geneſim . Dubius hærebat S. Auguſtinus Tract. VI. in Ioannem num. 18. *Ibi* (Act. VIII. v. XIII.) *legimus*, inquiens, *multos credidiſſe in Samaria per prædicationem Philippi: intelligitur autem ſive unus ex Apoſtolis, ſive ex Diaconis*. Dubio ſoluto, Diaconum intelligendum cenſet, non Apoſtolum Serm. CCLXVI. al. v. in Vigiliis Pentecoſtes num. 4. *Philippus Evangeliſta* , inquiens , *qui prædicavit Evangelium in Samaria, unus erat de ſeptem Diaconibus*. Eamdem ſententiam tenet, altera ſatis indicata, Chryſoſt. Hom. XVIII. in Acta : *Puto certe* , inquiens num. 3. *hunc Philippum ex ſeptem illis eſſe*. At eumdem Philippum, qui Samaritas ad Chriſti fidem convertit, *Apoſtolum* vocant idem Chryſoſtomus hom. XXXV. in Geneſim , Tertullianus Libro de Baptiſmo Cap. XVIII. Auctor Conſtitutionum Apoſtol. Libro VI. cap. VII. aliique: quoſane *Apoſtoli* vocabulo, quod ampliore quadam ſignificatione Viris etiam Apoſtolicis, Evangelii prædicatoribus, ac Philippo Diacono indi potuit, fortaſſe factum, ut nonnulli exiſtimarent Philippum Apoſtolum fuiſſe, qui Samaritis verbum Dei annunciavit. Hæc vero ſatis.

V. Antiquorum teſtium , quos allegavimus , fidem ſecutus Caſimirus Oudinus , utrumque Commentarium *in Matthæum* , & *in Ioannem* tribui poſſe Divo Thomæ pronunciat, ſi opus utrumque inter *Reportata* collocetur. Admonet ipſe. 1. *Lecturam* in Matthæum, quæ *in impreſſis ſub nomine Sancti Thomæ ſimpliciter inſcripta eſt* , *& fucus lectori fiat*, *inſcribendam* impoſterum eſſe , ab eodem Aquinate *explicatam* , *ne a Fratre Petro de Adria eius auditore ſeu diſcipulo reportatam* . 2. Ad expoſitionem in Ioannem quod attinet , & ipſam a F. Reginaldo, maiorem ſane partem , recollectam fuiſſe , admonendos *in proximis editionibus* lectores eſſe ; *ne omnia iſta* , *quaſi propria Divi Thomæ opera* , *vulgus eruditorum opinetur ac credat*.

Votis eius in hac Bettinelliana impreſſione ſatis puto præviis noſtris admonitionibus factum : neque Veterum editorum mens alia fuit, qui ab aliis excepta quidem

ex ore

Digitized by Google

ex ore dictantis Thomæ hæc opera novere; Thomæ tamen unius doctrinam ac ſententiam in eiſdem agnoſcentes, neque piaculum neque abſurdum exiſtimarunt, ſimpliciter ſub nomine Doctoris Aquinatis in lucem ea proferre. At modeſtæ cenſuræ, quam hoc loco tulit Oudinus, tranſiliit metas in Elogio *Petri de Adria*, ut ait, ad annum MCCLXXX. Verba eius ſunt: *Plura ſcripſit Petrus de Adria, quæ omnia etiamnum habentur ſub nomine S. Thomæ Aquinatis inverecunde inſcripta, atque inter Opera eius inſerta.* Acſi Operum Thomæ editores, omni depoſita verecundia, libros eripuerint Petro de Andria, ut librorum Thomæ numerum impudentes augerent. De inuſta *inverecundiæ* nota, quod affert, accipe argumentum. „ Audiamus (inquit) „ ea de re Scriptorem, utrique (*Thomæ, & Petro de Adria*) ferme ſupparem, eiuſ„ demque Familiæ Dominicanæ, Nicolaum Trivetum in Hiſtoria ſua, ubi poſtquam „ magna & genuina Sancti Thomæ recenſuit Opera, atque opuſcula minora, ſubdit: „ *Alia quidem* (inquit de Sancto Thoma) *inveniuntur ſibi attributa, quæ tamen i„ pſe non ſcripſit; ſed poſt eum legentem vel prædicantem, ab aliis ſunt collecta; utputa „ Lectura ſuper Epiſtolam ad Corinthios ab undecimo capitulo uſque ad finem, & Ex„ poſitio ſuper primum de Anima, quas Frater Reginaldus eius ſocius collegit. Iterum* „ (Ecce Opera Petri de Adria) *Lectura ſuper Ioannem, & ſuper tertium Nocturnum „ Pſalterii: Collationes de Oratione Dominica, & ſymbolo: item Collationes Dominicales, „ & Feſtivæ: item Collationes de Decem præceptis, quas collegit Frater Petrus de Adria. „ Item Lectura ſuper Matthæum completa, quam partim idem Frater, partim Secularis „ quidam recollegit eius ſtudio delectatus.*

Quo in loco ipſe *inverecunde* miſcet omnia Oudinus; cum *Lectura in Ioannem, & ſuper tertium Nocturnum Pſalterii* ad Opera pertineant, quæ Frater Reginaldus de Priverno excepit, non Frater Petrus de Andria: ipſumque Oudinum, quod attinet ad *expoſitionem in Ioannem*, id affirmantem habemus in Elogio Sancti Thomæ capite XVIII. iuxta fidem Bernardi Guidonis & Antonini, ſuipſius poſtea immemorem ſibique adverſantem. Cur vero tam *inverecunde* ſe geſſerint Noſtrates, Thomæ ſimpliciter eoſdem Commentarios tribuentes? Optima certe non defuit illis cauſa. Fuerit enim utriuſque *Expoſitionis* ſtylus aut Reginaldi Privernatis, aut Petri de Andria; doctrina tamen, ſententia, interpretatio, ordo Thomam auctorem habent: ipſumque rurſum recollectum Commentarium *in Ioannem* reviſit Thomas, correxit, adprobavit.

Cæterum abs moroſiſſimo Cenſore, qui tam leves aliorum feſtucas inſequitur, quærendum eſt, cur Petrum eodem in ipſius elogio appellet *de Adria*, *de Andria*, & *Adrianenſem*, loco natalis in ancipiti relicto? Equidem *Petrum de Adria* habet Trivetus apud Dacherium, habet Bulla Cæleſtini V. apud Fontanam in Provincia Romana; at *de Andria* legimus apud Logothetam, Bernardum Guidonis, & S. Antoninum, & *Andriam* ferunt Apuliæ locum in Provincia Terræ Barii Lexica Geographorum. Quo rurſum teſte, qua fide, poſt indictam anno MCCXCIV. die III. Septembris a Cæleſtino V. diviſionem Provinciæ Romanæ a Provincia Regni ſeu utriuſque Siciliæ, hunc Petrum dixerit Oudinus *in Capitulo Provinciali Aquilæ in Feſto Exaltationis S. Crucis Regni Siciliæ Provincialem electum fuiſſe*? Illum in eadem Bulla conſtitutum a Cæleſtino legimus Apoſtolicum novæ Provinciæ Vicarium ad futuri Provincialis electionem uſque, proxima feſtiva exaltationis S. Crucis die peragendam. At Ordinis monumenta, quæ ignorabat Oudinus, produnt apud Vincentium Mariam Fontanam loco citato: neque Petrum de Andria novæ inſtitutæ Provinciæ electum fuiſſe Præfectum, quem *Priorem Provincialem* vocamus: neque prædictam utriuſque Provinciæ diviſionem executioni mandatam eſſe: hanc vero, data per Bonifacium VIII. Conſtitutione anno MCCXCV. die I. Martii, iterum indictam, completamque, atque demum in acta Capituli Generalis Argentinæ anno MCCXCVI. celebrati redactam. Eadem acta conſule typis edita apud Martene & Durand, Benedictinos S. Mauri Aſcetas, Tomo IV. Theſauri Anecdotorum. In homine importuno cenſore, qui vel ipſas perquam leviſſimas tricas arripit, ut in alios litem moveat, tam frequentes ac pingues quis miti animo ferat errores?

DIVI

171.9? F.44

DIVI THOMAE AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI

IN MATTHAEUM EVANGELISTAM EXPOSITIO.

ARGUMENTUM.

MAtthæus ex Iudæa ſicut in ordine primus ponitur, ita Evangelium in Iudæa primus ſcripſit, cuius vocatio ad Dominum ex publicanis actibus fuit, duorum in generatione Chriſti principia præſumens: unius cuius prima circumciſio in carne, alterius cuius ſecundum cor electio fuit. Ex utriſque enim patribus Chriſtus. Sicque quaterdenario numero triformiter poſito, principium a credendi fide in electionis tempus porrigens, & ex electione uſque in tranſmigrationis diem dirigens, atque a tranſmigrationis die uſque in Chriſtum definiens, decurſam adventus Domini oſtendit generationem, & numero ſatisfaciens, & tempori: ut & ſe quod eſſet oſtenderet, & Dei in ſe opus monſtrans, etiam in his quorum genus poſuit, Chriſti operantis a principio teſtimonium non negaret. Quarum omnium rerum tempus, ordo, numerus, diſpoſitio, vel ratio, quod fidei neceſſarium eſt, Deus Chriſtus eſt, qui factus ex muliere, factus ſub lege, natus ex virgine, paſſus in carne, omnia in cruce fixit: ut triumphans ea in ſemetipſo, reſurgens in corpore, & patris nomen in patribus filio, & filii nomen patri reſtituens in filiis, ſine principio, ſine fine, oſtendens unum ſecum patre eſſe, quia unus eſt. In quo Evangelio utile eſt deſiderantibus Deum, ſic prima, vel media, vel perfecta cognoſcere, ut & vocationem Apoſtoli, & opus Evangelii, & dilectionem Dei in carne naſcentis per univerſa legentes intelligant, atque id in eo in quo reprehenſi ſunt, & apprehendere appetunt, recognoſcant. Nobis enim in hoc ſtudio argumenti fuit, & fidem factæ rei tradere, & operantis Dei intelligendam diligenter eſſe diſpoſitionem quærentibus non tacere.

D. THOMAE IN ARGUMENTUM HOC EXPOSITIO.

M*Atthaeus ex Iudaea &c.* Evangelio Matthæi Hieronymus (*a*) præmittit prologum, in quo tria facit: primo enim ipſum auctorem deſcribit; ſecundo Evangelii myſteria aperit, ibi, *Duorum in generatione Chriſti principia præſumens*; tertio ſuam intentionem oſtendit, ibi, *Nobis autem in hoc ſtudio argumenti fuit*. (*b*) Auctorem vero ipſum deſcribit ex quatuor. Primo ex nomine, cum dicit, *Matthaeus*; ſecundo ex origine, cum dicit, *ex Iudaea*; tertio ex ſcribendi ordine, ibi, *Sicut in ordine primus ponitur*; quarto ex vocatione, ibi, *Cuius vocatio ad Dominum*, ideſt ad Chriſtum. De hoc Matth. IX. & Luc. V.

(a) *Al.* præmittit primo. (b) *Al.* Auctorem vero ipſum deſcribit primo ex origine, cum dicit, *Matthaeus ex Iudaea*; ſecundo ex ſcribendi ordine, ibi, *Sicut in ordine*; tertio ex vocatione, ibi, *Cuius vocatio ad Dominum*, ideſt ad Chriſtum.

Digitized by Google

Et nota, quod Gloſſa interlinearis quæ dicit: „*Primus*; ideſt, ante quem nullus &c.“ videtur velle quod alii poſt Matthæum ſcripſerint in Iudæa; quod non eſt verum: ſolus enim Matthæus ſcripſit in Iudæa, Marcus in Italia, Lucas in Achaia, Ioannes in Aſia.

Conſequenter ipſius Evangelii myſteria aperit: & primo aperit myſteria circa principium Evangelii; ſecundo oſtendit eadem myſteria requirenda eſſe & in medio, & in fine, ibi, *In quo Evangelio utile eſt &c.* In principio autem Evangelii duo tanguntur. Primo ponitur quaſi quidam titulus, cum dicitur, *Liber generationis*; ſecundo generationis cuiuſdam ſeries deſcribitur, cum dicitur, *Abraham genuit Iſaac &c.* Primo ergo ponit myſteria tituli, vel quæ tanguntur in titulo; ſecundo myſteria generationis, ibi, *Sicque quaterdenario*. In tituln autem dicitur, *Liber generationis Ieſu Chriſti*: ubi tanguntur duo principia, ſcilicet David, & Abraham. Et hoc quia Abrahæ prius datum eſt præceptum de circumciſione. (Rom. IV. 11.) „Signum accepit circumciſionis: ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, ut ſit ipſe pater omnium credentium.“ David autem electus eſt a Domino. I. Reg. XIII. 14. „Inveni virum ſecundum cor meum.“ Unde propter hoc iſti duo tanguntur, ut denotetur quod Chriſtus traxit originem ex circumciſis patribus, & electis. Et hoc eſt *duorum*, hominum, vel *duorum* (*a*) principiorum, ideſt duo principia, ſcilicet David, & Abraham. Conſequenter ponit myſteria quæ tanguntur in genealogia: & primo tangit myſteria ipſius Evangelii, vel Evangeliſtæ; ſecundo ipſius Chriſti, ibi, *Quarum omnium rerum &c.* Et eſt myſterium quod Evangeliſta genealogiam Chriſti per tres teſſeradecades diſtinxit. Quarum prima eſt ab Abraham uſque ad David; ſecunda a David uſque ad tranſmigrationem; tertia uſque ad Chriſtum: ut oſtenderet Chriſtum eſſe & de circumciſis, & de electis, & de tranſmigrantibus. Et hoc eſt, *triformiter poſito*, ideſt tripliciter repetito, ſupra in genealogia, *a credendi fide*, ideſt ab ipſo Abraham, qui ſuit primum exemplar credendi, *in electionis tempus porrigens*, ideſt uſque ad ipſum David deducens; *& ab electione*, ideſt ab ipſo David, *in tranſmigrationis diem dirigens*; *& a tranſmigrationis diem uſque in Chriſtum definiens*, patet, *decurſam*, ideſt breviter & curſorie tactam *adventus Domini oſtendit generationem*, (*b*) *& numero ſatisfaciens*, *& tempori*. Patet.

Quarum omnium rerum &c. Nota, quod in hac generationis ſerie quatuor tanguntur: *Tempus*, *numerus*, *ordo*, *& diſpoſitio*, *ſive ratio*: quia ab Abraham uſque ad David &c. Omnia iſta nil aliud oſtendunt niſi quod Deus Chriſtus eſt. Hoc enim intendit ſecundum diſpoſitionem & rationem allegoricam, quod Chriſtus eſt Deus. *Quod eſt fidei neceſſarium*, ſcilicet quod *Chriſtus Deus eſt*, ideſt in omnibus non eſt plus de neceſſitate fidei niſi quod Chriſtus eſt Deus. *Qui factus ex muliere &c.* Nota, & expone, & ſigna capitula. *Et omnia in cruce fixit*, ideſt peccata, ſecundum quod de medio tulit quod adverſum nos chirographum erat. Item melius. Chriſtus ſecundum Deum & hominem, qui eſt omnia, ſecundum illud Ioan. XII. 32. „Ego, ſi exaltatus ſuero a terra, omnia traham ad meipſum.“ Phil. II. 10. „Ut in nomine Domini omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.“ *Ut triumphans ea in ſemetipſo*: quia per trophæum crucis omnia ſibi ſubiecit, & de qunlibet triumphavit. *Et patris nomen in patribus filio*.

Ad evidentiam autem huius notandum, quod in ſerie generationis ponuntur quidam patres, & quidam filii, ſicut patet. Item ponitur ibi quidam pater ſine patre, ſicut Adam; quidam filius ſine filin, ſicut Ieſus. Item ponuntut quidam qui ſunt patres, & filii, ſicut omnes intermedii. Per hoc autem myſtice deſignatur, quod in Trinitate eſt pater & filius, ſicut in hac genealogia ſunt quidam patres, quidam filii. Item per hoc quod primus pater non habet patrem in hac ſerie, nec ultimus filius filium, oſtenditur quod iſti ſunt ab æterno. Item per hoc quod unus & idem in perſona eſt pater, & filius reſpectu diverſorum, tangitur quod iſti ſunt unum, non quidem in perſona, ſed natura. Et hoc eſt quod dicit: *Et patris nomen reſtituens filio in patribus*, ideſt quod filius habeat patrem; *in patribus*, ideſt per hoc quod ponuntut ibi quidam patres: *& nomen reſtituens patri*, ideſt quod pater habeat filium; & hoc *in filiis*, ideſt per hoc quod pnnuntur ibi aliqui filii ſine principio, & ſine fine: quia pater primus non habet patrem, nec ultimus filius filium. *Oſtendens ſe unum eſſe cum patre*, ideſt unius naturæ: *quia unus*, in perſona, ſcilicet pater & filius, reſpectu tamen diverſorum, in dicta genealogia. Nota interlinearem quæ dicit: „*Uaus*, Chriſtus;“ quod nihil eſt dictum.

Conſequenter oſtendit conſimilia myſteria requirenda eſſe in dicto Evangelio, non ſolum in principio, ſed etiam in medio, & fine.

(a) *Al.* principia. (b) Al. *ut numero*.

fine. Et hoc eſt, *In quo Evangelio*, ſcilicet Matthæi, *utile eſt deſiderantibus Deum*, *ſic*, ideſt eodem modo ſicut diximus, cognoſcere *prima*, ideſt principium, *vel media*, *vel perfecta*, finem, & conſummationem: *ut & vocationem Apoſtoli &c.* Scriptum eſt Phil. III.12. „ Sequor autem ſi quo modo comprehendam.“ *Nobis autem.* Hic oſtendit intentionem ſuam, ſcilicet quod intendit quod ea quæ hic dicuntur vera ſunt in hiſtoria, & tamen ſpiritualiter intelligenda. *Nobis autem fuit hoc*, ideſt hæc intentio, *in ſtudio argumenti*, ideſt prologi.

EVANGELIUM MATTHAEI.

CAPUT I.

(a) Liber generationis Ieſu Chriſti filii David, filii Abraham.

(b) Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſrom. Eſrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit David Regem.

(c) David autem Rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa. Aſa autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.

(d) Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus. Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David, generationes quatuordecim: & a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & a tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim. Chriſti autem generatio ſic erat. Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium; & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.

(e) Hoc autem totum factum eſt ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium; & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus.

(f) Exurgens autem Ioſeph a ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem ſuam. Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen eius Ieſum.

(a) Inter Evangeliſtas Matthæus præcipue verſatur circa humanitatem Chriſti: unde ſecundum Gregorium per hominem ſignificatur in figura quatuor animalium. Per hu-

Digitized by Google

humanitatem autem Chriſtus in mundum introivit, progreſſus eſt, & exivit: & ideo dividitur totum Evangelium in tres partes. Primo enim agit Evangeliſta de Chriſti humanitatis in mundum ingreſſu; ſecundo de eius proceſſu; tertio de eius egreſſu. Secunda pars incipit cap. III. 1. ibi, *In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ*. Tertia cap. XXI. 1. *Et cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem oliveti*. In prima parte duo facit. Primo deſcribitur Chriſti generatio; ſecundo ipſius generationis ſubditur manifeſtatio, cap. II. ibi, *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis*. In prima parte tria facit. Primo enim quaſi tirulus totius libri præponitur, cum dicitur, *Liber generationis Ieſu Chriſti*; ſecundo patrum ſeries texitur, *Abraham genuit Iſaac*; tertio cum dicitur, *Chriſti autem generatio ſic erat*, generatio Chriſti in ſpeciali deſcribitur. Titulus autem qui præmittitur eſt iſte, *Liber generationis Ieſu Chriſti*.

Et videtur eſſe oratio imperfecta: ponitur enim ibi nominativus ſine verbo; ſed non eſt. Matthæus enim Evangelium Hebræis conſcripſit, & ideo in ſcribendo, morem Iudæorum ſervavit. Conſuetum eſt autem apud Hebræos ſic loqui, ſicut cum dicitur, „ Viſio Eſaiæ filii Amos, “ ſubauditur, Hæc eſt; nec oportet apponere: ita hic cum dicitur, *Liber generationis*, ſubauditur, Hic eſt. Et hic etiam modus loquendi conſuetus eſt apud nos: ſi enim velimus aliquem librum intitulare, dicitur, Priſcianus maior, vel minor: nec oportet apponere, Hic eſt; vel, Incipit.

Item (a) quæritur, cum parva particula iſtius libri ſit de generatione Chriſti, quare intitulavit librum ſuum ſic.

Et dicendum, quod Matthæus qui ſcripſit Hebræis, in ſcribendo modum Hebræorum ſervavit. Conſuetum eſt autem apud Hebræos, libros ſuos a principio intitulare, ſicut dicitur Geneſis, quia ibi agitur de generatione: unde Gen. v. 1. „ Hic eſt liber generationis Adam. “ Et liber Exodi, quia in prima parte agitur de exitu filiorum Iſrael de AEgypto.

Sed quæritur quare additur, *Ieſu Chriſti*. Et dicendum quod ſecundum Apoſtolum, I. Corinth. XV. 22. „ ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur. “ Viderat autem Matthæus librum primum veteris teſtamenti, in quo agitur de generatione, (b) in quo dictum eſt cap. V. „ Hic eſt liber generationis Adam. “ (c) Ut ergo novum teſtamentum, in quo agitur de regeneratione, & reſtauratione, ei reſponderet per oppoſitum, dicit: *Liber generationis Ieſu Chriſti*, ut oſtenderet quod idem eſt auctor utriuſque.

Hic autem quæritur de hoc quod hic dicitur, *Liber generationis Ieſu Chriſti*: contrarium enim habetur Eſaiæ LIII. 8. ubi dicitur: „ Generationem eius quis enarrabit? “ Sed ſenſus eſt, ſecundum Hieronymum, quod in Chriſto eſt duplex generatio. Scilicet divina, quæ enarrari non poteſt: quia & ſi aliquo modo dicimus filium genitum, ſed modum quo gignitur, nec homo, nec Angelus poteſt comprehendere. Alia autem eſt humana, de qua agit. Sed tamen in hac etiam generatione ſunt multa difficilia. Et ideo, ſecundum Remigium, perpauci ſunt qui poſſint eam enarrare.

Item quæritur de hoc quod dicit, *Generationis*, cum hic plures texantur generationes. Sed dicendum, quod licet multæ enumerentur generationes, omnes tamen introducuntur propter unam, ſcilicet propter generationem Criſti, de qua inferius (hoc cap.) *Chriſti autem generatio ſic erat*.

Deſcribitur autem ille cuius generatio texitur primo a nomine, cum dicitur, *Ieſu*; ſecundo ab officio, cum dicitur, *Chriſti*; tertio ab origine, cum dicitur: *Filii David, filii Abraham*. Quamvis autem fuerint & alii qui vocati ſint Ieſus, ſicut Ieſus filius Nave, de quo Eccli. XLVI. 1. „ Fortis in bello Ieſu Nave ſucceſſor Moyſi in prophetis: “ & alius circa ædificationem templi, de quo in Zach. III. Iſti tamen fuerunt Ieſus nominales, & figurales, inquantum ſcilicet figurabant iſtum. Ille Ieſus introduxit populum Iſrael in terram promiſſioois; ſed iſte Ieſus, ideſt Salvator noſter, non in terram carnalem, ſed introducit nos in cæleſtem. Heb. XII. 2. Ipſum enim habemus auctorem, & conſummatorem in ſanguine eius &c. Et recte dicitur Ieſus, quod nomen convenit ei ſecundum utramque naturam, ſcilicet divinam, & humanam. Secundum quidem humanam in carne ſua paſſus eſt, & explevit myſterium noſtræ redemptionis: & cum paſſio illa non haberet efficaciam niſi ex virtute divinitatis adiunctæ, propter hoc dicitur infra (hoc cap.) *Vocabitur nomen eius Ieſus: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*.

Sed

(a) *Al.* Item cum quæritur. (b) *Al.* quod. (c) *Al.* Ut ergo novum teſtamentum, in quo agitur de reſponſione, & reſalutatione, quæ ei reſponderet per oppoſitum, dicit: *Liber generationis Ieſu Chriſti*: ut oſtenderet quod idem eſt arbor utriuſque.

Sed quæritur quare dicit, *Chriſti*. Nonne ſuffeciſſet *Ieſu*? Reſpondeo, hoc ideo factum eſſe, quia, ut dictum eſt, & alii vocati ſunt Ieſus.

Ab officio autem deſcribit eum, cum dicit, *Chriſti*, ideſt uncti. Nota autem tres unctiones in veteri lege. Unctus enim eſt Aaron in ſacerdotem, Levit. cap. VIII. Unctus eſt Saul a Samuele in Regem, I. Reg. X. Et David, I. Reg. XVI. Unctus eſt & Eliſeus in prophetam, III. Reg. XIX. Quia ergo Chriſtus fuit verus Sacerdos, in Pſal. CIX. 4. „ Tu es „ Sacerdos in æternum ſecundum ordinem „ Melchiſedech, “ & Rex, & Propheta; ideo dicitur recte Chriſtus, propter tria officia quæ ipſe exercuit.

Filii David, filii Abraham. Hic eſt duplex quæſtio, ſcilicet de numero, & de ordine.

Ad primum, quare iſtos duos nominavit, propter illam rationem (*a*) quæ in Prologo dicta eſt, quod Abraham propheta fuit. Geneſ. XX. 7. dixit Dominus ad Abimelech Regem Geraræ: „ Redde uxorem viro ſuo, quia „ propheta eſt. “ Item fuit ſacerdos, Geneſ. XV. 9. dum implevit officium ſacerdotis, offerendo ſcilicet hoſtiam Domino: “ Sume „ (inquit) mihi vaccam triennem &c.“ David, autem propheta fuit, ſicut patet Act. II. 30. Fuit etiam Rex, ſicut patet II. Reg. II. 4. Quia ergo Chriſtus fuit Rex, & Propheta, & Sacerdos; ideo recte dicitur filius iſtorum. Si enim ſolum Abraham nominaſſet, non ſignaretur quod Chriſtus Rex fuiſſet. Item ſi ſolum David, non denotaretur in Chriſto ſacerdotalis dignitas: & ideo utrumque poſuit. Ad ſecundum dicendum, quod, ſecundum Hieronymum, David præponitur, & commutatur ordo propter neceſſitatem texendi genealogiam: ſi enim primo diceret, *Filii Abraham*; ſecundo, *Filii David*, oporteret ſecundo repetere Abraham ut continuaretur ordo genealogiæ. Secundum Ambroſium autem dicendum, quod David præponitur ratione dignitatis: ad David enim facta eſt repromiſſio de ipſo capite, cum dicitur Pſal. CXXXI. 11. „ De fructu ventris tui „ ponam ſuper ſedem tuam. “ Sed ad Abraham de membris, ſcilicet de Eccleſia: unde Geneſ. XXII. 18. „ In ſemine tuo benedicentur „ omnes gentes terræ. “

Hic notandum, quod multi fuerunt errores de Chriſto. Quidam enim erraverunt circa eius divinitatem, ſicut Paulus Samoſatenus, Photinus, & Sabellius; quidam circa humanitatem; & quidam circa utramque; alii autem erraverunt circa eius perſonam. Circa humanitatem eius primus erravit Manichæus, qui dixit, eum non verum corpus ſed phantaſticum accepiſſe: Contra quod eſt quod dicit Dominus, Luc. ult. 39. „ Palpate, „ & videte: quia ſpiritus carnem, & oſſa non „ habet, ſicut me videtis habere. “ Secundo poſt eum erravit Valentinus, qui dixit, eum corpus cæleſte ſecum attuliſſe; non de virgine aſſumpſiſſe, ſed per eam ſicut aquam per canale tranſiſſe. Sed contra eſt quod dicitur Roman. I. 3. „ Qui factus eſt ei ex ſe„ mine David ſecundum carnem. “ Tertius error fuit Apollinaris, qui dixit, eum tantum accepiſſe corpus, & non animam; ſed loco animæ habuiſſe divinitatem. Sed contra eſt quod frequenter dicitur (Ioan. XII. 27.) „ Nunc anima mea turbata eſt. “ Sed propter hoc ipſe idem mutavit poſtea opinionem, & dixit, Chriſtum habuiſſe vegetabilem, & ſenſibilem, non tamen rationalem; ſed loco eius divinitatem. Sed tunc ſequeretur inconveniens, quod Chriſtus non eſſet plus homo quam unum brutum. Hos autem errores quaſi quadam ſorte diviſerunt ſibi quatuor Evangeliſtæ. Marcus enim, & Ioannes principaliter errores illos qui ſunt circa divinitatem deſtruxerunt: unde Ioannes in principio ſtatim dixit: „ In principio erat „ verbum. “ Et Marcus exorſus eſt ſic: „ In„ itium Evangelii Ieſu Chriſti filii Dei: “ non dixit, Filii Abraham. Matthæus autem, & Lucas illos qui circa eius humanitatem ſunt errores deſtruunt in principio. Unde nota, quod in hoc quod dicitur, *Filii David, filii Abraham*, omnes errores qui fuerunt circa Chriſti humanitatem excluduntur. Filius enim non dicitur alicuius aliquis, niſi per generationem univocam, quæ eſt ſecundum convenientiam in ſpecie. Quantumcumque enim aliquid generetur ex homine, niſi (*b*) participet eamdem ſpecie naturam, numquam dicitur filius, ſicut patet de pediculis, & huiuſmodi. Si igitur Chriſtus eſt filius David, & Abraham, oportet eum habere eamdem naturam, ratione eiuſdem ſpeciei: non autem haberet eamdem naturam ſecundum ſpeciem, ſi non haberet corpus verum & naturale; nec ſi illud de cælo attuliſſet; nec etiam ſi careret anima ſenſitiva, ſive rationali: unde patet excluſio omnis erroris.

(b) Propoſito titulo, hic ſeries genealogiæ texitur: & dividitur in partes tres, ſecundum tres quaterdenarios quibus dicta genealogiæ ſeries texitur. Primus quaterdenarius eſt ab Abraham uſque ad David, qui procedit per Patriarchas. Secundus procedit a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis,

(a) *Al.* Quæ dicta in Prologo. Dictum eſt quod &c. (b) *Al.* participaret.

Digitized by Google

nis, qui procedit per Reges. Tertius a tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, qui incipit a ducibus, & procedit per perſonas privatas. Secunda ibi, *David autem Rex genuit Salomonem*. Tertia ibi, *Et poſt tranſmigrationem Babylonis &c.* Prima dividitur in tres: primo enim ponuntur patres qui fuerunt ante ingreſſum in AEgyptum; ſecundo ponuntur illi qui fuerunt in ipſo exitu, & terræ promiſſionis ingreſſu; tertio illi qui fuerunt poſt ingreſſum terræ promiſſionis. Dicit ergo primo: *Abraham genuit Iſaac*.

Hic conſiderandum eſt antequam ulterius procedamus, quod duo Evangeliſtæ generationem Chriſti ſecundum carnem proſequuntur, ſcilicet Lucas, & Matthæus; ſed differenter: & hæc differentia attenditur quantum ad quinque: primo enim differunt quantum ad ſitum; ſecundo quantum ad ordinem; tertio quantum ad modum; quarto quantum ad terminum; quinto quantum ad perſonas numeratas. Primo dico quod differunt quantum ad ſitum: quia Matthæus generationem Chriſti in principio Evangelii incipit texere; Lucas autem non in principio, ſed poſt baptiſmum: & ratio huius eſt, ſecundum Auguſtinum, quoniam Matthæus generationem Chriſti carnalem ſuſcepit deſcribendam; & ideo ſtatim in principio debuit eam ponere: Lucas autem maxime intendit commendare in Chriſto perſonam ſacerdotalem: ad ſacerdotem autem pertinet expiatio peccatorum; & ideo poſt baptiſmum, in quo fit peccatorum expiatio, convenienter a Luca ponitur Chriſti generatio. Secundo autem Lucas & Matthæus in texendo genealogiam Chriſti differunt quantum ad ordinem: quia Matthæus texit Chriſti generationem incipiendo ab Abraham, & deſcendendo uſque ad Chriſtum; Lucas autem incipit a Chriſto, & aſcendendo procedit uſque ad Abraham, & etiam ultra. Et ratio eſt quia, ſecundum Apoſtolum, Rom. IV. 25. in Chriſto fuerunt duo, ſcilicet humilitas ſuſcipiendi defectus naturæ noſtræ, & poteſtas divinitatis, & gratiæ, per quam nos ab huius defectibus expiavit. Rom. VIII. 3. „ Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem „ carnis peccati (propter primum) & de „ peccato damnavit peccatum in carne" (propter ſecundum.) Matthæus ergo qui intendit generationem Chriſti carnalem, per quam deſcendit uſque ad infirmitatis noſtræ aſſumptionem, congrue eius generationem deſcendendo deſcribit. Sed Lucas qui in ipſo commendat ſacerdotalem dignitatem, per quam Deo reconciliamur, & ipſi Chriſto unimur, congrue aſcendendo procedit. Tertio differunt quantum ad modum: quia in enarratione genealogiæ Matthæus utitur hoc verbo *Genuit*; ſed Lucas hoc verbo *Fuit*. Et hoc eſt quia Matthæus in tota enarratione ſua non ponit niſi patres carnales; ſed Lucas ponit multos patres ſecundum legem, ſive per adoptionem. Præceptum enim fuit in lege quod ſi aliquis moreretur ſine filiis, quod frater eius acciperet ſponſam eius, & generaret ſibi filios: unde filii illi non erant eius qui generabat; ſed per quamdam adoptionem imputabantur priori: unde Lucas, qui ponit multos filios genitos per adoptionem, non dicit *Genuit*, ſed *Fuit*: quia quamvis ipſi eos non generaſſent, eorum tamen per quamdam adoptionem erant. Matthæus autem, qui ponit ſolum patres carnales, dicit *Genuit*. Ratio autem huius eſt quia, ſicut dictum eſt, Matthæus verſatur maxime circa Chriſti humanitatem: & quia ſecundum carnem natus eſt ex patribus carnalibus, ideo in genealogia Matthæi nullus ponitur qui non fuerit pater carnalis. Lucas autem commendat maxime in Chriſto ſacerdotalem dignitatem, per quam adoptamur in filios Dei; & ideo non ſolum carnales, ſed etiam legales patres poſuit. Quarto differunt quantum ad terminum: quia Matthæus generationem ſuam incipit ab Abraham, & protendit uſque ad Chriſtum; Lucas autem a Chriſto non ſolum uſque ad Abraham, ſed etiam uſque ad Deum. Cuius ratio poteſt ſumi ex hoc quod Matthæus ſcripſit Hebræis: Hebræi autem maxime gloriabantur de Abraham: Ioan. VIII. 33. „Semen Abrahæ „ ſumus: " qui fuit primum credendi principium: & ideo Matthæus ab Abraham incepit. Lucas autem ſcripſit Græcis, qui nihil de Abraham ſciebant, niſi per Chriſtum: ſi enim non fuiſſet Chriſtus, nihil umquam ſciviſſent de Abraham: & ideo Lucas incepit a Chriſto, & terminavit non ſolum in Abraham, ſed in Deum. Quinto differunt quantum ad perſonas enumeratas: quia in tota ſerie genealogiæ Lucæ nulla prorſus de muliere fit mentio; in Matthæo autem aliquæ interponuntur mulieres. Cuius ratio eſt, ſecundum Ambroſium, quia Lucas, ſicut dictum eſt, commendat maxime ſacerdotalem dignitatem: in ſacerdote autem maxima requiritur puritas. Matthæus autem eius texit generationem carnalem; & ideo ibi ponuntur aliquæ mulieres.

Notandum tamen, quod in tota genealogia Matthæi non ponuntur niſi mulieres peccatrices, vel quæ in aliquo fuerant peccato notatæ, ſicut Thamar quæ fornicata eſt, Gen. XXXVIII. & Ruth, quæ fuit idolatra,

quia

quia gentilis; & uxor Uriæ, quæ fuit adultera, II. Reg. 11. Et hoc ad deſignandum, ſecundum Hieronymum, quod ille cuius genealogia texitur, intravit propter peccatores redimendos. Alia ratio tangitur ab Ambroſio, ſcilicet ut tolleretur confuſio Eccleſiæ. Si enim Chriſtus ex peccatoribus naſci voluit, non debent infideles irridere, ſi peccatores ad Eccleſiam veniant. Alia ratio poteſt aſſignari, credo ſecundum Chryſoſtomum, ut oſtendatur imperfectio legis; & quod Chriſtus venit legem implere. Per hoc enim quod tanguntur quædam mulieres peccatrices, denotatur quod illi qui erant maximi in lege, erant peccatores: ſicut David, & Iudas; & in hoc deſignat imperfectionem aliorum. Si enim iſti fuerunt peccatores, multo magis & alii. Roma. III. 23. „Omnes „ peccaverunt, & egent gloria Dei. “ Et ideo iſti ponuntur in generatione Chriſti, ut deſignetur quod ipſe legem impleverat. Nota tamen, quod iſtæ mulieres quamvis fuerint omnes peccatrices, non tamen pro tempore illo quo texitur earum genealogia; ſed iam erant mundatæ per pœnitentiam.

Dicit ergo: *Abraham genuit Iſaac*. Notandum primo, quod hic duo ſunt conſideranda ſecundum litteram, ſive ſenſum litteralem. Primo quod per patres iſtos poſitos deſignatur Chriſtus; ſecundo quod etiam iſta referuntur, & poſſunt referri ad inſtructionem noſtram. Dicit ergo primo: *Abraham genuit Iſaac*. Et hoc habetur Geneſ. XXI. *Iſaac autem genuit Iacob*, Gen XXV. *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius*.

Hic quæritur, cum Abraham alium habuerit filium quam Iſaac, ſcilicet Iſmael; & ſimiliter Iſaac; quare non fit mentio de eis, ſicut hic dicitur: *Iudam, & fratres*. Item quare magis exprimitur Iudas ex nomine quam alii.

Ratio eſt quia Iudas, & fratres eius ſub cultura unius Dei permanſerunt; & ideo de eis fit mentio in generatione Chriſti: non autem Iſaac, & Iſmael; nec Iacob, & Eſau. Ad ſecundum, quod hoc fuit ut impleri oſtenderetur in Chriſto prophetia Iacob, Geneſ. XLIX. 10. „ Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, „ donec veniat qui mittendus eſt: & ipſe „ erit expectatio gentium. “ „ Manifeſtum „ eſt quod de Iuda ortus eſt Dominus: “ ut dicitur Heb. VII. 14. & ideo fit magis mentio de ipſo quam de aliis.

Iudas autem genuit Phares &c. Hic quæritur, cum Dominus non ſit natus de Zaram, ſed de Phare, quare fit mentio de eo. Item quare nominaliter exprimitur: prius enim dixit fratres eius: quare ergo expreſſit nomen Zaram?

Et dicendum, ſecundum Ambroſium, quod hoc in myſterio factum eſt. Ad cuius evidentiam nota hiſtoriam quæ habetur Gen. XXXVIII. quod in partu Thamar prior apparuit Zaram, in cuius manu obſtetrix ligavit filum coccineum dicens. (v. 28.) „ Iſte egre- „ dietur prior: & ideo vocavit nomen eius „ Zaram. Poſtea illo retrahente manum egreſ- „ ſus eſt alter, dicente obſtetrice: Quare „ propter te diviſa eſt maceria? “ Zaram autem, qui prior apparuit, ſignificat populum Iudæorum, in cuius manu obſtetrix filum coccineum ligavit, hoc eſt circumciſionem, quæ fiebat cum ſanguinis effuſione. Sed illo retrahente manum &c. egreſſus eſt alter: quia „ cæcitas ex parte contigit in „ Iudæis. “ (Rom. XI. 25.) Sic enim populus gentilis diviſus intravit in lucem fidei, egreſſus de vulva ignorantiæ, & infidelitatis.

Secundo notandum, quod per patres poſitos in generatione Chriſti ſignatur Chriſtus ratione vel nominis, vel facti, vel alicuius alterius, ſicut per ſe patet. Abraham enim interpretatur pater multarum gentium; & ſignificat Chriſtum, de quo Heb. II. 10. „ Qui multos filios in gloriam ad- „ duxerat. “ Item Abraham ex præcepto Domini exivit de terra ſua, Geneſ. XII. Et Chriſtus eſt qui dixit Hierem. XII. 7. „ Re- „ liqui domum meam, dimiſi hereditatem „ meam &c. “ Similiter Abraham qui riſit dicendo: „ Nunc riſum fecit mihi Domi- „ nus: “ Gen. XXI. 6. (a) Et Chriſtus eſt, in cuius nativitate non ſolum uni perſonæ, ſed toti mundo gaudium nuntiatur. Luc. II. 10. „ Ecce evangelizo vobis gaudium ma- „ gnum, quod erit omni populo, quia natus „ eſt (b) vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus „ Dominus. “ Similiter per Iacob, & ratione interpretationis, & ratione facti: ſicut patet in hoc quod ſuppoſuit lapidem, ideſt duritiem crucis, capiti ſuo. Similiter per Iudam, & Phares, qui interpretatur diviſio: ipſe enim dividet oves ab hædis: infra XXV. 32.

Moraliter autem in iſtis generationibus deſignatur ſtatus noſtræ iuſtificationis, ſecundum ſex quæ requiruntur ad iuſtificationem. Scilicet fides per Abraham iuſtificatum ex fidei iuſtitia: alibi enim ipſe principium dicitur fidei. Rom. IV. 11. „ Ut ſit pater „ omnium credentium per præputium. “ Iſaac ſpes, quia interpretatur riſus. Ro. XII. 12. „ Spe gaudentes. “ Iacob caritas, qui du-

(a) *Al.* Et ideo. (b) *Al.* nobis.

Digitized by Google

duxit duas uxores: Liam, quæ interpretatur laborans; & Rachel; ideſt duas vitas, quæ ſunt in caritate ſecundum duo præcepta: contemplativa enim delectatur in Deo; activa autem eſt per quam ſubvenitur proximo. Iudas confeſſio, quæ duplex eſt: fidei: Rom. x. 10. ,, Corde creditur ad iuſtitiam, ,, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: “ & peccatorum: ,, Confitemini alterutrum peccata veſtra: “ Iac. v. 16. Ex hoc autem ſequitur duplex effectus; ſcilicet deſtructio vitiorum, quæ per Phares deſignatur; & origo virtutum, quæ ſignificatur per Zaram. Et iſta oriuntur de Thamar, quæ interpretatur amaritudo. Eſa. xxxviii. 15. ,, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. “

Phares autem genuit Eſron. Hic ponitur ſeries genealogiæ patrum qui nati ſunt in AEgypto, vel in exitu eius: ſicut enim per Phares, qui interpretatur diviſio, ſignificatur Chriſtus: infra xxv. 32. *Separabit agnos ab hædis*; ita per Eſron, qui interpretatur ſagitta, vel atrium. Dicitur enim ſagitta propter efficaciam prædicationis, qua audientium corda penetravit. Pſal. xliv. 6. ,, Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te ,, cadent in corda inimicorum Regis. “ Atrium autem propter latitudinem caritatis, qua non ſolum amicos, ſed etiam inimicos dilexit. Rom. v. 10. ,, Cum inimici eſſemus, ,, reconciliati ſumus (*a*) Deo per mortem ,, filii eius. “ Eſa. liii. 12. ,, Ipſe pro ,, tranſgreſſoribus rogavit. “ Et idem Luc. xxiii. 34. ,, Pater dimitte illis: non enim ,, ſciunt quid faciunt. “ *Eſron autem genuit Aram*. Aram autem interpretatur electus, vel excelſus. Eſa. xlii. 1. ,, Ecce puer meus, ,, & ipſe eſt excelſus ſuper omnes. “ Epheſ. i. 21. ,, Ipſum conſtituit ſuper omnem principatum. “ *Aram autem genuit Aminadab*' qui interpretatur ſpontaneus. (*b*) Ipſe eſt enim in cuius perſona dicit Pſalm. liii. 8. ,, Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor ,, nomini tuo, quoniam bonum eſt, Domine. “ Et Eſa. liii. 7. ,, Oblatus eſt, quia ipſe ,, voluit, & non aperuit os ſuum. “ Ioan. vi. 38. ,, Non veni facere voluntatem meam, ,, ſed eius qui miſit me. “ *Aminadab autem genuit Naaſſon*, qui interpretatur augurium, vel ſerpentinum: quia Chriſtus non ſolum præſentia, ſed etiam præterita & futura cognovit. Heb. iv. 13. ,, Omnia nuda & ,, aperta ſunt oculis eius. “ Item ſerpentinum propter prudentiam: prudentia enim attribuitur ſerpenti. Infra x. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*. Iob xii. 16. ,, Ipſe novit decipientem, & eum qui decipitur. “

Nota, quod iſte Naaſſon fuit in tempore Moyſi, & exivit cum eo de AEgypto, & fuit unus princeps in tribu Iuda in deſerto, ſicut habetur in Num. i. 7. Sed advertendum, quod Exodi xiii. 18. ubi noſtra littera habet: ,, Filii Iſrael aſcenderunt armati de AEgypto: “ Aquila tranſtulit, Inſtructi, propter æquivocationem: melior eſt autem littera Septuaginta: ,, Filii Iſrael ,, quinta generatione exierunt de AEgypto. “

Sed contra. Naaſſon iſte non fuit quintus a Iacob, ſed ſeptimus, ſicut patet computando Iacob, Iudam, &c. uſque ad Naaſſon: ergo non quinta, ſed ſeptima generatione.

Sed dicitur, quod non eſt computandum per tribum Iuda, ſed per tribum Levi, ſub cuius ductu exierunt filii Iſrael de AEgypto. Pſ. lxxvi. 21. ,, Deduxiſti ſicut oves populum tuum in ,, manu Moyſi & Aaron. “ Et patet quod tantum ſunt quinque generationes: Iacob enim genuit Levi, (*c*) Levi autem genuit Caath, Caath genuit Aniram, Aniram autem genuit Moyſen & Aaron, ſicut patet Exod. ii. & ſub Moyſe exierunt de AEgypto.

Ubi nota, quod inter omnes tribus magis (*d*) multiplicabatur tribus Iuda: & hoc quia ex ea erant Reges futuri, qui debebant pugnare. Inter omnes autem minus multiplicabatur tribus Levi: & hoc quia (*e*) præordinata erat ad officium divinum, & ſacerdotium, ad quod pauciores ſufficiebant. Et ideo vult quod etiam computando per tribum Iuda ſit verum quod dicitur Gen. xv. 16. ,, Quinta generatione revertentur ,, huc. “ Dicit ergo Hieronymus, illud quod ibi dicitur, intelligendum eſſe computando per tribum Levi; quod autem hic dicitur per tribum Iuda. Phares enim ipſe cum Iacob, & Iuda patre ſuo intravit in AEgyptum. Et ideo iſtæ generationes non ſunt computandæ a Iacob, ſed a Phares, qui & ipſe intravit in AEgyptum. Et patet quod Naaſſon fuit quintus a Phares: Similiter Levi ipſe intravit in AEgyptum cum patre ſuo Iacob. Et ideo a Levi, & non a Iacob computandæ ſunt generationes. Clarum autem eſt quod Moyſes fuit quartus a Levi.

Naaſſon autem genuit Salmon. Salmon interpretatur ſenſibilis; & ſignificat Chriſtum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.

Moraliter hic notandum, quod ſicut in prima generatione ſignificatur ordo noſtræ iuſtificationis quantum ad ſtatum incipientium,

(a) *Al.* oleo. (b) *Al. deeſt* enim. (c) *Al.* Levi autem genuit Aniram. (d) *Al.* multiplicatur. (e) *Al.* ordinata.

Digitized by Google

tium; ita in iſta ſecunda generatione, quæ ſimiliter continet quinque, ſignificatur profectus proficientium. Primum enim quod ſequitur (*a*) ex quo homo eſt iuſtificatus a peccato, eſt quod ipſe habet zelum animarum. Et ideo bene Phares genuit Eſron, qui interpretatur ſagitta propter efficaciam prædicationis, qua penetrantur corda auditorum. Eſa. xlix. 2. „ Poſuit me quaſi ſa„ gittam electam. “ Et ita adapta alia.

Salmon autem genuit Booz. &c. Hic ponuntur patres qui fuerunt nati poſt ingreſſum terræ promiſſionis: Salmon enim fuit genitus in deſerto, & intravit cum Ioſue in terram promiſſionis, & accepit uxorem Rahab meretricem, de qua genuit Booz. Booz interpretatur fortis. Hier. xvi. 19. „ Domi„ nus fortitudo mea, & robur meum. “ Rahab autem interpretatur fames, vel latitudo; & ſignificat Eccleſiam, quia ad ipſam pertinet illa beatitudo. Matth. v. 6. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur*. Interpretatur etiam latitudo, quia Eccleſia per totum orbem dilatata eſt. Eſa. liv. 2. „ Dilata locum tentorii tui, & pel„ les tabernaculorum tuorum extende. “ Item interpretatur impetus: quia impetu prædicationis Reges, & Philoſophos convertit. Item ſignificat Eccleſiam ratione facti. Rahab filum coccineum miſit in feneſtram, per quem liberata eſt a ſubverſione Iericho: Ioſue ii. 21. Feneſtra noſtra eſt os: filium ergo in feneſtra eſt confeſſio paſſionis Chriſti, per quam Eccleſia liberata eſt a morte. Item ratione coniugii: quia ſicut Rahab iuncta eſt in matrimonio Salmon, qui fuit princeps in tribu Iuda; ſic Chriſtus deſponſavit ſibi Eccleſiam. II. Corin. xi. 2. „ Deſpondi „ enim vos uni viro virginem caſtam exhi„ bere Chriſto. “

Sed hic quæritur. Secundum litteram, cum Rahab fuerit meretrix, quomodo tanto principi, qui erat maior inter alios, deſponſata eſt?

Et eſt dicendum, quod Rahab maximum quid fecit, eo quod contempto populo ſuo, & ritu paterno, cultum Dei Iſrael elegit: & ideo quaſi pro maximo honore nobiliſſimo principi data fuit.

Booz autem genuit Obed ex Ruth. Hoc habetur Ruth ultim. cap. Obed interpretatur ſerviens, vel ſervitus; & ſignificat Chriſtum, de quo per prophetam: (*b*) „ Servire me feci„ ſtis in peccatis veſtris. “ (Eſa. xliii. 24.) Ruth autem ſignificat Eccleſiam de gentibus natam ratione loci: fuit enim Moabitis. Moab interpretatur ex patre. Ioan. viii. 44. „ Vos „ ex patre diabolo eſtis. “ Et iterum ratione coniugii, ut patet in Gloſſa.

Sed quæritur quare iſtæ mulieres hic nominantur, cum fuerint peccatrices.

Hieronymus aſſignat rationem de Ruth, ut ſcilicet impleretur vaticinium Eſa. xvi. 1. „ Emitte agnum, Domine, dominatorem „ terræ de petra deſerti. “ Petra deſerti eſt, ſcilicet mali, & ſignificatur Ruth Moabitis. Ambroſius autem aſſignat rationem dicens: „ Futurum enim erat ut Eccleſia „ congregaretur de gentibus infidelibus; & „ ideo poterat erubeſcere, & confundi, niſi „ viderent Chriſtum etiam de peccatricibus „ naſci. “ Unde ut tolleretur eorum erubeſcentia, & confuſio, nominandæ ſunt.

Sed quæritur. Deut. xxiii. 3. dicitur: „ Moabitæ, & Amonitæ non intrabunt ec„ cleſiam. “ Cum ergo Ruth fuerit Moabitis, quomodo recepta eſt in eccleſiam?

Sed dicendum per Apoſtolum ad Gal. v. 18. quod qui ſpiritu ducuntur non ſunt ſub lege. Semper enim in lege magis debet obſervari intentio legiſlatoris quam verba legis: quæ enim fuit cauſa quare prohibuit Dominus ut non intrarent eccleſiam? Quia ſcilicet invenit in eis idola triam, ne ſcilicet pertraherent Iudæos ad idolatriam. Unde iſta, quæ iam erat converſa, non erat (*c*) idolatra, & ideo non erat ſubiecta prohibitioni.

Obed autem genuit Ieſſe. Ruth. ultim. Ieſſe autem interpretatur ſacrificium, vel incendium; & ſignificat eum qui obtulit ſemetipſum hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.

Sed quæritur, cum iſte alio nomine vocatus ſit Iſai, ſicut patet I. Reg. in multis locis, & illud nomen eſſet (*d*) ſolemnius, quare non nominavit eum Evangeliſta ſic.

Et dicendum, quod hoc fuit ut oſtenderetus in Chriſto impletum eſſe quod dictum eſt per prophetam Eſa. xi. 1. „ Egredietur „ virga de radice Ieſſe. “

Ieſſe autem genuit David Regem. David interpretatur manu fortis, & aſpectu deſiderabilis; quæ omnia competunt Chriſto, ſicut patet: ipſe enim fortis eſt qui diabolum ſuperavit. Luc. xi. 22. „ Si autem fortior illo „ ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma eius „ auferet, in quibus confidebat, & ſpolia „ eius diſtribuet. “ Item ipſe „ ſpecioſus for„ ma præ filiis hominum. “ Pſal. xliv. 3.

Sed hic quæritur, cum plures alii fuerint Reges, quare ſolus iſte dicitur Rex?

Et dicendum, quod iſte primus Rex fuit

(a) *Al.* eſt. (b) *Al.* „ Servire me feciſti peccatis tuis. “ (c) *Al.* idolatria. (d) *Al.* ſolemnium.

in tribu Iuda, de qua ortus eſt Dominus: quamvis enim Saul fuerit Rex; ipſe tamen fuit de tribu Beniamin. Secunda ratio: quia alii propter meritum ipſius David regnaverunt. Pſalm. lxxxvIII. 30. „ Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius „ ſicut dies cæli. " Tertia ratio ut oſtenderetur impleta prophetia Hiere. xxIII. 5. „ Suſcitabo David germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra. " Eſa. IX. 7. „ Super ſolium David, & ſuper regnum „ eius ſedebit &c. " Moraliter vero in iſta generatione deſignatur fructus perfectorum, ſicut in aliis fructus incipientium, & proficientium. Primum enim quod requiritur in homine perfecto, eſt quod ipſe ſit fortis ad aggrediendum adverſa, ut ſcilicet non retardetur propter aliquam difficultatem; & hoc ſignificatur per Booz: interpretatur enim fortis. Eſa. xl. 31. „ Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem; aſſument pennas „ ſicut aquilæ; current, & non laborabunt; „ ambulabunt, & non deficient. " Prover. ult. 10. „ Mulierem fortem quis inveniet? " Secundum eſt humilitas ſervientis, ut quanto ſcilicet magnus eſt, tanto humiliet ſe in omnibus; & hoc ſignificatur per Obed, qui & ipſe interpretatur ſerviens, vel ſervitus. Luc. xxII. 26. „ Qui maior eſt veſtrum fiat „ ſicut miniſter. " Tertium eſt fervor caritatis, quod ſignificatur per Ieſſe, qui interpretatur incenſum, vel incendium. Pſ. cxl. 2. „ Dirigatur oratio mea ſicut incen- „ ſum in conſpectu tuo &c. „ Et ex hoc pervenitur ad regnum, & ad gloriam: quia Ieſſe genuit David Regem. Apoc. v. 10. (a) „ Fecit nos Deo noſtro regnum, & Sa- „ cerdotes Deo patri ſuo. " I. Pet. II. 9. „ Vos eſtis genus electum, regale ſacerdo- „ tium, gens ſancta, populus acquiſitionis. "

(c) Poſita ſerie genealogiæ patrum, quæ cucurrit per Patriarchas, hic ponit ſeriem patrum, quæ procedit per Reges. Et dividitur in duo. Primo ponuntur Reges qui nati ſunt ex Iſrael ſine commixtione feminis alieni; ſecundo ponuntur Reges qui ſecuti ſunt coniunctionem alienæ copulæ, ibi, *Ioram autem genuit Oziam*.

Hic eſt duplex quæſtio: Lucas enim computando generationem Chriſti aſcendit per Nathan; Matthæus autem deſcendendo procedit a David ad Chriſtum per Salomonem: unde videtur eſſe quædam contrarietas.

Sed dicendum, ſicut dictum eſt. Lucas in genealogia Chriſti ponit multos patres qui non fuerunt patres carnalis originis per propagationem, ſed ſecundum legalem adoptionem; Matthæus autem nullum ponit qui non fuerit pater carnalis. Et verum eſt quod ſecundum carnem Dominus deſcendit a David per Salomonem, & non per Nathan; & tamen, ſecundum Auguſtinum, non vacat a myſterio quod Matthæus a David per Salomonem deſcendit ad Chriſtum; Lucas autem a Chriſto ad David per Nathan aſcendit. Matthæus enim generationem Chriſti carnalem ſuſceperat deſcribendam, ſecundum quam Chriſtus uſque ad ſimilitudinem carnis peccati deſcendit: & ideo recte Matthæus in eius generatione a David per Salomonem deſcendit, cum cuius matre ipſe David peccavit. Lucas autem, qui maxime commendare intendit in Chriſto ſacerdotalem dignitatem, per quam fuit peccatorum expiatio, recte per Nathan ad David aſcendit, qui fuit vir ſanctus.

Nota tamen quod ſecundum eumdem Auguſtinum in Libro Retractationum non eſt intelligendum quod idem fuit Nathan propheta qui eum reprehendit, & filius quem genuit; ſed ſolum quod fuerunt ſimiles in nomine.

Secundo quæritur quare Berſabee non nominatur ex nomine, ſicut Tamar, Rahab, & Ruth.

Et dicendum, quod aliæ, quamvis per aliquod tempus fuerint peccatrices, tamen poſtea fuerunt converſæ, & pœnitentes: hæc autem turpiter peccavit crimen adulterii, & in conſenſu homicidii: & ideo propter verecundiam ſubticetur eius nomen.

Nota tamen, quod in Scriptura recitantur aliquando peccata magnorum, ſicut David, & aliorum; & hoc quia diabolus non ſolum parvos, & inferiores, ſed etiam magnos proſtravit: adverſarius enim noſter eſt. Et ideo propter cautelam recitantur, ut qui ſtat videat ne cadat. Alia ratio eſt ne aliquis putaret eos pluſquam homines eſſe. Si enim aliquis ſolam in eis perfectionem conſideraret, decipi poſſet per idolatriam; ſed cum videt eos per peccatum corruiſſe, non credit iam aliquid amplius ab homine in eis eſſe.

Nota etiam hoc, ſecundum Gregorium, quod aliquando factum litterale eſt malum, & ſignificatum eſt bonum; aliquando vero factum bonum, & ſignificatum malum. Urias enim fuit vir bonus, & iuſtus, nec de aliquo in Scriptura reprehenditur; & tamen ſignificat diabolum. Berſabee autem fuit pec-

(a) *Al.* „ Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotium Deo & patri ſuo. "

Digitized by Google

peccatrix; & tamen rem bonam ſignificat, ſcilicet Eccleſiam, ut notat Gloſſa II. Reg. xii. & etiam Gloſſa quæ dicitur exponere figuram ſecundum ſenſum allegoricum. Urias enim interpretatur lux mea Deus, & ſignificat diabolum qui lucem divinitatis appetivit. Eſa. xiv. 14. „ Ero ſimilis Altiſſimo. " Berſabee interpretatur puteus ſeptem, vel puteus ſocietatis; & ſignificat Eccleſiam de gentibus, propter ſeptiformem gratiam baptiſmalem. Hanc ſibi deſponſaverat primo diabolus; ſed David, ideſt Chriſtus, abſtulit eam ab eo, & copulavit ſibi, & ipſum diabolum interfecit. Aliter Berſabee ſignificat legem, per cuius vias populus inductus eſt, qui non vult ingredi in domum per ſpiritualem intelligentiam; & ideo defert litteras mortis ſuæ: quia „ littera occidit: " II. Cor. iii. 6. Sed David, ideſt Chriſtus, abſtulit a Iudæis legem, quando docuit eam ſpiritualiter intelligendam.

Salomon autem genuit Roboam &c. Sicut autem David interpretatur manu fortis, vel aſpectu deſiderabilis, ita Salomon pacificus: & hoc eſt rectum, quia ex fortitudine operationis bonæ, provenit pax conſcientiæ. Pſal. cxviii. 165. „ Pax multa diligentibus legem tuam. " Contingit autem quod ex pace conſcientiæ homo velit alios ad bonum venire: unde Salomon genuit Roboam, qui interpretatur impetus: quia impetu prædicationis movetur habens pacem conſcientiæ ad dilatandum nomen Chriſti; ſicut legitur de Apoſtolis Eſa. xxvii. 6. (a) „ Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit, & „ germinabit Iſrael, & implebunt faciem „ orbis ſemine. " Utrumque autem ſignificat Chriſtum, quia ipſe eſt pax. Item ipſe Roboam, qui populum impetu prædicationis convertit. *Roboam autem genuit Abiam*, qui interpretatur pater Deus: quia ex hoc quod homo ſtudet ad profectum aliorum ſpiritualem, vel corporalem per opera miſericordiæ, efficitur dignus paternitate Dei, ut infra v. 44. *Benefacite his qui oderunt vos, ut ſitis filii patris veſtri, qui in cælis eſt &c.* Et Luc. vi. 36. „ Eſtote miſericordes. " Hoc etiam competit Chriſto, cui dicitur (Heb. i. 5.) „ Ego ero illi in patrem, & ipſe „ erit mihi in filium. " *Abias autem genuit Aſa*, qui interpretatur attollens: quia quandoque homo ex hoc quod efficitur pater & ſuperior aliorum, incurrit quamdam negligentiam ſecuritatis: ideo *Abias genuit Aſa*, ut ſcilicet homo ſit in continuo profectu, & attollat ſe ſemper ad maiora. Hoc etiam competit Chriſto, qui dicitur attollens, ideſt creſcens. Luc. ii. 40. „ Puer autem creſcebat. „ Vel attollens, quia abſtulit peccata mundi. *Aſa autem genuit Ioſaphat*, qui interpretatur iudicans, quia ex hoc quod ſemper creſcit homo ſpiritualis, efficitur iudicans. I. Corinth. ii. 15. „ Spiritualis homo omnia diiudicat. " Et hoc Chriſto competit, quia pater omne iudi„ cium dedit filio. " (Ioan. v. 22.) *Ioſaphat autem genuit Ioram*, qui interpretatur habitans in excelſis: quia ille qui iudex conſtituitur, debet in excelſis habitare. Eſa. xxxiii. 16. „ Iſte in „ excelſis habitabit. " Quomodo autem hoc ſit dicit Apoſtolus (Phil. iii. 20.) „ Noſtra converſatio in cælis eſt. " Et hoc competit Chriſto, quia „ excelſus ſuper omnes gentes Dominus: " Pſal. cxii. 4.

Ioram autem genuit Oziam. Hic eſt quæſtio litteralis. Nam I. Paral. iii. 11. dicitur quod Ioram genuit Ochoziam. Ochozias autem genuit Ioram. Ioras autem genuit Amaſiam, qui & Azarias dicitur. Amaſias autem genuit Oziam. In duobus ergo videtur Evangeliſta in genealogiæ ſerie defeciſſe. Primo quia Ioram non genuit Oziam, ſed Amaſias; ſecundo quia omiſit tres generationes.

Et dicendum ad primum, quod generare aliquem alium poteſt intelligi dupliciter. Mediate, vel immediate. Immediate, ſicut pater carnalis immediate generat filium; & ſic Ioram non genuit Oziam. Alio modo mediate, ſicut nos dicimur filii Adam; & ſic filius poteſt dici genitus ab avo, vel proavo, quia ab ipſo per generationem mediatam deſcendit. Quare autem omiſit tres Reges, triplex ratio aſſignatur. Prima a Hieronymo, qui dicit (ſicut ſcriptum eſt Exod. xx. 5.) „ Dominus viſitat peccata patrum in tertiam & quartam generationem, his qui „ patrum ſceleris efficiuntur imitatores. " Ioram autem duxit uxorem filiam Iezabel ſcilicet Athaliam, quæ traxit eum ad idolatriam. Ochozias etiam magis quam pater idolatriæ deditus fuit. Et ſimiliter Ioras, qui cum ſcelere idolatriæ etiam Zachariam filium Ioiadæ occidit. Et ideo iſti tres quaſi indigni excluduntur a generatione Chriſti. Chryſoſtomus aliam aſſignat rationem. Præcepit enim Dominus IV. Reg. ix. Hieu filio Namſi, quod ipſe extirparet domum Achab; qui diligens fuit in executione præcepti, & tamen a cultura deorum non receſſit: adoravit enim vitulos conflatiles: & quia diligenter perfecit Domini imperium deſtruendo domum Achab, dictum eſt ad eum, quod filii eius uſque in quartam generationem ſederent ſuper thronum domus Iſrael: unde ſicut

(a) Al. „ Qui ingrediuntur impetu a Iacob. "

ſicut Iehu meruit regnum Iſrael uſque in tertiam, vel quartam generationem; ita per oppoſitum Ioram qui commiſcuit ſe feminis gentilibus, & tranſtulit iniquitatem domus Iſrael ad domum Iuda, debuit amittere nomen poſteritatis in genealogia Chriſti uſque in quartam generationem, facta expiatione peccati. Auguſtinus in Quæſtionibus novi & veteris teſtamenti aliam aſſignat rationem. Dicit enim, quod quidam fuerunt boni, & bonos invenerunt patres, ſicut Iſaac, & Iacob: quidam mali, & tamen bonos invenerunt patres, ſicut Salomon, qui peccator fuit, & tamen David virum iuſtum & ſanctum habuit patrem: quidam nec boni fuerunt, nec bonos patres habuerunt, ſicut fuerunt iſti tres, ut patet per prædicta. Ioram peccavit, & peccatum eius continuatum fuit uſque ad Oziam, qui pene nihil mali fecit, niſi quod incenſum adolevit; continuatio autem peccati, cauſa, vel ratio eſt deſtructionis. Et ideo iſti tres qui in peccato idolatriæ permanſerunt, excluduntur a genealogia Chriſti. Ratio autem myſtice aſſignatur propter tres quaterdenarios, per quos Matthæus genealogiam Chriſti deſcribere intendit. Ozias autem interpretatur robuſtus Domini, & ſignat Chriſtum, de quo in Pſalm. CXVII. 14. „ Fortitudo mea, & „ laus Dominus factus eſt mihi in ſalutem „ &c. " Myſtice autem *Ioram genuit Oziam*, quia qui in excelſo habitant, debent eſſe fortiter operantes.

Nota, quod ſub hoc Ozia prophetavit Eſaias, ut patet Eſa. I. Propter enim peccatum Principum, & Regum, & etiam populi, abſtulit Deus prophetiam, & doctrinam: unde ſub Rege bono cœpit iterum emanatio prophetiæ.

Ozias autem genuit Ioatham, qui interpretatur profectus; & ſignificat Chriſtum, per quem Eccleſia proficit quotidie. Et ſic bene *Ozias genuit Ioatham*, quia qui fortiter operantur, ſunt in continuo profectu. Pſalm. LXXXIII. 8. „ Ibunt de virtute in virtutem. " *Ioatham autem genuit Achaz*, qui interpretatur comprehendens: quia per continuum profectum virtutum venit homo ad cognitionem Dei. Pſalm. CXVIII. 104. „ A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem „ viam iniquitatis. " Pſal. LXIII. 10. „ Annuntiaverunt opera Dei (oſtendendo in „ opere) & facta eius intellexerunt. " Propter quod Paulus ad Philip. III. 12. „ Sequor, ſi quo modo comprehendam, in quo „ & comprehenſus ſum a Chriſto Ieſu. " Et hoc competit Chriſto qui ſolus perfecte divinitatem comprehendit. Luc. X. 22. „ Nemo novit Patrem niſi Filius. " *Achaz autem genuit Ezechiam*, ideſt fortis Dominus: quia talis habet fortitudinem a Domino. II. Reg. XXII. 2. „ Dominus fortitudo mea, & „ robur meum. " Et hoc competit Chriſto, qui fortis eſt in prælio. *Ezechias autem genuit Manaſſen*: & interpretatur oblivio: quia qui iam perfecte Deum cognoſcit, iſtorum temporalium obliviſcitur. Pſalm. XLIV. 11. „ Obliviſcere populum tuum, & domum pa„ tris tui. " Gen. XLI. 51. „ Obliviſci me „ fecit Dominus Deus omnium laborum meo„ rum. " Et hoc Chriſto convenit, de quo dicitur Ezech. XVIII. 21. (*a*) „ Si impius „ egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis „ ſuis quæ operatus eſt, omnium iniquita„ tum eius quas operatus eſt, non recorda„ bor. " *Manaſſes autem genuit Amon*, ideſt fidelis, & nutriens: quia vere eſt ille fidelis qui contemnit temporalia. Secundum enim Gregorium, fraus eſt filia avaritiæ; & ideo qui temporalia perfecte contemnit, iam non curat de infidelitate. Unde recte *Manaſſes genuit Amon*. Hoc etiam interpretatur nutriens: quia qui temporalia contemnit, debet inde nutrire pauperes per miſericordiam. Infra XIX. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes*: ecce contemptus: *& da pauperibus*: ecce nutrimentum. Hoc autem Chriſto competit, qui vere fidelis eſt. Pſal. CXLIV. 13. „ Fidelis Dominus „ in omnibus verbis ſuis. " Et iterum nutritius. Oſeæ XI. 3. „ Ego, (*b*) qui nutri„ tius Ephraim, portabam eos in brachiis „ meis, & neſcierunt quod curarem eos. " Infra XXIII. 37. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregant pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* *Amon autem genuit Ioſiam*, qui interpretatur ſalus Domini, vel incenſum: quia ex hoc conſequitur homo ſalutem quod etiam temporalia obliviſcitur, & largitur, ſive diſtribuit. Vel incenſum hoc competit Chriſto. Pſal. LXXVII. 12. „ Qui ope„ ratus eſt ſalutem in medio terræ .... Et „ ſe obtulit ſacrificium Deo in odorem ſuavi„ tatis: " Epheſ. V. 2. *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius*, qui interpretatur præparatio Domini, vel reſurrectio; & ſignificat Chriſtum, qui præparavit nobis locum: Ioan. XIV. & qui dicit Ioan. XI. 25. „ Ego ſum reſurrectio, & vita. " Et per hanc venimus ad reſurrectionem.

Hic (*c*) autem triplex eſt quæſtio ſecundum litteram. Primo quæritur quomodo dicatur

(a) *Al.* „ Si converſus fuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor " (b) *Al.* quia.
(c) *Al.* Hic enim.

Digitized by Google

catur Ioſias genuiſſe Iechoniam ; & tamen non ipſum, ſed patrem eius Ioakim genuit.

Et ad hoc eſt duplex reſponſio. Secundum enim Chryſoſtomum, cui conſentit Auguſtinus, nomen Ioakim prætermittitur omnino; & hoc quia non per divinam ordinationem regnavit, ſed per Pharaonis potentiam, qui ipſum in regno inſtituit, incarcerato primogenito fratre eius Ioathan, qui regnaverat ante eum. Et ad hoc nota hiſtoriam IV. Reg. xxii. Et II. Paral. 36. Habuit etiam Ioſias tres filios, (*a*) Ioathan, Ioakim, qui & Eliacim, & Sedeciam. Si enim, ut dicit Auguſtinus, illi tres Reges removentur de genealogia, quia per idolatriam depravati ſunt; quanto magis iſte, qui non per Deum, vel prophetam, ſed per gentilis hominis poſitionem inſtitutus eſt in regno? Sententia eſt, non verba Hieronymi, ut vult, & ei conſentit Ambroſius, quod uterque dictus eſt Ioakim, & ille qui ponitur in fine quaterdenarii, & qui ponitur in principio tertii, & uterque Iechonias & Ioakim idem ſunt. Unde notandum, quod Ioſias tres habuit filios, Ioakim, qui & Eliacim, Ioathan, & Sedeciam. Mortuo autem Ioſia regnavit pro eo Ioathas, medius ſcilicet filius; quo capto a Pharaone Rege AEgypti, & incarcerato, conſtituit fratrem eius primogenitum Ioakim Regem, imponens ei tributum. Poſtea Nabuchodonoſor Rex Babylonis, ſuperato Rege AEgypti, obſedit Hieruſalem, & cepit Ioakim, quem ſub tributo remiſit in Hieruſalem. Poſtea autem cum vellet Ioakim rebellare contra Regem Babylonis confiſus de auxilio Regis AEgypti, aſcendit Nabuchodonoſor Hieruſalem, & cepit eum, & occidit, & conſtituit filium eius pro eo Ioachim, quem & Iechoniam nominavit nomine patris. Quo facto timens Nabuchodonoſor, ne iſte memor mortis patris confœderaretur cum Rege AEgypti, rediit in Hieruſalem, & obſedit eam, & Iechonias vel Ioachim iſte, filius ſcilicet alterius, de conſilio Hieremiæ tradidit ſe Regi Nabuchodonoſor, & uxorem, & filios: & iſti proprie dicuntur tranſmigraſſe in tranſmigrationem. Nabuchodonoſor vero conſtituit Regem loco eius Sedeciam fratrem patris eius, & ipſum Ioachim duxit in Babylonem; & ille eſt de quo dicitur poſt: *Et poſt tranſmigrationem*.

Sed quare nominatus eſt Iechonias cum nomen eius fuerit Ioachim? Et dicendum quod iſtud nomen impoſitum fuit a propheta ſcilicet, Hieremia. Hier. xxii. 24. „ Hæc dicit Dominus: Si fuerit Iechonias filius Ioakim Regis Iuda, annulus in „ manu dextera mea, inde evellam eum. “ Et infra 28. „ Numquid vas fictile atque contritum vir iſte Iechonias? “ Et ideo potius nominatur ab Evangeliſta tali nomine, ut oſtendatur Evangeliſtam concordare cum propheta.

Nota etiam, quod quamvis idem ſit nomen, diverſimode tamen ſcribitur. Primi enim Ioakim nomen ſcribitur per k, & videtur dici Ioakim, ſed ſecundi ſcribitur per gimel, unde dicitur Ioachim: & ideo diverſas habent interpretationes. Primum enim interpretatur reſurrectio; ſecundum vero præparatio Domini.

Secundo quæritur quare dicitur; *Iechoniam, & fratres eius*. Multi enim fuerunt de Regibus qui fratres habuerunt; ſed numquam dicitur, vel ſit mentio de fratribus.

Et dicendum, ſecundum Ambroſium, quod ubicumque ſit mentio de fratribus, ſicut cum dicitur: *Iudam, & fratres eius; & Phares, & Zaram de Thamar*: hoc ſignificat quod æquales fuerunt in ſanctitate, vel malitia. Iſti autem tres omnes ſunt mali. Aliter poteſt dici, quod ideo quia iſtorum fratrum quilibet regnavit, ſicut patet per ea quæ dicta ſunt: ſic autem non fuit de fratribus aliorum Regum.

Tertio quæritur de hoc quod dicitur *In tranſmigratione*. Videtur falſum, quia Ioſias numquam tranſmigravit.

Et dicendum, hoc accipiendum eſſe ſecundum præſcientiam divinam, ſecundum quam ordinatum erat eos quos tunc generabat, tranſmigrandos eſſe. Vel dicendum, quod *In tranſmigratione* (*b*) idem eſt ac prope tranſmigrationem, ſive iam imminente.

(d) Hic ponitur tertius quaterdenarius generationis Chriſti, qui procedit per perſonas privatas. De iſto Iechonia, ſicut dictum eſt ſupra, fuit duplex opinio: Hieronymus enim, & Ambroſius volunt quod alter fuerit ille qui ponitur in fine primi quaterdenarii, & vocatus eſt Ioakim; alter vero qui dictus eſt Ioachim: ſecundum vero Auguſtinum, ut ſupra. Iſta enim tranſmigratio filiorum Iſrael ſignificat tranſlationem fidei ad gentes. Act. xiii. 46. „ Vobis oportebat „ primum loqui verbum Dei. “ In illa tranſmigratione facta eſt quaſi quædam reflexio Iudæorum ad gentes. Unde quaſi quidam conſtituitur angulus; & ideo Iechonias iſte ſignificat Chriſtum, qui factus eſt lapis angularis,

(a) *Al.* Zacha. (b) *Al.* ideſt prope tranſmigrationem.

laris, in ſeipſo utrumque copulans, popu- lum Iudæorum, & gentium. Pſal. cxvii.22. „ Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, „ hic factus eſt in caput anguli. "

Sed hic quæritur. Hier. xxii. 30. dicitur: „ Scribe virum iſtum (Sedeciam) virum „ ſterilem, qui in diebus ſuis non proſperabi- „ tur: nec enim erit qui ſedeat de ſemine „ eius ſuper ſolium David. " Quomodo er- go dicitur Chriſtus deſcendiſſe à David per Sedeciam, cum de Chriſto ſcripſerit ſic Eſa. ix. 2. „ Super ſolium David, & ſuper re- „ gnum eius ſedebit? "

Et dicendum, ſecundum Ambroſium, (a) quod cum Chriſtus dicitur ſedere ſuper ſo- lium, (b) intelligitur de regno ſpirituali, non corporali, niſi inquantum per regnum David corporale, ſignificatur ſpirituale.

Salathiel autem genuit Zorobabel. Contra. I. Paral. 3. dicitur, quod filii Iechoniæ fuerunt Aſir, Salathiel, & Melchiram, & Phadaia. Phadaia autem filios habuit Zorobabel, & Se- mei. De Abiud autem nulla prorſus fit ibi mentio. Ergo videtur quod male dicit Evan- geliſta, quod Salathiel genuit Zorobabel, & quod Zorobabel genuit Abiud.

Ad hoc tripliciter reſpondetur in Gloſſa. Una reſponſio, quod in Libro Paral. multa de- pravata ſunt vitio ſcriptorum, præcipue de his quæ pertinent ad numerum, & ad no- mina. Unde iſtis generationibus vitiatis pro- hibet Apoſtolus intendere, quæ magis quæ- ſtionem quam utilitatem inducunt: I Thim. 1. Alia eſt reſponſio, quod Salathiel bino- mius fuit: vocatus eſt enim Salathiel, & Ca- phadara; & ideo Liber Paralip. dicit Zoro- babel filium Capha, Evangeliſta vero filium Salathiel. Nulla eſt ergo contrarietas. Ter- tia eſt reſponſio, & verior, quod Salathiel, & Caphadara fuerunt fratres, ſicut dicit Li- ber Paralip. Caphadara autem genuit filium quem vocavit eodem nomine, ſcilicet Zoro- babel, & iſte genuit Abiud. Dicendum et- iam quod Liber Paral. narrat genealogiam i- pſius Capha; Evangeliſta generationem Sala- thiel, quia de eo erat Chriſtus naſciturus.

Notandum autem, quod de illis qui fue- runt ab Abiud uſque ad Ioſeph, nulla fit men- tio in libris ſacræ Scripturæ; ſed ex annali- bus Hebræorum, quos Herodes pro magna parte comburi fecit, ut occultaretur ignobi- litas ſui generis, accepta ſunt. Patet litte- ra: ſenſum myſticum proſequamur.

Nota ergo quod in hac parte genealogiæ ponuntur tres ordines. Primus eſt ordo do- ctorum; & continet quatuor generationes: ante orationem enim requiritur præparatio, ſecundum illud Eccli. xviii. 23. „ Ante ora- „ tionem præpara animam tuam: " & ideo de Iechonia, qui interpretatur præparatio Domini, ſequitur Salathiel, qui interpreta- tur petitio mea; & (c) deſignant Chriſtum, qui in omnibus „ exauditus eſt pro ſua re- „ verentia: " Hebr. v. 7. Oratio autem de- bet præcedere doctrinam, ſecundum illud ad Eph. vi. 19. „ Orate ut detur ſermo in aper- „ tione oris mei. " Et ideo Salathiel ſequi- tur Zorobabel, qui interpretatur magiſter Ba- bel, ideſt confuſionis: quia per doctrinam, & prædicationem Apoſtolorum revocatæ ſunt gentes ad Deum verum, & hoc fuit ad con- fuſionem idolatriæ. Et hoc competit princi- paliter Chriſto, qui dicit: „ Vocatis me, „ Magiſter, & Domine; & bene dicitis: " Ioa. xiii. 13. Per doctrinam autem, & prædica- tionem (d) acquirit homo patris dignitatem: unde patres dicuntur eorum qui inſtruuntur ſpiritualiter. I. Cor. iv. 15. „ Nam & ſi decem „ millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed „ non multos patres: in Chriſto enim Ieſu „ per Evangelium filii ſumus. " Et ideo ſe- quitur: *Zorobabel autem genuit Abiud*, qui interpretatur pater meus iſte; & hoc com- petit Chriſto. Pſalm. lxxxviii. 27. „ ipſe in- „ vocabit me: Pater meus es tu. "

Abiud autem genuit Eliacim. Hic deſignatur ordo incipientium, ſcilicet auditorum. Primum autem quod fit per prædicationem in auditore, & quod debet prædicator intendere, eſt quod (e) reſurgat a vitiis ad virtutes, ſecundum illud Eph. v. 4. „ Surge qui dormis. " Et ideo *Abiud genuit Eliacim*, qui interpretatur reſur- rectio; & competit Chriſto, qui dicit, Ioan. xi. 26. „ Omnis qui credit in me, habet vi- „ tam æternam. " Non autem reſurgens pot- eſt pervenire ad ſtatum iuſtitiæ niſi per au- xilium Dei; & ideo poſtquam reſurrexit in- diget homo auxilio Dei, ſecundum illud Pſal. cxx. 2. „ Auxilium meum à Domino. " Et ideo ſequitur: *Eliacim autem genuit Azor*, qui interpretatur adiutus. Et hoc etiam compe- tit Chriſto, de quo in Pſalm. xxvi. 9. „ Ad- „ iutor meus eſto, Domine. " Et per hoc auxilium devenitur ad iuſtitiam: unde *Azor genuit Sadoch*, qui interpretatur iuſtus. Rom. 1. 22. „ Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in „ omnes, & ſuper omnes qui credunt in „ eum. " Conſummatio autem iuſtitiæ, ſive finis eſt caritas. „ Finis iuſtitiæ Chriſtus, finis „ præcepti eſt caritas: " I. Tim. 1. 5. Tan- tum ſunt duo præcepta, ſcilicet dilectio Dei, & proximi. I. Ioan. iv. 21. „ Et hoc mandatum „ ha-

(a) *Al.* quod Chriſtus. (b) *Al.* intelligit. (c) *Al.* ſignant. (d) *Al.* requirit. (e) *Al.* reſurgant.

Digitized by Google

„ habemus a Deo, ut qui diligit Deum, „ diligat & fratrem ſuum. “ Et ideo *Sadoch* ſequitur *Achim*; & *Achim Eliud*. Achim interpretatur frater meus: unde ſignat dilectionem proximi. Pſal. cxxxii. 1. „ Ecce „ qnam bonum, & quam iucundum habitare „ fratres in unum! “ Hoc competit Chriſto, qui caro, & frater noſter eſt. Et quia dilectio proximi non poteſt eſſe ſine dilectione Dei, ideo ſequitur: *Eliud autem genuit Achim*. Eliud interpretatur Deus meus. Pſal. xvii. 2. „ Diligam te, Domine. “ Et hoc competit Chriſto. Pſal. xxx. 15. „ Deus meus es tu. “

Achim autem genuit Eleazar. Hic deſignatur ordo proficientium. Non poteſt autem proficí ſine auxilio divino: unde primum quod requiritur ad proficiendum, eſt auxilium divinum; & ideo *Eliud* recte ſequitur *Eleazar*, qui interpretatur Deus meus adiutor. Pſal. lxxxvii. 6. „ Beatus vir cuius eſt auxi- „ lium abs te. “ Sed quia Deus multis modis poteſt iuvare ad ſalutem, ut removendo prohibentia, & dando occaſiones, potiſſimum adiutorium eſt per donum gratiæ ſuæ. I. Cor. xv. 10. „ Gratia Dei ſum id quod ſum. “ Et ideo *Eleazar*, ideſt adiutorium Dei, ſequitur *Mathan*, qui interpretatur donum, ſcilicet gratiæ divinæ. Et hoc competit Chriſto, qui eſt etiam donans. Ioan. iii. 16. „ Sic Deus „ dilexit mundum, ut filium ſuum unigeni- „ tum daret. “ Epheſi. iv. 8. „ Dedit dona „ hominihus. “ Sed quia homo poſſet tantum confidere de dono gratiæ, quod ipſe incideret in negligentiam non cooperando per liberum arbitrium gratiæ, ideo ſequitur *Iacob*, qui interpretatur luctator. Propter hoc I. Cor. xv. 10. „ Gratia Dei ſum id quod ſum: “ & ſequitur: „ Et gratia eius in me vacua „ non fuit. “ II. Corinth. vi. 1. „ Hortamur „ vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. “ Nnnc autem ſequitur *Ioſeph*, ideſt augmentum, quia per gratiam, & liberi arbitrii conatum venit homo ad augmentum. Prov. iv. 8. „ Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens pro- „ cedit, & creſcit uſque ad perfectam „ diem. “ Unde *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ*.

Sed hic oritur duplex quæſtio. Primo enim quæritur de contrarietate quæ videtur eſſe inter Lucam & Matthæum: Lucas enim dicit, quod Ioſeph fuit Heli, qui fuit Mathat; Matthæus autem dicit, quod fuit Iacob: ergo videtur eſſe contrarietas inter eos.

Sed dicendum eſt ad hoc, quod duo fuerunt de eadem ſtirpe, ſed non de eadem familia, ſcilicet Mathan, & Mathat: fuerunt enim de ſtirpe David; ſed unus deſcendit de ſtirpe David per Salomonem, ſcilicet Mathan; alius per Nathan, ſcilicet Mathat. Accepit ergo Mathan uxorem Heſta nomine, ex qua genuit Iacob: mortuo autem Mathan, quia lex non prohibebat viduam nubere, nupſit fratri eius Mathat, qui genuit de ea Heli: unde Iacob, & Heli fuerunt fratres de eadem matre, ſed non de eodem patre. Accepit autem Heli uxorem, & mortuus eſt ſine liberis: unde Iacob, ut ſuſcitaret ſemen fratri ſuo, accepit eamdem uxorem, & genuit Ioſeph: unde Ioſeph fuit filius Iacob ſecundum carnem, ſed filius Heli ſecundum adoptionem. Et ideo Matthæus qui ponit in genealogia Chriſti ſolum patres carnales, dicit Ioſeph filium Iacob; Lucas autem, qui ponit multos qui non fuerunt patres carnales, dicit eum filium Heli. Ratio autem huius diverſitatis dicta eſt ſuperius.

Notandum autem, quod quando frater accipiebat uxorem fratris, ut ſuſcitaret nomen eius, non eſt ita intelligendum quod filius ille qui generabatur, vocaretur nomine fratris defuncti: Booz enim qui accepit Ruth, ut ſuſcitaret ſemen Elimelech, genuit filium, quem non vocavit Elimelech, ſed Obed: ſed pro tanto dicitur ſuſcitare nomen eius, quia filius ille ei adſcribebatur ſecundum legem. Noc eſt hoc inconveniens, quia, ſicut dicitur in eccleſiaſtica hiſtoria, ipſi Apoſtoli, & Evangeliſtæ fuerunt inſtructi a proximis parentibus Chriſti de genealogia Chriſti: qui eam partim memoria, partim ex dictis Libris Paralip. corde tenebant.

Secunda quæſtio eſt. Matthæus intendit ſcribere generationem Chriſti: cum ergo Chriſtus non fuerit filius Ioſeph, ſed ſolum Mariæ; ad quid neceſſe fuit protendere generationem Chriſti ab Abraham uſque ad Ioſeph?

Ad quod dicendum, quod conſuetum fuit apud Iudæos, & eſt uſque hodie, accipere uxorem de tribu ſua: unde Num. xxxvi. 7. dicitur quod accipiat uxorem quiſque de tribu & cognatione ſua. Et quamvis hoc non neceſſario obſervaretur, tamen ex conſuetudine obſervabatur: unde Ioſeph Mariam tamquam ſibi propinquiſſimam duxit uxorem. Et ideo quia erant de eodem genere, per hoc quod oſtenditur Ioſeph a David deſcendiſſe, oſtenditur etiam, Mariam, & Chriſtum de ſemine David fuiſſe. Sed unde poteſt haberi hoc quod Ioſeph, & Maria fuerint de eadem tribu? Patet ex hoc quod habetur Luc. ii. 4. quia cum debuiſſet fieri deſcriptio, aſcendit ipſe Ioſeph, & Maria in civitatem David, quæ eſt Bethlehem: unde per hoc quod eam duxit ſecum, patet quod de eadem erant familia.

Sed quæritur quare per Mariam non oſtendit Chriſti generationem ex David. Dicendum, quod non eſt conſuetum apud Hebræos, nec etiam gentiles, genealogiam texere per mulieres: unde Chriſtus qui venerat pro ſalute hominum, voluit in hoc imitari, vel obſervare mores hominum; & ſic non per feminas eius genealogia deſcribitur, præcipue cum ſine periculo veritatis poſſet per viros eius genealogia cognoſci.

Virum Mariæ. Hieronymus: „ Cum audieris virum, ſuſpicio non oriatur nuptiarum. “

Contra. Nonne fuit verum matrimonium? Dicendum, quod ſic, quia ibi fuerunt tria bona matrimonii. Proles, ipſe Deus; fides, quia nullum adulterium; & ſacramentum, quia indiviſibilis coniunctio animarum. Quid ergo dicendum? Hoc intelligitur quantum ad nuptiarum complementum, quod eſt per carnalem copulam. (*a*) Ideo autem, ut dicit Auguſtinus, nominatur vir Mariæ, ut oſtendatur matrimonium eſſe inter pari voto continentes.

Sed quomodo fuit matrimonium? Votum enim impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Cum ergo Beata Virgo voverit virginitatem, nullum videtur fuiſſe matrimonium. Præterea. Conſenſit in carnalem copulam, ſi fuit matrimonium.

Sed dicendum, quod Beata Virgo angebatur inter duo. Ex una enim parte angebatur propter maledictum legis, cui ſubiacebat ſterilis; ex alia parte angebatur propter propoſitum ſervandæ caſtitatis: & ideo virginitatem propoſuit, niſi Dominus aliter ordinaret: unde divinæ diſpoſitioni ſe commiſit. Quod dicitur, quod conſenſit in carnalem copulam, dicendum quod non: ſed in matrimonium directe; in carnalem autem copulam quaſi implicite, ſi Deus voluiſſet.

De qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus. Hic duplex error excluditur. Unus qui dicit, Chriſtum fuiſſe filium Ioſeph: & hoc excluditur per hoc quod dicitur, *De qua*. Si enim fuiſſet filius Ioſeph, dixiſſet, De quo; vel ſaltem, De quibus. Alius excluditur error, ſcilicet Valentini, qui dicit, Chriſtum non aſſumpſiſſe corpus de Beata Virgine; ſed de cælo apportaſſe, & per Beatam Virginem ſicut per carnale tranſiſſe. Contra eſt quod dicitur, *De qua*. Si enim ita eſſet ſicut dicit, dixiſſet Evangeliſta non *De qua*, ſed Per quam, vel A qua, vel Ex qua, vel aliquid tale. Hæc enim propoſitio *de* ſemper notat conſubſtantialitatem; non autem hæc præpoſitio *ex*: unde poteſt dici: Ex mane fit dies; & quod arca procedit ex artifice, numquam dicitur, De artifice: (*b*) Unde per hoc quod dicit *De*, denotat quod de corpore Beatæ Virginis formatum eſt corpus Chriſti. Gal. IV. 4. „ Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. “ Hic cavendus eſt error Neſtorii, qui duas in Chriſto perſonas poſuit; & ideo non concedit Deum natum, vel paſſum; nec alia quæ ſunt Dei, (*c*) ut eſſe ab æterno, vel creaſſe ſtellas, attribuit homini. Unde in quadam ſua epiſtola accipit iſtam auctoritatem ad confirmationem ſui erroris: *De qua natus eſt Ieſus*. Non dicit Deus, ſed *Ieſus*: quod eſt nomen hominis, & *Chriſtus*. Sed ſecundum hoc nulla eſſet unio in Chriſto, nec Chriſtus diceretur unus.

Unde nota, quod in Chriſto, quia fit unio duarum naturarum in una perſona, fit communicatio idiomatum, ut illa quæ ſunt Dei attribuantur homini, & econverſo. Et poteſt poni exemplum qualecumque de (*d*) duobus accidentibus in ſubiecto, ſicut pomum dicitur album, & ſaporoſum. Et quantum ad ſaporoſum dicitur album, ratione qua pomum eſt album, & e converſo.

Qui vocatur Chriſtus. Nota. Simpliciter dicitur Chriſtus ſine additione, ad denotandum quod oleo inviſibili unctus eſt, non materiali, ſicut Reges, vel prophetæ in lege. Pſa. XLIV. 8. „ Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. “

Omnes ergo generationes. Poſita generatione Chriſti, hic concludit numerum generationum. Et dividit eas per tres quaterdenarios. Primus quaterdenarius eſt ab Abraham uſque ad David incluſive, ut ſcilicet David numeretur in illo primo quaterdenario; & hoc eſt, *Omnes ergo generationes*. Secundus quaterdenarius protenditur a David excluſive, ita ſcilicet quod ipſe David non numeretur, ſed incipiatur a Salomone, & terminatur ad tranſmigrationem Babylonis; & hoc eſt; *Et a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis*. Tertius incipit a tranſmigratione Babylonis, & terminatur in Chriſtum; ita quod Chriſtus ſit quaterdenarius.

Sed quæritur quare Evangeliſta ita diligenter & attente diſtinxit generationem Chriſti per tres quaterdenarios.

Chryſoſtomus aſſignat rationem: quia in iſtis tribus quaterdenariis ſemper facta eſt aliqua mutatio in populo Iſrael. In primo enim quaterdenario fuerunt ſub Ducibus; in ſecundo ſub Regibus; in tertio ſub Pontificibus. Et ipſe

(a) *Al.* Ideo autem dicit. (b) *Al.* Unde per hoc quod dicit, denotat. (c) *Al.* vel eſſe. (d) *Al.* tribus.

ipſe Chriſtus eſt Dux, eſt Rex, & Pontifex. Eſa. XXXIII. 22. „ Dominus Iudex noſter , „ Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter. “ Et de eius Sacerdotio dicitur in Pſal. CIX. 4. „ Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. “ Aliam rationem aſſignat ipſe, ut ſcilicet oſtenderetur neceſſitas adventus Chriſti. In primo enim quaterdenario petierunt Regem contra voluntatem Dei, & legem tranſgreſſi ſunt; in ſecundo autem propter peccata ſua ducti ſunt in captivitatem; ſed in tertio per Chriſtum ab omni culpa, & miſeria, & a ſervitute peccati ſpirituali liberamur. Hieronymus tertiam aſſignat rationem: quia per iſtos ſignantur tria tempora, quibus omnium hominum vita ducitur. Per primum enim quaterdenarium ſignatur tempus ante legem, quia in illo ponuntur aliqui patres qui fuerunt ante legem; per ſecundum, tempus ſub lege, quia omnes illi qui ponuntur ſunt ſub lege; per tertium autem, tempus gratiæ, quia terminatur ad Chriſtum, per quem ſcilicet „ gratia, & veritas facta eſt: “ Ioa. I. 17. Congruit etiam iſta diſtinctio myſterio, quia quaterdenarius eſt numerus compoſitus ex quatuor & decem. Per decem ergo, vetus intelligitur teſtamentum, quod datum eſt in decem mandatis; per quatuor autem, Evangelium, quod in quatuor libris diſtinguitur. Tres autem quaterdenarii deſignant fidem Trinitatis. Unde per hoc quod Matthæus genealogiam in tres quaterdenarios dividit, deſignatur quod per novum, & vetus teſtamentum in fide Trinitatis pervenitur ad Chriſtum. De numero autem generationum eſt duplex opinio: ſecundum enim Hieronymum, qui dicit quod alius eſt Iechonias in fine primi quaterdenarii, & in principio ſecundi, ſunt 42. generationes: tot enim faciunt quaterdenarii tres. Sed, ſecundum Auguſtinum, non ſunt niſi 41. & quod Chriſtus ſit ille unus; & hoc competit myſterio. Quadragenarius enim numerus conſurgit ex ductu quatuor in decem, & e converſo: ſecundum autem Platonicos, quatuor eſt numerus corporum: corpus enim componitur ex quatuor elementis. Decem autem eſt numerus qui conſurgit ex aggregatione numerorum linealium: unus enim, duo, tres, & quatuor faciunt decem. Et quia Matthæus intendit declarare quomodo Chriſtus linealiter deſcendit ad nos, ideo per 40. generationes venit ad nos Chriſtus. Lucas autem qui intendit in Chriſto commendare (a) ſacerdotalem dignitatem, cui competit expiatio peccatorum: infra XVIII. 22. *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties, &c.* ponit generationes 77. Conſurgit enim iſte numerus ex ductu ſeptem in undecim: ſepties enim 11. ſunt 77. Per 11. ergo intelligitur tranſgreſſio decalogi; per ſeptem autem ſeptiformis gratia, per quam fit remiſſio peccatorum. Quod autem ſecundum Hieronymum ſunt 42. generationes, etiam non vacat a myſterio, quia per illas duas intelliguntur duo præcepta caritatis, vel duo teſtamenta, novum, & vetus.

Chriſti autem generatio ſic erat. Poſita genealogia Chriſti in generali, hic deſcribitur generatio eius in ſpeciali. Et dividitur in tres partes. Primo ponit (b) quemdam titulum; ſecundo Evangeliſta deſcribit generationis modum, ibi, *Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph*; tertio probat generationis modum, ibi, *Ioſeph autem vir eius*. Dicit ergo, *Chriſti autem*. Hoc dupliciter legitur: ſecundum Chryſoſtomum enim, eſt quaſi quidam prologus dicendorum; ſed, ſecundum Remigium, eſt quidam epilogus (c) dictorum. Primo modo legitur ſic: Ita dictum eſt de genealogia Chriſti, quomodo Abraham genuit Iſaac &c. per carnalem admixionem. *Sed Chriſti generatio ſic erat*: ſupple, ſicut dicetur in ſequentibus. Secundo modo legitur ſic, ut ſit epilogus præcedentium: Ita Abraham &c. uſque ad Chriſtum. *Chriſti autem generatio ſic erat*: ſupple, ut ab Abraham per David, & alios protenderetur ad Chriſtum. Conſequenter deſcribit generationis modum, & primo deſcribit perſonam generantem, cum dicit: *Cum eſſet deſponſata*; ſecundo ipſam Chriſti generantem, cum dicit: *Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens*; tertio generationis actorem, *De Spiritu ſancto*. Perſonam generantem deſcribit a tribus. Primo a conditione, cum dicit, *Deſponſata Ioſeph*; ſecundo a dignitate, *Mater eius*; tertio a proprio nomine, *Maria*. Dicit ergo: *Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph*.

Sed hic ſtatim oritur quæſtio. Cum Chriſtus voluerit naſci de virgine, quare voluit matrem ſuam deſponſari?

Ratio, ſecundum Hieronymum, triplex aſſignatur. Prima eſt ut credibilius eſſet teſtimonium (d) virginitatis eius. Si enim non fuiſſet deſponſata, & diceret ſe eſſe virginem, cum eſſet imprægnata, non videretur ob aliud dicere niſi ut celaret crimen adulterii. Sed cum deſponſata erat, non habebat neceſſe mentiri. Et ideo magis eſſet creden-

(a) *Al.* ſacerdotem. (b) *Al.* quidem. (c) *Al.* dicendorum. (d) *Al.* virginitas.

dum ei. Pſal. cxii. 5. „ Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. “ Alia ratio eſt ut haberet præſidium viri, ſive cum fugeret in AEgyptum, ſive cum inde rediret. (*a*) Tertia fuit ut partus eius diabolo celaretur, ne ſcilicet, ſi ipſe ſciret, impediret paſſionem eius, & fructum noſtræ redemptionis. I. Cor. 11. 8. „ Si enim cognoviſſent, numquam „ Dominum gloriæ crucifixiſſent. “ Exponitur de dæmone; ideſt, non crucifigi permiſiſſet.

Sed contra. Diabolus numquid non cognoſcit an iſta eſt virgo? Virginitas enim eius erat in carne non corrupta: ergo diabolus potuit ſcire eam eſſe virginem.

Sed dicendum, ſecundum Ambroſium, qui etiam iſtam rationem aſſignat, quod diaboli poſſunt aliqua ſubtilitate naturæ, quæ tamen non poſſunt niſi divina permiſſione. Unde diabolus eius virginitatem cognoſceret, niſi a diligenti conſideratione divinitus fuiſſet prohibitus. Secundum Ambroſium aſſignatur triplex ratio. Prima eſt propter honorem matris Domini conſervandum. „ Maluit Do- „ minus de ortu ſuo homines dubitare quam „ de pudicitia matris: & ideo voluit eam „ deſponſari ut tolleretur ſuſpicio adulterii. „ Ipſe enim venerat legem adimplere, non „ ſolvere. “ Matth. v. 17. *Non veni ſolvere, ſed adimplere*. Exod. xx. 12. dicitur: „ Ho- „ nora patrem tuum, & matrem tuam. “ Alia ratio eſt ut virginibus notatis de adulterio auferretur excuſatio. Si enim mater Domini non fuiſſet deſponſata, & tamen gravida, poſſent ſimiliter ſe per eam excuſare. Pſalm. cxl. 4. „ Non declines cor meum „ in verba malitiæ, ad excuſandas excuſa- „ tiones in peccatis. “ Tertia ratio, quia Chriſtus Eccleſiam ſibi deſponſavit, quæ virgo eſt. II. Cor. 11. 2. „ Deſpondi enim vos. “ Et ideo de virgine deſponſata naſci voluit in ſignum quod Eccleſiam (*b*) ſibi deſponſavit.

Cum ergo eſſet deſponſata. Sed cui? Ioſeph. Secundum Chryſoſtomum, Ioſeph fuit faber lignarius, & ſignat Chriſtum qui per lignum crucis omnia reſtauravit, (*c*) cæleſtia &c. *Mater eius*, ideſt Dei. Hic oſtenditur eius dignitas. Nulli enim creaturæ hoc conceſſum eſt, nec homini, nec Angelo, ut eſſet pater, aut mater Dei; ſed hoc fuit privilegium gratiæ ſingularis, ut non ſolum hominis, ſed Dei mater fieret: & ideo in Apoc. xii. 1. dicitur: „ Mulier amicta ſole, quaſi tota reple- „ ta divinitate. “ Quod negavit Neſtorius: & hoc quia divinitas non fuit accepta a virgine. Contra quem Ignatius martyr pulchro exemplo utitur ad oſtendendum quod fuit mater Dei. Conſtat, inquit, quod in generatione hominum communium mulier dicitur mater; & tamen mulier non dat animam rationalem, quæ a Deo eſt, ſed miniſtrat ſubſtantiam ad corporis formationem. Sic igitur mulier dicitur mater totius hominis, quia id quod ſumptum eſt de ea unitur animæ rationali. Similiter cum humanitas Chriſti ſumpta ſit de Beata Virgine, propter unionem ad divinitatem (*d*) dicitur Beata Virgo non ſolum mater hominis, ſed etiam Dei; quamvis ab ipſa non ſumatur divinitas: ſicut nec in aliis anima rationalis ſumitur a matre. *Maria*, proprium nomen: interpretatur maris ſtella, vel illuminatrix, & ſuo ſermone domina: unde in Apoc. xii. 1. deſcribitur luna ſub pedibus eius. *Antequam convenirent &c.*

Hic obiicit Elvidius: Si antequam convenirent: ergo aliquando convenerunt. Unde iſte negavit virginitatem matris Chriſti. Non ante partum, nec in partu; ſed poſt partum dicit quod fuit cognita a viro.

Et reſpondet Hieronymus, quod ſine dubio hoc quod dicitur *Antequam*, ſemper importat ordinem ad futurum. Sed hoc poteſt eſſe dupliciter: vel ſecundum rationem, vel ſecundum intellectus acceptionem. Si enim dicatur: Antequam comederem in portu Romæ, (*e*) navigavi ad Africam; non eſt intelligendum quod poſtquam navigarim ad Africam, comederim; ſed quia propoſueram comedere, & præventus navigatione non comedi. Ita eſt hic: non eſt ita intelligendum quod poſtea realiter convenirent, ſicut dicit impius ille; ſed quia ex hoc ipſo quod ſibi deſponſata erat ſecundum communem opinionem licebat eis aliquando convenire; quamvis numquam (*f*) convenerint. Remigius aliter exponit, ut intelligatur de ſolemni celebratione nuptiarum. Ante enim erat, & fiebat per aliquos dies deſponſatio, & interim ſponſa non erat ſub cuſtodia viri; poſtea autem fiebat ſolemnis celebratio nuptiarum, & tunc traducebatur ad domum viri. De his nuptiis (*g*) loquitur Evangeliſta hic: & ſecundum hoc non habet locum obiectio Elvidii. Nota proprietatem verbi. Proprie enim illud inventum dicitur, de quo non ſperabatur, nec putabatur; & Ioſeph tantam habebat opinionem de pudicitia Mariæ quod præter æſtimationem eius fuit quod invenit eam gravidam.

In utero habens: ſupple, ab ipſo Ioſeph, qui, ſicut dicit Hieronymus, „ maritali li- „ centia pene omnia ſecreta eius rimabatur. “

De

(a) *Al.* Tertio. (b) *Al.* Eccleſiam deſponſavit. (c) *Al.* cælo &c. (d) *Al.* dicetur. (e) *Al.* naviganti. (f) *Al.* convenirent. (g) *Al.* ſequitur.

Digitized by Google

De Spiritu Sancto. Hic tangitur actor conceptionis. Hoc autem legendum eſt diviſim ab illo præcedenri. Non enim legendum eſt, aut intelligendum quod Ioſeph iovenerit eam habentem in utero de Spiritu ſancto; ſed ſolum quod invenit eam gravidam. Et ne oriretur auditoribus interim ſuſpicio adulterii addidit, *De Spiritu ſancto*, ideſt de virtute Spiritus ſancti, non de ſubſtantia, ne filius Spiritus ſancti credatur. Luc. I. 35. „ Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. “ Quamvis autem, ſecundum Auguſtinum, indiviſibilia ſint opera Trinitatis, & ideo ipſam conceptionem non ſolum Spiritus ſanctus, ſed etiam Pater, & Filius operati ſint; tamen per quamdam appropriationem Spiritui ſancto attribuitur: & hoc tribus rationibus. Prima ratio eſt quia Spiritus ſanctus amor eſt. Hoc autem fuit ſignum maximi amoris, quod Deus filium ſuum incarnari voluerit. Ioan. III. 16. „ Sic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret. “ Secunda quia Spiritui ſancto attribuitur gratia. I. Cor. XII. 4. „ Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. “ (*a*) Et hoc fuit maxima gratia. Tertia ratio aſſignatur in geſtis Nicæni Concilii; & eſt quod in nobis eſt duplex verbum: verbum cordis, & verbum vocis. Verbum cordis eſt ipſa conceptio intellectus, quæ occulta eſt hominibus, niſi quatenus per vocem exprimitur, ſive per verbum vocis. Verbo autem cordis comparatur Verbum æternum, ante incarnationem, quando erat apud Patrem, & nobis abſconditum: ſed verbo vocis comparatur Verbum incarnatum quod iam nobis apparuit, & manifeſtum eſt. Verbum autem cordis non coniungitur voci niſi mediante ſpiritu; & ideo recte incarnatio Verbi, per quam nobis (*b*) viſibile apparuit, mediante Spiritu ſancto facta eſt.

Nota hic quatuor rationes quare Chriſtus de virgine naſci voluit. Quarum prima fuit, (*c*) quia peccatum originale contrahitur in prole ex commixtione viri, & mulieris: unde ſi Chriſtus natus fuiſſet de concubitu coniugali, peccatum originale contraxiſſet: hoc autem eſſet inconveniens, cum ipſe ad hoc veniſſet in mundum ut peccata noſtra tolleret: unde peccati contagione infici non debuit. Secunda quia Chriſtus præcipuus fuit doctor caſtitatis. Infra XIX. 12. *Sunt eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum*. Tertia propter puritatem, & munditiam. „ In malevolam animam non introibit ſapientia. “ Sap. I. 4. Unde decuit ut venter matris eius nulla corruptione pollueretur. Quarta propter proprietatem verbi: quia ſicut verbum ſine corruptione cordis emanat a corde, ita Chriſtus de virgine naſci voluit, & debuit ſine corruptione.

Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus. Poſtquam poſuit generationis modum, hic confirmat ipſum per teſtimonium. Cum enim ſupra dixerit Evangeliſta, quod mater Ieſu inventa eſt in utero habens, & quod hoc erat de Spiritu ſancto, poſſet aliquis credere quod Evangeliſta hoc appoſuiſſet ob gratiam Magiſtri; ideo hic Evangeliſta confirmat generationis modum ſupradictum. Et primo prænuntiatione prophetica: *Hoc autem factum eſt*; ſecundo revelatione angelica, ibi, *Exurgens autem Ioſeph*. In prima parte ſunt tria. Primo introducitur perſona cui facta eſt revelatio; ſecundo perſona revelans, ibi, *Hac autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit*; tertio ponuntur verba revelationis, ibi, *Ioſeph fili David*. Perſona autem cui fit revelatio commendatur ex duobus: ſcilicet ex hoc quod eſt iuſtus; & ideo non mentiretur: ſecundo ex hoc quod ſponſus, ſive vir; & ideo crimen in ea non pateretur. Proverb. VI. 34. „ Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ. “ Dicit ergo ita: *Inventa eſt* a Ioſeph *habens in utero*. *Sed Ioſeph vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere*. Hic eſt duplex ſanctorum ſententia, Ambroſii videlicet, & Auguſtini. Auguſtinus enim vult quod Ioſeph qui non erat præſens quando facta eſt annuntiatio angelica, rediens, & inveniens eam gravidam habuit ſuſpicionem adulterii.

Sed tunc ſtatim oritur quæſtio. Quomodo iuſtus erat, ſi eam quam ſuſpectam habebat de adulterio, nolebat traducere, ideſt crimen ipſius propalare? In hoc enim videbatur ei in peccato conſentire; & Rom. I. 32. dicitur quod „ non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. “

Sed ad hoc eſt triplex reſponſio. Prima eſt ſecundum Chryſoſtomum, quod duplex eſt iuſtitia. Una enim eſt iuſtitia quæ eſt virtus cardinalis, quæ dicitur iuſtitia ſpecialis; alia eſt iuſtitia legalis, quæ includit omnem virtutem, & pietatem, & clementiam, & huiuſmodi. Quando ergo dicitur quod Ioſeph iuſtus erat, intelligendum eſt de iuſtitia generali, ut iuſtitia accipiatur pro pietate. Unde quia iuſtus erat, ideſt pius, noluit eam traducere. Alia eſt reſponſio Auguſtini, qui dicit, quod duplex eſt peccatum; ſcilicet pec-

(*a*) *Al.* Et fuit. (b) *Al.* viſibilis. (c) *Al.* qua.

catum occultum, & peccatum manifeſtum : peccatum enim occultum non eſt publice arguendum , ſed aliter eſt ei remedium adhibendnm. Suſpicio ergo adulterii , quam habuit Ioſeph, erat ſuſpicio peccati occulti , & non maoifeſti : quia ipſe ſolus ſciebat ; & iterum ſi alii ſcirent eam gravidam , non poſſent opinari niſi quod de ipſo eſſet ; & ideo ctimen eius non debuiſſet propalaſſe . Tertia vero reſponſio eſt Rabani, quod etiam Ioſeph iuſtus fuit, & pius. In hoc enim quod pius , non voluit crimen propalare ; ſed io hoc quod voluit eam dimittere apparnit iuſtus. Sciebat eoim quod „ qui tenet adulte- „ ram , ſtultus, & inſipiens eſt: " ut dicitur Prov. xviii. 22. Secundum autem Hieronymum, & Origenem, non habuit ſuſpicionem adulterii . Noverat enim Ioſeph pudicitiam Mariæ ; legerat io Scriptura quod virgo concipiet , Eſa. vii. & cap. xi. 1. „ Egredietur vir- „ ga de radice Ieſſe, & flos de radice eius „ aſcendet &c. " Noverat etiam Mariam de David geoeratione deſcendiſſe . Unde facilius credebat hoc in ea impletum eſſe, quam ipſam foroicatam fuiſſe . Et ideo iodignum reputans ſe taotæ cohabitare ſanctitati, voluit occulte dimittere eam, ſicut Petrus dixit: „ Exi a me, Domine, quia homo peccator „ ſum : " Luc. v. 8. Unde nolebat eam traducere, ideſt ad ſe ducere, & io coniugem accipere, ſe indignum reputans: vel, ſecundum aliorum ſenteotiam, ignorans finem, ne tamquam reus haberetur, ſi celaret , & ſecum eam teneret.

Hac autem eo cogitante . Hic perſona revelans introducitur, & tanguntur tria. Primo enim tangitur tempus ; ſecundo perſona revelans introducitur, *Ecce Angelus*; tertio revelationis modus exprimitur: *Apparuit in ſomnis Ioſeph* . Dicit ergo : *Hac autem eo cogitante* , ideſt dum iſta ſecum in mente revolveret, *ecce Angelus Domini apparuit*. Nota quod duo commendantur hic (*a*) de Ioſeph ; ſcilicet ſapientia , & clementia . Sapientia quidem in hoc quod ipſe antequam ageret deliberavit . Prov. iv. 25. „ Palpebræ tuæ præce- „ dant greſſus tuos ; " hoc eſt , nihil facias ſine iudicio, & deliberatione rationis. Item clementia ſive pietas in hoc quod factum eius non propalavit , vel promulgavit : contra multos qui ſtatim illud quod habent in corde volunt exterius publicare. Proverb. xxv. 28. „ Sicut urbs patens, & abſque murorum am- „ bitu , ita vir qui non poteſt in loquendo „ cohibere ſpiritum ſuum. " Et ideo meruit inſtrui, ſive conſolari : unde ſequitur : *Ecce Angelus Domini apparuit* ; quaſi, in promptu fit adiutorium Dei. Pſal. ix. 10. „ Adiutor in „ opportunitatibus, in tribulatione . Pſalm. liii. 6. „ Ecce enim Deus adiuvat me , & „ Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. " *Angelus Domini*: nihil enim melius potuit excuſare quam ille qui conſcius erat virginitatis ſervatæ: unde ille idem Angelus qui miſſus eſt ad Mariam , Luc. i. creditur miſſus ad Ioſeph. Pſalm. xxxiii. 8. „ Immittit Angelus „ Domini in circuitu timentium eum , " (*b*) ſcilicet Mariæ, & Ioſeph , ut ipſam liberaret ab infamia , & Ioſeph in perturbatione non dimitteret.

Sed hic quæritur quare non a principio facta eſt Ioſeph revelatio, antequam ita perturbaretur. Item quare Maria ei non revelavit annuntiationem angelicam quæ ſibi facta fuerat ?

Et dicendum ad primum , quod hoc fecit ut teſtimonium eius eſſet credibilius . Sicut enim Dominus Thomam Apoſtolum permiſit dubitare de ſua reſurrectione , ut ſcilicet dubitans palparet, & palpans crederet , & credendo infidelitatis in nobis vulnus amoveret; ſic permiſit Domious Ioſeph de pudicitia Mariæ dubitare, ut dubitans revelationem angelicam acciperet, & accipiendo firmius crederet . Ad hoc quod quæritur ſecundo, dicendum , quod ſi Maria ei dixiſſet, ipſe non credidiſſet.

Apparuit ei in ſomnis. Ecce modus revelationis. Nota quod apparere proprie eſt illius rei quæ de natura ſua eſt inviſibilis , tamen io poteſtate ſua eſt ut videatur; ſicut eſt Deus, vel Angelus. Illa enim quæ de ſui natura habent ut videantur , proprie apparere non dicuntur . Unde dicitur apparitio divina , vel angelica: unde proprie loquitur: *Apparuit in ſomnis* .

Sed hic quæritur quare in ſomnis . Ratio redditur in Gloſſa, quia Ioſeph quodammodo dubitans erat: unde quaſi quodammodo dormiebat: & ideo recte in ſomnis dicitur Angelus apparuiſſe ei . Alia ratio poteſt aſſignari melior. Sicut enim dicit Apoſtolus I. Cor. xiv. 22. „ Prophetia data eſt fidelibus , ſigna „ autem infidelibus ." Proprie autem revelatio quæ dicitur prophetica fit in ſomnis . Num. xii. 6. „ Si quis fuerit inter vos propheta „ Domini , in viſione apparebo ei , vel per „ ſomnium loquar ad illum. " Et ideo quia Ioſeph iuſtus erat , & fidelis , ipſi tamquam fideli debuit fieri apparitio , quæ competit credentibus, ſcilicet revelatio quaſi prophetica. Quia vero apparitio corporalis eſt miraculo-

(a) *Al.* a Ioſeph. (b) *Al.* etiam .

Digitized by Google

raculoſa, talis apparitio ſibi non competebat; cum ipſe crederet, & eſſet fidelis.

Sed tunc quæritur quare Mariæ facta eſt viſibilis apparitio, cum ipſa eſſet fideliſſima.

Et dicendum eſt, quod myſterium incarnationis a principio revelatum eſt Virgini Mariæ, quando difficilius erat ad credendum; & ideo oportuit quod ſibi fieret apparitio viſibilis: ipſi vero Ioſeph non eſt revelatum a principio, ſed magis quando iam pro magna parte erat impletum, cum iam videret alvum eius intumeſcere: unde facilius poterat credere, & ideo ſufficiebat ſibi apparitio quæ fit in ſomnis.

Ioſeph fili David. Hic revelationis verba ponuntur. Et dividitur in tres partes, ſecundum tria quæ facit Angelus. Primo enim Mariæ & Ioſeph prohibet divortium; ſecundo incarnationis aperit myſterium, cum dicit, *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*; tertio ipſius Ioſeph futurum prænuntiat obſequium, quod ſcilicet puero exhibebat, ibi, *Pariet autem filium*. Dicit igitur, *Ioſeph*. Vocat eum ut reddat eum attentum ad audiendum, & ut revocet eum ad ſeipſum. Hoc commune eſt in Scriptura, quod ſcilicet quando præmittitur apparitio quæ eſt deſuperius, requirit in auditore quamdam mentis elevationem, & attentionem. Ezech. II. 1. „ Fili „ hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar „ tecum. " Et infra 8. „ Fili hominis au„ di quæcumque loquor ad te, & noli eſſe „ exaſperans. " Habac. II. 1. „ Super cuſto„ diam meam ſtabo. " *Fili David*. Ideo genus exprimit ut avertat illud quod dicitur Eſa. VII. 13. „ Audite domus David: numquid „ parum eſt moleſtos eſſe hominibus, quia „ moleſti eſtis & Deo meo? &c." Signum enim datum fuit non uni perſonæ, ſed toti tribui ſive domui: unde quia de hoc debebat eum inſtruere, iubetur in expreſſione generis ſui, vaticinium prophetæ ad memoriam reducere. *Noli timere*. Omnis apparitio, ſive ſit boni, vel mali Angeli, timorem quemdam incutit; & hoc quia talis apparitio eſt inconſueta, & quaſi extranea naturæ hominis; & ideo ponit hominem quaſi extra ſe. Sed in hoc eſt differentia: quia apparitio mali Angeli terrorem incutit, & in ipſo terrore hominem dimittit, ut ſcilicet hominem quaſi extra ſe poſitum facilius pertrahat ad peccatum; ſed boni Angeli apparitio, quamvis terrorem incutiat, tamen ſtatim ſubditur concluſio, & aſſecutio conſolationis, ut ſcilicet homo ad ſe redeat, & quæ ſibi dicuntur advertat. Unde Luc. I. Ubi dicitur quod apparuit Angelus Zachariæ, ſtatim ſequitur (v. 13.) „ Ne timeas Zacharia: " & ſimiliter in eodem (v. 30.) „ Ne timeas Maria."

Unde poſt apparitionem factam Ioſeph, ſtatim ſubditur conſolatio. Duplicem habebat iſte timorem, ſcilicet Dei, & etiam peccati, ne ſcilicet Mariæ cohabitando peccaret tamquam conſcius peccati; & ideo, *Ne timeas*, ſubditur, ſcilicet metu peccati, *accipere Mariam coniugem tuam*. Nota, quod coniunx dicitur, non propter matrimonium, ſed propter deſponſationem. Conſuetudo enim eſt Scripturæ & ſponſas vocare coniuges, & coniuges ſponſas.

Sed quæritur quomodo iubet eam accipere, cum eam nondum dimiſiſſet. Et dicendum, quod licet eam corporaliter non dimiſiſſet, tamen in animo eam dimiſerat: & ideo iubetur eam accipere. Vel *ne timeas accipere*, quantum ad ſolemnitatem, & nuptiarum celebrationem.

Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Hic aperit incarnationis myſterium: & nota, quod cum tria ibi fuerint, ſcilicet ipſa virgo concipiens, Filius Dei conceptus, & virtus activa Spiritu ſancti; duo bene exprimit Angelus, ſcilicet concipientem, & conceptionis actorem; ſed tertium, ipſum Dei Filium conceptum, non exprimit niſi indefinite: *Quod enim*, inquit, *in ea natum eſt*. Et hoc ut denotetur quod ipſum eſt ineffabile, & incomprehenſibile, non ſolum homini, ſed etiam ipſis Angelis. *Quod enim*, inquit, *in ea natum eſt*: non dicit, De ea, quia naſci de matre eſt in lucem prodire: in matre naſci eſt ipſum concipi. *De Spiritu ſancto eſt*. Hoc eſt ergo teſtimonium angelicum, quod inducit Evangeliſta ad probandum quod ſupra dixerat: *Inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto*.

Nota, quod in conceptione aliarum mulierum, in ſemine viri eſt virtus formativa, cuius ſubiectum eſt ſemen; & per hanc virtutem formatur fetus, & vegetatur in corpore mulieris. Hanc autem ſupplevit virtus Spiritus ſancti; & ideo aliquando invenitur dictum a ſanctis, quod Spiritus ſanctus fuit ibi pro ſemine: aliquando tamen dicitur, quod non fuit ibi ſemen. Et hoc eſt quod in ſemine viri ſunt duo; ſcilicet ipſa corrupta ſubſtantia, quæ deſcendit a corpore viri, & ipſa formativa virtus. Dicendum ergo, quod Spiritus ſanctus fuit pro ſemine quantum ad virtutem formativam; ſed non fuit ibi pro ſemine quantum ad corpulentam ſubſtantiam: quia non de ſubſtantia Spiritus ſancti facta eſt caro Chriſti, vel conceptio eius: & ideo patet quod Spiritus ſanctus non poteſt dici pater Chriſti, quia nec ſecundum divinam naturam, nec ſecundum humanam. Secundum divi-

Digitized by Google

divinam naturam quidem, quia quamvis Chriſtus ſit eiuſdem gloriæ cum Spiritu ſancto, Filius tamen ſecundum divinam naturam nihil (*a*) accipit a Spiritu ſancto; & ideo non poteſt dici filius eius: filius enim aliquid accipit a patre. Similiter nec ſecundum humanam, quia pater & filius debent convenire in ſubſtantia: Chriſtus autem quamvis ſit conceptus virtute Spiritus ſancti, non tamen de ſubſtantia Spiritus ſancti.

Sed contra hoc quod dicitur, *De Spiritu ſancto*, eſt quod Prov. IX. 1. dicitur quod „ ſapientia ædificavit ſibi domum. “ Ergo videtur quod ipſamet divina ſapientia, ideſt Dei filius, ſibi humanam naturam univit; & ita non eſt facta virtute Spiritus ſancti.

Sed duplex eſt reſponſio, ſecundum Auguſtinum. Prima quod verbum illud quod ſcribitur Proverb. IX. intelligitur de Eccleſia, quam Chriſtus in ſanguine ſuo fundavit. Alia eſt quod indiviſa ſunt opera Trinitatis; & ideo illud quod facit Filius, facit etiam Spiritus ſanctus; ſed tamen per quamdam appropriationem attribuitur Spiritui ſancto. Et ratio huius dicta fuit ſuperius.

Pariet (b) autem filium. Hic prænuntiat obſequium, quod exhibebit Ioſeph puero iam nato: & facit tria. Primo enim prænuntiat virginis partum; ſecundo præmonſtrat obſequium ab ipſo Ioſeph puero exhibendum, cum dicit, *Et vocabit nomen*; (*c*) tertio aperit nomen impoſitum ipſi puero, cum dicit, *Ieſum*. Dicit ergo, *Pariet*: ita concepit de Spiritu ſancto quidem primo; ſed *pariet filium*: non dicit, Tibi, quia ipſe puerum non genuit. Luc. I. 13. Dictum eſt Zachariæ: „ Uxor tua pariet tibi filium: “ quia ipſum Zacharias genuit. Vel ideo non dicit, Tibi, ut oſtendatur quod pro omnibus natus eſt: non ſolum tibi, vel ipſi pariet filium, ſed toti mundo. Luc. II. 10. „ Ecce annuntio vobis gaudium magnum, „ quia natus eſt vobis hodie ſalvator, qui „ eſt Chriſtus Dominus in civitate David &c. “ Sed quia Ioſeph poſſet dicere: Ita concepit ipſa de Spiritu ſancto, & pariet filium; quid ergo ad me? in nullo ſum ei neceſſarius: ideo ſubdit ipſius Ioſeph obſequium, *Vocabis nomen eius*. Conſuetudo erat apud Hebræos, & eſt hodie, quod die octavo circumcidebant puerum, & tunc imponebant ei nomen; & hoc factum eſt per Ioſeph: unde in hoc opere miniſter fuit. Unde dicitur ei: *Vocabis*: non dicitur, Impones, quia iam eſt ſibi impoſitum. Eſa. LXII. 2. „ Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. “ *Ieſum*. Hoc eſt nomen a Deo impoſitum. Et reddit cauſam: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum*, quem ſibi acquiſivit ſanguine ſuo, hoc eſt populum eius. Dan. IX. 26. dicitur: „ Non erit populus eius qui eſt eum negaturus. “ Unde eſt populus Domini per fidem. I. Petr. II. 9. „ Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, „ populus acquiſitionis. “ *A peccatis eorum*. In libro Iudicum frequenter dicitur, quod talis vel talis ſalvavit Iſrael: ſed a quibus? ab inimicis carnalibus. Hic autem *a peccatis*, remittendo peccata, quod ſoli Deo competit. Luc. V. 24. „ Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. “

Nota, quod hic confunditur Neſtorius, qui dicebat, quod illa quæ Dei ſunt, ut eſſe ab æterno, eſſe omnipotens, vel huiuſmodi, non conveniunt illi homini. Ecce quod ille idem homo qui natus eſt de virgine, qui vocatur Ieſus, *ipſe ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Unde cum peccata dimittere non poſſit niſi ſolus Deus, oportet dicere quod iſte homo ſit Deus, & quod ea quæ Dei ſunt, ei veriſſime conveniunt.

(e) Præmiſerat Evangeliſta, quod mater Dei inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto, & hoc ſupra probavit per angelicam revelationem; hic probat per prophetiæ prænuntiationem: unde dicit: *Hoc totum factum eſt ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam*. Et ſciendum, quod iſta particula dupliciter poteſt introduci hic. Chryſoſtomus enim vult quod totum hoc dixerit Angelus, & prophetiam introduxerit. Et ratio eſt, quia ipſe, ne quod prænuntiabat videretur novum, ſubito voluit oſtendere quod ab antiquo prænuntiatum erat. Eſa. XLVIII. 3. „ Qui fecit iam quod futurum „ eſt, “ ſecundum aliam translationem. Alii dicunt (& credo melius,) quod iſtud, ſcilicet *Hoc totum factum eſt &c.* ſunt verba Evangeliſtæ: nam ibi terminantur verba Angeli. *Et ipſe ſalvum faciet &c.* Et inducit ea Evangeliſta propter tria. Primo ut oſtendat quod vetus teſtamentum eſt de Chriſto. Act. X. 43. „ Huic omnes prophetæ teſtimonium „ perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt „ in eum. “ Secundo ut facilius Chriſto credant. Ioan. V. 46. „ *Si* crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille „ ſcripſit. “ Tertio ad oſtendendum conformitatem veteris & novi teſtamenti. Col. II. 17. „ Quæ ſunt umbra futurorum; corpus „ autem Chriſti. “ Sed ad hoc quod ſciatur quid

(a) *Al.* accepit. (b) Al. *quidem*. (c) *Al.* tertio ipſi puero aperit nomen impoſitum.

quid in iſta prophetia contineatur, ſciendum quod tria annuntiat Angelus. Primo enim dixit: *Quod in ea natum eſt &c.* ſecundo, *Pariet filium*; tertio, *Vocabitur nomen eius Ieſus*. Iſta per ordinem in prophetia continentur. Et primum probat quod dicit, *Ecce virgo*; ſecundo, *Pariet autem*; tertio, *Et vocabitur*. Ergo de Spiritu ſancto erat quod per virginitatem concepit. Et hoc eſt quod dicitur in prophetia: *Ecce virgo concipiet*. Eſa. xxxv. 2. „ Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans &c. " Item *virgo pariet filium*, quia in pariendo, in nullo læſa eſt virginitas. Eſa. xi. 1. „ Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet &c. " Chriſtus quidem flos eſt: ergo in nullo læſa eſt virginitas. Sequitur: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*.

Sed quæritur quare non conſonat hoc cum verbis Angeli, dicendo, *Et vocabitur Ieſus*?

Dicendum, quod iſta repromiſſio facta fuit Iudæis qui ex adventu Chriſti ſalutem haberent. Et Ieſus ſalvator interpretatur, quod idem eſt quod Emmanuel, Nobiſcum Deus. Eſt enim Deus nobiſcum quatuor modis. Per naturæ aſſumptionem. Io. i. 14. „ Verbum caro factum eſt. " Per naturæ conformitatem, quia in omnibus ſimilis. Phil. ii. 4. „ In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. " Per converſationem corporalem. Bar. iii. 38. „ Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. " Per ſpiritualem converſationem. Infra ult. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

Sed quærendnm circa litteram, cur Evangeliſta non utitur eiſdem verbis cum propheta, ſed utitur nomine Ieſu.

Sed dicendnm, quod eodem ſpiritu loquebatur. Tamen Hieronymus dicit, quod ideo Evangeliſta dixit, *Habebit*, quia iam de facto loquebatur.

Item quærendum cur in Eſaia dicitur, „ Et vocabitur: " hic autem dicitur, *Et vocabunt*. Sed Hieronymus dicit; quod hic dicitur, *Vocabunt*, quia quod primo Angeli vocaverunt annuntiando, Luc. 2. Poſtea Apoſtoli vocaverunt prædicando, & magnificando, „ ut in nomine Ieſu omne genu flectatur: „ Phil. ii. 10.

Quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus. Sed quæritur quis appoſuit hanc interpretationem propheticæ, *Nobiſcum Deus*: propheta, an Evangeliſta. Et videtur quod non Evangeliſta, quia hac non indiguit, quia ſcripſit in Hebræo.

Sed dicendum uno modo, quia Emmanuel eſt nomen compoſitum, ideo Evangeliſta illud etiam in Hebræo interpretatus eſt. Vel dicendum, quod ille qui primo tranſtulit de Hebræo interpretatus eſt.

Et notandum, quod in Gloſſa dicitur quod triplex eſt ſpecies prophetiæ; ſcilicet prædeſtinationis, præſcientiæ, & comminationis: & differunt. Prophetia enim dicitur prænuntiatio eorum quæ ſunt procul, ideſt futurorum. Sed futurorum quædam ſunt quæ ſolus Deus facit; quædam vero, etſi Deus facit, tamen fiunt per nos, & per alias etiam creaturas; quædam autem ſunt quæ nullo modo Deus facit, ut mala. Prænuntiatio illorum quæ ſolus Deus facit, vocatur prophetia prædeſtinationis, ſicut conceptus Virginis: unde illud (Eſai. vii. 14) „ Ecce virgo concipiet, " eſt prophetia prædeſtinationis. Sed ea quæ fiunt a cauſis ſecundis poſſunt dupliciter conſiderari. Primo ſecundum quod ſunt in præſcientia Dei, verbi gratia de Lazaro. Si enim aliquis conſideret cauſas naturales, diceret quod numquam ſurgeret, & verum diceret; cum tamen deberet reſuſcitari ſecundum ordinem divinæ præſcientiæ. Ergo quando prophetia eſt prænuntiatio, ſecundum quod eſt in præſcientia divina, ſemper impletur; quando autem ſecundum ordinem cauſarum inferiorum, non ſemper, ſicut patet Eſa. xxxviii. 1. quando Eſaias ad Ezechiam dixit: „ Diſpone domui tuæ, quoniam morieris tu, & non vives &c. "

Sed numquid prophetia imponit neceſſitatem præſcientiæ? Et dicendum quod non, quia prophetia eſt quoddam ſignum divinæ præſcientiæ, quæ non imponit neceſſitatem rebus præſcitis, quia conſiderat futura in ſua præſentialitate. Quicquid enim agitur eſt Deo præſens, quia eius intuitus ſe extendit ad omne tempus. Si enim video aliquid præſens, non imponit neceſſitatem meus intuitus, ſicut quando aliquem ſedere video. Et hoc modo iſtas prophetias quæ in iſto libro inducuntur intelleximus. Conſiderandum eſt enim tres errores fuiſſe. Unus Manichæorum dicentium, quod in toto veteri teſtamento non invenitur prophetia de Chriſto: & quicquid inductum eſt in novo teſtamento de veteri, totum eſt ex corruptione. Contra quod Rom. i. 1. „ Paulus ſervus Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per prophetas ſuos in Scripturis ſanctis. " Et quod loquatur de Iudæorum prophetiis, patet infra ix. 5. „ Quorum patres ex quibus eſt Chriſtus ſecun-

„ dum

„ dum carnem &c.“ Alius fuit Theodori dicentis, quod nihil eorum quæ inducuntur de veteri teſtamento, ſunt ad litteram de Chriſto, ſed ſunt adaptata, ſicut quando inducunt illud Virgilii: „ Talia (*a*) pendebat „ memorans, fixuſque manebat: “ hoc enim adaptatum eſt de Chriſto. Et tunc illud, *Ut adimpleretur*, debet ſic exponi, quaſi diceret Evangeliſta: Et hoc poteſt adaptari. Contra quod Luc. ult. 44. „ Oportet impleri „ omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & „ prophetis, & pſalmis de me. “ Et ſciendum quod in veteri teſtamento aliqua ſunt quæ referuntur ad Chriſtum, & de eo ſolo dicuntur; ſicut illud: “ Ecce virgo in ute„ ro concipiet, & pariet filium: “ Eſa. VII. 14. Et illud Pſal. XXI. 2. „ Deus Deus meus „ reſpice in me, quare me dereliquiſti? &c. “ Et ſi quis alium ſenſum litteralem poneret, eſſet hæreticus, & hæreſis damnata eſt. Sed quia non ſolum verba veteris teſtamenti, ſed etiam facta ſignificant de Chriſto, aliquando dicuntur aliqua ad litteram de aliquibus aliis; ſed referuntur ad Chriſtum, inquantum illa gerunt figuram Chriſti, ſicut de Salomone dicitur (Pſal. LXXI. 8.) „ Et „ dominabitur a mari uſque ad mare &c. “ Hoc enim non fuit impletum in eo. Tertius error fuit Iudæorum.

Sciendum autem quod Iudæi ſpecialiter obiiciunt contra iſtam auctoritatem, quia in Hebræo non habetur *Virgo*, ſed *Alma*, quod idem eſt quod adoleſcentula. Unde ad litteram non ſunt dicta de Chriſto ſed de Emmanuel, vel de quodam filio Eſaiæ ſecundum alios.

Sed contra hos obiicit Hieronymus. Et quod de filio Eſaiæ non potuerit dici, probatur, quia iam erat natus, quando hoc dictum fuit. Item non invenitur aliquis famoſus fuiſſe tempore illo, qui vocaretur Emmanuel. Item non eſt ſignum quod iuvencula pariat. Unde dicit Hieronymus, quod *Alma* eſt æquivocum, & ſignificat quandoque ætatem, quandoque abſconditam, & tunc ſignificat virginem ſtudioſe conſervatam; & ſic ſignificat hic.

Item obiiciunt Iudæi quod illud datum fuit ut ſignum, Eſa. VII. 3. „ Venient duo „ Reges contra Achaz &c. “ Et promiſit quod liberarentur ab his dando hoc ſignum ad Achaz.

Sed dicendum, quod dedit hoc ſignum non ſolum ad Achaz, ſed etiam ad domum David, quia dicit: „ Audite ergo domus Da„ vid; “ quaſi dicat propheta: Dominus adiuvabit te contra iſtum Regem, quia ipſe multo maiora faciet, quia non ſolum ipſius liberatio erit, ſed totius mundi. Sed revertamur ad litteram. *Hoc totum factum eſt*.

Sed contra. Angelus multa præmiſerat, ſcilicet *Quod in ea natum eſt &c. Pariet &c.* Et iterum, *Vocabitur &c.* Hoc vero non totum factum erat.

Sed dicendum uno modo, ſecundum Rabanum, ut *Hoc totum factum &c.* referatur ad præterita facta, quod Angelus apparuit virgini, & dixit illa verba, *hoc totum factum fuit*, ad conſervationem virginis, ut ly *ut* teneatur cauſaliter: vel refertur ad ea quæ prænuntiaverat, & poteſt dici totum factum propter prædeſtinationem. Vel dicendum, quod Evangeliſta ſcribebat quando totum factum erat, & ideo refertur ad id. Unde ly *ut* tenetur conſecutive, quia non voluit Deus incarnari propter hoc ut impleretur prophetia, quaſi vetus teſtamentum dignius ſit novo; ſed conſecutum eſt ad prophetiam hoc quod Chriſtus incarnaretur.

(f) Supra probavit Evangeliſta, quod mater Dei de Spiritu ſancto concepit, ex duobus; ſcilicet ex revelatione Angeli, & ex prænuntiatione prophetæ. Hoc idem intendit oſtendere ex obedientia Ioſeph, qui non acquieviſſet verbis Angeli ut Mariam ſuſciperet in ſponſam, niſi cognoviſſet eam imprægnatam de Spiritu ſancto. Et circa hoc duo facit. Primo ponitur obedientia ipſius ſponſi ad Angelum; ſecundo deſcribitur obedientiæ modus, ibi, *Et accepit*. Et nota quod quia per inobedientiam primi hominis prolapſi ſumus in peccatum: Rom. V. 19. „ Per „ inobedientiam unius hominis peccatores „ conſtituti ſunt multi: “ ideo in principio reparationis noſtræ proponitur obedientia.

Et poſſumus quatuor notare quæ ſunt neceſſaria ad obedientiam. Primum eſt ut ſit ordinata. Et dico ordinata, quia primo deſerenda ſunt vitia, & poſtea obediendum eſt ad operationem virtutum. Hierem. IV. 3. „ Novate vobis novale, & nolite ſerere ſu„ per ſpinas &c. “ Et ideo hic dicitur, quod Ioſeph *exurgens a ſomno*, pigritiæ ſcilicet, & dubietatis. De hoc ſomno dicitur Epheſ. V. 14. „ Surge qui dormis, & exurge „ a mortuis. “ Secundum vero eſt quod debet eſſet feſtina; & hoc eſt quod dicitur, Eccli. V. 8. „ Non differas de die in diem, „ non tardes converti ad Dominum. Subito e„ nim veniet ira illius. “ Et ideo hic dicitur quod ſtatim *fecit ſicut præcepit ei*. Et Gloſſa: „ Quiſquis a Deo monetur, ſolvat

„ moras,

(a) *Al.* pendebant.

,, moras, ſurgat a ſomno, faciat quod iu- ,, betur. “ Tertium vero quod debet eſſe perfecta, ut non ſolum quod iubetur, ſed eo modo quo iubetur, fiat, & quo eis imperatur: unde hic dicitur, *Sicut præceperat*. Gloſſa: ,, Perfecta obedientia. “ Col. III. 20. ,, Filii obedite parentibus per omnia. “ Quartum quod debet eſſe diſcreta, ut obediatur cui obediendum eſt, & in quo, ut non fiat aliquid contra Deum: unde dicit quod *fecit ſicut præcepit ei Angelus*, non malus, ſed *Dei*. I. Ioan. IV. 1. ,, Nolite omni ſpiritui crede- ,, re, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: ,, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt ,, in mundum &c. “

Et accepit. Hic oſtenditur in quibus obedivit: & ponuntur tria. Primo obedientia quam exhibuit ad Angelum; ſecundo reverentia quam exhibuit ad matrem; tertio obſequium quod exhibuit Chriſto nato. Angelus præcepit Ioſeph: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Et fecit Ioſeph ſicut præcepit &c. Ubi patet quod invenit mulierem bonam.

Sed numquid non habebat eam in domo? Quare ergo dicit: *Exurgens .... accepit*?

Reſpondet Chryſoſtomus: ,, Quia eam non ,, eiecerat a domo, ſed a corde. “ Vel quia primo ducebatur, ſed poſtea celebrandæ ſunt nuptiæ: & tunc dicitur, & eſt coniux. Et ne aliquis ſuſpicaretur quod copula carnalis interveniret, ſubiungit: *Et non cognoſcebat eam*.

Ubi ſciendum, quod hoc verbum cognoſcere dupliciter accipitur in ſacra Scriptura. Quandoque pro agnitione. Ioan. XIV. 7. ,, Et amodo cognoſcetis eum, & vidi- ,, ſtis eum. “ Aliquando pro carnali copula, ſicut Gen. IV. 1. ,, Adam vero cognovit ,, uxorem ſuam Evam &c. “ ſcilicet carnaliter.

Sed obiicitur, quia non dicitur ſimpliciter, *Cognoſcebat &c.* ſed *Donec peperit filium ſuum*. Ergo poſtea cognovit: unde etiam dixit Elvidius: Quamvis virgo concepit Chriſtum, tamen poſtea habuit alios filios ex Ioſeph.

Et ideo dicit Hieronymus, quod *donec* aliquando ſignificat aliquid finitum & determinatum, ſicut ſi dicam: Non veniam donec comedo: quia poſtea ſignifico me venturum. Quandoque ſignificat infinite & indeterminate: v. g. I. Corin. XV. 25. ,, Oportet & illum regnare donec ponat omnes ,, inimicos ſub pedibus eius. “ Numquid poſtea non regnabit? immo; ſed ùtitur Scriptura tali modo loquendi, quia intendit removere illud quod poteſt eſſe dubium. Dubium enim eſſe poterat utrum regnaret quando non poſuerat inimicos ſub pedibus. Item dubium eſſe poterat cum Beata Virgo peperiſſet, an ante partum fuiſſet cognita a Ioſeph, quia primum nulli debebat venire in dubium. Scilicet quoniam Angeli decantaverunt: ,, Gloria in excelſis Deo, & in ter- ,, ra pax hominibus bonæ voluntatis! “ (Luc. II. 14.) & ideo hoc intendit Evangeliſta. Et argumentatur optime Hieronymus contra Elvidium: Tu dicis, Elvidi, quod ante non cognovit Ioſeph, quia fuit admonitus in ſomnis ab Angelo. Si ergo admonitio in ſomnis tantum valuit quod non coniungeret ſe Mariæ; quanto magis Angelorum cognitio, paſtorum, & Magorum adoratio? Chryſoſtomus autem accepit cognitionem pro agnitione intellectuali. *Non cognoſcebat*, ſcilicet quantæ dignitatis eſſet; ſed poſtquam peperit cognovit. Alii dicunt, quod accipitur pro agnitione ſenſibili; & ſic eſt ſatis probabilis horum opinio. Dicunt enim quod Moyſes ex locutione Domini habuit tantam claritatem in facie ut filii Iſrael non poſſent intendere in faciem eius: II. Cor. III. 7. Ergo ſi ex conſortio (a) Dei hoc habuit Moyſes, multo magis hæc Beata Virgo, quæ portavit eum in utero, habuit tantam claritatem in facie quod Ioſeph non cognoſcebat eam. Sed prima expoſitio eſt magis litteralis.

Item dicit Elvidius quod littera dicit: *Donec peperit filium ſuum primogenitum*. Primum dicitur reſpectu poſterioris: ergo habuit alios.

Reſpondet Hieronymus, quod conſuetum eſt in ſacra Scriptura quod primogeniti vocantur illi quos alii non præcedunt. Exod. XIII. dicitur quod primogeniti Iudæorum offerrentur Domino. Quærit Hieronymus: Numquid oportebat expectare quod non offerrentur donec naſceretur ſecundus? Ergo primogeniti dicuntur quos alii non præcedunt; & ſic intelligitur hic.

Sequitur obſequium. Lucas II. cap. plenius exequitur hoc; ſed Matthæus breviter tangit. Ita enim vult Spiritus ſanctus, quod quæ unus dixit, alius taceat. *Vocavit nomen eius Ieſum*. Iſtud quidem nomen non parum celebre fuit apud antiquos, & deſideratum. Gen. XLIX. 18. ,, Salutare tuum expectabo, ,, Domine. “ Et Habac. 3. XVIII. ,, Ego ,, autem in Domino gaudebo, & exultabo ,, in Deo Ieſu meo. “

(a) *Al.* verbi.

CAPUT II.

(a) CUm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.

(b) Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes ſacerdotum, & ſcribas populi ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſrael. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellę quę apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inveneritis renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Qui cum audiſſent Regem, abierunt.

(c) Et ecce ſtella quam viderant in oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer. Videntes autem ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

(d) Qui cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in AEgyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quęrat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & receſſit in AEgyptum; & erat ibi uſque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ex AEgypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet a Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, a bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat a Magis. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam, dicentem: Vox in Rama audita eſt, ploratus, & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in AEgypto dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri. Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Iſrael. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudęa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire: & admonitus in ſomnis, receſſit in partes Galilææ: & veniens habitavit in civitate quę vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam: Quoniam Nazaræus vocabitur.

(a) SUpra egit Evangeliſta de Chriſti generatione; hic intendit manifeſtare eius nativitatem: & primo, teſtimonio Magorum; ſecundo, teſtimonio innocentium, ibi, *Qui cum receſſiſſent*. Circa primum tria ponuntur: Primo enim annuntiatur Chriſti nativitas; ſecundo inquiritur locus; tertio inquiritur perſona. Secundum ibi, *Audiens autem Herodes*; tertium ibi, *Tunc Herodes*. Circa primum tria facit: primo enim proponitur Chriſti nativitas, cui teſtimonium perhibetur; ſecundo inducuntur teſtes; tertio ponitur teſtimonium. Secundum ibi, *Ecce Magi*; tertium ibi, *Ubi eſt qui natus eſt?* Circa primum quatuor tanguntur: nativitas, nomen nati, locus, & tempus. Primum ibi, *Cum ergo natus eſſet*. Et notandum, quod Lucas plenius exequitur nativitatem; ſicut e converſo Matthæus plenius exequitur de adoratione Magorum quam Lucas. Nomen tangitur ibi; *Ieſus*. Locus ibi, *In Bethlehem Iuda*; non Iudææ, quia Iudæa vocatur tota regio populi Iſraelitici; ſed *Iuda*: iſta eſt terra illa quæ venerat in ſortem, Iudæ. Dicitur Bethlehem Iudæ ad differentiam alterius Bethlehem quæ eſt in tribu Zabulon, de qua Ioſue

Digitized by Google

Ioſue XIX. Et nota quod iſta tria verba, *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis*, congrue ponuntur: Bethlehem enim ſignificat Eccleſiam, in qua natus eſt Ieſus, qui eſt verus panis; de quo Ioan. VI. 35. „ Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi. “ Nulli ergo provenit ſalus niſi ſit in domo Domini. In his ſalvator natus eſt Chriſtus. Eſa. LX. 18. „ Occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio &c. “ (a) Et addidit *Regis*, ad differentiam alterius Herodis: hic enim fuit ſub quo natus eſt Chriſtus, Aſcalonita; alius autem qui Ioannem occidit, fuit filius huius Herodis, & non fuit Rex.

Sed quæritur quare Scriptura facit mentionem de iſto tempore. Et dicendum propter tres rationes. Primo ut completam oſtendat eſſe prophetiam Iacob. Geneſ. penult. 10. „ Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium. “ Herodes enim fuit primus alienigena qui regnavit in Iudæa. Secunda ratio eſt quod maior morbus indiget maiori & meliori medico: populus autem Iſrael tunc erat in maxima afflictione ſub gentili dominio, & ideo indigebat maximo conſolatore. In aliis enim afflictionibus ſuis mittebantur eis prophetæ; ſed nunc propter magnitudinem afflictionis mittebatur eis prophetatum Dominus. Pſalm. XCIII. 19. „ Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. “

Inde ponuntur teſtes, ibi, *Ecce Magi*: & deſcribuntur tripliciter; a profeſſione, a regione, & a loco, ubi teſtimonium dederunt. De primo dicit, *Ecce Magi*, qui ſecundum communem uſum loquendi vocantur incantatores; ſed lingua Perſica vocat Magos Philoſophos & ſapientes. Iſti quidem venerunt ad Ieſum, quia gloriam ſapientiæ quam poſſidebant recognoverunt a Chriſto. Et ſunt quidem primitiæ gentium, quia primo venerunt ad Chriſtum. Et impletur, ſecundum Auguſtinum, in iſtorum adventu illud Eſa. VIII. 4. „ Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum &c. “ Ante enim quam Chriſtus loqueretur eripuit fortitudinem Damaſci, & divitias, & ſpolia Samariæ, ideſt idolatriam. Dimiſerunt enim illi idolatriam, & munera obtulerunt.

Item conſiderandum, quod ad Chriſtum venerunt aliqui ex Iudæis, ſcilicet paſtores; aliqui ex gentibus, ſcilicet Magi: ipſe enim Chriſtus eſt lapis angularis, qui fecit utraque unum. Et quare Magi & paſtores? Quia paſtores magis ſimplices, & iſti magis peccatores, ad ſignificandum quod Chriſtus utroſque (b) recipit.

Quot autem fuerint illi Magi, Evangeliſta non dicit. Videtur autem ſecundum munera, quod fuerunt tres (c) Reges, quamvis plures alii in eis repræſentabantur. Eſa. LX. 3. „ Ambulabunt gentes in lumine tuo. “

De ſecundo, ſcilicet de regione, dicit, *Ab oriente*.

Et notandum, quod quidam *ab oriente* exponunt a finibus orientis: ſed tunc quomodo in tam paucis diebus veniſſent? (d) Et reſpondetur (ut quidam dicunt) quod miraculoſe venerunt; alii quod dromedarios habuerunt. Chryſoſtomus tamen dicit, quod ſtella apparuit eis per duos annos ante nativitatem, & quod tunc ſe paraverunt, & venerunt Hieroſolymam in duobus annis, & tredecim diebus. Aliter autem poteſt exponi ut dicatur: *Ab oriente*, ideſt a quadam regione quæ erat prope Hieruſalem a parte orientali. Dicuntur enim iſti fuiſſe de ſecta Balaam, qui dixit Num. XXIV. 17. „ Orietur ſtella ex Iacob: “ qui Balaam habitabat iuxta terram promiſſionis in parte orientali.

Sequitur de loco: *Hieroſolymam venerunt*. Sed quare venerunt Hieruſalem? Duplex eſt ratio. Una quia erat civitas regia: unde Regem Iudæorum in regia civitate quærebant. Item hoc factum fuit ex divina diſpenſatione, ut primo teſtimonium ferretur de Chriſto in Hieruſalem: ut adimpleretur prophetia Eſa. II. 3. „ De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. “ Conſequenter ponitur teſtimonium ibi, *Ubi eſt qui natus eſt*? in quo tria dicunt. Primo denuntiant Regis nativitatem; ſecundo (e) afferunt nativitatis ſignum, ibi, *Vidimus enim ſtellam eius*; tertio profitentur pium propoſitum, ibi, *Et venimus adorare*. (f) Dicunt ergo, *Ubi eſt*? Conſiderandum autem, quod iſti Magi ſunt primitiæ gentium, & præfigurant in ſe ſtatum noſtrum: iſti enim aliquid ſupponunt, ſcilicet Chriſti nativitatem; & aliquid quęrunt, ſcilicet locum. Et quidem nos fide tenemus Chriſtum; ſed aliquid quærimus, ſcilicet ſpe: videbimus enim eum facie ad faciem. II. Cor. V. 7. „ Per fidem ambulamus, & non per ſpem. “

Sed quæſtio eſt. Cum ipſi audiſſent Regem eſſe in Hieruſalem, quomodo iſta dicebant?

(a) *Al.* Et addit. (b) *Al.* recepit. (c) *Al.* greges. (d) *Al. deeſt* Et. (e) *Al.* afferunt. (f) *Al.* Dicit.

bant? Omnis enim qui alium Regem profitetur in civitate Regis, ſe exponit periculo. Sed certe hoc zelo fidei faciebant: unde in iſtis nuntiabatur fides illa intrepida, infra 1. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*.

Conſequenter proponunt ſignum huius nativitatis, *Vidimus*. Et nota quod in iſtis verbis fuit occaſio duorum errorum. Quidam, ſicut Priſcillianiſtæ, dixerunt, omnes actus hominum fato agi & regi. Et confirmant per hoc: *Vidimus enim ſtellam eius*. Ergo natus eſt ſub aliqua ſtella. Alius error Manichæorum, qui reprobant fatum; & per conſequens iſtud Evangelium: quia dicebant quod Matthæus introducit fatum. Sed excluditur error utriuſque.

Sed antequam procedamus ad expoſitionem litteræ, oportet primo videre quid eſt fatum, & quomodo ſunt hæc credenda; & quomodo non. Nota ergo quod videmus multa in rebus humanis per accidens, & caſualiter accidere. Contingit autem aliquid caſuale & fortuitum eſſe relatum ad cauſam inferiorem, quod relatum ad cauſam ſuperiorem non eſt fortuitum: ſicut ſi aliquis dominus mittat tres ad quærendum aliquem, & unus neſciat (*a*) de alio; ſi occurrant ſibi invicem, eſt eis caſuale: ſed ſi referantur ad intentionem domini, non eſt caſuale. Sed ſecundum hoc fuit duplex opinio de fato. Quidam dixerunt quod iſta caſualia non reducuntur in aliam cauſam ſuperiorem ordinantem; & iſti ſuſtulerunt fatum, & ultra hoc omnem providentiam divinam. Et fuit, ſecundum Auguſtinum, hæc opinio Tullii. Sed dicemus, quod iſta caſualia reducuntur in cauſam ſuperiorem ordinantem. Sed cum fatum dicatur a for faris, quaſi quoddam pronuntiatum & prolocutum, a qua cauſa ſit iſta ordinatio, eſt differentia. Quidam enim dixerunt quod eſt ex virtute corporum ſupercæleſtium: unde dicunt fatum nihil aliud eſſe quam diſpoſitio ſiderum. Alii iſta contingentia reducunt in providentiam divinam. Sed primo modo negandum eſt eſſe fatum. Actus enim humani non reguntur ſecundum diſpoſitionem corporum cæleſtium; quod patet ad præſens, cum multæ ſint ad hoc rationes efficaces. Primo quia impoſſibile eſt quod virtus corporalis agat ſupra virtutem incorpoream: quia nihil inferius in ordine naturę agit in ſuperiorem naturam. In anima autem ſunt quædam potentiæ elevatæ ſupra corpus; quædam potentiæ ſunt organis affixæ, ſcilicet potentiæ ſenſitivæ, & nutritivæ: & corpora quidem cæleſtia, quamvis directe agant ſupra corpora inferiora, & mutent ea per ſe, per accidens tamen agunt in potentiis organis affixis: in potentiis autem organis non affixis nullo modo agunt neceſſitando, ſed inclinando tantum. Dicimus enim iſtum hominem iracundum, ideſt pronum ad iracundiam, & hoc ex cauſis cæleſtibus; ſed directe electio ut ſic in voluntate eſt. Unde numquam poteſt fieri tanta diſpoſitio in corpore humano quin ſuperabundet iudicium liberi arbitrii: unde quicumque poneret liberum arbitrium ſub corporibus cæleſtibus de neceſſitate, poneret ſenſum ab intellectu non differre. Secundo quia per hoc excluditur omnis cultus divinus: quia tunc omnia eſſent ex neceſſitate; & ſic tunc etiam regimen reipublicæ deſtrueretur: quia nec oporteret conſiliari, neque aliquid providere, & huiuſmodi. Tertio quia nos attribueremus Deo malitias hominum; quod eſſet ipſum infamare qui creator eſt ſtellarum. Patet ergo quod hoc dicere eſt contra fidem omnino. Et ideo dicit Gregorius: „ Abſit a fidelium cor„ dibus ut fatum aliquid eſſe dicatur. " Si autem vis vocari fatum divinam providentiam, tunc aliquid eſt. Sed, ſicut dicit Auguſtinus, quia nihil commune debemus habere cum infidelibus, non hoc nomen ei imponere debemus. Unde dicit: „ Linguam cor„ rigas, ſententiam teneas. " Non ergo poteſt dici: *Vidimus ſtellam*, ideſt a qua tota vita eius dependeat: quia, ſecundum Auguſtinum, tunc ſtella non ſequeretur generatum, quia tunc Chriſtus magis diceretur fatum ſtellæ, quam e converſo.

Et notandum, quod iſta ſtella non fuit de primis cauſatis: quod patet ex quatuor. Primo ex motu, quia nulla ſtella movetur de ſeptemtrione in meridiem. Regio autem Perſarum, unde iſti Magi veniebant, eſt poſita ad ſeptemtrionem. Item aliæ numquam quieſcunt; iſta autem non continue movebatur. Tertio ex tempore, quia in die nulla lucet; iſta autem de die præbebat lucem Magis. Quarto ex ſitu, quia non in firmamento, quod patet quia iſti per eam determinate diſtinxerunt domum. Ergo dicendum, quod iſta ſpecialiter creata fuit ad ſervitium Chriſti. Et ideo dicit: *Vidimus ſtellam eius*, ideſt ad obſequium eius factam.

Quidam autem dicunt, quod iſta ſtella fuit Spiritus ſanctus, qui, ſicut ſuper baptizatum apparuit in ſpecie columbæ, ita & nunc in ſpecie ſtellæ. Alii dicunt, quod fuit An-

(a) *Al.* de aliquo.

Digitized by Google

Angelus. Sed dicendum eſt, quod vera ſtella fuit. Et voluit oſtendi ſub (*a*) indicio ſtellæ, primo quia conveniebat ei: eſt enim Rex cælorum; & ideo per cæleſte indicium voluit manifeſtari. Pſal. XVIII. 1. „Cæli enar„rant gloriam Dei, & opera manuum eius „annuntiat firmamentum.“ Iudæis quidem per Angelos, per quos legem acceperant: Gal. III. 19. „Lex data eſt per Angelos:“ gentilibus per ſtellam, quia per creaturas in cognitionem Dei venerunt. Rom. I. 20. „Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt in„tellecta conſpiciuntur.“ Secundo quia congruebat his quibus demonſtrabatur, ſcilicet gentilibus, quorum vocatio promiſſa fuit Abrahæ in ſimilitudinem ſtellarum. Gen. XV. 5. „Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi „potes, &c.“ Unde tam in nativitate quam in paſſione factum eſt ſignum in cælo, quod omnibus gentibus Chriſtum notum fecit. Item congruebat omnibus, quia ipſe eſt ſalvator omnium. Sed dicit, *In oriente*, quod exponitur dupliciter, ſecundum Rabanum, ſic. Stella exiſtens in Iudæa, apparuit illis gentibus in oriente. Vel nos vidimus ſtellam in oriente. Iſtud melius dicitur. Unde (hoc cap.) *Ecce ſtella quam viderant in oriente, antecedebat eos*. Item patet ex hoc quod iſta ſecundum ſitum erat propinqua terræ, quia aliter non diſtinxiſſet locum: ergo non potuiſſet videri a tam remota regione.

Conſequenter ponitur pium propoſitum: *Et venimus adorare*.

Hic eſt duplex quæſtio. Dicit enim Auguſtinus: „Numquid iſti erant curioſi quod „quandocumque fieret aliquod indicium per „aliquam ſtellam quærerent Regem natum?“ Hoc enim ſtultum fuiſſet.

Sed dicendum, quod non præſtaverunt obſequium Regi terreno, ſed cæleſti: in quo virtus divina oſtenditur affuiſſe, quia aliter ſi terrenum Regem quæſiſſent, totam devotione amiſiſſent, quando vilibus pannis invenerunt involutum.

Sed quærit iterum Auguſtinus: Quomodo ex ſtella potuerunt ſcire quod homo Deus natus eſſet? Et reſpondet, quod hoc fuit Angelo revelante. Qui enim oſtendit eis ſtellam miſit Angelum qui hoc revelaret. Leo Papa dicit, quod ſicut exterius oculi replebantur lumine iſtius ſtellæ, ita interius radius (*b*) divinus revelabat.

Tertia ratio, quia iſti erant de ſtirpe Balaam, qui dixit (Num. XXIV. 17.) „Orietur „ſtella ex Iacob.“ Unde habuerunt a prophetia eius. Et ideo videndo tantam claritatem ſtellæ, ſuſpicati ſunt quod Rex cæleſtis natus eſſet; & ideo quærebant. Et hoc eſt, *Et venimus adorare*. In hoc impletum eſt illud Pſal. LXXI. 11. „Et adorabunt eum o„mnes Reges, omnes gentes ſervient ei.“

(b) Prænuntiata Chriſti nativitate per Magos, hic inquirit de loco nativitatis: & ponuntur tria. Primo ponitur motivum ad inquirendum; ſecundo imponitur inquiſitio; tertio inventio veritatis. Secundum ibi, *Et congregans*; tertium ibi, *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iuda*. Motivum fuit turbatio Herodis. Unde, *Audiens*. Et ſignanter vocat Herodem Regem, ut oſtendat eſſe alium a Rege quem quærebant. Fuit autem triplex cauſa turbationis. Prima proceſſit ex ambitione quam habebat circa cuſtodiam regni ſui, propterea quia alienigena erat. Sciebat enim, vel audiverat illud Daniel. II. 44. „In diebus regnorum Iſrael ſuſcitabit Deus „cæli regnum quod in æternum non diſſipabi„tur, & regnum eius alteri populo non „tradetur &c.“ Sed in hoc decipiebatur, quia regnum illud ſpirituale erat. Ioan. VIII. 36. „Regnum meum non eſt de hoc mun„do.“ Unde Herodes turbabatur timens amiſſionem regni ſui: ſed magis turbabatur diabolus timens regni ſui (*c*) deſtructionem totalem. Ioan. XII. 31. „Nunc princeps mun„di huius eiicietur foras.“

Et nota, quod homines (ſicut dicit Chryſoſtomus) in ſublimibus conſtituti, ex levi verbo contra prolato conturbantur. Pſalm. LXXXVII. 6. „Exaltatus autem, humiliatus ſum, & con„turbatus.“ Humiles autem numquam timent.

Secunda cauſa proceſſit ex timore (*d*) Romani Imperii. Statutum enim erat a Romano Imperio quod nullus Deus, aut Rex diceretur ſine eorum conſenſu: unde timebat; ſed iſte timor mundanus erat, qui prohibetur. Eſa. LI. 12. „Quis tu ut timeas ab homine „mortali, & filio hominis, qui quaſi fenum „ita areſcet?“ Tertia ex rubore verecundiæ. Verecumdabatur enim coram populo ut alius Rex vocaretur, ſimilis in hoc Sauli, qui dixit (I. Reg. XV. 30.) „Peccavi, „ſed rogo honora me coram ſenioribus popu„li mei, & coram Iſrael &c.“ Sed mirum quod ſequitur: *Et omnis Hieroſolyma cum illo*. Videbatur enim quod deberent gaudere. Sed ſciendum quod triplicem cauſam turbationis habuerunt. Prima fuit ipſorum iniquitas: iniqui enim erant, quibus ſemper deteſtabilis eſt converſatio iuſtorum. Prover. XIII. 19. „Deteſtantur ſtulti eos qui fu-

„giunt

(a) *Al.* iudicio. (b) *Al.* divinum. (c) *Al.* detractionem. (d) *Al.* humani.

Digitized by Google

„ giunt mala. “ Secunda ut placerent Herodi. Eccli. x. 2. „ Secundum iudicem po„ puli, ſic & miniſtri eius. “ Tertia quia timebant ne Herodes hoc audito amplius deſæviret in gentem Iudæorum.

Myſtice autem in hoc ſignificatur quod iſte terrenus erat. Gregorius: „ Rex terræ tur„ batus eſt, cæli Rege nato, quia nimirum „ terrena altitudo confunditur cum cæle„ ſtis celſitudo (*a*) aperitur. “ Eſa. xxiv. 21. „ Erubeſcet luna, & confundetur ſol „ cum regnaverit Dominus exercituum in „ monte Sion, & in Hieruſalem. “ Et notandum quod, ſicut dicit Auguſtinus: „ Quid „ autem erit tribunal iudicantis, quando ſu„ perbos Reges cuna terrebat infantis? Per„ timeant Reges ad dexteram patris ſeden„ tem, quem Rex impius timuit matris ube„ ra lambentem. “

Et congregans. Hic ponitur inquiſitio. Et, ſicut dictum eſt, Herodes ſolicitus erat inquirere & propter regnum, & propter timorem Romanorum: unde inquiſivit veritatem. Sed ad (*b*) habendam certitudinem de aliquo tria requiruntur ab inquirentibus. Creditur enim multitudini, auctoritati, & litteratis. Unde congregavit multos, & auctoritatem habentes, & ſapientes. Et hoc eſt quod dicit, *Congregans omnes*, quantum ad primum. Sap. vi. 26. „ Multitudo ſapientium ſa„ nitas eſt orbis terrarum. “ *Principes Sacerdotum*, quantum ad ſecundum. Malach. ii. 7. „ Labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, „ & legem requirunt ex ore eius. “ *Et ſcribas*, quantum ad tertium: non ad ſcribendum tantum dicitur, ſed ad interpretandum legis ſcripturam: per iſtos quidem volebat inveſtigare veritatem. Eccli. xxxii. 13. „ In medio „ magnatorum loqui non præſumas, & ubi „ ſunt ſenes non multum loquaris. “ *Sciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur*. Magi Regem vocaverunt; ſed ipſi Chriſtum quærebant. Sciebant enim ex converſatione cum Iudæis Regem Iudæorum legitimum inungi.

Sed quæritur: Aut ipſe credebat prophetiæ, aut non. Si credebat, ſciebat quod non poterat impediri quin ipſe regnaret: quare ergo interfecit pueros? Si non credebat, quare ergo quærebat?

Sed dicendum, quod non perfecte credebat, quia ambitioſus erat; & ambitio hominem cæcum reddit.

At illi dixerunt: *In Bethlehem Iuda*. Hic invenitur veritas: & primo ponitur veritas; ſecundo confirmatur eius prophetia, ibi, *Et tu Bethlehem terra Iuda*.

Et ſciendum, quod Chriſtus voluit naſci in Bethlehem propter tria. Primo ad vitandam gloriam: propter hoc enim elegit duo loca: unum in quo naſci voluit, ſcilicet Bethlehem; alium in quo paſſus fuit, ſcilicet Hieruſalem. Et hoc eſt contra illos qui gloriam quærunt, qui volunt naſci in ſublimibus locis, & nolunt pati in loco honoris. Ioan. viii. 50. „ E„ go gloriam meam non quæro. “ Secundo ad confirmationem ſuæ doctrinæ, & oſtentationem ſuæ veritatis. Si enim natus fuiſſet in aliqua magna civitate, virtus ſuæ doctrinæ potuiſſet adſcribi humanæ virtuti. II. Corin. viii. 9. „ Scitis gratiam Domini no„ ſtri Ieſu Chriſti. “ Tertio ad oſtendendum ſe eſſe de genere David. Luc. ii. 3. „ Ioſeph „ & Maria ibant in Bethlehem ut profiteren„ tur ibi, eo quod eſſent de domo & fa„ milia David. “ Competit etiam (*c*) myſterio, quia Bethlehem interpretatur domus panis: & Chriſtus eſt ille „ panis vivus, qui de „ cælo deſcendit: “ Ioan. vi. 51.

Conſequenter confirmatur veritas. Unde, *Et tu Bethlehem terra Iuda*. Ex iſta prophetia duo poſſemus conſiderare. Magi enim aliquid annuntiabant, & aliquid quærebant. Et ex iſta prophetia oſtenditur utrumque. Quia quantum ad primum dicit, *Et tu Bethlehem*; quantum ad ſecundum dicit: *Ex te enim exiet dux*. Et ita confirmatur nativitas Chriſti duplici teſtimonio, ſcilicet ſtellæ, & prophetiæ: quia in ore duorum vel trium teſtium eſt veritas. Deut. xix. 15. „ In ore duorum „ aut trium teſtium ſtabit omne verbum. “

Et nota, quod quando erant omnes infideles, data ſunt ſigna corporalium; quando iam erant fideles data eſt prophetia. I. Corinth. xiv. 22. „ Itaque linguæ in ſignum ſunt non „ fidelibus, ſed infidelibus; prophetiæ autem „ non infidelibus, ſed fidelibus. “

Et ſciendum, quod Iudæi dupliciter defecerunt in prolatione prophetiæ: quia ibi (Mich. v. 2.) (*d*) dicitur: „ Et tu Bethlehem „ Ephrata: “ & iterum quia non eſt ibi: *Nequaquam minima es*. Et poteſt aſſignari duplex ratio quare mutaverunt. Uno modo poteſt dici, quod hoc fecerunt ex ignorantia. Alio modo poteſt dici quod iſti uſi ſunt ſcienter aliis verbis, & dicunt ſententiam: quia cum Herodes eſſet alienigena, non intellexiſſet auctoritatem prophetæ; & ideo dixerunt illud quod notum erat Herodi: unde dicunt: *Terra Iuda*, &, *Nequaquam minima es*; ideſt, tu non es minima inter millia hominum Iuda: vel *in principibus Iuda*, ideſt inter principales civitates Iuda. *Ex te enim exiet*

(a) *Al.* prædicatur. (b) *Al.* ſciendum. (c) *Al.* in myſterio. (d) *Al.* non dicitur.

iet dux qui regat populum meum Iſrael. De iſto duce habetur Dan. IX. 25. „ Uſque ad „ Chriſtum ducem. “ Et Pſal. XXX. 5. „ Dux „ mihi eris. “ Regit enim populum Iſrael non ſolum carnaliter, ſed etiam ſpiritualiter. Rom. XI. 1. „ Numquid Deus repulit populum „ ſuum ? &c. “ Pſal. LXXIX. 2. „ Qui regis „ Iſrael intende, qui deducis velut ovem Io„ ſeph. “ Et nota quod truncant caudam auctoritatis, ſcilicet „ Et egreſſus eius ſicut ab „ initio, a diebus æternitatis : “ per quod inſinuatur quod non debebat eſſe Rex terrenus, ſed cæleſtis : quod ſi ſciviſſet Herodes, non fuiſſet impius: unde fuerunt cauſa necis illorum. Item ex illa etiam cauda patet eſſe falſam interpretationem Iudæorum, qui exponunt de Zorobabel: quia non convenit ei, „ Et egreſſus eius ab initio a diebus „ æternitatis. “ Item non in Iudæa, ſed in Babylone natus eſt.

Conſequenter inquiritur de perſona nati, cum dicit: *Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis*. Et primo ponitur inquiſitio ; ſecundo inventio inquiſiti, ibi, *Invenerunt eum &c.* tertio veneratio inventi, ibi, *Et procidentes adoraverunt eum*. Ad inquirendum perſonam ex duobus moti ſunt. Ex perſuaſione Herodis, & ex ductu ſtellæ. Unde circa primum ponitur exhortatio ; ſecundo ſtudium Magorum in mutatione ſtellæ, ibi, *Qui cum audiſſent Regem, abierunt*. Circa primum tria ponuntur. Primo enim inquirit tempus ; ſecundo annuntiat locum, ibi, *Et mittens illos in Bethlehem* ; tertio iniungit officium inquiſitionis, ibi, *Ite, & interrogate diligenter de puero*. Dicit ergo : *Tunc Herodes*. Ubi conſiderandum, quod Iudæi ſciebant locum, ſed non tempus. Unde confutantur a Domino, Luc. XIX. 44. „ Eo quod non cognoviſti tempus „ viſitationis tuæ: “ & Eſa. I. „ Cognovit bos „ poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Do„ mini ſui; Iſrael autem me non cognovit, „ & populus meus non intellexit. “ Ergo inquiritur tempus. Et dicit Chryſoſtomus, quod per biennium ante apparuit (a) iſtis ſtella. Alii autem quod in ipſa die nativitatis. Annuntiat locum, ibi, *Et mittens*. Iungit officium inquiſitionis, ibi, *Ite, & interrogate &c.* Et admonet duo : & ad hoc quod impleant præmittit tertium. Quantum ad primum dicit : *Ite &c.* Et quærit inſidioſe ad occidendum, ſicut illi quibus dicitur Ioan. VII. 34. „ (b) Quæretis me, & non inve„ nietis. “ Quantum ad ſecundum dicit ſic: *Cum inveneritis renuntiate mihi* : & hoc propter malum etiam dicebat. Eccli. XIII. 14. „ Ex multa loquela tentabit te. “ Quantum ad tertium dicit : *Ut & ego veniens adorem eum* : & quidem doloſe promittit Dei cultum. Hierem. IX. 8. „ Sagitta vulnerans lin„ gua eorum dolum locuta eſt. “ Pſal. XXVII. 3. „ Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, „ mala autem in cordibus eorum. “

Et nota, quod cum Magi profiterentur Regem, iſte vocat puerum, quia ex abundantia cordis os loquitur. Nota etiam, quod petit a Iudæis ubi Chriſtus naſceretur, volens experiri, & tentare utrum gauderent.

Conſequenter ponitur ſtudium Magorum. Duo iniunxerat, quod inquirerent, & reverterentur. Sed unum fecerunt Magi: unde, *Qui cum audiſſent Regem, abierunt*. Aliud autem non fecerunt. Tales quidem debent eſſe auditores, quod bona addiſcant, mala vero relinquant. Infra XXIII. 3. *Quæ dicunt facite, ſecundum opera eorum nolite facere, &c.*

(c) Supra Evangeliſta poſuit unum motivum Magorum, ſcilicet perſuaſionem Herodis ; hic ponit aliud motivum Magorum ad inquirendum Chriſtum, ſcilicet ducatum ſtellæ: & circa hoc duo facit. Primo enim ponit ducatum ſtellæ ; ſecundo effectum lætitiæ huius ducatus, ibi, *Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valde*. Et nota, quod ſtella primum exequitur ſuo motu, quia directe ducebat Magos ad Chriſtum: item manifeſtat ſuo ſtatu pueri locum, ibi, *Uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer*. Unde quantum ad primum dixit : (c) *Antecedebat eos*. Ex hoc autem quod dicit : *Ecce ſtella quam viderant in oriente, antecedebat eos*, datur intelligi quod quando Magi declinaverunt in Hieruſalem, ſtella diſparuit ; recedentibus autem ab Herode, apparuit. Diſparuit autem propter tria. Primo propter confuſionem Iudæorum, qui cum inſtructi eſſent in lege, ut Chriſtum quærerent, & gentes non eſſent inſtructæ ; tamen gentes quærunt, & Iudæi contemnunt. Unde impletur illud Eſa. LV. 5. „ Gentes quæ te non „ cognoverunt ad te current. “ Secundo propter Magorum inſtructionem : non enim ſolum per ſtellam Dominus voluit ſe eis manifeſtare, ſed etiam per legem, ut ſic adiungeretur cognitioni creaturarum cognitio legis. „ In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne „ verbum : “ Deuteron. XIX. 15. Eſa. VIII. 20. (d) „ Ad legem magis, & ad teſtimonium. “ Tertio propter inſtructionem noſtram : & inſtruimur de duobus, ſecundum Gloſſam. Primo quod qui humanum auxilium quærunt deſerun-

(a) *Al.* iſta. (b) *Al.* Quæritis. (c) Al. *Uſque dum veniens*. (d) *Al.* „ Numquid ad legem? “

Digitized by Google

ſeruntur a divino: illicitum eſt enim humanum auxilium quærere, non quærendo divinum. Eſa. xxxi. 1. „ Væ qui deſcenditis in „ AEgyptum ad auxilium, in equis ſperan- „ tes, habentes fiduciam ſuper quadrigis, „ quia multæ ſunt, & ſuper equitibus, quia „ prævalidi nimis, & non ſunt confiſi ſuper „ Sanctum Iſrael, & Dominum non requi- „ ſierunt. " Secundo inſtruimur quantum ad hoc quod nos, qui fideles ſumus, non debemus quærere ſigna ſicut iſti, qui videntes ſtellam gaviſi ſunt &c. Sed debemus eſſe contenti doctrinis prophetarum, quia ſigna data ſunt infidelibus. In hoc etiam eſt duplex myſterium. Stella enim ſignificat Chriſtum. Apoc. ult. 16. „ Ego ſum radix David, ſtella „ ſplendida, & matutina. " Unde per iſtam ſtellam intelligere poſſumus gratiam Dei: quam amittimus, cum ad Herodem, ideſt diabolum, accedimus. Epheſ. v. 8. „ Eratis a- „ liquando tenebræ, nunc autem lux in Do- „ mino. " Item cum ab Herode, id eſt diabolo, recedimus, ſtellam, id eſt Chriſti gratiam, invenimus. Simile Exo. xiii. 21. „ ubi „ dicitur, quod, Dominus præcedebat Iſrael „ quando exivit de AEgypto in ſpecie ignis, „ &c. " Hic autem præcedebat in ſpecie ſtellæ. *Uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer*. Duo intelligimus hic. Unum quod iſta ſtella non erat multum alta, quia aliter non diſcreviſſent domum pueri. Aliud quod ſtella completo officio ſuo redacta eſt in ſuam materiam. *Ubi erat puer*. Frequenter puerum vocat, ut ſcias illum eſſe de quo dicitur Eſa. ix. 6. „ Puer natus eſt nobis. " Conſequenter ponitur effectus ducatus huius, quantum ad Magos: unde, *Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt, &c.* Gaviſi ſunt propter ſpem quam recuperaverunt: timebant enim (quia de longinquis partibus venerunt) amittere quod ſperabant. Rom. xii. 12. „ Spe gauden- „ tes. " Item addit, *Gaudio*. Aliqui enim gaudent, & non gaudent, quia lætitia humana non eſt perfectum gaudium. Prov. xiv. 13. „ Extrema gaudii luctus occupat. " Verum autem & perfectum gaudium de Deo eſt. Eſa. lxi. 10. „ Gaudens gaudebo in Do- „ mino, & exultabit anima mea in Deo „ meo. " Tertio (a) addit, *Magno*, quia iſti magna iam cognoſcebant de Deo, quia Deum incarnatum, & multum miſericordem. Eſa. xii. 6. „ Exulta, & lauda habitatio Sion, „ quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael. " Quarto addit, *Valde*, quia intenſe gaudebant. Recuperaverant enim quod amiſerant. Luc. xv. 10. „ Gaudium erit Angelis Dei, &c. "

Conſequenter agitur de inventione pueri: unde *Et intrantes domum, invenerunt puerum*. Et tangit tria. *Domum*: quam ſi quæratur qualis erat, oſtenditur Luc. ii. Item ſi quæratur qualis puer, in nullo ab aliis differebat, ſicut dicunt ſancti. Quantum ad apparentiam, non loquebatur, infirmus videbatur, & huiuſmodi. Item ſi quæratur qualis Mater, reſpondetur qualis eſt uxor carpentarii. Et hoc ideo dico, quia ſi iſti quæſiviſſent Regem terrenum, videndo iſta ſcandalizati fuiſſent; ſed videntes vilia, & conſiderantes altiſſima, moti ſunt ad admirationem, & adoraverunt eum. Et hoc eſt *Et procidentes adoraverunt eum*.

Sed quare non fit mentio de Ioſeph? Dicendum quod divina diſpenſatione factum eſt quod non adeſſet, ne iſtis qui primitiæ gentium erant, daretur ſuſpicio pravæ opinionis.

Conſequenter tangitur reverentia quam exhibuerunt ad puerum, ibi, *Et procidentes*. Et fuit triplex: in adorando, offerendo, & obediendo. Dicit ergo: *Et procidentes adoraverunt eum*, tamquam Deum in homine latentem. Pſa. lxxi. 9. „ Coram illo procident „ AEthiopes. " Item offerendo, reverentiam exhibuerunt: unde *Et apertis theſauris ſuis*: conſuetudo enim erat apud Perſas quod ſemper cum munere adorabant: & hoc eſt *Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*. Pſalm. lxxi. 10. „ Reges Tharſis, & inſulæ munera offe- „ rent, Reges Arabum, & Saba dona addu- „ cent. Eſa. lx. 6. „ Omnes de Saba venient, „ aurum, & thus deferentes, & laudem Do- „ mino annuntiantes. "

Myſtice conſiderandum eſt, quod iſti non in via, ſed tunc primo aperuerunt theſaurum, quando venerunt ad Chriſtum. Similiter nos bona noſtra in via non debemus maniſeſtare: unde reprehenditur hoc infra xxv. de virginibus, & xiii. 44. dicitur: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.*

Obtulerunt ei munera, &c. Aliqui aſſignant rationem iſtorum munerum litteralem: & dicunt iſti quod tria invenerunt; domum ſordidam, puerum infirmum, & matrem pauperem. Et ideo obtulerunt aurum ad ſuſtentationem matris, myrrham ad ſuſtentationem membrorum pueri, thus ad tollendum fœtorem. Sed dicendum, quod aliquid myſtice hic prætenditur, & potius iſta tria ad tria referuntur quæ offerre debemus; ſcilicet fidem, actionem, & contemplationem.

(a) *Al.* addidit, *Magna*, quia iſta.

nem. Quantum ad fidem dupliciter. Primo quantum ad ea quæ in Chriſtò concurrunt. Scilicet regia dignitas. Hiere. xxiii. 5. „ Regnabit Rex, & ſapiens erit, &c. “ Et ideo in tributum obtulerunt aurum. Sacerdotii magnitudo; & ideo thus in ſacrificium. Hominis mortalitas; & ideo myrrham. Item quantum ad fidem Trinitatis, quia deſignantur in nobis perſonæ Trinitatis. Secundo poſſunt referri ad actionem noſtram. Per aurum enim poteſt ſignari ſapientia. Prover. ii. 5. „ Si quaſi theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini. “ Per thus oratio devota. Pſal. cxlii. „ Dirigatur, Domine, oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo &c. “ Per myrrham mortificatio carnis. Col. iii. 5. „ Mortificate membra quæ ſunt ſuper terram. “ Can. v. 5. „ Manus meæ diſtillaverunt myrrham. “ Quantum autem ad contemplationem, per iſta tria poſſunt ſignificari vel tres ſenſus ſacræ Scripturæ; ſcilicet litteralis, ſub quo comprehenditur allegoricus; anagogicus; & moralis. Vel tres partes Philoſophiæ; ſcilicet moralis, logica, & naturalis. Omnibus enim his debemus uti ad ſervitium Dei.

Conſequenter ponitur quomodo reverentiam exhibuerunt in obediendo: unde: *Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.*

Sed quomodo reſponſum acceperunt qui non interrogaverunt. Sed dicendum, quod Dominus reſpondet aliquando interrogationi mentali; & iſti intus quætebant quid placeret Deo de reverſione. Exod. xiv. 15. „ Quid clamas ad me? “ Sed numquid ſunt revelationes immediate a Deo? Dionyſius probat quod non, niſi mediantibus Angelis. Quare ergo non nominat Angelum? Sed dicendum, quod quandocumque Scriptura facit mentionem de Deo, & non de Angelo, hoc fit per quamdam excellentiam illius manifeſtationis. Gal. iii. 19. „ Lex ordinata per Angelum in manu mediatoris. “ Act. vii. 37. „ Hic eſt Moyſes qui dixit filiis Iſrael: „ Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris: tamquam meipſum audietis, „ &c. “ Unde quod dicit Gloſſa, quod hoc fuit immediate per Deum, refertur ad modum loquendi Scripturæ.

Per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. In hoc oſtenditur quod ad regionem noſtram paradiſum, a qua per peccatum expulſi ſumus, per obedientiam pervenimus. Prover. iv. 27. „ Vias quæ a dextris ſunt novit Dominus, perverſæ vero ſunt quæ „ ſunt a ſiniſtris. “ Chryſoſtomus hic dicit, quod iſti reverſi egerunt ſanctam vitam, & poſtea facti ſunt coadiutores S. Thomæ Apoſtoli; tamen nihil de eis invenitur ſcriptum in ſacra Scriptura poſt receſſum eorum.

(d) Supra habitum eſt quomodo naſcenti Chriſto Magi teſtimonium perhibuerunt; nunc autem agitur quomodo innocentes teſtimonium perhibent, non loquendo, ſed moriendo: & circa boc tria facit Evangeliſta: primo enim ponitur occultatio Chriſti; ſecundo interfectio puerorum, ibi, *Tunc Herodes*; tertio ponitur reditus ipſius Chriſti, ibi, *Defuncto Herode*. Circa primum tria facit: primo enim ponitur admonitio Angeli; ſecundo oſtenditur obedientia Ioſeph; tertio impletio prophetiæ. Secundum ibi, *Ut adimpleretur*. Circa primum tria tanguntur. Primo ponitur tempus apparitionis; ſecundo deſcribitur ipſa apparitio, & modus apparitionis, ibi, *Ecce Angelus*; tertio ponitur ipſa admonitio facta per Angelum, ibi, *Surge, & accipe puerum*. Tempus deſcribitur ibi, *Qui cum receſſiſſent*. Et intelligendum, quod non ſtatim poſt receſſum Magorum facta eſt iſta apparitio, quia totum quod dicitur Luc. ii. 6. debet interponi, ſcilicet de purificatione: „ Poſtquam impleti ſunt dies, &c. “ Non enim Herodes ſtatim cogitavit de interſectione puerorum. Unde cum dicit, *Qui cum receſſiſſent*, debet interponi tota hiſtoria purificationis. Conſequenter ponitur ipſa appatitio: unde: *Ecce Angelus apparuit in ſomnis, &c.* In ſomnis dicitur apparere, quia tunc homines ab actibus exterioribus ceſſant; & talibus fit revelatio per Angelos. Pſal. iv. 9. „ In pace in idipſum dormiam, „ & requieſcam. “ Prover. iii. 24. „ Quieſces, & ſuavis erit ſomnus tuus. “ In iſta admonitione tria ponuntur. Primo enim perſuadet Angelus fugere; ſecundo determinat moram; tertio aſſignat cauſam. Dicit ergo, *Surge*.

Et nota quod, ſicut dicit Hilarius, Beata Virgo ante nativitatem ab Angelo nominatut coniux, ſupra i. 5. ſed poſt nativitatem non: & boc propter duo. Primo ad commendationem Virginis: ſicut enim virgo concepit, ita virgo peperit. Secundo propter dignitatem eius: erat enim mater Dei, qua dignitate nulla maior; & denominatio fit a digniori. Item quod, ſicut dicit Chryſoſtomus, puer non venerat propter matrem, ſed potius e converſo: & ideo dicit: *Accipe puerum, & matrem eius, &c.*

Sed quare *Fuge in Ægyptum*? Nonne dicit Pſal. xviii. 15. „ Dominus adiutor „ meus, & tedemptor meus. “

Sed ſciendum, quod propter ttia fugit.

Primo ad manifeſtandam ſuam humanitatem: ſicut enim divinitas in ſtella apparuit, ita humanitas in fuga. Phil. II. 7. „ In ſimili-„ tudinem hominum factus. " Secundo propter exemplum: illud enim exemplo (a) oſtendit quod verbo docuit. Infra x. 23. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*. Tertio propter myſterium: ſicut enim voluit mori ut nos a morte revocaret, ita voluit fugere, ut fugientes a facie ſua propter peccatum revocaret. Pſ. CXXXVIII. 7. „ Quo ibo a ſpiritu tuo?

Et eſto ibi. Sed quare potius (b) in AEgyptum quam alibi in aliam regionem?

Dicendum propter duas rationes. Prima eſt quia proprium eſt Dei ut memor ſit miſericordiæ in ira: Habac. III. 8. Dominus enim iratus fuit contra AEgyptios proſequentes filios Iſrael: quia filii Iſrael erant primogenitus Dei. Et ideo datum eſt ei ut obſequeretur Unigenito. Eſa. XIX. 1. „ Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem le-„ vem, & ingredietur AEgyptum, &c. " Ibid. IX. 2. „ Populus qui ambulabat in te-„ nebris, vidit lucem magnam; habitantibus „ in regione umbræ mortis, lux orta eſt „ eis. " Ioan. I. 14. „ Vidimus gloriam „ eius, gloriam quaſi unigeniti a patre ple-„ num gratiæ, & veritatis. " Secunda quia ipſe induxerat tenebras in AEgypto, ideo voluit eam primo illuminare: & ideo bene ibi fugit. Eſa. IX. 2. „ Populus qui ambu-„ labat in tenebris, vidit lucem magnam; ha-„ bitantibus in regione umbræ mortis lux „ orta eſt eis. "

Nota (c) quod quando aliquis vult fugere peccatum, primo debet excutere pigritiam. Epheſ. V. 14. „ Surge qui dormis, & „ exurge a mortuis, & illuminabit te Chri-„ ſtus. " Secundo debet accipere fiduciam a matre, & filio, ſcilicet Chriſto. Eccli. XXIV. 24. „ In me omnis ſpes vitæ, & vir-„ tutis. " Tertio debet fugere a peccato adiutus auxilio matris, & pueri. Pſal. LIV. 8. „ Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſo-„ litudine. "

Subdit cauſam huius fugæ: *Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum*. Deceptus fuit Herodes, quia voluit perdere qui venerat regnum ſuum communicare. Luc. XXII. 29. „ Et ego diſpono vo-„ bis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum. " (d) Secundo quia eum qui non gloriam mundanam quærebat. Heb. XII. 2. „ Qui pro-„ poſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem. "

Qui conſurgens. Hic ponitur executio mandati Angelici; & ponit eam quantum ad fugam, & quantum ad moram. Unde *Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius*. Et fit mentio de tempore: unde dicit, *Nocte*, propter timorem, & tribulationem, ſecundum illud Eſa. XXVI. 9. „ Anima mea „ deſideravit te in nocte, " ideſt in tribulatione: in tribulationibus enim recurrendum eſt ad Deum. Oſeæ VI. 1. „ In tribu-„ latione ſua mane conſurgent ad me. *Qui conſurgens*. Tunc adimpletum eſt illud Eſa. XIX. 1. „ Ecce Dominus aſcendet ſuper nu-„ bem levem, & ingredietur Egyptum: " quod ad litteram impletum eſt. *Et erat ibi*. Dicitur quod ſeptem annos fuit ibi, & habitavit in civitate Heliopolim.

Quantum autem ad myſterium, per Ioſeph ſignantur prædicatores, hoc eſt Apoſtoli, qui ponuntur ad expellendas tenebras per doctrinam; qui recedentes a Iudæis converſi ſunt ad gentes. Act. XIII. 16. „ Vobis „ oportebat primum loqui verbum Dei; ſed „ quoniam repellitis illud, & indignos vos iu-„ dicatis æternæ vitæ, ecce convertimur „ ad gentes. " *Et eſto ibi uſque dum dicam tibi*; ideſt, uſquequo finiatur infidelitas Iudæorum. Rom. II. 25. „ Cæcitas ex parte „ contigit in Iſrael. "

Conſequenter adhibet teſtimonium prophetiæ: unde dicit: *Ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam*. Iſtud eſt, ſecundum translationem Hieronymi, Oſeæ XI. 1. In translatione autem Septuaginta non eſt ita; ſed *Ex AEgypto vocavi filium eius*.

Videtur hic eſſe quæſtio, quia non videtur hoc facere ad propoſitum, quia præmittitur ibi, „ Puer Iſrael &c. " & ſic loqui videtur de vocatione Iſrael de AEgypto.

Sed dicendum, quod in omnibus auctoritatibus quæ in Evangeliis, vel in epiſtolis ponuntur de Chriſto, quædam diſtinctio notanda eſt: quia quædam dicuntur ſpecialiter de Chriſto, ſicut illud Eſa. LIII. 7. „ Tam-„ quam ovis ad occiſionem ducetur: " quædam autem dicuntur de quibuſdam ſecundum quod duxerunt figuram Chriſti; & ſic eſt iſta auctoritas. Iſti enim non fuerunt filii Iſrael, niſi inquantum ſimilitudinem geſſerunt veri filii unigeniti, & hoc eſt *Ex AEgypto vocavi filium meum*, ſcilicet ſpecialem.

Tunc Herodes. Hic agitur de interfectione puerorum: & circa hoc duo facit. Primo ponitur occaſio interfectionis; ſecundo ponitur interfectio, ibi, *Et mittens occidit omnes pueros*; tertio inducuntur prophetiæ, ibi, *Tunc*

(a) *Al.* docuit. (b) *Al.* in Egypto. (c) *Al.* Nota quando. (d) *Al.* Secundo qui.

Digitized by Google

Tunc impletum eſt. Occaſio fuit ira Herodis: unde: *Tunc Herodes* (a) *iratus eſt*. Iac. I. 20. „ Ira viri iuſtitiam Dei non operatur. “ (b) Et notandum quod quando aliquis Rex amiſſionem regni ſuſpicatur, cito iraſcitur, & accenditur. *Videns quoniam illuſus eſſet a Magis, iratus eſt valde*. Et dicitur iratus valde propter duo: quia quando aliquis iraſcitur, de modica occaſione fortiter accenditur: unde quia in ſuſpicione erat amiſſionis regni, & illuſus fuit a Magis, *iratus eſt valde*. Eccli. XI. 34. „ A ſcintilla una „ augetur ignis. “ *Et mittens*. (c) In ira iſta fuit crudelitas quantum ad tria: quantum ad locum, quantum ad multitudinem, & quantum ad tempus. Quantum ad multitudinem, ut unum quæreret, omnes occidit: unde dicitur: *Et mittens occidit omnes pueros*. Et nota quod dicit Auguſtinus, quod „ iſte „ numquam profuiſſet tantum obſequio, quan„ tum profuit odio. “

Sed quæritur, cum non habuerint liberum arbitrium, quo modo dicti ſunt mori pro Chriſto.

Sed ſicut dicitur Ioan. III. 17. „ Non miſit „ Deus filium ſuum in mundum ut iudicet „ mundum; ſed ut ſalvetur mundus per „ ipſum. “ Numquam enim Deus permiſiſſet eos occidi, niſi fuiſſet eis utile: unde dicit Auguſtinus, quod idem eſt dubitare utrum profuerit illis iſta occiſio quod eſt dubitare urrum pueris proſit baptiſmus. (d) Paſſi ſunt enim ut martyres; & Chriſtum moriendo confeſſi ſunt, quamvis non loquendo. Apoc. VI. 9. „ Vidi ſubtus altare ani„ mas interfectorum propter verbum Dei. “

Secunda crudelitas eſt, quia occidit *in omnibus finibus*: timebat enim ne fugeret, ſcilicet ad aliquam civitatem. Et contigit ei ſicut (e) beſtiæ vulneratæ, quæ non attendit quem vnlnerare debeat. Proverb. XXVIII. 15. „ Leo rugiens, & nrſus eſu„ riens, Princeps impius ſuper populum pau„ perem. “ Tertia quantum ad tempus: unde, *A bimatu*, ideſt dnorum annorum.

Et nota, quod Auguſtinus dicit, quod illo anno quo Chriſtus natus eſt, Innocentes ſunt occiſi. Sed quare dicit: *A bimatu & infra*? Dicunt quidam, quod (f) ſtella apparuit per duos annos ante: unde Herodes dubitabat utrum a tempore ſtellæ natus fuiſſet; & ideo dicit: *Secundum tempus quod exquiſierat a Magis*. Alii autem dicnnt, quod iſti non ſunt occiſi eodem anno, ſed poſt duos annos.

Sed quare tantum diſtulit? Triplex ratio redditur a diverſis. Una eſt, quia a principio putabat quod Magi fuiſſent decepti, & quod nihil inveniſſent. Sed poſtquam audivit multa verba de Chriſto a Zacharia, & Simeone, & Anna; tunc motus fuit ad quærendum. Alii dicunt, quod hoc fecit ex cautela: timebat enim ne puerum quem quærebat, parentes occultaſſent. Unde primo voluit eos aſſecurare. Alii quod occupatione impeditus: quia miſit poſt Magos uſque ad Tharſum Ciliciæ, & fecit incendi naves eorum. Item fuit occupatus, quia citatus fuit Romæ, accuſatus a filiis. Et ſic poſt reverſionem incepit ſævire. Et dicit. *Et infra &c.* quia cogitavit illum eſſe tantæ potentiæ quod poſſet commutare faciem ſuam.

Per iſtam occiſionem ſignificatur occiſio martyrum, quia pueri per humilitatem, & innocentiam. Infra XIX. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire*. Item infra XVIII. 3. *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum calorum*. *In Bethlehem, & in omnibus finibus eius*: quia per totum mundum occiduntur. Act. I. 8. „ Eritis mihi teſtes, “ ſcilicet moriendo. Duo anni ſunt duplex caritas Dei, & proximi: „ quia fides ſine operibus mor„ tua eſt. Iac. II. 20. (g)

Et nota quod nato Chriſto, ſtatim perſecutio ſævit, quia ſtatim quando quis convertitur ad Chriſtum, incipit tentari. Eccli. II. I. „ Fili ac„ cedens ad ſervitutem Dei, ſta in iuſtitia, „ & in timore, & præpara animam tuam „ ad tentationem.

Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam. Poſita occiſione puerorum, hic more ſuo Evangeliſta prophetiam annuntiantem ponit, quæ eſt Hier. XXXI. 15. „ Vox in Rama au„ dita eſt lamentationis, luctus, & fletus Ra„ chel plorantis filios ſuos, & nolentis conſo„ lari ſuper eis, quia non ſunt. “

Et notandum quod, ſicut dicit Hieronymus, ubicumque per Apoſtolos, & Evangeliſtas introducitur aliqua auctoritas veteris teſtamenti, non oportet introducere verbnm ex verbo ſemper; ſed ſicut dedit eis Spiritus ſanctus, aliquando ſenſum ex ſenſu in uſu noſtro. Ita habemns Hier. XXXI. 15. „ Vox in excelſis „ audita eſt lamentationis, luctus, & fle„ tus, Rachel plorantis filios ſuos, & no„ lentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt. “ Et ſenſus idem eſt.

Et conſiderandum, quod quantum ad hanc auctoritatem pertinet, iſta eſt una de illis quæ introducuntur in Evangelio, quæ ta-

(a) *Al.* iratus tyrannus. (b) *Al.* Et notandum, quod quando aliquis iraſcitur, cito accenditur. (c) *Al.* Mita crudelitas. (d) *Al.* Paſſi ſunt enim propter Chriſtum: unde & martyres moriendo confeſſi ſunt.
(e) *Al.* beſtiæ quæ vulnerata. (f) *Al.* Dicunt quod. (g) *Al. In Edit. an.* 1527. *hic ponitur ſententia quæ ſuo loco ſeq. pag. reſtituta eſt ſub nota.* (e)

men ſenſum litteralem habet, qui eſt figura eius quod fuit in novo teſtamento. Unde ad intellectum eius conſideranda eſt quædam hiſtoria quæ legitur Iudicum xxi. ubi dicitur quod propter peccatum commiſſum circa uxorem Levitæ fere tota tribus Beniamin extincta eſt; & dicitur quod ibi fuit maximus planctus, ita quod fuit auditus de (a) Gabaa uſque in Rama longe a Bethlehem per duodecim milliaria. Hoc dicitur Rachel plorare, quia mater fuit Beniamin: & eſt locutio figurativa, ſcilicet ad exprimendum magnitudinem doloris. Sed hæc eſt prophetia de præterito. Alio modo eſt de futuro dupliciter: quia uno modo poteſt referri ad captivitatem Iſrael, qui quando in captivitatem ducebantur, dicuntur in via iuxta Bethlehem plorasſe: & tunc dicitur Rachel plorasſe, quia ſepulta erat ibi, Geneſ. xxxi. Et dicitur hoc eodem modo loquendi quo locus dicitur plorare mala quæ (b) in loco accidunt. Vult ergo dicere propheta, quod ſicut maximus dolor & luctus fuit quando extincta eſt tribus Beniamin, ita futurus eſt maximus alius tempore captivitatis. Tertio modo exponitur ſic. Evangeliſta aſſumit (c) factum de occiſione Innocentum, & exaggerat iſtum dolorem quadrupliciter. Ex diffuſione doloris, ex multitudine doloris, ex materia, & inconſolabilitate. Dicit ergo: *Vox in Rama*: quædam civitas eſt in tribu Beniamin, Ioſue xviii. & poteſt accipi pro civitate Liæ. Hic autem accipitur pro excelſo; & poteſt dupliciter exponi. Primo ſic. Vox in excelſo prolata, *audita eſt*, quia vox quæ in loco alto eſt, longe lateque diffunditur. Eſa. xlix. „ Supra montem „ excelſum aſcende tu qui evangelizas Sion, „ exalta in fortitudine vocem tuam. " Vel audita eſt in excelſo, ideſt in cælo apud Deum. Eccli. xxxv. 21. „ Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propin- „ quet non conſolabitur, & non diſcedet „ donec Altiſſimus aſpiciat. " (d) Et iterum (v. 18.) „ Nonne lacrymæ viduæ ad maxil- „ lam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper „ deducentes eas? *Ploratus*. Hoc poteſt referri ad fletum infantium occiſorum. *Et ululatus multus*. Hoc ad matrum ploratus. (e) Vel utrumque ad pueros: (f) *Ploratus*, inquantum elevabantur a militibus; *ululatus*, inquantum iugulabantur. Maior eſt dolor matrum, quam filiorum. Item matrum erat dolor aſſiduus, puerorum fuit brevis: propter quod dicit Zach. xii. 10. „ Plangent „ eum quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt „ ſuper eum, ut doleri ſolet in morte pri- „ mogeniti. " Item ex materia doloris, quia de morte filiorum. Unde Rachel plorat.

Sed obiicitur, quia Bethlehem non erat in tribu Beniamin ſed in tribu Iuda, qui fuit filius Liæ.

Et ſolvitur tripliciter. Primo quia Rachel ſepulta fuit iuxta Bethlehem, Gene. xxxv. Et ita ploravit pueros eo modo quo aliquis locus dicitur plorare. Hierem. ii. 12. „ Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & por- „ tæ eius deſolamini vehementer, dicit Do- „ minus. " Vel aliter. Supra habitum eſt quod Herodes occidit pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, &c. Bethlehem autem erat in confinio duarum tribuum, ſcilicet Iudæ, & Beniamin: unde de pueris Beniamin occiſi ſunt; & ſic ceſſat obiectio, ſicut exponit Hieronymus. Auguſtinus autem aliter exponit, & dicit quod conſuetudo eſt quod quando alicui aliqua proſpera ſuccedunt, ille quando adverſitates veniunt, magis dolet. Lia & Rachel ſorores fuerunt, & iſti qui occiſi ſunt fuerunt de filiis Liæ. Et ſic corporaliter occiſi ſunt, ne æternaliter punirentur, (g) ut in facto Gabaa. Dicitur ergo plorare videns filios ſuos occidi, & damnari. Vel per Rachel, Eccleſia ſignatur: quia interpretatur videns Deum; & Eccleſia per fidem videt: quæ plorat filios ſuos occiſos, non quia occiſi ſunt, ſed quia per ipſos poterat alios acquirere. Vel non plorat propter occiſos, ſed propter occidentes.

Sequitur de inconſolabilitate doloris, *Et noluit*: & exponitur illud multipliciter. Primo ut referatur ad populum qui tunc erat. Conſolatio enim debetur quamdiu ſperatur aliquod remedium; ſed quando non ſperatur, non eſt conſolatio, ſicut patet in infirmo deſperato: & ideo dicit, ut referatur ad opinionem matrum, *Quia non ſunt*, quia ſcilicet non apparent. Gen. xxxvii. 20. „ Puer non „ comparet. " Vel *noluit conſolari, quia non ſunt*, ideſt ac ſi non eſſent. Conſolatio enim non debetur niſi de malis: unde ſecundum hoc refertur ad opinionem Eccleſiæ, quæ habet eos tamquam regnarent: unde ſicut de regnantibus gaudet de eis. Theſſ. iv. 12. „ Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut „ non contriſtemini, ſicut & ceteri qui ſpem non habent. " Vel *noluit conſolari*, de preſenti; ſed expectat conſolationem in futuro. Infra v. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſola-*

(a) *Al.* Gralva. (b) *Al.* in Chriſto. (c) *Al.* *deeſt* factum. (d) *Al.* Et iterum Lacrymæ viduæ, &c.
(e) *Sententia ſuo loco reſtituta ex Edi. an. 1527. qua in ceteris tamen deerat*. (f) Al. Planctus. (g) *Al.* deeſt ut.

ſolabuntur. Conſequenter agitur de revocatione Chriſti: unde: *Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph*: & primo ponitur apparitio Angeli; ſecundo mandatum Angeli; tertio executio mandati Angeli. Circa primum tria ponuntur. Primo deſcribitur tempus; ſecundo perſona; tertio modus apparitionis. Dicit ergo, *Defuncto Herode*: non ille qui fuit in morte Chriſti, quia ille fuit filius iſtius: *ecce Angelus apparuit*.

Notandum, quod omnis turbatio Eccleſiæ ſecundum myſterium terminatur per mortem perſecutorum: (Prov. XI. 10.) quia „ in perditione impii erit laudatio. " Item nota, quod infidelitate Iudæorum terminata, Chriſtus redibit ad eos. Rom. XI. 26. „ Et tunc „ omnis Iſrael ſalvus fiet. "

Ecce apparuit. Notandum quod talis eſt ordo Angelorum & hominum, ut divinæ illuminationes non fiant nobis niſi per Angelos. Hebr. I. 14. „ Omnes ſunt adminiſtratorii „ ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos „ qui hereditatem capiunt ſalutis. " Unde etiam Chriſtus, ſecundum quod homo, voluit per Angelos nuntiari. Modus ibi, *In ſomnis Ioſeph in Ægypto*. Mandatum ibi, *Surge, & accipe puerum*. Non dicit filium, non coniugem, ſed puerum, ut deſignetur dignitas pueri, & integritas matris. In hoc ſignificatur quod Ioſeph non fuit ei datus ad carnalem copulam, ſed ad miniſterium, & cuſtodiam. Conſequenter aſſignat cauſam: *Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*.

Sed quæritur quare dicit *ſunt*: non enim niſi Herodes mortuus erat.

Hoc ſolvitur dupliciter. Primo quia iſte tot mala fecerat quod Iudæi gaudebant de morte eius: qui præſentiens mandavit adhuc vivens ſorori ſuæ quod nobiliores de Iudæis interficeret in morte ſua; & iſti quæſiverant animam pueri cum Herode; & hoc eſt *Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*. Vel aliter. Mos eſt ſacræ Scripturæ ponere plurale pro ſingulari: unde *mortui ſunt*, ideſt mortuus eſt, &c. unde in hoc quod dicit, *Qui quærebant animam pueri*, deſtruitur error Apollinaris, qui dixit, quod divinitas erat in Chriſto loco animæ.

Ponitur executio huius mandati: *Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius*. Et circa hoc duo facit. Primo oſtendit quomodo reverſus eſt in terram Iſrael; ſecundo quam partem vitavit; tertio qua parte declinavit, ibi, *Et admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ*. Dicit ergo: *Qui conſurgens*. Notandum, quod Angelus non dixit: Vade in terram Iuda, vel in Hieruſalem; ſed univerſaliter, *In terram Iſrael*, ſub qua etiam Galilæa poteſt comprehendi. Unde poteſt dici, quod Ioſeph intravit fines terræ quam habitabat Iudas. Conſequenter ponitur quam partem vitavit, ibi, *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa*.

Et notanda eſt hic hiſtoria Herodis. Iſte Herodes habuit ſex filios: & ante mortem ſuam occidit Alexandrum, & Ariſtobolum; in morte autem ſua mandavit ut occideretur Antipater: unde tres remanſerunt, inter quos Archelaus primogenitus fuit, & uſurpavit ſibi regnum; ſed tandem accuſatus a Iudæis apud Cæſarem Auguſtum, ablatum fuit ei regnum, & diviſum fuit in quatuor partes; & duas habuit Archelaus, duas alias alii diviſerunt ſibi, ita quod unam tetrarchiam habuit Herodes, aliam Philippus, ſicut habetur Luc. III. Iſte Archelaus miſſus eſt in exilium poſt novem annos regni ſui.

Et admonitus in ſomnis. Dixerat primo Angelus, quod iret ad terram Iſrael; ſed quia Ioſeph nondum intellexerat, ideo Angelus, qui prius indeterminate revelaverat, nunc determinat; & hoc eſt, *Et admonitus ſeceſſit in partes Galilææ*.

Sed contra. Sicut Archelaus in Iudæa, ita Herodes in Galilæa regnabat. Sed dicendum, quod hoc fuit ſtatim poſt mortem Herodis, quando Archelaus tenebat totum, quia poſtmodum facta eſt diviſio.

Sed tunc etiam quæritur quare non timuit Archelaum. Dicendum, quod in Hieruſalem erat ſedes regni: unde ibi quaſi ſemper morabatur.

Sed quæritur quare Luc. II. 41. dicitur quod ſingulis annis ducebant puerum in Hieruſalem. Et ſolvit Auguſtinus, quod ſecure ducebant per turbam magnam, quæ tunc aſcendebat; ſed periculum fuiſſet ſi ibi diu moratus fuiſſet.

Item quæritur quare innuit Evangeliſta, quod quaſi per accidens venit Ioſeph in Nazareth, ſed in Luc. II. 39. dicitur, quod in Nazareth habuit proprium domicilium. Sed dicendum, quod Angelus dixerat ei, quod iret in terram Iſrael, quæ ſtricte accepta non continebat Galilæam, nec Nazareth: & ſic intellexit Ioſeph; & ideo non proponebat ire in Nazareth.

Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam: Quoniam Nazaræus vocabitur. Hoc non invenitur ſcriptum: ſed poteſt dici, quod ex multis locis colligitur. Nazarenus igitur interpretatur ſanctus, & quia Chriſtus dicitur ſan-

(a) *Al.* iſte.

ſanctus: Dan. IX. 24. „ Donec ungatur ſan-„ ctus: “ ideo ſignanter dicitur, *Per prophetam*. Vel poteſt dici, quod per Nazarenum interpretatur floridus. Et hoc habetur Eſa. XI. 1. „ Egredietur virga de radice Ieſſe, „ & flos de radice eius aſcendet. “ (a) Et convenit cum eo quod dicitur Cant. II. 1. „ Ego „ flos campi, & lilium convallium. “

CAPUT III.

(a) IN diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Hic eſt enim de quo dictum eſt per Eſaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſylveſtre. Tunc exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua. Videns autem multos Phariſæorum, & Saducæorum, venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum; paleas autem comburet igni inextinguibili.

(b) Tunc venit Ieſus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari; & tu venis ad me? Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Tunc dimiſit eum. Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua; & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cælis dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

SUpra egit Evangeliſta de ingreſſu Chriſti in mundum; nunc autem agit de eius proceſſu qui quidem eſt attendendus ſecundum proceſſum ſuæ doctrinæ, ad hoc enim venit, Ioan. XVIII. Circa doctrinam autem duo conſiderantur: primo enim ponitur præparatio ad doctrinam; ſecundo ponitur ipſa doctrina, cap. 5. Ad doctorem autem evangelicæ doctrinæ duo requiruntur. Primo ut ſit velatus ſacris myſteriis; ſecundo ut probatus ſit virtutibus: & ſic duo præmittuntur ante doctrinam, ſcilicet baptiſmus eius, & tentatio, cap. 4. Circa primum duo facit. Primo introducitur Ioannis baptiſmus, ibi, *Exibat ad eum Hieroſolyma*; ſecundo inſtructio baptizatorum, ibi, *Videns autem multos*. Invitantur autem dupliciter a Ioanne, ſcilicet verbo, & exemplo. Secundum ibi, *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum &c.* Circa doctrinam Ioannis tria facit, ſive tanguntur. Primo perſona doctoris introducitur; ſecundo ponitur doctrina; tertio confirmatio. Secundum ibi, *Pœnitentiam agite*; tertium ibi, *Hic eſt enim de quo dictum eſt*. Circa perſonam quinque ponuntur: ſcilicet tempus, perſona, officium, ſtudium, & locus. Primum ibi, *In diebus illis, &c.* Et notandum, quod tempus prædicationis Lucas deſcribit per Principes Reipublicæ, & Iudæorum. Illud ergo quod dicit Lucas, exprimitur hic, cum dicit: *In diebus illis*. Nec debet hoc referri ad dies de quibus facta eſt mentio, ſcilicet ad tempus infantiæ Chriſti: non enim eſt intelligendum hoc fuiſſe in diebus illis in quibus Chriſtus reverſus eſt de AEgypto. Sed hoc ſic ponitur, quia Chriſtus habi-

(a) *Al.* Et ideo venit cum eo.

habitavit continue In Nazareth. Luc. II. 40. „ Puer autem creſcebat , & confortabatur „ plenus ſapientia ; & gratia Dei erat in illo. “ Secundo ponitur perſona, ibi, *Venit Joannes*: venit, ideſt apparuit qui primo nccultus erat. Hic eſt de quo Ioan. I. „ Hic venit in teſtimonium , ut teſtimonium perhiberet de lumine. “

Sed quare Chriſtus voluit eius teſtimonium, cum haberet teſtimonium operum?

Dicendum, quod propter tria. Primo propter nos, qui ducimur in cognitinnem ſpiritualium per ea quæ ſunt ſimilia nobis. Ioan. I. 7. „ Hic venit ut teſtimonium perhiberet de lumine. “ Et quare? „ ut omnes crederent per illum. “ Secundn propter malitiam Iudæorum, quia nnn ſnlum Chriſtus ſibi teſtimonium perhibet, ſecundum quod ipſi dicebant: Ioan. III. 26. „ Tu de te ipſo teſtimonium perhibes : “ ſed etiam alius. Ioan. V. 33. „ Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati. “ Tertio ad oſtendendum æqualitatem Chriſti ad Patrem: quia ſicut Pater prænuntios habuit, ſcilicet prophetas, ita Chriſtus. Luc. I. 76. Tu puer „ prnpheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim „ ante faciem Domini parare vias eius. “

Tertio ponitur nfficium baptizandi. Hoc fuit ſpeciale eius nfficium: quia primus baptizavit, & fuit eius baptiſmus præparatorius ad baptiſmum Chriſti: quia ſi Chriſtus novum ritum adiunxiſſet, ſtatim potuiſſent homines ſcandalizari. Et ideo prævenit Ioannes, ut præpararet homines ad baptiſmum. Ioan. I. 31. „ Ut manifeſtetur(*a*) in Iſrael “ Quarto ponitur ſtudium: quia *venit*, ut diligenter prædicaret; & hoc eſt *Prædicans baptiſmum*. Chriſtus quidem baptizaturus iſta adiunxit, Matth. ult. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes*(*b*) *eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ioannes autem in utroque præparavit viam.

Et notandum, quod Ioannes in trigeſimo anno hoc fecit, in qua ætate David etiam factus eſt Rex, & Ioſeph gubernacula regni AEgypti ſuſcepit, Gen. XLI. per quod datur intelligi, quod ad nullum officium debet aliquis aſſumi ante perfectam ætatem.

Quartn(*c*) ponitur locus, *In deſerto*. Prædicavit autem in deſertn prnpter quatunr. Primo ut quietius audirent: in civitate enim multi (*d*) curioſi impedienres conveniſſent; ſed in deſerto non niſi ſtudioſi ibant. Eccle. XII. II. „ Verba ſapientium ſicut ſtimuli, „ & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a paſtore „ uno. “ Secundn quia congruebat ſuæ prædicatinni, quia ipſe pœnitentiam prædicabat. Talis autem debet eſſe locus pœnitentiæ, vel corporaliter, vel mentaliter. Pſal. LIV. 8. „ Ecce elnngavi fugiens, & manſi „ in ſnlitudine. “ Tertio ad deſignandam cnnditionem Eccleſiæ, quæ per deſertum ſignificatur. Datur enim intelligi, quod non eſt in ſynagnga prædicatio ſalutis, ſed in Eccleſia. Eſa. 54. „ Lætare ſterilis quæ non pa„ ris, decanta laudem, & hinni quæ non „ pariebas: qunniam multi filii deſertæ ma„ gis quam eius quæ habebat virum: dicit „ Dominus. “ Quarto ad deſignandam cnnditionem Iudææ, quæ iam derelinquebatur a Deo. Infra XXIII. 38. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*. Sequitur, *Pœnitentiam agite, &c.* Ioannes annuntiat quamdam novam vitam, ſicut dicit Auguſtinus in lib. de Pœnit. „ Nullus qui ſuæ voluntatis arbiter „ conſtituitur, poteſt nnvam vitam inchoa„ re, niſi pœniteat veteris vitæ. “ Quære in Gloſſa. Et ideo primo monet ad pœnitentiam; ſecundo annuntiat ſalutem, ibi, *Appropinquabit enim regnum cælorum*. Item *pœnitentiam agite*, per quam eſt remiſſio peccatorum. Chryſoſtomus: „ Nato filio Dei, Deus miſit „ præconem in mundum. “

Et notandum, quod aliud eſt pœnitentiam agere, & pœnitere. Ille pœnitet qui peccata deflet, & flenda non committit. Et ſciendum, quod totum refertur ad propoſitum mentis, ut ſcilicet dicatur. Et flenda non committit, ideſt proponit non committere, hoc enim requirit pœnitentia. Pœnitentiam autem agere eſt ſatisfacere pro peccatis. Luc. III. 8. „ Facite fructus dignos pœni„ tentiæ. “

Et fit hic quæſtio. Cum omnia peccata dimittantur in baptiſmo, quare Ioannes prænuntians baptiſmum Chriſti, incepit a pœnitentia?

Et reſpondetur in Gloſſa, quod triplex eſt pœnitentia: ſcilicet ante baptiſmum, quia oportet ut doleat de peccatis quando accedit; ſecunda poſt baptiſmum de mortalibus; tertia de venialibus. Hic agitur de pœnitentia quæ eſt poſt baptiſmum: unde Petrus dixit, Act. II. 38. „ Pœnitentiam agite, ſcilicet ut „ ſitis parati ad ſalutem conſequendam. “

Appropinquabit. Et nota quod numquam in Scriptura veteris teſtamenti invenitur promiſſum regnum cælorum; ſed primo Ioannes nuntiat: quod pertinet ad dignitatem eius. Regnum autem cælorum in Scriptura quatuor modis accipitur. Quandoque enim dicitur ipſe Chri-

(a) *Al.* Iſrael in eo. (b) Al. deeſt *eos*. (c) *Al.* Et ponitur. (d) *Al.* criminoſi.

Digitized by Google

Chriſtus habitans in nobis per gratiam. Luc. xvii. 21. „ Regnum Dei intra vos eſt. “ Et dicitur regnum cælorum, quia per inhabitantem gratiam inchoatur nobis via cæleſtis regui. Secundo ſacra Scriptura. Inſra xxi. 43. *Auferetur a vobis regnum Dei*, ideſt ſacra Scriptura. Et dicitur regnum, quia lex eius ducit ad regnum. Tertio dicitur præſens Eccleſia militans. Inſra xiii. 47. *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſa in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, &c.* Et dicitur regnum cælorum, quia ad modum cæleſtis Eccleſiæ eſt inſtitutum. Quarto dicitur regnum cælorum cæleſtis curia. Inſra viii. 11. *Venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iaceb in regno cælorum*. Ante tempus autem Ioannis non fiebat mentio niſi de regno Iebuſæorum. Exo. iii. ſed modo promittitur regnum cælorum (a) ſuæ Eccleſiæ. Conſequenter ponitur confirmatio huius prædicationis: *Hic eſt de quo dictum eſt per Eſaiam prophetam &c.* Et, ſicut dicit Auguſtinus, iſtud poteſt dupliciter exponi. Primo quod hoc, ſcilicet *hic eſt de quo ſcriptum eſt*, ſint verba Evangeliſtæ; & tunc ſenſus eſt planior. Secundo illud introducitur a Matthæo velut ſint verba Ioannis, pœnitentiam agentis: unde, *Hic eſt*, ideſt ego ſum; & loquitur de ſe ſicut de alio, ſicut Ioan. i. loquitur de alio ſicut de ſe. Sed non eſt vis, cuius ſint verba, quia ſenſum eumdem habent. Hic eſt ergo de quo ſcriptum eſt, Eſ. xl. 3. „ Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. “ Tria ponuntur, per quæ confirmantur tria prædicta. Primo prænuntiatur locus prædicationis Ioannis, quia *vox clamantis in deſerto*; ſecundo adventus regni cælorum: unde, *Parate viam*; tertio pœnitentiam, ibi, *Rectas facite ſemitas eius*. Dicit ergo: *Vox clamantis in deſerto*. Et dicit, *Vox*, propter tria. Primo quia, ſicut dicit Gregorius, „ vox verbum præcedit; & Ioannes Chriſtum. “ Luc. i. 17. „ Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ. “ Secundo quia per vocem verbum cognoſcitur: vox enim verbum deducit in cognitionem; ita Ioannes Chriſtum. Ioan. i. 31. „ Ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans. “ Tertio quia vox ſine verbo non facit animi certitudinem. I. Cor. xiv. 8. „ Si incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? “ Et revelatio divinorum myſteriorum non facta eſt per Ioannem, niſi inquantum annuntiavit Chriſtum; ſed per Chriſtum verbum. Ioan. i. 18. „ Unigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit. “ Igitur *Vox clamantis*: & poteſt intelligi dupliciter. Primo Chriſti clamantis, qui in Ioanne loquebatur. II. ad Cor. xiii. 3. „ An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? “ Ita etiam clamavit in omnibus prophetis: unde ſemper dicitur: „ Factum eſt verbum Domini ad Hieremiam, vel Eſaiam &c. “ Et tamen nullus eſt dictus vox, quia non immediate præceſſerunt Chriſtum. Mal. iii. 1. „ Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis. “ Vel *vox clamantis*, ideſt Ioannes clamans. Sciendum, quod clamor fit ad ſurdos; & tales erant Iudæi. Eſai. xlii. 18. „ Surdi audite, & ceci intuemini ad videndum. Quis cæcus, niſi ſervus meus; & quis ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? “ Secundo ex indignatione. Pſalm. cv. 40. „ Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hereditatem ſuam. “ Tertio ad diſtantes. Et iſti elongati a Deo, *Parate viam Domini*. Et videtur magis fuiſſe conſonum quod dixiſſet: Parate viam veſtram ad ſuſcipiendum Dominum. Et ſciendum, quod nos adeo eramus infirmi, quod non poteramus accedere ad Dominum, niſi ipſe veniret ad nos. Et ideo ſupra dixit Ioannes: *Appropinquabit enim regnum cælorum*. Et hoc eſt, *Parate*. Sed quæ eſt iſta via? Fides, quæ eſt per auditum. Eph. iii. 17. „ Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. “ Gregorius: „ Via fidei, devotus auditus eſt. “ Amos iv. 12. „ Præpara te in occurſum Dei tui, Iſrael. “ *Rectas facite*. Fides eſt communis, eſt una; ſed dirigit in diverſis operibus; & ideo, *Rectas facite*. Tunc autem ſunt rectæ iſtæ viæ operum quando non diſcordant a lege divina, quæ eſt regula actuum humanorum; ſicut ſecundum voluntatem figuli eſt regula bonitatis in vaſis fictilibus, ut haberi poteſt Hier. xviii. Vel hoc, ſcilicet *parate*, pertinet ad caritatem, quæ eſt de neceſſitate ſalutis. Eſa. xxxvi. 21. „ Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. “ Ergo via intelligitur totum illud quod pertinet ad communem ſalutem. I. Corint. xii. 31. „ Adhuc excellentiorem vobis viam demonſtro. “ Semitæ vero (b) ſunt obſervationes conſiliorum; quæ ſemitæ dicuntur eſſe rectæ, quia non propter inanem gloriam debent fieri.

Inſra

(a) *Al.* ſive cæleſte. (b) *Al.* deeſt ſunt.

Infra VI. *Non faciatis iuſtitiam coram hominibus, ut videamini ab eis*. Proverb. III. 27. „ Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes ſemitæ „ eius pacificæ. “ Conſequenter oſtenditur quomodo Ioannes teſtimonium perhibuit Chriſto in vita, ibi, *Ipſe autem Ioannes*. Sed quis perhibuit teſtimonium de Ioanne, qui perhibebat teſtimonium Chriſto? Et dicendum, quod vita ſua: quia, ſicut dicit Chryſoſtomus, nullus idoneus teſtis alterius eſt, niſi ſit teſtis ſuus, & hoc bona vita. Eccli. XIX. 27. „ Amictus corporis, & riſus dentium, & „ ingreſſus hominis enuntiant de illo. “ Unde hic deſcribitur auſteritas eius in vita, & cibo. Et hoc eſt *Ipſe autem erat indutus pilis camelorum &c.* Alii de lana; Ioannes de pilis. Reputabat enim veſtimentum de lana mollitiem, quæ non convenit prædicatori. Item *zona pellicea*. Illud dupliciter exponitur. Hieronymus dicit, quod tunc temporis Iudæi habebant cingulum de lana; ſed Ioannes reputans ad mollitiem, accipit de pellibus, imitans Eliam, ſicut dicitur IV. Reg. I. Rabanus exponit ſic, & dicit, quod Ioannes accipiebat pelles crudas, non paratas, & utebatur eis, ut refrenaret libidinem; & hoc eſt *Et zonam*. Sed ſive ſic, ſive ſic exponatur, in utroque tamen auſteritas vitæ intelligitur. *Cibus autem eius locuſtæ, & mel ſilveſtre*. Hic cibus non (*a*) paratus, ſed quem natura miniſtrabat: & ſunt locuſtæ animalia quædam apta ad comedendum. *Et mel ſilveſtre*. Hoc dupliciter poteſt intelligi. Proprie enim ſilveſtre dicitur illud quod non reconditur in alveis artificioſe factis, ſed invenitur in ſilvis in aliquibus arboribus. Alii dicunt quod eſt canna mellis, & quoddam quod invenitur in cannis valde dulce: tamen in omnibus his nihil aliud habetur, niſi quod ſimplicibus erat contentus. I. Tim. VI. 8. „ Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. “ Conſequenter agitur de baptiſmo: unde dicitur, *Tunc exibat*. Et tangit tria. Primo quomodo viſitabatur a turbis; ſecundo quomodo turbæ baptizabantur; & tertio quomodo confitebantur peccata ſua. Quantum ad primum ſciendum, quod tria ſunt quæ invitabant homines ad exeundum ad Ioannem. Primo nova prædicatio. Numquam audiverant fieri mentionem de regno cælorum, & ideo mirabantur. Iob XXXVIII. 33. „ Numquid noſti ordi- „ nem cæli; & pones rationem eius in ter- „ ra? “ (*b*) Ioannes primo docuit quod ratio regni cælorum non eſſet ponenda in terra. Secundo propter vitam: unde dicit, *Tunc exibant*, videntes ſcilicet vitam ipſius. Iac. II. 18. „ Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, „ & ego oſtendam tibi ex operibus fidem „ meam. “ Tertio quia Iudæa privata erat inſtructione prophetarum. Pſal. LXXIII. 9. „ Signa noſtra non vidimus, iam non eſt „ propheta. “ Et ideo *exibant*, a Iudæa ad videndum; & hoc eſt, *Tunc exibant, & baptizabantur ab eo in Iordane*.

Sed quare in Iordane? Quia in Iordane primo fuit præfiguratus baptiſmus, IV. Reg. II. ubi dicitur de Eliſeo, (*c*) quod tranſivit per Iordanem, & Elias raptus eſt in cælum. Item ibi fuit mundatus Naaman leproſus, qui ſignificat mundatum a peccatis in baptiſmo. Item quia ipſa interpretatio convenit baptiſmo: interpretatur enim deſcenſus, & ſignificat humilitatem, quam homo debet habere in baptiſmo. I. Pet. II. 2. „ Quaſi modo geniti infantes rationabiles, „ & ſine dolo lac concupiſcite. “

Tertium ponitur ibi, *Confitentes peccata ſua*. Cauſa quare confeſſio eſt inducta, ſupra eſt oſtenſa, quia de neceſſitate ſalutis. Iac. V. 16. „ Confitemini alterutrum peccata ve- „ ſtra. “ Et dicit Gloſſa, quod ideo inducta eſt, ut homo habeat erubeſcentiam. Sed ſciendum, quod erubeſcentia eſt cauſa concomitans; ſed principalis eſt propter virtutem clavium: nullus enim poſſet ligare, vel ſolvere, niſi ſciret quid ligandum, vel ſolvendum eſſet: unde ſicut nullus poteſt amovere neceſſitatem clavium, ita nullus poſſet amovere confeſſionem vocalem.

Sed quæritur an accedens ad baptiſmum confiteri teneatur. Videtur quod non indigeat (*d* virtute clavium, cum omnia dimittantur peccata in baptiſmo.

Sed dicendum, quod tenetur ſaltem in generali; & hoc facit quando abrenuntiat ſatanæ, & omnibus pompis eius: in hoc enim profitetur ſe eſſe ſatanæ obligatum.

Videns autem multos. Oſtenſo quod multi a Ioanne baptizabantur, hic agit de inſtructione eorum: & circa hoc duo facit. Primo ponuntur qui ſunt qui inſtruantur; ſecundo ponitur eorum inſtructio, ibi, *Quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira*. Dicit ergo: *Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum*. Sciendum, quod apud Iudæos ſunt aliquæ ſectæ, inter quas iſtæ duæ erant præcipuæ. Phariſæi enim dicebantur, quaſi a communi vita diviſi, propter (*e*) ſuas obſervantias. Iſti in multis bene dicebant, tamen deficiebant, quia, ut dicitur, omnia provenire ex neceſſitate ponebant. Alii, ſci-

(a) *Al.* paratur. (b) *Al.* Ioan. 2. Primo. (c) *Al.* quando. (d) *Al.* & hoc virtute. (e) *Al.* duas.

licet Saducæi, dicebantur iuſti propter quaſdam ſpeciales obſervantias legis; qui non recipiebant prophetas, nec dicebant animas poſt corruptionem corporis reſuſcitari, nec ſpiritum eſſe. Utrique autem ex ipſo nomine (*a*) notabantur, quia Phares diviſionem ſignificat, quæ opponitur caritati. (*b*) Et hi omnino erant diviſi ab aliis, quaſi haberent ſuperabundantem Spiritum ſanctum: hoc enim bonum eſſet. Alii etiam, ſcilicet Saducæi, ſibi iuſtitiam uſurpabant; contra quos Rom. x. 3. „ Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & „ ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non „ ſunt ſubiecti. “ Et tamen quamvis magis iuſti apparerent, tamquam ad magiſtrum ad Ioannem veniebant. Eſa. xlix. 7. „ Reges „ videbunt, & conſurgent Principes, & ad- „ orabunt propter Dominum, quia fidelis „ eſt, & Sanctum Iſrael, qui elegit te. “ Iſti ergo hic convenienter inſtruuntur: unde. *Quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira*: Et notandum quod inſtructio debet variari ſecundum conditiones auditorum. Simplicibus enim ſufficit ea quæ ad ſalutem pertinent breviter loqui; ſed ſapientibus debent ſingula explicari. Quod innuit Apoſtolus II. Corint. III. 1. „ Non potui vobis loqui tamquam „ ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. “ Ita fecit Ioannes: breviter turbas admonuit de pœnitentia, & annuntiavit regnum cælorum. Iſta duo hic explicat per ſingula Phariſæis: unde primo exhortatur ad pœnitentiam; ſecundo nuntiat de appropinquatione regni cælorum, ibi, *Ego quidem baptizo vos &c.* Circa primum duo facit. Primo ponit inductivum ad pœnitentiam; ſecundo removet ea quæ poſſent a pœnitentia retrahere, ibi, *Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham*. Circa primum duo facit. Primo ponit inductionem ad pœnitentiam; ſecundo ponit perfectæ pœnitentiæ modum, ibi, *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*. Duo autem ſunt quæ inducunt ad pœnitentiam. Recognitio proprii peccati. Eſaiæ LVIII. 1. „ Annuntia populo meo ſcelera eo- „ rum. “ Secundo timor divini iudicii. Iſta duo annuntiat Ioannes: unde dicit: *Progenies viperarum*. Et notandum, quod in ſacra Scriptura dicitur filius alicuius ad imitationem. Ezechiel. XVI. 45. „ Pater veſter Ammor- „ rhæus. “ Io. VIII. 44. „ Vos ex patre dia- „ bolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis „ facere. “ Iſti ſimiles erant viperis; & ideo dicit: *Progenies viperarum*. Et ſunt ſimiles in tribus, ſecundum Chryſoſtomum. Natura enim illius eſt quando mordet aliquem, recurrere ad aquam; & ſi invenit non moritur, alias moritur. Unde Ioannes perpendens intentionem eorum, quare veniebant ad aquam baptiſmi, dixit: *Progenies viperarum*. Sed quomodo venenati veniebant ad baptiſmum? Quia Ioannes promittebat remiſſionem peccatorum: unde faciebat intrare aquam (*c*) deponentem pravam intentionem; ideo dicit: *Agite pœnitentiam. Et baptizabantur ab eo*. Secunda proprietas eſt quod naſcendo occidit parentes: unde dicitur Quaſi vi pariens; & iſti ſimiliter. (*d*) Infra XXIII. 31. *Quem prophetarum non occidiſtis?* Tertia ratio eſt quia eſt (*e*) pulchra exterius, interius habens venenum. Iſti etiam pulchri ſunt exterius quadam ſimulata iuſtitia, interius habentes peccata. Infra XXIII. 27. *Væ vobis, quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia*. Et ſecundum hoc progenies viperarum ſonat in malum. Ambroſius exponit aliter, & dicit, quod prudentia ſerpentibus aſcribitur. Infra X. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*. Unde Ioannes commendans eos de prudentia, quia veniebant ad baptiſmum, dicit: *Progenies viperarum*. Primum ergo quod inducit ad pœnitentiam eſt recognitio proprii peccati; ſecundum eſt timor divini iudicii. Proverb. XV. 27. „ Per timorem „ Domini declinat omnis a malo. “ Iob. XIX. 29. „ Scitote eſſe iudicium. “ Et hoc eſt quod dicit: *Quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira?* Et ſciendum quod Ambroſius, & Chryſoſtomus exponunt de præteritis; Rabanus de futuris: unde dicit, *Quis demonſtrabit?* Et ſecundum Ambroſium ſic: *Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira?* quaſi diceret: Quis demonſtravit ut recederetis a malo; quaſi dicat: Nullus, niſi Deus. Pſ. LXXXIV. 8. „ Oſten- „ de nobis, Domine, miſericordiam tuam, & „ ſalutare tuum da nobis. “ Secundum Chryſoſtomum ſic. *Progenies viperarum*, quia retinent voluntatem peccati, *quis demonſtravit vobis fugere*, ſicut vos vultis? Non, quia dixit Eſaias I. 16. „ Lavamini, & mundi „ eſtote, auferte malum cogitationum ve- „ ſtrarum ab oculis meis. “ Non, quia dixit David, Pſalm. L. 4. „ Amplius lava me, Do- „ mine, ab iniquitate mea, & a peccato „ meo munda me. “ Et poſt: „ Sacrificium „ Deo ſpiritus contribulatus, cor contri- „ tum, & humiliatum Deus non (*f*) deſpi- „ cies. “ Rabanus de futuro ſic, quaſi diceret: Bonum eſt quod agatis pœnitentiam,

quia

(a) *Al.* vocabantur. (b) *Al.* Unde hi ſunt qui omnino erant diviſi ab aliis. (c) *Al.* deponentes (d) Matth. XXIII. 31. *Qui prophetas occiderunt*. (e) *Al.* pulchritudo. (f) *Al.* deſpiciet.

quia aliter *quis demonſtrabit*? Pſ. cxxxviii. 8. „ Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie „ tua fugiam? " Ira de Deo non accipitur pro affectu mentis, ſed pro effectu: unde eius ira eſt ultio.

Præmiſſis his duobus ducentibus ad pœnitentiam, conſequenter concludit Evangeliſta: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*. In arbore fructus ſunt poſt flores: & ſi flores non ſequantur fructus, arbor illa nihil valet. Flos enim quidam pœnitentiæ apparet in contritione; ſed fructus eſt in executione. Eccli. xxiv. 23. „ Flores mei fructus „ honoris, & honeſtatis. "

Et notandum, quod alius eſt fructus iuſtitiæ, & alius pœnitentiæ: plus enim requiritur a (*a*) pœnitente quam ab eo qui non peccat. Eſt autem triplex fructus dignus pœnitentiæ. Primus eſt ut puniat in ſe quod commiſit, & hoc iudicio ſacerdotis. Hierem. xxxi. 19. „ Poſtquam convertiſti me, „ egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti „ mihi percuſſi femur meum; " ideſt, carnem meam afflixi. Secundus eſt ut fugiat peccata, & occaſiones peccati: unde dicitur, quod ſatisfacere eſt cauſas peccatorum excidere. Eccli. xxi. 1. „ Fili peccaſti, ne „ adiicias iterum; ſed & priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.... Quaſi a facie „ colubri fuge peccatum: " Eccli. xxi. 1. Tertius eſt ut (*b*) tantum ſtudeat ad bene agendum quantum ſtuduit ad peccandum. Rom. vi. 19. „ Humanum dico propter infirmitatem carnis noſtræ. Sicut enim exhibuiſtis „ membra veſtra ſervire immunditiæ, & „ iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire iuſtitiæ in ſanctificationem. "

Conſequenter excludit impedimentum pœnitentiæ cum dicit: *Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham*. Duplex impedimentum eſt pœnitentiæ. Præſumptuoſitas de ſe, & deſperatio de divino iudicio. Primo removet primum; ſecundo ſecundum, ibi (*c*) *Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt*. Circa primum duo facit. Primo excludit impedimentum; ſecundo aſſignat rationem, ibi, *Dico enim vobis*. Dicit ergo: *Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham*. Iſti ſecundum carnem erant de genere Abrahæ: unde poterant credere, quod quantumcumque peccarent, Deus miſereretur eis propter Abraham. Exod. xxxii. 11. „ Cur, Domine, iraſcitur furor tuus? " Et poſt: „ Recordare Abraham, Iſaac, & Iacob ſervorum tuorum, „ &c. " Et ideo excludit hoc Ioannes: *Et ne velitis dicere*. Et eſt modus loquendi; quaſi diceret: Non dicatis hoc, quia non valebit vobis. Rom. ix. 8. „ Non qui filii ſunt „ carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine, &c. " Iſti enim multum gloriabantur de Abraham; ſed Dominus dicit Ioan. viii. 39. „ Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. " Contra tales dicit Chryſoſtomus: „ Quid prodeſt ei „ quem mores deturpant, generatio clara? " Et eſt etiam hoc in ſpiritualibus. Conſequenter aſſignat rationem: *Dico enim vobis*: (magis eſt enim magnum imitari patrem, quam naſci ex eo) *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*. Legitur Ioſue iv. quod quando populus Iſrael tranſivit Iordanem ſiccis pedibus, in memoriam miraculi, mandavit Ioſue quod extraherentur duodecim lapides ex fundo fluminis, & ponerentur extra, & duodecim de lapidibus exterioribus ponerentur intus. Ioannes autem in illo loco baptizans, eos oſtendit. Poteſt autem intelligi dupliciter. Ad litteram primo. Hoc enim eſt primum fidei fundamentum, credere omnipotentiam Dei. Iob xlii. 2. „ Scio quia potes, & nulla te latet „ cogitatio. " Vel poſſumus intelligere per lapides, gentiles, qui dicuntur lapides propter duo: primum quia lapides adorant; ſecundo propter duritiem: & licet lapides ſint duri, tamen diu conſervant impreſſionem; & licet etiam ædificium ex eis factum tarde fiat, tamen forte eſt, & durabile. Unde gentiles quamvis fuerint duri ad recipiendum fidem Chriſti, tamen tenuerunt fortiter. Hoc ſignificatur Ezech. xi. 19. „ Auferam a vobis cor lapideum de „ carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, „ & ſpiritum meum ponam in medio veſtri. " Secundum autem Hieronymum, in verbis iſtis videtur reducere ad memoriam prophetiam Eſa. li. 2. „ Attendite ad Abraham patrem „ veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos „ &c. " Nominat enim petram Abraham propter impotentiam generandi, & Saram propter ſterilitatem; quaſi dicat: Deus, qui fecit potentem Abraham, & fecundam Saram, *potens eſt de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*. *Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt*. Poſſent enim dicere: Nec credimus quod aliqua ira ſuperveniat nobis; & ideo hoc removet dicens, *Iam enim*. Unde primo ponit iudicium; ſecundo ponit ſententiam iudicii. Dicit ergo: *Iam enim*. Dupliciter enim aliqui pœnitere nolunt. Ex deſperatione iudicii, quia non credunt iudicium eſſe. Eccli. v. 1. „ Ne dixeris.

F 2 „ Eſt

(a) *Al.* ad pœnitentem. (b) *Al.* tunc. (c) *Al.* *Iam nunc*.

Digitized by Google

„ Eſt mihi ſufficiens vita . “ Iob XIX. 29. „ Fugite a facie gladii , quoniam ultor „ iniquitatnm gladius eſt: & ſcitote eſſe iudicium. “ Aliqui autem ex mora. II. Pet. III. 9. „ Non tardat Deus promiſſionem „ ſuam, ſicut quidam æſtimant; ſed patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.“ Sed (a) utramque Ioannes excludit. Primo primam, cum dicit, *Iam enim ſecuris*; ſecundo ſecundam, cum dicit, (b) *Poſita eſt*; quaſi dicat , non tardabit. Et tripliciter intelligitur hoc . Chryſoſtomus dicit , quod per ſecurim intelligitur diſtrictio divini iudicii , quæ quandoque per ſecurim, quandoque per arcum, & gladium deſignatur. Pſal. VII. 13. „ Niſi converſi fueritis , gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit „ illum . “ Hieronymus : „ Per ſecurim „ prædicatio Evangelii intelligitur : quia ſi „ cut perdoctrinam Evangelii aliqui ducti ſunt „ ad vitam, ita contemptores ad mortem. “ Hier. XXIII. 29. „ Nonne verba mea ſicut „ ignis, & quaſi malleus conterens petram ?“ Luc. II. 34. „ Ecce poſitus eſt hic in ruinam , & reſurrectionem multorum in „ Iſrael , & in ſignum cui contradicetur , „ &c. “ *Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt*; quaſi dicat: In promptu eſt ut veniat . (c) Secundum Gregorium, per ſecurim Redemptor noſter intelligitur, qui velut ex manubrio, & ferro , ex humanitate, & divinitate conſtat; cuius humanitas, quia patienter expectat , quaſi tenetur; divinitas quaſi ferrum incidit . Securis ergo ad radicem ponitur, quia iudicium fit per Deum , & hominem . Et dicit ad radicem propter duo . Quia in radice fit præciſio univerſalis, (d) eius etiam quod eſt in ramis. Item quia quod (e) a radice exciditur, non germinat; quaſi diceret: Univerſalis erit extirpatio malorum . (f) Sequitur ergo , & ponit primo univerſalitatem dicens, *Omnis arbor*; quaſi dicat: Tam Iudæus quam Gentilis. Rom. II. 2. „ Non eſt acceptio perſonarum apud Deum. “ (g) Item culpam: quia non facit fructum : propter ſolam enim omiſſionem fit punitio . Infra XXV. 42. *Eſurivi , & non dediſtis mihi manducare* . Tertio ponit duplicem pœnam , ſcilicet temporalem, *Excidetur* , ſcilicet ex hac vita. Luc. XIII. 7. „ Ecce tres anni ſunt ex quo venio qnærens fructum in ficulnea hac , & „ non invenio : ſuccide ergo illam . “ Et poſt: „ Ut quid terram occupat ? “ Et hoc eſt *Excidetur* , cum proſperitate terrena . Item ponit pœnam æternam: Unde dicitur, *In ignem mittetur*. Eſaiæ LXVI. 24. „ Vermis „ eorum non morietur, & ignis eorum non „ extinguetur. “ Et infra XXV. 41. *Ite maledicti in ignem æternum*. *Ego quidem baptizo*. Supra Ioannes exhortatus fuit ad pœnitentiam explendam; modn intendit facere quod frequenter dixerat , ſcilicet annuntiare regnum cælorum : & circa hoc duo facit . Primo ponitur præparatio ad regnum ; ſecundo agitur de prænuntiatione regni, ibi, *Qui autem poſt me venturus eſt*. Regnum illud Chriſtus eſt; de quo Luc. XVII. 21. „ Regnum Dei intra vos eſt. “ Præparatio quidem eſt baptiſmus: unde, *Ego quidem*, quod mirabile eſt vobis , *baptizo* , in aqua ſola , ſcilicet quia ſum purus homo: unde non poterat niſi corpus lavare ; nec poterat dare Spiritum ſanctum , cum nondum eſſet ſolutum pretium pro peccato . Hebr. IX. 22. „ Non enim fit remiſſio ſine ſanguine . “ Item Spiritus ſanctus nondum deſcenderat , nec Chriſtus tactu ſuæ carnis aquam ſanctificaverat . Quare ergo baptizabat ? Propter tria. Primo ut præveniret Chriſtum, baptizando . Luc. I. 76. „ Præibis ante faciem „ Domini parare vias eius . “ Secundo ut congregatis hominibus haberet opportunitatem prædicandi de Chriſto . Ioan. I. 31. „ Ut manifeſtaretur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans. “ Tertio ut ad baptiſmum Chriſti præpararet . Unde conſuetudo eſt in Eccleſia ut prius catechumeni fiant qui baptizari debent , ſcilicet ut fiat quædam præparatio , & accipiant quoddam ſignaculum , per quod idonei reputantur . Et hoc eſt quod dicit, *Ego baptizo*, ut ſcilicet ſciatis vos aptos eſſe , qui a Chriſto baptizari intenditis.

Nota , quod Magiſter in IV. Sententiarum dicit , quod baptizati a Ioanne non baptizabantnr a Chriſto, niſi illi qui ponebant ſpem ſuam in Ioanne . Sed hoc falſum eſt ; unde dicit: *Ipſe vos baptizabit*.

Item nota , quod Auguſtinus movet quæſtionem. Si poſt baptiſmum Ioannis rebaptizabantur , quare non rebaptizabantur poſt baptiſmum hæreticorum?

Dicendum , quod Ioannes baptizabat in perſona ſua; hæretici in perſona Chriſti: unde baptiſmus Chriſti iudicandus eſt.

Conſequenter agitur de regno : & primo oſten-

(a) *Al.* Sed per utramque Ioannes excludit . (b) *Al. Iamque*. (c) *Al.* Secundum hoc ergo tenetur ad radicem: intelligitur humanitas & divinitas; per ferrum iudicium. Iudicium enim fit per Deum hominem. (d) *Al. deeſt* eius etiam. (e) *Al.* in radice. (f) *Al.* Sequitur , *Omnis arbor*. Ponit univerſalitatem: unde , *Omnis arbor* , quaſi tam Iudæus quam Gentilis. (g) *Al.* Deinde.

Digitized by Google

oſtendit dignitatem ipſius; ſecundo officium eius, ibi, *Ipſe vos baptizabit*. Dicit ergo: *Qui poſt me venit*, naſcendo, baptizando, prædicando, moriendo, ad inferos deſcendendo. Sed hic de duobus tantum (*a*) loquitur; videlicet de prædicatione, & baptiſmo: unde dicit: *Qui poſt me venit*, ad baptizandum, & docendum: Luc. I. 17. „ Ipſe „ præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute „ Eliæ: " *fortior me eſt*, & fortior eius baptiſmus. I. Reg. II. 2. „ Non eſt ſanctus „ ut eſt Deus. " Iob IX. 19. „ Si fortitudo „ quæritur, robuſtiſſimus eſt. " Et ne ſic credatur quod ſit comparatio inter eos, dicit: *Cuius non ſum dignus calceamenta portare*; quaſi dicat: Incomparabiliter me dignior eſt, ut exponit Chryſoſtomus, ita ut ei officium non debeam exhibere.

Sed ſciendum, quod in aliis tribus Evangeliis non eſt ſic: quia illic dicitur *ſolvere*, hic *portare*. Unde dicit Auguſtinus quod Ioannes voluit tantum ſuam humilitatem,& Chriſti excellentiam oſtendere; & tunc idem ſignificatur in omnibus: unde dicit, quod hoc fuit per Spiritus ſancti inſpirationem, quod in talibus Evangeliſtæ diſſonent in verbis, ut documentum accipiamus, quod non mentimur, ſi (*b*) eumdem ſenſum cum aliis loquimur, quamvis non eadem verba dicamus. Si vero myſticum aliquid ſignificare voluit, tunc differentia eſt in verbis Matthæi, & aliorum. Et poſſunt in corrigia calceamenti duo ſignificari: quia per calceamentum humanitatem. Pſalm. LIX. 10. „ In „ Idumæam extendam calceamentum meum." Corrigia eſt unio, (*c*) qua humanitas ligata eſt divinitati. Et quia non reputabat ſe ſufficientem ad explicandum myſterium unionis, ideo dicit: *Cuius non ſum dignus calceamenta portare*. Vel mos erat apud Iudæos, Deuteron. XXV. quod ſi quis nollet accipere uxorem fratris ſui, deberet ſolvere corrigiam ab illo qui uxorem accipiebat. Sponſa Chriſti Eccleſia eſt: tunc ergo Ioannes reputabat ſe indignum eſſe accipere ſponſam Chriſti. Vel aliter ſecundum Hilarium: calceamentum portant quippe nuntiatores humanitatis Chriſti per mundum; quod fuit reſervatum Apoſtolis. Eſa. LII. 7. „ Quam pulchri ſuper montes pedes annun- „ tiantis, & prædicantis pacem, annuntian- „ tis bonum, prædicantis ſalutem! " Ergo Ioannes dicit ſe non eſſe dignum portare calceamentum, quod Apoſtolis erat reſervatum. Maius enim officium eſt evangelizare, quam baptizare. I. Corin. I. 17. „ Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare. "

Numquid ergo maiores Apoſtoli Ioanne? Non merito, ſed officio novi teſtamenti. Et ſecundum hunc ſenſum dicitur infra XI. 11. *Qui minor eſt in regno calorum, maior eſt ille*.

Vel aliter ſecundum Chryſoſtomum, pedes Chriſti ſunt Apoſtoli, & alii eius famuli, inter quos Ioannes erat. Calceamentum eſt infirmitas eorum, quia ſicut decor pedum non cognoſcitur quamdiu teguntur calceamento, ita decor Apoſtolorum. II. Corin. XII. 9. „ Libenter gloriabor in infirmitati- „ bus meis, ut inhabitet in me virtus Chri- „ ſti. " *Cuius non ſum dignus calceamenta portare*: quia nec ipſe, nec Apoſtoli ſe dignos reputant ut ſint miniſtri Evangelii Chriſti. II. Corin. III. 4. „ Fiduciam ta- „ lem habemus per Chriſtum ad Deum, „ non quod ſufficientes ſimus cogitare ali- „ quid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficien- „ tia noſtra ex Deo eſt. "

Si ergo diverſa ſignificat ſecundum myſterium, quid horum dixit Ioannes?

Dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod ſi verba Ioannis ad diverſa referuntur, ſic utrumque dixit. Vel quod Ioannes turbis prædicans quandoque dixit illud, quandoque aliud.

Conſequenter agit de officio Chriſti: & primo de officio baptizandi; ſecundo de officio iudicandi, ibi, *Cuius ventilabrum in manu ſua*. Dicit ergo: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni*. Multi libri habent, *Et ignis*; ſed loquuntur more Græcorum, qui carent ablativo. Et dicit: *Spiritu ſancto, & igni*: in quo datur intelligi quod baptiſmus Chriſti habet amplius quam baptiſmus Ioannis, quia addit ſuper illud: quia Chriſtus in aqua, & ſpiritu. Ioan. III. 5. „ Niſi „ quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſan- „ cto, non poteſt introire in regnum Dei. "

Sed nota (*d*) quod cum dicit, *Baptizabit vos in Spiritu ſancto*, inſinuat habendam eſſe affluentiam Spiritus ſancti; quam habentes totaliter abluuntur. Act. I. 5. „ Vos au- „ tem baptizabimini Spiritu ſancto. " Inſinuat etiam facilem immutationem.

Et igni. Iſtud multipliciter exponitur. Hieronymus dicit, quod idem deſignatur per Spiritum ſanctum, & ignem. Luc. XII. 49. „ Ignem veni mittere in terram, & quid „ volo niſi ut accendatur? " ideſt Spiritum ſanctum. Et ideo etiam in igne apparuit. Act. II. 3. „ Et apparuerunt illis diſpartitæ „ linguæ tamquam ignis. " Secundum Chryſoſtomum, per ignem ſignificatur præſens tribulatio, quæ purgat peccata. Eccli. XXVII. 6. „ Va-

(a) *Al.* eſt loqui. (b) *Al.* eadem ſenſu. (c) *Al.* quia. (d) *Al.* Sed nota, quod dicit.

6. „ Vaſa figuli probat ſornax, & homines „ iuſtos tenratio tribulationis. “ Sed ſciendum, quod dicit, iſtud baptiſma eſſe neceſſarium, quia baptiſmus Spiritus ſancti continet mentem, ne vincatur a tentationibus, ſed non totaliter tollit germina carnis ; & ideo neceſſaria eſt tribulatio, quia caro tunc attrita non germinabit concupiſcentiam. Neceſſarius ergo eſt ignis qui reficiat carnem. Vel per ignem intelligitur purgatio futura in purgatorio. I. Cor. III.13. „ Quale ſit opus „ ignis probabit. “ Hilarius autem exponit de igne inferni, & dicit quod duo intendit in hoc quod dicit: *Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto, & igni*: ſalutem ſcilicet quam efficit in præſenti, & in futuro. In futuro purgabit per ignem inferni, inquantum attrahet malos; & hoc conſonat ei quod ſequitur: *Paleas autem comburet igni inextinguibili*. Conſequenter agitur de iudiciaria poteſtate: *Cuius ventilabrum in manu eius*: & primo tangitur iudiciaria poteſtas; ſecundo iudicii effectus; tertio iudicii modus. Dicit ergo: *Cuius ventilabrum*: & utitur ſimilitudine. Area dicitur Eccleſia; fruges, fideles, qui congregabuntur per Angelos. Luc. x. 2. „ Rogate dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. “ Ioan. IV. 34. „ Qui „ miſit me ut perficiam opus eius. “ Ventilabrum, iudiciaria poteſtas Chriſti, quæ diſcernet triticum a paleis. Ioan. v. 42. „ Pater omne iudicium dedit Filio. “ Act. x. 42. „ Ipſe eſt qui conſtitutus eſt a Deo „ iudex vivorum, & mortuorum. “ *Permundabit*, ideſt perfecte mundabit: primo per tribulationes, quæ ſunt quaſi quidam ventus, qui ſi non eſt, paleæ ſunt cum tritico; ita etiam quamdiu ſunt in Eccleſia, non diſcernuntur boni a malis: & ſicut per minorem ventum paleæ tenues expelluntur, & per fortem groſſæ; ita in Eccleſia, ſi creſcat tribulatio, etiam qui firmi videntur, cadunt. Luc. VIII. 13. „ Ad tempus credunt, & in tempore „ tentationis recedunt. “ Secundo per ſententias prælatorum, quando ſcilicet excommunicantur. I. ad Corinth. v. 13. „ Auferte malum ex vobis ipſis. “ Tertio in die iudicii quando ſegregabuntur boni a malis, Infra xxv. *Et congregabit in horreum ſuum*, ſcilicet paradiſi, *triticum*, ideſt electos. Pſalm. cv. 47. „ (*a*) Salvos nos fac „ Domine Deus noſter, & congrega nos „ de nationibus. “ *Paleas autem comburet*. Et nota, quod differentia eſt inter paleas, & zizania. Aliud enim eſt ſemen palearum, & zizaniorum: quia palearum eſt idem ſemen cum tritico. Unde per zizania poſſumus intelligere ſchiſmaticos, qui non communicant nobiſcum in ſacramentis; per paleas, fideles, (*b*) licet malos. Sed utrique igni comburentur. *Igni inextinguibili*. Eſa. ult. 24. „ Ignis eorum non extinguetur. “ Et dicit, *Inextinguibili*, ad differentiam ignis purgatorii. De hoc igne infra xxv. 41. *Ite maledicti in ignem æternum, &c.*

(b) Supra introduxit Evangeliſta Ioannem baptizantem; nunc introducit Chriſtum ad baptiſmum Ioannis venientem: & circa hoc duo facit. Primo ponit ea quæ præceſſerunt baptiſmum; ſecundo conſequentia ad baptiſmum, ibi, *Baptizatus autem Ieſus*. Circa primum ponuntur quatuor. Primo mira Chriſti humilitas; ſecundo humilitatis admiratio; tertio Chriſti ſatisfactio admirationi; quarto Ioannes ſatisfactioni conſentit. Secundum ibi, *Ioannes autem prohibebat eum*; tertium ibi, *Reſpondens autem Ieſus*; quartum ibi, *Tunc dimiſit eum*. Circa primum quatuor ponuntur: tempus, perſonæ, loca, & officium. Tempus, cum dicit, *Tunc*, ſcilicet Ioanne lumen ſuum habente. Sicut enim ſol oritur adhuc apparente lucifero, ita Chriſtus Ioanne prædicante, & baptizante, Luc. I. Iob XXXVIII. 32. „ Numquid pro„ ducis luciferum in tempore ſuo, & veſ„ perum ſuper fines terræ conſurgere fa„ cis? “ Vel tunc quando Chriſtus fuit in trigeſimo anno, Luc. III. ut daret intelligi quod officinm prædicationis, & prælationis non debet aliquis ſumere ante perfectam ætatem. Vel tunc quando ſecundum curſum aliorum multa peccata poterat perpetraſſe. Unde noluit ſtatim baptizari, ſed multo tempore legem ſervavit, quaſi conſtitutus ſub lege; & ut Iudæi non haberent cauſam ſcandali, quia non venit ſolvere legem: infra v. Sed poſſet alicui videri quod ideo Chriſtus terminaſſet legem, quia non potuiſſet legem implere: & ideo voluit diu obſervare, & ideo non ita cito baptizatus eſt. Ponuntur perſonæ cum dicitur: *Venit Ieſus ad Ioannem*, dominus ad ſervum, creator ad creaturam. Infra XI. 29. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Loca, *A Galilæa*. Iſta myſtice conveniunt baptizatis, quia Galilæa ſignificat tranſmigrationem: oportet enim baptizatos tranſmigrare de vitiis ad virtutes. I. Pet. II. 1. „ Deponentes o„ mnem malitiam, & omnem dolum, & „ ſimulationes, & invidias, & omnes detra„ ctiones. “ Item, *In Iordanem*. Iordanis interpretatur deſcenſus, & ſignificat humilitatem,

(a) *Al.* „ Salva nos. “ (b) *Al.* ſcilicet mali,

Digitized by Google

tem, quæ debet eſſe in baptizando ad gratiam percipiendam. Iacob. iv. 6. „ Humilibus autem dat gratiam. “ Ponitur officium, *Ut baptizaretur*. Deus voluit baptizari a Ioanne quatuor rationibus. Primo ut baptiſmus Ioannis conſervaretur, quia illi aliqui detrahebant, infra xxi. Secundo ut ſuo tactu totam conſecraret aquam. Et ideo baptiſmus dicitur fieri de fontibus Salvatoris. Eſa. xii. 3. „ Haurieris aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. “ Tertio ut demonſtraret in ſe veram conditionem hominis: quia ſicut fuit in ſimilitudinem carnis peccati, Roman. viii. ita voluit mundari quaſi peccator. Quarto ut aliis imponeret neceſſitatem baptizandi. Prius enim voluit ſervare quæ impoſuit. Act. i. 1. „ Cœpit Ieſus facere, & docere. “ Contra illos de quibus infra xxiii. 41. *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea tangere*. Conſequenter ponitur admiratio. Et nota tria. Primo enim Ioannes recuſat honorem ſibi oblatum; ſecundo confitetur ſuam humilitatem; tertio ſuam infirmitatem. Secundum ibi, *Ioannes autem prohibebat eum*. Eccli. vii. 4. „ Noli quærere ab homine ducatum, neque a Rege cathedram honoris. “ Tertium ibi, *Ego a te debeo baptizari*. Cognoſcebat enim quod interius baptizaret, & ideo dicit, *Baptizari*, ideſt ab originali peccato mundari. Ita dicit Gloſſa.

Sed contra, quia erat ſanctificatus in utero. Sed dicendum, quod ante adventum Chriſti aliqui quodammodo mundati ſunt quantum ad infectionem perſonæ per circumciſionem, & huiuſmodi; ſed quantum ad culpam, & infectionem totius naturæ, nullus mundatus fuit ante paſſionem Chriſti.

Et tu venis ad me? Pſal. cxxxviii. 6. „ Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me; confortata eſt, & non potero ad eam. “ Conſequenter ponitur Chriſti ſatisfactio. Nota quod Ioannes unum fecerat, quia prohibebat, & duo dixerat: *Ego a te debeo baptizari; & tu venis ad me?* Et tamen Chriſtus ad unum non reſpondit; ad hoc ſcilicet, *Ego a te*; ſed reſpondit ad hoc quod prohibebat: unde, *Sine modo*. Et dicit, *Modo*, quia, ſecundum Chryſoſtomum, Ioannes poſtmodum baptizatus eſt a Chriſto, non ſolum baptiſmo flaminis, ſed etiam aquæ. Vel, *Sine modo*, hoc dicit, quia poſtmodum baptizatus eſt Ioannes baptiſmo Spiritus ſancti. Vel, *Sine modo*, ut baptizer baptiſmo aquæ, quia alio baptiſmo habeo baptizari, ſcilicet baptiſmo paſſionis. Luc. xii. 50. „ Baptiſmo habeo baptizari: & quomodo coarctor uſque dum perficitur? “ Et iſto etiam Ioannes baptizatus eſt a Chriſto, inquantum mortuus eſt pro iuſtitia; quod idem eſt quod mori pro Chriſto. Vel, *Sine modo*, quando gero formam ſervilem, implere me humilitatis officium: quia quando apparebo glorioſus, tunc baptizabo te baptiſmo gloriæ. Conſequenter reſpondet Chriſtus admirationi, & dicit: *Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam*: quod exponitur tripliciter. Primo *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam*, ſcilicet per baptiſmum. Futurum enim erat quod Chriſtus impleret omnem iuſtitiam & legis, & naturæ: ſed voluit per iſtam viam implere, quia ſine baptiſmo non impletur. Ioan. iii. 3. „ Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. “ Remigius ſic exponit. *Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam*. Decet me dare exemplum huius ſacramenti, in quo datur plenitudo omnis iuſtitiæ, quia datur plenitudo gratiæ, & aliarum virtutum. Pſa. lxiv. 10. „ Flumen Dei repletum eſt aquis, “ ſcilicet gratiarum. Vel ſic. *Sic enim decet &c.* ideſt, decet me habere perfectam humilitatem. Primus gradus eſt non præferre ſe pari, & ſubiicere ſe maiori: quod quidem eſt neceſſitatis. Secundus cum ſubiicit ſe æquali. Perfecta autem quando prælatus ſe ſubiicit inferiori; & hoc eſt *Sic enim decet &c.* ideſt perfectam humilitatem implere. Sed cum eſſet inter eos talis altercatio, Chriſtus vicit: unde, *Tunc dimiſit eum*; hoc eſt, permiſit ut ab eo baptizaretur. Gloſſa: „ Vera eſt humilitas, quam non deſerit obedientia: “ pertinaciter enim reſiſtere, ſuperbiæ eſt. I. Reg. xv. 23. „ Quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere. “ Sic enim laudatur Hieremias, & Moyſes qui finaliter conſenſerunt. Conſequenter cum dicit, *Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua*, ponuntur quatuor conſequentia ad baptiſmum. Et ſciendum, quod ſicut Chriſtus in ſuo baptiſmo dedit exemplum baptizandi aliis, ita in conſequentibus baptiſmum, dedit intelligere quæ nos conſequamur. Sunt autem quatuor conſequentia; ſcilicet aſcenſus Chriſti, aperitio cæli, apparitio Spiritus ſancti, & proteſtatio Patris. Primum ibi, *Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua*. Et ad litteram hoc dicit, quia fluvius habebat alveos altos. In hoc tamen ſignificatur quod illi qui baptizantur, aſcendunt per bona opera. Et dicit, *Statim*, quia immediate baptizati in Chriſto induunt Chriſtum. Gal. iii. 27. „ Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. “

Item

Digitized by Google

Item adipiſcuntur hereditatem cæleſtem. I. Pet. I. 3. „ Regeneravit nos in ſpem vi-„ vam per reſurrectionem in hereditatem „ incorruptibilem. “ Et hoc eſt *Et aperti ſunt cæli*. Hoc non eſt intelligendum corporaliter, ſed imaginaria viſione. *Et aperti ſunt ei cæli*. Et ſignificat hoc quod humano generi clauſum erat cælum per peccatum. Gen. III. 24. „ Et collocavit ante paradi-„ ſum voluptatis Cherubin, & flammeum gla-„ dium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam „ viam ligni vitæ. “ Dicitur quod poſuit Seraphin, ſed apertum eſt per Chriſtum.

Sed quæritur quare aperti ſunt ei cæli, cum ſemper fuerint ei aperti?

Et dicendum, ſecundum Chryſoſtomum, quod Evangeliſta loquitur ſecundum communem modum locutionis: quia merito baptiſmi eius, aperti ſunt nobis: ſicut Rex amico ſuo petenti pro alio gratiam, dicit: Concedo hoc vobis.

Et ſciendum, quod tria ſunt hominum genera qui ſtatim ad cælum evolant poſt mortem. Baptizati, ut hic. Martyres: unde Act. VII. 55. „ Ecce video cælos apertos, „ & Filium hominis ſtantem a dextris virtutis „ Dei. “ Et qui peregerunt pœnitentiam. Act. x. 19. dicitur, quod „ Petro oranti „ apertum eſt cælum. “

Conſequenter ponitur apparitio Spiritus ſancti: unde: *Et vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe*. Hoc eſt quod competit baptizatis, qui accipiunt Spiritum ſanctum in ſe. Ioan. III. 6. „ Quod „ natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt; “ ideſt, ſpiritualis eſt. *Et vidit*, non imaginaria viſione; alias ipſe ſolus vidiſſet, *Spiritum Dei*, ideſt columbam. Et ſciendum, quod nihil corporale dicitur de Deo ſecundum ſubſtantiam ſuam, ſed vel per imaginariam viſionem: Eſa. VI. I. „ Vidi Dominum ſeden-„ tem ſuper ſolium excelſum, & elevatum „ &c. “ vel per ſignificationem: I. Corin. x. I. „ Petra autem erat Chriſtus: “ vel per aſſumptionem in unitatem perſonæ. Io. I. 14. „ Verbum caro factum eſt. “ Nullo autem iſtorum modorum Spiritus ſanctus dicitur columba. Quod non per imaginariam viſionem, patet, quia communiter ab omnibus viſa eſt. Non per ſignificationem, quia non primo exciterat. Non per aſſumptionem in unitatem perſonæ. Et ideo eſt quartus modus, qui eſt quando de novo formatur aliqua ſpecies ad repræſentationem divinorum effectuum, ſicut in Exo. III. 2. Apparuit Dominus in igne, & rubo: & in legislatione, in fulgure, & tonitruo, Exo. XIX. Unde columba fuit ad repræſentandam influentiam Spiritus ſancti. Et hoc eſt *Et vidit Spiritum Dei deſcendentem*. Apparuit autem in ſpecie columbæ propter quatuor. Primo propter caritatem: columba enim eſt animal amoroſum. Chryſoſtomus: “ Alia dona „ habet etiam ſervus diaboli in ſimulatione „ quæ habet ſervus Dei in veritate: ſolam „ caritatem ſancti Spiritus non poteſt im-„ mundus ſpiritus imitari. “ Can. V. „ Aperi „ mihi ſoror mea, amica mea, columba „ mea, immaculata mea. “ Secundo propter innocentiam, & ſimplicitatem. Infra x. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. Tertio quia habet gemitum pro cantu; & homo ſanctificatus per Spiritum ſanctum debet gemere pro peccatis. Naum II. 7. „ Et ancillæ eius minabantur ge-„ mentes ut columbæ. “ Quarto propter fecunditatem: unde etiam præcipiebatur in lege ut offerrent columbam. Et hoc convenit baptizatis, quia ſicut dicit Ioan. III. 6. „ Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus „ eſt. “ *Deſcendentem ſicut columbam*. Semper emanatio donorum divinorum a Deo in quacumque creatura eſt per deſcenſum, quia creatura non poteſt recipere niſi per deſcenſum in illam. Iac. I. 17. „ Omne da-„ tum optimum, & omne donum perfectum „ deſurſum eſt, deſcendens a patre lumi-„ num. “ *Et venientem ſuper ſe*.

Nota. Miſſio viſibilis ſemper eſt ſignum miſſionis inviſibilis, & ſignificat aut gratiam de novo acceptam, aut augmentum gratiæ; ſicut in Apoſtolis, quando in linguis apparuit Spiritus ſanctus, ſignificavit augmentum gratiæ. Item miſſio talis vel ſignificat gratiam tunc factam, aut prius factam. In Chriſto autem non ſignificavit novum effectum, quia ab inſtanti conceptionis ſuæ fuit plenus gratia, & veritate. Sed gratia quæ fuit ante ſuper ſe, fuit inquantum homo, non inquantum Deus.

Conſequenter cum dicit, *Et ecce vox de cælo dicens*, ponitur proteſtatio Patris: *Hic eſt Filius meus*. Nota, quod baptiſmus non ſolum facit ſpirituales, ſed etiam filios Dei. Ioan. I. 12. „ Dedit eis poteſtatem filios „ Dei fieri. “ Et ſciendum, quod iſta vox quaſi exprimit illud quod columba ſignificavit. *Dilectus*, non ſicut aliæ creaturæ, Sap. II. ſed tamquam filius naturalis. Ioan. V. 20. „ Pater diligit Filium, & omnia de-„ monſtrat ei quæ ipſe facit, & maiora his „ demonſtrabit ei opera, ut vos miremini. “ Hoc etiam ſignificat Pſalm. II. 7. Dominus „ dixit ad me: Filius meus es tu, ego ho-„ die genui te. “ Sed quia ſancti etiam diliguntur ab eo addit, *Filius*, per quod diſtin-

ſtinguit filium, ſecundum unum intellectum, ab aliis. *In quo mihi complacui*. In quocumque enim relucet bonum alicuius, in illo aliquid complacet ſibimet, ſicut artifex ſibi complacet in pulchro artificio ſuo, & ſicut ſi homo videat ſuam pulchram imaginem in ſpeculo. Bonitas divina eſt in qualibet creatura particulari, ſed numquam tota perfecta niſi in Filio, & Spiritu ſancto; & ideo (a) totum non complacet ſibi niſi in Filio, qui tantum habet de bonitate quantum Pater. Et hoc eſt *In quo*; ideſt, ego complaceo mihi in ipſo. Ioan III. 35. „ Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu „ eius. "

Sed nota, quod contrarietas quædam videtur eſſe inter iſtum Evangeliſtam & alios: quia Marcus I. cap. & Lucas III. cap. dicunt: „ Tu es Filius meus dilectus. " Matthæus vero: *Eſt Filius meus dilectus*: & „ In „ te. " Sed eadem eſt ſententia, quia quod dicitur, „ Tu es, " hoc directe videbatur dici ad Chriſtum; ſed dicebat propter alios, quia Chriſtus certus erat de dilectione Patris. Et ideo Matthæus expreſſit intentionem dicentis, & dicit: *Hic eſt &c.* Unde demonſtrat quaſi aliis dictum eſſe. Ita dixit Auguſtinus.

Item quæritur quare Matthæus, & Marcus dicunt, *In quo mihi*. Lucas vero, „ In te. " Auguſtinus dicit, quod Pater in Filio complacet ſibi, & hominibus. Propter hoc ergo quod dicitur, *In quo*, ſignificat quod complaceat ſibi in hominibus. Unde complaceat aliis mihi, ideſt ad honorem meum, quia aliqui videntes Filium, glorificaverunt Patrem. Vel ſecundum utrumque ſenſum: *In quo mihi complacui*; ideſt, placitum meum fuit implere ſalutem hominum: & hoc eſt „ In te, " ideſt per te.

Et nota, quod in iſto baptiſmo non ſolum repræſentatur finis, & fructus, ſed etiam forma baptiſmi, quæ eſt, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: infra ult. Filius enim fuit in carne, Pater in voce, Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie. Et nota, quod hoc quod ſeorſum fuit, non pertinet ad diviſionem operationis perſonæ de Trinitate, cum, ſicut eſt communis eſſentia, ita operatio; ſed hoc dicitur propter appropriationem quamdam: quia tota Trinitas illud, & columbam creavit, & carnem creavit; ſed referuntur iſta ad diverſas perſonas.

CAPUT IV.

(a) Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Ieſus rurſum: Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Tunc dixit ei Ieſus: Vade ſatana: ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

(b) Cum autem audiſſet Ieſus, quod Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam: & relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in civitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephtalim: ut adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem Galilæa gentium, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; & ſedentibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Ambulans autem Ieſus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare, erant enim piſcatores. Et ait illis: Venite poſt me;

(a) Al. totus.

me, & ſaciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuo relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in navi cum Zebedæo patre eorum reficientes retia ſua: & vocavit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum.

(c) Et circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam; & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos; & curavit eos. Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

(a) SUpra oſtenſum eſt quod Chriſtus ſe præparavit ad doctrinam, baptiſmum accipiendo; nunc autem tentationem ſuperando. Circa hoc duo facit. Primo ponitur victoria quam de tentatione habuit; ſecundo quomodo diſcipulos ad doctrinam audiendam vocavit, ibi, *Ambulans autem Ieſus iuxta mare Galilaæ*. Circa primum tria facit. Primo præmittit quædam præambula de tentatione; ſecundo ponitur tentationis inſultus, ibi, *Et accedens tentator dixit*; tertio victoria, ibi, *Tunc reliquit eum diabolus*. Ponuntur autem tria præambula; ſcilicet locus, ieiunium, & famis experientia. Quantum ad primum, quatuor tanguntur: tempus, & locus, ductor & finis huius ducatus. Tempus, *Tunc*, quando ſcilicet iam declarabatur voce paterna quod eſſet filius Dei. In quo dat intelligi, quia illis tentatio imminet qui efficiuntur filii Dei per baptiſmum. Eccli. II. I. „ Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta „ in iuſtitia & timore, & præpara animam „ tuam ad tentationem. “ Iſtud deſertum erat inter Hieruſalem, & Hiericho, ubi multi occidebantur: de quo Luc. x. 30. „ Homo „ quidam deſcendit ab Hieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abie- „ runt ſemivivo relicto. “

Et nota quinque rationes quare quis poſt acceptam ſpiritualem gratiam tentatur. Prima ut accipiat experimentum ſuæ iuſtitiæ. Eccli. xxxIV. 9. „ Qui non eſt tentatus qualia „ ſcit? “ Secundo ad reprimendam ſuperbiam. II. Corint. xII. 7. „ Ne magnitudo reve- „ lationum extollat me, datus eſt mihi ſti- „ mulus carnis meæ, angelus ſatanæ qui me „ colaphizet, &c. “ Tertio ad confundendum diabolum, ut ſciat quanta ſit virtus Chriſti, (*a*) ut ſuperare non poſſit. Huius exemplum habetur Iob I. 8. „ Numquid con- „ ſideraſti ſervum meum Iob? &c. “ Quarto ut fortior reddatur, ſicut milites fortes redduntur per experientiam. Iudic III. „ Quare „ voluit dimittere hoſtes cum filiis Iſrael? “ Quinto ut ſuam dignitatem cognoſcat, quia quando diabolus aggreditur aliquem, hoc cedit ad honorem, quia diabolus ſanctos aggreditur. Iob xl. 10. Cibus eius fenum .... „ Et habet fiduciam quod influat Iordanis in „ os eius. “

Sequitur de loco: *Tunc ductus eſt Ieſus in deſertum*. Hoc convenit præcedentibus, & ſubſequentibus, quia conveniens fuit quod poſt baptiſmum deſertum intraret. Hoc ſignificatur in populo Iſraelitico, qui poſt tranſitum maris rubri, qui fuit figura baptiſmi, in terram promiſſionis venit (*b*) per deſertum, & ſolitudinem. Ita baptizati vitam ſolitariam, & quietam debent quærere, corpore mundum derelinquendo, vel mente. Oſee II. 14. „ Ducam eam in ſolitudinem, „ & loquar ad cor eius. “ Pſalm. LIV. 8. „ Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſoli- „ tudine. “ Conveniens enim erat ut exiret (*c*) in deſertum, quaſi ad ſingulare certamen cum diabolo. Chryſoſtomus: (*d*) „ Ille „ in deſertum vadit, qui exit extra fines „ (ideſt voluntatem) carnis, & mundi, ubi „ non eſt locus tentationis. Quomodo enim „ de libidine tentatur, qui tota die eſt cum „ uxore? “ Sed qui non exeunt a voluntate carnis, & mundi, non ſunt filii Dei, ſed filii diaboli, qui etiam uxorem propriam habentes, appetunt alienam: ſed filii Dei habentes Spiritum ſanctum, ducuntur in deſertum, ut tententur cum Chriſto, de quo ſequitur; *Ductus eſt a Spiritu*, intellige ſancto.

Sed ille qui ducit, maior eſt eo qui ducitur: ergo Spiritus ſanctus maior Chriſto.

Reſpondendum. Si referatur ad Ieſum ſecun-

(a) *Al.* ut eum ſuperare non poſſit. (b) *Al. deeſt* per deſertum, & ſolitudinem. (c) *Al.* in deſerto.
(d) *Al.* Ille in deſertum vadit qui exit extra fines carnis &, mundi, quia non eſt ibi locus tentationis. Quia qui non ieiunat, non tentatur de gula. Si ſunt aliqui etiam formam uxoris habentes, non ſunt iſti filii Dei, ſed diaboli. *Ductus*, a Spiritu ſancto. Quæſtio. Ille qui ducit, maior eſt eo qui ducitur: ergo Spiritus ſanctus maior Chriſto.

Digitized by Google

cundum quod eſt filius Dei, ſic eſt æqualis Spiritui ſancto: & aliquis poteſt alium ducere, vel imperio, & ſic eſt maior; vel exhortatione, & ſic eſt par. Ioan. I. (a) Andreas duxit Petrum ad Ieſum; & ſic ductus eſt Ieſus. Hilarius refert ad Chriſtum, ſecundum quod homo: (b) ſcilicet Spiritus ſanctus hominem quem repleverat, exponit tentationi. Homines enim tunc ducuntur a Spiritu ſancto, quando caritate moventur, ſic quod non motu proprio moventur, ſed alieno, quia ſequuntur impetum caritatis. II. Cor. v. 14. „ Caritas Dei urget nos. " Et ſic filii Dei aguntur a Spiritu ſancto, ut tempus huius vitæ quæ plena eſt tentationibus (Iob VII. I. „ Tentatio eſt vita hominis ſuper ter- „ ram ") tranſeant cum victoria per Chriſti virtutem. Ipſe enim tentari voluit, ut ſicut morte ſua vicit noſtram, ſic tentatione ſua ſuperet omnes tentationes noſtras. Hebr. IV. 15. „ Non habemus Pontificem qui non poſſit „ compati infirmitatibus noſtris; tentatum „ autem per omnia pro ſimilitudine abſque „ peccato. " Gregorius dicit, quod eſt triplex tentationis gradus, ſcilicet per ſuggeſtionem, delectationem, & conſenſum. Prima ab extrinſeco eſt, & poteſt eſſe ſine peccato: ſecunda eſt ab intrinſeco, in qua incipit eſſe peccatum: quæ quidem perficitur per conſenſum. Primus gradus potuit eſſe in Chriſto, non alii. Et nota, quod diabolus non fuiſſet auſus accedere ad tentandum Chriſtum, niſi prius Chriſtus acceſſiſſet (c) ad eum.

Conſequenter ponitur ſecundum præambulum, ſcilicet ieiunium: *Et cum ieiunaſſet*, *&c.* quod convenit & præteritis, & futuris. Præteritis, quia convenienter aliquis poſt baptiſmum ieiunat, cum poſt baptiſmum non (d) ſit otio vacandum, ſed exercendum in bonis operibus. Gal. v. 13. „ Vos autem fra- „ tres in libertate vocati eſtis. " Libertas autem vera non eſt committenda carnali vitæ. Item futuris competebat ut is ieiunaret quem diabolus erat tentaturus: quia *hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi per orationem*, *& ieiunium*: infra XVII. 20. *Quadraginta diebus*. Ad litteram hoc intelligendum eſt. Et addit, *Et noctibus*, ne crederent aliqui quod comedere liceret in nocte, ſicut Saraceni faciunt.

Et ſciendum, quod hic numerus præfiguratur in veteri teſtamento in Moyſe, & Elia, Exod. XXIV. & III. Reg. XIX. Et latet in hoc myſterium, quia numerus huiuſmodi conſurgit ex denario (e) ducto per quaternarium. Denarius ſignificat legem, quia in decem præceptis tota lex continetur. Quaternarius ſignificat compoſitionem carnis, quia caro compoſita eſt ex quatuor elementis. Quia igitur nos per ſuggeſtionem carnis tranſgredimur legem divinam, iuſtum eſt ut carnem noſtram affligamus diebus quadraginta. Secundum autem Gregorium, hic numerus eſt ad ieiunandum ab Eccleſia inſtitutus, quod per hoc decimas ſolvimus totius anni. A prima enim dominica uſque ad Paſcha, ſunt trigintaſex dies ieiunabiles, qui ſunt decima pars ipſius anni, ſex diebus exceptis. Et ideo ab antiquo a quibuſdam addita fuit dies media, quia ieiunabant uſque ad mediam noctem ſabbati ſancti.

Tertium additur, quia *poſtea eſuriit*. Non legitur hoc de Moyſe, & Elia, qui homines erant. Sed Chriſtus eſurire voluit ut ſuam humanitatem demonſtraret: quia aliter diabolus auſus non fuiſſet accedere ad tentandum eum. Phil. II. 7. „ In ſimilitudinem ho- „ minum factus, & habitu inventus ut ho- „ mo. " Conſequenter inſultus tentationis ponitur, & eſt triplex. Primus de gula; ſecundus de inani gloria; tertius de ambitione. Secundum ibi, *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem*; tertium ibi, *Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde*. Circa primum duo facit. Primo ponit inſultum diaboli; ſecundo quomodo Chriſtus reſpondit, ibi, *Qui reſpondens &c.*. *Et accedens tentator dixit*. Hoc enim poterat effici, ut ipſe ad Ieſum accederet in aliqua forma corporea. Et eſt triplex tentatio, quia Deus tentat ut inſtruat. Gen. XXII. I. „ Tentavit „ Deus Abraham. " Quandoque homo, ut addiſcat, ſicut Regina Saba (f) tentavit Salomonem, III. Reg. X. I. ubi de ea dicitur: „ Sed & Regina Saba, audita fama Salomo- „ nis venit tentare eum in ænigmatibus. " Diabolus tentat ut decipiat. I. Theſ. III. 5. „ Ne forte tentaverit vos is qui tentat. " Quicumque vult tentare de ſcientia, primo de communibus tentat. Communia autem totius generis humani vitia ſunt vitia carnis, & præcipue gula. Item qui vult obſidere caſtrum, incipit a debiliori parte: homo autem habet duas partes, carnalem, & ſpiritualem: diabolus ex parte debiliori ſemper tentat. Unde primo de vitiis carnalibus tentat, ſicut patet in primo parente, quem primo tentavit de gula. Sed notanda eſt mira aſtutia in tentando. *Si filius Dei es*. Ita enim directe de uno tentavit quod ex obliquo de altero. Unde in primo homine ſuadebat quod comederet de ligno, quod ad peccatum car-

G 2 nale,

(a) *Al.* Andreas duxit &c. Spiritus. (b) *Al.* Scilicet Chriſtus ſanctus. (c) *Al.* ad Deum. (d) *Al.* eſt.
(e) *Al.* conducto. (f) *Al. omittitur* tentavit Salomonem.

nale, ſcilicet gulæ, directe pertinebat; ſed latenter inducebat ad ſuperbiam, & avaritiam, quæ ſunt peccata ſpiritualia. Unde dixit: „ Et eritis ſicut dii. “ (Gen. III. 5.) Ita in Chriſto. Audierat enim quod Chriſtus venturus eſſet in mundum, & hic videbatur eſſe filius Dei. Sed in dubitationem venerat utrum hic eſſet ille de quo erat prophetatum, quia nihil inveniebat in eo. Ioan. XIV. 30. „ Venit Princeps mundi huius, & „ in me non habet quicquam. “ Unde ſuggerebat quod homini eſurienti delectabile eſt. Item induxit ad appetendum ea quæ ſunt Dei. Et hoc eſt *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*. Eccle. VIII. 4. „ Sermo il„ lius poteſtate plenus eſt. “ Et Pſ. XXXII. 6. „ Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiri„ tu oris eius omnis virtus eorum. “ Ergo poteſt eius verbo lapis mutari. Ergo volebat inclinare ad hoc, quod ſi faceret, ſciret eſſe filium Dei. Si non, inducebat ad arrogantiam. Et notandum, quod multi homines ſunt qui conſentiunt peccatis carnalibus, æſtimantes, quod non debeant amittere ſtatum ſpiritualem. Sed ſi in hoc quod tentatur conſentiens homo, non amitteret ſpiritualitatem, levis eſſet tentatio. Ita perſuadere voluit mulieri diabolus, & Chriſto, promittens ſpiritualia. *Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo*. In iſta reſponſione (*a*) dat tria documenta quæ facienda ſunt tentato. Primum ut recurrat ad Scripturæ medicinam. Pſalm. CXVIII. 11. „ In corde meo „ abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. “ Unde dixit, *Scriptum eſt*. Secundum documentum ut homo nihil faciat ad arbitrium diaboli. Vegetius: „ Nihil umquam ſapiens „ dux debet facere ad arbitrium ſui hoſtis, „ etiam ſi bonum videatur. “ Et ideo Dominus cum poſſet ſine peccato lapides in panem commutare, noluit, quia ille ſuggerebat. Tertium eſt quod non debet facere ſine utilitate, ad oſtentationem ſuæ virtutis, quia hoc eſt vanitas: *Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo*. Notandum, quod diabolus ad duo (*b*) nitebatur. Primo ducere in affectum carnalium, item præſumptionis. Chriſtus autem contra utrumque primo vitat iactantiam; quaſi dicat: Tu vocas filium Dei, ego nomino hominem: unde: *Non in ſolo pane vivit homo*. Item trahit diabolus in affectum carnalium: *Dic ut lapides iſti panes fiant*. Hic trahit ſe in affectum ſpiritualium: *Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*; quaſi dicat: Non tantum vita corporalis affectanda eſt, quantum vita ſpiritualis, quæ conſervatur per cibum ſpiritualem: *Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Ioan. VI. 69. „ Domine ad quem ibimus? „ Verba vitæ æternæ habes. “ Pſal. CXVIII. 93. „ In æternum non obliviſcar iuſtificatio„ nes tuas, quia in ipſis vivificaſti me. “ Et dicit, *In omni verbo*: quia tota ſpiritualis doctrina eſt a Deo, ſive ab homine, ſive a Deo dicatur. Et iterum, *De ore*. Quia prædicator os Dei. Hier. XV. 19. „ Si ſeparaveris „ pretioſum a vili, quaſi os meum eris. “ Vel aliter. *Non in ſolo*; idest, non vivit ſolum homo per panem, ſed etiam verbo, ideſt imperio, Dei poteſt conſervari ſine aliquo cibo. *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem*. Poſita prima tentatione, de qua diabolus victus fuit; nunc ponitur ſecunda ſcilicet de inani gloria. Et ordo congruus eſt, quod poſtquam diabolus ſe victum videret vitio carnali, tentaret de inani gloria, vel ſuperbia: quia ſuperbia bonis operibus inſidiatur, ut (*c*) pereant: Auguſtinus in Regula. Circa iſtam ergo tentationem tria facit. Primo ponitur locus tentationis; ſecundo inſultus, ſive conatus tentationis, ibi, *Si filius Dei es, mitte te deorſum*; tertio reſiſtentia Chriſti, ibi, *Ait ei Ieſus*. Sed ſciendum, quod Lucas poſuit tertiam tentationem; hic e converſo. Sed non eſt vis, ſecundum Auguſtinum: quia omnia quæ narrantur hic, & in Luca narrantur; nec ponitur in Luca, vel hic quæ fuit prima, vel ſecunda. Rabanus vero dicit, quod Lucas attendit ad ordinem hiſtoriæ; & ideo ſic ordinavit, ſecundum quod factum eſt. Matthæus vero naturam tentationis ſecutus eſt, quia poſt tentationem de gula, & de inani gloria, ſequitur tentatio de ambitione. Ita enim fuit tentatus Adam. Quia primo de gula: unde Gen. II. 17. „ In quacumque die „ comederis ex eo, morte morieris. “ Secundo de gloria: (ibid. III. 5.) Eritis ſicut „ dii. “ Tertio de avaritia, ſive ambitione: (ibid.) „ Scientes bonum, & malum. “

Sed quare dicit, *Tunc aſſumpſit*? Hoc enim nomen aſſumptio vim importat.

Et reſpondet Hieronymus, quod hoc dicit Evangeliſta ſecundum opinionem diaboli: quia quod Chriſtus ſuſtinuit ex virtute, diabolus accepit quaſi faceret ſua potentia.

Dicit, *Sanctam*: vel quia ibi agebantur ſancta, temporalia ſcilicet ſacrificia, & huiuſmodi: vel dicit propter ſanctitatem patrum eorum qui ibi fuerunt. Unde ex antiqua conſuetudine vocat *ſanctam*, licet ceſſaverit. Eſa. I. 21. „ Quomodo facta eſt meretrix ci„ vitas

(a) *Al.* In iſta reſponſione de tentato dat tria documenta quæ facienda ſunt. (b) *Al.* mittebatur. (c) *Al.* pereat.

„ vitas fidelis, plena iudicii? " Sed poſt dicit: „ Vocaberis civitas iuſti, urbs fidelis, „ &c."

Sed ſciendum quod Marc. I. 13. dicitur, quod „ erat in deſerto quadraginta diebus, „ & quadraginta noctibus, & tentabatur a „ ſatana. " Ex quo videtur quod omnes tentationes fuerint in deſerto. Ergo non videtur verum eſſe quod dicitur: *Tunc aſſumpſit eum diabolus*.

Et eſt hic duplex reſponſio. Quidam dicunt, quod omnes tentationes fuerunt in deſerto, & quod fuerunt ſecundum imaginariam viſionem, ſcilicet quod Chriſtus ita imaginabatur, ipſo etiam permittente. Alii dicunt, quod fuerunt ſecundum viſionem corporalem, & quod diabolus apparuit ei in ſpecie corporali. Hoc videtur innui, quia dicit, quod *aſſumpſit eum in ſanctam civitatem*. Quidam dicunt, quod hoc ideo ad deſertum pertinet, quia Hieruſalem deſerta erat a Deo. Sed dicendum melius, quod illud quod dicitur Marc. I. 13. non eſt intelligendum, quod omnes tentationes fuerint in deſerto, nec etiam ipſe hoc dicit; ſed quod tentabatur a ſatana. Et ideo ſciendum quod prima tentatio fuit in deſerto, aliæ duæ extra deſertum.

Sed quæritur quomodo aſſumpſit. Dicunt quod deportavit eum ſupra ſe. Alii (& melius) quod exhortando induxit ad hoc quod iret; & Chriſtus ex diſpoſitione ſuæ ſapientiæ ivit in Hieruſalem.

Et ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, &c. Sciendum quod legitur III. Reg. VI. quod Salomon fecit tria (a) tabulata in templo cum tecto plano, & quædam pinacula iuxta templum per quæ poterant homines aſcendere. Et de hoc dicitur hic: *Et ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi*. Utrum autem acceſſerit in primum, vel ſecundum, vel tertium, hic non dicitur; ſed certum eſt quod aliquod aſcendit.

Sed numquid homines non videbant quando diabolus Chriſtum portabat?

Dicendum, ſecundum illos qui dicunt quod eum portabat, quod Chriſtus ſua virtute faciebat, quod videri non poſſet. Vel dicendum, quod diabolus in figura hominis erat; & conſuetudo erat quod homines ſic aſcenderent.

Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Semper diabolus duabus ſagittis percutit: ex una parte enim inducit inanem gloriam, ex alia parte homicidium: & hoc eſt *Si filius Dei es. &c.* Sed certe iſta conſequentia Chriſto non convenit, quia ei competit aſcendere. Ioan. III. 13. „ Nemo aſcendit in cælum „ niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis „ qui eſt in cælo. " Et dicit, *Mitte*, quia eius intentio eſt ſemper præcipitare, ſicut ipſe præcipitatus eſt. Apoc. XII. 4. „ Cauda „ draconis trahebat tertiam partem ſtellarum „ cæli, & miſit eam in terram. " Notat etiam diabolus infirmitatem ſuam, quia nullus niſi volens ab eo vincitur: unde dicit, *Mitte*, non præcipitat. Eſa. LI. 23. „ Incurvare ut tranſeamus. "

Sed quare ſupra pinnaculum? Gloſſa: „ Quia „ in illo loco docebant. " Unde ſignificat quod diabolus magnos de inani gloria tentat. Contra quod Apoſtolus I. Theſſalon. II. 6. „ Nec „ quærentes ab hominibus gloriam, neque a „ a nobis, neque ab aliis. " Et dicit: *Mitte te deorſum, &c.* quia homines qui quærunt gloriam, oportet quod intantum perſuadeant ut oſtendant Dei filiationem in multis humilem. Et ideo dicit Tullius in libro de Officio: „ Cavenda eſt gloriæ cupiditas, „ eripit enim animi libertatem, pro qua ma- „ gnanimis viris omnis debet eſſe contentio. "

Conſequenter inducit auctoritatem, *Scriptum eſt*. Et utitur iſta non ut doceat, ſed ut decipiat; & ex hoc ſumitur argumentum, quod ſicut ipſe transfigurat ſe in Angelum lucis, ita & ſui miniſtri, qui utuntur auctoritate ſacræ Scripturæ ad ſimplices decipiendum. II. Petr. ult. 16. „ Indocti, & in- „ ſtabiles depravant Scripturas ad ſuam i- „ pſorum perditionem. " Unde hoc præfigurabat diabolus in ſe ſicut in capite. *Quia Angelis ſuis mandavit de te*.

Nota quod tribus modis depravat quis auctoritatem ſacræ Scripturæ. Aliquando ſicut cum dicitur de uno, & exponitur de alio; ſicut ſi dicitur de uno iuſto, & exponitur de Chriſto. Verbi gratia: „ Qui potuit tranſ- „ gredi, & non eſt tranſgreſſus: " Eccli. XXXI. 10. Item (Ioan. XIV. 28.), „ Pater maior „ me eſt: " hoc dicitur de Chriſto, ſecundum quod homo: unde ſi exponatur de eo ſecundum quod filius Dei, depravatur auctoritas. Ita diabolus hic dicit, *Angelis*, quia Pſalm. XC. dicit hoc de membro Chriſti, qui indiget cuſtodia Angelorum: quod patet, quia ſubdit: „ Ne forte offendas. " Hoc enim non poteſt dici de Chriſto, quia non poterat offendere occaſione alicuius peccati. Secundo modo depravat quando inducit quis auctoritatem ad aliquid ad quod non eſt auctoritas. Sicut illud Prov. XXV. 21. & Rom. XII., „ Si eſurierit inimicus tuus, ci- „ ba

(a) *Al.* tabernacula.

Digitized by Google

„ ba illum, &c.“ Si enim aliquid facit alicui ut ille puniatur a Deo, hoc facit contra ſenſum auctoritatis. Ita diabolus: quia Scriptura intendit quod homo iuſtus ita per Angelos cuſtoditur quod in periculo non incidat: Pſalm. IX. 10. „ Adiutor in opportuni- „ tatibus in tribulatione: “ diabolus autem exponit quod homo (*a*) periculo ſe ingerat; quod eſt Deum tentare. Tertio modo quando illud quod eſt pro ſe, de auctoritate accipit, & aliud quod eſt contra ſe, dimittit; quod eſt mos hæretici. Ita fecit hic diabolus, quia dimiſit illud quod ſubditur, quod erat contra eum, ſcilicet: „ Super aſpidem, & baſili- „ ſcum ambulabis, & conculcabis leonem, „ & draconem. “ (Pſal. XC. 13.) Unde ſactus eſt exemplar omnium Scripturas depravantium.

Ait illi Dominus. Non violentia, ſed ſapientia ſe defendit. Sap. VII. 30. „ Sapien- „ tiam non vincit malitia. “ Et ideo contra auctoritatem ponit auctoritatem, quæ exponit præmiſſam; quaſi dicat: Tu dicis ut proiiciam me, ut videam an Deus eripiat me; ſed hoc prohibetur in Scriptura: unde: *Non tentabis Dominum Deum tuum*: Deut. VI. 16. Vel aliter. Tu tentas, & tentando contra auctoritatem facis. Non debet autem uti auctoritate ſacræ Scripturæ, qui contra auctoritatem facit. Et Scriptura dicit: *Non tentabis*, &c. Sed tu tentas Dominum Deum tuum, qui ſum ego. Ioan. XIII. 13. „ Vos vo- „ catis me, Magiſter, & Domine; & bene „ dicitis, ſum etenim. “ Tamen prima eſt magis litteralis. Conſequenter ponitur tertia tentatio, ſcilicet de ambitione, vel de avaritia: unde: *Tunc aſſumpſit ſuper montem excelſum valde*. Et ponitur inſultus (*b*) tentationis; ſecundo reſiſtentia Chriſti, ibi, *Tunc dicit ei Ieſus*: *Vade ſatana*. Tentat autem diabolus dupliciter: facto, & verbo. Unde, *Hæc omnia tibi dabo* &c. In facto duo conſideranda ſunt: quia primo aſſumpſit in montem; ſecundo oſtendit omnia regna mundi. Dicit ergo, *Tunc aſſumpſit*. De aſſumptione dictum eſt ſupra: ſed hoc, ſcilicet *In montem*, poteſt dupliciter exponi. Rabanus dicit, quod iſte mons erat in deſerto, quia ſecundum eum omnes tentationes in deſerto fuerunt. Dicitur autem excelſus in comparatione ad aliquos qui in circuitu erant. Chryſoſtomus autem dicit, quod duxit eum ad maiorem montem de mundo; & hoc videtur littera ſonare, cum dicitur, *Excelſum valde*. In hoc autem ſignificatur, quod diabolus ſemper ad ſuperbiam erigit, ſicut & ipſe ſuperbus eſt. Hierem. XIII. 16. „ Antequam offendant pedes veſtri ad mon- „ tes caliginoſos. “ Unde etiam dicitur (*c*) mons. Hierem. I. 15. „ Ecce ego convocabo „ omnes cognationes regnorum aquilonis, ait „ Dominus. “ *Et oſtendit ei omnia regna mundi*.

Sciendum, quod regnum mundi dupliciter accipitur. Primo ſpiritualiter; & ſic diabolus dicitur regnare in eo. Ioan. XII. 31. „ Nunc „ princeps mundi huius eiicietur foras. “ Secundo ad litteram dicitur regnum mundi, ſecundum quod unus regnat ſuper alium. Hoc autem quod hic dicitur, videtur quibuſdam quod dicatur de regno diaboli: unde *oſtendit omnia regna mundi*, ſcilicet ſuper quæ regnabat, *& gloriam eorum &c.* quia quando perfecte regnat ſuper homines, facit eos etiam gloriari. Prov. II. 14. „ Lætantur „ cum male fecerint, & exultant in rebus „ peſſimis. “ Pſalm. LI. 3. „ Quid gloriaris in „ malitia? “ Et hic eſt ultimus gradus peccati. Alii exponunt de regno carnali.

Sed tunc quæritur quomodo potuit oſtendere omnia regna mundi. Remigius dicit, quod miraculoſe, quia omnia regna in ictu oculi oſtendit, ſicut etiam de beato Benedicto legitur, quod oſtenſus eſt ei totus mundus in uno intuitu. Sed ſciendum, quod iſtæ duæ non videntur bonæ expoſitiones, quia non oporteret dicere quod *aſſumpſit in montem excelſum valde*: quia totum hoc potuiſſet fieri in valle. Unde dicit Chryſoſtomus aliter: *Oſtendit ei*: non quod oſtenderit ei ſingula regna, ſed ad quam partem ſingulum regnum eſſet, & non ſolum hoc, ſed *oſtendit gloriam eorum*; hoc eſt, expreſſit ei temporalem gloriam mundi. Oſee IV. 7. „ Gloriam eorum in ignominiam commuta- „ bo. “ Philip. III. 19. „ Gloria in confu- „ ſione ipſorum qui terrena ſapiunt. “ *Et dixit ei*: *Hæc omnia tibi dabo*. In iſtis verbis duo facit. Unum promittit, & aliud expetit; & in promiſſione eſt mendax, in expetitione ſuperbus. Diabolus in primis exploravit ſi eſſet filius Dei; modo credens iam deprehendiſſe quod non eſſet, dicit: *Hæc omnia tibi dabo* &c. ubi mendax eſt, quia hæc non erant in poteſtate ſua. Proverb. VIII. 15. „ Per me principes regnant, & „ potentes decernunt iuſtitiam. “ Daniel. IV. 14. „ Donec cognoſcant viventes quo- „ niam dominatur Excelſus in regno homi- „ num, & cuicumque voluerit dabit illud. “ Alias non dixiſſet: *Hæc omnia tibi dabo*: nullus enim malus regnat niſi permiſſione divi-

(a) *Al.* in periculo. (b) *Al. deeſt* tentationis. (c) *Al.* mens.

diviua. Iob XXXIV. 30. „ Qui regnare facit „ hominem hypocritam propter peccata po- „ puli. “ Expetiit aliud: unde, *Si cadens adoraveris me*.

Nota tria. Primo quod diabolus ſemper in id quod in principio appetiit, perſeverat. Eſa. XIV. 13. „ In cælum conſcendam, „ ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, „ ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus „ aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nu- „ bium, ſimilis ero Altiſſimo. “ Et propterea inducit ad idolatriam homines, volens uſurpare ſibi quod Dei eſt. Item nota, quod nullus adorat diabolum niſi cadat, ſicut & ipſe cecidit. Dan. III. 4. „ Cadentes adora- „ verunt ſtatuam auream. “ Et ideo dicit: *Si cadens adoraveris me*. Tertio nota hic eſſe avaritiam: unde promittit regnum, in quo intelligitur abundantia divitiarum, & excellentia honorum; & petit quod cadat, quia ambitioſi ſemper humiliant ſe ultra debitum. Unde Ambroſius: „ Habet ambitio „ domeſticum periculum, *(a)* curvatur ob- „ ſequio, ut honori donetur, & dum vult „ eſſe ſublimis ſit deiecta. “

Conſequenter ponitur *(b)* deprehenſio hoſtis: unde, *Tunc dicit ei Ieſus*. Et circa hoc duo facit. Primo cohibet tentationem; ſecundo inducit auctoritatem, ibi, *Scriptum eſt*, *&c.* Dicit ergo: *Tunc dicit ei Ieſus*.

Nota, quod Chriſtus audierat multas iniurias; ſed non curavit. Sed hoc, *Si cadens adoraveris me*, non ſuſtinuit: quia primæ cedebant in iniuriam ſui; ſed hoc ad iniuriam Dei. Unde Chryſoſtomus: „ Iniuria „ propria toleranda eſt: iniuriam Dei diſ- „ ſimulare nimis eſt impium. “ Et ideo dicit: *(c) Vade ſatana*. II. Reg. XIX. 10. „ Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exerci- „ tuum: quia dereliquerunt pactum ſuum „ filii Iſrael. “ Pſal. LXVIII. 10. „ Zelus do- „ mus tuæ comedit me. “ Item quod non eſt in poteſtate diaboli *(d)* ut tentet quantum vult; ſed quantum Deus permittit: unde dicit, *Vade*, quaſi dicat: Nolo quod amplius tentes. I. Cor. X. 13. „ Fidelis Deus, „ qui non *(e)* patietur vos tentari ſupra „ id quod poteſtis; ſed faciet etiam cum „ tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtine- „ re. “ Iob XXXVIII. 11. „ Hucuſque venies, „ & non procedes amplius, & hic confrin- „ ges tumentes fluctus tuos. “ Et notandum quod Dominus quaſi ſimilia verba dixit Petro, infra XVI. Sed ibi dixit, *Retro*: unde alia eſt ſententia hic & ibi: quia ſatan interpretatur adverſarius. Voluit ergo Dominus, quod Petrus iret poſt eum, qui volebat impedire paſſionem; ſed hic dicit, *Vade* tantum: quia diabolus eum ſequi non poteſt; & ideo dicit, *Vade*, ſcilicet ad infernum. Infra XXV. 41. „ Ite maledicti in „ ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, „ & angelis eius. “ *Scriptum eſt*, Deuteronomii VI. 16. Et inducit frequenter tales auctoritates ex Deuteronomio, ut ſignificet doctrinam novi teſtamenti, per Deuteronomium ſignificari. Quod inſequitur, *Dominum Deum*, hoc dupliciter inferri poteſt; quaſi dicat: Tu diabole dicis, quod cadens adorem te; ſed lex dicit: *Dominum Deum tuum adorabis*. Unde poteſt induci ad hoc quod purus homo non debet adorari. Vel accipiendum eſt quod loquatur de ſe tamquam de Deo: *Dominum Deum tuum adorabis &c.* quaſi dicat: Magis debes adorare me, quam e converſo: quia *ſcriptum eſt &c.* Prima tamen eſt magis litteralis.

Et nota, quod duo dicit; ſcilicet *adorabis*, *& ſervies*: & eſt inter iſta differentia. Homo enim dupliciter ſe habere debet ad Deum: quia debet ei ſubiectus eſſe, & debet ſe in eum erigere, ſicut in ultimum finem. Quantum ad primum debemus ei omnem obedientiam. Act. V. 29. „ Obedire „ oportet Deo magis quam hominibus. “ Tunc enim ſumus ei ſubiecti quando omnem eius voluntatem facimus. In Deum autem erigimur dupliciter: quia *(f)* aliquando trahimus nos ad ipſum: Pſal. XXXIII. 6. „ Acce- „ dite ad eum, & illuminamini, & facies „ veſtræ non confundentur: “ *(g)* aliquando alios ad ipſum trahimus. I. Corin. III. „ Dei enim ſumus coadiutores. “ Utrumque iſtorum demonſtramus ſenſibiliter: quia dum proſtrationes facimus, admonemus nos quod debemus eſſe ſubiecti Deo: & ideo dicit, *Dominum Deum*. Pſal. LXXI. 11. „ O- „ mnes gentes ſervient ei. “ Item in hoc quod offerimus ſacrificia, & laudes, ſignificamus hoc quod mentem noſtram debemus elevare in ipſum; & ad hoc pertinet ſervitus: & hoc eſt *Et illi ſoli ſervies*. Et eſt duplex ſervitus: quædam quæ debetur ſoli Deo; & iſta in Græco dicitur latria: & hæc eſt duplex. Quædam enim eſt adoratio quæ ſoli Deo debetur, quæ eſt ut ei præ omnibus ſerviatur; alia ſervitus eſt ut in ipſum tendamus ſicut in ultimum finem. Aliqua enim eſt adoratio, vel ſervitus quæ ſolum ſubiectorum eſt; ſicut quando ſuperioribus ſerviunt inferiores. Rom. XIII. 1. „ Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſub-

ie-

(a) *Al.* curatur. (b) *Al.* deprehenſus hoſtis. (c) Al. *Vade retro &c.* (d) *Al.* quod tentet. (e) *Al.* patitur. (f) *Al.* vel quando. (g) *Al.* vel quando.

Digitized by Google

„ lecta ſit. “ Sed non debet illi obedire ſuper omnia, quia numquam contra Deum. Similiter nulla creatura eſt quæ debeat haberi ſicut finis ultimus. Pſalm. cxlv.3. „ Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. “ Hier. xvii. 5. „ Maledictus homo qui confidit in „ homine. “ Eſt etiam ſervitus ſecunda quæ debetur prælatis, quæ in Græco vocatur dulia.

Conſequenter ponitur victoria Chriſti, & inſinuatur in duobus. In receſſu diaboli: *Tunc reliquit eum diabolus*. Iac. iv.7. „Reſiſtite diabolo, & fugiet a nobis. “ Et ſicut conſuetudo erat apud antiquos quod quando aliqui victoriam habebant, venerabantur; ita hic celebratur triumphus Chriſti ab Angelis: unde: *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*. Non dicit, Deſcenderunt, quia ſemper cum eo erant, etſi ad horam receſſerunt de eius voluntate, ad hoc ut diabolus locum tentandi haberet. Exhibebant enim miniſterium in exterioribus, ſcilicet in miraculis, & aliis corporalibus, quæ fiunt mediantibus Angelis: in interioribus enim non indigebat. In hoc ſignificatur quod homines qui vincunt diabolum, merentur miniſterium Angelorum. Luc. xvi. 22. „ Factum eſt ut moreretur „ mendicus, & portaretur ab Angelis in „ ſinum Abrahæ. “ Et ſciendum quod diabolus reliquit Chriſtum uſque ad tempus: quia poſt uſus eſt Iudæis tamquam membris ſuis ad eum impugnandum &c.

(b) Supra Evangeliſta oſtendit quomodo Chriſtus examinatus eſt, & approbatus, ſcilicet vincendo diabolum; hic oſtendit quomodo Chriſtus docere incepit: & circa hoc tria facit. Primo enim deſcribitur locus, in quo prædicat; ſecundo oſtendit quomodo miniſtros ſuæ prædicationis elegit, ibi, *Ambulans autem Ieſus iuxta mare Galilaa, vidit duos fratres*; tertio quomodo turbam ad audiendum induxit, ibi, *Et circuibat Ieſus totam Galilaam*, Circa primum deſcribit tempus, locum, & modum prædicandi. Secundum ibi, *Seceſſit in Galilaam &c.* tertium ibi, *Et exinde cœpit Ieſus pradicare*. Tempus iſtud publicæ prædicationis Chriſti fuit poſt incarcerationem Ioannis: unde dicit: (*a*) *Cum autem audiſſet Ieſus quod Ioannes traditus eſſet*, a Deo ſcilicet, quia ipſo permittente.

Et notandum hoc pro intellectu Evangeliorum, quod hic videtur quædam contrarietas eſſe inter Ioannem & alios tres: quia illi dicunt, quod Chriſtus deſcendit in Capharnaum poſt incarcerationem Ioannis; Ioannes vero dicit, quod deſcendit in Capharnaum ante incarcerationem Ioannis; quæ tamen in Galilæa erat. Reſpondetur, quod Ioannes qui ultimus fuit, ſupplevit ea quæ ab aliis prætermiſſa ſunt.

Sed quare prætermiſerunt? Dicendum, quod licet Chriſtus aliqua fecerit primis duobus annis, pauca tamen fecerat reſpectu eorum quæ facta ſunt ultimo anno. Ergo dicendum, quod Ioannes loquitur de his quæ fecit primo, & ſecundo, & aliqua de tertio; iſti vero quæ facta ſunt ultimo anno.

Item quæritur quot annis Chriſtus prædicavit. Quidam dicunt, quod duobus annis & dimidio, ut dimidius computetur ab Epiphania uſque ad Paſcha; licet non ſit completus. Ioannes enim non fecit mentionem niſi de triplici Paſcha: quia poſt baptiſmum dicit quod ivit in Hieruſalem, Ioan. ii. poſtea facit mentionem de Paſcha quando factum fuit miraculum de quinque panibus: & poſt unus annus fuit uſque ad paſſionem. Sed iſta opinio non videtur vera pro tanto, quia non concordat opinioni Eccleſiæ: tenet enim Eccleſia quod tria miracula ſint facta in die Epiphaniæ, ſcilicet de adoratione Magorum, de baptiſmo, de converſione aquæ in vinum. Oportet ergo dicere, quod a baptiſmo uſque ad converſionem aquæ in vinum fuerit annus unus. Unde videtur quod Chriſtus tribus annis prædicavit: quia uſque ad miraculum de vino fuit unus annus; & inde ad Paſcha fuit medius alius; a purificatione alius uſque ad paſſionem. Ita enim ſentit Eccleſia. Et ſecundum hoc dicendum, quod Ioannes parum dicit de primo anno; de ſecundo vero dicit aliquid, ſcilicet quomodo deſcendit Capharnaum; & de quæſtione quæ fuit de purificatione inter ipſum Chriſtum & Iudæos.

Sciendum etiam, quod Ioannes circa Paſcha occiſus fuit: quia legitur Ioan. vi. quod quando factum fuit miraculum de quinque panibus quod Paſcha proximum erat. Et Matth. xiv. dicitur, quod Chriſtus, audita morte Ioannis ſeceſſit in Galilæam. Patet ergo quod Ioannes decollatus fuit circa Paſcha; & Chriſtus publice prædicationem non tenuit, niſi per unum annum.

Deinde agitur de loco, cum dicitur: *Seceſſit in Galilaam*. Et primo agitur de loco provinciæ; ſecundo de civitate. Dicit ergo, *Seceſſit*. Iſta ſeceſſio non eſt prima, de qua Ioannes dicit; ſed poſt unum, vel duos

annos

(a) Al. *Cum autem &c. Traditus*, Deo ſcilicet.

annos hoc fuit: quia hanc tacent Evangeliſtæ. Seceſſit autem propter duo. Primo ut differret tempus paſſionis ſuæ. Ioan. VII. 6. „ Tempus meum nondum advenit. “ Secundo propter exemplum noſtrum, ut ſcilicet perſecutiones fugeremus. Io. XV. 20. „ Si „ me perſecuti ſunt, & vos perſequen„ tur. “ Sed myſtice declarat quod prædicatio Chriſti tranſitura erat ad gentes: quia Iudæi perſequebantur gratiam Dei. Act. XIII. 46. „ Vobis oportebat primum loqui „ verbum Dei; ſed quoniam repuliſtis il„ lud, & indignos vos iudicatis æternæ vi„ tæ, ecce convertimur ad gentes. “ Veniens autem in Galilæam venit primo in Nazareth, ſicut dicit Lucas; & ibi intravit in ſynagogam, & docuit: (cap. IV. 18.) „ Spi„ ritus Domini ſuper me. “ Et inde duxerunt eum Iudæi ad ſupercilium montis, & voluerunt eum præcipitare; & poſt Chriſtus fugit, & venit in Capharnaum, & ibi ſtatim curavit dæmoniacum, de quo Marc. I. Sed hoc Matthæus omittit. Nazareth autem interpretatur flos: per hoc intelliguntur doctores legis qui non veniunt ad maturitatem. Capharnaum enim interpretatur villa pulcherrima, & ſignificat Eccleſiam. Cant. VI. 3. „ Pulchra es, amica mea, &c. “ Capharnaum eſt maritima ad litteram, quia iuxta lacum quemdam dulcem. Iudæi enim omnem congregationem aquarum appellant mare. Et myſtice, quia Eccleſia poſita eſt iuxta tribulationes mundi. *In finibus Zabulon, & Nephtalim*: Galilæa enim diviſa erat; & una pars erat in tribu Zabulon, & Nephtalim: inde enim electi ſunt Principes Eccleſiæ, ſcilicet Apoſtoli. *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam*. Nota quod hic non dicitur ſicut Eſa. IX. I. (a) Sed ponitur ſenſus tantum. Eſaias ſic: „ Primo tempore alleviata eſt terra Zabu„ lon, & terra Nephtalim, & noviſſimo „ aggravata eſt via maris trans Iordanem „ Galilææ gentium. Populus qui ambula„ bat in tenebris, vidit lucem magnam, „ &c. “ Et exponitur tripliciter ſecundum Hieronymum. Primo ſic. Primo tempore alleviata eſt per prædicationem Chriſti a peccatis: & noviſſime, via quæ iuxta mare Galilææ, aggravata eſt onere peccatorum: quia poſt prædicationem Chriſti, perſecuti ſunt Apoſtolos. Vel aliter. „ Pri„ mo tempore “. (b) Tangit hiſtoriam: quia Rex Aſſyriorum Teglatphalaſſar, qui primo venit ſuper terram Iudæorum, primo duxit in captivitatem illas tribus. Et hoc eſt „ Primo tempore alleviata eſt: “ quia tunc peccatores fuerunt primo in captivitatem ducti. „ Et noviſſimo &c. “ quia poſtea totus populus ductus fuit in captivitatem.

Sed quid ad propoſitum? Dicendum, quod ubi primo incepit perſecutio, ibi prius Dominus voluit dare conſolationem.

Vel aliter. „ Primo tempore, “ ideſt tempore prædicationis Chriſti, „ alleviata „ &c. “ ideſt onere peccatorum exonerata per prædicationem Chriſti: „ & noviſſimo „ aggravata eſt, “ ideſt condenſata Chriſti (c) prædicatio, & multiplicata per Paulum, qui ibi prædicavit. Evangeliſta enim non ponit niſi ſenſum in conſtructione. *Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem*, ideſt iuxta mare. Et dicit, *Terra*, ideſt populus; ut omnes ſint nominati. Et dicit, *Galilaa gentium*, quia Galilæa dividitur in duas partes: una gentium, alia Iudæorum: & tunc diviſa erat ſecundum quod dicitur III. Reg. IX. quia Salomon, propter ligna quæ Rex Tyri miſit ad eum in ædificationem templi, dedit ei viginti oppida: (d) qui cum eſſet gentilis, poſuit gentiles ad habitandum; & ideo dicitur *Galilaa gentium*: & erat in tribu Nephtalim; licet alia in tribu Iuda. Alia littera: *Trans Iordanem Galilaa*, ideſt in comparatione ad Galilæam. Sed prima expoſitio melior eſt.

Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Duo dicit: *Qui ambulabat*, & *Qui ſedebat*: qui enim eſt in tenebris a principio quæ non ſunt multum condenſæ, (e) nec ſtupefit ab eis, vadit; maxime quando ſperat invenire lucem: & dum ſtupefactus eſt a tenebris, ſtat. Iſta eſt differentia inter Iudæos & gentiles: quia Iudæi, quamvis eſſent in tenebris, non tamen totaliter oppreſſi erant ab eis: quia non omnes colebant idola, ſed ſperabant Chriſtum venturum, & ideo ambulabant. Eſa. L. 10. 10. „ Quis ambulavit in tenebris, & non „ eſt lumen ei? Speret in nomine Domini, „ &c. “ Gentiles vero non expectabant, & ideo non erat ſpes de luce. Et iterum oppreſſi erant tenebris, quia idola colebant: quia ſecundum Pſal. LXXV. 2. „ Notus in Iu„ dæa Deus: “ & ideo ſtabant. Et hoc eſt quod dicitur: *Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*. Lux Iudæorum non magna. II. Pe. I. 19. „ Habemus propheticum „ ſermonem, cui bene facitis attendentes, „ ſicut lucernæ lucenti in caliginoſo loco. “ Sed iſta magna ſicut ſolis lux. Mal. IV. 2.

(a) *Al.* Sed ponitur ſenſus tantum Eſaiæ. Sic. (b) *Al. deeſt* Tangit. (c) *Al. omittitur* &. (d) *Al.* Qui cum eſſent gentiles ad habitandum, ideo &c. (e) *Al.* ne ſtupefiat.

Digitized by Google

„ Vobis autem timentibus nomen Domini orietur ſol iuſtitiæ. “ *Et ſedentibus*, ideſt gentibus, *in regione umbra mortis*. Mors eſt damnatio in inferno. Pſal. xlviii. 15. „ Mors depaſcet eos. “ Umbra mortis eſt ſimilitudo futuræ damnationis, (*a*) quæ eſt in peccatoribus. Magna autem pœna eorum qui in inferno ſunt, eſt ſeparatio a Deo: & quia peccatores iam ſeparati ſunt a Deo, ideo ſimilitudinem habent futuræ damnationis, ſicut & iuſti ſimilitudinem habent futuræ beatitudinis. II. Cor. iii. 18. „ Nos autem gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. “ Et nota quod gentibus lux orta eſt, quia ipſi non iverunt ad lucem, ſed lux venit ad eos. Io. iii. 19. „ Lux venit in mundum. “ *Orta eſt eis*. Et illa terra eſt in confinio Iudæorum, & Gentium, ut oſtenderet quod utroſque vocavit. Eſa. xlix. 6. „ Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael convertendas: “ & poſt: „ Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. “ *Exinde cœpit Ieſus prædicare*. Poſito loco ubi Chriſtus primo prædicare incepit, hic ponitur modus prædicandi. *Exinde*, ſcilicet poſt (*b*) ſuperationem gulæ, inanis gloriæ, & ambitionis, ſive avaritiæ, *cœpit prædicare*: tales enim convenienter prædicare poſſunt. Et ſic impletur illud Act. i. 1. „ Cœpit Ieſus facere, & docere. “ Vel *exinde*, ideſt poſt incarcerationem Ioannis, incepit publice prædicare: prius enim occulte, & quibuſdam, Ioan. i. ſcilicet Petro, Andreæ, Philippo, & Natanael; ſed hic publice. Noluit autem primo prædicare publice, ut daret locum prædicationi Ioannis; aliter nihil valuiſſet: ſicut lumen ſtellarum offuſcatur per lumen ſolis. Significatur autem per hoc quod ceſſantibus figuris legis, incepit prædicatio Chriſti. I. Corinth. xiii. 10. „ Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. “ Per Ioannem enim ſignificatur lex. Infra xi. 13. „ Lex & (*c*) prophetæ uſque ad Ioannem. “ *Pœnitentiam agite*.

Notandum, quod eadem verba dicit hic Chriſtus quæ Ioannes, propter duo. Primo enim admonet nos de humilitate, ut ſcilicet nullus dedignetur verba ab aliis dicta prædicare, cum ipſe fons eccleſiaſticæ ſcientiæ eadem prædicaverit. Secundo quia Ioannes eſt vox; ipſe vero verbum: idem autem ſignificatur per verbum, & vocem; niſi quia verbum eſt expreſſivum vocis.

Circa hoc autem duo facit. Unum admonet, aliud promittit. Primum ibi, *Pœnitentiam agite*; ſecundum ibi, *Appropinquabit enim regnum cælorum*.

Sed quare non admonuit de iuſtitia in principio ſuæ prædicationis, ſed ad pœnitentiam? Dicendum quod cauſa fuit, quia prius admonuit de iuſtitia per legem naturæ, & Scripturæ; ſed tranſgreſſi erant. Eſa. xxiv. 5. „ Tranſgreſſi ſunt leges, mutaverunt ius, diſſipaverunt fœdus ſempiternum. “ In hoc enim dat intelligere quod omnes peccatores invenit. I. Tim. i. 15. „ Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere. “ Rom. iii. 23. „ Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. “ Et hoc eſt *Pœnitentiam agite*. Promittit autem aliud: unde: *Appropinquabit enim regnum cælorum*. Iſta promiſſio in duobus differt a promiſſione veteris teſtamenti. Quia ibi temporalia, hic cæleſtia, & æterna. Eſa. i. 19. „ Si me audieritis, bona terræ comedetis. “ Item ibi regnum Chananæorum, & Iebuſæorum; hic regnum cælorum. Unde *Appropinquabit*, in vos, *regnum cælorum*. Et ideo doctrina Chriſti dicitur novum teſtamentum: quia facta eſt ibi nova pactio inter nos & Deum de regno cælorum. Hier. xxxi. 31. „ Feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus novum. “ Secundo quia vetus lex ſimul cum promiſſione habebat comminationem. Eſa. i. 19. „ Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos. “ Et Deut. xxviii. Idem habetur: ubi multæ benedictiones promittuntur his qui legem ſervaverint; & multas comminatur Moyſes maledictiones tranſgreſſoribus legis. Et hoc ideo eſt, quia vetus erat lex timoris, nova vero amoris. Auguſtinus: „ Brevis differentia: timor, & amor. “ Heb. xii. 18. „ Non enim acceſſiſtis ad tractabilem & acceſſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum. “ Et ideo dicit: *Appropinquabit regnum cælorum*, ſcilicet beatitudo æterna. Et dicit, *Appropinquabit*, quia ille qui dabat, ad nos deſcendit, quia nos non poteramus aſcendere ad Deum.

Ambulans autem &c. Poſtquam incepit prædicare, voluit ſuæ prædicationis habere miniſtros: unde hic advocat ad ſe eos. Et circa hoc duo facit, ſecundum quod duo paria miniſtrorum advocat: quia primo Petrum, & Andream; ſecundo Iacobum, & Ioannem. Circa primum qua-

(a) *Al.* quæ eſt peccatoribus. (b) *Al.* ſeparationem. (c) *Al.* prophetiæ.

quatuor facit: primo enim deſcribitur locus vocationis; ſecundo ponitur conditio vocatorum, ibi, *Erant enim piſcatores*; tertio vocatio, ibi, *Et ait illis*; quarto ipſorum obedientia perfecta, ibi, *At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum*. Dicit ergo: *Ambulans iuxta mare Galilaæ*. Locus congruus: quia, ſicut dicit Gloſſa, piſcatores vocaturus ambulat iuxta mare.

Quantum autem ad myſterium, ſciendum quod ſtare Dei ſignificat æternitatem & immobilitatem; ipſius ambulare, temporalem nativitatem. Per hoc ergo quod ambulans diſcipulos vocavit, ſignificatur quod per myſterium ſuæ incarnationis nos ad ſe traxit. Pſal. VII. 7. „ Exurge, Domine, in præ„ cepto quod mandaſti (ideſt diſpoſuiſti im„ plendum) & ſynagoga populorum circum„ dabit te. " Et dicit, *Galilaæ*, per quod intelligitur turbulentia huius mundi. Eſa. LVII. 20. „ Cor impii quaſi mare fervens, „ quod quieſcere non poteſt, & redundant „ fluctus eius in conculcationem, & lu„ tum. " Chriſtus ſimilitudinem habuit peccatoris. Rom. VIII. 3. „ Miſit Deus filium „ ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, „ &c. " Conſequenter vocatorum deſcribitur conditio: & primo quantum ad numerum; ſecundo quantum ad nomina; tertio quantum ad actum; quarto quantum ad officium. Dicit ergo, *Vidit duos*, non oculo corporis tantum, ſed etiam mentis: viſus enim eius eſt (a) reſpectus miſericordiæ: unde Exod. III. 7. „ Videns vidi afflictionem „ populi mei qui eſt in Ægypto, &c. " Et nota, quod idem ſignificatur per *duos*, & *fratres*: utrumque enim ad caritatem pertinet, quæ conſiſtit in dilectione Dei, & proximi. Et ideo binos elegit, & binos ad prædicandum miſit: & voluit ſignificari per hoc caritas ſpiritualis: quia caritas firmatur magis quando in natura fundatur. Pſal. CXXXII. 1. „ Ecce quam bonum, & quam iu„ cundum habitare fratres in unum. " *Simonem qui vocatur Petrus*, nunc ſcilicet, ſed non tunc: quia Chriſtus poſtea impoſuit ei hoc nomen, ſed primo promiſit, Ioan. I. 42. „ Tu vocaberis Cephas; " ſed impoſuit, Matth. XVI. 18. „ Tu es Petrus. " *Et Andream*. Iſta nomina debet habere quilibet prædicator: Simon enim interpretatur obediens; Petrus agnoſcens; Andreas fortitudo. Et (b) prædicator debet eſſe obediens, ut alios poſſit ad hoc invitare: Prov. XXI. 28. „ Vir obediens loquetur victorias: " agnoſcens, ut alios ſciat inſtruere: I. Corin. XIV. 19. „ Volo quinque verba ſenſu meo „ loqui, ut alios inſtruam: " fortis, ut non terreatur comminationibus: Hierem. I. 18. „ Dedi te hodie in civitatem munitam, „ & in columnam ferream, & in murum „ æreum. " Ezec. III. 8. „ Dedi faciem „ tuam valentiorem faciebus eorum, & fron„ tem tuam duriorem frontibus eorum: ut „ adamantem, & ut ſilicem dedi faciem „ tuam. " Sequitur: *Mittentes rete in mare*.

Quærit Chryſoſtomus quare Dominus captavit iſtam horam; & dicit, ut daretur exemplum quod numquam debemus (c) omittere ſervitium Dei propter occupationes. Vel ideo quia per hunc actum præſignrabatur actus futurorum prædicatorum: quia per verba prædicantium quaſi per retia trahuntur homines.

Ponitur officium: *Erant enim piſcatores*. Et ſciendum, quod inter omnes homines, piſcatores ſunt ſimpliciores; & Dominus de ſimpliciſſimo ſtatu voluit habere homines, & illos eligere, ut non imputaretur ſapientiæ humanæ id quod factum fuit per eos. I. Corinth. I. 26. „ Videte vocationem noſtram, „ fratres: quia non multi ſapientes ſecundum „ carnem, non multi potentes, non multi no„ biles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, „ ut confundat ſapientes. " Et ideo non elegit Auguſtinum, aut Cyprianum oratorem; ſed Petrum piſcatorem. Et de piſcatore lucratus eſt & imperatorem, & oratorem. *Et ait*. Hic ponitur vocatio: circa quam tria conſideranda ſunt. Primo enim invitat; ſecundo ducatum promittit; tertio præmium. Dicit ergo, *Venite*. Hoc ex ſola liberalitate divina eſt, ut ad ſe trahat. Eccli. XXIV. 26. „ Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis „ me, & a generationibus meis adimplemi„ ni. " Infra XI. 28. „ Venite ad me o„ mnes qui laboratis, & onerati eſtis, & „ ego reficiam vos. " *Poſt me*; quaſi dicat: Ego vado, & vos venite poſt me: quia ego ero dux veſter. Prov. IV. 11. „ Viam ſa„ pientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per „ ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fue„ ris, non arctabuntur greſſus tui, & cur„ rens non habebis offendiculum. " Pſal. CXXXVIII. 17. „ Mihi autem nimis honorificati „ ſunt amici tui Deus, nimis confortatus „ eſt principatus eorum. " *Faciam*; quaſi, commutabo veſtrum officium in maius. De iſtis dicitur Hier. XVI. 16. „ Ecce ego „ mittam piſcatores multos, dicit Dominus, „ & piſcabuntur eos &c. " Et dicit, *Faciam*, quia fruſtra laborat prædicatio exterius,

(a) *Al.* reſpectu. (b) *Al.* prædicatio. (c) *Al.* amittere.

Digitized by Google

ius , niſi adſit interius gratia Redemptoris . Non enim virtute ſua trahebant homines , ſed operatione Chriſti ; & ideo dicit , *Faciam* . Iſta quidem eſt maxima dignitas : unde Dionyſins: „ Nihil dignius in officio ho„ minum quam Dei cooperatorem fieri . “ Dignitas enim ſola in ſua claritate conſiſtit . Ad illam autem dignitatem magis appropinquant qui ſic illuminantur quod alia illuminent . Quamquam vero illuminent homines qui ſequuntur Chriſtum , & quantum ad iuſtitiam magna faciunt ; ſed tamen aſſerunt dignitatem Chriſti quantum ad unum tantum; vita autem prædicatorum quantum ad duo . Dan. XII. 3. „ Qui ad iuſtitiam eru„ diunt multos , quaſi ſtellæ in perpetuas „ æternitates . “ Ponitur eorum obedientia. *At illi , relictis retibus , & navi , ſecuti ſunt eum* . Et oſtendit obedientiam eorum quantum ad tria . Primo quantum ad promptitudinem, quia non diſtulerunt: unde, *At illi* . Contra illos de quibus Eccli. v. 8. „ Ne diſ„ feras de die in diem. “ Gal. I. 15. „ Cum „ autem placuit ei qui me ſegregavit ex u„ tero matris meæ, & vocavit per gratiam „ ſuam , ut revelaret filium ſuum in me , „ ut evangelizarem illum in gentibns , con„ tinuo non acquievi carni, & ſanguini . “ Eſa. l. 5. „ Dominus aperuit mihi aurem ; „ ego autem non contradico, retrorſum non „ abii . “ Secundo quantum ad expeditionem, qnia reliquerunt: quia non penſandus eſt cenſus, ſed affectus: quia omnia dimittit qui quicquid habere poteſt, dimittit.

Sed quæ neceſſitas relinquendi omnia ? Chryſoſtomus : „ Nullus poteſt poſſidere di„ vitias , & perſecte ad regnum cælorum „ venire . Sunt enim impedimentum virtu„ tis : diminuunt enim ſolicitudinem æter„ norum: propter quod non perſecte poteſt „ homo inhærere divinis. “ Et ideo dimittenda ſunt. I. Corinth. IX. 25. „ Omnis qui „ in agone contendit , ab omnibus ſe abſti„ net &c. “

Tertio quantum ad executionem, quia ſecuti ſunt eum. Non eſt enim nimis magnum dimittere omnia : ſed perſectio conſiſtit in ſequela ipſius , quæ eſt per caritatem . I. Corinth. XIII. 3. „ Si diſtribuero in cibos „ pauperum omnes ſacnltates meas , & ſi „ tradidero corpus meum ita ut ardeam , „ caritatem autem non habuero ; nihil mihi „ prodeſt . “ Non enim conſiſtit per ſe in exterioribus perſectio , ſcilicet paupertate , virginitate , & huiuſmodi ; niſi quia iſta ſunt inſtrumenta ad caritatem. Et ideo dicit: *Et ſecuti ſunt eum* . Conſequenter agitur de alia vocatione : *Et procedens inde vidit alios duos fratres , Iacobum Zebedai , & Ioannem fratrem eius* . Et primo deſcribuntur vocati ; ſecundo ponitur vocatio, ibi, *Et vocavit* ; tertio obedientia vocatorum, ibi, *Illi autem , relictis retibus , & patre , ſecuti ſunt eum* . Vocati quadrupliciter deſcribuntur . Quantum ad numerum , nomina , pietatem , & paupertatem . Dicit ergo: *Et procedens inde vidit duos fratres* . Nota quod a prineipio vocavit fratres ; & quamvis multos alios vocavit , tamen de iſtis ſpecialiter fit mentio, quia præcipui erant, & quia binos vocavit eos . Lex enim nova in caritate fundatur . Unde & in veteri teſtamento duos ſratres vocavit , Aaron , & Moyſen , quia etiam ibi dabatur mandatum de caritate . Et quia perſectior eſt nova , ideo in principio vocatur duplex numerus ſratrum : *Iacobum Zebedai , & Ioannem fratrem eius* . Per iſtos quatuor deſignatur doctrina quatuor Evangeliorum, vel quatuor virtutes : quia per Petrum , qui interpretatur agnoſcens , virtus prudentiæ ; (*a*) per Andream, qui interpretatur virilis, ſeu fortiſſimus , virtus ſortitudinis ; per Iacobum, qui interpretatur ſupplantator, virtus iuſtitiæ; per Ioannem propter virginitatem, virtus temperantiæ . Ponitur pietas , quia erant cum Zebedæo patre . Chryſoſtomus : „ Admiranda eſt eorum pietas, quia paupe„ res arte piſcatoria panem qnærunt , & „ tamen ſenem patrem non derelinquunt . “ Eccli. III. 8. „ Qui timet Deum honorat pa„ rentes . “ Paupertas deſignatur in hoc , quia reficiebant retia ſua . Nihilominus per iſtos qui mittebant retia , ſignantur illi qui in prima ætate negotiantur in mundo ; per iſtos qui iam miſerunt , & reficiebant , ſignificantnr illi qui diu negotiati ſunt in mundo, & ſunt iam per peccatum abſorpti, & vocantur ad Chriſtum . Thren. III. 27. „ Bonum eſt viro cum portaverit iugum „ Domini ab adoleſcentia ſua . “ *Et vocavit eos* , interius, & exterius. Rom. VIII. 30. „ Quos „ prædeſtinavit hos & vocavit . “ Vocare interius nihil aliud eſt quam præbere auxilium humanæ menti cum vult convertere nos. Sequitur de obedientia : *Illi autem , relictis retibus , & patre , ſecuti ſunt eum* . Nota , quod duo ſuperiores navem tantum, iſti autem reliquerunt retia, navem, & patrem : in quo ſignificatur quod propter Chriſtum debemus omittere omnes terrenas occupationes , (*b*) quæ deſignantur per rete : II. Tim. II. 4. „ Nemo militans Deo implicat „ ſe

(a) *Al.* per Andream qui interpretatur fortitudo, virtus fortitudinis . (b) *Al.* quod deſignatur .

„ ſe negotiis ſæcularibus : “ divitiis , ſive poſſeſſiones , quæ deſignantur per navem : infra XIX. 21. *Si vis perfectus eſſe , vade , & vende omnia quæ habes , & da pauperibus , & habebis theſaurum in cælo* ; *& veni , ſequere me* : affectum carnalem , qui per patrem . Pſal. XLIV. 11. „ Obliviſcere populum tuum, „ & domum patris tui. “ Myſtice vero per Zebedæum ſignificatur mundus , qui interpretatur (*a*) fluxus vehemens.

Sed hic eſt quæſtio : videtur enim quod iſti peccaverunt dimittendo patrem ſenem , & pauperem , quia filii tenentur ſubvenire parentibus . Et generaliter quæritur utrum alicui liceat dimittere parentes in ultima neceſſitate, intrando religionem.

Dicendum, quod conſilium numquam præiudicat præcepto ; ſed hoc ſcilicet „ Honora patrem tuum , & matrem tuam , “ Exod. XX. 12. eſt præceptum; & ideo ſi pater nullo modo poſſit vivere niſi adiutus a filio , filius non debet intrare religionem . Sed hic caſus non erat in Zebedæo , quia poterat ſe iuvare, & habebat neceſſaria.

Item eſt quæſtio litteralis : Matthæus enim videtur hic contrarius Ioanni , & Lucæ. Ioannes enim I. cap. dicit eos vocatos iuxta Iordanem; hic dicit iuxta mare Galilææ. Item Lucas V. dicit, quod ſimul vocavit Petrum & Andream , Iacobum & Ioannem; licet de aliis duobus non fiat mentio , quia creditur quod ibi fuerint. Item ibi dicitur quod omnes ſimul, hic quod ſeorſum.

Sed ſciendum, quod trina fuit vocatio Apoſtolorum. Primo enim vocati ſunt ad Chriſti familiaritatem ; & illud dicitur Ioan. I. & hoc in primo anno prædicationis Chriſti . Nec obſtat quod dicitur poſt (Ioan. II. 2.) (*b*) „ Aſcenderunt cum eo diſcipuli eius in „ Cana Galilææ: “ quia ſecundum Auguſtinum non tunc erant diſcipuli, ſed futuri erant; ſicut ſi dicatur quod Paulus Apoſtolus natus fuerit in Tharſo Ciliciæ, cum tunc non eſſet Apoſtolus . Vel dicendum , quod loquitur de aliis diſcipulis , qui vocantur omnes credentes in Chriſto . Secundo vocati fuerunt ad diſcipulatum ; & de iſta dicitur Luc. V. Tertia vocatio fuit ut totaliter Chriſto adhærerent; & de iſta hic dicitur: quod patet, ſecundum Auguſtinum, quia Luc. V. 11. de hoc habetur , (*c*) „ Et ſubductis ad terram navibus: “ ergo habebant navim, & curabant de ea , quaſi ad eam redituri ; hic vero dicit: *At illi, relictis omnibus, &c.* Et ideo dicendum, quod de ultima ſequela loquitur hic.

(c) Conſuetudo eſt apud Reges , quod congregato exercitu procedunt ad bellum ; ita Chriſtus congregato exercitu Apoſtolorum, procedit ad pugnandum contra diabolum per officium prædicationis, ad expellendum eum de mundo . Unde hic agitur de doctrina, & prædicatione Chriſti: & ponitur primo Chriſti prædicatio; ſecundo effectus prædicationis , ibi , *Abiit opinio eius in totam Syriam, &c.* Circa primum tria tangit. Primo ſolicitudinem docentis , & modum docendi, & propoſitæ doctrinæ confirmationem . Et ſolicitudo oſtenditur in duobus : quia non quærebat propriam quietem: unde *circuibat* . Rom. XII. 4. „ Solicitudine non „ pigri . “ Secundo quia non erat acceptator perſonarum , terrarum , vel villarum ; ſed *circuibat totam Galilæam*, abſque differentia. Marc. I. 38. „ Eamus in proximas civitates, ut & ibi prædicem. “ Pſal. CII. 22. „ In „ omni loco dominationis eius . “ Modus , ibi , *In ſynagogis docens* . Duo dicit , *Docens*, & *prædicans* ; docens quæ agenda ſunt in præſenti, prædicans de futuris ; vel docens ea quæ pertinent ad inſtructionem morum: Eſa. XLVIII. 17. „ Ego Dominus docens te „ utilia ; “ prædicans futura : ibid. LII. 7. „ Quam pulchri ſuper montem pedes annuntiantis , & prædicantis pacem , annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem! “ Vel docens naturales iuſtitias. Quædam enim in Theologia traduntur quæ naturalis ratio dictat , ſcilicet iuſtitia , & huiuſmodi ; & quantum ad hoc dicit, *Docens*. Quædam vero quæ excedunt rationem, ſicut myſterium Trinitatis , & huiuſmodi ; & quantum ad hoc dicit , *Prædicans*.

Sed obiicitur de hoc, quod dicit Gloſſa , quod doceret naturales iuſtitias , ut eſt caſtitas, & humilitas, & huiuſmodi. Naturales enim virtutes non videntur poſſe dici virtutes: quia virtutes ſunt per gratiam.

Et dicendum, quod inclinatio, & inchoatio eſt naturalis; ſed perfectio , qua gratus homo redditur , eſt ex gratia , politica, & ex aſſuetudine.

In ſynagogis eorum . Nota duo . Primum quia (*d*) quærebat multitudinem , ut prædicatio magis proficeret . Pſal. XXXIV. 18. „ Confitebor tibi in Eccleſia magna. “ Item quia ſolum Iudæis prædicabat . Act. XIII. 46. „ Vobis primum oportuit prædicari verbum Dei . “ *Et prædicans evangelium regni* : non fabulas , & curioſa ; ſed quæ ad Dei regnum pertinebant , & ea quæ hominibus

(a) *Al.* fugiens. (b) *Ioann.* II. 2. „ Vocatus eſt autem & Ieſus , & diſcipuli eius ad nuptias. “ (c) *Al.* At illi &c. (d) *Al.* quærebant.

Digitized by Google

nibus proſicerent. Conſequenter confirmatur prædicatio miraculis. Marc. ult. xx. „ Illi „ autem profecti prædicaverunt ubique, Do„ mino cooperante, & ſermonem confir„ mante ſequentibus ſignis. " Unde, *Sanans*. Languor poteſt referri ad infirmitates corporales, infirmitas ad infirmitatem animæ: non enim minores ſunt infirmitates animæ quam corporis. Vel per languores graves infirmitates, & diuturnas; per infirmitates, quamcumque aliam. Pſalm. cii. 3. „ Qui ſa„ nat omnes infirmitates tuas. " Eccli. x. 12. „ Brevem languorem præcidit medicus. " Datur intelligi etiam in hoc, quod prædicatores debent ſuam doctrinam confirmare per opera; & ſi non per miracula, per vitam virtuoſam. Rom. xv. 18. " Non audeo „ aliquid loqui eorum quæ per me non effi„ cit Chriſtus in obedientiam gentium in „ verbo & factis, in virtute ſignorum & „ prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti. " *Et abiit opinio eius in totam Syriam*. Hic ponitur effectus prædicationis; & eſt triplex: ſcilicet fama circa exemplum, fiducia quam homines de eo habebant, & devotio qua homines eum ſequebantur. Dicit ergo: *Abiit opinio eius in totam Syriam*. Syria eſt regio a Capharnaum uſque ad mare magnum: unde & in terra gentilium divulgatum eſt. Hoc etiam pertinet ad prædicatores, ut habeant teſtimonium bonum. Eccli. xli. 15. „ Cu„ ram habe de bono nomine. " II. Timoth. ii. 5. „ Solicite autem cura te ipſum pro„ babilem exhibere Deo operarium inconfu„ ſibilem, recte tractantem verbum verita„ tis. " Per Syriam autem poteſt intelligi ſuperbia mundi, quia ſic interpretatur: & fama Chriſti per totum mundum diffuſa eſt. Fiducia ibi, *Et obtulerunt ei omnes male habentes*: ſciebant enim quod ſanare poterat. Hierem. xvii. 14. „ Sana me Domine, & „ ſanabor; ſalvum me fac, & ſalvus ero. " Et dicit primo: *Abiit opinio eius &c.* & poſt: *Obtulerunt ei, &c.* quia quando aliquis habet famam de ſanctitate, homines facilius detegunt ei conſcientiæ vulnus. *Variis languoribus, & tormentis comprehenſos*. Per iſtas graves infirmitates deſignantur infirmitates ſpirituales. Per languores poſſunt intelligi diuturnæ infirmitates; & ſignatur infirmitas diu perſeverans. Eccli. x. 11. „ Languor prolixior „ gravat medicum. " Et quia aliqui gravantur infirmitate, aliqui vero acerbitate doloris; hoc ſignificatur cum dicit: *Et tormentis comprehenſos*. Et ſignificantur illi qui habent conſcientiam gravatam remordentem. Pſal. xvii. v. „ Circumdederunt me dolores mor„ tis, dolores inferni circumdederunt me. " *Et qui dæmonia habebant*. Et hoc eſt quod dicitur Luc. vi. 18. „ Et qui vexabantur a „ ſpiritibus immundis curabantur. " Per hos intelliguntur illi qui colebant idola. Pſal. xcv. 5. „ Omnes dii gentium dæmonia. " I. Corin. x. 20. „ Nolo vos ſocios fieri dæ„ moniorum. " Lunatici proprie dicuntur qui patiuntur infirmitatem cuiuſdam amentiæ in defectu lunæ; & tunc arripiuntur a dæmonibus. Et diabolus tunc magis affligit propter duas rationes. Unam aſſignat Hieronymus; & eſt, ut infamet creaturam Dei; & hoc etiam fit in effectibus magicæ artis, qua invocantur dæmones ſub certis conſtellationibus, & dæmones veniunt ad hoc ut extollant creaturam, & inducant ad idolatriam. Secunda ratio eſt melior, quia diabolus non poteſt aliquid niſi per virtutes corporis. Non eſt autem dubium quod corpora inferiora immutantur ſecundum diverſas immutationes corporum ſuperiorum; & ideo tunc diabolus invocatus libenter venit, quando videt ſuperiora corpora operari ad illum effectum pro quo invocatur. In defectu autem lunæ, (a) ſicut patet, humiditates deficiunt; & ideo defectus lunæ facit ad talem infirmitatem, quando terra non abundat humoribus; & ideo diabolus tunc magis vexat. Et hoc eſt *Et lunaticos*. Per iſtos poſſumus intelligere inconſtantes (Eccli. xxvii. 14. „ Homo ſanctus in ſapientia ma„ net ſicut ſol: nam ſtultus ſicut luna mu„ tatur ") qui habent propoſitum caſte vi„ vendi, ſed vincuntur paſſionibus, ſecundum illud Rom. vii. 15. „ Non enim quod „ volo bonum hoc facio, ſed quod odi ma„ lum illud ago. " *Et paralyticos*. Paralytici proprie dicuntur qui habent membra reſoluta, ita quod non poſſunt habere officium membrorum. Per iſtos ſignificantur ignorantes. Et iſti omnes a Chriſto curantur: unde, *Et curavit eos*, ſcilicet perfecte. Conſequenter ponitur tertius effectus, ſcilicet devotio ſequentium: unde: *Et ſecuta ſunt eum turba multa*. Pſal. vii. 8. „ Exurge, Domi„ ne, in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga „ populorum circumdabit te. " Sciendum autem quod diverſimode aliqui ſequebantur. Quia quidam ſtudio ſalutis, ſcilicet ſpiritualis, ſcilicet Apoſtoli: unde ſupra (hoc cap.) *Relictis omnibus ſequuti ſunt eum*. Et infra xix. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Quidam ſtudio ſalutis corporalis. Luc. vi. 17. „ Turba copioſa plebis ab omni Iudæa, & „ Hie-

(a) *Al.* ſicut poſt.

„ Hieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant ut audirent eum, & „ ſanarentur a languoribus ſuis. “ Quidam curioſitate tantum videndi miracula. Ioan. VI. 2. „ Et ſequebantur eum multi, quia „ videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui „ infirmabantur. “ Alii ad inſidiandum, ut phariſæi, & ſcribæ. Hier. XX. 10. „ Audivi contumelias multorum, & terrorem „ in circuitu. “ (a) *De Galilaa*. Provincia eſt ubi Chriſtus præcipue prædicabat, & interpretatur tranſmigratio. Per hoc ſignificantur illi qui debent tranſmigrare de vitiis ad virtutes. *Et Decapoli*. Regio eſt ubi ſunt decem villæ; & ſignificantur illi qui ſtudent ad obſervantiam decem mandatorum. *Et de Hieroſolymis*. Hieroſolyma interpretatur viſio pacis; & ſignificat illos qui deſiderio pacis ad Chriſtum veniunt. Pſalm. CXVIII. 165. „ Pax multa diligentibus nomen tuum. “ *Et de Iudaa*. Iudæa interpretatur confeſſio; & ſignificat illos qui per peccatorum remiſſionem ad Chriſtum veniunt. Pſalm. CXIII. 2. „ Facta eſt Iudæa ſanctificatio e„ ius. “ *Et de trans Iordanem*: & ſignificantur illi qui per baptiſmum ad Chriſtum veniunt: in Iordane enim fuit figuratus baptiſmus.

CAPUT V.

(a) VIdens autem Ieſus turbas, aſcendit in montem; & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens:

(b) Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

(c) Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis: ſic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

(d) Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos eſtis lux mundi.

(e) Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.

(f) Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas. Non veni ſolvere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

(g) Dico autem vobis, quia niſi abundaverit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Eſto conſentiens adverſario tuo cito dum es cum eo in via: ne tradat te adverſarius iudici; & iudex tradat te miniſtro, &

in car-

(a) *Al.* Et *de Galilaa &c.*

in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem.

(h) Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum eſt autem: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius; neque per Hieroſolymam, quia civitas eſt magni Regis; neque per caput tuum iuraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt eſt, Non non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.

(i) Audiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram; & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Qui autem petit a te, da ei, & volenti mutuari a te, ne avertaris. Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: ut ſitis filii patris veſtri qui in cælis eſt; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.

V*idens autem Ieſus turbas*. Hic Dominus ſuam doctrinam proponit: & dividitur in partes tres. In prima ponitur doctrina Chriſti; in ſecunda ponitur virtus doctrinæ; in tertia finis ad quem perducit. Secundum in cap. XIII. tertium in cap. XVII. Prima dividitur in tres. In ſecunda inſtruuntur miniſtri doctrinæ; in tertia confunduntur adverſarii. Secunda in cap. X. tertia in cap. XI. Prima dividitur in duas. In prima proponitur doctrina Chriſti; in ſecunda confirmatur per miracula, in cap. VIII. Prima in duas. In prima præmittitur quaſi quidam titulus ad doctrinam; in ſecunda explicatur ipſa doctrina, ibi, *Beati pauperes ſpiritu*. Circa primum tria facit. Primo deſcribit locum ubi doctrina fuit propoſita; ſecundo auditores doctrinæ; tertio ponit modum docendi. Secundum ibi, *Et cum ſediſſet*; tertium ibi, *Et aperiens os ſuum docebat eos*. Dicit ergo: Ita dixi quod ſecuti ſunt &c. *Videns autem Ieſus turbas*. Iſta littera duplicem intellectum habere poteſt. Primo ſic. *Aſcendit*, ad docendum turbas, ſcilicet non fugiens. Unde Chryſoſtomus dicit, quod ſicut artifex quando videt præparatam materiam delectatur operari; ita ſacerdos delectatur prædicare quando populum videt congregatum. Et ideo *aſcendit*. Pſal. XXXIV. 18. „ Confitebor tibi in eccleſia magna. “ Vel aliter. *Aſcendit*, fugiens ſcilicet turbas, ut ſecurius diſcipulos doceret. Eccli. IX. 17. „ Verba ſapientum audiuntur in ſilen-
„ tio. “

Et notandum, quod legitur quod Chriſtus habebat tria refugia. Quandoque enim fugiebat ad montem, ſicut dicitur hic; & Io. VIII. 1. „ Ieſus autem perrexit in montem
„ Oliveti. “ Aliquando ad navem: Luc. V. (a) „ Cum turbæ multæ irruerent in eum ...
„ aſcendens in unam navim, quæ erat Simo-
„ nis .... ſedens docebat. “ Tertium in deſertum. Marc. VI. 31 „ Eamus ſeorſum in de-
„ ſertum. “ Et ſatis convenienter. In tribus

(a) *Al.* Quod cum turbæ &c.

bus enim homo poteſt habere reſugium ad Deum. In protectione divinæ altitudinis, quæ per montem ſignificatur. Pſal. CXXIV. 1. „ Qui confidunt in Domino, ſicut mons „ Sion. “ In ſocietate eccleſiaſtica, quæ per navem deſignatur. Pſal. CXXI. 3. „ Hieruſa- „ lem quę ædificatur ut civitas, cuius par- „ ticipatio eius in idipſum. “ In ſolitudine religionis, quæ per deſertum accipitur, per contemptum temporalium. Oſeæ II. 4. „ Du- „ cam eam in ſolitudinem, & loquar ad „ cor eius. “ Pſalm. LIV. 8. „ Ecce elon- „ gavi fugiens, & manſi in ſolitudine. “ Aſcendit autem in montem propter quinque rationes. Prima ad oſtenſionem ſuæ excellentiæ: ipſe enim eſt mons, de quo Pſal. LXVII. 16. „ Mons Dei, mons pinguis. “ Secunda ad oſtendendum qnod doctor huius doctrinæ debet ad eminentiam vitæ conſcendere. Eſa. XL. 9. „ Super montem ex- „ celſum aſcende tu qui evangelizas Sion. “ Chryſoſtomus: „ Nemo poteſt in valle con- „ ſiſtere, & de cælo loqui, &c. “ Tertia ratio ad oſtendendum (*a*) altitudinem Eccleſiæ, cui doctrina proponitur. Eſa. II. 2. „ Erit mons domus Domini in vertice mon- „ tium, & elevabitur ſuper colles. “ Quarto ad oſtendendum perfectionem huius doctrinæ: quia perfectiſſima. Pſalm. XXXV. 7. „ Iuſtitia tua ſicut montes Dei. “ Quinto ut congrueret iſta veteri legiſlationi, quæ data fuit in monte: Exod. XIX. & XXIV.

Conſequenter ponuntur auditores: *Et cum ſediſſet acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*. Dûo poſſunt notari in ſeſſione eius. Humiliatio. Pſal. CXXXVIII. 2. „ Tu cognoviſti ſeſſionem „ meam. “ Quando erat in altitudine divinæ maieſtatis, non poterat capi eius doctrina; ſed tunc ceperunt homines capere quando ſe humiliavit. Vel hoc pertinet ad dignitatem magiſterii. Infra XXIII. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & phariſæi.* Ad ſtudium enim ſapientiæ requiritur quies. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*, non tantum corpore, ſed animo. Pſal. XXXIII. 6. „ Accedite ad eum, & illuminamini. “ Deuter. XXXIII. 3. „ Qui appropinquant „ pedibus eius, accipient de doctrina illius. “ Et nota quod qnando Dominus prædicavit turbis, ſtetit. Luc. VI. 17. „ Deſcendens „ Ieſus de monte ſtetit in loco campeſtri. “ Sed hic quando diſcipulis, ſedit. Ex hoc inolevit conſuetudo quod turbis prædicatur ſtando, religioſis ſedendo: *Et aperiens os ſuum docebat eos*. Hic ponitur modus doctrinæ. In hoc quod dicit, *Aperiens*, ſignificatur quod diu ante tacuerat. Et demonſtrat quod magnum, & longum erat facturus ſermonem, ſicut dicit Auguſtinus; vel quod magna, & profunda dicturus erat: ſic enim conſueverunt facere homines. Iob III. 1. „ Poſt hoc „ Iob aperuit os ſuum, & maledixit diei „ ſuo. “ Et dicit, *Suum*: prius enim aperuit ora prophetarum. Sap. X. 21. „ Sapien- „ tia aperuit os mutorum, & linguas in- „ fantium fecit diſertas. “ Ipſe enim eſt ſapientia Patris.

Sed hic eſt quæſtio. Hic enim ſermo ponitur quantum ad multa etiam Luc. VI. Sed videtur hic & ibi contrarietas, ſicut patet in textu.

Et ponit Auguſtinus duas ſolutiones. Una eſt quod iſte eſt alius ſermo ab illo: ipſe enim primo aſcendit in montem, & fecit hunc ſermonem diſcipulis; & poſtea deſcendens invenit turbam congregatam, cui eadem prædicavit, & multa recapitulavit: & de hoc dicitur Luc. VI. Vel aliter dicendum, quod unus mons erat, & habebat planitiem in latere: illam planitiem elevabat (*b*) monticulus alius. Unde Dominus aſcendit in montem, ideſt in planitiem illius montis. Et primo aſcendit ſuperius, & convocavit diſcipulos; & ibi elegit duodecim Apoſtolos, ſicut patet in Luca: & poſtea deſcendens invenit turbam congregatam, & venientibus diſcipulis ſedit, & habuit ſermonem iſtum ad turbas, & diſcipulos. Et hoc videtur verius: quia Matthæus dicit in fine ſermonis (cap. VII. 28) quod *mirabantur turbæ ſuper doctrina eius*. Tamen quodcumque accipiatur, non eſt contrarietas.

(b) Poſuit ſupra Evangeliſta quaſi brevem titulum doctrinæ Chriſti; nunc ponit ipſam doctrinam, & effectum eius, ſcilicet admirationem turbarum. Conſiderandum autem, quod, ſecundum Auguſtinum, in iſto ſermone Domini tota perfectio vitæ noſtræ continetur Et probat per id quod Dominus ſubiungit finem ad quem ducit, ſcilicet repromiſſionem aliquam. Id autem quod maxime homo deſiderat, eſt beatitudo. Unde Dominus hic tria facit. Primo præmittit præmium quod conſequitur iſtos qui iſtam doctrinam accipiunt; ſecundo ponit præcepta, ibi, *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem*; tertio docet quomodo aliquis poteſt pervenire ad obſervandum ea, ibi, *Petite, & accipietis*. Circa primum duo facit: quia huius doctrinæ aliqui ſunt obſervatores tantum, aliqui miniſtri. Primo ergo deſcribit beatitudinem obſervantium; ſecundo miniſtrantium, ibi, *Beati eſtis cum maledixerint vobis*.

(a) *Al.* multitudinem. (b) *Al.* monticulis aliis.

Notandum autem, quod hic ponuntur plura de beatitudinibus; ſed numquam aliquis in verbis Domini poſſet ita ſubtiliter loqui, quod pertingeret ad propoſitum Domini. Sciendum tamen quod in iſtis verbis includitur omnis plena beatitudo. Omnes enim homines appetunt beatitudinem; ſed differunt in iudicando de beatitudine. Et ideo quidam iſtud, quidam illud appetunt. Invenimus autem quadruplicem opinionem de beatitudine. Quidam enim crediderunt, quod in exterioribus tantum conſiſtat, ſcilicet in affluentia iſtorum temporalium. Pſal. cxliii. 15. „ Beatum dixerunt populum cui hæc „ ſunt. “ Alii quod perfecta beatitudo conſiſtit in hoc quod homo ſatisfaciat voluntati ſuæ: unde dicimus: Beatus eſt qui vivit ut vult. Eccle. iii. 12. „ Et cognovi quod non „ eſſet melius niſi lætari &c. “ Alii dicunt quod perfecta beatitudo conſiſtit in virtutibus activæ vitæ. Alii quod in virtutibus contemplativæ vitæ, ſcilicet divinorum, & intelligibilium; ſicut Ariſtoteles. Omnes autem iſtæ opiniones falſæ ſunt; quamvis non eodem modo. Unde Dominus omnes reprobat. Opinionem illorum qui dixerunt, quod conſiſtit in affluentia exteriorum, reprobat: unde dicit, *Beati pauperes*; ſcilicet quaſi, non beati affluentes. Opinionem vero eorum qui ponebant beatitudinem in ſatisfactione appetitus, reprobat cum dicit, *Beati miſericordes*. Sed ſciendum quod triplex eſt appetitus in homine. Iraſcibilis, qui (*a*) appetit vindictam de inimicis; & hoc reprobat cum dicit, *Beati mites*. Concupiſcibilis, cuius bonum eſt gaudere, & delectari. Hoc reprobat cum dicit, *Beati qui lugent*. Voluntatis, qui eſt duplex ſecundum quod duo quærit. Primo quod voluntas nulla ſuperiori lege (*b*) coerceatur; ſecundo quod poſſit reſtringere alios ut ſubditos: unde deſiderat præeſſe, & non ſubeſſe. Dominus autem contrarium oſtendit quantum ad utrumque: & quantum ad primum dicit, *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*; quantum autem ad ſecundum dicit, *Beati miſericordes*. Ergo & illi qui ponunt beatitudinem in exteriori affluentia, & qui in ſatisfactione appetitus, errant. Illi autem qui ponunt beatitudinem in actibus activæ vitæ, ſcilicet moralibus, errant; ſed minus, quia illud eſt via ad beatitudinem: unde Dominus non reprobat tamquam malum; ſed oſtendit ordinatum ad beatitudinem: quia vel ordinantur ad ſeipſum, ſicut temperantia, & huiuſmodi; & finis eorum eſt munditia cordis, quia faciunt vincere paſſiones: vel ordinantur ad alterum, & ſic finis eorum eſt pax, & huiuſmodi. Opus enim iuſtitiæ eſt pax. Et ideo iſtæ virtutes ſunt viæ in beatitudinem, & non ipſa beatitudo. Et hoc eſt *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt*. Non dicit, Vident, quia hoc eſſet ipſa beatitudo. Et iterum, *Beati pacifici*: non quia pacifici, ſed quia in aliud tendunt: *quoniam filii Dei vocabuntur*. Illorum autem opinio qui dicunt quod beatitudo conſiſtit in contemplatione divinorum, reprobat Dominus, quantum ad tempus, quia alias vera eſt: quia ultima felicitas conſiſtit in viſione (*c*) optimi intelligibilis, ſcilicet Dei. Unde dicit, *Videbunt*.

Et notandum, quod ſecundum Philoſophum, ad hoc quod actus contemplativi faciant beatum, duo requiruntur. Unum ſubſtantialiter, ſcilicet quod ſit actus altiſſimi intelligibilis, quod eſt Deus. Aliud formaliter, ſcilicet amor, & delectatio. Delectatio enim perficit felicitatem, ſicut pulchritudo iuventutem. Et ideo Dominus duo ponit: *Deum videbunt*, &, *Filii Dei vocabuntur*. Hoc enim pertinet ad unionem amoris. I. Ioan. iii. 1. „ Videte qualem caritatem dedit nobis pa„ ter, ut filii Dei nominemur, & ſimus. “

Item notandum, quod in iſtis beatitudinibus quædam ponuntur ut merita, & quædam ut præmia. Et hoc in ſingulis. *Beati pauperes ſpiritu*: ecce meritum: *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: ecce præmium: & ſic in aliis.

Et notandum eſt etiam aliquid circa meritum in communi, & aliquid circa præmium in communi. Circa meritum ſciendum, quod Philoſophus diſtinguit duplex genus virtutis: unum communis, quæ perficit hominem humano modo; aliud ſpecialis, quam vocat heroicam, quæ perficit ſupra humanum modum. Quando enim fortis timet ubi eſt timendum, iſtud eſt virtus; ſed ſi non timeret, eſſet vitium. Si autem in nullo timeret confiſus Dei auxilio, iſta virtus eſſet ſupra humanum modum; & iſtæ virtutes vocantur divinæ. Iſti ergo actus ſunt perfecti; & virtus etiam, ſecundum Philoſophum, eſt operatio perfecta. Ergo iſta merita vel ſunt actus donorum, vel actus virtutum ſecundum quod perficiuntur a donis. Item nota, quod actus virtutum ſunt illi de quibus lex præcipit; merita autem beatitudinis ſunt actus virtutum: & ideo omnia quæ præcipiuntur, & infra continentur, referuntur ad iſtas beatitudines. Unde ſicut Moyſes primo propoſuit præcepta, & poſt

multa

(*a*) *Al.* petit. (*b*) *Al.* coarcetur. (*c*) *Al.* optime.

Digitized by Google

multa dixit, quæ omnia referebantur ad præcepta propoſita; ita Chriſtus in doctrina ſua primo præmiſit iſtas beatitudines, ad quas omnia alia reducuntur. Circa primum autem notandum, quod Deus eſt præmium eorum qui ei ſerviunt. Thren. III. 24. „ Pars mea „ Dominus, dixit anima mea; propterea „ expectabo eum. “ Pſalm. xv. 5. „ Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. “ Gen. xv. 7. „ Ego Dominus qui eduxi te de „ Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram „ iſtam, & poſſideres eam. “ Et ſicut Auguſtinus dicit in II. Confeſſio. „ Anima cum „ recedit a te, bona quærit extra te. “ Homines autem diverſa quærunt: ſed quicquid inveniri poteſt in qualibet vita, totum Dominus repromiſit in Deo. Aliqui enim ponunt ſummum bonum affluentiam divitiarum, per quam poſſunt pervenire ad maximas dignitates: Dominus promittit regnum quod complectitur utrumque; ſed ad hoc regnum dicit perveniri per viam paupertatis, non divitiarum: unde, *Beati pauperes*. Alii perveniunt ad iſtos honores per bella: Dominus autem dicit: *Beati mites &c.* Alii conſolationes quærunt per voluptates: Dominus dicit: *Beati qui lugent*. Aliqui nolunt ſubdi: Dominus autem dicit: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*. Aliqui volunt vitare malum opprimendo ſubditos: Dominus dicit: *Beati miſericordes &c.* Aliqui ponunt viſionem Dei in contemplatione veritatis in via: Dominus autem promittit in patria: unde, *Beati mundo corde &c.* Et notandum, quod iſta præmia quæ Dominus hic tangit, poſſunt dupliciter haberi: ſcilicet perfecte, & conſummate; & ſic in patria tantum: & ſecundum inchoationem, & imperfecte; & ſic in via. Unde ſancti habent quamdam inchoationem illius beatitudinis. Et quia in hac vita non poſſunt explicari illa ſicut erunt in patria; ideo Auguſtinus exponit ſecundum quod ſunt in hac vita. *Beati* ergo *pauperes ſpiritu*, non ſpe tantum, ſed etiam re. Luc. XVII. 21. „ Regnum Dei intra vos „ eſt. “ Unde iſtis præmiſſis, accedamus ad litteram.

In iſtis beatitudinibus duo facit Evangeliſta. Primo ponuntur ipſæ beatitudines; ſecundo maniſeſtatio beatitudinum; ibi, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: hoc enim eſt declarativum omnium beatitudinum. Virtus autem tria facit: quia removet a malo; operatur, & facit operari bonum; & diſponit ad optimum. Primo ergo determinat de primo, ibi, *Beati pauperes*; de ſecundo, ibi, *Beati qui eſuriunt*; de tertio, ibi, *Beati mundo corde*, determinat. Removet autem virtus a tribus malis; cupiditatis, crudelitatis, ſive inquietudinis, & voluptatis noxiæ. Primum notatur ibi, *Beati pauperes*; ſecundum ibi, *Beati miſericordes*; tertium ibi, *Beati qui lugent*. Dicit ergo: *Beati pauperes*. Dupliciter legitur. Primo ſic. *Beati pauperes*, ideſt humiles, qui ſe æſtimant pauperes: illi enim ſunt vere humiles, qui ſe pauperes æſtimant, non ſolum in exterioribus, ſed etiam in interioribus. Pſal. XXXIX. 18. „ Ego autem mendicus ſum & „ pauper: “ contra illud Apoc. III. 17. „ Dicis, quia dives ſum, & locupletatus, & „ nullius egeo; & neſcis quia tu es miſer, „ & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & „ nudus &c. “ Et tunc hoc quod dicit, *Spiritu*, poteſt tripliciter legi. Spiritus enim aliquando dicitur ſuperbia hominis. Eſa. II. 22. „ Quieſcite ab homine cuius ſpiritus in „ naribus eſt, quia excelſus reputatus eſt „ ipſe. “ Eſai. XXV. 4. „ Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem. “ Et dicitur ſuperbia ſpiritus: quia ſicut per flatum inflantur utres, ita per ſuperbiam homines. Col. II. 18. „ Inflatus ſenſu carnis ſuæ. “ Ergo *beati pauperes*, ſcilicet hi qui parum habent de ſpiritu ſuperbiæ. Vel accipitur ſpiritus pro voluntate hominis: quidam enim ſunt neceſſitate humiles, & iſti non ſunt beati; ſed qui humilitatem affectant. Tertio accipitur pro Spiritu ſancto: unde, *Beati pauperes ſpiritu*, qui humiles ſunt per Spiritum ſanctum. Et iſtæ duæ quaſi ad idem redeunt. Et dicit, *Pauperes ſpiritu*: quia humilitas dat Spiritum ſanctum. Eſa. LXVI. 2. „ Ad quem reſpiciam niſi ad „ pauperculum, & contritum ſpiritu, & „ trementem ſermones meos? “ Iſtis pauperibus repromittitur regnum, in quo intelligitur ſumma excellentia. Et licet iſtud retribuatur cuilibet virtuti; (a) ſpecialiter tamen datur humilitati: quia *omnis qui ſe humiliat exaltabitur*: infra XXIII. 12. Et Prover. XXIX. 23. „ Humilem ſpiritum ſuſcipiet „ gloria. “ Vel aliter, ſecundum Hieronymum. *Pauperes ſpiritu*, ad litteram, in abdicatione rerum temporalium. Et dicit, *Spiritu*: quia quidam pauperes neceſſitate ſunt, ſed non debetur illis beatitudo; ſed illis qui voluntate. Et iſti dicuntur dupliciter: quia & ſi aliqui divitias habent, tamen non habent eas in corde. Pſal. LXI. 11. „ Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. “ Aliqui nec ha-

(a) Al. ſpiritualiter.

habent, nec affectant: & iſtud ſecurius eſt: quia mens trahitur a ſpiritualibus ex divitiis. Et iſti dicuntur proprie pauperes ſpiritu: quia actus donorum qui ſunt ſupra humanum modum, ſunt hominis beati: & quod homo omnes divitias abiiciat, ut nec aliquo etiam modo appetat, hoc eſt ſupra humanum modum. Iſtis autem repromittitur regnum cælorum, in quo notatur non ſolum altitudo honoris, ſed affluentia divitiarum. Iac. II. 5. „ Nonne Deus elegit pauperes in „ hoc mundo, divites in fide? “

Et nota, quod Moyſes primo promiſit divitias. Deuter. XXVIII. I. „ Faciet te Dominus „ Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus quæ „ verſantur in terra. “ Et infra (v.3.) „ Benedictus tu in civitate, & benedictus in „ agro. “ Et ideo ut diſtinguat Dominus legem veterem a nova, primo ponit beatitudinem in contemptu divitiarum temporalium.

Item, ſecundum Auguſtinum, nota, quod iſta beatitudo pertinet ad donum timoris: quia timor, maxime filialis, facit habere reverentiam ad Deum: & ex hoc contemnit homo divitias. Ponit Eſaias beatitudines deſcendendo. Eſa. XI. I. „ Egredietur virga de „ radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcen„ der, & requieſcet ſuper eum Spiritus Do„ mini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, „ Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus „ ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spi„ ritus timoris Domini. “ Chriſtus e converſo, a dono timoris, ſcilicet a paupertate: quia Eſaias (a) prænuntiavit adventum Chriſti ad terram; Chriſtus autem de terra ſurſum trahebat.

Beati mites. Hæc eſt ſecunda beatitudo. Sed ne aliquis dicat quod ſufficit paupertas ad beatitudinem, oſtendit quod non ſufficit; immo requiritur manſuetudo, quæ temperat circa iras, ſicut temperantia circa concupiſcentias. Ille enim eſt mitis qui nec irritatur. Hoc autem poterit fieri per virtutem, ut ſcilicet non iraſcaris, niſi cauſa iuſta; ſed ſi habeas etiam cauſam iuſtam, & non provocaris, hoc eſt ſupra humanum modum: & ideo dicit, *Beati mites*. Pugna enim eſt propter abundantiam exteriorum rerum; & ideo numquam eſſet turbatio, ſi homo divitias non affectaret; & ideo qui non ſunt mites, non ſunt pauperes ſpiritu. Et propterea ſtatim ſubiungit, *Beati mites*. Et nota, quod hoc in duobus conſiſtit: primo quod homo non iraſcatur; ſecundo quod ſi iraſcatur, iram temperet. Ita dicit Ambroſius: „ Prudentis eſt, „ iræ motus temperare, nec minor virtus „ dicitur temperate iraſci, quam omnino non „ iraſci eſt; plurimumque hoc levius, illud „ fortius exiſtimo, &c. “ Chryſoſtomus dicit: „ Inter multas promiſſiones æternas ponit „ unam terrenam. “ Unde, ad litteram, terram iſtam poſſident mites. Multi enim litigant, ut poſſeſſiones acquirant; ſed frequenter vitam, & omnia perdunt. Sed frequenter manſueti totum habent. Pſal. XXXVI. II. „ Manſueti hereditabunt terram. “ Sed melius exponitur, ut referatur ad futurum. Et poteſt tunc exponi multipliciter. Hilarius ſic. *Poſſidebunt terram*, ideſt corpus Chriſti glorificatum: quia erunt conformes in corpore ſuo illi claritati. Eſa. XXXIII. 17. „ Vi„ debunt Regem in decore ſuo, oculi eius „ cernent terram de longe. “ Philip. III. 21. „ Reformabit corpus humilitatis noſtræ con„ figuratum corpori claritatis ſuæ. “ Vel aliter iſta terra modo eſt mortuorum, quia ſubiecta eſt corruptioni; ſed liberabitur a corruptione, ſecundum Apoſtolum, Rom. VIII. 21. Ergo iſta terra quando erit clarificata & liberata a ſervitute corruptionis, vocabitur terra viventium. Vel per terram intelligitur cælum empyreum, in quo ſunt beati: & vocantur terra, quia ſicut ſe habet terra ad cælum, ita cælum illud ad cælum Sanctæ Trinitatis. Vel *poſſidebunt terram*, ideſt corpus ſuum glorificatum. Auguſtinus exponit metaphorice, & dicit quod per hoc intelligenda eſt quædam ſoliditas ſanctorum in cognitione primæ veritatis. Pſalm. XXVI. 13. „ Credo videre bona Domini in terra viven„ tium. “

Iſta ſecunda beatitudo adaptatur dono pietatis: quia illi proprie iraſcuntur qui non ſunt contenti divina ordinatione.

Beati qui lugent, &c. Poſitæ ſunt (b) duæ beatitudines per quas (c) abſtrahimur a malo cupiditatis, & crudelitatis; hic ponitur tertia, per quam abſtrahimur a malo noxiæ voluptatis, vel iucunditatis. Et hoc eſt *Beati qui lugent*. In veteri teſtamento terrena promittebat, & terrenam iucunditatem. Hier. XXXI. 17. „ Confluent ad bona Domini ſuper „ frumento, vino, & oleo, &c. “ Poſt (v.13.) „ Lætabitur virgo in choro, iuvenes, & ſe„ nes ſimul. “ Sed per contrarium Dominus ponit beatitudinem in luctu. Notandum autem quod non quicumque ploratus luctus dici poteſt; ſed ille quo quis mortuum plorat ſibi dilectum. Dominus enim per exceſſum loquitur hic. Sicut ſupra, *Beati pauperes*; ita hic de maximo luctu mentionem facit: (d) ſicut enim

(a) *Al.* pronuntiavit. (b) *Al.* quæ. (c) *Al.* abſtrahitur. (d) *Al.* ſicut illius.

Digitized by Google

enim nullam recipiunt conſolationem hi qui mortuum plorant; ita Dominus vult vitam noſtram in luctu eſſe. Hier. vi. 26. „ Luctum „ unigeniti fac tibi, planctum amarum, &c." Et poteſt iſte luctus tripliciter exponi. Primo pro peccatis non ſolum propriis, ſed etiam alienis: quia ſi lugemus mortuos carnaliter, multo magis ſpiritualiter. I. Reg. xvi. 1. „ Uſquequo tu luges Saul? &c." Hierem. ix. 1. „ Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi „ mei." Ponitur autem ſatis congrue iſta beatitudo poſt præmiſſam: poſſet enim quis dicere: Sufficit non facere malum: & verum eſt a principio ante peccatum; ſed poſt commiſſum peccatum, non ſufficit niſi ſatisfacias. Secundo poteſt accipi de luctu pro incolatu præſentis miſeriæ. Pſalm. cxix. 5. „ Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt." Iſtud eſt irriguum ſuperius & inferius, de quo Ioſue xv. 19. Pro peccatis plorate, & pro cæleſtis patriæ incolatu. Tertio, ſecundum Auguſtinum, pro luctu quem habent homines de gaudiis ſæculi, quæ dimittunt veniendo ad Chriſtum. Homines enim aliqui ſæculo moriuntur, & ſæculum moritur eis. Gal. ult. 4. „ Per quem mihi „ mundus crucifixus eſt, & ego mundo." Nos autem ſicut de mortuis lugemus, ita illi lugent: quia non poteſt eſſe quin in dimittendo, aliquem dolorem ſentiant. Illi autem triplici luctui triplex conſolatio reſpondet: quia luctui pro peccatis datur remiſſio peccatorum, quam petebat David dicens, Pſal. l. 14. „ Redde mihi lætitiam ſalutaris tui." Dilationi cæleſtis patriæ, & incolatui præſentis miſeriæ reſpondet conſolatio vitæ æternæ, de qua Hierem. xxxi. 13. „ Convertam „ luctum veſtrum in gaudium, & conſolabimini." Tertio luctui reſpondet conſolatio divini amoris: quando enim aliquis dolet de amiſſione rei dilectæ, conſolationem recipit ſi(a) aliam rem magis dilectam acquirit: unde homines conſolantur quando pro temporalibus rebus recipiunt ſpirituales, & æternas; quod eſt Spiritum ſanctum recipere: quare dicitur paraclitus, Ioan. xv. 26. Per Spiritum ſanctum enim, qui eſt amor divinus, homines gaudebunt. Ioan. xx. 16. „ Triſtitia veſtra convertetur in gaudium."

Et notandum, quod iſta beatitudo appropriatur dono ſcientiæ: quia illi lugent qui miſerias aliorum cognoſcunt: unde de quibuſdam talem ſcientiam non habentibus dicitur Sapien. xiv. 22. „ In magno viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant." E converſo, Eccle. 1. 18. „ Qui addit ſcientiam, addit & laborem."

Et notandum, quod iſta præmia ita ordinantur, quod ſemper ſecundum addit ſuper primum. Primo enim dixit: *Beati pauperes: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Poſtea: *Quoniam ipſi poſſidebunt terram*: plus enim eſt poſſidere quam habere tantum. Item poſtea: *Quoniam ipſi conſolabuntur*: plus enim eſt conſolari quam poſſidere. Aliqui enim poſſident iſta, ſed non delectantur in eis.

Conſequenter poſitis beatitudinibus quæ pertinent ad remotionem mali, hic ponitur beatitudo quæ pertinet ad operationem boni. Eſt autem duplex bonum noſtrum: iuſtitiæ ſcilicet, & miſericordiæ; & ideo duo ponit. Quantum ad primum dicit: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*. Iuſtitia tripliciter ſumitur, ſecundum Chryſoſtomum, & Philoſophum. Quandoque enim pro omni virtute; & dicitur omnis virtus iuſtitia legalis quæ præcipit de actibus virtutum: unde inquantum homo obedit legi, implet opus omnium virtutum. Alio modo ſecundum quod eſt ſpecialis virtus, de quatuor cardinalibus, quæ opponitur avaritiæ, vel iniuſtitiæ; & eſt circa emptiones, venditiones, conductiones. Quod ergo dicit hic, *Qui eſuriunt iuſtitiam*, poteſt intelligi generaliter, vel ſpecialiter. Si intelligatur de generali, hoc dicit propter duas rationes. Prima Hieronymi, qui dicit, quod non ſufficit quod homo iuſtitiæ opus operetur, niſi cum deſiderio operetur. Pſal. liii. 8. „ Voluntarie ſacrificabo tibi, &c." Et alibi Pſalm. xli. 3. „ Sitivit anima mea ad „ Deum fontem vivum, &c." Amos viii. 11. „ Mittam famem in terram iſtam; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei." Ergo eſt eſuries quando cum deſiderio operatur quis. Alia ratio. Iuſtitia eſt duplex; perfecta, & imperfecta. Perfectam in mundo habere non poſſumus: quia „ ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:" I. Ioan. 1. 8. Et Eſa. lxiv. 10. „ Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ." Sed hanc habemus in cælo. Eſa. lx. 21. „ Populus tuus omnes iuſti, in „ perpetuum hereditabunt terram." Sed deſiderium iuſtitiæ poſſumus hic habere; & ideo dicit: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, &c.* Et eſt ſimile illud quod Pithagoras fecit. Tempore enim Pithagoræ illi qui ſtudebant vocabantur Sophi, ideſt ſapientes. Pithagoras autem noluit vocari Sophos, ideſt ſapiens,

ſed

(a) *Al.* illam.

Digitized by Google

ſed Philoſophus, hoc eſt ſapientiæ amator. Ita vult Dominus quod ſui ſint, & vocentur amatores iuſtitiæ. Si autem intelligatur de iuſtitia (*a*) ſpeciali, qnæ eſt quod homo reddat unicuique quod ſuum eſt, convenienter dicitur: *Beati qui eſuriunt, &c.* Quia eſnries, & ſitis proprie avarorum eſt, quia numquam ſatiantur qui aliena iniuſte poſſidere deſiderant. Unde iſta eſuries de qua dieit Dominus, opponitur huic, ſeilicet avarorum. Et vult Dominus quod ita anhelemus ad iſtam iuſtitiam quod numqnam quaſi ſatiemur in vita iſta, ſicut avarus numquam ſatiatur. *Beati* ergo *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Conveniens præmium ponitur, *Saturabuntur*, & primum in æterna viſione: videbunt enim Deum per eſſentiam. Pſalm. XVI. 15. „ Satiabor cnm apparuerit glo„ria tua. “ Ibi enim nihil reſtabit ad deſiderandum. Pſalm. CII. 5. „ Qui replet in bo„nis deſiderinm tunm. “ Proverb. 21. „ De„ſiderium ſuum iuſtis dahitur. “ Secundo in præſenti. Et hæc eſt duplex. Una eſt in bonis ſpiritualihus, hoc eſt in impletione mandatorum Dei. Ioan. IV. 34. „ Meus eibus eſt „ ut faciam voluntatem eius qui miſit me, „ ut perficiam opus eius. “ Et de iſto exponit Auguſtinus. Alio modo accipitur de ſaturitate rerum temporalium. Homines iniuſti nnmquam ſaturantur; ſed homines qui habent terminum ſuum ipſam iuſtitiam, ultra non procedunt. Prov. XIII. 25. „ Iuſtus „ comedit, & replet animam ſuam. “

Iſta beatitudo, ſecundum Auguſtinum, reducitur ad donum fortitudinis: quia quod homo iuſte operetur, hoc pertinet ad fortitudinem. Item ſuperaddit aliquid præmio ſupra poſito, quia ſaturari eſt implere totaliter deſiderinm.

Item nota, quod primo dicit: *Beati qui lugent*: homo enim quando infirmus eſt non appetit comedere; ſed tunc appetere incipit quando iam incipit ſanari. Et ita eſt in ſpiritualibus, quod quando homines ſunt in peccato, non ſentiunt famem ſpiritualem; ſed quando dimittunt peccata, tunc ſentiunt. Et ideo ſtatim ſubdit: *Beati miſericordes*: qnia iuſtitia ſine miſericordia crudelitas eſt; miſericordia ſine iuſtitia, mater eſt diſſolutionis. Et ideo oportet quod ntrumque coniungatur, ſecundum illud Prov. III. 3. „ Mi„ſericordia, & veritas non te deſerant &c. “ Pſalm. LXXXIV. 11. „ Miſericordia, & veritas „ obviaverunt ſibi &c. “

Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Miſericordem eſſe eſt habere miſerum cor de miſeria aliorum: tunc autem habemus miſericordiam de miſeria aliorum quando illam reputamus quaſi noſtram. De noſtra autem dolemus, & ſtudemus repellere: ergo tunc vere miſericors es qnando miſeriam aliorum ſtudes repellere. Eſt autem duplex miſeria proximi. Prima in iſtis rebus temporalibus; & ad iſtam debemus habere miſerum cor. I. Ioan. III. 17. „ Qui habuerit „ ſubſtantiam huius mnndi, & viderit fra„trem ſuum neceſſe habere, & clauſerit „ viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei „ manet in eo? “ Secunda qua homo per peccatum miſer efficitur: quia ſicut beatitndo eſt in operibus virtutum, ita miſeria propria in vitiis. Prov. XIV. 34. „ Miſeros fa„cit populos peccatum. “ Et ideo quando admonemus corruentes nt redeant, miſericordes ſumus. Infra IX. 36. *Videns autem Jeſus turbas, miſericordia motus eſt.* Iſti ergo miſericordes beati. Et quare? *Quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et ſciendum, quod ſemper dona Dei excedunt merita noſtra. Eccli. XXXV. 13. „ Quoniam Dominus retri„buens eſt, & ſepties tantum retribuet ti„bi. “ Ergo multo maior eſt miſericordia quam Dominus impendet nobis, quam illa quam impendimus proximo. Iſta miſericordia inchoatur in hac vita dupliciter. (*b*) Primo quia relaxantur peccata. Pſalm. CII. 3. „ Qui „ propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. “ Secundo quia removet defectus temporales, ita qnod ſolem ſuum facit oriri. Perficietur tamen in futuro, quando omnis miſeria, & culpæ, & pœnæ removehuntur. Pſal. XXXV. 6. „ Domine, in cælo miſericordia. “ Et hoc eſt *Quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Iſta beatitudo reducitur ad donum conſilii: quia hoc eſt ſingulare conſilium ut inter pericula huius mundi miſericordiam conſequamur. I. Tim. IV. 8. „ Pietas ad omnia utilis „ eſt. “ Dan. IV. 24. „ Conſilium meum Re„gi placeat. “

Sic ergo poſiti ſunt actus virtutum (*c*) quihus removemur a malo, & operamur bonum; nunc ponuntur actus quibus diſponimnr ad optimum: unde, *Beati mundo corde &c.* Iſta beatitudo in dnobus conſiſtit: in viſione Dei, & dilectione proximi: nnde primo ponit beatitudinem quæ pertinet ad viſionem Dei; ſecundo beatitudinem quæ pertinet ad dilectionem proximi, ibi, *Beati pacifici &c.* Dicit ergo: *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.*

Hic primo eſt qnæſtio litteralis. Habemus enim quod Deus videri non poteſt. I. Ioan.

IV.

(a) *Al.* ſpirituali. (b) *Al. deeſt* Primo. (c) *Al.* & removemur.

Digitized by Google

IV. 12. „ Deum nemo vidit umquam . “ Et ne aliquis diceret, quod quamvis nullus videat in præſenti, videbit in futuro, removet hoc Apoſtolus I. Tim. ult. 16. „ Lucem habitat „ inacceſſibilem , quem nullus hominum vi- „ dit, ſed nec videre poteſt . “

Sed ſciendum , quod circa hoc ſunt diverſæ opiniones. Aliqui enim poſuerunt quod numquam Deus per eſſentiam videatur; ſed in aliqua reſulgentia ſuæ claritatis: ſed hoc reprobat Gloſſa ſuper illud Exod. XXXIII. 20. „ Non videbit me homo, & vivet : “ propter duo. Primo quia hoc repugnat auctoritati ſacræ Scripturæ. I. Ioan. III. 2. „ Vi- „ debimus eum ſicut eſt . “ Item I. Corint. XIII. 12. „ Videmus nunc per ſpeculum in „ ænigmate , tunc autem facie ad faciem . “ Item rationi: quia beatitudo hominis eſt ultimum bonum hominis , in quo quietatur deſiderium eius. Naturale autem deſiderium eſt quod homo videns effectus inquirat de cauſa: unde etiam admiratio Philoſophorum fuit origo Philoſophiæ , quia videntes effectus admirabantur , & quærebant cauſam . Iſtud ergo deſiderium non quietabitur donec perveniat ad primam cauſam , quæ Deus eſt , ſcilicet ad ipſam divinam eſſentiam. Videbitur ergo per eſſentiam. Alii plus etiam erraverunt ponentes contrarium : quia dixerunt, quod non ſolum videbimus oculo mentis , ſed etiam corporis, eſſentiam Dei; & quod Chriſtus videt oculo corporali eſſentiam divinam . Sed hoc non convenit : quod patet primo ex auctoritate quæ hic ponitur ; quia non diceret : *Beati mundo corde*; ſed, Beati qui habent mundos, & puros oculos. Ergo dat intelligere , quod non videtur niſi corde , ideſt intellectu : ſic enim accipitur hic cor , ſicut & Epheſ. I. 18. „ Illuminatos ocu- „ los cordis veſtri . “ Secundo quia ſenſus corporis non poteſt niſi in ſuum obiectum . Si autem dicatur quod tunc habebit maiorem potentiam; dicendum , quod tunc non eſſet viſio corporalis , quia oculus corporalis non videt niſi colores , eſſentiam autem per accidens , ſecundum Aug. Libro ult. de Civitate Dei cap. 19. Sicut cum video vivens , poſſumus dicere quod video vitam , inquantum video quædam indicia quibus indicatur mihi vita ſua . Ita erit in viſione divina : quia tanta erit refulgentia in cælo novo, & terra nova , & corporibus glorificatis , quod per iſta (*a*) dicemur videre Deum quaſi oculis corporalibus . Ergo *beati mundo corde &c.* Solvitur (*b*) vero illud ; „ Deum nemo vidit umquam, “ tripliciter . Primo quia non viſione comprehenſiva ; ſecundo oculis corporalibus; tertio in hac vita: quia ſi alicui datum fuerit quod viderit in hac vita Deum , hoc fuit quia totaliter alienatus eſt , & elevatus ſupra ſenſus corporales . Et ideo dicitur : *Beati mundo corde* : quia ſicut oculus videns colorem oportet quod ſit depuratus , ita mens videns Deum . Sap. I. I. „ In ſimplicitate cordis quæ- „ rite illum : quoniam invenitur ab his qui „ non tentant illum: apparet autem his qui „ fidem habent in illum. “ Fide enim purificatur cor . Act. XV. 9. „ Fide purificans cor- „ da eorum. “ (*c*) Et quia viſio ſuccedet fidei , ideo dicitur : *Quoniam ipſi Deum videbunt* . *Beati mundo corde* , qui ſcilicet habent munditiam generalem ab alienis cogitationibus , per quam cor eorum templum Dei ſanctum eſt, in quo Deum contemplandum vident. Templum enim a contemplando dici videtur. Specialiter vero *beati mundo corde* , ideſt qui habent munditiam carnis: nihil enim ita impedit ſpiritualem contemplationem ſicut immunditia carnis . „ Pa- „ cem ſequimini, & ſanctimoniam , ſine qua „ nemo videbit Deum: “ Heb. XII. 14. Et ideo quidam dicunt, quod virtutes morales proficiunt ad vitam contemplativam, & præcipue caſtitas . (*d*) Et ſecundum hoc, *Beati mundo corde* , poteſt intelligi de viſione viæ : ſancti enim qui habent cor repletum iuſtitia , vident excellentius quam alii qui vident per effectus corporales. Quanto enim effectus ſunt propinquiores, tanto Deus magis cognoſcitur per illos . Unde ſancti qui habent iuſtitiam , caritatem , & huiuſmodi effectus, qui ſunt ſimillimi Deo , cognoſcunt magis quam alii. Pſal. XXXIII. 9. „ Guſtate, „ & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. “

Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Hic ponitur ſeptima beatitudo. Et, ſicut dictum eſt , virtutes ad optimum diſponentes diſponunt ad duo: ſcilicet ad viſionem Dei, & dilectionem. Et ſicut munditia cordis diſponit ad viſionem Dei, ita pax ad dilectionem Dei diſponit, qua filii Dei nominamur , & ſumus; & ſic diſponit ad dilectionem proximi: quia ſicut dicitur I. Ioan. IV. 20. (*e*) „ qui non diligit fratrem ſuum „ quem videt ; Deum quem non videt „ quomodo poteſt diligere? “ Et notandum quod hic ponuntur duo præmia beatitudinis:

(a) *Al.* diceremus. (b) *Al.* ergo. (c) *Al.* Et ideo dicitur quod viſio ſuccedet fidei : *Beati ergo mundo corde*, qui ſcilicet habent munditiam generalem : eorum templum Dei ſanctum eſt : templum a contemplando dicitur. Vel *beati mundo corde*, ideſt qui habent munditiam carnis . (d) Et ſciendum , quod hoc , ſcilicet *Beati mundo corde*, poteſt intelligi &c. (e) *Al.* Qui odit fratrem ſuum.

nis: (*a*) videlicet *Beati pacifici*, &, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*: & omnia præcedentia reducuntur ad iſta duo, & ſunt effectus omnium præcedentium. Quid enim agitur per paupertatem ſpiritus, per luctum, per manſuetudinem, niſi ut mundum cor habeatur? Quid per iuſtitiam, & miſericordiam, niſi ut pacem habeamus? Eſa. xxxii. 17. „ Fructus iuſtitiæ pax, & „ cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas uſ- „ que in ſempiternum. “ *Beati* ergo *pacifici*. Sed videndum eſt quid ſit pax, & quomodo ad eam poſſimus pervenire. Pax eſt tranquillitas ordinis. Ordo autem eſt parium diſpariumque ſua loca cuique tribuens diſpoſitio. Ergo pax eſt in hoc quod omnes teneant ſua loca. Unde debet mens hominis primo Deo ſubiecta eſſe. Secundo motus & vires inferiores, quæ ſunt nobis & brutis communes, ſubiecta eſſe homini: per rationem enim homo præeſt animalibus. Gen. i. 26. „ Faciamus hominem ad imagi- „ nem & ſimilitudinem noſtram, & præ- „ ſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, „ & beſtiis, univerſæque terræ, omnique „ reptili quod movetur in terra. “ Tertio ut homo pacem habeat ad alios: quia ſic totaliter erit ordinatus. Iſta autem ordinatio non poteſt eſſe niſi in hominibus ſanctis. Pſal. cxviii. 165. „ Pax multa diligentibus no- „ men tuum. “ Eſa. xlviii. 22. „ Non eſt pax „ impiis. “ Pacem enim interiorem habere non poſſunt. Sap. xiv. 22. „ In magno viven- „ tes inſcientiæ bello, tot, & tam magna „ mala pacem appellant. “ Pacem talem mundus dare non poteſt. Ioan. xiv. 27. „ Non „ quomodo mundus dat, ego do vobis. “ Item non ſufficit totum hoc, ſed debent inter diſcordes pacem facere. Prover. xii. 20. „ Qui ineunt pacis conſilia ſequitur eos gau- „ dium. “ Tamen ſciendum quod iſta pax hic inchoatur, ſed non perficitur: quia nullus poteſt totaliter habere motus brutales rationi ſubiectos. Rom. vii. 23. „ Video aliam „ legem in membris meis repugnantem le- „ gi mentis meæ, & captivantem me in „ lege peccati, quæ eſt in membris meis. “ Unde vera erit in vita æterna. Pſal. iv. 9. „ In pace in idipſum dormiam, & requie- „ ſcam. “ Phil. iv. 7. „ Pax Dei exuperat „ omnem ſenſum. “ *Quoniam filii Dei vocabuntur*, triplici ratione. Prima eſt quia habent officium Filii Dei: ad hoc enim Filius dicitur veniſſe in mundum ut congregaret diſperſos. Epheſ. ii. 14. „ Ipſe enim eſt pax „ noſtra. “ Col. i. 20. „ Pacificans in ſan- „ guine crucis eius ſive quæ in terris, ſive „ quæ in cælis. “ Secundo quia per pacem cum caritate pervenitur ad regnum æternum, in quo omnes filii Dei vocabuntur. Sap. v. 5. „ Ecce quomodo computati ſunt „ inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illo- „ rum eſt: “ Epheſ. iv. 3. „ Soliciti ſervare „ unitatem ſpiritus in vinculo pacis. “ Tertio quia per hoc homo aſſimilatur Deo, quia ubi eſt pax, non eſt aliqua reſiſtentia: Deo autem nullus reſiſtere poteſt. Iob ix. 4. „ Quis (*b*) reſtitit ei & pacem habuit? “

Et notandum quod iſtæ beatitudines ſibi invicem ſuperaddunt: plus enim eſt miſericordiam conſequi quam ſaturari: quia ſaturari eſt impleri eo quod eſt ſibi proportionatum, ſed miſericordia ſuperabundat. Item nnn omnes qui miſericordiam accipiunt, admittuntur a Rege ad videndum Regem. Item plus eſt eſſe filium Regis, quam Regem videre. Et tamen ſciendum, quod per omnia iſta unum præmium deſignatur.

Sed quare (*c*) ita Dominus per multa voluit ſignificare illud? Dicendum, quod omnia quæ in inferioribus diviſa ſunt, in ſuperioribus congregantur. Et quia in rebus humanis iſta inveniuntur diſperſa, & nos (*d*) manuducimur per ſenſibilia; ideo Dominus per multa ſignificavit illud præmium æternum.

Iſta autem ſeptima beatitudo adaptatur dono ſapientiæ: ſapientia enim facit eſſe filios Dei. Item notandum, quod in ſeptima beatitudine ponitur pax, ſicut in die ſeptima requies, Gen. ii.

Conſequenter ponitur octava beatitudo, quæ deſignat perfectionem omnium præcedentium: tunc enim homo in omnibus illis perfectus eſt, quando nullam deſerit propter tribulationes. Eccli. xxvii. 8. „ Vaſa fi- „ guli probat fornax, & homines iuſtos „ tentatio tribulationis. “ *Beati* ergo *qui perſecutionem patiuntur*, &c.

Sed aliquis forte audiens, *Beati pacifici*, dicet hos non eſſe beatos propter perſecutionem: quia perſecutio pacem turbat, vel totaliter tollit; ſed certe non interiorem, ſed exteriorem. Pſal. cxviii. 165. „ Pax mul- „ ta diligentibus legem tuam, &c. “

Ipſa autem perſecutio non facit (*e*) beatum, ſed eius cauſa: unde dicit, *Propter iuſtitiam*. I. Pet. iii. 14. „ Si quid patimini pro- „ pter iuſtitiam, beati. “ Chryſoſtomus: „ Non dicit a paganis, & pro fide, ſed pro- „ pter iuſtitiam. “

(c) *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines*,

(a) *Al.* unde. (b) *Al.* reſiſtit. (c) *Al.* ita quod Dominus. (d) *Al.* manuducamur. (e) *Al.* pacem.

mines, &c. Supra ab illo loco; *Beati pauperes ſpiritu, &c.* inſtruxit generaliter ea quæ erant perfectionis; hic ſermonem ad diſcipulos dirigit: ubi primo monet eos ad paſſionum tolerantiam, quod „ opus perfectum habet, “ Iac. I. 3. ſecundo (*a*) ad executionem ſui officii diligentem, ibi, *Vos eſtis ſal terræ.* Inſuper prima in tres. Primo monet ad perſecutionum patientiam conſiderando cauſam propter quam patiuntur; ſecundo conſiderando præmium quod ex paſſionibus conſequuntur, ibi, *Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*; tertio exemplo prophetarum quos ſic patientes imitantur, ibi, *Sic enim perſecuti ſunt prophetas*. Tria autem monet ſuſtinenda: duo in præſentia, ſcilicet contumelias in verbis, & iniurias in factis; & unum in abſentia, ſcilicet detractiones, ſive morſiones ex odio cordis. Dicit ergo: *Beati eſtis*, ideſt cauſa aſſumendæ beatitudinis adeſt vobis, *cum maledixerint vobis homines*, ideſt peccatores. Gloſſa: „ Ex odio cordis in faciem contumelias dixerint. “ Hieronymus: „ Ubi Chriſtus in cauſa eſt, optanda eſt maledictio. I. Pet. IV. 14. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati. “ *Et perſecuti vos fuerint*, vim inferendo, vel iniuriando, ſecundum Gloſſam. *Et dixerint omne malum adverſum vos*, ſcilicet famam veſtram lædendo in abſentia per omnia genera verborum malorum. Et ſic eſt triplex perſecutio; ſcilicet cordis, operis, & oris. *Mentientes*: hoc dicit, quia non eſt gloria, de quo vere mala dicuntur: *propter me*, ideſt occaſione mei, cui inhæretis. Chryſoſtomus: „ Qui mendaciter blaſphematur, & propter Deum, beatus eſt; ſed ſi alterum deeſt, non eſt merces beatitudinis. “ *Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Ecce ſecundum, ſcilicet conſideratio præmii quod conſequuntur: unde dicit: *Gaudete*, Gloſſa, mente, *& exultate*, corde, *in illa die*, ſcilicet quando ſuſtinueritis illa. Rabanus: „ Neſcio quis noſtrum hoc poſſit implere, ut laceretur opprobriis fama noſtra, & exultemus in Domino. Hoc qui vanam ſectatur gloriam implere non poteſt. Eleganter enim in quodam volumine legimus, quod ſi non quæras gloriam, non dolebis cum inglorius fueris. “ Chryſoſtomus: „ Quantum quiſque de laude hominum lætatur, tantum de opprobrio triſtatur. “ Et infra: „ Qui quærit tantum gloriam apud Deum, non timet confundi in conſpectu hominum. “

Sed eſt hic quæſtio. Quare huiuſmodi additur perſuaſio, dicens: *Gaudete, & exultate, &c.* & in præcedentibus beatitudinibus non?

Reſponſio. Hæc beatitudo eſt circa tolerantiam paſſionum, quod eſt difficillimum in comparatione ad alia ſupra poſita: propter quod indiget perſuaſione. Vel hoc addit, ne Apoſtolos quaſi novitios cito terreat; quos alloquitur, cum dicit: *Beati eſtis, &c. Quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*, ſcilicet Deus in ſe. Gen. XV. 1. „ Ego merces tua magna nimis. “ Item copioſa reſpective. Ad Rom. VIII. 18. „ Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. “ II. Corin. IV. 17. „ Id quod in præſenti momentaneum eſt, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. “ *Copioſa eſt*, quia ſecundum numerum tribulationum erit & numerus conſolationum. Pſal. XCIII. 19. „ Secundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. “ II. Corint. I. 1. „ Sicut abundant paſſiones Chriſti in vobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio veſtra. “ Lucas dicit (VI. 33.) „ Multa eſt in cælo. “ Et dicit, *In cælis*, pluraliter propter multitudinem gaudiorum. Gloſſa: „ In ſuperioribus partibus mundi. “

Contra. Dicit Beda: „ Cælos non hic dici puto ſuperiores partes aeris. “

Reſponſio. Mundus hic dicitur cælum empyreum cum tota machina mundiali, & non tantum id quod includitur per primum mobile, ut volebant Philoſophi: unde ſuperiores partes mundi dicuntur, quia eſt ſupra mundum iſtum.

Sic enim perſecuti ſunt prophetas. Hic ponitur tertium, quod ſcilicet debent ſufferre paſſiones exemplo prophetarum: unde: *Sic*, ideſt per contumelias, iniurias, & verba maligna, *perſecuti ſunt prophetas*. Iac. V. 10. „ Exemplum accipite, fratres, exitus mali, & longanimitatis, laboris, & patientiæ, prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini. “ *Qui fuerunt ante vos*; & ideo exempla eorum vos invitant. Gregorius: „ Si facta præcedentium recolamus, gravia non ſunt quæ ſuſtinemus. “ Hebr. penult. 1. „ Itaque habentes tantam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. “

(*d*) *Vos eſtis ſal terræ.* Hæc eſt ſecunda pars, ubi monet diligentiam habere in ex-

(a) *Al.* ad executionum ſui officii diligentiam.

ecutione ſui officii: & primo in forma exequendi, quæ ſub ratione exempli informantis, eis oſtenditur; ſecundo in modo docendi, qui eis præſcribitur, ibi, *Sic luceat lux veſtra*. Exemplum informans deſignatur in varietate ſimilitudinum, quarum duæ ſunt per affirmationem, ubi oſtenditur ad quod debent eſſe, quia ad condiendum exemplo vitæ, ibi, *Vos eſtis ſal terræ*; ſecundo ad lucendum, vel illuminandum verbo doctrinæ, ibi, *Vos eſtis lux mundi*. Inter condimenta nihil ſale utilius; inter viſibilia nihil luce clarius. Duæ autem aliæ dicuntur per negationem, in quibus oſtenditur ad quod debent (a) non eſſe: quia nec in abſconſione vitæ, vel perſonæ: unde dicit: *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*: neque in occultatione doctrinæ, vel gratiæ: unde dicit: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio*. Inter præſidia nihil civitate manifeſtius; inter utenſilia nihil lucerna convenientius. Ergo debent eſſe ſol in vita, & moribus; lux in doctrinis, & prædicationibus; civitas in præſidiis, & defenſionibus; lucerna in accenſionibus. Beda docet ut ſale condiant animas ad incorruptionis ſanitatem, ut illuminent ad veritatis intelligentiam, ut acquiſitos, ab hoſtibus defendant, defenſos ad amorem deitatis accendant. Dicit ergo: *Vos eſtis*, ideſt eſſe debetis, *ſal terræ*. Gloſſa: „Sal optimum condiens terrenos exemplo vitæ.“ Hieronymus: „Sal appellantur Apoſtoli, quia per ipſos univerſum hominum genus c nditur.“ Notantur autem hic tria. Primo eorum, & omnium apoſtolicorum virorum officium, cum dicit: *Vos eſtis ſal terræ*; ſecundo eorum periculum, cum dicit: *Quod ſi ſal evanuerit*; tertio eorum ſupplicium, cum dicit: *Ad nihilum valet ultra*. Comparantur autem ſali ratione virtutis, ratione originis, & ratione conſuetudinis. Ratione virtutis primo, quia habet virtutem ſaporativam, quia cibos condit: ſic ſermo apoſtolicus mentes inſipidas condiebat. Col. IV. 6. „Omnis ſermo veſter in gratia ſemper ſit ſale conditus.“ Secundo habet vim areſactivam: unde Auguſtinus: „Sal ſterilem terram facit:“ ſic Apoſtoli, deſtructo regno peccati, germen vitiorum compeſcebant. Sap. III. 13. „Felix ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.“ Tertio habet virtutem reſtrictivam: unde Auguſtinus: „Sal carnes deſiccat:“ ſic ipſi carnales concupiſcentias reſtringebant. I. Pet. II. 11. „Obſecro vos abſtinere a carnalibus deſideriis.“ Quarto habet virtutem mundificativam: unde Auguſtinus: „Sal a vermibus, & putredine ſervat:“ ſic prædicatio verbi divini arcet a putredine vitiorum. Rom. VI. 12. „Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis eius.“ Quinto habet virtutem ſanativam, ſicut habes IV. Reg. II. quod Eliſeus ſale in vas novum miſſo ſanavit aquas Hierico: ſic infuſo ſale ſapientiæ cæleſtis in corde Apoſtolorum, ſanatæ ſunt aquæ, ideſt populi. Pſal. CVI. 20. „Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.“ Secundo comparantur ſali ratione originis. Nam ſal ex aqua maris, & calore ignis, vel ſolis conficitur; & Apoſtoli ex aqua tribulationis, & calore dilectionis facti ſunt. Pſalm. LXV. 12. „Tranſivimus per ignem, & aquam.“ Thren. I. 13. „De cælo miſit ignem in oſſibus meis.“ Tertio ratione conſuetudinis, quia uſus eius in omni ſacrificio erat. Lev. II. 13. „Omnis victima ſale ſalietur.“ Sic honeſta converſatio erat, & in occulto & in aperto, & coram Deo, & coram proximo Rom. XII. 17. „Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.“ *Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur*? Hic oſtenditur eorum periculum: unde dicit: *Quod ſi ſal*, ideſt prædicator, vel prælatus, vel doctor, *evanuerit*. Evaneſcere dicitur ſal tripliciter: ſcilicet liquefactione, quod fit per humidum, & frigidum; ſecundo infatuatione; tertio evaneſcit quando omnino deficit. Expone ergo tripliciter ſic. *Si evanuerit*, ideſt frigore, ſive timore adverſitatis, vel humiditate proſperitatis ſe diſſolverit, *in quo ſalietur*? ideſt, in quo populus bonis moribus informabitur? Vel *ſi evanuerit*, ideſt infatuetur, deviando a veritate, *in quo*, ideſt per quem, populus erudietur? ſecundum Bedam. Thren. IV. 4. „Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.“ Vel *ſi evanuerit*, ideſt omnino defecerit, *in quo ſalietur*? ideſt, per quem modum pœnitentiæ condietur populus? Hier. XXX. 12. „Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua.“ De omnibus his Hieronymus: „Evaneſcit ſal cupiditate effluens, timore ſuccumbens, errore ſubvertens, proſperis elatus, adverſis depreſſus.“ *Ad nihilum valet ultra*. Hic notatur eorum ſupplicium: ubi tria ponuntur. Primo valoris annihilatio per ſubtractionem gratiæ. I. Cor. XV. 10. „Gratia Dei ſum id quod ſum, &c.“

Et

(a) *Al. omittitur* non.

Digitized by Google

Et quantum ad hoc dicit: *Ad nihilum valet ultra*: quia, ut dicit Beda, „ ſuo unctu germinare prohibet, & fecundare non ſinit. Unde Luc. xɪv. 35. „ Neque in terra, neque in ſterquilinio utile eſt. “ Secundo gloriæ amiſſio ex defectu negligentiæ: unde ſubditur: *Niſi ut mittatur foras*, ideſt extra Eccleſiam, vel extra paradiſum, vel ab officio docendi removeatur. Apoc. xxɪɪ. 15. „ Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis qui amat, & facit mendacium. “ Ioan. xv. 6. „ Mittetur foras ſicut palmes, & areſcet. “ Tertio damnatio gehennæ ex cumulatione nequitiæ: unde ſubditur: *Et conculcetur ab hominibus*, ideſt a dæmonibus: dæmon enim aliquando dicitur homo, ſicut Pſal. cxvɪɪ. 6. „ Non timebo quid faciat mihi homo: “ Gloſſa, „ ideſt diabolus. “ Vel *conculcetur ab hominibus*; ideſt, ſimul cum aliis calcetur, vel ſubtus alios in profundum inferni proiiciatur. Malach. ult. 3. „ Calcabitis impios. “ Iob xx. 25. (*a*) „ Vadent, & venient ſuper eum horribiles. “ Vel *conculcetur ab hominibus*; ideſt, irrideatur a carnalibus hominibus. Oleæ ɪv. 9. „ Sicut populus, ſic & ſacerdos. “ Gloſſa: „ Irrideatur ab hominibus. “ Sed ille qui perſecutionem patitur, irridetur ad hominibus: ergo calcatur.

Contra. Auguſtinus, & Rabanus: „ Non calcatur qui perſecutionem patitur. “ Reſponſio. „ Calcari non dicitur niſi qui inferior eſt; & ideo ille qui perſecutionem patitur, licet in terra multa ſuſtineat in corpore, & a malis irrideatur, tamen quia fixus eſt in cælo corde, non dicitur calcari. “ Et ſic loquitur Auguſtinus, & Rabanus.

Vos eſtis lux mundi &c. Hic oſtenditur quod debent illuminare verbo doctrinæ: in quo poſſunt notari tria, quæ debet habere prædicator verbi divini. Primum eſt ſtabilitas, ut non deviet a veritate; ſecundum eſt claritas, ut non doceat cum obſcuritate; tertium eſt utilitas, ut quærat Dei laudem, & non ſuam. Primum notatur cum dicitur, *Vos*, diſcretive, ſcilicet qui eſtis derivati a me, qui ſum prima lux: Ioan. vɪɪɪ. 12. „ Ego ſum lux mundi: “ *eſtis*, ideſt eſſe debetis. Ecce ſtabilitas quæ notatur in verbo ſubſtantivo, in quo excluditur lucis defectio, contra illos qui prædicant falſitatem; & lucis fictio, contra illos qui ſe transfigurant in Angelum lucis, II Cor. xi. 14. & lucis diminutio, contra illos qui timore vel adulatione non reprehendunt vitia. Deinde notatur claritas cum dicitur, *Lux*: Gloſſa: „ Per quos omnes illuminantur a tenebris ignorantiæ. “ Comparantur autem luci ratione eſſentiæ, ratione actus, ratione virtutis, ſive efficaciæ. Nam eius eſſentia eſt cæleſtis: unde Baſilius in Hexameron: „ Lux eſt natura ſibi per omnia ſimilis, & ſimplex. “ Eccli. xxɪv. 6. „ Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens. “ Et ipſi converſatione debent eſſe cæleſtes. Phil. ɪɪɪ. 20. „ Noſtra converſatio in cælis eſt. “ Item non inquinatur ab immunditiis. Sap. vɪɪ. 25. „ Nihil inquinatum in illam incurrit. “ Et ipſi debent eſſe mundi. Eccle. ɪx. 8. „ Omni tempore veſtimenta tua ſint candida. “ Item omnibus eſt communicabilis. Iob xxv 3. „ Super quem non ſplendet lumen eius? “ Et prædicatores ſe debent omnibus exponere. Luc. vɪ. 30. „ Omni petenti te tribue. “ Secundo ratione actus, qui, ſecundum Baſilium, eſt tenebras illuminare, vias dirigere, latibula manifeſtare, differentias rerum oſtendere. Et ipſi prædicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifeſtare, & modo comminando, modo exhortando hominibus prædicare. Tertio ratione ſuæ efficaciæ: lux enim ingerit delectationem. Eccle. xɪ. 7. „ Dulce eſt lumen, & delectabile eſt (*b*) oculis videre ſolem. “ Item terræ fecunditatem. Eccli. xlɪɪɪ. 4. „ Radios igneos exufflans &c. “ Item viventibus cognitionem. Philoſophus: „ Homo generat hominem, & ſol. “ Præter hæc, ſecundum Baſilium, veniente luce diei, ægritudines alleviantur, homines a ſomno excitantur, aves garriunt, beſtiæ ad latibula ſua fugiunt. Sic luce Apoſtolorum mundus eſt ædificatus exemplis, inflammatus doctrinis, fecundatus bonis operibus, alleviatus peccatis, excitatus a negligentiis, animatus ad contemplationem cæleſtium, ereptus de poteſtate dæmonum. Deinde notatur utilitas, dum dicit, *Mundi*, ideſt univerſaliter. Pſal. xvɪɪɪ. 5. „ In omnem terram exivit ſonus eorum. “

Quæritur autem hic quare præmiſerit ſal luci. Reſponſio Chryſoſtomi: Quia prius vita quam doctrina: vita enim ducit ad ſcientiam veritatis.

(e) *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*. Hæc eſt pars ubi oſtenditur quod non debent eſſe in abſconſione vitæ: unde dicit: *Non poteſt civitas abſcondi*. Gloſſa: „ Ideſt ſoliditas Apoſtolicæ doctrinæ, vel ſan-

(a) *Al.* Vident. (b) *Al.* hominibus.

Digitized by Google

„ ſancta vita ipſorum munita virtutibus. “ Hierem. I. 18. „ Dedi te in civitatem mu„ nitam. “ *Abſcondi*, ideſt celari, *ſupra montem poſita*, ideſt ſita ſuper Chriſtum, vel Eccleſiam. Quare non poteſt celari? Quia ipſe mons manifeſtat eam, ſecundum Gloſſam Chryſoſtomi: „ Omni tuba documenta ſunt ope„ rum clariora, vita quam munda ipſa eſt „ luce fulgentior, nec obſcurari poterit et„ iam ſi innumeri fuerint obloquentes. “ Et notandum, quod ex virtute verbi, *ſupra montem*, notantur tria: quia eſt ſecura, quod indicat conſtantiam: quia eſt inexpugnabilis, quod indicat patientiam: quia eſt in firmo, & immobili loco ſita, quod indicat perſeverantiam. Deinde ponit quod non debent eſſe in abſconſione doctrinæ: unde dicit: *Neque accendunt*, ſcilicet viri ſancti, *lucernam*, ideſt doctrinam prædicationis, vel fervorem doctrinæ: nam in lucerna eſt ignis, & lumen; ſic & in prædicatione debet eſſe fervor ſpiritus interius, & lumen boni exempli exterius. Sicut dicitur, quod Ioannes „ erat lucerna ardens, & lucens: “ Ioan. V. 35. *Sub modio*, ideſt in abſcondito; *ſed ſuper candelabrum*, ideſt in manifeſto. Gloſſa Bedæ: „ Ideſt ſuper Eccleſiam: “ quaſi dicat: Non ideo data eſt doctrina prædicationis ut celetur ſub modio timoris, vel commodo vitæ præſentis. Modius enim, ſecundum Iſidorum Lib. Etimolog. XVII. eſt vas in quo menſuratur; & id quod menſuratur, ſecundum Bedam. Myſtice, Chriſtus lucernam incarnationis ſuæ non incluſit *ſub modio*, ideſt menſura legis, vel in terminis unius gentis; *ſed ſuper candelabrum*, ideſt Eccleſiam, *ut luceat omnibus qui in domo ſunt*, ideſt in Eccleſia, vel in mundo.

Sed eſt hic quæſtio cur Apoſtoli, ſive apoſtolica doctrina dicuntur civitas, cum potius ſint fundamentum, & Eccleſia ſit civitas cuius ſunt fundamentum.

Reſponſio. Dicuntur civitas, quia ſub Chriſto fuerunt initiatores Eccleſiæ. Vel nomine totius intelligitur pars, nomine civitatis fundamentum: mons enim ſuper quem civitas ponitur, Chriſtus eſt: de quo Eſa. II. 2. „ Erit in noviſſimis diebus præparatus „ mons domus Domini in vertice montium, „ & elevabitur ſuper colles, & fluent ad „ eum omnes gentes. “

Deinde dicit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*. Et eſt ſecundum ab illo loco, *Vos eſtis ſal terræ*. Ubi informat eos quo ad modum docendi, & hunc modum deſcribit quo ad tria. Primo quo ad doctrinæ manifeſtationem: unde dicit: *Sic luceat lux veſtra*, ideſt doctrina, *coram hominibus*. Rom. XII. 17. „ Providentes bona non tantum co„ ram Deo, ſed etiam coram omnibus ho„ minibus. “ Secundo quo ad manifeſtatæ doctrinæ per opera bona confirmationem: unde ſubdit: *Ut videant opera veſtra bona*. Gloſſa: „ Opera requiro ut videantur; & ſic „ doctrina confirmetur. “ Iac. II. 12. „ Sic „ loquimini, & ſic facite. “ Chryſoſtomus: „ Nomen Dei per (a) eos blaſphematur qui „ non faciunt quod docent. “

Sed contra hoc videtur eſſe quod infra (VI. 3.) dicitur: *Cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*. Item: *Ora patrem tuum in abſcondito; & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*.

Reſponſio. Bona opera prohibet fieri in manifeſto, quantum ad laudem hominum. Hic autem requirit fieri ut confirmetur doctrina, & Deus glorificetur, ſecundum Gloſſam. Si enim doctrina eſt bona, & prædicator malus; tunc ipſe eſt occaſio blaſphemiæ doctrinæ Dei. Unde Bernardus: „ Lingua „ magniloqua, & manus otioſa, doctrina „ lucida, & vita tenebroſa, eſt res mon„ ſtruoſa. “

Tertio quo ad rectam intentionem: unde addit: *Et glorificent patrem veſtrum*: Gloſſa: „ In vobis, & non vos, quia eius opus eſt: “ *qui in cælis eſt*. Gregorius: „ Sic opus ſit in pu„ blico, ut intentio maneat in occulto, ut „ de bono opere proximis præbeamus ex„ emplum, & tamen pro intentione qua „ ſoli Deo placere quærimus, ſemper opte„ mus ſecretum. “

(f) *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem*. Hæc eſt tertia pars a principio huius capituli, ubi tacitæ quæſtioni reſpondet. Unde Beda: „ Quia poterant æſtimare, quod ve„ tera præcepta vellet abolere, ante inter„ rogata prius occurrit, dicens: *Nolite puta*„ *re &c.* “ Ubi tria facit. Primo dicit ſe non velle legem deſtruere, ſed implere; ſecundo docet eam implendam fore, ibi, *Amen dico vobis &c.* tertio ad eius impletionem incipit alios provocare, ibi, *Qui ergo ſolverit &c.* Dicit ergo: *Nolite putare*, ideſt opinari, *quia veni*, ideſt quod venerim, *ſolvere legem, aut prophetas*. Per hæc duo comprehendit totam continentiam veteris legis, quia lex principaliter erat ad declinandum a malo; prophetia ad faciendum bonum. Illa operandorum, & hæc credendorum. Solvere autem eſt uno modo, ſecundum Bedam, non face-

(a) *Al.* os.

facere quod illa ſpiritualiter dicit. Vel ſol. vere eſt non intelligere quod illa (a) declaravit, ſecundum Gloſſam. Unde Chriſtus non venit ſolvere, quia ſpiritualiter implevit. Propter quod dicit: *Non veni ſolvere*, legem, *ſed adimplere*, ideſt perfecte implere. Implevit autem primo moralia, caritatis dulcedine condiendo, quia plenitudo legis eſt dilectio, Rom. XIII. 10. Ioan. XV. 12. „ Hoc „ eſt præceptum meum ut diligatis invicem „ ſicut dilexi vos. " Secundo cæremonialia figurarum velamen detegendo. Infra XXVII. 51. *Velum templi ſciſſum eſt*. Apoc. V. 9. „ Digous eſt agnus aperire librum, & ſolvere „ ſignacula eius; " ideſt obſervationes figurarum in lege. Tertio prophetias in ſe completas oſtendendo. Luc. ult. 25. „ Oportet „ impleri quæ ſcripta ſunt in prophetis de „ me. " Quarto promiſſiones confirmaodo. Ad Gal. III. 16. „ Abrahæ dictæ ſunt pro„ miſſiones. " Quinto iudicialia per miſericordiam temperando. Ioan. VIII. 11. (b) de adultera: „ Nec ego te condemnabo. " Sexto conſilia addendo. Infra XIX. 21. *Vade, & vende omnia, &c.* Septimo promiſſiones omnes (c) eis factas de Spiritus ſancti miſſione, & Filii iocarnatione &c. perſolvendo. Ad Heb. VIII. 8. „ Conſummabo teſta„ mentum oovum. " Ioan. XIX. 30. „ Con„ ſummatum eſt. " *Amen dico vobis, &c.* Ecce ſecundum, ubi oſtendit quod ex parte ſui implenda eſt: unde dicit, *Amen*: aſſertivum veritatis eſt. Unde, ſecundum Auguſtinum, nomen Hebræum eſt, & interpretatur verum, vel vere; ſecundum Hieronymum, vere, vel fideliter, vel fiat. *Dico vobis, donec*, ideſt antequam, *tranſeat cælum & terra*.

Contra. Eccle. I. 4. „ Terra autem in æ„ ternum ſtat. " Reſponſio. Non dicuntur cælum & terra tranſire ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum formam: unde II. Pet. III. 10. „ Adveniet dies Domini ſicut fur, „ in quo cæli cum magno impetu tranſient, „ & elementa calore ſolventur. " Unde, *Donec tranſeat cælum & terra*; ideſt, elementa mutentur de hac mutabili forma ad immutabilitatem, ſecundum Gloſſam.

Iota unum. Iota unum eſt decima littera Græca, & eſt minima ceteris litteris, ut dicit Auguſtinus, quia uoo ductu fit. Apex eſt aliqua diſtinctio ipſius litteræ, ideſt quædam virgula in ſummitate. Hebræi autem diverſa elementa ſignificant per eamdem figuram; ſed per quoſdam punctos ſupra, vel infra poſitos diſtinguunt. Unde illi puncti vocantur apices; &, ſecuodum Rabaoum, Iota ſignificat decalogum; ſecundum Hieronymom, ſignificat ea quæ minima putantur in lege, ſicut forte erant aliquæ figuræ. Apex ſignificat minimam particulam præcepti, vel minimum ſignificativum legis, ſecundum Rabanum. Vult ergo dicere, quod *iota unum*, ideſt unum de decem maodatis, *aut unus apex*, ideſt minimum ſignificativum in lege, *non præteribit a lege donec omnia fiant*; ideſt, oon remanebit quin impleatur, & perficiatur. Gloſſa: „ In capite, vel in corpore. " Eſa. XXVIII. 22. „ Conſummationem, & abbreviationem „ audivi a Domino. " *Qui ergo ſolverit &c.* Hic provocat ad eius impletionem, diceos: *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis.*

Contra. Ioan. X. 35. „ Non poteſt ſolvi Scri„ ptura. " Reſponſio. Non ſolvitur ſimpliciter, ſed in aliquibus: unde Rabanus: „ Man„ data ſolvit in ſeipſo, & non in ipſis. " Solvuntur autem tripliciter; ſcilicet non agendo, non credendo, alios in errorem tradendo. Mioima mandata ſunt moralia, vel legalia aliqua, quia minus ſunt ſignificatione, vel minima quantum ad remunerationem, in comparatione ad illa quæ Chtiſtus dixit. Unde Chryſoſtomus: „ Mandata Moyſi „ in actu facilia ſunt, ut noo occidas; & „ ideo in remuneratione modica, & io pec„ cato magna: ſed mandata Chriſti, ut non „ iraſcaris, in actu difficilia; & ideo in re„ muneratione magna, & io peccato mioi„ ma. "

Minimus vocabitur in regno cælorum. Contra. Caſſiodorus: „ Qui maiora negligens docere „ præſumpſerit, conſequens eſt ut non iam „ minimus in cælo, ſed in gehennæ ſuppli„ cio maximus habeatur. "

Reſponſio. Non habebitur, ut dicit Caſſiodorus, ſed vocabitur, quia erit eo indignus, ut dicit Auguſtinus. Unde *minimus vocabitur in regno cælorum*, ideſt nullus, quia non erit ibi. Vel ipſe non exiſtens in regno vocabitur mioimus, ideſt deſpectiſſimos, & viliſſimus ab his qui ſunt in regno. Vel, ſecundum Gloſſam, *minimus*, ideſt deſpectiſſimos in Eccleſia.

Contra. Immo minimus eſt qui male facit, & male docet. Reſponſio. Qui male facit, & male docet non eſt in Eccleſia quo ad hoc opus; & ideo non vocatur io regno cælorum nec magous, nec parvus: ſed qui male facit, & bene docet eſt in Eccleſia quo ad aliquod opus, ſed minimus in illa. *Qui autem fecerit*, ideſt ſervaverit, *& docuerit*, ſic eſſe faciendum, *hic magnus vocabitur*, ſci-

(a) *Al.* depravavit. (b) *Al.* de meretrice. (c) *Al.* ei.

Digitized by Google

ſcilicet merito in Eccleſia militante, & magnus præmio, *in regno cælorum*, ideſt in Eccleſia triumphante. Auguſtinus : „ Non dicit determinate, Qui fecerit minima; ſed indeterminate, ut oſtendat quod maiora & minima oportet eum facere qui in regno cælorum vult magnus eſſe. “

(g) *Dico autem vobis &c.* Hæc eſt ſecunba pars a principio huius capituli principalis, in qua ad impletionem novæ legis monet: & hæc pars dividitur in duas. Primo monet ad impletionis executionem; ſecundo monet ad executionis rectam intentionem, cap. VI. *Attendite &c.* Circa primum duo facit. Primo monet ad impletionis perfectionem, explanando præcepta; ſecundo addendo conſilia, ibi, *Dictum eſt: Oculum pro oculo &c.* Circa primum duo. Primo monet ad abundantem iuſtitiam; ſecundo oſtendit modum abundantis iuſtitiæ, ibi, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis.* Dicit ergo : *Dico autem vobis*, ideſt hic prædico: unde attendite diligenter : *quia niſi abundaverit iuſtitia veſtra.* Chryſoſtomus: „ Iuſtitiam vocat univerſalem virtutem. “ Auguſtinus: „ Non ſolum legis præcepta, ſed etiam illa quæ addo. “

Contra. Act. XV. 10. „ Hoc eſt onus quod nec nos, nec patres noſtri portare potuimus. “ Exo. XVII. 12. „ Erant manus Moyſi graves. “ Quomodo ergo dicit, *Abundaverit*?

Reſponſio. (*a*) Quia ſpecialiter hoc dicitur diſcipulis, & per conſequens omnibus; & (*b*) extendendum eſt non ſolum ad exteriorum operum exhibitionem, ſed (*c*) etiam ad animi cohibitionem. Levior autem eſt, quia eſt lex amoris, & amor omnia facit levia.

Item videtur ex hoc, quod moderni teneantur ad maiorem iuſtitiam quam antiqui. Contra. Cælibatus Ioannis non præfertur coniugio Abrahæ.

Reſponſio. Ad iuſtitiam maiorem non tenentur; ſed abundare in iuſtitia dicuntur, quia quod occulte dictum eſt antiquis, expreſſum eſt modernis: unde ibi figura, hic veritas.

Item ſuper illud, *Pluſquam ſcribarum*, Chryſoſtomus: „ Non iniquorum, quia non ei quæ non erat comparaſſet illam iuſtitiam quæ erat: plus enim & minus eiuſdem generis ſunt. “ Ergo ſcribæ erant iuſti.

Reſponſio. Talis iuſtitia erat apparens : unde non ei quæ non erat, ideſt quæ non eſſe videretur.

Pluſquam ſcribarum, & phariſæorum: quia iuſtitia horum erat in præſumptione ſuæ actionis, & in iudicio alterius; ſicut patet de illo Luc. XVIII. 12. „ Ieiuno bis in ſabbato. “ Secundo quia erat in oſtentatione operis, non in rectitudine intentionis. Tertio quia erat in lotione, & exteriori munditia, non in opere. Quarto in afflictione corporis per ieiunia, & non in mandatorum obſervatione. Quinto quia erat in minoribus obſervantiis, relictis gravioribus legis. Quaſi ergo dicat: Non ſolum ſi minima, quemadmodum phariſæi faciunt, impleveritis, ſed etiam illa quæ addo ad perfectionem; *non intrabitis in regnum cælorum*, ideſt in Eccleſiam triumphantem. Prover. XV. 5. „ In abundanti iuſtitia virtus maxima eſt. “ *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, &c.* Hic oſtendit modum abundantis iuſtitiæ. Abundans autem iuſtitia eſt ordinans omnem motum animæ. Propter quod dividitur in tres. Primo docetur ordinari in ſuis motibus virtus iraſcibilis, ſive animativa; ſecundo concupiſcibilis, ſive affectiva, ibi, *Dictum eſt antiquis: Non mœchaberis, &c.* tertio rationalis, ſive intellectiva, ibi, *Dictum eſt antiquis : Non periurabis, &c.* Item prima dividitur in duas. Primo ponit prohibitionem legis circa actum ex indebita inordinatione iraſcibilis erga proximum; ſecundo ponit ſuperadditionem ipſius prohibitionis ſecundum perfectionem evangelicam, ibi, *Dico autem vobis, &c.* Circa primum iterum duo facit: quia primo replicat prohibitionem; ſecundo pœnam legis, ibi, *Qui autem occiderit, reus erit iudicio.*

Quærit autem primo Chryſoſtomus quare non incipit a primo mandato. Reſponſio. Incipit a generaliſſimis paſſionibus, ſcilicet furore, & concupiſcentia, quæ deſtruunt caritatem : nam concupiſcentia deſtruit amorem Dei, furor amorem proximi.

Iuxta hoc quæritur, cum rationalis ſit prior in modo quam iraſcibilis, & concupiſcibilis, quare non prius ordinatur quam ipſæ. Reſponſio. Procedit ab inferiori ad ſuperius: quia doctrina levior, & univerſalior. Motus autem iræ, & concupiſcentiæ ſunt motus virtutis animalis, quæ inferior eſt rationali.

Item cum motus iræ ſequatur ad motum concupiſcentiæ, quare non prius ordinatur virtus concupiſcibilis, quam iraſcibilis? Reſponſio. Prior eſt natura, & conſervatio eius quam multiplicatio; ſed ira eſt contra conſervationem naturæ, & ideo primo admonet

(*a*) *Al. deeſt* Quia. (b) *Al.* retorquendum. (c) *Al. deeſt* etiam.

net iram, deinde ordinat concupiſcentiam, quæ eſt ad multiplicatinnem naturæ.

Dicit ergo: *Audiſtis quia dictum eſt*. Non dicit, Dixi, vel Pater meus; ſed ſimpliciter, *Dictum eſt*, ne ſermo eius repelleretur. *Antiquis*, quibus data eſt lex, (Exod. xx. 13.) *Non occides*. Ecce prohibitio actus, qui eſt deſtructio naturæ; qui provenit ex furore iræ. Chryſoſtomus: „ Nihil ita malitiam, „ & errorem inducit, & radicat, ut amo- „ ris deſtructio. " *Qui autem occiderit, reus erit iudicio*, ideſt punitione legis, quæ eſt pœna talionis, de qua Exod. xx. quæ eſt occiſio actualis. *Ego autem dico vobis*; quaſi dicat: Lex data punit actualiter; ſed dico quod iudicio legis cæleſtis, non ſolum qui occidit, ſed etiam qui iraſcitur, reus eſt. Unde hæc eſt pars ubi ponitur ſuperadditin, ex qua ordinatur iraſcibilis in ſuis motibus. Eſt autem ira & ad proximum, & ad adverſarium, quæ eſt diſcordia, quam ibi prohibet, *Eſto conſentiens adverſario tuo*. Inſuper ira ad proximum eſt vel ſubita, vel inveterata, quæ eſt idem quod odium, quam ibi removet, *Si offers munus tuum &c.* Ira ſubita eſt duplex: vel intus latens, vel exterius apparens. Et hæc duplex, ſcilicet cum apparet exterius per ſignum confuſum, quando quis prorumpit in vocem indignationis, quam removet ibi, *Qui dixerit fratri ſuo, Racha &c.* Vel per ſignum determinatum, ſicut quando prorumpit in ſermonem, exprimendo affectionem iraſcibilis cum certa malitia, quam removet ibi, *Qui autem dixerit, Fatue &c.* per hoc enim exprimitur diſcreta indignatio procedens a ratione. Quantum ad primum, ſcilicet prohibitionem iræ latentis, quæ eſt motus indignationis, ſive malevolentiæ, dicit: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo*, id eſt quicumque motum malum ad nocendum prnximo habuerit, & retinuerit, ſecundum Rabanum, *reus erit iudicio*, ideſt dignus accuſatione. Unde ſecundum Auguſtinum, hoc iudicium habet condemnationem, & pœnam incertam. Unde qui habet voluntatem nocendi tantum in animo, debet iudicare ſe reum. Et hæc ira radix eſt homicidii, de quo ſupra. Unde Chryſoſtomus: „ Radix occiſionis eſt ira. Qui radicem abſcin- „ dit deſtruit ramos. "

Sed hic eſt quæſtio. Si enim omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus eſt iudicio, cum ſancti iraſcuntur malis, peccant, cum nullus excipiatur?

Reſponſio. Duplex eſt ira. Per (*a*) zelum, & hæc non eſt peccatum; & talem habent ſancti: & eſt ira per conſenſum; & de tali dicitur hic: *Qui iraſcitur &c.* Unde Gloſſa: „ Ira eſt (*b*) omnis malus motus „ animi ad nocendum. "

Qui autem dixerit (ecce prnhibitio iræ per ſignum indignationis expreſſivum) *fratri ſuo*, per naturæ cnmmunionem, vel per fidem, ſicut ſunt Chriſtiani, vel per poſſibilitatem ad fidei unitatem; & ſic ſunt fratres Iudæi, vel Gentiles: *Racha*, ideſt, qui motum in voce indignatinnis (*c*) proruperit. Unde Hieronymus: „ Racha Hebræum eſt, „ quod interpretatur cenos, ideſt inanis, „ aut vacuus, quem nos poſſumus nuncupa- „ re abſque cerebrn: " in qun notatur affectus indignantis. *Reus erit iudicio*. Gloſſa: „ Id eſt conſenſu in iudicium de danda ſen- „ tentia in eum; " quaſi dicat: Dignum eſt ut ſententia proferatur contra eum.

Glnſſa: „ Dignus accuſatione; " qund ſupra dictum eſt de homicidio: ergo ſemper talis peccat mortaliter.

Reſponſio. Ira quæ eſt motus animi eſt duplex: vel ſubita, vel cum deliberatione. Si ſubita, veniale: unde Hieronymus: „ Si „ ſubitus motus cui non conſentitur, pro- „ paſſio eſt. " Si cum deliberatione, mortale: unde Hieronymus: „ Accedente con- „ ſenſu, paſſin mors in domo. "

Qui autem dixerit, Fatue. Ecce tertius gradus iræ, ſcilicet quæ eſt per ſignum certum expreſſivum malitiæ: unde dicit: *Qui autem dixerit, Fatue*; ideſt, qui uſque ad convicium proceſſerit, quod eſt ex certa malitia; *reus erit gehenna ignis*; ideſt, punietur æterna pœna. Gehenna, ſecundum Hieronymum, dicitur a *Ge*, quod eſt terna, & *Ennom*, qui eſt locus iuxta Hieruſalem, ubi Iudæi idnlis immnlabant. Sed tempore captivitatis repletus eſt locus ille cadaveribus mortuorum: cui comparat Chriſtus infernum, vocando pœnam æternam gehennam.

Sed eſt hic quæſtio: quia Paulus ad Gal. III. 1. dicit: „ O inſenſati Galatæ, &c. " Item Luc. ult. 25. „ O ſtulti, & tardi cor- „ de ad credendum. "

Reſponſio ſecundum Chryſnſtnmum. Cum dicit, *Racha*, & *Fatue*, intelligendum eſt ſine cauſa: nam hoc dicere non eſt peccatum, cum cauſa ſubeſt.

Contra hoc Hieronymus inquit: „ In qui- „ buſdam codicibus additur, *Sine cauſa*, in „ veris autem non eſt; & ita penitus tol- „ litur. Unde radendum eſt, *Sine cauſa*, „ quia ira viri iuſtitiam Dei non operatur. "

Re-

(a) *Al.* cælum. (b) *Al.* omnis motus. (c) *Al.* prorupit.

Reſponſio. Intelligit de ira quæ eſt inordinatus motus animi ad nocendum cum conſenſu.

Item quæritur quare ita gravat peccatum linguæ. Reſponſio ſecundum Chryſoſtomum. „ Omnis ſermo vanus qui dicitur, immundo ſpiritu dictante profertur. “ Vanum ergo dicentes, non tantum ideo peccamus quia aliquem lædimus, ſed quia locum damus in nobis immundis ſpiritibus agendi quod volunt.

Notandum autem circa ſupradicta, quod iudicium, concilium, & gehenna exprimunt pœnam infernalem, ſed plus, & minus ſecundum qualitatem culpæ. Unde Gregorius: „ Circuit gradus culpæ, circuit ordo ſententiæ: quia in iudicio adhuc cauſa (*a*) dicitur; in concilio iam ſententia apta diffinitur; in gehenna vero ea quæ de concilio ſententia egreditur, completur. “ Propter hoc dicitur Levit. XIX. 17. „ Non oderis fratrem tuum in corde tuo. “ Et ad Epheſ. IV. 36. „ Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. “ Qui ergo motum nocendi habet in animo, debet iudicare ſe reum: ſi autem prodeat in contumeliam adverſus fratrem, eget reconciliatione: ſi autem non iudicat ſe reum, nec fratri vult reconciliari, ex contemptu perſeverans in odio, reus erit gehennæ.

Si ergo offers. Hic prohibet iram inveteratam, ex qua odium naſcitur, & concludit a maiori, ſecundum Rabanum, ſic. Si non licet fratri tuo iraſci, multo fortius non licet detinere iram, unde naſcatur odium: ergo *ſi tu offers*, ideſt (*a*) offerre proponis, *ad altare*. Hoc multipliciter exponitur, ſecundum quod altare aliquando accipitur pro materiali templo, ſicut in Pſal. XXV. 6. „ Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine. “ Aliquando pro Chriſto. Thren. II. 7. „ Repulit Dominus altare ſuum, “ ideſt Chriſtum, ſcilicet in paſſione. Aliquando pro cordis devotione; & hoc eſt templum interius, ſecundum Auguſtinum. Quantum ad primum, *Si offers munus tuum*, ideſt oblationem, *ad altare*, materiale, ad litteram, vel munus boni operis, ſecundum Gloſſam, *ad altare*, ideſt Chriſtum. Vel ſecundum Auguſtinum, *Munus tuum*, ideſt orationes, pſalmos, hymnos, & huiuſmodi, *ad altare*, ideſt in corde, quod eſt templum ubi oblaturus es; *& ibi*, ſcilicet in Eccleſia, vel in corde, *recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adverſum te*. Hoc poteſt intelligi dupliciter: ſcilicet de lædente, & læſo. De lædente ſic, ſecundum Auguſtinum. *Si recordatus fueris*, ideſt ſi in mentem, & notitiam tibi venerit quod *frater tuus*, quem læſiſti, *habet aliquid adverſum te*, ſcilicet pro contumeliæ affectione, pro corporali læſione, pro temporalium ſubtractione, pro famæ denigratione: *relinque ibi*, ſcilicet coram altare, ſive coram Deo, *munus tuum*, *& vade*, ſi abſens eſt, non pedibus corporis, ut dicit Auguſtinus, ſed animo humili te proſternas in conſpectu eius cui oblaturus es: ſi præſens eſt, revocandus eſt ad amorem, petendo veniam ab eo. Vel ſi *frater tuus*, qui te læſit, *habet aliquid adverſum te*, ideſt unde adverſatur tibi, *vade reconciliari fratri tuo*, dimittendo rancorem ſibi. Ex hoc enim quod dicens, Si *frater tuus habet aliquid adverſum te*, non apponit, *iuſte*, dat intelligere quod etiam ille cui iniuria facta eſt, debet quærere amicitiam. Unde Chryſoſtomus: „ Si pro gloria ſalutis tuæ iubet te Dominus amicitiam facere, multo magis debes rogare, ut duplicem gloriam conſequaris: unam, quia innoxius es; alteram, quia prior rogaſti. “ *Et tunc veniens*, quaſi placens Domino, qui prius non placebas, *offeres munus tuum*. Chryſoſtomus: „ Si cogitatu (*c*) offendiſti, cogitatu reconciliare; ſi verbis, verbis; ſi factis, factis. “ Et iterum: „ Niſi quem factis læſiſti, factis placaveris; ſine cauſa oras ad Dominum, ſine cauſa eleemoſynas facis de rebus quibus alios expoliaſti. Quid enim prodeſt, ſi alius pro te orat ad Dominum, & alius adverſum te interpellat ad Dominum? “ Eccli. XXXIV. 23. „ Dona iniquorum non probat Altiſſimus. “

Et nota hic quatuor quæ requiruntur ad (*d*) dationem, ſive oblationem: ſcilicet mentis hilaritas: unde dicit, *Si offers*. Eccli. XXXV. 11. „ In omni dato hilarem fac vultum tuum. “ Secundo rei proprietas: unde dicit, *Munus tuum*. Prover. III. 9. „ Honora Deum de ſubſtantia. “ Tertio loci opportunitas, *Ad altare*. Quarto proximorum caritas: unde dicit, *Et recordatus fueris*. I. Corin. XIII. 3. „ Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. “ Stultus eſt qui copiam ciborum perdit pro denario ſalis, ideſt caritatis, quæ dat omnibus ſaporem, & decorem, ut aurum aliis metallis. *Eſto conſentiens adverſario tuo*. Supra prohibuit habere iram, ſive diſcordiam cum fratribus; hic removet ha-

(a) *Al.* ducitur. (b) *Al.* differre. (c) *Al.* offendiſti. (d) *Al.* damnationem.

habere diſcordiam cum adverſario, dicens: *Eſto conſentions*, ideſt benevolus, vel benignus, ut habetur ex Græco, ſicut dicit Hieronymus, (*a*) *adverſario tuo*.

Contra. Diabolus eſt adverſarius: ergo eſt ſibi conſentiendum.

Reſponſio. Loquitur de illo qui nobiſcum eſt in via; ſed diabolus non eſt in via, nec poteſt eſſe, ſed eſt in devio æterno. Unde, *Adverſario tuo*, ſecundum Chryſoſtomum, ideſt homini adver anti, ſive inimico ad litteram. Rom. XII. 18. „ Si fieri poteſt, cum „ omnibus hominibus pacem habentes. “

Dum, ideſt donec, *es cum eo in via*, ideſt in ſtatu merendi. Ioan. IX. 4. „ Venit tem„ pus quando non licet operari. “ Vel adverſarius noſter eſt Deus: de quo Exod. XXIII. 7. „ Ego Dominus qui adverſor im„ pium. “ Vel ſermo divinus, qui advertatur peccare volentibus. II. Tim. ult. 16. „ Omnis Scriptura divinitus inſpirata, uti„ lis eſt ad docendum, ad arguendum. “ Vel (*b*) conſcientia remordens: de qua Pſal. XLIX. 21. „ Arguam te, & ſtatuam „ contra faciem tuam. “ Et ſic iterum omnibus iſtis modis exponitur. Uode, *Eſto conſentiens adverſario tuo*, ideſt Deo, & divino ſermoni, ſecundum Auguſtinum, & Bedam; quibus eſt conſentiendum in ſpe promiſſi, io timore ſupplicii, in opere præcepti, in declinatione prohibiti. *Cito*, ideſt ſine mora. Eccli. v. 8. „ Ne tardes con„ verti ad Dominum. “ *Dum es cum eo*, ideſt cum quo recte graderis, *in via*, ſcilicet Chriſti, ſive pœniteotiæ, ſive mundi. Pſal. CXVIII. 32. „ Viam mandatorum tuorum cu„ curri, cum dilataſti cor meum. “ *Ne forte tradat te*, ſecundum Auguſtinum, ne forte cauſa ſit occaſionaliter (*c*) ut tradaris. Et dicit, *Forte*, ſecundum Gloſſam, (*d*) ne auferatur pœnitentiæ locus. Si enim obiiſſet adverſarius antequam conſentiret, ſive eſſet benevolus, videretur quod damnaretur, dicendo ſimpliciter, *Ne tradat te adverſarius*, ideſt ſermo divinus, vel Deus, vel conſcientia remordens, *iudici*, Gloſſa: „ In manus „ Chriſti. “ Ioan. v. 22. „ Omne iudicium „ dedit Filio. “ *Et iudex*, ideſt Chriſtus. Hierem. XXIX. 23. „ Ego ſum iudex, & te„ ſtis: “ *tradat te miniſtro*. Gloſſa: „ Ideſt An„ gelo, qui colligit zizania ad comburendum: “ infra XIII. Pſal. CIII. 4. „ Qui facit An„ gelos ſuos ſpiritus. “ Vel *miniſtro*, ideſt exactori diabolo. Eſa. XIV. 4. „ Quomodo „ ceſſavit exactor? “ *Et in carcerem mittaris*, ideſt in abyſſum inferni. Eſa. XXIV. 22. „ Claudentur in carcere. “ Apoc. XX. 3. „ Miſit illum in abyſſum, & clauſit. “ *Amen dico tibi*, ideſt certe ſcias, *quia non exies inde donec*. Gloſſa: „ Ideſt numquam. “ Unde Auguſtinus: „ *Donec* non ſignificat hic fi„ nem pœnæ, ſed continnationem miſeriæ; „ quaſi dicat: Semper ſolves, & numquam „ perſolves. “ Sicut in Pſal. CIX. 1. „ Sede a „ dextris meis donec ponam inimicos tuos „ ſcabellum pedum tuorum; “ ideſt, ſemper ſedebis. *Reddas novissimum quadrantem*, ideſt minutiſſima peccata, ſecundum Bedam, & Rabanum: quia nihil remanebit impunitum. Eſt enim quadrans genus nummi habeos duo minuta. Vel, ſecundum Auguſtinum, & Hieronymum, per quadrantem voluit intelligere terrena peccata: (*e*) oam quadrans noviſſimum eſt terra, quæ quarta pars elementorum huius mundi eſt, & ea noviſſima ab igne; quaſi dicat: Quia noluiſti eſſe ignis per caritatem, aereus per boni operis ſtrenuitatem, aqueus per baptiſmatis ſanctificationem; ſed fuiſti terrenus inhærendo terrenis; *non oxibis inde*: quia numquam perſolves peccata quæ de terra contraxiſti.

(h) *Audiſtis quia dictum eſt antiquis*: *Non mœchaberis &c.* Supra ordinavit iraſcibilem reſpectu ſuæ paſſionis; hic ordinat concupiſcibilem reſpectu paſſionis quæ eſt io radice, ſcilicet in virtute generativa. Ponuntur autem hic duo. Primo ordinatio concupiſcibilis circa ſuum motum; ſecundo confirmatio ipſius matrimonii dati in eius remedium, ibi, *Dictum eſt*: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam*. (*f*) Inſuper in prima primo monet concupiſcentiæ inordinatum motum; ſecundo tollit occaſionem, ſive provocationem ad ipſum, ibi, *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te*. Prima duo continet: ſcilicet iuſtitiam legis veteris, quæ conſiſtebat tantum in opere exteriori; deinde explanationem novæ, qoæ conſiſtit etiam io interiori, ibi, *Ego autem dico vobis &c.* Dicit ergo: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis*, ideſt Iudæis ſub præceptis legis degentibus multo tempore iam elapſo. Unde Chryſoſtomus: „ Dicendo, *Antiquis*, oſtendit multum tem„ pus ex quo mandatum hoc acceperunt, „ *Non mœchaberis*, ideſt non illegitime com„ miſceberis mulieri. “ Mœchia enim proprie eſt illicita commixtio maris, & feminæ.

Quærit hic Chryſoſtomus quare non dicit de primo mandato. Reſponſio. Quia incipit a geoeraliſſimis paſſionibus, ut dictum eſt ſupra.

(a) *Al. Adverſario tuo*: ergo eſt tibi conſentiendum. (b) *Al.* conſcientiam. (c) *Al.* ne. (d) *Al.* ne auferat pœnitentiæ locum. (e) *Al.* nam quadrans noviſſimum eſt terra ab igne. (f) *Al.* Inſuper prima.

Ego autem dico vobis; id eſt, ad hoc mandatum, quod ſolum in actu putatis eſſe ſervandum, addo, & explano eſſe ſervandum in voluntate, ſecundum Auguſtinum. *Quia omnis qui viderit mulierem*; ideſt, qui viſum infixerit in mulierem.

Eſt autem quæſtio hic quare præter alios ſenſus ſolum viſum nominat. Reſponſio. Quia viſus magis eſt in promptu: vel, ſecundum Bedam, in viſu omnem (*a*) motum animi ad delectationem intelligit.

Item hic quæritur quare non dicit, Concupierit, ſed, *Omnis qui viderit*. Reſponſio. Quia concupiſcere eſt aliquando ſubito, & non deliberate; & ſic eſt veniale, & eſt propaſſio ſecundum Hieronymum. Sed videre ad concupiſcendum eſt cum deliberatione; & ideo mortale, & eſt paſſio ſecundum Hieronymum.

Iuxta (*b*) hoc quæritur quare non dicit ad mœchandum, ſed ſolum ad concupiſcendum. Reſponſio. Ut det intelligere quod non ſolum operatio, vel conſenſus ad operandum, eſt damnabilis, ſed etiam intentio, vel conſenſus ad delectandum.

Ad concupiſcendum eam; ſecundum Auguſtinum, & Hieronymum, ideſt ut eam eo ſine videat ut concupiſcat interius, ut faceret ſi facultas ſe offerret. *Iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*; ideſt, mœchiæ reus eſt, (*c*) quia iam tranſivit in affectum cordis, ſecundum Rabanum. Gregorius: „ Non licet intueri quod non licet concupiſci. “ Thren. III. 51. „ Oculus meus deprędatus eſt animam meam. “ Secundum Auguſtinum, nomine mœchantium, omnem carnalem delectationem intelligit; & cum dicit, *Viderit*, viſus pro omni motu qui eſt ad delectationem, non ſolum corporalis, ſed etiam interior, qui eſt (*d*) in concupiſcentia, ponitur, ut dicit Beda. *Quia ſi oculus tuus &c.* Hic removet provocantia ad ipſum motum: quæ ſunt duo principaliter; ſcilicet viſus, & tactus. Primum removet dum dicit: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te*; deinde ſecundum, ibi, *Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te*. Dicit ergo: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te*; quaſi dicat: Supra prohibui vobis mœchiam in actu, & voluntate; ſed & plus prohibeo, ſcilicet omnem occaſionem provocantem ad ipſam: unde dico: *Quod ſi oculus tuus dexter &c.* Hoc exponitur multipliciter a Sanctis, ſecundum Hieronymum, Bedam, & Hilarium. *Oculum* dicit viſum & affectum mentis; unde Hieronymus: „ Quia ſupra de concupiſcentia mulieris dixerat, recte nunc cogitationem etiam ſenſum in diverſa volventem, oculum nuncupavit. “ Et Hilarius: „ In oculo & dextro intelligitur affectus quorumlibet animorum. “ Secundum Auguſtinum, & Rabanum, & Chryſoſtomnm, oculus dexter poteſt hic accipi pro amicis, & conſiliariis, qui quaſi iter in agendis demonſtrant. Unde Chryſoſtomus: „ *Dexter*, appoſuit, ut diſcas, quoniam non de membris eſt ſermo, ſed de his qui familiariter ad nos ſe habuerint. “ Item ſecundum Auguſtinum, & Bedam, & Hieronymum, pro parentibus, & propinquis poteſt accipi oculus dexter. Vel ſecundum unam Gloſſam, pro vita contemplativa. Intelligendum eſt ergo ſic. *Si oculus tuus*, ideſt ſenſus, & cogitatio, *dexter*, ideſt ſub ſpecie bonæ intentionis, *ſcandalizat te*, illicita concupiſcendo, *erue eum*, ſcilicet malum uſum ei frangendo, *& proiice abs te*, ſcilicet ipſum ex toto annihilando. Unde Chryſoſtomus: „ Erat mulier religioſa, (*e*) & reſpexi, & dixi: Debeo viſitare illam aſſidue, ut inſtruam illam, & confirmem in bono; bonus eſt iſte reſpectus, & oculus dexter: ſed dum aſſidue viſito, decidi in laqueum deſiderii eius; ecce reſpectus bonus, & dexter oculus factus eſt mihi in ſcandalum. Eiiciam ergo illum bonum reſpectum qui generaturus eſt malum. “ (*f*) Et concludit infra: „ Omne ergo bonum quod nos, vel alios ſcandalizet, præſcindere debemus a nobis. “ Item *ſi oculus dexter*, ideſt amicus, & conſiliarius in divinis, ſcandalizet, trahendo in hæreſim; talis eſt eruendus reprobando, proiiciendus, manifeſte contradicendo. Item ſi parentes ſcandalizant, vitæ ſanctitatem impediendo, talis oculus eruendus eſt reſiſtendo, proiiciendus a ſe ſeparando. Item ſi vita contemplativa ſcandalizat, in tædium, vel arrogantiam vertendo, eruendus eſt, aliquando diminuendo, proiiciendus, ad activam tranſeundo. *Expedit enim tibi*; ideſt, magis eſt neceſſe & utile tibi, *ut pereat unum membrorum tuorum*, ideſt ſenſus talis, vel conſiliarius, vel propinquus, vel contemplatio. Unde Gloſſa: „ Ille quem habes ut (*g*) membrum, quam totum corpus tuum (*h*) eat in gehennam; “ ideſt, quam tu totaliter in anima & corpore mittaris in infernum. Gloſſa: „ Melius eſt illo præciſo ſalvari, quam cum illo damnari. “

Con-

(a) *Al.* motum animi, ac delectationem. (b) *Al.* hic. (c) *Al.* quæ. (d) *Al.* concupiſcentia. (e) *Al.* *omittitur* & (f) *Al.* Etiam (g) *Al.* unum membrum. (h) *Al.* ecat.

Digitized by Google

Contra. Secundum Canones, quicumque tali occaſione abſciderit ſibi membrum, irregularis eſt. Præterea alia Gloſſa Chryſoſtomi, & Auguſtini: „ Nullum membrum „ ad litteram erui præcipitur. “ Contra. In vitis Patrum hoc legitur factum fuiſſe.

Reſponſio ad primum. Quod nullum membrum intendit debere præcidi propter hoc; ſed vocat præcidere, vel eruere, uſum, vel actum huiuſmodi a ſe per ſtudium pii laboris amovere, ut ſupra dictum eſt. Ad ſecundum quod obiicitur de vitis Patrum, reſpondetur, quod hoc excuſatur per Spiritum ſanctum, quo inſpirante creditur fuiſſe factum, ſicut dicit Auguſtinus de Sampſone in libro de Civitate Dei, quod non aliter excuſatur, niſi quia Spiritus ſanctus latenter hoc iuſſerit, qui per eum miracula faciebat.

Et ſi dextera manus tua, ideſt operatio, vel tactus exterior cum bona intentione, vel amicus qui tibi miniſtrat in bonis. Vel, ſecundum Chryſoſtomum. *Dextera manus*, voluntas animæ, ſiniſtra, voluntas corporis. Hæc autem corporea, ut dicit (*a*) idem, organum eſt illius manus.

Sed quæritur quare non mentionem fecit de oculo ſiniſtro, & manu ſiniſtra, cum contingat & per illam pati ſcandalum.

Reſponſio. Removendo unum quod videbatur minorem præſtare occaſionem, removet & id quod maiorem dat occaſionem. Vel, ſecundum Chryſoſtomum, ut intelligas quod non de membris corporalibus loquitur, ſed loquitur de familiaribus, vel amicis, ut ſupra dictum eſt.

Scandalizat te, ideſt ſit occaſio ruinæ tuæ, ſive ſcandali, *abſcinde eam*, ſcilicet dimittendo, vel fugiendo. Unde Chryſoſtomus: „ Ad „ litteram nullum membrum in homine ab„ ſcidi præcipitur; ſed per ſtudium pii la„ boris, ſi nocet, eſt revocandum, & re„ movendum, & etiam longe a ſe facien„ dum, ut nec in memoria habeatur. “ Unde addit, *Et proiice abs te*, ſcilicet ex toto relinquendo. *Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quam totum corpus tuum eat in gehennam*. Gloſſa: „ Ideſt melius „ eſt tibi illo præciſo ſalvari quam cum illo „ damnari. “ *Dictum eſt &c.* Hic ponitur ſecundum, ſcilicet confirmatio matrimonii dati in remedium concupiſcentiæ. Unde cum ſupra removerit illicitam commixtionem contra matrimonii legem, hic removet illicitam coniunctorum ſeparationem. Et per hoc confirmatio matrimonii eſt contra hæreticos. Dicuntur autem hic duo. Primo legis Moyſi permiſſio; ſecundo legis novæ iuſtitia, & prohibitio, ibi, *Dico autem vobis*. Dicit ergo: *Dictum eſt:* non dicit a quo, vel quibus, per hoc ſignificans ipſos eſſe quaſi alienos a Deo, quibus hoc dicebatur. Deuteron. XXIV. ubi ſcripſit Moyſes, quod ſi uxor non placeret viro propter aliquam fœditatem, dimittat eam. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam*, ideſt dimittere voluerit; & hoc fuit permiſſum a Moyſe, non præceptum: unde Marc. X. 4. „ Moyſes permiſit libellum repudii ſcribe„ re, & dimittere. “ *Det ei libellum repudii*. Hoc fuit præceptum ſub iſta conditione, ſi dimitteret. Et in libello repudii (ut dicunt) ſcripta erat cauſa divortii, & dos quam dabat ei, & licentia quam habebat nubendi alii. Unde, ſecundum Chryſoſtomum, abdicabat a ſe, ut non eſſet in eius poteſtate ad eam reverti.

Quæritur autem hic quare hoc permiſit Moyſes, cum non eſſet ei indictum a Domino.

Reſponſio ſecundum Ambroſium, & Chryſoſtomum. Permiſit, ne odio, vel alia cauſa habita in uxorem contingeret maius malum, ſcilicet occiſio eius. Unde Ambroſius: „ Melius eſt enim dividi, quam odio „ ſanguinem fundi. “

Sed notandum, quod eſt multiplex permiſſio. Primo conceſſionis licitæ, ut Prior concedit te viſitare parentes. Secundo diſpenſationis, quando permittit quod tibi non licet (*b*) comedere, ut comedere carnes. Tertio tolerantiæ, ut quando permittitur inter duo mala minus malum ne fiat maius; & talis fuit permiſſio Moyſis: dicitur enim permiſiſſe, quia toleravit, ne maius malum facerent, ſcilicet homicidium, ut ſupra dictum eſt. Et ideo dicit Dominus, quod hoc præcepit Moyſes ad duritiam cordis eorum, infra XIX. 8. Et talis permiſſio permittenti peccatum non eſt, quia hoc facit ut reſiſtat maiori malo. Quarto indulgentiæ, quando permittitur aliquid cuius oppoſitum melius eſt: ſicut Apoſtoli ſecundas nuptias, I. Corin. VII. permiſerunt; cum tamen melior eſſet continentia vidualis. Quinto ſuſtinentiæ, ſicut Deus permittit mala fieri, ut eliciat bona.

Ego autem dico vobis, &c. Ideſt, id determinando, uxorem non dimittendam ex qualibet cauſa: & toleratum a Moyſe, ne maius malum fieret, ſcilicet homicidium. Sic aſtringo, & explano. *Quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis*, ſcilicet corporalis, viri, vel mulieris, *facit*

(a) *Al. deeſt* idem. (b) *Al.* concedere.

eam mœchari, quia illa nubit alteri. Et hoc non eſt coniugium, ſed adulterium. Unde addit: *Et qui dimiſſam duxerit, adulterat*: quia debet manere innupra, vel viro reconciliari, ut dicit Gloſſa. Quod ſi ipſam dimittat ob cauſam fornicationis, ut dicit Auguſtinus, ipſe non facit eam mœchari, ſed ipſa, cuius eſt reatus. Nec dimittens ſic, poteſt illa vivente aliam ducere, ut tangitur I. Corin. VII.

Nota, quod qui dimittit, ſive repudiat, quatuor mala facit, ut dicit Chryſoſtomus. Quia quantum ad Deum exiſtit homicida; ſecundo dimittit non fornicantem; tertio facit eam adulteram; & quarto accipientem facit adulterari. Item adulterans quatuor peccata committit. Exheredat filios, fidem violat, virum dimittit, & ex adulterio fornicatur. Propter hoc dicitur Eſa. l. 1. „ Quis eſt hic „ liber repudii matris veſtræ quo dimiſi „ eam? “ Eccli. XXIII. 32. „ Omnis mulier re- „ linquens virum ſuum peccabit. “ Item no- „ ta ſuper illud, *Excepta cauſa fornicationis &c.* Gloſſam Auguſtini, & Chryſoſtomi: „ Cau- „ ſa fornicationis eſt, ſi uxor cogat ad idola- „ triam, vel avaritiam, vel ad alias illici- „ tas concupiſcentias. Non enim fornica- „ tio eſt tantum ſtupri, ſed generaliter quæ „ a lege Dei aberrare facit. “ Ergo ſpiritualis fornicatio ſolvit matrimonium. Contra Hieronymus: „ Si mulier peccat in animam „ ſuam, non eſt polluta viro; “ quaſi dicat: Propter hoc quod peccat tantum in animam ſuam, non peccavit contra virum. Et ſic per hoc non debet ſolvi matrimonium.

Reſponſio. Vinculum matrimonii conſideratur tripliciter. Vel quantum ad mutuam continentiam, vel quantum ad reddendum debitum carnale, vel quantum ad cohabitationem mutui ſervitii. Primum vinculum non ſolvit niſi mors alterius, vel utriuſque: quia conſummato matrimonio, alter contrahere, altero vivente, non poteſt. Secundum vinculum ſolvitur in carnali fornicatione, cum diſtinctione tamen: nam quædam ſpiritualis fornicatio corrumpit facientem tantum; ſicut ſuperbia, ira, & ſimilia: (a) alia corrumpit cohabitantem, ſicut hæreſis, vel furtum, & ſimilia. Quantum ergo ad primum modum, non debet ſolvi vinculum cohabitationis. Quantum ad ſecundum debet ſolvi manente illa fornicatione ſpirituali, (b) ut ſi diceret mulier ſe nolle habitare cum viro, niſi faceret furtum, vel talia huiuſmodi. Sunt autem ſex caſus, qui continentur his verſibus:

Simile, proſtituens, vis, mors, & credita forma,
Si convertatur, poſt novit, mittere nequit.

In iſtis caſibus non licet dimittere uxorem fornicantem. Primus eſt ſimilitudo, ideſt ſi ipſe vir convincitur fornicari. Secundus proſtitutio, hoc eſt ſi ipſe vir proſtituat ipſam. Tertius eſt violentia, hoc eſt quando ab altero opprimitur per violentiam: & intelligitur de violentia abſoluta, & non de illa quæ eſt per metum. Quartus eſt credita forma, hoc eſt quando ab alio cognita eſt ſub ſpecie viri ſui, quem putabat virum ſuum. Quintus eſt mors, hoc eſt cum credit probabiliter virum ſuum mortuum, & alteri nubit, & viro redeunte ſtatim recedit a priori. Sextus eſt converſio; hoc eſt, fidelis ab infideli, ſecundum ritum ſuæ ſectæ, dimittatur. Poſtea utroque converſo ad fidem cogitur per Eccleſiam eam recipere. Septimus eſt reconciliatio, hoc eſt cum reconciliavit eam ſibi poſt commiſſum adulterium, vel publice adulterantem retinuit. In iſtis caſibus nequit vir mittere, ideſt dimittere uxorem fornicantem. Et ſic intelligitur Gloſſa Auguſtini, & Chryſoſtomi.

Quæritur autem hic utrum ſimilis cauſa ſit in viris, ſi dimittantur ab uxoribus ſuis cauſa fornicationis.

Reſponſio Hieronymi. „ Quicquid viris „ dicitur redundat in feminas: neque enim „ adultera uxor dimittenda, & vir mœchus „ retinendus. Aliæ ſunt leges Cæſaris, aliæ „ Chriſti. Apud illas in viris frena pudicitiæ „ laxantur; apud Chriſtum, quod non licet „ feminis, æque non licet viris: quia ea- „ dem ſervitus pari conditione cenſetur. “

Item ſuper illud, *Facit eam mœchari*, quæritur quare non dicit: Et mulier ſi nubat alteri, adulterat.

Reſponſio. Mulier, ut dicit Chryſoſtomus, imbecillis eſt: propterea per minas quas in virum dimittentem eam facit, vult emendare illius ſtultitiam. Sicut habens filium prodigum, illum dimittens increpat eos qui faciunt eum talem, & prohibet eos non convenire, neque apparere ſibi.

Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis. Supra ordinavit iraſcibilem, & concupiſcibilem ad ſuas paſſiones; hic ordinat rationalem reſpectu veritatis. Eſt autem duplex veritas: creata, & increata. (c) Ordinat ergo virtutem rationalem ad veritatem increatam per debitam reverentiam & honorificationem. Secundo ad veritatem creatam per rectam interpretationem, ibi, *Sit autem ſermo*

(a) *Al.* alia quæ corrumpit. (b) *Al.* ut ſi diceret ſe nolle (c) Ordinat per virtutem.

Digitized by Google

ſermo veſter, *Eſt eſt*, *Non non*. In primo dicuntur duo. Quia primo ponit iuſtitiam legis, quæ conſiſtit in duobus; ſcilicet in evitatione periurii, & ſolutione præſtiti iuramenti, ibi, *Reddes autem Domino iuramenta tua*. Secundo iuſtitiam Evangelii, quæ conſiſtit in duobus: in prohibitione aſſiduitatis iuramenti, cum dicit: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino*: & in prohibitionis explanatione, cum dicit: *Neque per cælum &c.* Dicit ergo: *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non periurabis*; ideſt, non periurium committes. Unde Lev. XIX. 14. „ Non peierabis, ne polluas nomen Dei tui. "

Quærit autem Chryſoſtomus quare furtum præteriens, ad falſum teſtimonium traſcendit.

Reſponſio. Quoniam (*a*) qui furatur, quandoque peierat, & non e converſo.. Quoniam (*b*) qui non vult mentiri, vel iurare, numquam eliget furari. Et per hoc id avertit. Vel dicendum, quod furtum puniebatur in lege; mendacium autem non. Et ideo ne putetur licitum, hic prohibet.

Reddes autem Domino iuramenta tua. Hieronymus: „ Ideſt ſi iurare contigerit, per „ creatorem iurabis, non per creaturam. " Unde *Domino* dicit; non idolo, vel creaturæ: quia, ut dicit Chryſoſtomus, qui Domino non reddit iuramenta ſua, ſed elementis, dupliciter peccat: primo quia non reddit Deo ius ſuum; ſecundo quia deificat per quod iurat, & ſic idolatriam committit.

Gloſſa Hieronymi: „ Sicut victimas Deo „ immolare iuſſit, ne eas idolis immolarent; „ ſic parvulis conceſſum eſt iurare per Deum. " Ergo ſi parvulis, non licet hoc perfectis. Contra. Apoſtolus iuravit, Rom. I. IX. „ Teſtis eſt mihi Deus, &c. " Et Angelus Apoc. X. 6.

Reſponſio. Parvulos dicit qui veritatem dicunt, ſeu humiles Deum timentes. Vel parvulis, ideſt pro parvulis, hoc eſt pro iſtis temporalibus.

Ego autem dico vobis; ideſt, occaſione periurii etiam iuramenta prohibeo, mandans vobis *non iurare omnino*, ideſt ex qualibet cauſa, ſive ſine legitima cauſa: quia cum ſine cauſa iuratur, atteſtatio primæ veritatis contemnitur, quia aſſumitur in vanum; quod prohibetur Exod. XX. 7. „ Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. "

Contra. Pſalm. CIX. 4. „ Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum. " Ad Hebr. VI. 16. „ Omnis controverſiæ finis „ ad confirmationem eſt iuramentum. "

Reſponſio. Prohibet iurare omnino, ideſt aſſidue. Vel omnino, (*c*) in ſenſu compoſito, ideſt in omni caſu. Debent autem in iuramento tria eſſe. Materia debita, ſcilicet veritas; forma debita, ſcilicet iuſtitia; & finis rectus: unde, ſecundum Auguſtinum, & Gregorium, & Origenem, non penitus iurare prohibuit, ſed occaſione periurii, quod perfectius eſt, docuit. Secundum Alexand. Hoc præcipitur ſolum Apoſtolis in primitiva Eccleſia, ne imperfecti haberentur. Vel cum dicit, *Non iurare omnino*, prohibetur affectus iurandi, non effectus. Sicut Iac. V. 12. „ Ante omnia fratres nolite iurare; " ideſt non appetatis. Unde Hieronymus: „ Chriſtus omnino iurare prohibet, ne quis quaſi bonum appetat iuſiurandum, & aſſiduitate „ iurandi labatur in periurium. " Item Auguſtinus in Libro de mendacio dicit: „ *Omnino non iurare*; ideſt, quantum in te eſt, „ non ames, neque cum aliqua delectatione „ appetas. " Item idem Auguſtinus: „ Iuratio non eſt bona, non tamen eſt mala „ cum eſt neceſſaria. "

Contra. Auguſtinus in Sermone de periculo: „ Falſa iuratio pernicioſa, vera pericoloſa, nulla ſecura. " Si pericoloſa, ergo mala.

Reſponſio. Pericoloſa dicitur reſpectu iurantis, non quia mala, ſed quia de facili poteſt omitti aliqua conditio iuramenti, quæ eſt triplex, iuxta illud Hierem. IV. 2. „ Iurabis, Vivit Dominus, in veritate, in iudicio, & iuſtitia. " In veritate iurat qui ſecundum veritatem rei, & conſcientiæ; in iuſtitia qui licite; in iudicio qui pro cauſa ſufficiente.

Neque per cælum. Chryſoſtomus: „ Qui per „ cælum iurat, cælum deificat: " & per cælum intelligit omnem creaturam ſuperiorem naturalem. Gloſſa: „ Non iuremus per „ creaturas. "

Contra. Ioſeph iuravit per ſalutem Pharaonis, Geneſis XLII. 15. Reſponſio. Iuravit, poteſtatem eius a Deo, atque ſalutem cognoſcens. Ergo non fuit per creaturam iurare, ſed per Deum, in cuius manu ſalus eſt omnium.

Quia thronus Dei eſt: Eſa. ult. 1. „ Cælum mihi ſedes eſt: *neque per terram*, per quam intelligitur omnis creatura naturalis inferior: *quia ſcabellum pedum eius eſt*. Eſa. ibid. „ Terra ſcabellum pedum meorum. " Et, ut dicit Auguſtinus, in cælo dicitur Deus ſedere, terramque calcare, non quod membra ſic locata habeat, ſed quia in corpore mundi maxi-

(a) *Al.* qui furatur eſt qui periurat. (b) *Al.* qui novit mentiri, vel iurare, neque eliget. (c) *Al.* ut compoſitum eſt.

maxima ſpecies eſt cæli , minima terræ . Propter quod in cælo dicitur ſedere , quia in magna ſua potentia relucet.

Deinde comprehendit creaturam artificialem , dicens: *Neque per Hieroſelymum* . Conſuetudo erat Iudæis iurare per Hieruſalem, & templum, & huiuſmodi. *Quia eſt civitas magni Regis* . Pſal. lxxvi. 14. „ Quis Deus „ magnus, ſicut Deus noſter ? “ *Neque per caput tuum iuraveris* . Per hoc intelligitur omnis creatura quæ eſt idem quod nos. Auguſtinus: „ Cum quis per ſalutem meam iu- „ rat, ſalutem ſuam Deo obligat. Cum per „ filios meos, oppignorat Deo, ut hoc eve- „ niat in caput eorum quod exit de ore „ eius . “ *Quonium non potes unum capillum album facere, aut nigrum*, ſcilicet naturaliter; quaſi dicat : Non eſt opus tuum, ſed Dei . Unde Auguſtinus : „ Iurare per quaslibet „ creaturas eſt creatorem earum teſtem ad- „ hibere. “ (*a*) Propter hæc omnia dicitur Eccli. xxiii. 9. „ Iurationi non aſſueſcat os „ tuum. “ Chryſoſtomus: „ Nemo eſt qui ſfre- „ quenter iuret qui aliquando non periuret.“ *Sit autem ſermo veſter, Eſt eſt, Non non*. Hæc eſt ſecunda pars ubi ordinat rationalem veritatem creatam per rectam interpretationem, ſcilicet quando veritas exprimitur verbo ſecundum quod concipitur in animo. Unde dicit: Ita prohibui non iurare etiam cum oportet loqui: *ſit autem*; ideſt, ſed *ſermo veſter ſit* , *Eſt eſt* ; ideſt , ſermo veſter habens exiſtentiam (*b*) rei, *ſit* , *Eſt eſt* ; ideſt proferatur ſecundum veritatem conſcientiæ : *Non non* ; ideſt , de re quæ non eſt , proſeratur non eſſe. Unde Rabanus: „ *Eſt eſt* , *Non non* : bis „ dicit , ut quod ore dicis operibus com- „ probes quod verbis negas, factis non con- „ firmes. “ *Quod autem his abundantius eſt*; ideſt, illud quod aſſeritur , vel negatur ſupra ſimplicem veritatem rei, ſicut per iuramentum, *a malo eſt*: non dicit quod malum ſit, ut dicit Auguſtinus ; ſed a malo, ſcilicet non tuo , ſed ex infirmitate compellentis te iurare, aut incredulitate.

Unde nota, quod iurare licet multis de cauſis . Primo pro veritate confirmanda incredulis. II. Cor. i. 18. „ Fidelis Deus, quia „ ſermo qui fuit apud nos , non fuit in „ illo eſt, & non. “ Secundo pro pace reformanda ; ut Iacob iuravit Laban , Gen. xxxi. Tertio pro amicitia contrahenda. Gen. xxvi. 28. „ Dixerunt viri Geraræ ad Iſaac : „ Sit iuramentum inter nos. “ Quarto pro veritate manifeſtanda . Deut. xix. 15. „ In „ ore duorum vel trium teſtium ſtat omne „ verbum . “ Quinto pro fidelitate ſervanda. II. Reg. v. 3. „ Venerunt ſeniores Iſrael „ ad Regem, & percuſſit cum eis fœdus. “ Sexto pro obedientiæ, & ſubiectionis recognitione. Sic viri Galaad Iephte (Iudic. xi. 10.) Septimo pro conſuetudine Eccleſiæ ſervanda , ut Canonici ; ſicut iuraverunt filii Iſrael ſe Domino ſervituros. Et hæ ſeptem cauſæ ſunt propter bonum introducendum. Item aliæ duæ cauſæ ſunt propter malum amovendum; ſcilicet ſicut iuratur in conteſtatione litis , ut calumnia ſopiatur . Ad Hebr. vi. 16. „ Omnis controverſiæ finis ad „ confirmationem eſt iuramentum . “ Alia cauſa eſt ad infamiam purgandam . Deut. xxi. 1. „ Quando inventum fuerit cadaver „ hominis occiſi, & ignorabitur cædis reus; „ egredientur maiores natu, & iudices tui „ ... Et dicent : Manus noſtræ non effu- „ derunt ſanguinem hunc , nec oculi vide- „ runt . Propitius eſto populo tuo Iſrael , „ quem redemiſti Domine.

(i) *Audiſtis quia dictum eſt : Oculum pro oculo* . Hæc eſt Secunda pars ab illo loco , *Dico autem vobis &c.* in qua monet ad impletionis perfectionem , addendo conſilia . Et primo ponit conſilia reſpectu iudicialium; ſecundo reſpectu moralium , ibi , *Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum ſuum*. Prima in duas . Primo ponit veteris legis iuſtitiam ; ſecundo novæ legis perfectionem , quæ conſiſtit in duobus: ſcilicet in mali illati perpeſſione , & in beneficentiæ operatione , ibi, *Qui autem petit a te, da ei.* In patiendo autem malum illatum dupliciter ; aut in corpore, aut in re, ibi, *Si quis voluerit tecum in iudicio contendere* ; aut in operatione, ibi, *Si quis te anguriaverit mille paſſus* . Ad patientiam mali illati in corpore (*c*) monet ſecundum duplicem gradum . Uno modo ad non appetendum vindictam ; alio modo eſſe paratum ad plura ſuſtinenda, ibi, *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam*. Dicit ergo : *Audiſtis quia dictum eſt* . Non dicit quibus, ut innuat illos eſſe duros corde . *Oculum pro oculo* , *dentem pro dente* : in quo lex talionis erat iniuriæ illatæ ſtatuta, ut Auguſtinus dicit Exod. 21. & Deut. 19.

Sed quæritur quare legem talionis conceſſit Moyſes . Reſponſio . Moyſes vidit eos temerarios in iniuriis , & vindictis faciendis ; & ideo cum non poſſet aliter eos retrahere , pœnam vindictæ voluit temperare , ne ſupra modum illatas iniurias vendicarent, ſed ad plura pro pari parem redderent talionem.

Item

(a) *Al.* Per. (b) *Al.* Dei. (c) *Al.* movet.

Item ſuper illud Gloſsæ Auguſtini:„ Lex mo-
„ dum ultionis conſtituit . “ Contra Levit.
xix. 18. „ Non quæras ultionem , nec me-
„ mor eris iniuriæ civium tuorum . “ Re-
ſponſio . Talionis erat lex iudici in præce-
pto , & hoc ut facerent zelo iuſtitiæ , &
non zelo vindictæ ad malorum cohibitio-
nem; & ſic intelligit Auguſtinus . Sed quia
erat permiſſa iniuriato ſecundum paritatem,
putabant Iudæi ſe poſſe ulciſci, & ideo in-
hibetur in Levitico.

Item ibidem Auguſtinus: „ Iniuſtorum iu-
„ ſtitia eſt; non quia iniqua eſt ultio quam
„ lex ſtatuit. “ Ergo ultio erat licita. Re-
ſponſio. Ultio amore iuſtitiæ erat licita ipſi
judici , non amore vindictæ . Unde ſic in-
telligitur Gloſsa. Ultio iuſta iniuſtorum, id-
eſt vindictam iniuſte exigentium.

Ego autem; quaſi dicat : Illis ſic conceſſum
eſt ; *ego autem dico vobis*, ideſt dicendo mo-
neo vos, *non reſiſtere malo*; ideſt , non veli-
tis repellere iniuriam illatam ulciſcendo ,
vel animo ulciſcendi . Unde cum dicit, *Ma-
lo* , intelligit de malo temporali , ſive pę-
næ, ut dicit Auguſtinus, & Hieronymus: &
non de malo culpæ , cui uſque ad mortem
reſiſtendum eſt. Chryſoſt. „ Præcepit iſtud,
„ non ut nobis mutuo oculos eruamus, ſed
„ ut potius innocentes cuſtodiamus , vel
„ contineamus manus, (*a*) ſicque commina-
„ tibne tali impetum frenavit iniuriæ . “
Item idem: „ Iracundia per iracundiam non
„ compeſcitur. “ Et intelligi debet de ma-
lo pęnæ: quod eſt tripliciter, ut Auguſtinus
dicit; in cruciatu corporum, damno rerum,
& angariis operum.

Quæritur autem utrum non reſiſtere ma-
lo, ſit præceptum, vel conſilium . Reſpon-
ſio . Iniuria quam appellat hic malum , aut
eſt particularis , & privata ; aut publica .
Si publica , tunc repelli debet iuſſu Princi-
pis. Roman. xiii. 4. „ Dei miniſter eſt, vin-
„ dex in iram ei qui male agit . “ Item
Auguſtinus: „ Fortitudo quæ a barbaris defen-
„ dit patriam, vel domi defendit infirmos,
„ vel a latronibus ſocios, plena iuſtitia eſt. “
Et ſic præceptum eſt ſubditis , non ſolum
Principibus . Vel poteſt eſſe iniuria parti-
cularis ; & tunc iniuria repelli poteſt tri-
pliciter. Vel impediendo, ſicut Paulus, qui
per milites impedivit iniurias Iudæorum .
Vel arguendo, ſicut Dominus fecit danti ei
alapam, Ioan. xviii. Et ſic licet omnibus tam
perfectis quam imperfectis . Vel repellitur
cogente neceſſitate , ſicut quando non pot-
eſt vitari læſio nec per fugam , nec per
aliud impedimentum : & tunc aut repelli-
tur ſine armis, & hoc modo permittitur cle-
ricis, & laicis; aut cum armis, & ſic non
licet clericis , etſi laicis forte liceat fla-
grante maleficio cum moderamine inculpa-
tæ tutelæ, ut dicit lex. Et ſic eſt in præ-
cepto clericis , laicis autem in conſilio .
Aut repellitur animo ulciſcendi, ſive vindi-
ctæ libidine; & ſic omnibus eſt prohibitum,
& præceptum. Et ſic intellectum multipli-
citer , *Non reſiſtere malo* , eſt in præcepto ,
vel in conſilio.

Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam ,
ad litteram, *præbe ei & alteram* ; ideſt, pa-
ratus ſis ſuſtinere patienter . Rabanus :
„ Non tantum non repercutias, ſed ſi vult al-
„ teram ferire , patienter feras . “ Et hoc
congruebat Apoſtolis pro tempore illo: nam
quia fundaturi erant Eccleſiam , voluit eos
debere ſuſtinere primos impetus perſecuto-
rum , ut homines videntes eorum patien-
tiam, converterentur ad fidem. Unde Chry-
ſoſtomus: „ Si diligenter inſpexeris quam illi
„ fuerunt legis auditores , & in qua con-
„ verſatione degentes, & quando hæc præ-
„ cepta ſuſceperint ; facile intelliges , ma-
„ xime miraberis legislatoris ſapientiam. “
Vel *præbe ei & aliam*: Gloſsa: „ Totum corpus
„ ad affligendum. “ Hieronymus: „ *Aliam* ,
„ ideſt dexteram, quia iuſtus totus eſt dex-
„ ter. “ Ambroſius: „ Quid tam mirum quam
„ percutienti maxillam præbere ? Nonne
„ omnis impetus indignantis frangitur , ira
„ ſedatur, & per patientiam ille qui iniu-
„ riatur ad pœnitentiam revocatur ? “ *Et
ei qui vult tecum in iudicio* (Gloſsa, altercatio-
nis) *contendere* , ideſt contentioſe agere , *&
tunicam tuam tollere* , ideſt veſtes viliores ,
dimitte ei & pallium , ideſt veſtes pretioſio-
res, ſive exteriores , priuſquam contentioſe
agas, & fraudulenter. Et ſecundum hoc in-
hibitum eſt omnibus cauſam movere contra
aliquem cum fraude, & contentione . Un-
de de iſto iudicio dicit Chryſoſtomus :
„ Omne iudicium irritatio eſt cordis . Si
„ ſemel in iudicium ingreſſus fueris, iam non
„ cogitas ut veritas cauſæ appareat, ſed ut
„ quoquo modo victor exiſtas. “ Vel pot-
eſt eſſe monitio quo ad perfectos : quia
quamvis infirmis ſit licitum movere cauſam
contra proximum ſub iudice , dummodo ſit
ſine fraude ; tamen hoc non licet perfectis
litem cum proximo habere . Unde Chryſo-
ſtomus : „ Qui te venerari debuerat pro-
„ pter dignitatem filii , iudicat te propter
„ neceſſitatem cauſæ, & perdis dignitatem
„ Chri-

(a) *Al.* ſic quod.

Digitized by Google

„ Chriſti propter negotium mundi . “ Unde ſolent dici hi verſus :

Expedit infirmis , licet abſque dolo , ſine lite ,
Prælatiſque licet , non expedit anachoritæ :
Non licet ut per eum ſint res in iure petitæ .

Triplex autem eſt cauſa qua poſſunt ablata repeti ab aliquibus vice perfectorum . Prima eſt malorum refrenatio . Iob xxix. 17. „ Conterebam molas iniqui , & de den„ tibus illius auferebam prædam. “ Gregorius : „ Non ſolum cura debet eſſe ne no„ ſtra ſubtrahant, ſed ut rapientes non ſua, „ ſemetipſos non perdant . “ Secunda eſt pacis conſervatio . Eſa. xxxii. 17. „ Erit opus „ (*a*) iuſtitiæ pax . “ Tertia eſt pauperum conſolatio, quibus data ſunt illa bona temporalia ad ſuſtentationem.

Et quicumque . Ecce tertium, ſcilicet monitio in angaria (*b*) operum : angaria enim eſt exigentia indebiti ſervitii, vel operis in propria perſona: unde dicit : *Et quicumque te angariaverit* ; ideſt , ſervire te coegerit corporaliter , verbi gratia , ut vadas cum eo *mille paſſus* , *vade cum eo & alia duo* ; ideſt , adhuc ſis paratus ut amplius patiaris . Auguſtinus: „ Hiſtorialiter hoc nec in „ Ieſu , nec in ſuis invenimus impletum. “ Exponitur ergo . *Vade* , ſecundum Auguſtinum , non tam pedibus , quam parato affectu & animo; quaſi dicat : Si quis cogit te ſervire , & ſolatium impendere , paratus eſto compaſſionis affectu multo plura impendere . *Et qui petit a te , da ei* . Hic ponitur perfectio in beneficentiæ exhibitione: quod fit dupliciter; ſcilicet ſine remunerationis ſpe , donando indigenribus ; & abſque uſuris mutuum concedendo petentibus. Quantum ad primum dicit: *Qui petit a te*, rem, vel correctionem , *da ei*: Gloſſa : „ Quæ honeſte , & iuſte poſſunt dari . “ Honeſte dicit , quia res ita poſſet eſſe neceſſaria, quod honeſte non poſſet dari. Iuſte , quia aliena res non poteſt dari iuſte . Auguſtinus: „ Ita des nt nec tibi noceas , nec „ alii . “ Eſt autem triplex donum quod maxime debemus dare : ſcilicet de corde compaſſionem . Eſa. lviii. 10. „ Cum effu„ deris eſurienti animam tuam, &c. “ Gregorius : „ Plus eſt compati ex corde quam „ dare: quia qui compatitur, de ſeipſo dat; „ qui de pecunia, de alieno. “ Secundo de ore, dulcis verbi conſolationem. Eccli. xviii. 16. „ Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic „ & verbum melius quam datum. “ Tertio de manu temporalem ſubſtantiam . Deut. xv. 11. „ Præcipio ut aperias manum fratri „ tuo egeno. “

Quæritur autem hic an ad hoc teneantur omnes, & ſemper . Reſponſio. Datum poteſt eſſe temporale, vel ſpirituale . Si temporale, vel eſt de obſequio in opere; & ſic tenetur quilibet ad indigentem. Exod. xxiii. 5. „ Si videris aſinum odientis te iacentem „ ſub onere, non pertranſibis , ſed ſublevabis cum eo. “ Vel eſt de rebus; & tunc vel eſt de ſuperfluis, vel de neceſſariis. Ad ſuperflua tenentur clerici . Unde Ambroſius : „ Non maioris eſt criminis habenti „ tollere , quam cum poſſis , indigentibus „ denegare . “ De neceſſariis autem , vel ſuperfluis, in caſu tenetur quilibet , ſcilicet poſito in extrema neceſſitate. Unde Hieronymus ſuper id Rom. xii. 20. „ Si eſurie„ rit inimicus tuus. Quiſquis in quacumque „ neceſſitate morituro ſuccurrere poterit , „ ſi non ſecerit , occidit . “ Si autem non ſit dives, cum non poſſit dare temporalia , tenetur (*c*) ad affectum . Unde Gloſſa: „ Si „ deeſt facultas , da affectum . “ Si autem eſt ſpirituale , tunc vel eſt compaſſionis de corde, vel dulcis verbi de ore, vel ſapientiæ de mente; & obligat tam pauperes quam divites . Unde Hieronymus : „ In pleriſque „ pauperibus hoc ſtare non poteſt ; ſed et„ iam divites ſi ſemper dividunt , ſemper „ dare non poterunt . “ Præceptum ergo intelligitur de illa pecunia, ſecundum Hieronymum , quæ dando non deficit, ideſt de ſapientia; ſed quanto plus data fuerit, tanto amplius duplicatur.

Et volenti mutuare a te, ne avertaris . Ecce ſecundum genus præſtandi , ſecundum Chryſoſtomum, ſcilicet cum reddituro commodamus. Unde dicit: *Et volenti mutuare a te*, ideſt volenti a te accipere mutuo , *ne avertaris* : Gloſſa: „ Ideſt ne alienes volunta„ tem. “ Chryſoſtomus: „ Similis eſt pecu„ nia uſurarii morſui aſpidis. Percuſſus enim „ ab aſpide quaſi delectatus vadit in ſomnum, „ & per ſuavitatem ſoporis moritur , quia „ tunc venenum latenter per omnia mem„ bra decurrit . Sic qui ſub uſura accipit , „ ſub tempore quaſi beneficium ſentit ; ſed „ uſura per omnes eius facultates decurrit, „ & totum convertit in debitum . “ *Audiſtis quia dictum eſt : Diliges proximum tuum &c.* Hic ponit conſilia reſpectu moralium . Et quia moralia complentur in dilectione proximi: Rom. xiii. 8. „ Qui diligit proxi„ mum, legem implevit : “ ideo monet ad dilectionem cuiuslibet tibi proximi, & conſor-

(*a*) *Al.* eius iuſtitiæ. (b) *Al.* eorum. (c) *Al.* ad effectum.

formis in natura, ſicut ſunt & inimici. Dicuntur autem hic tria. Primo legis antiquæ reprobatio; ſecundo Iudæorum facta traditio, ibi, *Et odio habebis inimicum tuum*; tertio legis evangelicæ perfectio, ibi, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*. Ubi quatuor tangit: ſcilicet inimicorum dilectionem; ſecundo monitionis ſuæ rationem, ibi, *Ut ſitis filii patris veſtri*; tertio ſuæ rationis approbationem, ibi, *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* quarto perfectionis concluſionem, ibi, *Eſtote ergo vos perfecti*. Dicit ergo: *Audiſtis quia dictum eſt* (Levit. xix. 18.) *Diliges proximum tuum*, ſcilicet affectu, & effectu, *& odio habebis inimicum tuum*. Iſtud numquam invenitur in lege; ſed additio eſt ex parte Iudæorum. Putabant enim hoc forte addendum ex multis quæ in lege dicta ſunt. Nam Deus præcepit ut delerent Amalecitas, & Exod. xxiii. 22. dicitur: „ Inimicus „ ero inimicis tuis. " Et ſic de aliis. Et ideo contra hoc ponitur evangelica perfectio, quæ conſiſtit in tribus; in actu cordis, operis, & oris. Quantum ad actum cordis dicit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*: ad litteram, conſulendo, auxiliando, beneficia largiendo. Auguſtinus de vera Religione: „ Quid ei nocebit qui „ bene uti etiam inimico poteſt? Eius enim „ præſidio, atque merito inimicitias non ti„ meſcit, cuius præcepto, & dono diligit „ inimicos. "

Quæritur autem ſi omnes ad hoc teneantur. Reſponſio. Omnes tenentur ad hoc affectu, & etiam effectu in neceſſitate, ut dictum eſt ſupra. Perfecti vero extra neceſſitatem debent diligere inimicos perfecte affectu, & effectu. Affectu autem poſſunt diligere inimicos generalis Eccleſiæ.

Benefacite, in effectu operis, *his qui vos oderunt*: tum ex naturæ conformitate: Eſa. lviii. 7. „ Carnem tuam ne deſpexeris: " tum ex Dei, & proximi caritate. Rom. xii. 20. „ Si eſurierit inimicus tuus, ciba il„ lum. " Chryſoſtomus: „ Si bene feceris „ inimico, tibi amplius benefeciſti. " *Et orate*, verbo oris, *pro perſequentibus vos*, per apertam iniuriam, *& calumniantibus*, per apparentem iniuſtitiam. Vel *perſequentibus*, facto, *calumniantibus*, ideſt falſo criminantibus verbo. Hoc fecit Stephanus, Act. vii. Et Chriſtus, Lucæ xxiii. 34. „ Pa„ ter ignoſce illis: non enim ſciunt quid „ faciunt. " *Ut ſitis filii patris veſtri*. Hic ponitur monitionis ratio ex duplici exemplo, ſcilicet divino, & humano. Quantum ad exemplum divinum dicit: Ita debetis diligere, *ut ſitis filii patris veſtri*, ideſt imitatione. Unde Rabanus: „ Filii non degene„ res. " Carnales filii ſi ſimiles ſunt patribus, nullam laudem merentur; ſi diſſimiles nullum vituperium: quia non eſt in poteſtate hominis (a) quam accipiat corporis qualitatem. Filii autem ſpirituales, ſi ſimiles, laudandi; ſi diſſimiles, vituperandi: quia in poteſtate cuiuslibet eſt menſuram iuſtitiæ faciendi. *Qui in cælis eſt*, per operis ſui maiorem relucentiam. Vel *in cælis*, ſecundum Gloſſam, ideſt in electis, & ſanctis per gratiam. *Qui ſolem ſuum*. Ecce exemplum humanum. Et dicit ſignanter, *Suum*, ideſt quem ipſemet fecit, contra hæreticos. *Facit oriri ſuper bonos, & malos*, ad litteram, ſecundum Rabanum; *& pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*, ſimiliter ad litteram. Vel per ſolem poteſt ſignificari influentia divinæ bonitatis, per pluviam manifeſtatio veritatis; (b) quaſi dicat: Si es ſimilis patri cæleſti, benefacies bonis, & malis. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt &c.* Hic probat rationem, & admonitionem ſuam exemplo publicanorum; quaſi dicat: Non eſt perfectio tantum diligere amicos: *quia ſi diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* quaſi dicat, nullam. Infra vi. 2. „ Recepiſtis mercedem veſtram. " *Nonne & publicani hoc faciunt?* quaſi dicat: Qualis in vobis erit perfectio, ſi in dilectione non ſuperatis exemplum publicanorum, qui imperfecti ſunt. Secundum Rabanum, dicuntur publicani qui vectigalia publica, vel negotia ſæcularia, vel lucra ſectantur. Et, ut idem dicit, Publicanus nomen traxit a Publio Rege, qui primus eos ordinavit. (c) *Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum*; ideſt, ſi tantum oraveritis pro his qui aliqua affinitate, vel amicitia coniuncti ſunt vobis: nam ſalutatio, ut dicit Gloſſa, eſt quædam ſpecies orationis: *quid amplius facitis?* ideſt, quid plura facietis quam gentes, ſive gentiles, qui ex quodam humano affectu hoc faciunt? quaſi dicat: In hoc non eritis gentilibus perfectiores. *Nam & ethnici*: Rabanus, ideſt gentiles, ſive gentilibus dediti: ethnos Græce, gens Latine: *hoc faciunt*, ideſt humano affectu ſuis compatiuntur, & pro ſuis orant. Chryſoſtomus: „ Si „ indignum eſt ut te qui in eodem (d) eſt „ honore contemnat, quanto indignius eſt „ a te

(a) Al. quod. (b) Al. quia ſi dicat. (c) Al. *Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros*, ſup. *tantum*. (d) Al. es.

„ a te Deum contemni? “ *Eſtote ergo*. Hic ponitur concluſio; quaſi dicat: Monui vos ad perfectionem evangelicam: *ergo eſtote perfecti*: Gloſſa: „ In caritate Dei, & proximi: “ *ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Gloſſa: „ *Sicut* imitationem notat, non æqualitatem; “ quaſi dicat: Hoc quod dixi faciatis, ut mereamini eſſe filii patris cæleſtis per adoptionis gratiam.

Et nota, quod duplex eſt perfectio; ſcilicet gloriæ, & viæ. De prima ad Eph. IV. 13. „ Donec occurramus omnes in virum „ perfectum &c. “ Perfectio viæ vel eſt naturæ, de qua Gen. II. 1. „ Perfecti ſunt cæ„ li, & terra, & omnis ornatus eorum: “ vel eſt gratiæ: & hæc eſt duplex; vel ſtatus, vel meriti. Perfectio meriti eſt multiplex. Prima cordis. Eſ. XXXVIII. 3. „ Me„ mento quomodo ambulaverim coram te in „ veritate, & corde perfecto. “ Secunda oris. Iac. III. 2. „ Si quis in verbo non of„ fendit, hic perfectus eſt vir. “ Tertia operis; & hæc eſt multiplex. Prima innocentiæ. Eccli. XXXI. 8. „ Beatus vir qui in„ ventus eſt ſine macula, &c. “ Et ſequitur: „ Qui probatus eſt in illo, & perfectus in„ ventus eſt. “ Secunda excellentiæ vitæ. Gen. VI. 9. „ Noe vir iuſtus atque perfectus „ fuit in generationibus ſuis. “ Ad hanc tenentur clerici ſuper laicos. Tertia obedientiæ. Gen. XVII. 1. „ Ambula coram me, „ & eſto perfectus. “ Quarta patientiæ. Iac. I. 4. „ Patientia opus perfectum habet. “ Quinta perſeverantiæ. I. Pet. I. 13. „ So„ brii, & perfecti: “ Gloſſa: „ Conſtanter „ perſeverando. “ Sexta eſt caritatis I. Ioan. IV. 18. „ Perfecta caritas foras mittit „ timorem. “ Ad hanc tenentur omnes. Perfectio ſtatus eſt duplex. Primo ordinis. Deut. XXXIII. 8. dicitur Levitis: „ Perfectio „ tua, & doctrina tua viro ſancto tuo. “ Secunda prælationis. Luc. VI. 4. „ Perfectus „ erit omnis ſi ſit ſicut magiſter eius. “ Tertia religionis. Infra XIX. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus &c.*

CAPUT VI.

(a) ATtendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cælis eſt. Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito: & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

(b) Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito: & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.

(c) Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos a malo. Amen. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.

(d) Cum autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito: & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

(e) No-

Digitized by Google

(c) Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ. Ideo dico vobis: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus eſt quam eſca, & corpus pluſquam veſtimentum? Reſpicite volatilia cæli, quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de veſtimentis quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Si enim fenum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.

(a) A*ttendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*. Hæc eſt pars ſecunda ab illo loco, *Dico autem vobis &c.* in qua poſtquam monuit ad executionem evangelicæ perfectionis, monet ad executionis rectam intentionem. Et dividitur in duas. Primo monet ad ſimplicitatem ſanctæ intentionis; ſecundo ad puritatem ſanctæ converſationis, ibi (cap. VII.) *Attendite a falſis prophetis*. Simplicitas ſanctæ intentionis debet eſſe affectu, & effectu: contra duplicitatem effectus, de qua Eccli. II. 14. „ Væ „ peccatori ingredienti terram duabus viis: " & contra duplicitatem affectus, de qua Iac. I. 8. „ Vir duplex animo, inconſtans eſt in „ omnibus operibus ſuis. " Primam ergo removet in hoc capitulo; & duplicitatem effectus removet ibi, *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*. Duplicitas (*a*) affectus eſt cum quis quod eſt bonum ex genere, facit ex mundano favore. Removet ergo primo apperitum mundani favoris ab omnibus operibus generaliter; ſecundo ſpecialiter, ibi, *Cum ergo facis eleemoſynam*. Inſuper primo ponit mundani favoris excluſionem; ſecundo ſubiungit rationem, ibi, *Alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum*. Dicit ergo: *Attendite*, ideſt cauti & attenti eſtote, *ne iuſtitiam veſtram*: Gloſſa: „ Ideſt, opera iuſtitiæ veſtræ: " *faciatis*, Gloſſa, eo fine, *coram hominibus, ut videamini ab eis*; ideſt, ut humanum favorem appetatis. Auguſtinus: „ Nou prohibet videri „ ut Deus laudetur; ſed videri ut ipſi lau„ dentur. " Chryſoſtomus: „ Sicut lampas „ abſcondi non poteſt, ſic nec opus iuſtitiæ „ celari. " *Alioquin*; quaſi dicat, quod ſi ita non feceritis, *non habebitis mercedem apud patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Gloſſa: „ Quia „ humanus favor vobis deputatur pro cuius „ (*b*) mercedis amore fit. " Aggæi I. 6. „ Qui mercedes congregavit, miſit eas in „ ſacculum pertuſum. " Hieronymus: „ Non „ virtus, ſed cauſa virtutis apud Deum mer„ cedem habet. " *Cum ergo facis eleemoſynam*. Hæc eſt ſecunda pars, ubi removet ſpecialiter humani favoris appetitum a bonis operibus. Unde Auguſtinus in Gloſſa: „ A toto deſcendit in partes. " Sunt autem tria bona opera maxime; ſcilicet eleemoſyna, oratio, & ieiunium. Eleemoſyna contra oculorum concupiſcentiam; oratio contra ſuperbiam vitæ; ieiunium contra concupiſcentiam carnis. Prima ordinat ad proximum; ſecunda ad Deum; tertia ad ſeipſum. Excludit ergo appetitum favoris humani, primo ab eleemoſyna; ſecundo ab oratione, ibi, *Et cum oratis &c.* tertio a ieiunio, ibi,

(a) *Al.* effectus. (b) *Al.* mercede.

Digitized by Google

Cum autem ieiunatis &c. In prima dicuntur quatuor. Primo ponit favoris excluſionem ; ſecundo eius rationem, ibi, *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam* : tertio dandi modum, & diſcretionem, ibi, *Te autem faciente* ; quarto danti promiſſionem, ibi, *Et pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*. Dicit ergo: *Cum ergo facis eleemoſynam*, ideſt opera miſericordiæ, *noli ante te tuba canere*, ad litteram, ſecundum Anſelmum, forte canebant ut omnes venirent, quaſi ad ſpectaculum cum eleemoſynas dabant. Vel tuba canere eſt pompam vanæ laudis appetere : unde Rabanus : „ Ante ſe tuba canit „ qui ante alios vult laudari. “ Vel, ut dicit Chryſoſtomus, tuba eſt omnis actus, vel ſermo, per quem ipſa operis iactantia deſignatur. Et ſic aliquando ipſa etiam abſconſio tuba eſt. *Sicut hypocritæ faciunt*. Hypocrita, ut dicit Auguſtinus, eſt qui ſimulat quod non eſt : unde dicitur ab *hypos* quod eſt ſub, vel ſupra, & *criſis* aurum, quaſi ſupra aureatus, intus luteus. *In ſynagogis*, ut videantur a ſapientibus, *& vicis*, ut videantur a turbis : & per hoc notatur vana eorum intentio. *Ut honorificentur ab hominibus* ; ideſt, eo fine ut honorent eos homines. Ecce vanæ pompæ appetitus. Chryſoſtomus: „ Non eſt ingrata Deo quæ ab ho„ minibus viſa eſt eleemoſyna; ſed quæ ad „ hoc eſt facta ut ab hominibus viſa ſit. “ *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*. Hic ponit excluſionis rationem. *Amen dico vobis*, ideſt certe ſciatis, *receperunt mercedem ſuam*. Gloſſa : „ Ideſt merces ſua laus humana eſt. “ *Te autem faciente eleemoſynam*. Hic tertio oſtenditur modus faciendi eleemoſynam: unde dicit : *Te autem faciente eleemoſynam*, ideſt cum opus aliquod miſericordiæ facis, *neſciat ſiniſtra tua*. Per ſiniſtram intentio perverſa deſignatur vanæ laudis, per dexteram intentio ſancta implendi præcepta Dei, ut dicit Auguſtinus : unde *neſciat ſiniſtra tua*, ideſt non ſe immiſceat perverſa intentio laudis, vel ineptæ lætitiæ, vel elationis, *quid faciat dextera tua*, ideſt cum præcepta Dei implere contenditis; quaſi dicat : Quod agit virtus, neſciat elatio, vel vanagloria. *Ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito*, ideſt in ſecreto conſcientiæ, ſecundum Gloſſam. In conſcientia dicitur fieri eleemoſyna quando propter Deum fit ; non quia abſcondatur aliquando ab hominibus. Unde Chryſoſtomus: „ Qui „ propter Deum facit eleemoſynam, nemi„ nem videt in corde ſuo niſi Deum, pro„ pter quem facit ; & ideo ſi præſentibus „ aliquibus faciat, tamen animus eius non „ videt illos, etſi videatur ab eis. Poteſt „ & e contrario fieri ut nemo ſit præſens, „ tamen ille in corde ſuo gerit perſonas qui„ bus vult oſtentare. Eleemoſyna in abſcon„ dito fit quæ nullis miſcetur tenebris. Lux „ intus eſt; tenebræ extra. “ *Et pater tuus*. Ecce quartum, ſcilicet facienti promiſſio. Unde dicit : *Et pater tuus, qui videt in abſcondito*, ideſt qui eſt diſcretor intentionum: ad Heb. IV. & I. Reg. XVI. 7. „ Homo vi„ det quæ foris parent; Deus autem intue„ tur cor: “ *reddet tibi*, ſcilicet mercedem. Eccli. V. 4. „ Altiſſimus eſt patiens reddi„ tor. “ Chryſoſtomus: „ Impoſſibile eſt ut „ bonum opus in abſcondito dimittat Deus, „ quia gloria eius eſt. Si vis ergo directio„ nes tuas videre, abſconde eas. Si enim „ ſtudueris nunc latere, tunc Deus famoſe „ prædicabit toto orbe terrarum præſen„ te. “

(b) *Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ*. Hic ſecundo removet appetitum humani favoris ab oratione. Et continet tria. Primo excludit humani favoris appetitum ; ſecundo docet orandi modum, ibi, *Tu autem cum oraveris*; tertio orationis debitam ſubiungit formam, ibi, *Sic ergo orabitis &c.* Prima continet tria. Primo removet ab oratione, hypocritarum oſtentationem; ſecundo oſtentationis modum, & finem, ibi, *Qui amant in ſynagogis, & angulis platearum ſtantes orare* ; tertio ſubdit eorum condemnationem, ibi, *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*. Dicit ergo : *Et cum oratis*, ſcilicet ex affectu mentis.

Sed hic eſt quæſtio litteralis, quare non dixit, Cum oras, ſingulariter, ſicut ſuperius; &, Cum facis &c. Reſponſio. Pluraliter dicit, *Cum oratis*, quia omnium eſt orare : quia ad hoc non exigitur res temporalis, niſi cordis intentio. Sed eleemoſynam dare non eſt omnium. Vel dicendum, quod oratio dupliciter fit : in communi, ſicut in choro; & ſolitarie, &c.

Non eritis ſicut hypocritæ, foris lucentes, intus fœtentes, infra XXIII. *Qui amant*.

Sed quæritur quare non dicit, Qui orant. Reſponſio Chryſoſtomi. Quia revera non orant, ſed amant videri ac ſi orarent.

Iuxta hoc quæritur quare non ſimiliter dixit de eleemoſyna. Reſponſio. Quia licet dent eleemoſynam mala intentione, dant tamen ipſam rem.

In ſynagogis, ubi conveniunt ſapientes, *orare*, ut videantur. *Stantes*. Hoc dicit, quia mos Iudæorum eſt ut ſtando orent : quia ſtando legem acceperunt. Exo. XIX. 17. „ Steterunt ad radicem montis &c. “ *Et in angulis platearum*: ſupple, amant orare. Chryſo-

ſoſtomus: „ Quærunt ſe abſcondere ut du„ pliciter laudentur: primo quia orant; ſe„ cundo quia latenter orant. " *Ut videantur ab hominibus*. Ecce vana intentio. Chryſoſtomus: „ Non intendunt exaudiri, ſed vi„ deri. " Item idem: „ O inſania vanita„ tis! Eſſe nolunt quod deſiderant appare„ re. Mendaciter orant cum non orent; „ & mendaciter laudantur cum non ſint lau„ dabiles. Speciem vacuam religionis ven„ dunt, & verbum vacuum laudis emunt. „ Finito verbo, finitur & bonum quod po„ ſitum erat in verbo. " Unde bene ſubiungit: *Amen dico vobis*; quaſi dicat, pro certo ſciatis; *receperunt mercedem ſuam*. Gloſſa: „ Laudem humanam, ſed a me recipient „ æternam pœnam. " *Tu autem cum oraveris &c.* Hæc eſt ſecunda pars, ubi dat orandi modum: & primo oſtendit debitum modum; ſecundo excludit ab ipſo modo ritum gentilium, ſive multiloquium, ibi, *Orantes autem nolite multum loqui*. Prima in duas. Primo dat orandi modum; ſecundo ſubdit promiſſum, ibi, *Et pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*. Modus autem orandi conſiſtit in tribus. Primo in ſecreto meditationis; ſecundo in excluſione pravæ affectionis, ibi, *Et clauſo oſtio*; tertio in rectitudinem intentionis, ibi, *Ora patrem tuum in abſcondito*. Dicit ergo: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum*, ideſt ſecretum mentis, & arcanum, ut dicit Auguſtinus, & Rabanus, per actum ſecretæ meditationis. Chryſoſtomus: „ Deus non voce clamoſa pulſan„ dus eſt, ſed conſcientia recta placandus: „ quia non eſt vocis, ſed cordis auditor. " (a) Vel *intra in cubiculum*, ad litteram. Et (b) ſignanter dicit, *Cubiculum*, quia tunc anima debet ab exterioribus quieſcere cum orat; & tunc eſt tempus convenientius, & locus ſecretior. Chryſoſtomus: „ Per diem „ mille te circumdederunt cauſæ, & non „ permiſerunt te eſſe ſecretum orationi. Sed „ quando ad lectum perveneris, dic animæ „ tuæ: Anima quomodo expendimus diem? „ Quid boni vel mali fecimus? Roga Deum „ prius, & ſic animæ tuæ ſoporari permit„ te. " Sic faciebat Iudith, VIII. ſic Petrus, Act. X. & Tobias, III. *Et clauſo oſtio*; ideſt, excluſa omni prava affectione & mundana, vel ſenſibus exterioribus clauſis, ut dicit Gloſſa. Eſa. XXVI. 20. „ Vade populus „ meus in cubicula tua, & claude oſtia tua „ ſuper te. " *Ora patrem*. Gloſſa: „ Qui „ oratur in ſpiritu, & veritate, " Ioan. IV. 23. Ora non de mundanis. Iſidorus: „ Lon„ ge eſt a Deo animus qui in cogitationibus „ ſæculi fuerit occupatus. " Hieronymus: „ Aliud eſt narrare neſcienti; aliud rogare „ ſcientem. Illic indicium, hic obſequium. " *In abſcondito*, ideſt cordis intimo. Chryſoſtomus: „ Orans nil novi faciat quod aſpiciant „ homines, nec voce clamet, nec manus „ expandat, nec impudenter oculos tollat „ ad cælum, ut notabilis fiat. " *Et pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*. Ecce promiſſum ſubdit, dicens: *Et pater tuus, qui videt in abſcondito*, ideſt qui intuetur cor: Hebr. IV. 13. „ Omnia nuda & aperta ſunt „ oculis eius: " *reddet tibi*. Non dicit, Dabit: quia iam ſe debitorem conſtituit, ideſt pro certo retribuet tibi mercedem. Chryſoſtomus: „ Intende Dei philantropiam, „ ideſt amorem quem habet ad homines, „ & miſericordiam Dei cum admiratione „ conſidera; cum pro his quoque quæ a no„ bis rogatur bonis, mercedem ſe pollicetur „ daturum. " *Orantes autem nolite multum loqui*. Hic excludit ab oratione multiloquium: ubi primo ponit multiloquii prohibitionem; ſecundo prohibitionis rationem, ibi, *Nolite ergo aſſimilari eis*. Dicit ergo: *Orantes autem nolite multum loqui*; ideſt, in verbis multis nolite confidere.

Contra I. Theſſ. ult. 17. „ Sine intermiſ„ ſione orate. " Præterea Dominus multum ſtetit in oratione, infra XXVI. & Luc. VI.

Reſponſio ſecundum Auguſtinum. Damnat multiloquium de infidelitate, ſed non orationes quas in cordis puritate ſancti faciunt. Unde Anſelmus: „ Non eſt peccatum orare „ cum cordis devotione per multiloquium. "

Sicut ethnici faciunt: gentiles enim (c) multiplicabant verba in orationibus primo ut indicarent intentionem ſuam dæmonibus quos adorabant: quia aliter non potuiſſent cognoſcere. Unde Auguſtinus: „ Gentilibus erat „ neceſſaria verborum multiplicitas propter „ dæmones. " Secundo ut dæmones abſentes ad ſe revocarent; & huic cauſæ alludit Elias III. Reg. XVIII. 27. dicens ſacerdotibus Baal cum diu oraſſent: „ Clamate voce „ maiore: Deus enim veſter eſt, & forſitan lo„ quitur, aut in diverſorio eſt, aut forte „ dormit: ut excitetur. " Tertio ut verborum perſuaſione inclinarent eos ad miſerendum: unde ſubdidit: *Putant enim quod in multiloquio exaudiantur*; ideſt, opinantur quod in multitudine verborum perſuaſibilium preces eorum effectui mancipentur. Et quia illi ita faciunt: *ergo vos*, mei fideles, *nolite aſſimilari eis*, ſcilicet in multiloquio, ut credatis

tjs

(a) Al. Tu. (b) Al. ſignificanter. (c) Al. multiplicant.

Digitized by Google

tis Deum inclinari perſuaſibilibus verbis. Iſidorus: „ Non in multiloquio exaudiuntur „ homines, quaſi pluribus verbis conentur „ Deum inflectere. “ Item ut putetis Deum veſtrum ignorare quod petitis: *Scit enim pater veſter quid opus ſit vobis*. Ecce ratio prohibitionis; quaſi dicat: Non oportet vos multis verbis orare; „ ſed rebus, & cordis aſ„ fectu ſimplici: “ dicit Rabanus: *quia ſcit pater veſter quid opus*, ideſt quid neceſſe, *ſit vobis antequam petatis*.

Quare ergo oportet orare? Reſponſio. Non ut doceas, ſed inflectas; ut familiaris efficiaris, ut humilieris, ut peccatorum tuorum rememoreris.

Et ſignanter dicit, *Pater (a) veſter*. Chryſoſtomus: „ Dicendo, *Pater*, & veniam pec„ catorum, & pœnarum interitum, & iu„ ſtificationem, & ſanctificationem, & li„ berationem, & filiorum adoptionem, & „ hereditatem Dei, & fraternitatem cum „ Unigenito copulatam, & ſancti Spiritus „ dona largiſſima, uno ſermone ſignifica„ vit. “

Quærit (*b*) hic Hieronymus, & Rabanus. Si novit Deus antequam petamus, ad quid ſcienti petimus? Reſponſio. Multiplex eſt cauſa quare ſcienti loquimur, & oramus. Prima ut nos profiteamur, & ſciamus habere nos ab eo quod petimus. Unde Rabanus: „ Non eſt opus narrare, ſed obſecra„ re. “ Secunda ut exemplum præſtetur. Unde Rabanus: „ Vult Deus rogari, ut bo„ nitas eius derivetur ad populos. “ Tertia ut mens noſtra excitetur. Unde Hieronymus: „ Nos tempore orandi excitamus. “ Quarta ut devotio excitetur aſtantibus. Hieronymus: „ Loquimur, non ut noſtræ „ faciamus indicium voluntatis, ſed ut ex„ citemus obſequium piæ devotionis. “ Quinta ut deſiderium accendatur. Sexta ut cor purgetur. De his duobus Gloſſa interlinearis: „ Verbis cor accenditur, & precibus ſere„ natur. “ Septima ut animus occupatus circa ſancta verba retrahatur a ſuperfluis cogitationibus.

(c) Dominus dixit: *Sic orabitis*; non hoc orabitis. Non prohibet aliud ab hoc orare, ſed docet ſic orare. Unde hæc oratio habet tria: eſt enim brevis, perfecta, & efficax. Brevis eſt, ut omnes poſſent capere tam docti quam indocti. Item ut daret fiduciam de facile impetrando. Unde Eſa. x. 23. „ Verbum abbreviatum faciet Dominus. “ Item perfecta eſt: ipſe enim Deus tradidit hanc, & Dei perfecta ſunt opera. Item efficax: unde Apoſtoli dicebant: Doce nos orare. Ipſe autem ſic dixit: *Sic orabitis: Pater noſter qui es in cælis &c.* Et in hac oratione ſicut in oratione rhetorum, duo facit. Primo captat benevolentiam; ſecundo docet quid petendum. Captat benevolentiam, ſed alio modo quam captet homo (*c*) hominis benivolentiam, ut ſcilicet flectat eum ad ſe. Captamus autem nos Dei benevolentiam ut elevemur ad eum. Requiruntur duo ad dantem, quod poſſit, & velit. Et ut velit, dicit, *Pater*: ſi enim eſt pater, vult utilitatem filiorum. Quod poſſit oſtendit ſubdens: *Qui es in cælis*: ſi enim eſt in cælis, poteſt quod vult. Hoc autem quod dicit, *Pater noſter*, valet ad fidei inſtructionem. Et removet duos errores, qui deſtruebant orationem. Quidam enim dicebant, Deum non habere curam de humanis, ut habetur Ezech. IX. 9. „ Dereliquit Dominus terram, & „ Dominus non videt. “ Quidam autem dixerunt, quod habet curam, & providet de omnibus: ſed providentia dat neceſſitatem rebus; & ſic non oportet orare, quia ſi providet Deus, ita erit. Sed iſtas opiniones deſtruit cum dicit, *Pater*: ſi enim eſt pater, providet filiis, ut habetur Sap. XII. 13. „ Non eſt autem alius Deus quam tu, cui „ eſt cura de omnibus. “ Item pater dicitur ad filium, ut dominus ad ſervum. In eo enim quod ipſe pater eſt, dicimus nos liberos: non enim dicitur pater aliarum rerum. Si ergo ſumus liberi, habemus (*d*) libertatem arbitrii: ergo aliquid (*e*) eſt a nobis. Per hoc vero quod dicit, *Qui es in cælis*, (*f*) oſtendit omnia impetrabilia, quando ipſe ibi immobilis eſt. Quia ſicut ipſe qui eſt in cælis, diſpoſuit effectus produci ex cauſis, ita providit talem petitionem per talem orationem nobis dari. (*g*) Unde valet ad ſublevandum ſpem. Luc. XI. 13. „ Si vos, cum „ ſitis mali, noſtis bona data dare filiis ve„ ſtris, quanto magis pater veſter cæleſtis? „ &c. “ (*h*) Item *Pater* valet ad excitandum caritatem: naturale enim eſt quod a patre diligatur filius. Epheſ. VI. 7. „ Filii „ obedite parentibus veſtris in Domino. “ (*i*) Item invitamur ad imitandum. Supra v. 45. *Ut ſitis filii patris veſtri &c.* Item ad humilitatem provocamur. Malach. I. 6. „ Filius „ honorat patrem, & dominum ſervus. Si „ ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus?

Et

(a) Al. *noſter*. (b) *Al.* ho . (c) *Al.* homini. (d) *Al.* libertatem liberi arbitrii. (e) *Al. omittitur* eſt. (f) *Al.* oſtendit quod non ſunt omnia immobilia, quia ipſe immobilis. (g) *Al.* Secundo valet. (h) *Al.* Item ad caritatem excitandam: naturale eſt quod pater diligat filium. (i) *Al.* Item invitamur ad imitandum. Item ut ad humilitatem provocemur.

„ Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor „ meus? “ (a) Item dicens, *Pater noſter*, affectus ordinatur ad proximum: quia ſi unus pater omnium, non debet contemnere quis proximum ratione generis. Item dicit, *Pater noſter*: non dicit, Pater meus: quia Chriſtus voluit ſervare quod ſibi proprium eſt, quia quadam ſingularitate eſt filius Dei. Unde dicit, Ioan. xx. 17. „ Aſcendo ad pa„ trem meum, & patrem veſtrum: “ quia aliter meum, aliter veſtrum. Item docuit pro toto populo orare. Chryſoſtomus: „ Dul„ cior eſt apud Deum oratio quam non tranſ„ mittit neceſſitas, ſed fraternitas. “ Secundo ad captandum benevolentiam (b) dicitur: *Qui es in cælis*: non pro corporali loco: quia „ cælum, & terram ego impleo, „ dicit Dominus: “ Hierem. xxiii. 24. ſed propter eminentiam. Unde per hoc infirmis providetur, ut conſiderent per id quod ſupremum eſt in corporibus, quod Deo debent obſequi. Propter hoc verſus orientem oramus, quia ab oriente vertitur cælum. Et ſicut cælum ſupra corpus, ita Deus ſupra ſpiritum. Unde ſicut corpus convertitur ad cælum, ita ſpiritus convertitur ad Deum. Ut ergo ſpiritus revocetur a terrenis, dicit: *Pater noſter, qui es in cælis*. Aliter per cælos, ſancti intelliguntur. Eſa. i. 2. „ Au„ dite cæli, & auribus percipe terra. “ Pſal. xxi. 4. „ Tu autem in ſancto habitas. “ Dat enim fiduciam impetrandi, quia non longe ſunt a nobis. *Sanctificetur nomen tuum*. Hic captata benevolentia accedit ad petitiones. Sed omnis petitio habet deſiderium: unde in hac (c) oratione continetur omne quod homo deſiderare poteſt; & eo ordine quo petere debet: (d) homo enim deſiderat conſequi bonum, & vitare malum. Quatuor autem petuntur deſideranda. Deſiderium enim tendit in finem: unde in unoquoque quod primo deſiderandum eſt, eſt finis. Finis autem eſt Deus: unde honor Dei primo eſt petendus; & hoc tangitur: *Sanctificetur nomen tuum*. Item petenda ſunt quæ ad nos pertinent: & primum eſt gloria Dei; & hæc tangitur: *Adveniat regnum tuum*. Item virtutes, & merita bona; & hoc tangitur: *Fiat voluntas tua &c.* Item ſubſidia mortalis vitæ, ſive (e) temporalia, ſive ſpiritualia; & hoc tangitur: *Panem noſtrum quotidianum*: ſive intelligas panem temporalem, ſive ſpiritualem, vel ſacramentalem. Item malum eſt vitandum. Contra bona ſunt quædam impedimenta. Contra primum non eſt impedimentum, quia ſemper eſt honorandus Deus, ſive velis, ſive nolis habere. Beatitudinem impedit peccatum; ideo petit: *Dimitte nobis debita noſtra &c.* Virtutes etiam, & operationes bonas impedit tentatio; ideo dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem*. Habere neceſſaria huius vitæ impedit malum; ideo dicitur: *Sed libera nos a malo*.

Sanctificetur nomen tuum. Semper ſanctificatum eſt: quomodo ergo petimus? Exponitur ſic. Sanctificetur; ideſt, quod in ſe ſanctum eſt, manifeſtetur in nobis; non quod accreſcat ſibi, ſed nobis accreſcit manifeſtatio gloriæ ſuæ. Aliter Chryſoſtomus. *Sanctificetur &c.* ideſt, ſanctificetur ex operibus noſtris; ideſt, det nobis talia opera facere, ut ſanctificetur &c. Secundum Cyprianum. *Sanctificetur*; ideſt, ſanctifica nos in nomine tuo. Eſa. viii. 14. „ Et erit vobis in ſanctifica„ tionem. “ Sed ſanctificari eſt ut qui non ſunt ſancti ſanctificentur, & ut ſancti in ſanctitate perſeverent, & ſi quidem ſanctificati non ſint, contrarium amoveatur.

Sequitur: *Adveniat regnum tuum*; ideſt, fac nos ad regnum tuum pervenire, ut dicitur (infra xxv. 34.) *Venite benedicti, percipite paratum vobis regnum a conſtitutione mundi*. Aliter Auguſtinus in ſermone Domini in monte: „ Deus regnare incepit cum mundum red„ emit. “ *Adveniat*; ideſt, veniat conſummatio regni tui. Luc. xxi. 31. „ Prope eſt „ regnum Dei. “ Vel ſic. *Adveniat regnum tuum*; ideſt, regnes in nobis, non peccatum. Unde Rom. vi. 12. „ Non regnet peccatum „ in veſtro mortali corpore. “ Sed non poteſt venire quis ad regnum cæleſte niſi fiat cæleſtis; ideo petimus ut fiamus cæleſtes. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo*; ideſt, fac nos cæleſtes. Unde petimus ut voluntas Dei impleatur per nos; & hoc fruſtra, niſi a Deo eſſet: ideo dicitur: *Fiat voluntas tua*: quia Deus operatur in nobis. Sed quid? *Sicut in cælo & in terra*; ideſt, ſicut Angeli faciunt voluntatem in cælo, ſic nos terreni faciamus in terra. Vel aliter. (f *Fiat voluntas tua*, ſicut in Chriſto, ſic in Eccleſia. Unde: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo*, ideſt in Chriſto, *& in terra*, ideſt Eccleſia. Vel aliter. Per cælum ſancti, per terram peccatores. Unde, *Fiat voluntas tua &c.* ideſt, converte peccatores ut ſerviant tibi ut iuſti. Unde Pſalm. xvii. 29. „ Illuminans lucernam „ meam, Domine, illumina tenebras meas. “ Vel aliter: quia ſpiritus comparatus ad carnem, ita contrariatur. Unde Apoſtolus: „ Vi-

(a) *Al.* Item affectus ordinatur ad proximos. (b) *Al.* cum dicit. (c) *Al.* petitione. (d) *Al.* hic. (e) *Al.* mortalia. (f) Al. *Fiat voluntas tua*; ideſt, fiat voluntas ſicut in Chriſto &c.

Digitized by Google

„ Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. “ (Rom. VII. 23.) Unde, *Fiat &c.* ideſt, ſicut ſpiritus concordat voluntati tuæ, ſic & caro.

Et nota quod dicitur, *Sanctificetur nomen tuum*; & non Sanctificemus. Et hoc eſt, quia ad ſalutem requiritur perſona Dei, & liberum arbitrium. Sed ſi in prima perſona peteretur, iam videretur quod ſolum ad liberum arbitrium pertineret.

Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Poſtquam docuit petere gloriam, & beatitudinem, & operationes virtutum; hic docet petere quæ ſunt neceſſaria ad præſentem vitam, cum dicit: *Panem noſtrum &c.* Hoc autem exponitur quatuor modis. Primo exponitur de pane qui eſt Chriſtus, qui dicit de ſeipſo, Ioan. VI. 52. „ Panis quem „ ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. “ Sed dicit noſtrum, quia non cuiuſcumque, ſed fidelium ſolum. Eſa. IX. 5. „ Parvulus „ natus eſt nobis &c. “ Unde ex quo quis baptizatus eſt, ius habet (*a*) in iſto pane. Sed hoc quod dicit, *Superſubſtantialem*, loco eius habetur In Græco *Uſion*, ideſt peculiarem; & quod ſit ſuperſubſtantialis habetur ad Ephe. I. 20. „ Conſtituens ad dexteram „ ſuam in cęleſtibus ſupra omnem principa- „ tum, poteſtatem, & virtutem, & do- „ minationem. “ Iſte panis eſt quotidianus, qui quotidie debet ſumi non a quocumque, ſicut in Libro de Eccleſiaſticis dogmatibus dicit Auguſtinus, quod „ quotidie recipere nec „ laudo, nec vitupero: “ ſed in Eccleſia quotidie debet ſumi a fidelibus; & percipiatur, ſi non ſacramentaliter, tamen ſpiritualiter. Sed Orientales aliam conſuetudinem habent: quia in aliquorum Eccleſiis non celebratur niſi ſemel in hebdomada. Et Auguſtinus in Sermone Domini in monte dicit, quod illud ſuſtinetur.

Da nobis. Sed qualiter dicitur, *Da nobis*, ſi noſtrum eſt? Cyprianus. *Da nobis*, ideſt da ita vivere quod per peccatum non reddamur non idonei ad habendum iſtum panem. Non enim datur ei qui indigne recipit; ſed aſſumit in damnum ſuum. „ Qui „ enim manducat, & bibit indigne, iudi- „ cium ſibi manducat, & bibit; “ ut habetur I. ad Corinth. XI. 19.

Sed quid eſt quod dicit, *Hodie*? Dicendum, quod hodie aliquando accipitur pro præſenti die, aliquando pro tota vita noſtra. Unde, *Da nobis hodie*; ideſt, ut in tota vita noſtra poſſimus percipere: quia in hac vita tantum eſt neceſſarius: in alia enim, habita veritate, non indigebimus. Unde in hac vita, & nunc peculiaris eſt, tunc continuus. Alia expoſitio, ut per panem Deus, vel divinitas intelligatur. Luc. XIV. 15. „ Beatus „ qui manducat panem in regno cælorum. “ Pſal. LXXVII. 25. „ Panem Angelorum man- „ ducavit homo. “ Unde, *Da nobis hodie*: da ut in præſenti vita poſſimus ea frui. Item aliter poteſt exponi de pane ſapientiæ. Unde (Prov. IX. 9.) „ Venite, comedite pa- „ nem meum. “ Ille enim comedit panem ſapientiæ, qui inquirit documenta ſalutis, qui facit divina præcepta. Quarto exponitur de pane corporali. Dixerat: *Sanctificetur nomen tuum*; & *Fiat voluntas tua &c.* Unde docuerat nos cæleſtes eſſe. Sed memor fragilitatis noſtræ, docet nos petere terrena ad vitam neceſſaria, & non ſuperflua, ſed neceſſaria. Unde (I. ad Tim. VI. 8.) „ habentes alimenta, & quibus tegamur, his „ contenti ſumus. “ Idem petiit Patriarcha Iacob: (Gen. XXVIII. 20.) „ Si dederit mihi panem „ quo veſcar, & veſtes quibus operiar &c. “ Sed dicit, *Noſtrum*, quia de proprio, non de rapina. Alia ratio quare dicit noſtrum, quia hoc datur ad neceſſitatem. Unde debemus accipere ut communia, ut dicebat Iob (XXXI. 17.) „ Si comedi bucellam panis ſolus. “

Sed quid eſt quod dicit, *Superſubſtantialem*? Hoc ideo dicit, quia (ut dicit Auguſtinus in Lib. de orando Deum ad Probam) id quod eſt præcipuum in vita hominis eſt panis. Eccli. XXIX. 28. „ Initium vitæ hominis a- „ qua, & panis. “ Unde per hunc omnia quæ ſunt ſubſtantialia ad vitam intelliguntur.

Sed dicit, *Quotidianum*, ideſt pro hac vita brevi: ſi enim peteret ad longum tempus, contrariaretur petitioni ſuæ, quæ dixit: *Adveniat regnum tuum*, ideſt ad nos (*b*) veniat. Si ergo longa petitio eſſet, contrariaretur orationi præcedenti. Item ut ſuperfluitatem tollat, quia quod neceſſarium, eſt ad diem: contra quoſdam qui plus expendunt uno prandio quam neceſſe eſſet in multis diebus. Item dicit, *Da nobis*. Chryſoſtomus: „ Temporalia habent boni, & ma- „ li; boni ad utilitatem, mali ad damnum: „ boni igitur a Deo, mali a diabolo. “ Alia ratio. Sicut ſi aliquis offerret panem ſacerdoti ad ſanctificandum, poſtea peteret a ſacerdote iam ſanctificatum; ſic dicitur, *Da nobis*, ideſt ſanctifica nobis; & ſanctificatur per orationem. Et quia noluit ut petatur ad longum tempus, ideo dicit, *Hodie*: vel *hodie*, ideſt in vita iſta.

Sed

(a) *Al.* de iſto. (b) *Al.* veniet.

Sed quæritur quare Dominus prohibuit ſolicitudinem : unde dicit : *Nolite ſolciti eſſe &c.* Hic autem docet petere. Sed homo licite poteſt deſiderare quæ neceſſaria ſunt ad vitam, & non ſolum quæ ad vitam, ſed quæ ad ſtatum : quia plura ſunt neceſſaria Regi quam Comiti : unde licet hæc petere. Sed aliud eſt deſiderare, & aliud ſolicitum eſſe.

Item videtur quod non petendum ſit niſi ad unum diem, quia dicit, *Hodie*. (a) Solutio. Non intendit quin cogites de futuro ; ſic enim periret populus Dei, quia ſic non eſſet congregandum in æſtate quod comedendum eſt in hieme ; ſed ſolicitudinem removet de ſuturo.

Sequitur : *Dimitte nobis debita noſtra &c.* Hic intendit ponere petitiones quæ fiunt ad remotionem mali: & primo magis principalis, quod magis impedit. Hoc autem eſt peccatum; ideo dicit : *Et dimitte nobis debita noſtra :* quia contra eum peccavimus: nos enim indigemus de bono Dei. Hieronymus: „ Indignum eſt quod agamus aliquid contra „ Deum. Quando tu peccas, tu uſurpas „ quod Dei eſt : quia voluutas Dei eſt regu„ la omnium. Si ergo dimittis voluntatem „ Dei pro voluntate tua, uſurpas quod Dei „ eſt. “ Ideo *dimitte nobis*, peccata. Et hoc ille petebat Pſal. XXXVIII. 14. „ Dimitte mi„ hi ut refrigerer prius quam abeam, & „ amplius non ero. “ Et per hoc duos errores excludit. Error ſcilicet Pelagii, qui dicebar, quod ſine peccato poterat homo vivere : & hoc eſt falſum, quia eſſet aliquis qui non poſſet dicere hanc orationem ; ſed hanc Dominus dedit omnibus : omnes ergo peccatum habent. Et Ioannes in prima canonica, cap. I. 8. „ Si dixerimus quod pec„ catum non habemus, nos ipſos ſeducimus. “ Item alius error, quod ſi quis peccavit, non poteſt agere pœnitentiam ; ſed hoc non doceret Dominus petere, niſi vellet remittere. Unde Ioan. I. 12. „ Dedit eis poteſta„ tem filios Dei fieri : “ quod non fieret, niſi remitterentur peccata. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Debitores dicuntur duobus modis : vel quia peccaut contra nos ; vel quia aliquid nobis debeut, ut pecuniam, & huiuſmodi. Non ergo docet ut dimittam debita pecuniæ, ſed debitum quo peccavit quis contra me; vel etiam ſi offendit me pro ſolvenda pecunia, offenſam teneor dimittere, non pecuniam. Indignum enim eſſet quod peterem miſericordiam, ſi remittere non vellem. Unde Eccli. XXVIII. 3. „ Homo homini ſervat iram, & a Deo pe„ tit medelam. “

Sed ſunt multi qui nolunt dimittere, debent ne dicere : *Pater noſter ? &c.* Quidam enim ſutrahebant verbum illud, *Sicut & nos &c.* ſed talis omittens peccat, quia formam Eccleſiæ non ſervat. Dicendum ergo, quod licet ſit in peccato, debet dicere: quia debet facere quicquid boni poteſt, quia licet non ſint meritoria ad vitam æternam, tamen ſunt proficua ad impetrandam gratiam. Item oratio dicitur in perſona Eccleſiæ: unde licet ipſe non remittat, tamen Eccleſia remittit.

Item quærit Auguſtinus ſi ſolum illis qui remittunt offenſas Dominus remittit. Et vult Auguſtinus quod eo tenore dimittamus quo dimittit Dominus. Dominus enim rogantibus dimittit : qui ergo paratus eſt roganti dimittere, fructum recipit orationis.

Et ne nos inducas in tentationem. Cyprianus exponit ſic. *Et ne nos* ; ideſt, non ſinas nos perduci in tentationem. Tentatio enim utilis eſt. Sed ille inducitur in tentationem qui tentationi ſuccumbit. Multi volunt igne calefieri, ſed non igne comburi. (I. Coriu. X. 13.) „ Fidelis Deus, qui uon permittit „ vos tentari ultra quam poſſitis. “ Et per hoc amovetur error Pelagii, qui dicebat, quod homo poterat perſeverare per liberum arbitrium. Et hoc amovet cum docet non conſentire tentationi. Ad Phil. II. 13. „ Deus „ operatur in nobis velle, & perficere pro „ bona voluntate. “ Ultimum eſt *Sed libera nos a malo*, præſenti, vel futuro, pœnæ, vel culpæ. Unde Auguſtinus, in hoc verbo : „ Omnis homo lacrymas fundit. “ Ita dicebat ille, Pſal. LVIII. 2. „ Eripe me „ de inimicis meis Deus meus. “ Sequitur autem *Amen*, ideſt ita fiat. Hebræum eſt. Datur ſecuritas impetrandi, ſi tales fuerimus quod dimittamus &c. In Græco adduntur tria verba : *Quoniam tuum regnum, & veritas, & gloria*. Et hæc tria tribus præmiſſis reſpondent. Vel ſic. Tu potes, quia tuum regnum, tua eſt virtus quæ poteſt donare : item totum ad gloriam Dei. Pſal. CXIII. 1. „ Non nobis, Domine, non no„ bis; ſed nomini tuo da gloriam, “

(d) *Cum autem ieiunatis &c.* Hæc eſt tertia pars ab illo loco, *Cum facis eleemoſynam &c.* in qua excludit appetitum humani favoris a ieiunio. Ubi primo excludit a ieiunio modum indebitum ; ſecundo ſubiungit modum ieiunandi debitum, ibi, *Tu autem cum ieiunas &c.* In prima dicuntur tria. Pri-

(a) *Al.* Solummodo non intendit.

Digitized by Google

modiſſuadet hypocritarum ſimulationem; ſecundo ponit ſuæ oſtentationis perverſam intentionem, ibi, *Exterminant enim facies ſuas*; tertio ſubiungit eorum condemnationem, ibi, *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam*. Dicit ergo: *Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ*. Per hoc quod dicit, *Nolite*, prohibet non ſolum facere, ſed velle: quia in voluntate radix merendi, & demerendi eſt. *Triſtes*: ſignanter dicit fieri triſtes, & non eſſe: quia iſta triſtitia, ſive ſimulatio, ſolum in apparentia eſt. Chryſoſtomus: „ Dum fingunt ſe ieiunare, non ſunt „ triſtes, ſed fiunt. “ *Exterminant*. Ecce perverſa intentio: quia exterminant, ideſt extra proprios terminos humanæ conditionis ponunt, ſecundum Auguſtinum, & Rabanum, *facies ſuas*, in quibus magis apparent boni. Auguſtinns: „ Sicut de nitore veſtium „ iactantia, ſic de nimio ſqualore, & ma„ cie. “ *Ut appareant hominibus*, qui vident ſolum exteriora, I. Reg. 16. *ieiunantes*, ideſt abſtinentes. Iſidorus ſuper Amos: „ Qui „ cibis abſtinent, & mala agunt, dæmones „ imitantur quibus culpa adeſt, & cibns „ abeſt. “ Chryſoſtomus: „ Si quis ieiunat, & „ triſtem ſe facit, hypocrita eſt. Quanto „ nequior eſt qui non ieiunat, ſed in facie „ ſua argumentis quibuſdam fingit venalem „ pallorem? “ *Amen dico vobis*. Hic ſubiungitur eorum condemnatio: unde dicit: *Amen*, ideſt vere, *dico vobis, receperunt mercedem ſuam*, non Dei, ideſt laudem quam intendebant. Gregorius in Homilia: „ Incaſ„ ſum caro atteritur, ſi a ſuis voluptatibus „ animus non refrenatur. “ *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum*. Hic ſubdit debitum ieiunandi modum: & primo hortatur ad ipſum; ſecundo ponit promiſſum, ibi, *Et pater tuus &c.* Quantum ad primum dicit: *Tu autem cum ieiunas unge caput tuum*, quadrupliciter. Primo caput, ideſt mentem, oleo nitoris conſcientiæ, ne diabolus per capillos, ideſt cogitationes, teneat. Eſther 11. 12. virgines oleo mirrhyno ungebantur. Secundo oleo caritatis. Hoc inunguntur pugiles, ideſt activi boni. Infra xxv. 4. *Prudente virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus*. “ Item oleo compaſſionis, & miſericordiæ, quo debent inungi prælati. Eccle. ix. 8. „ Oleum de capite „ tuo non deficiat. “ Chryſoſtomus: „ Ca„ put tuum Chriſtus eſt. Eſurientem ciba, „ ſitientem pota; & ſic caput tuum unxiſti „ oleo miſericordiæ, qui clamat in Evangelio: „ Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi „ feciſtis. “ Item oleo ſpiritualis lætitiæ, quo inunguntur Reges, ideſt contemplativi. Exod. xvii. 19. „ Sanctificabis vaſa taberna„ culi oleo. “ Unde Hieronymus, & Auguſtinus: „ Palæſtinis mos erat caput ungere. “ Ergo *caput unge*, ideſt hilarem, & feſtivum te exhibe, *& faciem tuam lava*. Chryſoſtomus: „ Facies eſt conſcientia. “ Lava ergo faciem tuam quadruplici lotione. Primo per veram contritionem. Hiere. iv. 14. „ Lava „ a malitia cor tuum, Hieruſalem, ut ſalva „ fias. “ Secundo per confeſſionem. Eſa. 1.16. „ Lavamini, mundi eſtote, &c. “ Tertio per tribulationum perpeſſionem. Apoc. vii. 14. „ Laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt „ eas in ſanguine agni. “ Quarto per devotam orationem. Gen. xviii. 4. „ Afferam „ pauxillum aquæ ut laventur pedes veſtri. “ Vel *lava faciem*, ideſt intellectum a curioſitate, & affectum ab illicito amore. *Ne videaris hominibus ieiunans*. Non prohibet ſimpliciter videri, ſed velle videri; quaſi dicat: Ne velis favorem, vel laudem pro ieiunio ab hominibns captare. *Sed patri tuo*, per creationem, & recreationem, & conſervationem, *qui eſt in abſcondito*. Gloſſa: „ Ideſt „ in corde per fidem. “ Eſa. xlv. 15. „ Ve„ re tu es Deus abſconditus. “ *Et pater tuus* (ecce promiſſum) *qui videt in abſcondito*, id eſt in humili, & pura conſcientia, *reddet tibi*. Sapien. x. 17. „ Reddet Deus laborem „ ſanctorum ſuorum. “

(e) Poſtquam docuit nos de ieiunio, docet nos de eleemoſyna, & dicit: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*.

Sed videtur quod hoc non ſit verum: quia Regibus convenit theſaurizare. Sed dicendum quod per theſauros intelligit abundantiam; & hæc duplex: neceſſaria, & ſuperflua: quod non eſt neceſſarium uni, eſt neceſſarium alteri. Et ideo cum Rex multis indigeat, multa poteſt congregare. Uni ſimplici peccatum eſſet quod non eſt Regi, quia indiget defendere regnum. Item prohibet his qui videntur habere fiduciam in eis. Unde I. ad Tim. ult. „ Divitibus hu„ ius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, „ nec ſperare in incerto divitiarum ſua„ rum. “ Baruch. iii. 16 „ Ubi ſunt prin„ cipes gentium, qui argentum fabricant „ (ſive theſaurizant) & aurum in quo „ confidunt homines? “ Item prohibet propter inſtabilitatem, quia cito amittuntur. Et ponit tria quæ in divitiis habentur: metalla, & hæc rubigine conſumuntur; veſtes, & hæc tineis; & quædam quæ neutro modo, ut lapides pretioſi. Alia littera habet, *Nec commeſtura*. Unde tripliciter deſtruuntur. Aut ex principio intrinſeco; & ſic tinea quæ innaſcitur veſtibus: unde,

Ubi

Ubi ærugo, *& tinea*: aut ex luxuria poſſidentis; ideo *commeſtura*: quandoque ab extraneis: unde dicit: *Ubi fures non effodiunt*.

Si aliquis dicat, quod hæc non fiunt; dicendum, & ſi non fiant, tamen ſæpe contigit; & ſi non contingit, poſſibile tamen eſt contingere: ideo arguit eas incertas eſſe.

Item exponitur myſtice. AErugo apparet, tinea latet: unde per æruginem peccata corporalia, per tineam ſpiritualia. Item quædam ſunt peccata quæ per ſeipſos faciunt homines, quædam quæ cum alio; & illa magis nocent. Dicit: *Nec fures effodiunt*. Vel dicit propter theſauros abſconditos. Item per æruginem ſuperbi. Eccli. XII. 10. „ Sicut æramentum æruginat nequitia eo„ rum. “ Tinea corrodit veſtimenta; & hæc ſignificat exteriora opera, quæ per invidiam corroduntur. Prover. XXV. 20. „ Sic„ ut tinea veſtimento, & vermis ligno; ita „ triſtitia viri nocet cordi. “ Item fures per vanam gloriam: fures, ideſt dæmones, (*a*) qui cum non poſſint decipere homines per alia peccata, decipiunt per vanam gloriam. Item ponit ſtabilitatem divitiarum cæleſtium, ubi dicit: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo*. Et hic Auguſtinus „ Theſaurizate „ vobis *in cælo*, non in aliquo loco corporali, „ ſed *in cælo*, ideſt in ſpiritualibus bonis; id„ eſt, abundantiam bonorum meritorum acqui„ rite. “ Et dicit, *Vobis*, non Deo quia nihil accreſcit ei. Iob XXXV. 7. „ Si juſte egeris, „ quid donabis ei; aut quid de manu tua „ accipiet? “ (*b*) Docet autem Dominus unde hoc acquiritur, ſcilicet per eleemoſynam, dicens Luc. XVIII. 22. „ Vende omnia „ quæ habes, & da pauperibus, & habebis „ theſaurum in cælo. “ (*c*) Ibi enim, ideſt in cælo, nulla erit corruptio: quia „ cor„ ruptibile hoc induet incorruptionem: “ I. Corint. XV. Sequitur: *Ubi eſt theſaurus tuus*, *ibi eſt & cor tuum*. (*d*) Docet, contrariam concluſionem eſſe nocivam; & hoc quia cordis diſtractionem habet: quia ſi terrena diligis, ibi erit cor tuum, ubi enim amor ibi oculus: oculi ſtultorum in finibus terræ. Sed quia pauci ſunt qui conſiderent iſtud, ideo oſtendit quantum ſit periculum, per exemplum. *Lucerna corporis tui*. Et hoc primo exponitur de oculo corporali: (*e*) ſicut enim lucerna dirigit greſſus hominis, ſic oculus: unde *ſi oculus tuus fuerit ſimplex*, ideſt fortis ad videndum, *corpus totum erit lucidum*, ideſt dirigetur ad faciendum; *ſi nequam*, ideſt lippus, & obſcurus, *totum corpus tuum tenebroſum erit*; ideſt, omnia opera tua fient ad modum tenebrarum. *Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt*? Lumen quod in te eſt, eſt cor & mens: ſi ergo ad terram dirigatur, & omnes ſenſus hominis ad terram dirigentur. Aliter exponitur de oculo ſpirituali. Lumen enim inducit ad probandum, ſicut hominis ratio. Prover. XX. 27. „ Lucer„ na Domini ſpiraculum hominis. “ Unde *ſi oculus tuus fuerit ſimplex*, ſic quod ratio tua dirigatur in Deum, *totum corpus tuum*, ideſt omnia membra tua, a peccato ſervabuntur: ſi non, involventur in operibus tenebrarum. Vel *lucidum*, in reſurrectione ſanctorum. Infra XIII. 43. *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol*. Item per oculum ſignificatur intentio. Unde qui vult operari, aliquid intendit: unde ſi intentio tua ſit lucida, ideſt ad Deum directa, totum corpus, ideſt operationes tuæ erunt lucidæ. Et hoc intelligitur in ſimpliciter bonis. Item per oculum intelligitur fides: unde ſi ſimplex eſt, ita quod tendat in Deum, ideſt non vacillet &c. Ad Rom. XIV. 23. „ Quod non eſt ex fide, peccatum eſt. “ Item per oculum ſignificatur prælatus, qui eſt oculus ſubditorum. Unde cum prælati boni dirigunt plebes, tota populi congregatio lucet virtutibus &c. Eccli. X. 2. „ Se„ cundum judicem populi ſic & miniſtri e„ jus. “ Sequitur: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire &c.* Quia dixerat quod theſaurizatio diſtrahit a Deo, ideo fugienda dicitur, quia non ſolum diſtrahit, ſed alienat a Deo: quia *nemo poteſt duobus dominis ſervire*. Servus eſt qui ipſum quod eſt, alterius eſt; ſed impoſſibile eſt quod animus feratur ad duos fines ſimul & ſemel (dico contrarios & diſſentientes.) Item nota quod quidam dominantur ut ſubditi dirigantur; quidam autem ut timeantur. Dominus, & divitiæ ſunt contrarii domini; ideo *non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ*.

Sed nota, quod aliud eſt habere divitias ut dominus, aliud ut ſervus. Habet enim ut dominus, qui bene utitur illis, & inde facit fructum; ſed ille eſt ſervus divitiarum qui fructum inde non accipit. Eccle. V. 12. „ Eſt aliud malum quod vidi ſub ſole. Di„ vitiæ conſervatæ in malum domini ſui. “ Omne autem (*f*) in quo quis ponit finem ſuum Deus ſuus eſt: unde qui ponit finem ſuum in divitiis, Deus ſuus eſt; ſicut dicitur de illis. „ quorum Deus venter eſt, “ Phil. III. 19.

(a) *Al.* quia (b) *Al.* Docet autem Dominus hoc, dicens Lucæ XVIII. (c) *Al.* Ibi enim nulla eſt. (d) *Al.* Docet, hanc concluſionem. (e) *Al.* Sicut lucerna. (f) *Al.* quod quis ponit.

Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ. Per mammouam poteſt intelligi diabolus, qui præeſt divitiis, & quaſi Deus ſuus eſt; non quia poſſit dare, ſed quia nititur divitiis homines decipere: unde ſicut eſt quidam ſpiritus ſornicationis, ſic eſt ſpiritus divitiarum. Aliter exponit Auguſtinus. *Nemo poteſt &c.* ſcilicet contrariis: ſed Deus, & diabolus contrarii ſunt. „ Quæ conventio Chriſti ad Belial? " II. ad Corin. VI. 15. & in Lib. III. Reg. XVIII. 21. „ Quid claudicatis in duas partes? " Et ſequitur: *Aut unum ſuſtinebit*, ideſt diabolum. Et non dicit, Diliget, quia diabolus naturaliter diligi non poteſt. Deus naturaliter diligitur, diabolus vero ſuſtinetur, ſicut ponit exemplum Auguſtinus. Si aliquis cupit ancillam alicuius, ſervit ei amore ancillæ, non ipſius: unde ſuſtinet ſervitium domini propter ancillam. Sic aliquis ſuſtinet ſervitium diaboli propter divitias.

Item poſſet aliquis dicere: Non pono finem in divitiis ſuperfluis, ſed neceſſariis. Et hoc prohibet Dominus dicens: *Ideo dico: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ &c.* non quia anima manducet, ſed quia homini convenit, anima exiſtente in eo. Vel *anima*, ideſt vitæ animæ. Et deſtruitur hic error Euticharum, qui dicebant quod viri apoſtolici non debebant laborare. Sed hos reprehendit Paulus dicens, II. Theſſal. III. 10. „ Qui non vult laborare, non manducet. " Secundum ergo Apoſtolum omnes tenentur.

Sed quæro, aut eſt conſilium, aut præceptum. Si præceptum, ergo omnes tenentur; ſi conſilium, conſtat quod non omnes, quia ad conſilia non tenentur niſi homines perfecti.

Dico (*a*) quod aliquid eſt præceptum propter ſe, aliquid propter aliud: ut cum aliquis cepit crucem ut eat ultra mare, quod eat ultra mare tenetur, ſed non poteſt ire niſi quærat navem: unde quærere navem eſt ei neceſſarium. Sic omnes tenentur ad conſervandum vitam, ideo tenentur ad omnia quæ faciunt ad iſtum finem: unde tenetur quilibet qui non babet unde conſervet vitam, laborare ut conſervet.

Quid ergo dicit: *Nolite ſoliciti eſſe? &c.* Dicendum, quod ſolicitudo nominat providentiam cum ſtudio; ſtudium autem eſt vehemens applicatio animi. In iſta autem vehementi applicatione poteſt eſſe peccatum, quando ſcilicet ponit animum ibi ut ad finem: & ſic non debemus ſoliciti eſſe. Et ideo habetur Proverb. 11. 7. „ Expectatio ſolicitorum peribit. " Item poteſt eſſe quod mens intendat ad ſuperflua acquirenda; & ſic prohibetur, ut habetur Eccle. II. 1. „ Dixi ego in corde: Vadam, & affluam divitiis. " Item ſolicitudo poteſt eſſe, quia animus nimis ſolicitatur ad temporalia acquirenda, & neceſſaria. Et de hoc habetur I. ad Corinth. 11. Item quidam ſoliciti ſunt cum quodam timore, & deſperatione, quia timent ſibi deficere; & hæc ſolicitudo prohibetur.

Sequitur: *Nonne anima plus eſt quam eſca?* Docuit vitare ſolicitudinem etiam neceſſariorum. Ponit rationes: & primo talem. Qui dedit maiora, dabit minora; ſed Deus dedit animam, & corpus: ergo qui dedit hæc, ſervabit ea. *Reſpicite volatilia cœli &c.* (*b*) Eſt hæc alia ratio. Qui providet minoribus, providebit maioribus; ſed Deus providet brutis: ergo &c. Primo deducit in cibo; ſecundo in veſtimento. Docet ergo vitare ſolicitudinem, dicens: *Reſpicite*, ideſt conſiderate, *volatilia cœli*, quia ex his eſt ſapientia. Unde Iob XII. 7. „ Interroga iumenta, & docebunt. " Unde cum non habeant operationem ad acquirendum panem, attamen &c. Et tria dicit, quo ad tria quæ requiruntur; ſcilicet ſerere, metere, & congregare. Et quantum ad hoc tria dicit: *Non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & tamen pater veſter cœleſtis paſcit illa.* Et dicit, *Veſter*, non illorum: quia proprie pater eſt rationalis creaturæ. *Paſcit ea*: de quo in Pſalm. CXLVI. 9. „ Qui dat iumentis eſcam ipſorum &c. " *Nonne vos magis pluris eſtis illis*, ideſt maioris valoris? Homo enim omnibus præponitur, ut habetur Gen. 1. 26. „ Faciamus hominem: " & ſequitur: „ ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli. " Et non eſt intelligendum quin apoſtolici viri non congregent; ſed eſt intelligendum quod Deus in congregatione, a tribulatione liberat iuſtos, ut Danielem liberavit le lacu leonum, & tres pueros de fornace. Et non dico, quod exiſtentes in tribulatione non debeant facere ut eruantur, quia præcepit Dominus ut ex una civitate fugerent in aliam; ſed eſt intelligendum, quod ſi faciant iſti quod in ſe eſt, quod liberabit eos Dominus. Et iſta exempla inducuntur ad ſciendum quod Dominus habeat providentiam de omnibus, & dat unicuique ſecundum modum ſuum. Avibus enim dedit quomodo neceſſaria acquirerent: dedit enim eis naturalem inſtinctum quo moverentur ad inquirendum unde viverent: ideo non debemus eſſe nos nimis ſoliciti.

Quis

(a) *Al.* Dico quod eſt preceptum. (b) *Al.* Et eſt hæc alia ratio.

Quis autem veſtrum cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Hic probat experimento, quod ſicut providet avibus, ita & nobis. Quædam enim eſt pars animæ quæ ſubiacet rationi, (*a*) ut motiva, & ſenſitiva; quædam quæ non, (*b*) ut augmentativa, & nutritiva: & in his convenit homo cum brutis: & ſicut providet brutis in augmento, & nutrimento, ſic & hominibus. Unde augmentum non eſt nobis ex nobis, ſed ex Deo: unde de providentia Dei non debetis deſperare. *Conſiderate lilia agri &c.* Inſtruxit nos de cibo; modo de veſtimento: unde „ habentes alimenta, & qui„ bus tegamur, his contenti ſumus. " (I. ad Tim. VI. 8.) Dicit ergo: *Conſiderate lilia agri*. Conſideratio creatnrarum debet eſſe ad laudem Dei. Pſalm. CXLII. 5. „ Meditabor „ in omnibus operibus tuis &c. " (*c*) *Non laborant, neque nent*. Ad veſtimentum enim requiritur & opus virorum, & mulierum. Ideo ad amovendum opus virorum dicit, *Non laborant*; ad excludendum opus mulierum dicit, *Neque nent*. *Dico enim quod neque Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis*: quia etſi ars imitetur naturam, non tamen conſequitur: unde numquam ars faceret colores ita puros, ſicut in natura ſiunt in floribus. Et dicit, *In gloria*, quia inter (*d*) notos apud Iudæos Salomon glorioſior fuit; & tamen veſtimentum non potuit ita adaptari ei ſicut lilio. Item dicit Chryſoſtomus, quod lilium habet iſta ſine ſolicitudine; Salomon autem ſaltem oportuit præcipere. Hieronymus retorquet ad reſurrectionem: quia per lilia Angeli; & ſicut Angeli non indigent veſtimento, ſic in reſurrectione, qui reformabit corpus, providebit de veſtimento. *Si enim fenum agri &c.* Hic commutat lilium (*e*) in fenum; & argumentatur, quia ſi minoribus providet, providebit & nobis, qui potiores ſumus quo ad dignitatem ſubſtantiæ, quia nos ſuper iſta ſumus. Item quo ad durationem, quia nos æterni quo ad animam; iſtud vero *hodie eſt, & cras in clibanum mittitur &c.* Eſai. XL. 7. „ Exſiccatum eſt fenum, & ce„ cidit flos. " Item quo ad finem, quia homo eſt propter beatitndinem; fenum vero propter uſum hominis. Pſal. CXLVI. 8. „ Qui „ producit in montibus fenum, & herbam „ ſervituti hominum &c. " Et ad vilem uſum, ſcilicet ut in clibanum mittatur, quo ad aliquas terras ubi fit ignis de ſtipulis. Et ſi hoc *ſic veſtit*, ideſt dat neceſſarium ornatum, *quanto magis vos modicæ fidei?* Vel ſic ut per fenum intelligantur infideles. Si ergo infidelibus, qui parati ſunt ad clibanum ignis, multo magis electis. *Nolite ergo ſoliciti eſſe &c.* Hic concludit de ntraque; & debes exponere ſolicitudinem quatuor modis, ut ſuperius dictum eſt. Vel ſic. Si vivis in aliqua ſocietate, non ſis ſolicitus de cibo ampliori, vel veſtimentis amplioribus; immo eſto in eis quaſi unus ex eis. *Hæc enim omnia gentes inquirunt*: quia ibi ponunt finem, quia credunt in eis eſſe beatitudinem. Et ſi hoc non credant, ponunt ibi magnam ſolicitudinem, quia non credunt providentiam divinam. Et quia in ordinatione ad finem duo requiruntur, ſcilicet ſcientia, & voluntas; dicit: *Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis*. Unde ſcit, quia Deus: item, quia pater, vult. Quid ergo facietis? Dicit tria. *Primum quærite regnum Dei*, tamquam finem, quia regnum eſt beatitudo. Regnum dicitur a regendo: tunc enim homo regitur, quando voluntati regentis ſubditur. Hoc autem erit in cælo: unde Luc. XIV. 15. „ Beatus qui mandu„ cat panem in regno Dei. " Item iuſtitia perducit ad regnum. Proverb. VIII. 20. „ In viis iuſtitiæ ambulo, in medio ſe„ mitarum iudicii, ut ditem diligentes me, „ & theſauros eorum repleam &c. " Et ideo dicit, *Et iuſtitiam eius*: & dicit eius, & non hominis, quia per iuſtitiam propriam nullus poteſt venire ad regnum. Tertio dicit: *Et hæc omnia adiicientur vobis*; quaſi, ultra ſorum hæc adiicientur. Proverb. X. 13. „ Non affliget Dominus ſame animam iu„ ſti. " Non ergo debemus hæc temporalia quærere; & hoc verum eſt tamquam finem, aut mercedem. Unde non debemus evangelizare ut comedamus, ſed potius e converſo.

Sed contra hoc obiicit Auguſtinus de Paulo, quia dicit (II. Corin. XI. 27.) „ In „ fame, & ſiti, & nuditate laboravi. " Et reſpondet, quod ſicut medicus aliquando abſtrahit cibum, & potum infirmo, ut curet eum; ſic Dominus, qui habet providere, permittit hominem pati, vel ut curetur (ſi curanda ſunt aliqua) vel ut alii exemplum recipiant.

Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. Sed hoc non videtur, quia nullus tenetur ad maiorem perfectionem quam (*f*) Chriſtus, & Apoſtoli: ſed Chriſtus habuit loculos; Apoſtoli etiam congregabant. Auguſtinus exponit ſic. *In craſtinum*, ideſt futurum, cogitando nimis de temporalibus, ſcilicet ibi

finem

(a) *Al.* ut motiva ſenſitiva. (b) *Al.* ut augmentativa nutritiva. (c) Al. *Nec lilia non laborant*. (d) *Al.* natus. (e) *Al.* & fenum. (f) *Al.* Chriſti.

finem ponendo, vel etiam ſuperflua congregando. Vel, ſecundum Hieronymum, *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*, verum eſt de his quæ ad Deum pertinent, faciendo quæ in nobis ſunt. Non enim debemus dimittere laborare, ſi timeamus de pluvia, vel huiuſmodi, quæ ad Deum pertinent. Vel ſic: Nolite illam ſolicitudinem quam debetis in futuro habere, accipere in præſenti; ſicut tempore meſſium accipere curam de vindemiis non eſt competens. Quare? *Sufficit enim diei malitia ſua*, ideſt tribulatio, & anguſtia, quam habet homo in die, ſufficere debet ei; non autem accipere eam quam debet habere in futuro &c.

CAPUT VII.

(a) NOlite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini: in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater, ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui. Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & canes converſi dirumpant vos. Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur. Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris; quanto magis pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & prophetæ. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam!

(b) Attendite a falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus. Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt autem arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ideo ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia numquam novi vos. Diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti qui ædificavit domum ſuam ſupra petram: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam; & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti: & irruerunt in domum illam; & cecidit, & fuit ruina eius magna. Et factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat autem docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ eorum, & phariſæi.

Imple-

(a) IMplevit legem quo ad præcepta, & quo ad promiſſa; nunc quo ad judicia. Primo ergo ordinat ut non ſit temerarium judicium, & dicit: *Nolite judicare &c.* ideſt ex amaritudine odii. Amos VI. 13. „ Convertiſti judicium in amaritudinem. “ Vel ſic. *Nolite*, quantum ad ea quæ noſtro iudicio non ſunt commiſſa. Domini eſt judicium, nobis commiſit judicare de exterioribus, de interioribus vero ſibi retinuit. Nolite ergo judicare de eis. I. Corinth. IV. 5. „ Nolite judicare ante tempus. “ Hier. XVII. 9. „ Pravum eſt cor „ hominis; & quis cognoſcet illud? “ Nullus enim debet judicare de aliquo quod ſit malus homo: dubia enim in meliorem partem interpretanda ſunt. Item judicium debet eſſe congruum quantum ad perſonam judicantis: unde ſi es in eodem peccato, vel maiori, non debes judicare. Ad Roman. II. 1. „ In quo enim judicas alterum, teipſum „ condemnas. “ Item non prohibetur prælatis, ſed ſubditis: unde non debent judicare niſi ſubditum. Sed Chryſoſtomus: *Nolite judicare &c.* ideſt nolite judicare voſmetipſos (*a*) vindicando. Unde ſi remittitis, non inde judicabimini; (*b*) immo ratione huius miſericordiæ, miſericordiam conſequemini. Sequitur ratio: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*; ideſt, pro quo judicio judicaveritis, judicabimini. Pſal. VII. 17. „ Convertetur dolor eius in caput eius „ &c. “ Et infra XXVI. 52. *Quiſpercuſſerit gladio, gladio peribit*. Vel ſic. Timere debent qui judicant, ne hoc judicio Dominus permittat eos punirl, ut in Eſa. XXXIII. 1. „ Veh tu qui prædaris; nonne & tu prædaberis? “ *In qua menſura &c.* Hic ponit rationem ſub ſimilitudine judicii. Iudex enim eſt ſicut regula animata. Cum enim vis æquare duo, defers ad regulam, & quod ſuperabundat de uno reſecas; (*c*) ſic ſi aliquis habeat de alieno pluſquam debeat habere, id reſecat, & reddit unicuique quod ſuum eſt: ideſt, pro iſta menſura remetietur nobis.

Sed obiicitur. Allqnis peccat temporaliter, & inde punitur æternaliter: videtur quod non ſit æquum judicium.

Dico, quod in peccato duo ſunt conſideranda: duratio, & offenſa: & in offenſa duo; ſcilicet averſio, & converſio. Ex parte converſionis, culpa finita eſt: ex parte averſionis, infinita, quia avertitur a Deo qui eſt infinitus. Cum ergo avertat ſe ab Infinito, infinite puniri debet. Item ex parte durationis eſt duo conſiderare; ſcilicet actum, & maculam. Actus momentaneus eſt, macula infinita, ideſt æterna; ideo infinite, ideſt æternaliter puniri debet. Unde ſi a dæmonibus poſſet deleri macula, poſſent liberari a culpa, & pęna. Similiter a parte pęnæ eſt acerbitas, & hæc eſt finita; item duratio, & hæc eſt infinita.

Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hic dicit, quod non debet eſſe judicium inordinatum. Inordinatum enim eſt quando ab aliquo incipit, non plene examinata cauſa, aut gravitate delicti. In judicando enim duo ſunt neceſſaria: cognitio cauſæ, & judicium. De primo Iob XXIX. 16. „ Cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam &c. “ *Quid autem vides feſtucam*, leve peccatum, *in oculo*, ideſt in conſcientia fratris; *trabem autem*, ideſt grave peccatum, *in oculo tuo non vides*? Per trabem, & feſtucam docet conſiderare quantitatem peccatorum. Sæpe enim qui gravia peccata committunt reprehendunt eos qui levia; ſicut contingit in judicandis religioſis, cum aliqui qui gravia faciunt, quæ vident levia in religioſis judicant gravia; ſed abſorbentur illa ſicut una gutta aquæ in multitudine vini. Item contingit quod aliquis ex infirmitate pecoct leviter, (*d*) & aliquis judex malus, qui vellet punire illum ex odio, conſiderat feſtucam in oculo illius, non autem trabem in oculo ſuo. *Quomodo ergo*; ideſt, qua fronte dicere potes: *Frater ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo*? Verecundari (*e*) debes. Chryſoſtomus: „ Quo animo diligit „ homo magis alium quam ſe? “ Si enim corrigis eum animo correctionis, prius corriges te; ſed hoc facis odio, vel inani gloria; ideo &c.

Sed quæritur utrum qui in peccato mortali eſt poſſit alium corrigere. Dico, quod aut aliquando fuit in peccato, aut non. Si numquam fuit in peccato, debet timere ne cadat; ideo invite debet corrigere: ſi aliquando in peccato fuit, cum manſuetudine corripere debet. Et ideo forte Dominus permiſit Petrum cadere, qui debebat eſſe paſtor Eccleſiæ, ut mitius ſe haberet cum peccatoribus. Et de Chriſto dicit Paulus Hebr. IV. „ Non habemus Pontificem qui „ non poſſit compati infirmitatibus noſtris, „ tentatum per omnia pro ſimilitudine abſ„ que peccato. “ Si autem ſubiacet peccato, aut eſt publicum, aut occultum. Si occultum, aut ex infirmitate, quia diſplicet ei quod peccat; & ſic corripere poteſt, quia

quod

(a) *Al.* judicando. (b) *Al.* unde. (c) *Al.* ſicut ſi aliquis habeat de alieno pluſquam debeat habere, ideo reſecat. (d) *Al.* & male affectus vellet. (e) *Al.* debet.

quod corripit in alio, corripit in ſeipſo. Si ex malitia, numquam debet corripere. Si autem publicum, non debet arguere cum ſeveritate; ſed manſuete ſeipſum coniungere illi. Unde contra peccatores non eſt obiurgandum cum aſperitate.

Sequitur: *Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo*. Incipit Dominus arguendo, ſicut inferius contra ſervum nequam &c. Auguſtinus: „ Oſtendit quod intendit reprehendere eum „ qui aſſumit auctoritatem quæ non eſt ſua. “ Pſal. xlix. 6. „ Peccatori autem dixit Deus: „ Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis „ teſtamentum meum per os tuum? Tu vero „ odiſti diſciplinam &c. “ *Eiice primum*, ieiunando, orando, *trabem de oculo tuo*; & tunc poteris videre feſtucam in oculo fratris tui. Sequitur: *Nolite ſanctum dare canibus*: in quo oſtendit quod iudicium debet eſſe diſcretum.

Notandum ergo quid per ſanctum, & quid per margaritas. Auguſtinus: „ Sancta ſunt „ inviolata, & immaculata conſervanda; „ margaritæque pretioſæ non debent contemni. “ Per canes, qui lacerant dentibus, hæretici ſignificantur. Per porcos, qui conculcant pedibus, immundi. Sancta ergo dare canibus eſt ſancta hæreticis miniſtrare. Item ſi aliquid ſpirituale dicatur, & iſtud contemnitur, porcis datur. Vel per ſancta, eccleſiaſtica ſacramenta, per margaritas, (*a*) myſteria veritatis. Canis eſt animal totaliter immundum. Porcus partim immundus, partim non. Per canes infideles, per porcos mali fideles. *Nolite* ergo *ſanctum dare canibus*; ideſt ſacramenta dare infidelibus. Margaritæ, ideſt ſenſus ſpirituales, non debent porcis dari: I. Corinth. II. 14. „ Animalis homo non percipit ea quæ Dei „ ſunt: “ ideſt, ne forte contemnant. Proverb. XXVII. 7. „ Anima ſatiata conculcat „ favum. “ Unde *converſi*, ad peccata, *dirumpunt*, quia contemnunt, vel calumniam inferunt.

Sed quare? Nonne Chriſtus multa bona dixit infidelibus, & illi dirumpebant verba ſua? Dico, quod hoc fecit propter bonos qui cum malis erant, qui inde proficiebant.

Petite, & dabitur vobis. Dedit ſuam doctrinam, quæ eſt completa & perfecta; hic docet qualiter poſſit impleri. Ad hoc autem eſt neceſſaria oratio, & diligens attentio. Primo ergo docet petere; ſecundo dat ſecuritatem ad impetrandum, ibi, *Aut quis ex vobis &c*. Dicit ergo, *Petite*. Et in hoc vide duas falſas opiniones amoveri. Primam ſcilicet ſuperborum, qui putant ſuis viribus præcepta complere. Sed dicit, quod neceſſe eſt petere a Deo. „ Quid enim habes „ quod non accepiſti? “ I. Corin. IV. 7. Item amovet opinionem multorum qui dicunt, quod Deus non curat de orationibus, & quod non impetrarent ſi peterent. Ideo addit: *Et accipietis*. Item addit: *Quærite, & invenietis*. Et hoc exponitur primo ut in iſtis duobus nihil addatur, (*b*) ſed tantum exprimatur modus. Requiritur enim ad petendum ſolicita attentio; item fervens devotio. (*c*) Et hæc duo innuit, cum dicit, *Quærite*, ideſt orate. Vel *petite*; ſicut qui aliquid quærunt, totam intentionem ibi ponunt. Unde ad illud pertinet quod ſponſa dicit in Cant. III. 1. „ Quæſivi quem di- „ lexit anima mea. “ *Et invenietis*. Pſal. XXVI. 4. „ Unam petii a Domino, hanc re- „ quiram. “ Item *quærite*, ad modum pulſantis: quia qui clamat ad hoſtium, ſi non exaudiatur, fortiter pulſat. Cant. VII. 11. „ Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, „ commoremur in villis. (*d*) Secundo exponitur iuxta Auguſtinum referendo ad ea quæ Chriſtus dicit de ſeipſo (Ioan. XIV. 6.) „ Ego „ ſum via, veritas, & vita. “ Si vis per hanc viam ire, pete ab eo ut vias tuas dirigat, (*e*) dicens cum Pſal. XXIV. 4. „ Vias tuas Domine „ demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce „ me. “ Si vis veritatem cognoſcere, quære, & invenies. Sed non ſufficit viam noſſe, & veritatem quærere, (*f*) niſi veniamus ad vitam; ideſt, ut in illam ingrediaris, pulſa. Unde Exo. XV. 17. „ Introduces eos, & „ plantabis in monte hereditatis tuæ. “ (*g*) Sed iuxta eumdem, longe melius ad inſtantiſſimam petitionem omnia iſta referuntur. Item aliter exponitur (*h*) referendo ad diverſos actus. *Petite* orando, *quærite* ſtudendo, *pulſate* operando. *Omnis enim qui petit accipit &c.*

Dicet aliquis: Tu dicis, quod petamus. Credo quod dicitur iſtud ſanctis hominibus; ſed non ſum de numero iſtorum. Ideo dicit: *Omnis qui petit accipit &c.* Sed videtur falſum eſſe, quia ſcribitur Ioan. IX. 31. „ Scimus quia peccatores Deus non au- „ dit. “

Et Auguſtinus ſolvit id. Si peccatores Deus non audit, quomodo dictum eſt de Publicano, quod dicebat (Luc. XVIII. 13.) „ Propitius eſto, Domine mihi, peccatori? “

Unde

(a) *Al.* dignitas veritatis. (b) *Al.* ſed tantum modus. (c) *Al.* Hic duo innuit. (d) *Al.* Secundum vero Auguſtinum retorquetur ad ea quæ Chriſtus dicit de ſeipſo. (e) *Al.* unde in Pſal. XXIV. (f) *Al.* niſi veniamus ad vitam: unde &c. (g) *Al.* *omittitur ſententia* Sed iuxta *uſque ad* referuntur. (h) *Al.* retorquendo.

Unde addit: „ Peccatores non audit, ſcilicet volentes remanere in peccatis. “ Sed ſciendum, quod oratio eſt meritoria, & impetratoria; & poteſt eſſe meritoria etiam ſi non ſit impetratoria.

Sed quid eſt quod dicit quod *omnis qui petit accipit*? Videtur eſſe falſum, quia non ſemper accipitur quod petitur.

Dico, quod in quatuor caſibus petit homo, & non exauditur. Quia vel petit quod non expedit. Infra xx. 22. *Neſcitis quid petatis*. Ideo petenda ſunt neceſſaria ad ſalutem. Item ſecundo quia non bene petit. Iaco. iv. 3. „ Petitis, & non accipitis, eo quod „ non bene petatis. “ Ideo petendum eſt pie, ideſt cum fide. Item humiliter: unde Luc. i. 48. „ Reſpexit humilitatem ancillæ „ ſuæ. “ Item pie, ideſt devote. Item non aliquando auditur, (*a*) cum pro alio oratur cuius merita contradicunt. Hiere. xv. 1. „ Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram „ me, non eſt anima mea ad populum iſtum „ &c. “ Item non exauditur, quia non perſeverat. Luc. xviii. 1. „ Quia oportet ſem„ per orare, “ & perſeveranter: quia Dominus vult quod creſcant vota. Item contingit quod Dominus exaudit; ſed non videtur: quia dat Dominus ad utilitatem, non ad voluntatem, ut accidit Paulo. Auguſtinus: „ Bonus Dominus qui ſæpe non tri„ buit quod petimus, ut tribuat quod mal„ lemus; & quia nos vocamus eum patrem, „ tribuit nobis quod pater filio. “ Ideo ſubdit: *Quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?* Per panem intelligitur Chriſtus. Ioan. vi. 51. „ Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcen„ di &c. “ Item panis eſt ſacra doctrina. Eccli. xv. 3. „ Cibabo illum pane vitæ, & „ intellectus. “ Item caritas. Eſa. xxx. 23. „ Erit panis terræ uberrimus, & pinguis. “ E contrario lapis eſt diabolus. Iob xli. 15. „ Indurabitur cor eius quaſi lapis. “ Item dicitur obduratio: unde dicitur Ezech. xxxvi. 26. „ Auferam a vobis cor lapideum, & „ dabo cor carneum. “ Item dicitur falſa doctrina. Iob xxviii. 3. „ Lapidem cali„ ginis; & umbram mortis dividit tor„ rens &c. “ Unde ſi quis petit a Deo, ut a patre, panem, ideſt Chriſtum, non dabit diabolum. Similiter *ſi piſcem*. Piſcis vivit in aquis, (*b*) & eſt intelligentia in dogmatibus. Ioan. iv. 14. „ Qui biberit ex hac a„ qua, non ſitiet amplius. “ Et ibid. 14. „ Erit fons aquæ vivæ ſalientis in vitam „ æternam. “ Item per aquas tribulationes. Unde per piſces, viventes in aquis tribulationis. Vel piſcis dicitur fides, quæ latet ſub aqua, ideſt cuſtodia ſpiritus. Sed per ſerpentem falſa doctrina hæreticorum. Dicit ergo: *Et ſi petierit piſcem, non dabit ei ſerpentem*. Alius Evangeliſta ponit tertium, ſcilicet ovum. Ita quod per panem caritas, per piſcem fides, per ovum ſpes. Infert: *Ergo ſi vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris; quanto magis pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe?*

Sed dicet aliquis: Hoc dixit Apoſtolis, qui non erant mali. Et ſolvit Chryſoſtomus. Quia immo ad comparationem bonitatis divinæ. Eſa. lxiv. 6. „ Omnes (*c*) iuſtitiæ „ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ. “ Hieronymus dicit: „ Etſi non omnes mali ſe„ cundum actum, tamen omnes mali ſecun„ dum pronitatem ad malum. “ Unde habetur Gene. vi. 5. „ Quia cuncta cogitatio „ humani cordis intenta eſt ad malum o„ mni tempore. “ Et Hiere. xvi. 12. „ Ecce „ enim unuſquiſque ambulat poſt pravitatem „ cordis ſui. “ Auguſtinus: „ *Si ergo vos* „ *cum ſitis mali*: non dicitur, Vos eſtis ma„ li; ſed *Cum ſitis mali*; daretis filiis tem„ poralibus temporalia bona, quæ reputa„ tis bona, multo magis ergo pater veſter „ qui eſt ſumme bonus. “ Et hoc eſt quod ſequitur: *Quanto magis pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe*, ſi vultis accipere? *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; ideſt, aliis dimittite, ſi vultis ut dimittatur vobis. Aliqui appoſuerunt *omnia bona*; ſed non oportet, quia dicit, *Vultis*: voluntas autem bonorum, & cupiditas malorum; ideo non eſt neceſſarium addere *bona*. Unde quod tibi vis fieri, aliis facias. *Hæc eſt enim lex, & prophetæ*: & non dicit: Tota lex, & prophetæ, ſicut in primis præceptis. (Infra xxii. 40) „ Ab illis enim duobus tota „ lex pendet, & prophetæ. “ *Intrate per anguſtam portam*. (*d*) Ne forte crederet aliquis, eo quod dixerat, *Petite, & accipietis*: quod homo totum haberet a Deo ſine operibus bonis; ideo docet quod hoc etiam fit per opera bona. Primo ergo ponit admonitionem; ſecundo rationem. Dicit ergo, *Intrate*; ideſt, conemini ad intrandum. Auguſtinus exponit dupliciter. Chriſtus porta eſt. Ioan. x.

9. „ Ego

(a) *Al.* quia. (b) *Al.* & eſt abundantia dogmatum. (c) *Al.* munditiæ. (d) *Al.* Quia forte crederet aliquis quod dixerat, *Petite &c.* Ne crederet quod totum haberet a Deo ſine operibus bonis. Ideo docet &c.

Digitized by Google

9. „ Ego ſum oſtium: “ quia ſine ipſo non venitur ad regnum. Hæc porta eſt anguſta per humilitatem; quia humiliavit ſe uſque ad mortem. Unde (Eſa. x. 23.) „ Verbum ab„ breviatum faciet Dominus ſuper terram. “ Unde *intrate per anguſtam portam*, ideſt per Chriſti humilitatem. Luc. ult. 26. „ Oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare „ in gloriam ſuam; “ & ſic nos oportet. Unde per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Item hæc porta dicitur caritas. Pſal. cxvii. 20. „ Hæc porta „ Domini, iuſti intrabunt in eam. “ Hæc eſt arctata lege divina: & per hanc debemus intrare ſervando legem & præcepta. Deinde aſſignat rationem: *Quia lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem*. Et deſcribit duas portas: unam latam, aliam ſtrictam. Lata deſcribitur, quia lata diabolus, lata præſumptio ſuperbiæ. Infra xvi. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Hæc porta lata eſt, quia latum eſt quod omnes recipit: non enim eſt (*a*) quod eam repleat. Item hæc porta dicitur iniquitas, ſive vitium. Et hæc eſt lata, quia multipliciter contingit. Dicitur enim virtus uno modo, vitium autem multifarie. Oſeæ iv. 2. „ Maledictum, & mendacium, & homi„ cidium, & furtum, & adulterium inun„ daverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit „ &c. “ Item eſt via lata; & hoc eſt opus peccati. Hier. ii. 18. „ Quid tibi vis in „ via AEgypti? “ Item hæc via eſt ſpatioſa, quia in ſui principio videtur eſſe lata, ſed poſt anguſtatur, quia exitus eius eſt ad perditionem: quia „ ſtipendia peccati mors „ eſt. “ (Rom. vi. 23.) *Et multi ſunt qui intrant per eam*. Hic tangit numerum, quia ad litteram „ ſtultorum infinitus eſt nu„ merus. “ (Eccle. i. 15.) *Anguſta eſt porta, & arcta via quæ ducit ad vitam*. Hæc eſt contraria præcedenti, & hæc eſt arcta, quia arctata ſecundum regulam legis, & eſt via contra viam. Proverb. iv. 27. „ Vias enim „ quæ a dextris ſunt, novit Dominus; per„ verſæ vero ſunt quæ ſunt a ſiniſtris &c. “

Sed poteſt quæri quare via caritatis eſt arcta; quia videtur quod ſit lata. Proverb. iv. 11. „ Ducam te per ſemitas æquitatis, „ quas cum ingreſſus fueris non arctabuntur „ greſſus tui. “ Via autem peccatorum eſt via ſtricta: unde Sapien. vii. 5. „ Ambu„ lavimus vias difficiles. “

Dicendum, quod eſt via carnis, & rationis. Via caritatis in via carnis eſt ſtricta via, in via rationis e contra. Et eſt exemplum de Pædagogo: quia quanto plus diligit puerum, magis arctat greſſus ſuos. Unde viæ caritatis in via carnis arctantur, in via rationis e contrario. Pſal. xviii. 120. „ Confige timore tuo carnes meas. “

Et pauci ſunt qui inveniunt eam. Hic facit mentionem de difficili & rara inventione in via ſpiritus; & in via carnis non. Et eſt ratio, quia via carnis eſt delectatio, & hæc eſt in promptu; via vero ſpiritus eſt occulta: unde Pſalm. xxx. 20. „ Quam magna „ multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam „ abſcondiſti timentibus te! “ Quia enim eſt in occulto, ideo & pauci inveniunt eam. Sed & aliqui inveniunt, & retrocedunt, de quibus dicitur Luc. ix. 62. „ Nemo mittens „ manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens „ retro, aptus eſt regno Dei. “

(b) Docet cautelas, a quibus cavendum ſit. Deſcribuntur autem a profeſſione: quia prophetæ.

Sed poteſt quæri, de quibus prophetis, quia lex, & prophetæ uſque ad Ioannem: unde in tempore illo non erant prophetæ de Chriſto, quia in ipſo finiuntur. Ideo dicendum, quod prophetæ ſunt doctores in Eccleſia & prælati.

Sed quid eſt quod dicit, *Falſi*? Falſi dicuntur qui non mittuntur. De talibus dicitur Hier. xxiii. 21. „ Non mittebam eos, „ & ipſi currebant. “ Item falſi dicuntur qui mendacium dicunt: unde Hiere. ii. 8. „ Pro„ phetæ eius prophetaverunt in Baal. “ Sic etiam multi fuerunt pſeudoprophetæ in populo: ſicut & in nobis erunt magiſtri mendaces.

Attendite, ideſt diligenter cavete: quia occulti ſunt, & a laqueis occultis cavendum eſt. Unde malignitas eorum intrinſecus latet. Dicit ergo: *Qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium &c.* Oves ſunt fideles. „ Nos „ autem populus eius, & oves paſcuæ eius: “ Pſalm. xcix. 3. Veſtimenta autem eorum ſunt ieiunium, eleemoſynæ, quibus ſe tegunt. II. ad Tim. iii. 5. „ Habentes ſpe„ ciem pietatis, virtutem autem eius ab„ negantes. “ Sed ſciendum, quod ſi lupi ſe tegant pellibus ovium, non tamen propter hoc ovis perdit pellem ſuam; ſic licet illi mali bonis operibus tegantur, tamen multum boni proficiunt. *Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. Hoc principaliter exponitur de hæreticis, ex conſequenti de malis prælatis. Unde habetur ſuper illud Ioan. x. 11. „ Ego ſum paſtor bonus: Dicitur quod qui„ dam eſt paſtor, qui gubernat & regit; „ qui-

(a) *Al.* quod repleat.

Digitized by Google

„ quidam lupus, qui perniciem intendit ;
„ quidam mercenarius, qui commodum pro-
„ prium quærit: unde paſtor eſt amandus ,
„ lupus ſugiendus, mercenarius tolerandus."
Quod ergo dicitur , quod *intrinſecus autem*
ſunt lupi rapaces, intelligitur de his qui ha-
bent intentionem pervertendi plebem ; &
lupi ſunt dicendi. Item mercenarii , ſcilicet
mali Chriſtiani, qui diſpergunt malo exem-
plo, qui vitam habent malam, quantum ad
effectum , habent modum lupi . Act. xx. 29.
„ Quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam
„ lupi rapaces in vos, non parcentes gregi ."
Et dicit, *Intrinſecus*, quia malam habent in-
tentionem occidendi plebem. *A fructibus eo-*
rum cognoſcetis eos &c. *A fructibus*, ideſt o-
perationibus.

Sed videtur contra: quia habent veſtes o-
vium, & veſtes ſunt opera: ergo ab eis co-
gnoſcentur. Chryſoſtomus: „ Fructus eſt con-
„ feſſio fidei . " Unde ſi confitetur fidem ,
non eſt hæreticus. Ad Eph. v. 9. „ Fructus
„ enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſti-
„ tia, & veritate &c. " Si autem exponatur
tur de ſimulatoribus , tunc ſic exponitur ,
quod per veſtes exteriora opera . Unde ad
Gal. v. 22. „ Fructus autem ſpiritus eſt ca-
„ ritas , gaudium, & pax &c. "

Sed quæres: Qualiter poſſunt cognoſci?
Dicendum, quod poteſt vix aliquis hypocri-
ta eſſe ita compoſitus quin appareat aliquid
malitiæ vel verbo, vel facto . Prov. xxvii.
19. „ Quomodo in aquis reſplendent vultus
„ proſpicientium, ſic corda hominum mani-
„ feſta ſunt prudentibus. " Et Seneca : „ Ne-
„ mo poteſt diu fictam ferre perſonam . "
In duobus autem maxime manifeſtantur . In
his quæ ſubito agenda occurrunt , quia in
his quæ cum deliberatione quis facit, cavet
ſibi . Item in tribulationibus . Eccli. vi. 8.
„ Eſt amicus ſecundum tempus ſuum , &
„ non permanebit in die tribulationis . "
Item manifeſtantur quando non poſſunt con-
ſequi quod volunt , vel cum iam conſecuti
ſunt : unde principatus virum (*a*) oſten-
dit .

Numquid colligunt de ſpinis uvas? Per uvas,
ex quibus fit vinum, intelligitur ſpiritualis
lætitia : quia „ vinum lætificat cor homi-
„ nis : " Pſal. ciii. 15. Per ficus dulcedo
eccleſiaſticæ pacis , quæ eſt caritas . Hæc
non poſſunt naſci de tribulis, ideſt peccato-
ribus , quia „ ſpinas, & tribulos germinabit ti-
„ bi:" Ge.iii.18. Et hoc prnbat per exemplum.
Omnis arbor bona bonos fructus facit , *mala*
autem arbor malos fructus fatit. Ex hoc Ma-
nichæi aſſumpſerunt duas naturas , ſcilicet
bonam, & malam. Sed hoc non eſt verum:
quia videmus de mala creatione bonum fru-
ctum , & e converſo . Unde ad hoc debes
intelligere quod arbor eſt principium fru-
ctus. Sed principium eſt duplex. Principium
naturæ, & principium moris . Principium
naturæ eſt anima; & quicquid inde proce-
dit naturaliter, totum bonum eſt . Princi-
pium autem moris eſt voluntas ; ideo ſi vo-
luntas fuerit bona , & opus bonum , cum
habeat voluntatem bonam cum intentione
bona : quia ſi vellet furari pro eleemoſyna
danda, etſi voluntas bona eſt , non tamen
intentio eſt recta . Sed quid fiet de arbore
mala? *Omnis arbor quæ fructum non facit*, *ex-*
cidetur: quia ſi non facit, vel ſi omittit fa-
cere cum poſſit, excidetur. Unde Ioan. xv.
6. „ Si quis in me non manſerit, mittetur
„ foras ſicut palmes , & areſcet, & colli-
„ gent eum, & in ignem mittent , & ar-
„ det. " Unde Luc. xiii. 7. dicitur de fi-
culnea , quam ſcilicet præcepit Dominus
(*b*) ſuccidi, & tolli: „ Tollatur impius ne
„ videat gloriam Dei. " Concludit: *Ergo a*
fructibus eorum cognoſcetis eos. *Non omnes*
qui dicunt mihi, *Domine* , *Domine &c.* Poſita
doctrina , oſtendit quod oporteat eam ob-
ſervare, quia nihil aliud ſufficit ad ſalutem.
Et circa mandata, ſive doctrinam Dei qua-
tuor ſunt neceſſaria, ſive laudabilia: ut ore
confiteamur, confirmetur miraculis, & au-
diatur verbum Dei , & exequatur opere .
De primo, ad Rom. x. 10. „ Corde credi-
„ tur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit
„ ad ſalutem . " De ſecundo , Marci ult.
20. „ Domino cooperante , & ſermonem
„ confirmante ſequentibus ſignis. " Item ut
audiatur. Ioan. viii. 47. „ Qui ex Deo eſt
„ verba Dei audit. " Item quarto requiri-
„ tur quod faciat. Iac. i. 22. „ Eſtote fa-
„ ctores verbi , & non auditores tantum."
Unde vult oſtendere quod tria ſine quarto
non proficiunt : unde dicit : *Non omnis qui*
dicit mihi, *Domine*, *Domine*, *&c.*

Sed videtur hoc eſſe contrarium Apoſto-
lo dicenti: „ Nemo poteſt dicere, Dominus
„ Ieſus, niſi in Spiritu ſancto: " ſed qui ha-
bet Spiritum ſanctum intrat in regnum cæ-
lorum .

Solvit Auguſtinus, quod dicere dicitur mul-
tipliciter. Communiter, & ſtricte & proprie.
Et ſtricte non eſt aliud niſi manifeſtare affe-
ctum, & voluntatem ; & ſic dicitur ab Apo-
ſtolo (loc. cit.) „ Nemo poteſt dicere, Do-
„ minus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto . " Et

(a) *Al.* cognoſcit . (b) *Al.* ſcindl.

hoc nihil aliud eſt quam credere Dominum, & obedire. Item communiter, ideſt ore qualitercumque nuntiare: de quo habetur Hierem. XXVI. 13. „ Populus hic labiis me honorat; „ cor autem eorum longe eſt a me. “ Vel ſic. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine &c.* Ingeminat (*a*) verbum hoc, *Domine, Domine*, ad ſignificandum quod duplex eſt confeſſio; ſcilicet vocis, & laudis: quarum neutra ſufficit. Ideo Eſai. XXVI. 13. „ Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe „ eſt a me. “ Quis ergo intrabit? Non qui dicit, *Domine, Domine*; *ſed qui fecerit voluntatem patris mei &c.* Ioan. III. 13. „ Nemo „ aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de „ cælo &c. “ Unde nemo poteſt aſcendere, niſi deſcendat ut Chriſtus: de quo dicitur Ioann. VI. 38. „ Deſcendi de cælo non „ ut faciam voluntatem meam, ſed volun„ tatem eius qui miſit me. “ Unde oportet facere voluntatem Dei. Theſſa. IV. 3. „ Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio „ veſtra. “ Unde dicebat David Pſal. CXLII. 10. „ Doce me facere voluntatem tuam. “ Et etiam ſicut Dominus docuit orare: *Fiat voluntas tua*. Sed notandum, quod per hoc quod dicit, *Regnum*, tangitur remuneratio æterna: unde dicit, *Intrabit*. Illud enim regnum in bonis ſpiritualibus eſt, non in bonis exterioribus; ideo dicit, *Intrabit*. Ideo Cant. I. 4. „ Introduxit me Rex in cella„ ria ſua. “ Item dicit, *Cælorum*: quia licet aliquis hic divitias habeat, vel honores, hoc totum eſt propter illud. Unde in ſublimibus erit remuneratio. Sed poſſet aliquis dicere, quod facere miracula ſufficit ad ſalutem. Iſtud excludit: quia *multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? &c.* Et dicit, *Multi*, ſignificans eos qui ab unitate recedunt, quia ſunt ſub multitudine: quia „ ſtultorum infinitus „ eſt numerus: “ Eccle. I. 15. Item introducit hoc ad notitiam eius quod dixerat, quod *omnis arbor quæ fructum non facit, abſcindetur*. Et non dixerat a quo; ideo dixit, *Mihi*, tamquam iudici conſtituto: quia „ o„ mne iudicium dedit Pater Filio: “ Ioan. v. :. Item dicit, *In illa die*. Dies terminum nominat, ſed non ſecundum temporis qualitatem: quia dies iudicii aliquando nox dicitur. Aliquando autem dies dicitur, aliquando nox: quia incertum eſt quando veniet: unde infra XXV. 6. *Media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obviam ei.* Diem dicit Apoſtolus I. ad Corin. IV. 3. Et in Pſal. XXXVI. 6. „ Et educet quaſi lumen iuſtitiam meam, & iudicium meum tam„ quam meridiem. “ *Domine, Domine*. Multiplicat ad ſignificandum maiorem confuſionem, & timorem. Sap. V. 2. „ Turbabuntur „ enim timore horribili. “ *Nonne in nomine tuo eiecimus dæmonia?* Hæc eſt poteſtas ſupernaturalis. Iob XLI. 24. „ Non enim eſt pot„ eſtas ſuper terram quæ huic (ſcilicet pot„ eſtati diaboli) valeat comparari. “

Sed tunc quæritur qualiter qui eiiciunt dæmonia fiunt reprobi. Reſpondet Chryſoſtomus, quod iſti mentiuntur. Alia reſponſio eſt, quod aliquando fuerunt boni, & fecerunt miracula, poſt facti ſunt mali. Sed hoc non poteſt ſtare, quia dicit Dominus: *Numquam novi vos*. Alio modo dicendum, quod dicunt, *In nomine tuo*, non in nomine Spiritus ſancti. Quidam enim in virtute Spiritus ſancti, quidam non. Ut enim habetur Hierem. II. 8. quidam prophetaverunt in nomine Baal. Item quidam per artes magicas.

Sed quæritur qualiter dæmones faciunt miracula. Dico, quod non poſſunt; ſed faciunt aliqua quæ videntur miracula, non tamen ſunt miracula. Illa dicuntur miracula quando effectus patent, cauſæ latent. Unde poteſt eſſe aliquod mirum apud quoſdam minus ſcientes quod non eſt apud ſapientes, ut patet de eclipſi. Unde cum dæmones veriori modo cognoſcant naturalia, poſſunt facere quæ nobis videntur miracula. Aliter ſecundum Hieronymum. Quia ſecundum quod dicit, inter dona Spiritus ſancti quædam ſunt quæ gratis data ſunt: ſola caritas eſt, quæ diſtinguit inter filios Dei & filios diaboli. I. Corint. XII. 7. „ Unicuique datur mani„ feſtatio ad utilitatem, “ vel ad profectum bonitatis eius, vel Eccleſiæ, ut fides quam prædicat manifeſtetur. Et ſic etiam aliquando prælatus male vivens poteſt miracula facere.

Et tunc confitebor illis, quia non novi vos; ideſt, non approbavi, nec etiam cum faciebatis miracula. II. ad Timot. II. 19. „ Novit Dominus qui ſunt eius. “ Dicit, *Non novi vos*, cum dicit, *Diſcedite a me*, quia numquam approbati eſtis. *Omnis ergo qui audit &c.* Oſtendit quod ſine operibus nihil ſufficit, nec etiam auditus verbi Dei: quia auditus ordinatur ad fidem. Rom. X. 17. „ Fi„ des autem ex auditu. “ Auditus enim non ſufficit. Et hoc dupliciter manifeſtat: quia proponit eventum eius qui audit, & facit, & eius qui audit, & non facit, ſub ſimilitudine. Et primo facit tria. Primo ponit ædificationem; ſecundo impugnationem, ibi, *Et deſcen-*

(a) *Al.* verbum hic.

Digitized by Google

deſcendit pluvia &c. tertio immutabilitatem, ibi, *Et non cecidit &c.* Dicit ergo quod non ſufficit auditus: auditus enim eſt neceſſarius: Ioan. VIII. 47. „ Quia qui ex Deo eſt, verba Dei audit: " ſed non ſufficit. Rom. II. 13. „ Non enim auditores verbi, ſed factores (a) iuſtificabuntur. " Item bene dicit, *Verba mea hæc*: quia quicquid ad ſalutem pertinet, ibi continetur. Unde *qui audit verba hæc, & facit, aſſimilabitur viro ſapienti*. Et non dicit quod ſit ſapiens; ſed *Aſſimilabitur*. Et poteſt hæc ſimilitudo intelligi de corporali ædificatore, & ſic plana eſt littera: vel poteſt intelligi ſpiritualiter; & ſic iſte vir eſt Chriſtus. Eccle. VII. 29. „ Virum unum de mille reperi. " Domus Chriſti eſt Eccleſia: ſcit enim qualiter oportet ædificare: " unde de ipſo, Proverb. IX. I. „ Sapientia ædificavit ſibi domum. " Et Proverb. XIV. I. „Mulier ſapiens ædificat domum ſuam. " *Supra petram*. I. Corint. X. I. „ Petra autem erat Chriſtus. " Unde Chriſtus ſuper ſe ædificat: ipſe enim fundamentum: unde I. ad Corint. III. II. „ Fundamentum aliud nemo ponere poteſt præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. " Hoc enim eſt fundamentum veritatis æternæ. Hoc autem eſt omnino immobile. Pſal. CXXIV. I. „ Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion. " Sequitur impugnatio huius domus: *Et deſcendit pluvia*. Pluvia doctrina intelligitur: & eſt bona, & mala pluvia. Ergo quæ irruit eſt mala doctrina. Geneſ. XIX. 24. „ Dominus pluit ſuper Sodomam ſulphur, & ignem. " Item flumina ſunt bona, & non bona. Eſa. XVIII. 2. „ Diripuerunt flumina terram eius. " Et per hoc ſignificantur ſapientes qui reputant ſe ſapientes eſſe. Iſta flumina ex pluviis generantur. Per ventos dæmones. Unde in Canonica Iudæ 12. „ Nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur &c. " *Et irruerunt in domum*, ideſt in Eccleſiam, *& non cecidit*. „ Non enim dirumpentur funiculi eius in æternum: " Eſa. XXXIII. 20. Et quare? *Fundata erat ſuper petram*, ideſt Chriſtum. Conſequenter ponit ſimilitudinem, ponens eventum illius qui audit, & non facit: & circa hoc primo ponit ædificationem; ſecundo impugnationem, ibi, *Et deſcendit pluvia &c.* tertio ruinam, ibi, *Et cecidit &c.* Dicit: *Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto*, qui cecidit a lumine ſapientiæ. Unde Eccle. IV. 16. „ Melior eſt ſervus ſapiens, quam ſenex infatuatus. " Item ſtultus eſt diabolus. Domus quam ædificat, eſt congregatio infidelium: unde Pſal. LXXIII. 30. „ Repletæ ſunt terræ domibus iniquitatum. " Et iſte *ſuper arenam*. Per arenam infideles, qui infructuoſi ſunt. Item propter numeroſitatem: „ ſtultorum enim infinitus eſt numerus: " Eccle. I. 15. Item arena non adhæret; ſic iſti ſemper in iurgio ſunt. Fundat ergo ſuper arenam; ideſt, finem, qui eſt quaſi fundamentum, ſcilicet intentionem ſuam firmat ſuper bonum temporale. *Deſcendit pluvia*, ideſt bona doctrina, *venerunt flumina*, ideſt ſacri doctores, *flaverunt venti*, ideſt Angeli: Pſal. CIII. 4. „ Qui facit Angelos ſuos ſpiritus: " *& irruerunt in domum illam; & cecidit*. Apoc. XIV. 8. „ Cecidit, cecidit Babylon, " ſcilicet per prædicationem. *Et fuit magna eius ruina*. Si velimus adaptare ſimilitudinem, dicendum eſt ſic, quod homo debet ædificare ſicut Chriſtus. Et hoc docet Apoſtolus I. Corin. III. 10. „ Unuſquiſque videat quomodo ſuperædificet. " Aliquis enim ædificat habitaculum Dei; quidam e contrario, ut infra; &, ut habetur I. Corin. III. quidam ſuper ſtipulam ædificant. Fundamentum enim eſt illud ſuper quod ponit aliquis intentionem ſuam. Quidam enim audiunt ut ſciant, & hi ædificant ſuper intellectum; & hæc eſt ædificatio ſuper arenam: unde Iac. I. 23. „ Qui audit, & non facit, ſimilis eſt conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. " Unde ſuper mutabile ædificant. Quidam autem audit ut faciat, & diligat; & hic ædificat ſuper petram, quia ſuper firmum & ſtabile. Prover. XXII. 6. „ Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab illa. " Iſtud enim fundamentum eſt ſuper caritatem. Apoſtolus Rom. VIII. 35. „ Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti? "

Sed hic poteſt quæri quare fundamentum quod eſt in intellectu, inſtabile, & non firmum eſt, ſed quod in affectu. Ratio eſt, quia intellectus eſt univerſalium: non enim poteſt ſcire multa, niſi in univerſali; ideo vagando circa univerſale non eſt ſtabilitas. Sed operationes, & affectus ſunt circa particularia, & circa conſuetudinem bonam: ideo ſi tentatio veniat, adhæret ei quod conſuevit, ſcilicet operationi bonæ; ideo reſiſtit.

Sed (b) tunc quæritur quid intelligat per pluviam. Ideo dicendum, quod diabolus numquam tentat primo in maioribus; ſed primo in minoribus, deinde procedit ad maiora. Unde per pluviam cogitatio prava. Tentat ergo in cogitatione prava; & ſi conſen-

(a) *Al.* glorificabuntur. (b) *Al.* tunc.

Digitized by Google

ſentit, tentat poſtea in maiori; & ſic poſtea augmentatur. Et ex iſtis fiunt flumina. Et poſt totis viribus irruit, & neceſſario cadit. Eccli. XIX. 1. „ Qui ſpernit modica, paulatim decidit. " Vel ſic. *Pluvia* tentatio carnis, *flumina* tentatio mundi, *venti* tentatio diaboli. Vel ſecundum Auguſtinum, *pluvia* ſuperſtitioſa doctrina, cui inhærens graviſſime cadit, & hæc facta eſt ruina magna; ſed non magna quando titubat, & non cadit: quia cum accidit tentatio, timet, & dolet. Quidam vero totaliter. Pſal. CXXXVI. 7. „ Exinanite, exinanite uſque ad ſundamentum in ea. " Vel dicitur ruina magna, quia impœnitens eſt cor. Iob XXI. 13. „ Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. " *Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus verba hæc, mirabantur turbæ*. Ponitur effectus. Erat enim triplex modus hominum qui ſequebantur Dominum Ieſum. Quidam enim mirabantur, & ſcandalizabantur, ut phariſæi, de quibus infra XV. Quidam mirabantur, ſed non ſcandalizabantur, ut turbæ. Quidam vero, ut perfecti, non mirabantur.

Sed quærendum de hoc quod dicit, *Turbæ*, quia non erant ibi turbæ. Et poteſt dici, quod factus eſt ſermo & turbæ, & diſcipulis; ſed in monte ſub cacumine montis erat quædam planities. Diſcipuli ergo erant in cacumine cum Chriſto; ſed turbæ in planitie. Vel poteſt dici, quod primo diſcipulis, & poſt turbis. Vel poteſt dici: Secutæ ſunt eum turbæ diſcipulorum.

Sed quæ erat ratio admirationis? Quia *erat docens tamquam poteſtatem habens*. Unde in eo impletur quod dicitur Eccle. VIII. 4. „ Sermo illius poteſtate plenus eſt. " Unde, *Quaſi poteſtatem habens*, quia ut dominus loquebatur, vel ſicut legiſlator. Vel *ſicut poteſtatem habens*, cum virtute penetrandi cor. Unde dicitur Pſal. LXVII. 34. „ Dabit voci ſuæ vocem virtutis. " Vel cum poteſtate faciendi miracula: quia quod dicebat, miraculis confirmabat.

Auguſtinus dicit, quod omnia quæ dicuntur in hoc ſermone debent reduci ad ſeptem dona, & ad beatitudines: quia quod primo dicitur, *Non occides*, hoc pertinet ad donum timoris, & ad beatitudinem paupertatis. Iſtud autem quod ſequitur, *Eſto conſentiens adverſario*, pertinet ad donum pietatis, per quod impletur manſuetudo. Illud autem, *Non mœchaberis &c.* Pertinet ad donum ſcientiæ, per quam impletur beatitudo luctus. Iſtud de ſuſtinendo, ad donum fortitudinis, quo impletur, & ad beatitudinem, *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam &c.* Illud autem quod dicitur, *Diligite inimicos veſtros*, ad donum conſilii, quo impletur beatitudo miſericordiæ. (a) Per illud vero quod ſequitur in VI. cap. de non habendo ſolicitudinem uſque ad *intrate per anguſtam portam*, intendit mundare cor: unde pertinet ad donum intelligentiæ, & ad beatitudinem quæ eſt munditia cordis: unde: *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt*. Quicquid autem ſequitur, ad donum ſapientiæ.

CAPUT VIII.

(a) Cum autem deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens, Volo. Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris; ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

(b) Cum autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio ait: Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic, Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & ſervo meo, Fac hoc, & facit. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico

(a) *Al. deeſt* per.

Digitized by Google

co vobis , non inveni tantam fidem in Iſrael . Dico autem vobis , quod multi ab oriente , & occidente venient , & recumbent cum Abraham , & Iſaac , & Iacob in regno cælorum ; filii autem tegni eiicientur in tenebras exteriores . Ibi etit fletus , & ſtridor dentium . Dixit Ieſus Centurioni : Vade , & ſicut credidiſti fiat tibi . Et ſanatus eſt puer ex illa hora .

(c) Et cum veniſſet Ieſus in domum Petri , vidit ſocrum eius iacentem , & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis. Veſpere autem facto, obtuletunt ei multos dæmonia habentes; & eiiciebat ſpiritus vetbo ; & omnes male habentes cutavit : ut adimpletetur quod dictum eſt per Eſaiam prophetam dicentem : Ipſe infirmitates noſtras accepit , & ægrotationes noſtras portavit . Videns autem Ieſus tutbas multas circum ſe , iuſſit diſcipulos ire trans fretum . Et accedens unus ſcriba , ait illi : Magiſter , ſequar te quocumque ietis. Et dicit Ieſus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput ſuum teclinet . Alius autem de diſcipulis eius ait illi : Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus autem ait illi : Sequete me , & dimitte mottuos ſepelire mottuos ſuos . Et aſcendente eo in naviculam , ſecuti ſunt eum diſcipuli eius ; & ecce motus magnus factus eſt in mari , ita ut navicula operitetur fluctibus . Ipſe vero dormiebat . Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius , & ſuſcitaverunt eum , dicentes: Domine, ſalva nos , perimus . Et dicit eis Ieſus : Quid timidi eſtis modicæ fidei ? Tunc ſutgens imperavit ventis , & mari; & facta eſt tranquillitas magna . Porro homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei ?

(d) Et cum veniſſet Ieſus trans fretum in regionem Geraſenorum , occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes , ſævi nimis , ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam . Et ecce clamavetunt , dicentes: Quid nobis , & tibi, Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum paſcens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum . Et ait illis, Ite . At illi exeuntes abierunt in porcos . Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in mare , & mortui ſunt in aquis. Paſtores autem fugerunt, & venientes in civitatem nuntiaverunt hæc omnia , & de his qui dæmonia habuetant . Et ecce tota civitas exiit obviam Ieſu; & viſo eo togabant eum ut tranſitet a finibus eorum.

(a) POſſet videri quod ex iactantia loqueretur Dominus; ideo auctoritatem ſuam ſignis commendat . Primo ergo ponuntur ſigna , quibus liberantur homines a corporalibus periculis ; ſecundo a ſpiritualibus, cap. IX. Circa primum duo facit . Primo ponit ſigna quibus homines liberantur a periculis provenientibus ex intrinſecis cauſis, ſecundo ex extrinſecis, ut tempeſtate, ibi , *Et aſcendente eo in naviculam* . Commendat auctoritatem: quia ſtatim, quia abſens , quia perfecte , quia multos . Quia ſtatim in leproſo, quia abſens in ſervo Centurionis, quia perfecte in ſocru Petri , quia multos in aliis multis.

Circa primum tria . Primo teſtes miraculi introducuntur ; ſecundo infirmus inducitur , ibi , *Et ecce leproſus* ; tertio auxilium præbetur , ibi , *Et extendens Ieſus manum , tetigit eum , dicens , Volo . Mundare*. Dicit ergo: *Cum autem deſcendiſſet Ieſus de monte &c.* Mons iſte eſt cælum. Pſal. LXVII. 17. „ Mons „ in quo beneplacitum eſt Deo habitare in „ eo . “ Unde poſtquam deſcendit de cælo, *ſecuta ſunt eum turba*. Phil. II. 7. „ Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens , „ & habitu inventus ut homo . “ Vel per montem altitudo doctrinæ . Pſalm. XXXV. 7. „ Iuſtitia tua ſicut montes Dei . “ Cum eſſet in monte, ideſt cum altam duxit vitam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ſui . *Et cum deſcendiſſet , ſecuta ſunt eum turba* . I. ad Corint. III. 1. „ Non potui vobis loqui quaſi „ ſpiritualibus . “ Secundo perſona infirmi introducitur : & ponuntur duo . Primo infirmitas oſtenditur ; ſecundo ſolicitudo adhibetur . Infirmitas, quia eſt leproſus; & hoc ſignificat ſpirituales infirmitates . Quædam enim infirmitates ſunt intra latentes, ut febres ; quædam vero , etſi ſunt ab intra , eius tamen effectus patet exterius , ut lepra . Ille ergo leproſus eſt cuius mala volun-

luntas manifeſtatur per malum actum. Eſa. lɪɪɪ. 4.. „ Et nos putavimus eum quaſi le„ proſum. “

Sed quæſtio eſt: quia in Luca habetur, quod cum veniret Capharnaum mundavit leproſum. Dicendum, quod Matthæus ſequitur hiſtoriam, quia cum iret in Capharnaum, in via apparuit ei leproſus.

Sequitur ſolicitudo: quia primo venit, ſecundo adoravit: unde dicit, *Ecce leproſus*. Sic peccator per fidem venit, ſed adorat per humilitatem. Pſalm. xxxɪɪɪ. 19. „ Hu„ miles ſpiritu ſalvabit Deus. “ Item confitetur Chriſti potentiam, cum dicit: *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Item,vocat Dominum. Si Dominus eſt, poteſt ſalvare. In Pſalm. xcɪx. 3. „Scitote quoniam Dominus „ ipſe eſt Deus. “ Item confidit de Dei miſericordia. Miſericordem non oportet petere, ſed ſolum indigentiam ei monſtrare: ſic iſte: *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Unde Pſalm. xxxvɪɪ. 10. „ Domine ante te „ omne deſiderium meum, & gemitus meus „ a te non eſt abſconditus. “ Item oſtendit ſapientiam Chriſti: quia non petit niſi voluntatem ſuam; quia melius ſcit quid opus ſit tibi quam ipſe. Ideo ſapientiæ Chriſti dimiſit. Deinde tangit auxilium. Primo ſanat, ſecundo inſtruit. Primo tangitur opus, ſecundo effectus, ibi, *Et confeſtim mundata eſt lepra eius*. Chriſtus tria facit curando. Extendit manum quando auxilium impendit. Pſal. cxlɪɪɪ. 1. „ Emitte manum tuam „ de alto, & eripe me. “ Aliquando extendit manum, ſed non tangit. Eſai. lxv. 2. „ Expandi manus meas tota die ad popu„ lum incredulum &c. “ Aliquando tangit; & hoc eſt quando immutat, ut in Pſalm. cxlɪɪɪ. 5. „ Tange montes (ideſt ſuperbos) & „ fumigabunt, “ per compunctionem.

Sed quare tetigit cum eſſet prohibitum in lege? Hoc fecit ut monſtraret ſe eſſe ſupra legem. Legitur de Eliſeo quod non tetigit Naaman; ſed miſit eum ad Iordanem. Unde iſte qui tetigit videtur ſolvere legem. Sed ſecundum veritatem non ſolvit: quia prohibitum fuit propter contagionem: quia igitur infici non potuit, tangere potuit. Item tetigit, ut humanitatem monſtraret: quia non ſufficit peccatori ſubdi Deo quantum ad divinitatem, ſed & quantum ad humanitatem.

Volo. Mundare. Hieronymus dicit, quod (*a*) quidam male exponunt. Volunt enim quod ly *mundare* ſit infiniti modi; ſed hoc non eſt verum; immo quia dixerat, *Si vis*, reſpondit, *Volo*: & ly *mundare* eſt imperativi modi. Unde imperavit qui dixit, & facta ſunt.

Item tetigit, ut daret doctrinam de virtute quæ eſt in ſacramentis: quia non ſolum requiritur tactus, ſed verba: quia cum accedit verbum ad elementum fit ſacramentum. Et per hoc (*b*) excluſit tres errores, quando tetigit. Oſtendit enim corpus verum contra Manichæos. (*c*) Quod dicit, *Volo*, dicit contra Apollinarem. Per hoc quod eſt *mundare*, oſtendit Deum verum contra Photinum.

Et ſequitur effectus: *Et confeſtim mundata eſt lepra eius*, & curatus eſt. Chryſoſtomus dicit, quod citius quam poſſet dici hoc verbum, *mundare*: quia iſtud in tempore dicitur, illud vero in inſtanti. *Et aït illi*. Hic inſtruit eum: parum enim eſſet ſanare niſi inſtrueret eum. Pſal. xxxɪ. 8. „ Intellectum „ tibi dabo, & inſtruam te. “ Primo iniungit ei taciturnitatem: *Nemini dixeris*. Chryſoſtomus: „ Quia ſciebat quod Iudæi „ calumniabantur de factis ſuis, (*d*) ideo „ dixit: *Nemini dixeris*. “ Vel aliter. Quia hoc dixit ad exemplum: quia enim ſupra docuerat abſcondere opera bona, ideo dat exemplum, quod nullus in bonis operibus gloriari debet. Sequitur: *Sed vade, oſtende te ſacerdotibus*. Et quare hoc dicit? Quia tetigerat leproſum, ne penitus videretur fractor legum. Ad ſacerdotes mittitur, ut habetur Levit. xɪv. *Et offer munus tuum &c.* Quare? Quia hoc erat præceptum legis, quod ſanatus a lepra offerret duos pullos turturum.

Sed ſecundum hoc videtur, quod cum Dominus præceperit, adhuc ſit tenendum. Dicendum, quod figuræ non debebant ceſſare donec penitus veritas manifeſtaretur. Hoc autem non fuit niſi poſt reſurrectionem.

In teſtimonium illis: & hoc exponitur dupliciter. (*e*) *Moyſes præcepit in teſtimonium illis*. Et per hoc docet quod præcepta Moyſi erant in teſtimonium Chriſti; ſicut habetur Ioan. v. 46. (*f*) „ Si crederetis Moyſi, crederetis „ forſitan & mihi. “ Vel aliter. *In teſtimonium illis*, ideſt contra illos qui viderunt miracula, & non crediderunt. Vel *in teſtimonium illis*, ſcilicet curationis tuæ. Quia cum receperint oblationem tuam, non poterunt negare.

Item ſecundum myſticum intellectum tria a Chriſto iniunguntur. Ut erubeſcat de peccato; contra illos de quibus dicitur Eſa.

ɪɪɪ.

(a) *Al.* quidem. (b) *Al.* excludit. (c) *Al.* Quia. (d) *Al. deeſt* ideo, (e) Al. *Quia Moyſes præcepit in teſtimonium illius*. (f) *Al.* Si credideritis.

ııı. 9. „ Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt. " Unde Eccli. ıv. 25. „ Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam, & „ gratiam. " Item debet oſtendere ſacerdoti confitendo. Iac. v. 16. „ Confitemini alterutrum peccata veſtra. " Et hic videtur Dominus iniungere confeſſionem. Et confeſtim ſanatus eſt: quia in ipſa contritione quando dolet, & proponit confiteri, & abſtinere, remittitur peccatum, iuxta illud Pſalm. xxxı. 5. „ Dixi: Confitebor adverſum „ me iniuſtitiam meam; & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. " Item iniungitur ſatisfactio, cum dicit: *Offer munus tuum*. Item docet obſervare mandata, cum dicit: *Sicut præcepit Moyſes*.

(b) *Cum autem introiſſet Capharnaum*. Hic oſtenditur virtus Chriſti ex abſentia. Et primo deſignatur pietas Centurinnis cum fide; ſecundo humilitas, ibi, *Et reſpondens Centurio &c.* Circa primum duo: quia deſignatur primo pietas Ceoturionis; ſecundo oſtenditur Chriſti benignitas. Et circa prirum tria. Primo locus ponitur; ſecundo oratio deſcribitur, ibi, *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus;* tertio exauditio ponitur, ibi, *Et ait illi Ieſus*. Locus primo: *Cum introiſſet Capharnaum*, qui interpretatur villa pinguedinis, ſcilicet villa gentium, quæ pinguedine devotionis defluxit. Pſal. lxıı. 6. „ Sicut adipe & pinguedine repleatur „ anima mea. " Deinde *acceſſit*.

Sed hic poteſt quæri: quia Lucas poſuit, quod miſit ſacerdotes. Auguſtinus dicit, quod noo perſonaliter venit; ſed quod dicitur quod venit, totum refertur ad intentionem: quia ille facit rem cuius auctoritate fit. Chryſoſtomus aliter, quia dicit quod iſte conſtitutus erat ſuper centum milites, & ideo erat præpoſitus. Unde Iudæi volentes adulari propter benevolentiam habendam dixerunt ei: Domine nos ibimus, & impetrabimus vobis. Tunc ut ſatisfaceret eis, permiſit eos abire; ſed poſt ipſo ſecutus eſt eos.

Iſtud miraculum (*a*) difert a primo in tribus. Quia primum Iudæo fuit factum, ſecundum Gentili; per quod datur intelligi, quod noo ſolum pro Iudæis, ſed pro Gentibus Chriſtus venit. Item io primo Iudæus per ſe acceſſit, iſte non. Et hoc quia miſeretur Dominus aliquorum per propriam devotiooem, quorumdam per aliorum ioterceſſionem. Item iſte Ceoturio poteſt intelligi aliquis Angelus præſidens ibi ad ſalutem gentium, vel primitiæ gentium. Item ille fuit leproſus, in quo immunditia quieſcit. Paralytici autem ſunt qui non poſſunt membra movere. Leproſi ſunt intemperati, (*b*) & paralytici ſunt incontinentes. Et ſunt paralytici qui ex infirmitate peccant; leproſi qui ex certa malitia. Per Centurionem poteſt intelligi mens. Ad Epheſ. ıv. 23. „ Renovamini „ ſpiritu mentis veſtræ. " Et iſte dicit: *Domine, puer meus*, ideſt ſervus meus. Et in hoc oſtenditur benignitas Centurionis, quia ita pro ſervo orat: unde facit illud quod dicitur in Eccli. xxxııı. 31. „ Si fuerit tibi „ ſervus fidelis, ſit tibi ſicut anima tua. " Et iſte ſervus dicitur inferior pars aoimæ. Dicit ergo quod *iacet, & male torquetur*, & loquitur ex affectu: quia quando aliquis diligit aliquem, reputat parvam ægritudinem valde magnam. Iacet ergo ioferior pars animæ, quando non poteſt ſe erigere: Galat. v. 17. „ Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: " & torquetur. Homines laſcivi gaudent: „ lætantur enim cum male fecerint, & exul- „ tant in rebus peſſimis. " (Prov. ıı. 14.) Sed iſti torquentur, quia cum peccent ex ioſirmitate, cum ceciderint dolent. Et ita torquentur ex dolore. *Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum*; ideſt, non loquar. Unde nota, quod nullus auderet tantum petere quantum Dominus dare dicit: *Veniam, & curabo eum*: quia præſentia Chriſti eſt cauſa ſalutis.

Sed notandum, quod ad filium Reguli noluit ire, & ad ſervum ivit; quod eſſet contra multos qui nolunt viſitare niſi magnos. Contra illud Eccli. ıv. 7. „ Congregationi pau- „ perum affabilem te facito. "

Sequitur: *Et reſpondens Centurio*. Poſita fuit cum fide benignitas Centurionis; nunc tangitur humilitas cum fide. Primo ergo ponitur humilitas, & fides; ſecundo beoignitas Chriſti, ibi, *Audiens autem Ieſus miratus eſt*. Circa primum tria facit. Primo confitetur ſuam indignitatem, ibi, *Sed tantum dic verbo*; ſecundo Chriſti poteſtatem; deinde inducit ſimilitudinem, ibi, *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus*. Obtulerat ſe Dominus benignum. Sed quia iſte gentilis erat, reputavit ſe iodignum, dicens: *Domine, non ſum dignus &c.* Sic etiam Petrus dixit, Luc. v. 8. „ Recede a me, quia ho- „ mo peccator ſum. " Et dicit Auguſtinus, quod confitendo ſe indignum reddidit ſe dignum. Et ſicut iſte dicit, ſic & nos debemus dicere: Non ſum dignus ut intres in corpus meum. Deinde tangitur fides Centurio-

(a) *Al.* aufert. (b) *Al.* quia.

turionis confitentis poteſtatem Chriſti : (*a*) *Dic tantum verbo , & ſanabitur puer meus* : quia, ut habetur Sap. xvi. 12. „ non herba, „ non malagma ſanavit eos, ſed ſermo tuus, „ Domine. “ Et in Pſalm. cvi.20. „ Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos. “ Deinde inducit ſimilitudinem , & probat a minori : & deſcribit ordinem primo ; ſecundo poteſtatem, & dicit : *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus &c.* Et tangitur ordo : quia quidam ſunt ſuperiores ita quod non habent ſuperiorem ſe; quidam ſunt ſuperiores ita quod habent ſuperiorem ſe; quidam vero inferiores qui non habent inferiores ſe; quidam ergo ſunt medii : & de iſtis erat iſte, quia erat ſub (*b*) Tribuno, ſed habebat ſub ſe milites . Habebat enim ſub ſe quoſdam , quorum erat gubernator ; & iſti erant milites: unde dicit: *Et dico uni , Vade , & vadit ; & alii , Veni , & venit* : in quo commendatur nobis obedientia . Ad Heb. xiii. 4. „ Obedite præpoſitis veſtris , & „ ſubiacete eis . “ Item alios habebat ſervos quibus cibaria miniſtrabat . Eccli. xxxiii. 25. „ Cibaria , & virga , & onus aſino; pa- „ nis , & diſciplina , & opus ſervo . “ *Et ſervo meo , Fac hoc , & facit* : unde vult arguere a minori : quia ſi ego qui ſum in poteſtate conſtitutus , hæc poſſum ; quanto magis Dominus dominantium poteſt &c.

Sed videndum quod rationales creaturæ ſunt liberæ, & ſunt ſicut milites. Iob xxv. 3. „ Numquid eſt numerus militum eius ? “ Et ideo dicitur Dominus exercituum . Sed creatura irrationalis habet ſubiectionem ſervilem , quia non habet liberi arbitrii facultatem . Vult ergo dicere: Quia tibi natura obedit , dic naturæ , & obediet tibi : quia ſermo tuus iudicio plenus eſt . Videndum eſt , quod iſtud duplex dominium invenitur in anima : anima enim præſidet corpori ; ratio vero iraſcibili , & concupiſcibili . Prima eſt dominativa poteſtas , quia ad imperium animæ movetur corpus; ſecunda præeſt aliis quadam imperativa poteſtate , & dominativa, vel regali : unde habent aliquid de motu ſuo . Et hæc ſunt quaſi milites . Iac. iv. 1. „ Unde bella, & lites in vobis ? „ Nonne ex concupiſcentiis, quæ militant in „ membris veſtris ? “ I. Pet. ii. 11. „ Hortamur vos abſtinere a carnalibus deſide- „ riis , quæ militant adverſus animam . “ Debemus ergo dicere huic , *Vade* , ideſt malis moribus ; *& veni* , ſcilicet bonis moribus ; & *ſervo* huic , *Fac hoc* . Unde corpus debemus operi applicare , ut „ ſicut exhibuimus membra noſtra ſervire immundi- „ tiæ , & iniquitati ad iniquitatem ; ita „ nunc exhibeamus membra noſtra ſervire „ iuſtitiæ in ſanctificationem: “ ut habetur Rom. vi. 19.

Audiens autem Ieſus miratus eſt &c. Hic tangitur Chriſti benignitas . Sed quid eſt quod dicit , *Admiratus eſt* ? Quia admiratio non cadit in Deo ; quia non fit niſi ex ignorantia cauſæ , (*c*) quæ non poteſt eſſe in Deo . Item eſt apprehenſio magnitudinis effectus , quod fit ex imaginatione , & phantaſia alicuius effectus magni ; (*d*) & ſic poteſt cadere etiam in Chriſto: unde admiratus eſt , ideſt magnum reputavit ; & hoc turbis ſequentibus oſtendit ; & commendavit eum : unde ſequentibus ſe dixit : *Non inveni tantam fidem in Iſrael*.

Sed quid eſt ? Nonne in Abraham, Iſaac , & Iacob fuit maior fides ? Dicendum , quod immo ; ſed quod hic dicitur , intelligitur pro tempore (*e*) illo .

Sed tunc eſt quæſtio de Apoſtolis , & Martha , & Maria . Et dicendum quod iſte maioris fidei erat , quia nullum præambulum viderat , ſicut iſti qui miracula viderant . Item Petrus venit ad vocem Andreæ, Andreas ad vocem Ioannis . Item in verbo Marthæ fuit aliquid dubietatis , quia dixit (Ioan. xi. 21.) „ Domine ſi fuiſſes hic , fra- „ ter meus non fuiſſet mortuus; “ (*f*) quaſi abſens non poſſet . Sed in verbo iſtius nihil fuit dubietatis . Aliter exponit Chryſoſtomus . Quia magnum , & parvum aliquando dicuntur non abſolute , ſed in comparatione ; ſicut dicuntur in domo multi , in theatro pauci . Unde , *Non inveni tantam fidem in Iſrael* , ſcilicet per comparationem illius gentilis . Deuteron. xxviii. 43. „ Advena qui „ tecum moratur in terra , aſcendet ſuper „ te , eritque ſublimior . “

Dico autem vobis . Occaſione huius agit de comparatione Iudæorum, & Gentilium : & primo de vocatione Gentilium; ſecundo de reprobatione Iudæorum . *Dico quod multi ab oriente , & occidente venient &c.* Et dicitur iſtud in comparatione : quia *multi ſunt vocati , pauci vero electi* : infra xx. 16. *Ab oriente , & occidente* ; ita quod per hoc totus mundus intelligatur . Vel *ab oriente* , in tempore proſperitatis ; *& occidente* , ſcilicet in tempore adverſitatis . Vel *ab oriente* , in tempore iuventutis , *& occidente* , in tempore ſenectutis . *Et recumbent* . Iſte recubitus

opu-

(a) *Al.* quia *dic tantum verbo , & ſanabitur puer meus* , ut habetur &c. (b) *Al.* tributo. (c) *Al.* & ſic non poteſt. (d) *Al.* & ſic admiratus eſt , ideſt magnum admirandum reputavit , cum turbis ſequentibus oſtendit. (e) Al. *deeſt* illo. (f) *Al.* quaſi non abſens poſſet.

Digitized by Google

opulentia eſt rerum ſpiritualium, ſcilicet in contemplatione. Luc. XXII. 29. „ Ecce diſ- „ pono vobis regnum, ut edatis, & biba- „ tis ſuper menſam meam in regno meo. “ Et Eſa. lxv. 13. „ Ecce ſervi mei comedent, „ & vos eſurietis; ecce ſervi mei bibent, & „ vos ſitietis &c. “

Sed quare *cum Abraham, Iſaac, & Iacob*? Quia Gentiles per fidem iuſtificantur, ſicut Iudæi, ut habetur Rom. IV. & Gen. XII. Item iſtis facta eſt repromiſſio: quia „ in „ ſemine tuo benedicentur omnes gentes, “ Gen. XV. 18. „ Ideo iſti recumbent cum patribus ſuis.

Sequitur: *Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores*. Hic oſtendit reprobationem Iudæorum; & deſcribit pœnam damni: quia amittent bona, & incurrent mala. Dicit autem, *Filii regni*, quia in illis Deus (*a*) regnabat. Pſal. lxxv. 2. „ Notus in Iu- „ dæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius. “ (*b*) Item figuris legis ſervi erant. Item facta eſt eis promiſſio, ut habetur Rom. IV. *Eiicientur in tenebras exteriores*. Et hæc eſt pœna damni. Conſequenter enumerat mala quæ incurrent: (*c*) quia qui primo quo ad intellectum incurrerunt tenebras interiores, eiicientur poſtea *in tenebras exteriores*: quia tunc erunt totaliter alienati a Deo qui eſt lux vera. Et hoc eſt quod dicitur Tob. IV. 11. „ Eleemoſyna ab omni peccato, & a „ morte liberat, & non patietur animas ire „ in tenebras. “ Item quantum ad effectum, *ibi erit fletus*. Fletus nuntiat dolorem. Eſa. lxv. 14. „ Ecce ſervi mei læta- „ buntur, & vos confundemini. “ Item oſtenditur paſſio in corpore, quia *ſtridor dentium*: habebunt enim corpora in reſurrectione. Prov. XIX. 29. „ Parata ſunt deriſoribus „ iudicia, & mallei, & ferrum. “ Quæ iudicia doloris pertinent ad concupiſcibilem, ſtridor ad iraſcibilem. Vel, ſecundum Hieronymum, utrumque pertinet ad pœnam corporalem: quia reſurrectio non erit ſolum in anima, ſed in corpore: quia erit & multus calor, & multum frigus. Iob XXIV. 19. „ Tranſibunt ab aquis nivis ad calorem ni- „ mium. “

Oſtenditur (*d*) autem Dei benignitas, cum dicit: *Et dixit Ieſus Centurioni*: *Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi*. Sed ſequitur effectus: *Et ſanatus eſt puer*: quia „ ſermo eius „ virtute plenus eſt: “ Eccle. VIII. 4.

(C) *Et cum veniſſet Ieſus in domum Simonis Petri &c.* Commendata eſt virtus Chriſti in curatione leproſi, commendata eſt etiam in curatione feſtina ſervi Centurionis; hic commendatur in curatione perfecta. Primo ergo deſcribit curationis locum; ſecundo infirmitatis modum; tertio declarat Chriſti auxilium; quarto curationis effectum. Dicit ergo: *Cum veniſſet &c.* Non tangit Evangeliſta, quando hoc fuit factum. Sed & Lucas, & Marcus tranſeunt ad alia.

Sed ſciendum, quod ubi Evangeliſtæ ponunt ſtatum, vel aliquid ad ordinem pertinens, ſignum eſt quod ad continuationem hiſtoriæ pertinet. Ubi vero non, ſignum eſt quod ad continuationem memoriæ: unde ſecundum quod recolebant, ſcribebant.

Venit in domum Petri. Et tria poſſumus conſiderare. Honorem quem intulit diſcipulis ſuis, quia noluit ire ad domum Centurionis, ivit tamen ad domum pauperis piſcatoris. Unde Pſal. CXXXVIII. 17. „ Nimis honorati „ ſunt amici tui, Deus. “ Item informavit in humilitate, quia nihil plus placet Domino. Iac. I. 21. „ In manſuetudine percipite „ inſitum verbum, quod poteſt ſalvare ani- „ mas veſtras &c. “ Tertio in hoc oſtenditur reverentia quam habuit Dominus ad Petrum: quia ſe obtulit, licet Petrus non rogaret. *Vidit ſocrum*: *vidit*, oculo ſcilicet mentis. Exod. III. 7. „ Vidi afflictionem populi „ mei in AEgypto. “ *Socrum Petri*. Per hoc poteſt intelligi ſynagoga. „ Qui operatus eſt „ Petro in Apoſtolatu circumciſionis (*e*) „ (ſcilicet in Iudæis) operatus eſt & mihi in- „ ter gentes. (Ad Gal. II. 8.) “ Hæc febricitabat, ſcilicet ſynagoga, febre ſcilicet invidiæ. Vel per iſtam ſocrum intelligitur anima æſtuans igne concupiſcentiæ. *Et tetigit manum eius*. Hic tangit curationem.

Quærit Chryſoſtomus quare curavit ſervum Centurionis ſolo verbo, iſtam vero tactu. Et reſpondet, propter familiaritatem: & in hoc etiam magis oſtendebat ſuam humilitatem; (*f*) ideo in tactu auxilium dedit. Pſal. lxxII. 23. „ Tenuiſti manum dexte- „ ram meam. “ Sequitur, *Et ſurrexit*. Conſuetudo eſt febricitantium, quod quando incipiunt ſanari, debiliores ſunt quam in infirmitate: ſed talis non fuit curatio Domini; immo plenam ſanitatem reddidit: „ quia „ Dei perfecta ſunt opera: “ Deuteron. XXXII. 4. Aliter enim curat Dominus, aliter natura. Ideo ſequitur, *Et miniſtrabat*. *Veſpere autem facto*. Hic confirmatur Dei poteſtas per multitudinem curatorum. Primo ergo tangit Evangeliſta multitudinem; ſe-

P 2 cun-

(a) *Al.* repugnabat. (b) *Al.* Item figuris ſervi erant regni. (c) *Al.* & primo quo ad intellectum incurrerunt tenebras interiores, deinde eiicientur. (d) *Al.* Et oſtenditur. (e) *Al.* ſcilicet Iudæi. (f) *Al.* & ideo.

cundo ſubiungit auctoritatem Scripturæ, ibi, *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam prophetam*. Dicit ergo quod curavit dæmoniacos, & male habentes. Et poſſunt intelligi per dæmoniacos, peccantes ex malitia; & per male habentes, peccantes ex ignorantia. Unde dicit, *Veſpere autem facto*: quare nota hoc non factum fuiſſe die ſabbati, in quo habebant pro inconvenienti curare; ſed in veſpere, finito ſabbato: *obtulerunt ei multos dæmonia habentes*. Vel dicitur, *Veſpere*, quia Salvator noſter veſpere venit. „Oritur ſol, „ & occidit, “ ſcilicet Chriſtus: Eccle. I. 5. *Eiiciebat*, ſola increpatione: unde ad ſolam vocem eius fugiebant dæmones. Item *male habentes*, ita quod conveniat ei illud quod dicitur in Actibus x. 38. „ Liberavit omnes „ oppreſſos a diabolo. “ Unde notandum, quod non omnia miracula Chriſti poſuerunt Evangeliſtæ, ſed magis vulgata. Et quia videretur mirabile quod tot curaret, ideo confirmat auctoritate quæ habetur Eſai. LIII. 4. „ Infirmitates noſtras ipſe accepit, & ægrotationes noſtras portavit. “ Et quamvis non ita ſit in ſerie textus, exponamus prout iacet. „ Infirmitates noſtras ipſe accepit, “ ideſt abſtulit, ita quod infirmitates accipiantur pro levibus peccatis: „ & ægro- „ tationes (ideſt maiora peccata) portavit, “ ideſt aſportavit: vel cum ipſe ſit Dei virtus, & ſapientia, infirmitates noſtras, ſcilicet paſſionis, & mortis. Unde paſſibilitatem accepit ad tollendam infirmitatem, & ægrotationem noſtram &c. I. Pet. II. 24. „ Qui „ peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, „ ut peccatis noſtris mortui, iuſtitiæ vivamus. “

Sed cum Eſaias dixerit de peccatis, quæritur quare hoc de infirmitatibus corporalibus dicatur. Et hoc eſt, quia plerumque ex peccatis ſpiritualibus cauſantur ægritudines corporales.

Videns autem Ieſus turbas. Quia poſita ſunt miracula contra peccata interiora, hic ponit miracula contra peccata exteriora, ſcilicet contra procellam. Et primo ponit præambulum ad miraculum, ſcilicet de introitu navis; deinde miraculum, ibi, *Tunc ſurgens imperavit ventis, & mari*; tertio effectum, ibi, *Et facta eſt tranquillitas magna*. Circa primum primo ponit præceptionem; ſecundo mandati adimpletionem. Circa primum tria. Primo (*a*) præcipit ut ſequantur; ſecundo unum ſe ingerentem repellit; tertio alium diſcipulum arguit. Dicit ergo: *Videns Ieſus turbas &c.*

Sed quare intravit navem? Hoc fecit propter duo. Primo ut oſtenderet infirmitatem humanæ naturæ; ſecundo ut placeret diſcipulis. Unde aliquando cum diſcipulis aſcendit in montem, aliquando in deſertum, aliquando in navem. Item ut nobis daret exemplum, ne favores hominum quæreremus. Item ad tollendam invidiam Iudæorum. Eſa. XLII. 3. „ (*b*) Linum fumigans non extinguet. “

Sequitur repulſio: *Et accedens unus ſcriba*. Et videtur quod iſte valde devote acceſſit. Et quare repulit? Hieronymus: „ Quia non „ habebat bonam fidem. “ Et hoc patet, quia ſolum vocavit eum magiſtrum; ſed veri diſcipuli vocabant eum Dominum: unde in Ioan. XIII. 13. „ Vos vocatis me Magiſter, „ & Domine. “ Item ex mala intentione volebat eum ſequi, quia audiebat ſignum fuiſſe factum; volebat ſequi, ut faceret ſigna, ut dicitur de Simone mago. Item dicit Chryſoſtomus, quod in alio peccavit, ſcilicet in ſuperbia: quia ſeorſum traxit ſe: unde reputabat ſe digniorem aliis. Hilarius interrogative legit: *Magiſter, ſequar te*? Culpa iſtius eſt, quia quod certum erat, interrogavit, & quod debebat facere, poſuit ſub dubio. Sequitur: *Vulpes foveas habent*. Hieronymus exponit ad litteram, quod Deus ad intentionem reſpondit, ut ſæpe facit. Volebat ſequi, ſed intendebat lucrum: & Dominus contra hoc allegar paupertatem; ideo dicit: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet*: ut habetur II. Corinth. VIII. 9. „ Qui egenus factus eſt cum dives eſſet „ &c. “ Secundum Auguſtinum, notat eum de triplici vitio. De vitio doloſitatis: quia dulcedinem habebat in ore, & venenum in corde; ut habetur Pſal. XIII. 3. Item notavit eum de ſuperbia, cum (*c*) dixit, *Volucres cæli*, per quos ſuperbia intelligitur. (*d*) Vel *volucres* dæmones, ut habetur infra XIII. 4. ubi dicitur: *Et venerunt volucres, & comederunt ea*. Item de infidelitate: quia non erat in caritate quæ (*e*) habitat in nobis per fidem. Sequitur: *Alius autem de diſcipulis eius ait illi*. (*f*) Primus ſe ingeſſit, ſed alter ſe excuſavit. Et ponitur reprobatio excuſantis, ibi, *Ieſus autem ait illi &c. Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum*. Et magna eſt differentia inter iſtum & præcedentem. Iſte vocavit eum Dominum; ille vocavit eum magiſtrum. Item ille dolum allegavit, iſte pietatem: quia præceptum erat de honoratione patris. Unde dilationem petiit. Simile habetur III.

Reg.

(a) *Al.* præcepit. (b) *Al.* Lignum. (c) *Al.* dicit. (d) *Al.* Unde per volucres dæmones. (e) *Al.* habitabat. (f) *Al.* Protinus ſe ingeſſit, ſed aliter ſe excuſavit.

Reg. xix. de Eliſeo. Sequitur iſtius reprehenſio: *Sequere me*: quia qui vult ſequi Chriſtum, non debet dimittere ſequi propter aliud negotium temporale: unde Pſal. xliv. 11. dicitur: „ Obliviſcere populum tuum, „ & domum patris tui. “ Item hoc præcepit ei, quia erant alii qui poterant ſepelire. Ideo dixit: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Item quia accidit, ut ſæpe, quod qui impeditur aliquo uno negotio, cum unum aliud trahat, cito ruit in aliud; ſic ſi iſte iviſſet ſepelire patrem, haberet fortaſſis poſt cogitationes de teſtamento patris; & ita ſorte totaliter retraheretur. Eſa. v. 18. „ Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis „ vanitatis. “ Unde hoc non fuit crudelitatis. Ut ſi videamus aliquem affectum nimis de morte patris, prohibetur a funere propter periculum, ut habetur Eccli. xxx. 25. „ Multos occidit triſtitia. “ Sed dicit, *mortuos*, in plurali, quia mortuus erat duplici morte; ſcilicet morte infidelitatis, & morte corporis. Unde mortuus erat & in corpore, & in anima. Unde dat quatuor documenta. Primum ſcilicet ut qui vocatus eſt ad ſtatum perfectionis, non cognoſcat patrem carnalem per affectionem inordinatam. Infra xxiii. 9. *Unus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt*. Secundum eſt quod inter fideles & infideles retrahitur germanitatis affectus. Unde Luc. xiv. 26. „ Si quis venit ad me, „ & non odit patrem ſuum, & matrem, & „ uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, „ adhuc & animam ſuam, non poteſt meus „ eſſe diſcipulus. “ Et hoc verum eſt ubi pater, & mater retrahunt a Deo. Tertium eſt quod infidelium mortuorum non eſt facienda memoria apud ſanctos. Quartum eſt quod omnis qui vivit extra Chriſtum, mortuus eſt, quia ipſe eſt vita, ſecundum Gregorium. *Et aſcendente eo in naviculam*. Poſitum eſt præceptum Domini de transfretatione; hic ponitur executio præcepti. Erant enim manifeſtata miracula in terra, vult manifeſtare in aquis, ut oſtendat ſe eſſe dominum terræ & maris. Per iſtam naviculam intelligitur Eccleſia, vel crux Chriſti: unde de iſta poteſt dici illud Sap. xiv. 5. „ Exiguo ligno committunt animas ſuas. “ Diſcipuli Domini ſequuntur eum in Eccleſia per obſequium mandatorum: item ſequuntur eum aſcendentem in crucem. Ad Gal. vi. 14. „ Per quem mihi mundus crucifixus eſt, „ & ego mundo. “ Deinde ſubiungitur miraculum: & primo ponitur periculum imminens; ſecundo diſcipulorum interpellatio, ibi, *Et acceſſerunt*; tertio eorum exauditio ibi, *Et dicit eis Ieſus*. Periculum tangitur ex procella, & Chriſti dormitione: *Et ecce motus factus eſt magnus &c.* Sicut ſancti dicunt, non eſt facta tempeſtas ex intemperie aeris, ſed ex divina ordinatione provenit. Et hoc factum eſt multiplici ratione, Primo ut diſcipuli, qui ſpecialiter dilecti, & vocati erant, humilia ſaperent, & non ſe extollerent: & hoc ſignificabat futurum periculum, quod imminere debebat tempore paſſionis, & poſt, ut ait Paulus Apoſtolus II. ad Cor. 1. 8. „ Gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut nos tæderet etiam „ vivere. “ Item alia cauſa, ut ſcirent in periculis vivere, & vincere, ut habetur Rom. viii. 37. „ In omnibus his ſuperamus „ propter eum qui dilexit nos. “ Item Chryſoſtomus exponit, quia ipſi erant prædicaturi quæ de Chriſto viderant; ideo ut magis in ipſis experti eſſent miraculis, & eſſent certiores, voluit Dominus eos pati. Unde in Pſal. lxv. 16. „ Venite, & narra- „ bo opera Domini. “ (a) Citius enim poterant recordari de huiuſmodi quæ ſibi evenerunt. *Ipſe vero dormiebat*: & hoc ut oſtenderet ſe verum hominem: ſic enim erat in omnibus, ut ubi volebat oſtendere divinitatem, ſemper oſtendebat aliquid humanitatis. Dormiebat, quia „ habitu inventus eſt ut „ homo: “ Philip. ii. 7. Secundum enim divinitatem non dormiebat. Unde Pſal. cxx. 7. „ Non dormitabit, neque dormiet qui „ cuſtodit Iſrael. “ Item dormiebat, ut conſtituerentur inter timorem & ſpem. Item ut oſtenderet ſingularitatem, quia in tanta tempeſtate manebat ſecurus. Prover. viii. 28. „ Quando librabat fontes aquarum, quando „ circumdabat mari terminum ſuum, & le- „ gem ponebat aquis. “ Sequitur interpellatio diſcipulorum: *Acceſſerunt diſcipuli &c.* Tantus enim erat ventus quod oportuit eum evigilare. Et totum iſtud dictum fuit in figura de Iona: quia Ionas in navi dormiebat; & nautæ evigilaverunt eum ad interpellationem, iſti vero ad ſalvandum: unde dicunt: *Domine, ſalva nos, perimus*. Et primo confitentur poteſtatem eius, dum dicunt, *Domine*. Pſal. lxxxviii. 10. „ Tu dominaris „ poteſtati maris, motum autem fluctuum eius „ tu mitigas. “ Item petunt auxilium, quia ſciebant ipſum eſſe ſalvatorem. Eſa. xxxv. 4. „ Ipſe veniet, & ſalvabit nos. “ Item periculum terrenorum exprimunt. Et hic ſignatur mors Chriſti in dormitione, qui & excitatus eſt per reſurrectionem. Vel dicitur

(a) *Al.* Cuius enim.

Digitized by Google

tur dormire in tribulationibus, & tentationibus ſanctorum: & tunc precibus ſanctorum (a) evigilat. Unde dicitur Pſal. xl. 2. „ Exurge, quare obdormis Domine? " Item dormit in pigris. Unde excitandus eſt, ut admonet Paulus ad Eph. v. 14. „ Exurge „ qui dormis, & exurge a mortuis; & il„ luminabit te Chriſtus. " Sequitur quo modo ſubvenit: *Quid timidi eſtis modicæ fidei*? Videtur quod non eſſent modicæ fidei, quia dicebant, *Salva nos*; ſed vere modicæ fidei fuerunt, quia non credebant quod etiam dormiens poſſet ſalvare. Vel *modicæ fidei*, quia ſi ipſi haberent magnam fidem, ipſi poſſent imperare mari. *Tunc ſurrexit, & imperavit ventis*: tempeſtas enim oritur ex ventis ut ex cauſa efficiente, ex aquis ut ex cauſa materiali: & (b) utrique imperavit. Unde Pſal. cvi. 25. „ Dixit, & ſtetit ſpiritus procel„ læ. " Et hoc eſt quod dicitur: *Et facta eſt tranquillitas magna*. Sed conſuetudo eſt quod quando fit tempeſtas, duobus diebus mare non ſedatur totaliter. Ideo ut appareat perfectum miraculum, ſtatim facta eſt tranquillitas magna: quia „ Dei perfecta „ ſunt opera: " Deut. xxxii. 4. *Porro homines mirati ſunt &c.* Hic ponitur effectus, ſcilicet admiratio turbarum. Quod dicit *homines*, non intelligatis Apoſtolos, quia numquam Apoſtoli ſic appellantur, ſed per homines intellige nautas. Vel, ſecundum Hieronymum, ſi etiam intelligas homines, ideſt Apoſtolos, poteſt eſſe, quod dubitare potuerunt ut homines, dicentes: *Qualis eſt hic*? Hic Chryſoſtomus addit *Homo*: quia enim ipſum viderant dormientem, hominem vocabant: quia ſignum divinitatis viderant, ideo dubitabant. *Quia venti, & mare obediunt ei*: quia omnis creatura ſuo creatori obedit. Pſal. cxlviii. 8. „ Ignis, grando, nix, glacies, „ ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum „ eius: " non quia animam rationalem habeant, ſed quia ad modum obedientis ſe habent. Ut manus, & membra animæ obediunt, quia ſtatim moventur ad eius nutum; ſic omnia Deo obediunt.

(d) Sequitur: *Et cum veniſſet Ieſus trans fretum*. (c) Quia poſita ſunt miracula quibus Dominus liberavit multos a periculis exterioribus; hic ponuntur quibus fit liberatio a periculis interioribus, ſive ſpiritualibus: & primo ponitur miraculum; ſecundo effectus, ibi, (d) *At illi exeuntes abierunt in porcos*. Et circa primum (e) primo oſtenditur malitia dæmonum quantum ad ſævitiam quam in homines exercent; ſecundo quantum ad impatientiam, ibi, (f) *Et ecce clamaverunt &c.* tertio quantum ad nequitiam, quia animalibus brutis nocuerunt, ibi, *Dæmones autem rogabant eum &c.* Circa primum primo locus deſcribitur; ſecundo ſævitia dæmonum declaratur. Erat quædam regio quæ dicebatur regio Geraſenorum. Geraſa interpretatur colonum eiiciens, vel advena appropinquans: quia prope gentiles. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia*. Oſtenditur ſævitia, primo quia opprimebant eos; ſecundo quia homines decipere nitebantur.

Sed quæritur quare alii Evangeliſtæ non faciunt mentionem niſi de uno; iſte de duobus. Dicendum, quod ſine dubio duo fuerunt, ſed unus fuit magis famoſus.

Et erant ſævi, quia nocebant non ſolum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter. Unde in monumentis (g) habitabant, ut inducerent hominibus terrorem. Unde error fuit quem quidam poſuerunt, quod dæmones aliquam animam reducerent in corpus mortuum; ut legitur de Simone mago: ſed hoc nihil erat; ſed fingebant dæmones ad homines decipiendum. Unde dicit Porphyrius, quod genus dæmonum eſt fallax. Unde iſti magi maxime utuntur corporibus mortuorum: quare habitabant dæmones in ſepulcris. Eſa. xxxv. 4. „ Qui habitant in ſepul„ cris, & in delubris idolorum dormiunt. " Erant enim tam ſævi, ut nemo (h) poſſet tranſire per viam illam: quia „ in via hac „ qua ambulabam abſconderunt ſuperbi la„ queum mihi: " Pſal. cxli. 4. ſuperbi, ideſt dæmones. Sed oſtenditur eorum impatientia, quia Chriſti præſentiam non ferebant: unde dicitur, *Clamaverunt*: & in hoc oſtenditur impatientia. Eſa. lxv. 14. „ Clamabi„ tis præ dolore cordis, & præ contritio„ ne ſpiritus ululabitis. " Item fatentur Dei potentiam, dicentes: *Quid nobis, & tibi, Ieſu fili Dei*? Vere (i) nihil, quia nulla convenientia Chriſti ad Belial. Sed quare hoc dicebant? Quia graviter puniebant homines; & audierant quia Chriſtus deberet eis poteſtatem amovere. Unde (k) voluerunt dicere: Et ſi aliis nocuimus, tibi non nocuimus; quare non debes nos gravare. Item confitentur filium Dei. Et in hoc confunduntur Arriani: quia ſi non ſanctis credunt, ſaltem dæmonibus credant.

Sed contra, quia videtur quod non cognoverunt eum: quia I. ad Corint. ii. 8. „ Si cognoviſſent, numquam Regem glo„ riæ

(a) *Al.* evigilatus. (b) *Al.* utrobique. (c) *Al.* Sed quia. (d) Al. *Ait illi &c.* (e) *Al. deeſt* primo. (f) Al. *Et exclamaverunt*. (g) *Al.* habitant. (h) *Al.* poterat. (i) *Al.* nulla. (k) *Al.* voluit.

Digitized by Google

„ riæ crucifixiſſent &c. “ Sed dicendum, quod quando Dominus volebat, humanitatem oſtendebat, ita quod ſe eis occultabat.

Quare veniſti ante tempus torquere nos? Sciunt dæmones quod in die iudicii dæmones debent ſuſcipere maius (*a*) tormentum, cum dicetur (inſra xxv. 41.) *Ite maledicti in ignem æternum*. Item credunt aliqui quod dæmones uſqne in diem iudicii non patiuntur (*b*) pœnam ſenſus, ſed pœnam damni. Et hoc pro iſto verbo, quia *veniſti ante tempus*. Sed contra hoc eſt quod dicit Damaſcenus: „ Hoc hominibus mors quod Angelis ca- „ ſus.“ Sed homines cum moriuntur (*c*) ſtatim recipiunt pœnam ſenſus, ſic Angeli qui ceciderunt. Quidam dicunt quod ignem ſuum ſemper ſecum portant.

Sed quomodo poteſt hoc fieri, quia iſte ignis corporeus eſt? Dicendum, quod licet hic ignis ſit corporalis, habet tamen aliquid ſpirituale: unde cruciat per modum cuiuſdam alligationis. Spiritus enim excedit naturam corporis; ſed Deus alligat ſpiritus corporibus; ſicut cum alligatur anima corpori, dat corpori ut moveatur, ſecundum voluntatem animæ: ſicut ſi datur aliqua prælatura alicui in aliqua Eccleſia, ipſo non exiſtente in eadem; ſic licet iſte ignis ſit corporeus, ratione ſpiritualitatis poteſt agere.

Torquere nos &c. Magnum tormentum reputant quod non poſſint hominibus nocere: ſed ſi eſſent in inferno, non poſſent ita nocere; & ita tormentum eis magnum eſt intrare in infernum. *Erat autem non longe ab eis grex multorum porcorum paſcens*. Hic tangitur malitia: quia non ſolum hominibus nocent, ſed & brutis. *Grex porcorum*: unde patet quod hoc non erat in Iudæa, quia Iudæi non utuntur porcis. *Si eiicis nos, mitte nos in porcos*.

Sed quare nnn petierunt quod mitteret eos in homines? Quia ipſi videbant eum ſolicitum circa curam hominum. Sed quare in gregem porcorum? Quia erant magis vicini. Item quia eſt animal valde immundum. Unde ad deſignandam immunditiam permiſit intrare in porcos. Et hoc videtur ſignificari Iob xl.22. „ Numquid multiplicabit „ ad te (*d*) preces, aut loquetur tibi mollia?“

Sequitur Chriſti conceſſio: *Et ait illis, Ite*. Sed videtur Dominus audiſſe dæmones. Dicendum, quod non audivit, ſed ex ſua ſapientia ſic fieri permiſit, & ordinavit, ut oſtendatur malitia dæmonum: quia niſi Dominus cohiberet, ita ruerent in homines, ſicut ruerunt in porcns. Sed quando Dominus permittit (*e*) aliquid dæmonibus, non totaliter permittit, ſed imponit eis frenum, ut in Iob. Unde ad hoc deſignandum permiſit eos ruere in porcos. Item ad deſignandum quod nihil pnſſunt niſi ex Dei permiſſione. Item ut homo ſuam dignitatem cognoſceret, (*f*) cum ad ſalutem unius hominis tot millia porcorum permiſerit interfici.

Sequitur executio mandati: *Et magno impetu abiit totus grex præceps in mare*: in quo denotatur quod nullus a diabolo totaliter poteſt extingui niſi (*g*) porcum ſe exhibeat, ideſt totaliter immundum. Unde habetur Apoc. xviii. 21. „ Hoc impetu mittetur „ Babylon civitas illa magna. “ II. Petr. ii. 13. „ Hi velut irrationabilia pecora peribunt, „ percipientes mercedem iniuſtitiæ, &c. “ Sequitur paſtorum admiratio: unde, *Paſtores fugerunt .... & nuntiaverunt hæc omnia*. Unde profecti nuntiaverunt triſte, & lætum. Triſte de porcis; ſed lætum de dæmoniaco curato. Per iſtos paſtores ſignantur principes ſynagogæ, qui propter temporalia quantumcumque poſſunt contradicunt Chriſto. Conſequenter ſequitur totius populi admiratio: *Et ecce tota civitas exiit obviam Ieſu, & viſo eo rogabant eum ut tranſiret a finibus eorum*. Et quare? Quia multa damna eis fecerat; immo timebant quod ſi plus ibi moraretur quod plura eis faceret damna. Sic aliqui propter detrimentum temporale, timent eſſe cum Chriſto: ut habetur Eſa. xxx. 11. „ Declinate a me ſemitam; ceſſet a facie noſtra Sanctus Iſrael.“ Vel aliter. Quia non ex malitia, ſed ex devotione, quia indignos ſe reputabant. Simile dixit Petrus (Lnc. v. 8.) „ Recede „ a me, quia homo peccator ſum. “

CAPUT IX.

(a) ET aſcendens Ieſus in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Videns autem Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili: remittuntur tibi peccata tua Et

ecce

(a) *Al.* tormentorum. (b) *Al.* pœnam damni, ſed pœnam ſenſus. (c) *Al.* non ſtatim recipiunt pœnam ſenſus, ſicut Angeli &c. *Vide* 1.p.q.64.a.4.ad 3. (d) *Al.* porcos. (e) *Al.* aliquibus. (f) *Al.* ut. (g) *Al.* paratum.

ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula? Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: & ſurrexit, & abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

(b) Et cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine; & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius. Et videntes phariſæi dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter? At Ieſus audiens ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Euntes autem diſcite, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

(c) Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & phariſæi ieiunamus frequenter; diſcipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies cum auferetur ab eis ſponſus; & tunc ieiunabunt. Nemo autem immittet commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius a veſtimento, & peior ſciſſura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt; & ambo conſervantur.

(d) Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt. Sed veni impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalva ero. At Ieſus converſus, & videns eam, dixit: Confide filia. Fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora. Et cum veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta eſſet turba, intravit, & tenuit manum eius, & dixit: Puella ſurge. Et ſurrexit puella. Et exiit fama hæc in univerſam terram illam.

(e) Et tranſeunte inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili David. Cum autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci; & dicit eis Ieſus: Creditis quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum. Et comminatus eſt illis Ieſus, dicens: Videte ne quis ſciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa. Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem: & eiecto dæmonio, locutus eſt mutus: & miratæ ſunt turbæ dicentes: Numquam apparuit ſic in Iſrael. Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eiicit dæmones.

(f) Et circuibat Ieſus omnes civitates, & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Videns autem turbas miſertus eſt eis: quia erant vexati, & iacentes, ſicut oves non habentes paſtorem. Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam.

(a) Supra poſuit miracula contra pericula corporalia; hic ponit miracula contra pericula ſpiritualia: & ſecundum hoc duo facit. Primo oſtendit quomodo ſubvenit ſibi occurrentibus; ſecundo quomodo inquirit quos ſalvet, ibi, *Et circuibat Ieſus*

omnes

Digitized by Google

omnes civitates, & *caſtella*. Circa primom primo ponit remedium contra peccatum; ſecundo contra mortem, ibi, *Hæc ille loquente ad eos &c.* Circa primum primo pooit remedium contra peccatom, remittendo; ſecundo peccatores ad ſe trahendo, ibi, *Et factum eſt diſcumbente eo in domo &c.* Et primo ponit quædam præambula ad beneficium; ſecundo ponit beneficium ipſum, ibi, *Ut autem ſciatis &c.* Et primo ponitur locus; ſecundo devotio offerentium, ibi, *Et ecce offerebant ei paralyticum*. Dicit ergo. *Aſcendens Ieſus in naviculam transfretavit*. Et continnatur hæc pars: quia rogabant eum ut ab eis diſcederet, ideo aſcendit navim. Unde dat intelligere, quod ſi dicant aliqui: „Recede a nobis, viam mandatorum tuo„rum nolumus: “ Iob xxi. 14. ſtatimrecedit. Unde *aſcendit in naviculam*. Hæc navicula ſignificat crucem, vel Eccleſiam. *Et venit in civitatem ſuam*, ſcilicet in civitatem gentium, quæ ſibi datæ ſunt. Unde in Pſal. ii. 8. „Poſtula a me, & dabo tibi „gentes hereditatem tuam. “

Sed eſt quæſtio, quare Marcus, & Lucas dicant iſtud eſſe factum in Capharnaum; hic vero habetur quod in Nazareth, quæ erat civitas ſua.

Dicendum, quod quædam erat civitas Chriſti ratione nativitatis; & hæc erat Bethlehem: quædam ratione educationis; & hæc erat Nazareth: quædam ratione converſationis, & operationis miraculorum; & ſic Capharnaum. Ideo bene dicitur, *In civitatem ſuam*. Unde dicitur Luc. iv. 23. (*a*) „Quanta audivimus facta in Capharnaum, „fac & hic in patria tua. “ Auguſtinus aliter ſolvit: quia Capharnaum inter alias civitates Galilææ erat magis ſamoſa: unde erat quaſi Metropolis. Et ſicut ſi aliquis eſſet de aliqua villa iuxta Pariſius, diceretur quod eſſet de Pariſius propter notitiam loci; ſic Dominus quia erat de finibus Capharnaum, dicebatur inde eſſe. Vel aliter: quia prætermittunt aliquid Evangeliſtæ: unde aliquid poteſt addi, quod videlicet tranſivit per Nazareth, & venit io Capharnaum. Et tunc obtulerunt ei.

Ecce offerebant ei paralyticum. Hic tangitur devotio offerentium: unde in Marco tangitur, quod quia noo poterant tranſire, poſuerunt per tegulas. Iſte paralyticus ſignificar peccatorem in peccato iaceotem: unde ſicut oon poteſt paralyticus ſe movere, ſic nec iſte. Illi autem qui portaot eum, ſunt illi qui ſuis monitionibus portant eum ad Deum. *Videns autem Ieſus fidem illorum &c.* Ponit beneficium: (*b*) ubi poſſumus tria videre. Primo quid movit Ieſum; ſecundo quid ſit quod requiritur; tertio diſceptationem contra beneficium. Curat aliquando Dominus aliquem propter fidem ſuam: aliquando propter preces ſuas, & aliorum. *Videns ergo fidem illorum dixit*. Unde dicitur Marc. xi. 24. „Quicquid oraotes petitis, „credite quia accipietis, & fiet vobis. “ *Confide fili*. Quid ergo requiritur? Fides. Pſal. cxxiv. 1. „Qui confidunt in Domino ſicut „mons Sion; non commovebitur in æter„num qui habitat in Hieruſalem. “ Et Act. xv. 9. „Fide purificans corda eorum. “ *Remittuntur tibi peccata tua*. Hic tangitur beneficium. Sed quid eſt quod iſte petebat ſanitatem corporis, & Dominus dat ſanitatem animæ? Ratio eſt, quia peccatum erat cauſa ægritudinis; ſicut in Pſal. xv. 4. „Pro„pter iniquitates eorum multiplicatæ ſunt „infirmitates eorum. “ Unde fecit Deus ſicut bonus medicus, qui cauſam curat. Deinde ponit diſceptationem contra beneficium, ibi, *Et cum cognoviſſet Ieſus cogitationes eorum &c.* Dicit ergo: *Ecce quidam de ſcribis dicebant intra ſe: Hic blaſphemat*. Et quare mirabantur? Quia videbant hominem, & oon videbant Deum: ſolius autem Dei eſt dimittere peccata: ideo dicebant eum blaſphemum, iuxta illud Iob xxxiv. 18. „Qui di„cit Regi apoſtata, qui vocat duces impios „&c.“ *Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* (*c*) Hic confutat eos tripliciter: ſua cognitione, verbo, & facto. Cognitione, quia ſicut ſoli Deo pertinet dimittere peccata, ſic cognoſcere ſecreta cordis. Pſal. vii. 11. „Scru„tans corda, & renes Deus. “ *Cum vidiſſet*: quia ſolus ſcit cogitationes hominum. Et primo reprehendit eorum oequitiam: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* quia blaſphemum eum dicebant. Eſa. i. 16. „Au„ferte mala de cogitationibus veſtris. “ *Quid eſt facilius &c.* Hic ponit confutationem. Sed videtur male arguere Dominus: qoia arguit a minori affirmando. Facilius enim videtur ſanare corpus, quam ſanare animam. Sed exponit ſic Hieronymus. Facilius eſt dicere quam facere: verum quantum ad factum, fortius eſt animam quam corpus ſanare; ſed quantum ad poteſtatem, eadem eſt poteſtas utrobique. Sed ſi ad dictum referatur, videmus quod mendaces cito men-

(a) *Al.* „Quanta audivimus miracula quæ feciſti in Capharnaum, fac hic in patria tua, “ (b) *Al.* unde poſſumus videre quid movit Ieſum, quid ſit quod requiritur, tertium &c. (c) *Al.* confutat eos tripliciter. Sua cognitione; quia ſicut &c.

tiuntur ubi non poſſunt deprehendi. In his enim quæ apparent, deprehendi poſſunt, ſed non in his quæ latent. Unde in his audacter loquuntur ubi deprehendi non poſſunt. Facilius eſt ergo dicere, ſi non poſſitis cognoſcere. Ideo: *Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*. Oſtendit facto. Et primo ponitur finis operationis; ſecundo modus; tertio efficientia: unde dicit: Et propter hoc *ut ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*. Per hoc maniſeſtat ſe Deum. Supra I.21. *Ipſe enim eſt qui ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Dicit, *Quod filius hominis* & dicit *In terra*; & elidit duplicem errorem; ſcilicet Neſtorii, & Photini. Dicebat Neſtorius, quod Filius hominis, & Filius Dei erant duo ſuppoſita, nec poterat dici de uno quod dicitur de altero: unde non poterat dici: Iſte puer creavit ſtellas. Ideo dicit, *Hominis*: quia Dei eſt dimittere peccata. Item contra Photinum, qui dicebat, quod Chriſtus acceperat initium de Virgine Maria; & merito acquiſivit divinitatem: & nitebatur ſuper illud, infra XXVIII. 18. *Et data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. Ideo dicit, *In terra*: unde Baruch III. 38. dicitur: „ Poſt hæc in terris viſus „ eſt, & cum hominibus converſatus eſt." *Habet poteſtatem*.

Videtur quod per hoc non oſtendatur, quia etiam ipſi Apoſtoli habebant poteſtatem. Sed dicendum, quod ipſi habebant per viam adminiſtrationis, non auctoritatis. Hoc autem quod dicitur, *Ut autem ſciatis &c.* dupliciter poteſt legi: vel ut ſint verba Evangeliſtæ, & ita fuit narratoria: vel ſint verba Chriſti dicentis, *Ut ſciatis &c.* & ſic oratio eſt imperfecta, quia ipſi dubitabant. Ideo ut ſciatis quia ego habeo poteſtatem dimittendi pecata; *ait paralytico: Surge &c.* Unde verbo curavit; quod proprium eſt Dei, iuxta illud Pſal. XXXII. 9. „ Dixit, „ & facta ſunt."

Tria habebat infirmus. Iacebat in lecto, portabatur ab aliis, ire non poterat. Quia ergo iacebat, dicit, *Surge*: quia portabatur, præcepit ut portaret, *Tolle lectum tuum*: quia ire non poterat, dixit, *Et ambula*: „ Dei enim perfecta ſunt opera," Deut. XXXII. 4. Similiter peccatori in peccato iacenti dicitur, *Surge*, a peccato per contritionem: *tolle lectum*, per ſatisfactionem: Michææ VII. 9. „ Iram Domini portabo, quia peccavi ei:" *& vade in domum tuam*, in domum æternitatis, vel in conſcientiam propriam. Sap. VIII. 16. „ Intrans in domum meam, conquie- „ ſcam in illa." Sequitur executio: *Surrexit, & abiit. Videntes autem turbæ*, non ſcribæ, quia iſti dedignabantur, *timuerunt*. Habac. III: 2. „ Domine audivi auditum tuum, & „ timui." Sed quo timore? Quia *glorificaverunt Deum*: quia omnia in Deum retulerunt. Pſal. CXIII. 1. „ Non nobis, Domine, „ non nobis, ſed nomini tuo da gloriam." *Qui dedit poteſtatem talem hominibus*. Unde iſti non contemnunt, ſicut ſcribæ. Sed quia dicitur, *Hominibus*, ideo Hilarius exponit: „ *Qui dedit talem poteſtatem hominibus*, ut fiant „ filii Dei:" ut in Ioan. I. 12. „ Dedit eis „ poteſtatem filios Dei fieri."

(b) Hic ponitur primo converſio peccatorum; ſecundo diſceptatio phariſæorum, ibi, *Et videntes phariſæi dicebant diſcipulis eius*. Et primo dicit, qualiter quemdam vocavit ad diſcipulatum; ſecundo quomodo multos ad familiaritatem, ibi, *Et factum eſt diſcumbente eo in domo, &c.* Dicit ergo: *Cum tranſiret inde Ieſus*. Quare tranſivit? Quia inſidiabantur ei, ideo nolebat (a) turbas, ut dicitur Eccli. VIII. 13. „ Non incendas car- „ bones peccatorum." *Vidit hominem*. Vere hominem, quia peccatorem. Pſal. LXXXI. 7. „ Vos autem ſicut homines moriemini, „ & ſicut unus de principibus cadetis." *Sedentem in telonio*. Telonius (b) vectigalium: unde erat locus ubi vectigalia recipiebantur. Unde erat in quodam ſtatu ubi vix homo vivere poteſt ſine peccato. *Matthæum nomine*. Alii appellant eum Levi, ad ſervandum honorem eius, ut non noſcatur ille eſſe peccator; ſed ipſe vocat ſe Matthæum, quia iuſtus in principio accuſator eſt ſui, dans intelligere quod Dominus non eſt acceptator perſonarum. *Et dixit ei: Sequere me*. Et hoc magnum eſt quod moveat Dominus ad ſequelam. *Et ſurgens ſecutus eſt eum*. Unde potuit dicere illud Iob XXIII. 11. „ Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, „ viam eius cuſtodivi, & non declinavi ab ea."

Sed obiicitur quod hoc non poteſt eſſe quod ad unum verbum iſte ſecutus eſt eum. Et dicendum, quod ſama Ieſu ita divulgata erat, quod iam beatum ſe reputabat qui ſequebatur eum; ideo ad unum verbum iſte ſecutus eſt eum. Unde oſtenditur obedientia, quia ſtatim ſecutus eſt eum.

Sed quare non ſtatim vocavit a principio? Dicendum, quod iſte ſapiens erat ſapientia (c) ſæculi. Tardavit autem Dominus vocare eum,

(a) *Al.* turbari. (b) *Al.* vectigal. (c) *Al.* ſervili.

re eum, donec miracula provocarent. Vel dicendum, quod iſtud dictum eſt per reiterationem: quia iſte fuit in prædicatione Domini in monte.

Sed quare ergo ſic ponit Matthæus? Dico, ratione humilitatis: quia enim miraculum reputavit vocationem eius, ideo inter miracula recitavit.

Sed quare plus fit mentio de vocatione Petri, & Andreæ, & Matthæi, quam aliorum? Dicendum, quod inter viliores homines fuerunt piſcatores. Item inter peccatores, illi maxime qui vectigal recipiebant. Et ideo ſpecialiter fit mentio, ad cognoſcendum quod Deus non eſt perſonarum acceptator.

Sequitur: *Et factum eſt eo diſcumbente in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius*. Hic tangitur quomodo multos vocavit ad familiaritatem: unde dicit: *Et factum eſt &c.* Alii dicunt quod fecit ei convivium; iſte vero tacet. Et verum eſt quod fecit: unde invitavit multos, ut ad Deum traherentur: quia cortina cortinam trahit, Exod. XXXVI. Unde ſignum eſt quod aliquis firmiter converſus eſt ad Dominum, quando alios trahit, quos magis diligit. Unde dicit quod *multi publicani diſcumbebant, & peccatores cum Ieſu*: quia „ ſi quis aperuerit mihi, in„ trabo, & cœnabo cum eo, & ipſe me„ cum: " Apocalip. III. 20. *Et videntes phariſai, &c.* Dictum eſt qualiter Dominus peccatores invitat ad ſequelam, & ad convivium recipit; hic ponitur diſceptatio: (*a*) primo de ſocietate; ſecundo de convivio, ibi, *Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis*. Circa primum primo ponitur quæſtio; ſecundo reſponſio, ibi, *Ait Ieſus &c.* Dicit ergo: *Et videntes phariſaî dicebant diſcipulis eius*. Notandum, quod iſti phariſæi erant malitioſi, unde volebant ſchiſma ponere inter diſcipulos & Ieſum: unde diſcipulis, Ieſum accuſabant, & diſcipulos Ieſu. Unde volentes erga diſcipulos accuſare Ieſum, dicunt: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter?* Iſti ſunt de numero illorum de quibus habetur Prov. VI. 16. „ Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum „ deteſtatur anima eius, " ſcililet qui ſeminat inter fratres diſcordias.

Sed quæritur quare Lucas dicit iſtud eſſe dictum de diſcipulis. Et reſpondet Auguſtinus, quod eadem eſt ſententia utrobique, licet verba differant: quia totum imputabant doctrinæ magiſtri. Unde Lucas refert ad verba, ſed Matthæus ad ſententiam.

Sed videtur quod iſti recte arguebant, quia ſunt vitanda peccatorum conſortia. Sed notandum, quod aliquando ſunt vitanda peccatorum conſortia propter ſuperbiam, & contemptum, ut iſti, ſicut habetur Eſa. LXV. 5. „ Non appropinques mihi, quia im„ mundus es." Alii vero vitant coſortia propter peccatorum (*b*) utilitatem, ut erubeſcant, & ſic convertantur; & ſicut dicit Paulus I. ad Corin. VI. 5. „ Ad verecun„ diam veſtram dico. Sic non eſt inter vos „ ſapiens quiſquam. " Item aliquis vitat propter cautelam ſui, timens ne pervertatur. " Eccli. XIII. 1. „ Qui tangit picem „ coinquinabitur ab ea. " Et in Pſal. XVII. 27. „ Cum perverſo perverteris. " E contrario ſimiliter aliqui commorantur (*c*) cum peccatoribus ad ſui probationem: unde tentatio eſt ſui probatio, ut habetur Eccli. XXVII. 6. Et II. Pet. II. 18. „ Aſpectu enim, & auditu iu„ ſtus (*d*) erat habitans apud eos. " Et Cant. II. 2. „ Sicut lilium inter ſpinas, ſic ami„ ca mea inter filias. " Et ibi dicit Gloſſa: „ Non fuit bonus, qui malos tolerare „ non potuit. " Item aliqui inter malos commorantur propter converſionem, ut Paulus dicit I. Corin. IX. 19. „ Omnibus omnia fa„ ctus ſum, ut omnes lucrifacerem. " Sed differentia eſt: quia peccatoribus perſeverantibus, & pœnitere nolentibus non oportet communicare. De illis vero de quibus ſperatur, diſtinguendum eſt ex parte illius qui habitat: quia aut eſt firmus, aut infirmus. Si infirmus, habitare cum eis non debet: ſi firmus, competens eſt ut cum eis habitet, ut eos ad Deum convertat. Item Ieſus medicus erat certus, ideo cum eſſet cum eis periculum non timebat; ideo &c.

Sed ſequitur Ieſu reſponſio. Et ponit rationes tres. Primo ex ſimilitudine dicit: *At Ieſus audiens dixit: Non eſt opus valentibus medicus*. Et vocat ſe Dominus medicum, & bene. Pſal. CII. 3. (*e*) „ Qui ſanat „ omnes infirmitates tuas, " ſcilicet tam animæ quam corporis. Ideo tangit infirmitates & animæ, & corporis: unde dicit: *Non eſt opus valentibus medicus &c.* Valentes dicuntur qui ex ſuperbia reputant ſe valere, de quibus Apoc. III. 17. dicitur: „ Dicis: „ Dives ſum, & locupletatus, & nullius „ egeo; & neſcis quia tu es miſer, & mi„ ſerabilis, pauper, cæcus, & nudus. " Et talibus non eſt opus medicus, *ſed male haben-*

(a) *Al. deeſt* primo. (b) *Al.* vilitatem. (c) *Al. omittitur* cum. (d) *Al.* erit habitans inter illos.
(e) *Al.* Qui propitiatur Dominus omnibus infirmitatibus tuis, tam animæ quam corporis &c.

habentibus, ideſt peccatum recognoſcentibus; ſicut dicebat David Pſal. l. 5. „ Iniquitatem „ meam ego cognoſco &c.“ Secundo inducit auctoritatem, dicens: *Euntes autem diſcite quid eſt*; quaſi dicat: Vos non intelligitis Scripturas; ſed ite, & diſcite quid eſt: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Hoc ſcribitur Oſeæ vi. 6. Et dupliciter exponitur. Primo ita quod intelligatur unum alii præferri: quia magis volo miſericordiam, quam iudicium: unde præfertur ſacrificium ſacrificio. Sacrificium eſt agnus, item miſericordia: talibus enim hoſtiis (*a*) miſeretur Deus. Quid ergo iſtorum melius? Prover. xxi. 3. „ Facere miſericordiam, & iudicium „ magis placet Deo quam victimæ. “ Vel ita quod unum approbetur, reliquum vero reprobetur. *Miſericordiam volo, ſed non ſacrificium*, quod facitis. Unde Eſa. i. 15. Holocauſta (*b*) nolui, quia „ manus veſtræ „ ſanguine plenæ ſunt. “ Vel aliter: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Illud enim dicitur aliquis velle quod vult propter ſe, & non propter aliud; ſicut ſi medicus diceret: Volo ſanitatem; & ſic in operibus quæ offerimus Deo, quædam offerimus propter ſe, ut diligere Deum, & proximum; alia vero propter iſta. Michæ. vi. 8. „ Indi- „ cabo tibi, homo, quid ſit bonum, & quid „ Dominus requirat a te. Utique facere iu- „ dicium, & diligere miſericordiam. “ Tertio inducit Dominus aliam rationem ex ſuo officio: ut ſi aliquis legatus miſſus eſſet, & uteretur ſuo officio, ſi prohiberetur ab alio, diceret: Stultus es, quia prohibes quod ad me pertinet. Venerat Dominus ad ſalvandum peccatores: unde dictum eſt (cap. i. 21.) *Et vocabis nomen eius Ieſum: hic enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Et ideo dicit: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*. Lucas addit ad pœnitentiam. Et iuſta eſt hæc additio: quia non venit vocare peccatores ut remanerent in peccatis, ſed ut amoveantur ab eis.

Sed poteſt quæri de iuſtis, quia nullus iuſtus, niſi ſolus Deus, quia omnes ſumus peccatores. Item videtur falſum quod dicit, quia Ioannes iuſtus fuit, Simeon iuſtus, Zacharias iuſtus; & tamen eos vocavit.

Dicendum, quod diſtinguendum eſt de iuſtitia: quia iuſtus aliquis dicitur qui peccato non eſt obnoxius; & ſic non eſt iuſtus quiſquam, quia omnes vel mortali, vel veniali, vel originali ſunt obnoxii, ſaltem quantum ad reatum: & iſtud penitus delevit: quia Ioan. v. 40. „ Ipſe venit ut vi- „ tam habeant. “ Unde non venit vocare iuſtos, inquantum iuſtos, (*c*) ſed inquantum peccatores. Item dicitur iuſtus qui non eſt obnoxius peccato mortali: unde non veni vocare iuſtos ad pœnitentiam, ſed ad maiorem iuſtitiam. Vel ſic. *Non veni vocare iuſtos*, ideſt qui de ſua iuſtitia confidunt; *ſed peccatores*, qui pœnitent, ignorantes ſuam iuſtitiam.

(c) Hic ponitur quæſtio de convivio; & ſequitur reſponſio, ibi, *Et ait Ieſus*.

Sed tunc eſt hic quæſtio litteralis, quare Marc. ii. & Luc. vi. videtur quod ab aliis facta fuerit quæſtio: ubi dicitur: (Luc. ii. 18.) „ Quare diſcipuli Ioannis, & phariſæo- „ rum ieiunant, tui autem diſcipuli non ie- „ iunant? “ Ergo diſcipuli non dixerunt.

Auguſtinus ſolvit. Ita erat quod phariſæi inſidiabantur Chriſto: unde aliquando ſecum herodianos traxerunt; modo vero aſſumpſerunt diſcipulos Ioannis. Unde potuit & ab aliis, & a diſcipulis peti.

Sed unde hoc quod ieiunabant? Reſpondetur hic ex traditionibus ſuis, vel ex lege, ſicut habetur quod in die propitiationis tenebantur ieiunare. Et Zach. viii. 19. „ Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, „ & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi „ erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, „ & in ſolemnitates præclaras. “ Item diſcipuli Ioannis ieiunabant exemplo magiſtri ſui, qui magnæ fuit auſteritatis. Diſcipuli vero Chriſti non ieiunabant.

Et ait illis Ieſus. Hic reſpondet Ieſus, & ſubtiliter. Primo aſſignat cauſam a parte ſua; deinde a parte diſcipulorum. Circa primum duo facit. Primo determinat tempus epulandi; ſecundo ieiunandi, ibi, *Venient autem dies cum auferetur ab eis ſponſus; & tunc ieiunabunt*. Dicit ergo: *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Ubi iſte dicit *lugere*, alius dicit *ieiunare*. Licet enim ieiunium quamdam habeat lætitiam ſpiritualem, tamen, ut habetur Hebr. xii. 11. „ Omnis diſciplina in præ- „ ſenti quidem videtur eſſe non gaudii, „ ſed mœroris. “ Unde eſt ieiunium ſpiritualis lætitiæ, ut habetur Daniel. ix. 3. „ Poſui faciem meam ad Dominum Deum „ meum deprecari, & rogare in ieiunio, „ ſacco, & cinere. “ Item eſt luctuoſum, & afflictionis, ut quando propter dolores. Reſpondet Dominus de utroque. Sponſus Chriſtus eſt: qui enim habet ſponſam ſponſus eſt. Ipſe enim eſt ſponſus totalis Eccleſiæ, &

(a) *Al.* promeretur. (b) *Al.* noluit. (c) *Al.* ſed peccatores.

Digitized by Google

& primordium. Aliud habuit primordium lex vetus, & aliud lex nova: lex enim vetus primordium habuit in timore; lex nova in amore: unde Rom. VIII. 15. „ Non „ enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum „ in timore; ſed accepiſtis ſpiritum ad- „ optionis filiorum Dei. “ Et Heb. XII. 22. „ Acceſſiſtis ad montem Sion, & civita- „ tem Dei viventis Hieruſalem. “ Quia igitur primordium novæ legis ſuit in amore, ideo diſcipulos ſuos nutrire debuit in amore quodam; ideo ſe ſponſum nominat, & diſcipulos filios: quia iſta ſunt nomina amoris. Unde bonum eſt quod conſervem eos, & ideo nolo aliquid grave eis imponere, ne abhorreant, & ſic retrocedant. Et ideo qui in religionibus ſunt novi, non ſunt gravandi. Unde Ambroſius in Libro de Similitudinibus reprehendit eos qui novitios graviter onerant. Et hoc eſt quod Chriſtus dicit: *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere? &c.* quaſi dicat: Non oportet quod ieiunent; ſed magis in quadam dulcedine vivere & amore: ut ſic legem meam recipiant in amore; ut habetur ad Rom. VI. 4. „ Quomodo ſurrexit „ Chriſtus a mortuis per gloriam Patris, „ ita & nos in novitate vitæ ambulemus. “ Unde a paſcha uſque ad pentecoſten non ſunt ieiunia; quia tunc recolit Eccleſia novitatem legis. *Venient autem dies &c.* Et hoc ad litteram. *Venient dies*, quando ſcilicet vobis procurantibus, *auferetur ab eis ſponſus*; *& tunc ieiunabunt*. Et hoc prædixit eis, dicens, Ioan. XVI. 20. „ Vos plorabitis; mun- „ dus autem gaudebit. “ Illi enim qui ante Chriſtum fuerunt, deſideraverunt Chriſti præſentiam, ut Abraham, & Eſaias, & alii prophetæ. Item poſt mortem eius deſiderata fuit ab Apoſtolis: unde Petrus quaſi in continuo dolore erat propter abſentiam Chriſti; & Paulus dicebat: „ Cupio „ diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. “ (ad Philip. I. 23.) Unde tunc erat tempus ieiunandi. Alia ratio quare in præſentia non tenentur ieiunare: quia ieiunium eligendum eſt inquantum caſtigat carnem, ne contra ſpiritum invaleſcat; ſed cum erat præſens, cuſtodiebat eos ab exceſſu; ideo non oportebat eos ieiunare. Unde in Ioan. XVII. 12. „ Pater, cum „ eram cum eis, conſervabam eos. “ Sed Ioannes Baptiſta non habebat hanc virtutem; ideo ieiunare debebant eius diſcipuli. Sed quando Chriſtus ablatus fuit, eos oportuit ieiunare. Unde Paulus dicit I. Corinth. IX. 27. „ Caſtigo corpus meum, & in ſervitu- „ tem redigo &c. “ *Nemo autem mittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus.* Hic ponit aliam rationem a parte diſcipulorum; & ponit duo exempla. Unum ſecundum Auguſtinum; aliud ſecundum Hieronymum. Unde ſecundum Auguſtinum, vult dicere: Dictum eſt quod in præſentia Chriſti non debebant ieiunare diſcipuli, nec etiam ex conditione ſua, quia imperfectis gravia iniungi non debent. Igitur cum iſti ſint imperfecti, eis ieiunium iniungi non debet. Ut iſtud ergo ſignificet, tangit ſub metaphora panni, & vini. Quia iuſtitia conſiſtit in operibus exterioribus, & in novitate affectionis, ideo duo exempla ponit. Dicit ergo: *Nemo mittit &c.* ut ſi vellet iungere novum pannum, non ponet *commiſſuram*, ideſt depetiaturam, *panni rudis*, ideſt novi, *in veſtimentum vetus*, quia tolleret eius pulchritudinem: ſic ſi aliquis imperfectus habet aliquam conſuetudinem vitæ ſuæ, ſi vis imponere ei aliud iugum, recedit ab eo quod conſueverat, *& efficitur peior ſciſſura*, ut habetur infra. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres*. Ponit hic aliud exemplum de vino; quaſi dicat: Diſcipuli mei ſunt quaſi utres veteres. Vinum novum eſt lex nova, ratione novitatis: unde cum recepiſſent Spiritum ſanctum, dixerunt eos muſto madere, Act. II. 13. Unde: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres*. Unde ſi homini veteri, qui aliquando habet aliquam conſuetudinem, imponis novum vivendi modum, rumpitur cor per intolerantiam. Item *effunditur vinum*, ideſt non cuſtoditur, *& utres pereunt*: quia conculcaverunt mandata Dei, & ideo pereunt. *Sed vinum novum in utres novos mittunt*, doctrinam ſpiritualem innovans per affectum, ut dicit Apoſtolus I. Corint. II. 13. „ Spiritualibus ſpiritualia „ comparantes. “ Proverb. II. 10. „ Si in- „ troierit ſapientia cor tuum, & ſcientia „ animæ tuæ placuerit, cuſtodiet te, & „ prudentia ſervabit te, ut eruaris a via „ mala, & ab homine qui perverſa loqui- „ tur &c. “ Hieronymus aliter exponit: quia inſtitutum phariſæorum vocat veſtimentum vetus, novum doctrinam evangelicam; quaſi dicat: Non eſt bonum ut ſervent documenta veſtra, quia ſic facerent ſciſſuras veteres; & ſic novam doctrinam recipere non poſſent: ſicut videmus quod facilius recipit doctrinam ſuam qui non eſt imbutus contraria doctrina quam qui eſt imbutus. Et ideo non eſt bonum quod veſtra imbuantur doctrina.

(d) Poſuit miracula quibus adhibentur remedia contra pericula peccati; hic ponit illa quibus adhibentur remedia contra peri-

Digitized by Google

cula mortis. (a) Et dividitnr in partes duas: quia primo narrat quomodo vitam reſtituit; ſecundo quomodo opera vitæ, ibi, *Et tranſeunte inde Ieſu*. Circa primum primo ponitur invitatio ad miraculum peragendum; ſecundo indicium, ibi, *Et ecce mulier &c.* tertio miraculi præparatio, ibi, *Et cum eiecta eſſet turba*. Circa primum quatuor facit. Primo deſcribitur tempus invitationis; ſecundo perſona invitans; tertio invitatio; qnarto admiſſio invitationis. Dicit ergo: *Hac illo loquente*, ſcilicet in domo Matthæi.

Sed eſt obiectio: quia Marcus, & Lucas alio ordine recitant, ſcilicet quod iſte acceſſit ad Ieſum poſtquam transfretaverat.

Auguſtinus ſolvit, quod quando ponitur in Evangeliſtis aliquid ad tempus pertinens, ſi ſtatim ponitur, repræſentatur tunc ordo hiſtoriæ; & ideo cum dicitur hic, *Hac eo loquente*, ſignificatur ordo hiſtoriæ: ſed in Marco, & Luca refertur ad ordinem memoriæ ſuæ. Vel poteſt dici, quod fuit aliquis locus medius (b) ubi iſtud accidit: aliquando enim non dicunt utrum ſtatim, poſt, vel quando factum quid ſit.

Sequitur: *Ecce princeps*. Hic ponitur perſona invitans, ſcilicet princeps ſynagogæ, & dicitur Iairus, illuminans, vel illuminatus. In Gen. xxiii. 6. „ Princeps Dei eſt „ apud nos. " Sequitur invitatio; & duo facit. Primo exhibuit reverentiam, quia perſonaliter *acceſſit*. Item *adoravit*. Item poteſtatem confitetur, quia dicit, *Domine*. Iſte princeps ſignificat antiquos patres: quia iſti acceſſerunt per deſiderium, & credentes Chriſtum venturum adoraverunt. Pſal. cxxxi. 7. „ Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes „ eius. " Item confitebantur. „ Scitote quo„ niam Dominus ipſe eſt Deus: " Pſal. xcix. 3.

Sequitur periculum: *Filia mea modo defuncta eſt*. Contrarium habetur in Luca, & in Marco: quia ibi (Mar. v. 23.) dicitur „ Filia mea in extremis eſt. Et cum eſſet in via, occurrerunt ei famuli &c.

Solvit Auguſtinus: quia quando iſte Iairus receſſit, iam erat in extremis, & credebat quod eam non inveniret vivam; ideo magis petebat ut veniret, & reſuſcitaret eam, quam ut curaret: unde dicit: *Filia mea modo defuncta eſt &c.* quaſi dicat: Credo quod iam mortua ſit. Alii igitur dixerunt ſecundum quod fuit; ſed Matthæus ad intentionem retulit. Ideo Auguſtinus dat bonum documentum, quod non eſt neceſſarium quod eadem verba referantur, ſed ſufficit quod ſolum intentio dicatur.

Sed quare dixerunt famuli (ibid. 35.) „ Noli „ vexare magiſtrum? " Videtur hoc fuiſſe incredulitatis. Dicendum, quod hoc verum eſſet ſi hoc dicerent ex intentione domini; ſed ipſi neſciebant eius intentionem. Chryſoſtomus ſic exponit. Conſuetudo eſt aliquorum quando volunt movere ad pietatem, quod exaggerant malum: ideo ut magis moveret eum, dixit, *Defuncta eſt*.

Iſta filia eſt ſynagoga, quæ filia eſt principis, ſcilicet Moyſi, quæ mortua eſt per infidelitatem. Luc. xix. 42. „ Nunc autem abſ„ condita eſt ab oculis tuis &c. " Sed videtur eſſe in iſto fides infidelitati coniuncta: quia quod credebat quod reſuſcitaret, (c) erat fidei; ſed quod credebat quod abſens non poſſet, hoc erat infidelitatis. Unde iſte videtur ſimilis Naaman, qui dixit: „ Puta„ bam quod egrederetur ad me, & ſtans in„ vocaret nomen Domini Dei ſui, & tan„ geret manu ſua locum lepræ, & curaret „ me &c. " IV. Reg. v. 11.

Sed veni impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Myſtice hic ſignificatur appetitus patrum de (d) venturo Chriſto: unde dicebant: *Veni, impone manum tuam*, ideſt Chriſtum, ut in Pſal. cxliii. 7. „ Emitte manum tuam „ de alto. " *Et ſurgens Ieſus ſecutus eſt eum*. *Surgens*, ſcilicet a prandio. Hic habetur documentum miſericordiæ Chriſti, quia ad petitionem illius, ſtatim ivit, ut habetur Eſa. xxx. 19. „ Statim ut audierit, reſpondebit „ tibi Dominus. " Item dat exemplum prælatis de ſolicitudine, quod ſtatim ſoliciti ſint ad ſubveniendum peccatis. Item dat documentnm obediendi, quia diſcipulos ſecum duxit, ut habetnr Heb. xiii. 17. „ Obedite „ præpoſitis veſtris. " Sed non duxit Matthæum, quia adhuc infirmus erat. *Et ecce mulier*. Dat exemplum virtutis. Et tria facit. Primo deſcribitur eius infirmitas; ſecundo commendatio mulieris, ibi, *Dicebat enim intra ſe &c.* tertio benignitas Chriſti ſanantis, ibi, *At Ieſus converſus &c.* Dicit ergo: *Et ecce mulier*. Ut habetur Lev. xii. mulier quæ patiebatur fluxum ſanguinis, immunda erat, & non habitabat cum hominibus: ideo non acceſſit in domo, ſed in via. Et hæc ſignificat gentilitatem, quæ ingreſſa eſt in plenitudinem Iudæorum, ut habetur ad Rom. xi. 25. „ Cæcitas ex parte „ contigit in Iſrael, donec plenitudo gen„ tium intraret " Hæc, ſcilicet ſynagoga,

habet

(a) *Al.* dividitur: quia primo &c. (b) *Al.* ut. (c) *Al.* eſt. (d) *Al.* veniendo.

Digitized by Google

habet fluxum ſanguinis, ſcilicet errorem immolatitii ſanguinis. Vel poteſt retorqueri ad peccata carnalia: unde „ caro, & ſan„ guis regnum Dei non poſſidebunt: " I. ad Cor. xv. 50. Hæc mulier *patiebatur duodecim annis*; & filia principis erat duodecim annorum: unde hæc incepit pati quando filia principis nata fuit. *Acceſſit retro*, & *tetigit fimbriam veſtimenti eius*. Hic ponitur commendatio ipſius mulieris ex ipſius humilitate, & ex fide quæ maxima eſt ad (*a*) impetrandum. *Acceſſit, & tetigit fimbriam*, a retro. Quare a retro? Quia immunda reputabatur: unde quicquid tangebat, immundum erat ſecundum legem; ideo timebat ne repudiaret eam. Item non eſt cauſa tangere niſi fimbriam. Præcipiebatur in lege quod in quatuor angulis veſtis portarent fimbrias, & ibi habebant tympana ad memoriam mandatorum Dei, & ut ſic ab aliis dignoſcerentur: & hanc veſtem Chriſtus habebat. Myſtice hoc ſignificat gentilitatem, quæ acceſſit per fidem; ſed retro, quia non ipſo vivente. Item tetigit veſtimentum, ſcilicet humanitatem, & ſolum fimbriam, quia per Apoſtolos tantum. *Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalva ero*. Hilarius dicit: „ Multa eſt virtus Chriſti: „ quia non ſolum in animam, ſed ex anima „ in corpus, & ex corpore in veſtes redun„ dat. " Et ſic omnia quæ tetigerunt Chriſti corpus habere debemus in reverentiam. Pſal. cxxxii. 2. „ Sicut unguentum in capi„ te quod deſcendit in barbam, barbam „ Aaron; quod deſcendit in oram veſtimen„ ti eius &c. " (*b*) Quod deſcendit in barbam, ideſt divinitas in carnem; & in oram veſtimenti, ideſt in Apoſtolos. *Salva ero*: ſic ſi fecerimus, & ei adhæſerimus, ſalvi erimus. (Ioel. ii. 32.) „ Omnis enim qui invocave„ rit nomen Domini ſalvus erit. " *At Ieſus converſus, & videns eam, dixit: Confide filia*. Hic ponitur Chriſti benignitas. Et primo oſtenditur facto: quia converſus ad eam. Et quare? Ne diffideret: quia enim ſurtive acceſſerat, non credebat quia converteretur ad eam. Item ut traheretur ad exemplum fides iſtius. Item ut ſe Deum oſtenderet: unde converſus eſt converſione miſericordiæ, & vidit eam oculo pietatis. Zach. i. 3. „ Convertimini ad me, & ego convertar „ ad vos. " Item oſtenditur eius benignitas verbo, eum dicit, *Confide*. Quia timens acceſſit, ideo blande eam alloquitur. Eſa. xxx. 15. „ Si revertimini, & quieſcatis, ſalvi eri„ tis. " Item vocat eam filiam, ne diffidat. Ioan. i. 12. „ Dedit eis poteſtatem filios Dei „ fieri. " Item dat ſpem: *Fides tua te ſalvam fecit*. Unde noſtra ſalus ex fide eſt, ut habetur ad Rom. iii. Et ſequitur effectus: *Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora*: & non ex hora qua Chriſtus dixit, ſed ex hora qua tetigit. *Et cum veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines &c.* Hic ponitur reſuſcitatio. Et quatuor facit. Primo mortis indicia deſcribuntur; ſecundo datur ſpes, ibi, *Recedite &c.* tertio ponitur reſuſcitatio; quarto ponitur effectus. Dicit ergo: *Cum veniſſet .... & vidiſſet &c.* Et quare venerunt tibicines? Turba venit ſicut ſolet fieri etiam de mortuis modo; ſed tibicines, quia fuit conſuetudo quod veniebant tibicines, & cantabant lugubria, ut alios excitarent ad fletum, ut habetur Hier. ix. 17. „ Con„ templamini, & vocate lamentatrices, & „ veniant. " Hi tibicines ſunt falſi doctores: „ lingua enim eorum adinventio„ nes eorum contra Dominum, ut provocarent „ oculos maieſtatis eius. " (Eſa. iii. 8.) Turba autem populus Iudaicus. Exo. xxiii. 2. „ Non ſequeris turbam ad faciendum ma„ lum. " Hanc ſuſcitavit Dominus in domo. Tres enim mortuos ſuſcitavit Dominus. Puellam in domo, iuvenem in porta, Lazarum in ſepulcro. Quidam enim peccato moriuntur, ſed non extra feruntur; & hoc eſt per conſenſum in peccatum, ſed non exeunt ad extra per opera. Quidam autem extra fertur ad actum, & hic ſignificatur per eum quem ſuſcitat in porta. Quidam vero ex conſuetudine iacet in ſepulcro, qui ſignificatur per Lazarum. Hæc igitur puella ſignificat peccatorem qui eſt in peccato occulto, ſcilicet in mente. Tibicines ſunt qui fovent eum in peccato. Pſal. x. 3. „ Lauda„ tur peccator in deſideriis animæ ſuæ. " Turba eſt cogitationes. Et hanc ſanat Dominus: unde dicit: *Recedite, non eſt mortua*. Hic dat ſpem. *Non eſt mortua*, ſcilicet ſibi; *ſed dormit*, quia eſt (*c*) ita ſibi facile reſuſcitare, ſicut alicui aliquem excitare a ſomno. Simile habetur Ioan. xi. 11. „ Lazarus „ amicus noſter dormit. " *Non eſt mortua*. Et quare dixit hoc modo? Quia deridebant eum. Sed quare voluit derideri? Hoc fuit ut non poſſent contra miraculum dicere. Unde primo adverſarios faciebat confiteri, ut poſt contradicere non poſſent. *Et cum eiecta eſſet turba, intravit*. Et quare eiecta fuit turba? Quia videre non fuit digna. Turba ſunt Iudæi qui non convertuntur. Et moraliter ad hoc quod anima ſuſcitetur, oportet quod

(a) *Al.* imperandum. (b) *Al.* ideſt divinitas in carne, quod deſcendit in barbam, ideſt in Apoſtolos, & in oram veſtimenti. (c) *Al.* ita facile.

Digitized by Google

quod turba cogitationum expellatur; & tunc intrat Dominus. *Intravit, & tenuit manum eius &c.* Pſal. xi. 16. „ Dextera Domini „ fecit virtutem. “ Tenet manum peccatoris quando adiutorium ei præbet. *Et ſurrexit puella*, ſcilicet ad vitam: ſic nos per Dei adiutorium a peccato. Sequitur divulgatio in omnem terram.

(e) Supra oſtenſum eſt qualiter vitam reſtituit; hic tangitur quomodo dedit officia vitæ: & primo tangitur quomodo viſum reſtituit; ſecundo quomodo loquelam, ibi, *Egreſſis autem illis, &c.* Et primo quatuor facit. Primo ponitur petitio cæcorum; ſecundo examinatio credentium, ibi, *Et dicit eis Ieſus &c.* tertio exauditio, ibi, *Tunc tetigit oculos eorum*; quarto inſtructio illuminatorum, ibi, *Et comminatus eſt*. Circa petitionem iſtorum quinque notare poſſumus, quæ faciunt petitionem exaudibilem. Primo quia congruum tempus elegerunt ad petendum, quia *tranſeunte eo*: & in hoc ſignificatur tempus incarnationis, quod eſt tempus miſerendi. Unde in Pſal. ci. 14. „ Quia ve„ nit tempus miſerendi eius. “ Et ideo melius exauditi fuerunt, ut habetur Heb. v. 7. „ Exauditus eſt pro reverentia ſua. “ Item ad hoc ut impetrarent, *ſecuti ſunt eum*: qui enim Deum non ſequuntur obediendo, non impetrant. *Duo cæci.* Iſti duo cæci ſunt duo populi, ſcilicet Iudæorum, & Gentilium: cæci enim ſunt qui fidem non habent. De talibus dicitur Eſa. lix. 10. „ Palpavi„ mus ſicut cæci parietem. “ Item requiritur fervor devotionis, cum dicitur, *Clamantes*, ut habetur in Pſal. cxix. 1. „ Ad Do„ minum cum tribularer clamavi, & exau„ divit me. “ Item humilitas petentium, cum dicitur: *Dicentes: Fili David miſerere noſtri*: ut habetur Dan. ix. 17. „ Exaudi „ Deus noſter orationem ſervi tui. “ Item tangitur fides eorum, quia filium David nominant; & hæc eſt neceſſaria; ut habetur Iac. i. 6. „ Poſtulet in fide, & nihil hæſi„ tans. “ Deinde petentes examinat. Primo facto, differendo exauditionem eorum: tunc enim firma fides oſtenditur quando ſtatim non impetratur. Habac. ii. 3. „ Si moram „ fecerit, expecta eum, quia veniet. Unde duxit eos uſque ad domum. *Cum autem veniſſet domum &c.* Per domum iſtam intelligitur Eccleſia, quia iſta eſt domus Dei: vel cælum. Pſal. cxiii. 16. „ Cælum cæli Do„ mino. “ Item examinavit eos verbo: *Creditis quia hoc poſſum facere vobis?* Et hoc non petit quaſi ignorans; ſed ut meritum eorum augeatur. Rom. x. 10. „ Corde creditur ad „ iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalu„ tem. “ Item petit ut oſtendatur fides aliis, ut ſciant quia iuſte illuminavit. Item petit ut ad maiora promoveat: magnum enim profeſſi erant, quia filium David; ſed non ſufficiebat: ideo magis ab eis petit. *Creditis quia poſſum hoc facere?* ſcilicet propria poteſtate; quod ſolius Dei eſt. *Dicunt ei: Utique Domine*. Undeſmodo Dominum vocant, quod eſt proprium ſolius Dei. Sequitur exauditio. Et primo ponitur curatio; ſecundo curationis effectus, ibi, *Et aperti ſunt oculi eorum*. Ponitur curatio, cum *tetigit oculos eorum, dicens*: (*a*) unde tetigit, & dixit. Utrumque tamen per ſe ſufficiebat; tamen utrumque fecit, ut ſignificaretur quod cæcitas per Verbum incarnatum illuminatur. Ioan. i. 14. „ Verbum caro factum „ eſt, & habitavit in nobis; & vidimus glo„ riam eius. “ Unde dicit: *Secundum fidem veſtram fiat vobis*: quia merito fidei illuminantur qui ſine fide ſunt cæci. Sequitur effectus: *Et aperti ſunt oculi eorum*. Primo ergo dat lumen; & ita implevit illud (Ioan. i. 4.) „ Et vita erat lux hominum. “ (*b*) Eſa. xxxv. 4. „ Ipſe veniet, & ſalvabit „ nos. “ Sequitur inſtructio: unde dicit: *Et comminatus eſt*.

Et quare hoc? Alibi enim dicitur (Luc. ix. 60.) „ Vade ad tuos, & annuntia re„ gnum Dei. “ Chryſoſtomus: „ In bonis „ noſtris duo poſſumus conſiderare: quod „ Dei eſt, & quod noſtri. Quod noſtri eſt, „ debemus latere: quod Dei eſt, debemus „ manifeſtare; ut Paulus Philip. ii. Quæ„ rentes non quæ noſtra ſunt; ſed quæ Ieſu „ Chriſti. “ Supra v. 16. *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Unde dicit: *Videte ne quis ſciat*, ut doceat vitare vanam gloriam. *Illi autem*, non immemores beneficii accepti, *exeuntes diffamaverunt eum*, ut habetur Eſa. lxiii. 7. „ Miſerationum Domini recordabor. “

Sed numquid peccaverunt iſti, quia contra præceptum Domini fecerunt? Dico quod non, quia bona fide fecerunt, & ut oſtenderent quantum ſanctitatis exhibeat Dominus.

Egreſſis illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum. Supra Dominus reſtituit viſum cæco; nunc muto reſtituit loqnelam. Et ſufficienter iunguntur iſta, quia locutio eſt ſignum viſionis interioris. Eſa. xxxv. 4. „ Ipſe ve„ niet, & ſalvabit nos. Et tunc aperientur „ oculi cæcorum, & aures ſurdorum pate„ bunt. “

(a) *Al.* dicens, *Tetigit*, & dixit. (b) *Al. omittitur tota hac auctoritas Eſaia.*

„ bunt. “ Et in hoc tria facit. Primo deſcribitur infirmus; ſecundo tangitur curatio, ibi, *Et eiecto dæmonio, locutus eſt mutus*; tertio curationis effectus, ibi, *Et miratæ ſunt turbæ*. Dicit ergo: *Egreſſis autem illis &c.* Ab iſto non quæritur fides, ſicut a præcedentibus, quia iſte erat obſeſſus a dæmonio; ideo non erat compos mentis: & ideo non quæſivit de fide eius. Et iſte ſignificat gentilem populum, qui mutus eſt ad laudem. Pſal.lxxviii. 6. „ Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt. “ Item habent dæmonium, quia dæmonibus immolant. Pſal. xcv. 5. „ Omnes dii gentium dæmonia. “ Primo ergo ut bonus medicus curavit cauſam; ſecundo morbum: quia primo eiecit dæmonium; & ſic *eiecto dæmonio, locutus eſt mutus*. Sic gentilis dum liberatus eſt ab idolorum ſervitute, *locutus eſt mutus*, ſcilicet laudem Dei: „ ut omnis lingua confiteatur, „ quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt „ Dei Patris &c. Phil. ii. 11. Sequitur effectus: *Et miratæ ſunt turbæ*: unde mirabantur ſuper his quæ videbant. Et quia mirabantur, ideo dicebant: *Numquam apparuit ſic in Iſrael*. Verum eſt quod Moyſes fecit miracula, & alii; ſed talis non fuerat, ſcilicet qui tot faceret; item qui ſolo tactu; item qui ſtatim: ita quod ei conveniat: „ Quis ſimilis tui in fortibus, Domine, quis „ ſimilis tui? “ ut habetur Exo.xv. 11. Et Ioan. x. 25. „ Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. “ Item curat per fidem, quod lex non poterat facere; ut habetur ad Rom. viii. 2. „ Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me a „ lege peccati, & mortis; quod impoſſibile „ eſt legi. “ *Phariſæi autem dicebant*. Phariſæi, ideſt diviſi, quia perverſe interpretabantur, ut Eccli. xi. 33. „ Bona in malum „ vertent. “ Unde dicebant: *In principe dæmoniorum eiicit dæmones*.

Hic dicit Auguſtinus quod eſt notandum, quod Chriſtus idem miraculum bis fecit. Et hoc patet, quia diverſimode dicunt Evangeliſtæ: unde cum invenimus quaſi contraria, poſſumus referre ad unum, vel ad aliud, dicendo aliud eſſe miraculum.

(ſ) Oſtenſum eſt qualiter ſubvenerat occurrentibus; hic tangit quod ad eos ibat. Et hic duo tangit. Primo qualiter impendit quibuſdam effectum; ſecundo quomodo affectum, ibi, *Videns autem turbas, miſertus eſt eis*. Et circa primum primo oſtendit ubi impendit auxilium; ſecundo quod docuit; tertio quod fecit. Dicit ergo: *Et circuibat Ieſus omnes civitates, & caſtella*. In quo datur prædicatoribus exemplum, quod non ſint contenti prædicare in uno loco tantum. Ioan.xv. 16. „ Poſui vos ut eatis, & fructum afferatis „ &c. “ *Omnes civitates, & caſtella*. Et bene illud ordinatur cum præcedentibus Quia dixerant quod in principe dæmoniorum eiiciebat dæmonia; ideo manifeſtat ſe non habere dæmonium, ut ei conveniat Pſal. cxix. „ Cum his qui oderunt pacem eram „ pacificus, dum loquebar illis impugnabant „ me gratis. “ Sequitur quid annuntiabat: duo enim faciebat, quia in ſynagogis erat *docens, & prædicans*. *Docens* quæ ad fidem, *prædicans* quæ ad mores. Item coram multis, quia in ſynagogis. In Pſal. xxxix. 10. „ Annuntiavi iuſtitiam tuam in eccleſia magna. “ In quo etiam differt a doctrina hæreticorum, quæ eſt in occulto. Secus doctrina Chriſti. Ioan.xviii. 20. „ Nihil in occulto „ locutus ſum vobis. “ Item tangit quæ docet, quia *Evangelium regni*. Ioan. xviii. 37. „ In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum ut teſtimonium perhibeam veritati „ &c. “ Unde cæleſtia docebat. Eſa. xlviii. 17. „ Ego Dominus docens te utilia. “ Poſtea oſtenditur facto quid fecit: *Curans omnem languorem, & omnem infirmitatem*. *Languores*, quo ad graves infirmitates; *infirmitates*, quo ad leves. In Pſal.cii. 3. „ Qui propitiatur „ omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. “ Et quare hoc? Ut confirmaret miraculo quod dicebat verbo; ut in Marc. ult. 20. „ Domino cooperante, „ & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. “ Item ut oſtenderet exemplum prædicatoribus, ut facerent, & docerent. Act.i. 1. „ Cœpit Ieſus facere, & docere. “ *Videns autem Ieſus turbas, miſertus eſt illis*. Hic oſtendit qualiter Dominus quibuſdam impendit affectum; & hoc contra quoſdam: opinio enim fuit quod nullus ſufficiebat affectus; ſed requirebatur effectus: ſed hic dicit: *Videns Ieſus turbas, miſertus eſt illis*. Et primo tangit quomodo miſerebatur; ſecundo ponit exemplum. Et primo ponit miſericordiam Chriſti; ſecundo cauſam. Dicit ergo: *Videns &c.* ſcilicet pia conſideratione, *miſertus eſt eis*, quia proprium eſt ei miſereri. Pſal.cxliv. 9. „ Miſerationes eius ſuper omnia opera „ eius. “ Iſtud viſum deſiderabat David dicens Pſal.xxiv. 16. „ Reſpice in me, & miſerere mei. “ Et quibus miſertus eſt, quia *vexati* a dæmonibus, item *iacentes*, ſcilicet proſtrati ab infirmitatibus. Vel *vexati* erroribus, *iacentes* peccatis, *ſicut oves non habentes paſtorem*. Unde Prov. xi. 14. „ Ubi non „ eſt gubernator, populus corruet. “ Et Ezec. xxxiv.5. „ Diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non „ eſſet eis paſtor. “ Et in eodem (ver.2.) „ Væ pa-

Digitized by Google

„ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. “ Ut Zach. xi. 17. „ O paſtor, „ & idolum derelinquens gregem. “ *Tunc dicit diſcipulis ſuis*. Hic inducit aliquos ad miſerendum, & primo aſſignat cauſam; ſecundo inducit ad effectum, ibi, *Rogate ergo dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam*. Et ponit duas cauſas. Primo multitudinem tendentium ad bonum; ſecundo paucitatem doctorum, ibi, *Operarii autem pauci*. Multi convenerant; ideo dicit: *Meſſis quidem multa*. Meſſis non dicitur quando frumentum floreſcit, vel cum eſt in ſpica: ſed tunc quando iam diſpoſitum eſt ut (*a*) colligatur: ſic homines iam diſpoſiti erant ad credendum per effectum prædicatorum. Simile habetur Ioan. iv. 35. „ Levate oculos „ veſtros, & videte regiones, quoniam albæ „ ſunt iam ad meſſem. “ *Et operarii pauci*, ſcilicet boni; unde Apoſtolus (I. Corin. iii. 9.) „ Dei enim adiutores ſumus. “ (*b*) Impendete ergo quod veſtrum eſt. Et quid? *Rogate dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam*. Quando habemus defectum, debemus recurrere ad Deum; cum officium prædicationis non niſi precibus impetretur: qui enim mittit operarios eſt Dominus: unde dicitur: (Ioan. iv. 38.) „ Ego miſi vos. “ Et rogat ut rogetur, ut nobis accumulet meritum, dum pro ſalute aliorum oramus. Item talem ordinem poſuit, ut ſanctitas aliorum aliis proſit; ut I. Petr. iv. 10. „ Unuſquiſque ut „ accepit gratiam in alterutrum illam ad„ miniſtrantes, ſicut boni diſpenſatores mul„ tiformis gratiæ Dei &c. “ Unde vult ut quicquid gratiæ & ſanctitatis receperunt, aliis impendant; & ipſe rogatus exaudit. Rogat enim ut ipſe rogetur ut eos mittat. Rom. x. 15. „ Quomodo prædicabunt „ niſi mittantur? “ acquiritur enim auctoritas; item gratia: unde (II. Corin. v. 13.) „ Caritas Chriſti (*c*) urget nos. “ Item *rogate dominum meſſis ut mittat operarios*, non quæſtuarios, qui corrumpunt malo exemplo, *in meſſem ſuam*, ſcilicet in meſſem Dei. Quæſtuarii enim non mittuntur in meſſem Dei, ſed in meſſem ſuam: quia non quærunt gloriam Dei, ſed commodum ſuum.

CAPUT X.

(a) ET convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem diſcipulorum nomina ſunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Thomas, & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thadæus, Simon Chananæus, & Iudas Scariotis, qui & tradidit eum. Hos duodecim miſit Ieſus, præcipiens eis, & dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; ſed potius ite ad oves quæ perierunt domus Iſrael. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquabit regnum cælorum: infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite. Gratis accepiſtis; gratis date. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo. In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis. Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos. Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros; exeuntes foras de domo, vel civitate excutite pulverem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicii, quam illi civitati.

(b) Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: & ad Reges ducemini pro-

(a) *Al.* colligant. (b) *Al.* Impendentes. (c) *Al.* monet.

Digitized by Google

propter me, in teſtimonium illis, & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim nobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini; ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis civitates Iſrael donec veniat Filius hominis. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum. Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter eius, & ſervo ſicut dominus eius. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos eius? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim eſt opertum quod non reveletur, & occultum quod non ſciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt; & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis eſt. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis eſt. Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui invenit animam ſuam, perdet illam; & qui perdiderit animam ſuam propter me inveniet eam. Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet: & quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

(a) SUpra propoſuerat doctrinam ſuam; hic miniſtros inſtituit. Et deſcribuntur numero, poteſtate, & nominum poſitione. Numero: unde dicit, *Convocatis duodecim*. Et quare dicit duodecim? Ut oſtenderetur conformitas novi & veteris teſtamenti: quia in veteri duodecim Patriarchæ; & iſti ſimiliter duodecim. Secunda ratio ut oſtenderetur virtus (*a*) & effectus futurus per eos. Iſte enim numerus ex partibus quatuor, & tribus in ſe ductis componitur, ut quater ter, vel ter quater. Per trinarium Trinitas deſignatur; per quaternarium mundus. Ideo ſignatur quod in totum mundum debebat eorum prædicatio extendi: unde Dominus, Mar. ult. 15. „ Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ &c. " Item ad ſignandum perfectionem: quia duodenarius conſiſtit ex duplicitate ſenarii: ſenarius enim perfectus eſt numerus: quia ex omnibus partibus (*b*) aliquotis: conſurgit enim per unum duo, & tria; & iſtæ partes ſimul iunctæ ſunt ſex: unde tot vocavit ad ſignandum perfectionem. Supra v. 48. *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter perfectus eſt*. Sequitur de poteſtate eorum: quia *dedit eis poteſtatem &c.* ſcilicet ut ipſi faciant, vel facere poſſint, ſicut ipſe fecit. Et non ſolum quæ fecit, ſed maiora, Ioan. xiv. Non eſt enim ſcriptum quod ad umbram Chriſti curarentur infirmi, ſicut ſcriptum eſt, quod ad umbram Petri multi curabantur, Act. v. 15. *Immundorum ſpirituum, ut eiicerent eos*. Unde noluit quod ipſi eiicerent ſicut ipſe; ſed ipſe verbo proprio, ipſi vero in nomine Chriſti: unde Mar. ult. 17. „ In nomine meo dæmonia eiicient &c. " Et non ſolum ut dæmonia eiicerent, ſed ut *omnem languorem curarent*; ut habetur Mar. ult. 18. „ Super ægros manus imponent, & bene habebunt. "

Sed ſi quæras quare modo prædicatoribus

(a) *Al.* vel effectus. (b) *Al.* aliquotus: unde ſunt ſex bis tria; unde tot vocavit &c.

non datur iſta poteſtas ; reſpondet Auguſtinus, quia in promptu eſt maximum miraculum, ſcilicet quod totus mundus converſus eſt . Aut ergo facta ſunt miracula ; & ſic habeo propoſitum: (*a*) ſi non, hoc eſt maximum , quia per duodecim viliſſimos homines piſcatores totus mundus converſus eſt .

Sequitur nominum poſitio. Et quare? Ne ſi veniret aliquis pſeudopropheta qui diceret ſe eſſe Apoſtolum, crederetur ei; & propter hoc reprobata eſt epiſtola fundameuti, ſcilicet Manichæi.

Et notandum, quod iſte ſemper binos combinat. Et quare? Quia numerus binarius eſt numerus caritatis . Item ubicumque ponit aliquem qui duobus nominibus vocatur, ponit aliquid per quod notetur differentia . Item ſciendum, quod non ſervat ordinem dignitatis ; tamen Petrus ſemper ponitur primus , qui etiam dicitur *Simon* , ideſt obediens : unde dicitur Proverb. xxx. 28. „ Vir obediens loquetur (*b*) victoriam. " *Petrus* a petra dicitur propter eius firmitatem; & Cephas, quod Sirum nomen eſt , non Hebræum. *Andreas* virile: unde dicitur Pſal. xxvi. 14. „ Viriliter age , & conſortetur cor tuum. " Item *Philippus* os lampadis: talis debet eſſe prædicator. In Pſal. cxviii. 40. „ Ignitum eloquium tuum vehementer . " *Bartholomaus* filius ſuſpendentis aquas : & iſte dicitur Chriſtus : de quo Iob xxvi. 8. „ Qui ligat aquas in „ nubibus ſuis . " Item *Iacobus Zebedai* , qui occiſus eſt ab Herode , qui ſupplantator dicitur. Et *Ioannes* , qui gratia dicitur. I. Corin. xv. 10. „ Gratia Dei ſum „ id quod ſum. " Iſte non ſequitur ordinem dignitatis, ſicut Marcus . Item *Thomas* , *& Matthaus* . Alii non ponunt *Publicanus* ; ſed iſte poſuit cauſa humilitatis . Item alii præponnnt Matthæum Thomæ; iſte e contrario . Thomas abyſſus dicitur , propter profunditatem fidei . Matthæus donatus , ut habetur Epheſ. iv. 32. „ Donantes invi- „ cem, ſicut & Chriſtus donavit nobis. " *Iacobus Alphai*, ad differentiam alterius. Iſte frater Domini dicitur, quia conſobrinus . *Et Thadaus* , frater Iacobi; & dicitur Iudas, qui ſcripſit epiſtolam ; & interpretatur cor. Prover. iv. 23. „ Omni cuſtodia ſerva „ cor tuum. " Item *Simon Cananaus* , a Cana villa. *Et Iudas Scariotis* , ad differentiam alterins Iudæ; & dicitur vel a villa, vel a ſtirpe de tribu Iſachar; qui mors dicitur. *Qui tradidit eum*. Et quare poſuit? Ut daret documentum, quod dignitas ſtatus non ſanctificat hominem. Item eſt alia ratio, ad notandum quod vix contingit quin in multa congregatione ſit aliquis malus. Et ideo ita ponitur ut oſtendatur quod boni aliquando non ſunt ſine malis. Cant. ii. 2. „ Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias " Et Auguſtinus : „ Non eſt domus mea me- „ lior quam domus Domini. " *Hos duodecim*, elegit Deus, & poſuit divulgatores ſacræ Scripturæ. *Pracipiens eis , & dicens &c.* Hic ponit eorum inſtructionem. Et primo inſtruit eos verbo ; ſecundo exemplo, ibi (cap. xi. 1.) *Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus &c.* Verbo tripliciter. Primo de officio ſuo; ſecundo de ſumptibus; tertio de periculis. Secundo ibi, *Nolite poſſidere aurum , neque argentum* ; tertio ibi, *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*. Circa officium quatuor mandat. Primo quo vadant; ſecundo quid dicant, ibi, *Euntes autem pradicate dicentes &c.* tertio quid ſaciant, ibi , *Infirmos curate &c.* quarto quo fine, ibi , *Gratis accepiſtis , gratis date* . Et primo dicit quo non vadant ; ſecundo quo vadant, ibi, *Sed potius ite ad oves qua perierunt domus Iſrael*. Et circa primum duo dicit. Primo : *In via gentium ne abieritis , & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Iſti erant medii inter Gentiles & Iudæos : de quibus habetur IV. Reg. xvii. & iſti retinuerunt partim ritum Iudæorum , partim Gentilium ; & iſti multum erant contrarii Iudæis. Unde prohibet ne vadant ad ſimpliciter Gentiles, nec ad mediocres iſtos.

Sed contrarium videtur quod dixit (inſra xxviii. 19.) *Ite , docete omnes gentes* . Et Eſa. xl. 5. „ Et videbit omnis caro pariter quod „ os Domini locutum eſt. " Quid ergo dicit : *In viam gentium ne abieritis?*

Dicendum, quod miſſi ſunt ad utroſqne ; ſed ordo debebat obſervari : quia primo Iudæis. Et una ratio eſt , quia primo fieri debet quod iuſtitia exigit , quam quod ex miſericordia provenit; ſed iuſtitia erat quod primo Iudæis (*c*) prædicarent, qnia iſtud ex promiſſione habebant; ut habetur Rom. xv. 8. „ Dico autem Chriſtum Ieſum mini- „ ſtrum ſuiſſe circumciſionis propter verita- „ tem ad confirmandas promiſſiones patrum." Gentibus autem tenebatur ex miſericordia : (*d*) ut enim habetur Rom. xi. 17. „ Gentiles oleaſtri ſunt ab oliva recepti, ſcilicet a fide antiquorum patrum : unde ibi dicitur: „ Tu autem cum oleaſter eſſes, in- „ ſertus es in illis, & ſocius radicis , &

„ pin-

(a) *Al.* ſi non eſt, hoc eſt maximum. (b) *Al.* victorias. (c) *Al.* prædicaret, quia iſtud ex permiſſione. (d) *Al.* ut habetur.

,, pinguedinis olivæ factus es. “ Primo er-
go oliva nutrienda erat, ut aliquid (*a*) ac-
ciperet ab ea, poſtmodum oleaſter inferen-
dus, Roman. xi. Item volens fideles in fi-
dem patrum introducere, primo voluit
Iudæis prædicari fidem. Secunda ratio
fuit, quia Dominus infundit omnibus id ad
quod ſunt diſpoſiti; ſed multi Iudæorum
erant iam diſpoſiti per fidem. Et ſicut ignis
primo agit in ea quæ ſuot prope; ſic Do-
mious ex caritate primo voluit in his (*b*)
qui prope eraot. Unde dicitur Eſa. lvii. 19.
,, Venient ut aonuntient pacem his qui pro-
,, pe, & pacem his qui longe ſunt. “ Item
ſi ad Gentiles primo iviſſet, Iudæi, qui
multum habebant Gentiles odio, reprobaſ-
ſent eum ex indignatione. Ideo io Act. xiii.
46. ,, Vobis primo oportuit prædicari re-
,, gnum Dei. “ Unde dicit: *In viam gen-
tium ne abieritis*; ideſt ne appropinquetis
ad viam quæ ducit ad gentes, ut oon lo-
quantur de vobis. Sed non dicit, In viam
Samaritanorum. Et myſtice qui ſunt diſci-
puli Dei, non debent ire in viam gentium,
nec hæreticorum. Unde Hier. ii. 18. ,, Quid
,, tibi vis in via AEgypti, ut bibas aquam
,, turbidam? “

*Sed potius ite ad oves quæ perierunt domus
Iſrael*. Et quare oves? quia magis perie-
runt ex culpa phariſæorum, quam ex culpa
ipſorum. Unde Pſal. xcix. 3. ,, Nos autem po-
,, pulus eius, & oves paſcuæ eius. “ Et I.
Pet. ii. 25. ,, Eratis ſicut oves errantes; ſed
,, converſi eſtis ad paſtorem & epiſcopum
,, &c. “ Sed quid facieot diſcurrentes? *E-
untes autem prædicate*. Ioan. xv. 16. ,, Poſui
,, vos ut eatis, & fructum afferatis, & fru-
,, ctus veſter maneat &c. “ Et mittit eos
ſicut ipſe miſſus eſt, ſcilicet ad prædican-
dum. Unde *prædicate dicentes &c.* Et ſicut
Ieſus ioceperat (ſupra iv. 17.) *Agite pœni-
tentiam*; ſic præcepit eis. Inceperat: *Agite
pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cælo-
rum*. Pſal. cxviii. 155. ,, Longe enim a
,, peccatoribus ſalus; “ ſed modo (*c*) eſt pro-
pe per paſſionem Chriſti. Heb. ix. 12. ,, Per
,, proprium ſanguinem introivit ſemel in
,, ſancta æterna redemptione inventa. “
Unde dicit, *Appropinquabit*, ſcilicet per paſ-
ſionem meam: unde (*d*) io eis fundatur per
participationem gratiæ. ,, Totum enim re-
,, gnum Dei intra vos eſt. “ (Luc. xvii. 21.)
Sed poſſent dicere: Quomodo confirmabimus,
quæ dicemus? Certe miraculis, ſicut ipſe fe-
cit. Unde dicit: *Infirmos curate &c.*

Sed ſi quis diceret: Quare non facit mo-
do miracula Eccleſia? (*e*) dicendum, quod
miracula facta ſunt ad probationem fidei;
ſed iam fides approbata eſt. Et ideo ſicut qui fa-
ceret unam demonſtrationem ad probaodum
aliquam coucluſionem, non eſſet alia proba-
tio neceſſaria; ſic ibi. Unde maximum miracu-
lum eſt converſio totius mundi; ideo uon opor-
tet quod fiant alia: & ſicut facta fuerunt
alia miracula corporalia, ita fiunt quotidie
ſpiritualia: quia infirmi ſpiritualiter curan-
tur. Infirmi enim ſunt qui peccato agitan-
tur, qui proni ſunt ad peccatum. Rom.
xiv. 1. ,, Infirmum autem in fide aſſumire. “
Et iſti a Domino ſanantur. Qui autem con-
ſentiunt, mortui ſunt, quia ſeparantur a
Deo. Et iſti reſuſcitantur a Domioo, ut
Epheſ. v. 14. ,, Surge qui dormis, & exurge a
,, mortuis. “ Item leproſi mundantur: leproſi
enim dicuntur qui ſunr infectivi aliorum: quia
lepra eſt morbus contagioſus; & iſti aliquando
curantur. IV. Regum v. dicitur quod lepra
Naam adhæſit Giezi. Irem dæmones ei-
iciuntur: dæmones enim ſunt quorum pec-
catum iam tranſiit ad effectum, de quibus
dicitur Proverb. ii. 14. ,, Lætantur cum
,, male fecerint, & exulrant in rebus peſſi-
,, mis. “ Et ut habetur de Iuda, Ioan. xiii.
27. quod intravit in eum ſatanas &c. Et
iſti aliquando curantur.

Et quia poſſent dicere Apoſtoli: Modo e-
rimus divites; ſi facimus miracula, habebi-
mus multa: & de hac cauſa voluit Simoo
Magus facere miracula: hanc cauſam exclu-
dit Dominus dicens: *Gratis accepiſtis, gratis
date*. Magnum eſt facere miracula, ſed (*f*)
maius eſt virtuoſe vivere. Unde amovet ab
eis ſuperbiam: quia poteſt ſuperbia accidere
duobus modis. Vel ex cupiditate, vel ex
meritis. Una enim eſt maxima ſuperbia,
quando aliquis bonum quod habuit, ſibi a-
ſcribit. Ideo excludit: quia *accepiſtis*. I. ad
Corinth. iv. 7. ,, Quid habes quod non ac-
,, cepiſti? “ Item non debetis ſuperbire:
quia oon ex meritis, ſed *gratis*. Qui enim
ex meritis, non graris recipit. Item cupidi-
tatem excludit: *Gratis date*, ideſt non pro-
pter aliquod temporale. Pretium enim rei
vel maius eſt, vel æquale. Illud enim quod
per pretium tradis, non eſt ita in corde tuo
fixum, ſicut pretium quod recipis. Nihil au-
tem eſt dono Dei æquale, vel maius. Sapien.
vii. 9. ,, Non comparavi illi lapidem pretioſum:
,, quoniam omne aurum in comparatione il-
,, lius, arena eſt exigua. “ *Nolite poſſidere
aurum &c.* Quia poſſent dicere: Unde ergo
vivemus? ideo de ſumptibus inſtruit illos.

(*a*) &

(a) *Al.* acciperetur. (b) *Al.* quæ. (c) *Al.* ſunt. (d) *Al.* in eos. (e) *Al.* Et dicendum. (f) *Al.* magis.

(*a*) & primo prohibet ne ſumptus deferant; ſecundo docet a quibus accipiant, ibi, *In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum intraveritis &c.* Dicit ergo: *Nolite poſſidere aurum.*

Et notanda ſunt verba quæ ſequuntur: quia dicit iſte, *Nec calceamenta*; Marcus dicit (VI. 9.) „ (*b*) Calceatos ſandaliis. " Item dicit, *Nec virgam*; Marcus dicit, quod virgam: ideo hæc verba ſunt dubia & difficilia. Quod enim dicit, *Nolite &c.* aut eſt præceptum, aut eſt conſilium. Sed iſtud certum eſt quod eſt præceptum: quia ita dicitur: *Ieſus præcipiens eis &c.* Sed Apoſtoli & fuerunt Apoſtoli, & fuerunt fideles. Aut ergo fuit eis præceptum inquantum fideles, aut inquantum Apoſtoli. Si inquantum fideles: ergo ad hoc tenentur omnes fideles; & hæc fuit quædam hæreſis, ut ait Auguſtinus, quæ dicebat, quod nullus poſſet ſalvari, niſi hi qui nihil poſſident; & hæc fuit hæreſis Apoſtolicorum. Item alia hæreſis fuit, quod nullus ſalvaretur niſi diſcalceatus pergens; & hæc fuerunt hæreſes, non quia malum præciperent, ſed quia non obſervantibus præcludebant viam ſalutis. Si autem prẹcipitur eis inquantum Apoſtolis, tunc omnes prẹlati qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum ad hẹc tenentur. Sed eſto quod iſti non male fecerunt, nonne Paulus male fecit qui portabat, & accipiebat a quibuſdam ut aliis daret? Ideo difficultatem habent hæc verba. Et ideo dicendum, quod fuit una via, ſecundum Hieronymum, exponendo ad litteram, quod præcepit aliquid propter officium Apoſtolatus; & non quod ſit de neceſſitate ſimpliciter, ſed ſecundum illud tempus. Unde ante paſſiouem præcepit nihil ferre. In paſſione autem, Luc. XXII. 35. dicit: „ Quando miſi vos ſine baculo, & pera, numquid aliquid defuit vobis? " Et ſequitur: „ Sed nunc qui habet ſacculum emat ſimiliter & peram; & qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium. " Unde ante paſſionem miſſi ſunt ad Iudæos: apud autem Iudæos erat conſuetudo quod ſuis debebant providere magiſtris: ideo nihil ferre præcepit cum mitteret eos ad Iudæos. Sed iſta non erat conſuetudo in gentibus: ideo cum miſſi ſunt ad gentes, data eſt eis licentia portandi ſumptus. Portabant igitur quando prædicabant aliis quam Iudæis. Et quia quædam ſunt ad neceſſitatem; alia quibus emuntur neceſſaria; & hoc eſt quod dicitur, quod quædam ſunt divitiæ artificiales, ut veſtes, & calceamenta: ideo utrumque prohibet. Dicit ergo: *Nolite &c.* Quia omnis pecunia vel eſt de auro, vel de argento, vel ære: ideo prohibet ne poſſideant aurum, nec argentum: unde dicebat Petrus (Act. III. 6.) „ Argentum, & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. " Et quare hoc Deus præcepit? Una ratio eſt quia Dominus mittebat pauperes ad prædicandum: ideo poſſet aliquis credere quod non prædicarent niſi propter quæſtum. Ut igitur iſta ſuſpicio amovearur, ideo præcepit nihil portare. Item ad tollendum ſolicitudinem: quia ſi eſſent circa hoc nimis ſoliciti, impediretur verbum Dei. Item prohibet divitias, (*c*) quæ ſubveniunt in neceſſitate. Et quia poſſent dicere: Non feremus aurum, non argentum; ſed peram poſſumus, ubi portabimus ova, & panem quæ ſunt neceſſaria ad victum: & iſtud prohibet: *Non peram in via.* Et quare hoc prohibuit? Dicit Chryſoſtomus, ut oſtenderet eis virtutem ſuam: quia ſine his poterat eos mittere: unde in Luc. XXII. 35. „ Quando miſi vos ſine baculo, & pera, numquid aliquid defuit vobis? " Ergo fecit ut oſtenderet virtutem ſuam. Item quantum ad veſtimentum: *Neque duas tunicas*: non quod non haberent niſi unam tunicam, ſed quod non haberent duo paria veſtimentorum; ita quod unum reconderent, & aliud induerent. Unde nomine unius tunicæ intelligit unum veſtimentum. Luc. III. 11. „ Qui habet duas tunicas, det unam non habenti. " *Neque calceamenta.* Et quare prohibuit? Duplex eſt cauſa, eadem ratione qua aurum, & argentum. Dominus mittebat eos, ut apud omnes, pauperes reputarentur. Unde Apoſtolus; I. Cor. I. 26. „ Non multum potentes elegit Deus. " Ideo voluit quod abiecti eſſent: pauperes enim in partibus orientis vadunt diſcalceati; utuntur tamen quibuſdam quæ ſandalia dicuntur, & fiunt de paleis. Ideo volebat ut irent ſicut pauperes illius patriæ. Alia ratio, quia, ſicut docuit Plato quod homines non multum cooperirent nec pedes, nec caput; ut firmaret eos ut magis robuſti eſſent ad ſuſtinendum, (*d*) præcepit eos ire diſcalceatos. Sed *neque virgam.* Et quæ eſt ratio? Aliqui enim equis utuntur; alii vero virga ſuſtinentur: ideo illud minimum etiam prohibuit, ut in ipſo totaliter confiderent, ſecundum illud Pſalm. XXII. 4. „ Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. " Unde quod dicit (*e*) aliter, quod virgam portent, non fuit præceptum, niſi pro loco, & tempore

(a) *Al.* & prohibet. (b) *Al.* calceari. (c) *Al.* quia. (d) *Al.* ideo præcepit. (e) *Al.* alter.

Digitized by Google

pore obſervandum. Auguſtinus per aliam viam vadit dicens, quod hæc non ſunt præcepta, nec conſilia; ſed ſunt permiſſiones, ita quod abſtinere magis eſt conſilium quam implere. Unde ſenſus eſt. *Nolite &c.* ideſt, non eſt negotium ut alia calceamenta poſſideatis præter hæc quibus eſtis calceati. *Neque virgam*, ideſt nihil, ſicut dicitur, Neque feſtucam. Et quare? *Dignus eſt enim operarius mercede ſua &c.* Quia vos habetis poteſtatem accipiendi ab aliis; & ideo non eſt neceſſarium ut portetis. Unde quando aliquid eſt permiſſum, ſi non fiat, non eſt peccatum; quicquid autem plus fit, ſupererogationis eſt. Unde & Paulus, quamvis poſſet ab aliis recipere, nihil accipiebat; & iſtud erat ſupererogatio, ut dicit Auguſtinus, quia permiſſis non uti, eſt ſupererogationis. Unde Paulus I. ad Corin. IX. 15. „ Melius eſt mihi mori quam evacuare glo„ riam meam. “ Et quare? Quia non utebatur iſto permiſſo: *Dignus eſt enim mercenarius &c.*

Sed (*a*) quid eſt quod aliter dicit, quod ferant virgam? Dicit Auguſtinus, quod non eſt inconveniens quod quædam aliquando dicantur myſtice, aliquando ad litteram. Unde quod hic dicit Matthæus, dicit ad litteram quod virgam non ferant; quod vero Marcus dicit, myſtice intelligitur, quod ſcilicet non ferant temporalia, ſed habeant poteſtatem accipiendi ab aliis. Unde: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*. Iſtud *enim* non eſt ibi caſuale. Iſti operarii ſunt, de quibus dictum eſt ſupra: *Rogate dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam*.

Tertia expoſitio eſt. *Nolite poſſidere aurum*, ideſt ſæcularem ſapientiam, *argentum*, eloquentiam ſæcularem; *non peram*, ideſt ſolicitudinem, *nec duas tunicas*, ideſt duplicitatem, *nec calceamenta*, ideſt terrenorum affectionem: ſiunt enim calceamenta de pellibus animalium mortuorum.

In quamcumque civitatem, aut caſtellum intraveritis &c. Supra Dominus ordinavit quod Apoſtoli victualia ſecum non deferrent: & ratione probavit: quia *dignus eſt operarius mercede ſua*; nunc determinat modum qualiter accipere debent: & primo dat modum, quia debent a volentibus dare accipere; ſecundo quid fiat volentibus. Circa primum tria facit. Primo docet eligere hoſpitem; ſecundo prohibet mutare hoſpitium; tertio mandat quod hoſpes ſalutetur. Dicit ergo: Dictum eſt quod *dignus eſt operarius cibo ſuo*. Ut ſciatis a quo debetis accipere, ne credatis quod domus cuiuslibet vobis ſit conceſſa: ideo *in quamcumque civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus ſit*. Et hoc ne propter infamiam hoſpitis veſtra prædicatio contemnatur; ut habetur I. ad Timot. III. 7. „ Oportet autem „ illum teſtimonium habere bonum ab his „ qui foris ſunt. “ Secunda ratio, quia ſi bonus aliquis fuerit, facilius vobis neceſſaria miniſtrabit. Et in hoc providet eis. Tertia ratio eſt ut excludatur ſuſpicio quæſtus: quia cum viderent homines tales pauperes non accipientes niſi a bonis, ſignum erat eis quod propter quæſtum non prædicabant. Iſtas duas expoſitiones ultimas ponit Chryſoſtomus; primam Hieronymus. Et hoc dicit Apoſtolus, I. Theſs. II. 5. (*b*) „ Neque enim aliquando fuimus in ſermo„ ne adulationis, neque in occaſione avari„ tiæ. “ Item dicit: *Quis in ea ſit dignus*: & hoc eſt, quia magnum ei reputatur qui tales hoſpites recipit. Unde Abrahæ magnum reputatum eſt quod hoſpites recepit; ut habetur ad Hebr. ult. 2. „ Hoſpitalitatem no„ lite oblivíſci: per hanc enim quidam pla„ cuerunt, Angelis hoſpitio receptis. “ *Et ibi manete*. Hic docet de ſtabilitate hoſpitii. *Ibi manete*; ideſt, non tranſite de hoſpitio in hoſpitium. Et quare? Ne ſit triſtitia hoſpiti, & ſi dignus ſit, recipiet vos libenter; & ita cum triſtitia dimittet. Hierem. XVIII. 20. „ Numquid redditur pro bono ma„ lum? “ Secunda ratio eſt ne incurrant notam levitatis, quæ non convenit prædicatori. „ In populo gravi laudabo te: “ Pſal. XXXIV. 15. Item ut evadant notam gulæ: quia ſi dimitterent malum hoſpitium pro bono, imputaretur gulæ. Ideo Dominus dicit, quod antequam intrent, petant quis fuerit in ea dignus. *Intrantes autem domum ſalutate eam*. Hic notatur ſalutatio hoſpitis. Et primo ponit ſalutationem; ſecundo effectum, ibi: *Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam*. Oportebat enim quod eis qui temporalia miniſtrabant, ſpiritualia miniſtrarent; & non ſolum ſpiritualia, ſed quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, dicendo: *Pax huic domui &c.* Et iſte erat modus ſalutandi congruus: quia mundus erat in guerra; in Chriſto autem mundus eſt reconciliatus. Iſti enim legati erant Domini; & ad quid? certe ad pacem: ideo congrua erat hæc ſalutatio. Sequitur effectus quo ad bonos, & quo ad malos. *Et ſi quidem fuerit domus illa digna &c.* Poſſumus dicere quod domus illa habebit inde quamdam vim benedictio-

(a) *Al.* Sed quid eſt quod ferant virgam? (b) *Al.* „ Non fuimus cauſa avaritiæ aliquando. “

dictionis. Unde Apoſtoli, ſive Epiſcopi in prima verſione ad populum dicunt, Pax vobis. Unde dicitur Numer. VI. 27. „ Invocabunt nomen meum (*a*) ſuper filios Iſrael, „ & ego benedicam eis &c. “ *Si autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos*. Sed quid eſt quod dicit? Nonne dixerat quod primo interrogarent? Ideo oſtendit quod in talibus inquiſitionibus falluntur homines. „ Homo enim videt quæ patent, Dominus „ autem intuetur cor: “ ut habetur I. Reg. XVI. 7. Non enim adhuc ita perfecti erant quod poſſent cognoſcere quis eſſet dignus. *Pax veſtra revertetur ad vos*: & hoc eſt quod aliquis aliquando orat, & laborat pro ſalute alterius, & tamen effectum non conſequitur: & tamen quod facit non amittit, ſed in ipſum redit. Unde *revertetur ad vos*; ideſt, fructus referetur ad vos. *Et quicumque non receperit vos*. Hic agitur de his qui non recipiunt. Et primo docet eos quid facere debeant; ſecundo quid a Deo recipient. Dicit ergo: *Et quicumque non receperit vos*. Et ponit duas culpas. Unam quod eos non receperant; aliam quia miſſi erant ad prædicandum, quia verbum Dei non audiebant. Ideo *exeuntes foras de domo, vel civitate*: quia aliquando recipiebantur in civitate, ſed non in domo; aliquando vero nec in civitate, ſicut habetur in Actibus Apoſtolorum. Quid ergo faciendum? *Excutite pulverem de pedibus veſtris*. Et hoc leguntur Paulus & Barnabas feciſſe ad litteram, ut habetur Act. XIV. 51. Et quare hoc mandat Dominus? Pulvis enim adhæret pedibus: unde hoc præcepit ad oſtendendum quod laborem itineris incaſſum fecerant: & hoc erat eis in pœnam; quaſi dicat: (*b*) Inde eſtis damnabiles. Tamen dicit Apoſtolus, Philip. II. 16. „ Non „ in vacuum laboravi. “ Item alia ratio eſt, quia minimum quod poteſt haberi, eſt pulvis: ideo voluit ut excuterent, in ſignum quod nihil haberent de eis. Tertia ratio eſt, quia per pulverem ſignificantur temporalia, per pedes affectus: ad ſignificandum quod in affectibus eorum nihil debet remanere temporale. Quarta cauſa eſt myſtica. Pedes ſunt affectus eorum: quantumcumque enim ſunt ſancti prædicatores, oportet quod aliquo pulvere affectus eorum moveatur, vel ex aliqua vanagloria &c. ut habetur Ioan. XIII. ubi dicitur quod Dominus lavit pedes diſcipulorum, & dixit (ver. 10.), „ Qui mundus „ eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, & „ eſt mundus totus. “ Unde indigebant lotione quo ad venialia. Et quare hoc præcepit Dominus? Ad oſtendendum quod prædicator committit ſe periculo. Unde ſi non credunt ei, hoc in damnationem eorum revertitur. Sed quid eſt? Nonne habebunt pejus? Immo *dico vobis: Tolerabilius (c) erit terra Sodomorum, & Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitati*. Quia, ſicut habetur Ioan. XV. 22. „ Si non veniſſem, & locutus „ non fuiſſem eis, peccatum non haberent. “ Magis enim peccant qui audiunt, & non implent, quam qui numquam audierunt. Ideo forte quod iſti Sodomitæ non audierunt, ideo tolerabilius erit eis. Item iſti, licet immundi, hoſpitales tamen erant. Unde quantum ad hoc tolerabilius erit eis.

Sed contrarium habetur Gen. XIX. quod peccatum Sodomorum eſt graviſſimum peccatum, ut patet ex pœna. Et dicendum, quod in genere peccatorum carnalium (*d*) illud eſt graviſſimum. Iſtud autem, quod immediate eſt contra Deum, ſicut idolatria, illo eſt gravius. Vel dicendum, quod non comparat peccatum ad peccatum, ſed ad circumſtantiam: quia peccabant iſti quibus fuerat prædicatum, illis vero non. Item redarguit quoſdam hæreticos, qui dicebant, quod omnia peccata erant paria, & omnes pœnæ, & merita omnia, & omnia præmia. Ideo hoc excludit cum dicit: *Tolerabilius &c.* quia quibuſdam peccatoribus erit deterius.

(b) Supra inſtruxit Dominus de officio ſuo, & de neceſſariis ad victum; modo vero inſtruit de periculis imminentibus: & circa hoc duo facit. Primo ponitur inſtructio in figura; ſecundo exponit illam figuram, ibi, *Cavete autem ab hominibus*. Circa primum primo prænuntiat pericula; ſecundo quomodo in periculis ſe habere debent, ibi, *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. Dicit ergo: *Ecce ego mitto vos*. Quia dixerat: *In quamcumque civitatem intraveritis &c.* & tunc quod *dignus eſt operarius cibo ſuo*: poſſent credere quod omnes deberent eos recipere. Ideo iſtud (*e*) excludit; quaſi dicat, non ſic erit. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*: unde mitto vos ad pericula. Et hoc dicit propter duo: ne imputaretur eius ignorantiæ, vel impotentiæ quod non poſſet eos tueri: item dixit eis, ne putarent ſe deceptos. Et comparat eos ovibus propter manſuetudinem, perſecutores vero lupis propter rapacitatem. Ipſe enim Chriſtus ovis fuit; de quo Eſaiæ LIII. 7. „ Quaſi ovis ad occiſio„ nem (*f*) ducetur. “ Et diſcipuli oves.

Pſal.

(a) *Al.* ſuper Iſrael. (b) *Al.* ideſt. (c) Al. *ſit*. (d) *Al.* iſtud. (e) *Al.* concludit. (f) *Al.* ductus eſt.

Pſalm. xciv. 7. „ Nos autem populus eius , „ & oves paſcuæ eius . “ Sed ut non credatis quod hoc non ſit ex mea voluntate , *mitto vos in medio luporum* . Ioan. xx. 21. „ Sic „ ut miſit me Pater, ego mitto vos. “ Et quare voluit ſic Deus mittere ad pericula ? Hoc ſuit ad manifeſtationem ſuæ virtutis : quia ſi miſiſſet aliquos armatos, illud imputaretur violentiæ eius , non virtuti Dei . Ideo pauperes miſit. Magnum enim ſuit quod per pauperes, & deſpectos, & inermes, tot fuerint converſi ad Dominum ; ſicut dicit Apoſtolus I. Corint. 1. 26. „ Non multum potentes elegit, & nobiles Deus ; ſed quæ „ ſtulta ſunt mundi elegit Deus &c. “ *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes , & ſimplices ſicut columbæ* . Hic oſtendit quomodo ſe debeant habere . Et quia duo mala poterant accidere : quia ſi Apoſtoli conſenſiſſent eis, poſſet eis malum accidere ; ſi contradixiſſent , poſſet ſimiliter : ideo ad duo monet eos , ad prudentiam videlicet , & ſimplicitatem . Ad prudentiam , ut devitent mala illata, ad ſimplicitatem, ut non inſerant mala . Unde quia mitto vos , *eſtote prudentes*. Vult eos habere prudentiam ſerpentis . Prudentia ſerpentis in hoc conſiſtit quod ſemper vult defendere caput. Caput Chriſtus eſt, quem ſervare iubet. Unde II. ad Timot. ult. 7. „ Bonum certamen certavi , curſum conſummavi , fidem ſervavi . “ Item debent ſervare caput, I. Corin. xi. 3. quod eſt principium totius. Prov. iv. 23. „ Omni cuſtodia ſerva cor „ tuum . “ Item alia prudentia eſt ſerpentis , quia quando veteraſcit tranſit per foramen arctum , & expoliat veſtem ſive pellem ; ſic nos debemus facere in noſtra converſatione . Et dicit Apoſtolus ad Col. iii. 9. „ Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis &c. “ Item debemus habere prudentiam ſerpentis in prædicatione: quia, ſicut habetur Gen. iii. propter aſtutiam ſerpentis deiectum eſt genus humanum , quia invaſit fragiliorem ſexum ; item oſtendit ei lignum. Sic prædicatores debent peccatores convertere per magis aptos ; item debent ſuadere de ligno crucis , ut ſicut ille profecit in ligno ad malum , ita (a) iſti proficiant ad bonum . *Et ſimplices ſicut columbæ* . Comparaverat autem eos ovi , quia non remurmurat , item non nocet ; hic comparat columbæ , quia non habet iram in corde . Item ſimplices contra doloſitatem , quæ aliud gerit in corde , aliud in ore ; iuxta illud Pſalm. xxvii. 3. „ Loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus ſuis. “ Contra tormenta habere patientiam , & ſimplicitatem . Proverb. xi. 3. „ Simplicitas „ iuſtorum diriget eos . “ Poſt exponit pericula dicens: *Cavete autem ab hominibus &c.* Et primo in generali ; ſecundo in ſpeciali . Quia iſti ſunt ſimplices, poſſent credere quod mittebat eos in medio luporum , ita quod hoc diceret ad litteram; ideo exponit: *Cavete ab hominibus* . Unumquodque enim debet denominari ab eo quod principalius ineſt ei: unde videndum quid principalius movet in homine. Si ratio, homo eſt ; ſi ira , urſus, vel leo eſt ; ſi concupiſcentia , tunc non eſt homo , ſed potius porcus , vel canis. Unde licet ſint homines per naturam , tamen lupi ſunt per affectionem . In Pſal. xlviii. 13. „ Homo autem cum in honore „ eſſet, non intellexit , comparatus eſt iumentis inſipientibus , & ſimilis factus eſt „ illis. “ Et alibi Pſal. xxxi. 9. „ Nolite fieri ſicut equus & mulus , in quibus non „ eſt intellectus . “ *Tradent enim vos &c.* Primo (b) tangit quibus tradentur ; ſecundo a quibus tradentur , ibi , *Tradet autem frater fratrem &c.* Et primo oſtendit quod dictum eſt; ſecundo eos confortat, ibi, *Cum autem tradent vos &c.* Et primo dicit quibus ſunt tradendi ; ſecundo quid ſequatur ex iſta traditione , ibi , *Et in ſynagogis ſuis flagellabunt vos*. Circa primum ſic. Talis erat mos apud Iudæos quod ſi aliquis primo diceret , vel faceret contra legem , primo vocabatur ad concilium , & reprehendebatur ; ſed ſi ſecundo , cum reprehenſione flagellabatur ; ſed ſi tertio, vel occidebatur, cum eſſet eis poteſtas , vel occidendus tradebatur ei cui poteſtas inerat . Et iſtud factum eſt , ſicut dicitur Actor. iii. & v. ibi enim dicitur quod loquentibus Apoſtolis ad populum , comminati ſunt eis ; & poſt hoc cum adhuc loquerentur , cæſis nuntiaverunt , quod non loquerentur ; & tertio lapidaverunt Stephanum , & Iacobum Herodi tradiderunt . Ideo cavete, quia *tradent vos in conciliis ſuis* . Pſal. xxv. 4. „ Non ſedi cum concilio vanitatis „ & cum iniqua gerentibus non introibo . “ *Et ad præſides , & Reges ducemini* , ut ad Herodem , & multos alios . Sed magnam debetis habere conſolationem, quia *propter me*, ſcilicet quem diligitis. Auguſtinus: „ Omnia „ quaſi inania, & quaſi nulla facit amor . “ Item *beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam &c.* ſupra v. 10. Et quid inde ſequetur? Hoc erit *in teſtimonium illis* , ideſt contra illos , ideſt Iudæos, & gentes. Quia enim tradent vos in conciliis , ideo hoc erit in teſtimo-

(a) *Al.* iſta. (b) *Al.* Primo enim tangit.

ſtimonium contra illos. Item quia ante Reges, & præſides, hoc ſimiliter erit contra illos. Unde infra xxii. 34. *Ecce ego mitto ad vos ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & flagellabitis in ſynagogis veſtris &c.* Vel ſic. *In teſtimonium illis*, ſcilicet Iudæis, *& gentibus*, quia mitto vos ad eos, teſtes fidei meæ ad Iudæos, & gentes: unde martyr idem eſt quod teſtis: quia per paſſionem veſtram eritis teſtes paſſionis meæ. Actor. i. 8. „ Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & „ in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad „ ultimum terræ &c. “ *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini &c.* Poſſent dicere Apoſtoli: Nos ſumus piſcatores inſipientes: erimus ſtupefacti. Et non eſt mirum, quia Moyſes, qui inſtructus in lege erat, cum mandaret Dominus quod accederet ad Pharaonem, dixit: „ Impeditioris linguæ ſum: “ Exod. iv. 10. Ideo ut hoc excludat dicit: *Cum autem tradent vos &c.* Et tria facit. Primo excludit ſtuporem; ſecundo promittit ſapientiæ donum, ibi, *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*; tertio auctorem doni, ibi, *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*. Nolite ergo cogitare de hoc. Et duo excludit. Et quantum ad id quod dicitur; & quantum ad modum loquendi. Primum pertinet ad ſapientiam, ſecundum ad eloquentiam.

Sed videtur eſſe contra hoc quod Apoſtolus Petrus dicit in Canonica ſua (I. Petr. iii. 15.). „ Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcen„ ti vos rationem de ea quæ in vobis eſt, fi„ de, & ſpe. “ Chryſoſtomus ſolvit, quod quando aliquis habet neceſſitatem reſpondendi, & habet tempus deliberandi, non debet expectare divinum auxilium; (a) ſed Apoſtoli cum erant in tribulatione non habebant tempus, quare debebant ſe committere (b) Filio Dei: ſic etiam eſt quod cum aliquis habet facultatem, debet facere quod poteſt; ſed certe ſi non habet tempus, debet ſe committere Filio Dei; ſed non debet tentare Deum, ſi habeat tempus cogitandi. Ideo Dominus non dixit ſolum, *Nolite cogitare*; ſed dicit: *Cum tradent vos...... nolite cogitare &c.* Et ſequitur ex illa promiſſione: *Dabitur enim vobis in illa hora*: quia „ in manu Dei „ ſunt omnes ſermones noſtri: “ Sapient. vii. 16. Et Exod. iv. 12. „ Ego ero in ore „ tuo, doceboque quid loquaris. “ Et Luc. xxi. 15. „ Ego dabo vobis os, & ſapientiam. “

Et quis eſt auctor? Certe Spiritus ſanctus. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*. Simile eſt quod habetur II. Corint. xiii. 3. „ An experi„ mentum quæritis eius qui in me loquitur „ Chriſtus? “

Sed quid eſt quod videbantur iſti arreptitii? Notandum, quod omnis actio quæ ex duobus cauſatur, quorum unum eſt principale agens, ſecundum vero inſtrumentale, debet denominari a principaliori. Iſti fuerunt agentes inſtrumentaliter, Spiritus ſanctus principaliter: ideo tota actio debet denominari a Spiritu ſancto. Sed videndum, quod aliquando movet Spiritus perturbando rationem, aliquando movet confortando. Unde hæc differentia eſt inter motum diaboli, & Spiritus ſancti. Homo enim non eſt dominus niſi per rationem, per quam eſt liber: unde quando homo ſecundum rationem non movetur, tunc eſt motus arreptitius. Quando cum ratione, tunc dicitur motus a Spiritu ſancto. Motio enim diaboli perturbat rationem. Iſti autem, licet a Spiritu ſancto loquerentur; tamen remanebat in eis ratio; & ideo etiam a ſe loquebantur, non ſicut arreptitii. Unde reducit eos ad veritatem propheticam, ut habetur II. Petr. i. 19. „ Et „ habemus firmiorem propheticum ſermo„ nem. “

Sed poſſent dicere Apoſtoli: Quis tradet nos? Non habemus inimicitias. Primo ergo oſtendit a quibus tradentur; ſecundo conſolationem adhibet, ibi, *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Aliquis poteſt male cavere a perſecutione ſibi prænuntiata in univerſali tantum: ideo prænuntiat in ſingulari. Et duo dicit quo ad primum. *Tradet autem frater fratrem*. Iſtud ſecundum litteram aliquando accidit quod pater tradidit filium, & e converſo, & frater fratrem, aut propter timorem, aut propter odium: quia tanta eſt virtus fidei quod (c) inter homines qui non ſunt eiuſdem fidei, vix firma ſit amicitia. Et hoc eſt quod dicit: *Tradet enim frater fratrem &c.* Unde dicitur & Hierem. ix. 4. „ Ut unuſquiſque „ in fratre ſuo non habeat fiduciam. “ Et ob hoc eſt neceſſarium quod caveant, & propter læſionem quam homo patitur, & propter amiſſionem amicitiæ. In Pſal. liv. 13. „ Si inimicus meus maledixiſſet mihi, „ ſuſtinuiſſem utique. “ Item plus, quia non ibitis ad familiares, ſed ad extraneos. Et hoc non valebit: quia *eritis odio omnibus hominibus*. Unde in Ioan. xvi. 10. „ Venit „ hora in qua omnis qui occiderit vos, re„ putabit ſe obſequium præſtare Deo. “

Sed

(a) *Al.* ſimiliter. (b) *Forte hic & infra legendum* auxilio Dei. (c) *Al.* quod inter tot homines.

Sed numquid ſuit hoc verum? Nonne multi
fuerunt qui recipiebant eos? Ideo dicebat
de hominibus qui humanitus vivebant. Alii
vero qui Dei erant, eos recipiebant. Sed
cauſa huius aſſignatur Ioan. xv. 18. „ Si de
„ mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat,
„ diligeret; quia vero de mundo non eſtis,
„ ideo odit vos mundus. “ Item promiſit
Dominus conſolationem: quia *propter nomen
meum*. Hoc enim dulce vobis debet eſſe pro
nomine meo pati, ut habetur I. Petr. iv. 14.
„ Si exprobramini in nomine Chriſti, beati
„ eritis. “ Item alia ratione confortat eos:
quia ad magnum fructum eorum debebat
venire tribulatio. Quia enim prævidit multos
cadere, ideo monet ad perſeverantiam:
quia *qui perſeveraverit uſque in finem, hic
ſalvus erit*. Unde II. Tim. ult. 7. „ Bonum
„ certamen certavi, curſum conſummavi,
„ fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mi-
„ hi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Do-
„ minus in illa die iuſtus iudex. “ Unde
in Levitico dicitur, quod cauda offerebatur,
ideſt finis. *Cum* (a) *autem perſequentur vos
in civitate iſta, fugite in aliam*. Supra docuit
pericula, in quo expoſuit quod dixerat: *Ecce
ego mitto vos &c.* nunc autem docet quomodo
ſe habere debent. Et dividitur hæc
pars: quia primo docet cavere mala, &
periculum quo ad prudentiam; ſecundo docet
habere æquanimitatem in periculis,
ibi, *Nolite ergo timere*. Circa primum primo
docet vitare periculum corporale; ſecundo
ſpirituale, ibi, *Non eſt diſcipulus ſuper
magiſtrum*. Circa primum duo facit. Primo
innuit malum periculorum; ſecundo ad tacitam
obiectionem reſpondet, ibi, *Amen dico
vobis &c.* Dicit ergo: Ita dictum eſt quod
qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.
Et non propter hoc tentationibus exponatis
vos, immo *cum perſequentur vos in civitate
iſta, fugite in aliam*: & hoc infirmis
expedit, ne incaute ſe exponentes deficiant.
Prov. xiv. 15. „ Aſtutus conſiderat greſſus
„ ſuos; ſtultus tranſibit, & confidit. “
Item docet etiam perfectos, & ſi non propter
ipſos, tamen propter aliorum ſalutem,
ut habetur ad Phil. i. 24. „ Manere autem
„ in carne neceſſarium eſt propter vos. “
Illud autem oſtendit Dominus quando propter
Herodem fugit in AEgyptum, ut habetur
ſupra ii. Item hoc fecerunt diſcipuli,
ſicut habetur Actor. viii.

Sed contra hoc obiicitur quod habetur
Ioan. x. quod mercenarius fugit, & dimittit
oves: ergo videtur quod ad ipſos non
pertineat, ſed ad mercenarios.

Reſpondet Auguſtinus, quod perſecutio aut
imminet ſingulari perſonæ; & tunc declinare,
& dimittere aliquos debet per quos
fiat ſalus: ſi autem toti Eccleſiæ, oportet
quod vel tota Eccleſia fugiat ad loca tutiora,
ut iam factum eſt, vel quod aliqui fugiant,
& aliqui firmi remaneant, aut paſtor
cum grege remaneat.

Sequitur: *Amen dico vobis, non conſummabitis
civitates Iſrael, donec veniat Filius hominis*.
Reſpondet tacitæ obiectioni. Poſſent dicere:
Tu mittis nos ad Iudæam: ſi eiiciant, quo
ibimus? Dico, dato quod ab una civitate
expellant vos, *fugite in aliam*; & non poteritis
peragrare civitates Iudææ, *donec veniat
Filius hominis*; ideſt, donec reſurgat a
mortuis; & tunc mittet vos ad gentes, ut
habetur infra ult. 19. *Ite, docete omnes gentes*.
Hilarius aliter exponit: dicit enim,
quod loquitur de ſecunda miſſione, ſcilicet
cum dicit: *Cum perſequentur vos*; ſcilicet, de
Iudæa fugite ad gentes, ſicut habetur Act.
xiii. 46. „ Vobis oportebat primum prædi-
„ care regnum Dei; ſed quia repellitis il-
„ lud, & indignos vos iudicatis eternæ vi-
„ tæ, ecce convertimus nos ad gentes. “
Sed poſſent dicere: Quare vis quod dimittamus
noſtros? Quia non poteritis conſummare
uſque in finem: tunc conſummabuntur
filii Iſrael. Myſtice ſic. Cum perſequentur vos
hæretici cum auctoritatibus ſuis, eos auctoritatibus
repellite: non enim conſummabuntur
donec manifeſtetur veritas. *Non eſt enim
diſcipulus ſuper magiſtrum*. Hic monet eos ne
deficiant: & primo exemplo; ſecundo beneficio,
ibi, *Ne ergo timueritis eos*; tertio ex
divino iudicio, ibi, *Et nolite timere eos qui
occidunt corpus*. Primo hortatur ne deficiant
exemplo: & primo ponit ſimilitudinem;
ſecundo applicat ad propoſitum. Et
primo inducit quod eſt inconveniens; ſecundo
quod perfectum eſt. Dicit ergo: *Non eſt
diſcipulus ſuper magiſtrum*. Poſſent enim dicere:
Tu dicis quod erimus odio omnibus
hominibus; quomodo poterimus tot odia ſuſtinere?
Dederat eis Dominus magnam ſapientiam,
& magnam poteſtatem: unde ſapientiæ
debetur honor, poteſtati reverentia:
ideo Dominus ponit ſe in exemplum quoad
utrumque: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*,
inquantum diſcipulus: unde ſi honorem mihi
non exhibuerunt, qui debetur magiſtro,
nec vobis. Item *nec ſervus eſt maior domino*;
& hoc inquantum ad dominium. Unde Ioan.
xiii. 13. „ Vos vocatis me Magiſter, &
„ Domine; & bene dicitis, ſum etenim
„ &c. “ Debet autem eſſe gloriæ unicui-

(a) Al. *enim*.

Digitized by Google

que, ſi ſit ſicut dominus eius, vel magiſter:
ideo ſubdit: *Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut magi-
ſter eius*. Sicut enim eſt in rebus quod unum-
quodque perfectum eſt quando poteſt gene-
rare ſibi ſimile; ſic etiam tunc eſt perfectus
diſcipulus cum eſt perſimilis magiſtro; ſimi-
liter & de ſervo. Ideo non debet vobis eſ-
ſe grave ſi ſitis ſicut & ego: unde habetur
I. Pet. II. 21. „ Chriſtus paſſus eſt pro no-
„ bis, vobis relinquens exemplum, ut ſequa-
„ mini veſtigia eius. " Et Eccli. II. 12.
„ Quis eſt qui poſſit ſequi dominum ſuum?"
Deinde vocat eos domeſticos: *Si patremfamilias
vocaverunt Beelzebub, quanto magis domeſticos
eius*? Et vocat eos domeſticos ad maiorem fa-
miliaritatem: unde magnum eſt donum pati
pro Chriſto, ut habetur Iac. I. 2. „ Magnum
„ gaudium exiſtimate fratres cum in tenta-
„ tiones varias incideritis, ſcientes quod
„ probatio fidei veſtræ patientiam operatur."
Et Act. V. 41. „ Ibant Apoſtoli gaudentes a
„ conſpectu concilii, quoniam digni habiti
„ ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati."
Unde non eſt magnum, domeſticum pati pro
amico. Ad Eph. II. 19. „ Vos eſtis cives
„ ſanctorum, & domeſtici Dei. " Unde *ſi
patremfamilias vocant Beelzebub*, non eſt mi-
rum ſi vobis opprobria dicunt.

Quid autem dicitur Beelzebub? Sciendum,
quod Ninus fuiſſe dicitur filius Beli: un-
de imaginem patris fecit honorari, & vo-
cavit Bel. Deinde poſtmodum translatum eſt
ad aliam linguam, & dictum eſt Beelzebub.
Zebub, ideſt muſca: ſacrificabatur enim iſti
cum multo cruore, ubi congregantur mul-
tæ muſcæ.

Ne ergo timueritis eos &c. Hic hortatur ne
deficiant in tribulationibus ex beneficio. Et
primo eos confortat; ſecundo ſimilitudinem
dat; tertio ad propoſitum applicat. Dicit
ergo: Perſequentur vos; ſed ne timeatis:
quia non debetis timere niſi malum; ſed
magnum bonum eſt portare quod Dominus
portavit. Unde Paulus ad Galat. ult. 17.
gloriabatur dicens: „ Stigmata Domini mei
„ in corpore meo porto. " *Nihil eſt enim o-
pertum quod non reveletur*. Iſtud poteſt ad
præcedentia referri, vel ad ſequentia. Ad
præcedentia ſic. Iſti vocabunt vos Beelze-
bub; ſed non eſt curandum, quia in fine pa-
tebit malitia eorum. Ideo non timeatis,
quia *nihil opertum quod non reveletur*; ut
habetur I. Corint. IV. 5. „ Nolite ita-
„ que ante tempus iudicare, quouſque ve-
„ niat Dominus, qui revelabit abſcondita te-
„ nebrarum, & manifeſtabit conſilia cor-
„ dium. " *Et occultum*. Differt opertum, &
occultum: quia occultum dicit aliquid non
manifeſtum, ſicut eſt illud quod alius habet
in corde, ſecundum illud ſupra IX. 4. *Ut
quid cogitatis mala in cordibus veſtris*? Opertum
autem eſt etiam aliquid quod, etſi ſit ma-
nifeſtum, operitur tamen per aliquid aliud.
Vel poteſt exponi ſic. Non timeatis, quia ſi
ſtatim non pateat veritas veſtra, tamen po-
ſtea patebit. Deinde inſtruit eos Dominus
ſicut inſtruitur advocatus: quia primo do-
cetur qualiter debeat allegare antequam pro-
ferat ante alios; ſic Dominus diſcipulos ele-
gerat ad ſeminandum verbum ſuum omni po-
pulo; ideo primo in occulto volebat eos do-
cere, dicens: *Quod vobis dico in tenebris, di-
cite in lumine*. Duo ſunt ſenſus diſciplina-
les: auditus, & viſus. Quod in tenebris di-
citur occultum eſt, ſimiliter quod in auri-
bus auditur. *Quod vobis dico in tenebris, dicite
in lumine*: quia in lumine omnia manifeſtan-
tur. Item occultum eſt quod in aure audi-
tur: ideo dicit: *Et quod in aure auditis, præ-
dicate ſuper tecta*.

Sed contra hoc videtur quod dicitur
in Ioan. XVIII. 20. „ In occulto locu-
„ tus ſum nihil. " Sed hoc intelligendum
eſt ſic. Nihil locutus ſum in occulto quod
non poſſit dici in manifeſto. Vel ſic. *Quod
dico vobis in tenebris*, ideſt inter Iudæos,
qui tenebræ ſunt. Unde Epheſ. V. 8. „ Era-
„ tis aliquando tenebræ. " Vel quod dico vo-
bis, qui eſtis tenebræ, *dicite in lumine*. I.
ad Corinth. IV. 5. „ Qui illuminabit abſcon-
„ dita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia
„ cordium. "

*Et quod in aure auditis, prædicate ſuper te-
cta*. Proverb. X. 14. „ Sapientes abſcon-
„ dunt ſcientiam. " Et Iob V. 27. „ Quod au-
„ ditum eſt, mente pertracta. " *Super tecta*:
quia in aliquibus regionibus mos eſt quod tecta
ſunt plana, ita quod & ibi poteſt fieri ma-
nifeſtatio omnibus. Myſtice ſuper tecta præ-
dicat qui carnem ſibi ſubiiciens, aliis præ-
dicat. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus*.
Supra oſtendit quod non debebant diſcedere
a confeſſione veritatis, tum propter exem-
plum, tum propter beneficium; nunc oſten-
dit (*a*) quod non debent diſcedere ex di-
vino iudicio, quia facta (*b*) ſubſunt iuſtitiæ
divinæ. Vel poteſt aliter continuari. Do-
cuit qualiter vitandæ ſunt perſecutiones;
nunc autem docet quod propter aliquid non
deſiſtant ab executione officii. Tria autem
poterant impedire: opprobria, timor mor-
tis, affectus carnalis. Docuit ergo quod non
deſi-

(a) *Al.* quod debent. (b) *Al.* ſua ſunt.

Digitized by Google

deſiſtant propter opprobria ; nunc autem quod non propter timorem mortis; deinde quod non propter affectum carnalem, ibi, *Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram*. Unde ſecundum hoc, primo docet quia non timendi ſunt qui occidunt corpus, ne prædicatio veritatis dimittatur: ſecundo non ſunt timendi, quia parum poſſunt, ibi, *Animam autem non poſſunt occidere*; tertio oſtendit qui ſunt timendi, quia qui multum poſſunt. Primo ergo dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. Et quare? Quia corpus in ſe neceſſitatem habet moriendi: unde non facit quod non ſit aliquando futurum. Rom. VIII. 10. „ Si in vobis eſt Chriſtus, corpus „ quidem mortuum eſt propter peccatum. " Item quia occiſio corporis propter gloriam eſt optabilis: unde Rom. VII. 24. „ Quis me „ liberabit de corpore mortis huius? " Item quia brevis eſt, & momentanea. II. ad Corinth. IV. 11. „ Semper enim nos qui vivi- „ mus, in mortem tradimur. " Et ideo *nolite timere*. Eſa. LI. 12. „ Quis es tu (*a*) ut „ timeas ab homine mortali, & a filio ho- „ minis, qui quaſi fenum areſcit? " (*b*) *Animam autem non poſſunt occidere*. Hic tangit quod parum poſſunt, quia animam non poſſunt occidere: unde ſpiritus ſemper vivit. Eccli. XV. 18. „ Ante hominem vita, „ & mors, bonum, & malum; quod placue- „ rit dabitur ei. " Sicut enim corpus vivit per animam, ita anima per Deum; & ita Deus eſt vita animæ. Non ſunt ergo timendi, quia parum poſſunt. *Nolite* ergo *eos timere*; *ſed potius timete eum qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*. Si dicitis quod illi ſunt timendi qui corpus occidunt; potius ille timendus eſt qui poteſt etiam animam perdere.

Et notandum, quod nomen *gehenna*, ut dicit Hieronymus, non habetur in Scriptura, tamen aſſumitur a Salvatore a Hierem. XIX. 6. ubi dicitur: „ Ecce dies veniunt, & non „ vocabitur locus iſte amplius vallis filiorum „ (*c*) Ennon, ſed vallis occiſionis. " Unde Ennon vallis eſt a radice montis Hieruſalem, quæ erat vallis pinguiſſima, & vocabatur vallis Ennon. Contigit autem quod locus ille eſſet conſecratus idolo; & ideo quia ad voluptates converſi ſunt, comminatus eſt Dominus quod occiderentur, & quod non vocaretur locus Ennon, ſed coriandrum, ideſt ſepulcrum mortuorum; ideo vocat locum iſtum gehennam. Unde dicit: Non ſolum timete eos qui occidunt corpus, *ſed potius timete eum qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*: quia Deo non eſt ſerviendum propter timorem pœnæ, ſed propter amorem iuſtitiæ, ut habetur Rom. VIII. 15. „ Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis in „ timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis „ filiorum Dei. "

Et notandum, quod hic excludit duos errores. Quidam enim dicebant quod anima, mortuo corpore, perit; & hoc deſtruit, cum dicit: *Qui poteſt animam mittere in gehennam*: unde patet quod poſt corpus remanet. Item erat poſitio quorumdam, quod non eſſet reſurrectio, ſicut habetur I. ad Cor. XV. Et hoc excludit: quia ſi corpus & anima mittitur in gehennam, conſtat quod erit reſurrectio: & hoc habetur Apoc. XX. 9. „ Mittentur in „ reſurrectione in ſtagnum ignis, & ſulphuris. "

Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? Ita dictum eſt, quod iſti non ſunt timendi quia non poſſunt &c. Item non ſunt timendi, quia illud parum quod poſſunt, non poſſunt niſi ex divina providentia. Et primo ponit divinam providentiam circa aves; ſecundo circa homines, ibi, *Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt*; tertio indicit eis ſecuritatem: *Nolite ergo timere &c.* Dicit ergo: *Nonne duo paſſeres*, per paſſeres dat intelligere omnes aves parvas, *aſſe veneunt*? Et in hoc notat vilitatem, quia duo habentur pro aſſe: quia ſicut unitas eſt minimum in numeris, ita as in ponderibus. Sed nota, ſecundum Auguſtinum, quod aliquid dicitur valere dupliciter: aut ſecundum dignitatem naturæ; & ſic unus paſſer dignior eſt quam denarius: vel ſecundum quod ad uſum noſtrum refertur; & ſic dignior eſt denarius.

Sed obiicitur, quod Lucas ponit quinque paſſeres, & duas aſſes. Dicendum, quod pauca eſt differentia: ſi duo habentur pro aſſe, & quinque pro duobus, non eſt magna differentia.

Et unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro: ſine providentia Patris. Et quare dicit hoc? Quia conſonat verbum iſtud verbo legis, Lev. XIV. quod cum aliquis curabatur a lepra offerebat duos paſſeres, & unus immolabatur, alter vero cum ligno cedrino, & hyſſopo intingebatur in ſanguine occiſi, & aſpergebatur mundandus; & ſic vivus dimittebatur. Vult ergo quod duo accipiuntur, & unus non occiditur; & hoc non fit ſine providentia Dei. Hilarius ſic exponit. Per duos paſſeres intelliguntur corpus, & anima; & dantur pro aſſe, ideſt pro modica delectatione. Eſai. L. 1. „ Ecce in ini- „ quitatibus venumdati eſtis, & in ſceleri- „ bus

(a) *Al.* qui timeas ab omni. (b) *Al. Animam autem non poteſt occidere*: unde ſpiritus ſemper vivit.
(c) *Al.* Hermon.

Digitized by Google

„ bus veſtris dimiſi matrem veſtram. “ Et illorum unus ſolus cadit in terram, ſcilicet corpus. Anima autem tendit ad iudicium.

Sed obiicitur. Non eſt cura Deo de bobus: ergo nec de paſſeribus. Dicendum, quod Deo eſt cura de omnibus, ut habetur Sap. XII. 13. „ Non eſt alius Deus quam tu „ cui cura eſt de omnibus. “ Sed ſciendum quod providet omnibus ſecundum modum ſuæ naturæ. Hæc autem eſt diverſitas in rebus creatis, quod quædam ſunt naturaliter liberæ, aliæ vero non. Illa dicitur creatura libera in cuius poteſtate eſt quod faciat quod vult: non libera quæ hoc non habet. Unde providet rationalibus tamquam liberis; ſed providet aliis tamquam ſervis. Sicut paterfamilias aliter providet liberis, aliter ſervis; liberis providet propter ſeipſos, ſed ſervis ſecundum quod ſunt in uſum dominorum, & etiam ſecundum quod unuſquiſque magis aptus eſt ad ſerviendum: ſic divina miſericordia rationalibus diſtribuit propter ſeipſos, quia totum fit propter bonum eorum, vel propter malum. Unde eis omnia (a) ſunt vel præmia, vel pœnæ meritorum. Quæ autem irrationabilibus fiunt, vel ad ſalutem hominum fiunt, vel ad completionem univerſi, ut habetur III. Reg. XIII. quod quidam propheta occiſus eſt a leone: & hoc propter culpam. Mus occiditur a catto ad ſervandum bonum univerſi. Hic eſt enim ordo univerſi ut unum animal vivat de alio. Ideo conſequenter oſtendit aliam curam habere de hominibus, & brutis, cum dicit: *Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt*. Oſtendit quod differentia eſt providentiæ Dei ex quo diverſimode providet. Dixerat enim quod de paſſeribus non cadit unus in terram ſine Patre; hic vero dicit quod nedum vos non cadetis, ſed nec capilli veſtri: & hic notat providentiam circa minimos actus, quia omnia quæ in ipſis ſunt, ordinantur ad eos, & de his providet Dominus.

Sed notandum quod dicit, *Numerati ſunt*. Sed ratio eſt, quia conſuetum eſt quod illud quod vult aliquis ſibi retinere, illud numerat; quod vult autem diſpenſare, alii tradit. Unde hæc eſt differentia inter providentiam rationabilium & aliorum, quia immediate ordinantur ad Deum: quia talis creatura capax Dei eſt, aliæ vero non. Item quæ numeramus, nobis conſervare volumus; & ideo non dixit ſuperius, quod paſſeres numerati ſunt, quia non in perpetuum durant: ſed homines ita ſunt ut in perpetuum durent, quia anima perpetua eſt.

Sed hic eſt quæſtio. Si capilli numerati ſunt, nonne totum in reſurrectione reintegrabitur quod de capillis abſcinditur? Et ſi hoc, indecens erit longitudo.

Dicunt aliqui, quod non perit materies, ſed quod erit ſuperfluum in una parte cedet in aliam partem. Sed dato quod nihil fuerit diminutum, quid inde fiet? Ideo intelligendum eſt quod fuit hic triplex opinio. Quidam dixerunt quod non reſurget niſi quod eſt de veritate humanæ naturæ. Alii vero quod non reſurget niſi quod deciſum eſt ab Adam, quod ſic multiplicatum eſt in tantam magnitudinem. Alii vero quod non ſolum quod ab Adam, ſed etiam quod deciſum eſt a proximo parente. Unde quicquid additur quod eſt de veritate humanæ naturæ, reſurget; ſed quod pertinet ad quantitatem partium non reſurget. Sed contra hoc videtur, quod calor agens in humidum nutrimentale agit etiam in radicale: & ita homo non conſumit unum quin conſumat alterum, cum permiſceantur adinvicem. Ideo aliter dicendum videtur, quod quicquid eſt de veritate, remanebit ſolum quantum ad complementum pertinet. Appello autem illud quod eſt de veritate humanæ naturæ, carnem ſecundum ſpeciem; aliud autem, carnem ſecundum materiam. Caro autem ſecundum ſpeciem reſurget, non ſecundum materiam.

Sed quid eſt dictu carnem ſecundum ſpeciem? Dicendum, quod partes hominis poſſunt conſiderari aut quantum ad formam, aut quantum ad materiam. Quantum ad formam ſemper manent. Si autem conſideremus materiam ſubtractam, aliquid fluit, & refluit, ut patet in igne. Si autem igni addantur ligna, ignis ſecundum ſpeciem manet idem; tamen fluit materia ſecundum ſubtractionem lignorum. Unde reſurget quod magis perfectum eſt. Unde non dicit: Capilli veſtri ponderati ſunt; (b) ſed, *Numerati ſunt*: unde non reſurgent in pondere, ſed in forma.

Nolite ergo timere &c. Hic oſtendit ſecuritatem ex quo non poſſunt niſi parum, & illud quod poſſunt, non poſſunt ſine Dei providentia. *Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos*. „ Omnia enim ſubieciſti ſub pedibus eius, oves, & „ boves univerſas, inſuper & pecora cam„ pi: “ ut habetur in Pſal. VIII. 8. Et Gen. I. 26. „ Faciamus hominem ad imaginem & ſi„ mi-

(a) *Al.* ſunt præmia. (b) *Al. deeſt* ſed, *Numerati ſunt*.

„ militudinem noſtram: “ & ſequitur: „ Et præſit volatilibus cæli, & piſcibus maris, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Hic tangit utilitatem quæ provenit ex ipſius confeſſione; ſecundo damnum quod provenit ex negatione, ibi, *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Dicit ergo: Ita volo quod moriamini & patiamini. Et quare? Certe propter utilitatem veſtram: quia *qui me confitebitur coram hominibus &c.* Et elidit errorem cuiuſdam, qui dicebat non eſſe neceſſarium confiteri fidem, niſi coram Deo in corde, non autem ore coram hominibus: quod hic patet falſum: quia „ corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: “ Rom. X. IV. *Confitebor illum coram Patre meo*, ſcilicet cum habebo acceſſum ad Patrem, quando dicetur (infra XXV. 34.) *Venite benedicti Patris mei &c.* Sed poſſent dicere: Tu es in terra, hoc poteſt parum valere; ideo addit, *Qui eſt in cælis*; & ille habet poteſtatem. *Qui aut negaverint*, verbo, ut Petrus, vel facto, ſicut illi de quibus dicitur ad Titum I. 16. „ Quidam ore confitentur ſe noſſe Deum; factis autem negant: “ *negabo & ego eos*, quando dicet, ſicut habetur ſupra VII. 23. *Numquam novi vos*, ideſt numquam approbavi vos. *Nolite arbitrari quod venerim pacem mittere in terram &c.* Supra monuit diſcipulos quod non deſiſterent a prædicatione veritatis nec propter opprobria, nec propter timorem mortis; nunc autem monet quod non deſiſtant etiam propter affectum carnalem. Et primo oſtendit quod (*a*) imminet eis ſeparatio ab affectu carnali; ſecundo quomodo debent ſe habere, ibi, *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Circa primum tria facit. Primo excludit intentionem opinatam; ſecundo ſuum proponit propoſitum; tertio exponit. Secunda ibi, *Non veni pacem mittere*; tertia ibi, *Veni enim ſeparare hominem adverſum patrem ſuum &c.* Dicit ergo: Poſſent ita opinari: Quid eſt, Domine, quod tot evenient nobis? In adventu tuo credebamus habere pacem. Et ideo dicit: *Nolite arbitrari &c.* Sed quid eſt quod dicit? Nonne habetur Luc. II. 14. quod nato Domino cecinerunt Angeli: „ Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. “ Et ipſe Epiſcopus cum primo vertitur ad populum, dicit, Pax vobis; & ſupra nuntiavit Dominus pacem. Ideo dicendum, quod duplex eſt pax, videlicet bona, & mala. Nomine pacis concordia ſignificatur. Eſt pax mala, de qua habetur Sap. XIV. 12. „ Sed (*b*) in magno viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. “ Iſta pax eſt carnalium affectuum: iſtam non veni ponere. Unde Apoc. VI. 4. „ Datum eſt ei ut ſumeret pacem de terra. “ Eſt & pax bona, de qua Ephe. II. 14. „ Ipſe eſt pax noſtra qui fecit utraque unum. “ Et ideo Angeli cecinerunt, Luc. II. 14. „ Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. “ Ideo *non veni mittere pacem, ſed gladium*. De ratione gladii eſt dividere. Iſte gladius eſt verbum Dei. Heb. IV. 12. „ Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. “ Unde etiam „ gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei: “ Eph. ult. 17. Iſte gladius miſſus eſt in terram. Et quidam crediderunt, quidam non. Et ideo fit bellum, ut habetur ad Gal. IV. 9. „ Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis &c. “ Unde venit ſeparare iſtam diviſionem. Venit ergo mittere gladium &c. ſcilicet verbum; ſed partim: quia quidam crediderunt, & hoc ex eo fuit; quidam vero non, & hoc ex malitia ſua. Hoc tamen cauſatur etiam ab eo, quia permittit, ſicut habetur ad Rom. I. 26. „ Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. “

Sed poſſet aliquis dicere: Veniſti ſeparare. Inter quos veniſti? Nonne inter diverſos, & extraneos? Et oſtendit, quod non, ſed inter coniunctiſſimos. *Veni enim*, inquit, *ſeparare hominem adverſus patrem &c.* Duplex eſt enim maxima coniunctio: quædam eſt coniunctio naturalis: quædam domeſtica, vel æconomica: ideo contra utramque mittit gladium. Amicitia naturalis fundatur ſuper actum naturalem; & hic eſt generatio, vel coniunctio maris & feminæ. Domeſtica, vel æconomica ſuper affinitatem. Contra primam ergo veni ſeparare hominem adverſus patrem.

Sed eſt quæſtio. Dictum eſt ſupra: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Sed lex præcipit: Honora patrem tuum &c. Solutio. Dico, quod debes ei obedire ubi non retrahit a Dei amore; ſed ubi retrahit, non teneris obedire.

Et filiam adverſus matrem ſuam. Et hoc quantum ad generationem. *Et nurum adverſus ſocrum ſuam.* Et in hoc communicat nova lex veteri, ut habetur Exo. XXXII. ubi dicitur (ver. 26.) „ Si quis eſt Domini, con-

„ iun-

(a) *Al.* eminet. (b) *Al.* Sed etiam magno.

Digitized by Google

, iungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum „ omnes filii Levi: quibus ait: Ponat vir „ gladium ſuper femur ſuum: “ & ſequitur: „ Et occidat unuſquiſque fratrem ſuum „ & amicum. “ Et illud reputatum eſt ad laudem Levitarum, ut habetur Deu. XXXIII. 8. ubi dicitur: „ Levi quoque ait: Perfectio tua, & doctrina a viro ſancto tuo. “ Et ſequitur: „ Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos; & fratribus ſuis, „ Ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos. “

Sed eſt quæſtio: quia hic enumerat ſex perſonas; in Luca vero non enumerantur niſi tres. Et dicendum, quod idem eſt utrobique, quia eadem eſt mater (a) & ſocrus uxoris eius. Item ponit quæ ad familiaritatem pertinent, ubi dicit: *Et inimici hominis domeſtici eius &c.* Et habetur Hier. XX. 10. „ Et audivi contumelias multorum, „ & terrorem in circuitu: Perſequimini, & „ perſequemur eum: ab omnibus viris qui „ erant pacifici mei. “ Et videte quia totum iſtud habetur Michææ VII. 6. „ Filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit „ adverſus matrem ſuam, nurus contra ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici „ eius. “

Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Hic oſtendit quomodo in iſta diviſione ſe debeant habere. Si vis recipere gladium Domini, oportet quod dividaris ab iſtis quos dixit. Sed diceret aliquis: Nolo dividi a patre, & huiuſmodi: ideo dicit: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Hortatur Dominus ut omni amori carnali præponatur. Et primo ponit exhortationem; ſecundo utilitatem inde ſequentem, ibi, *Qui recipit vos, me recipit.* Et ponit tres gradus. Naturale enim eſt quod homo diligat patrem, ſed magis naturale quod pater filium diligat: item plus naturale quod diligat ſeipſum. Quare ergo pater plus diligit filium, quam e converſo? Aſſignant quidam rationem, quia pater habet plus ſcire de filio ſi ſit filius, quam filius de patre. Item quanto aliquis diutius adhæret alicui tanto magis radicatur in amore eius. Item alia ratio, quia unuſquiſque magis diligit ſe quam alium, ſed filius eſt quædam pars ſeparata ab eo, pater autem non eſt pars filii: ideo &c. Item naturale eſt quod unumquodque diligat facturam ſuam. Sed diverſitas eſt ſecundum aliquos, quia quo ad aliquid filius magis diligit patrem. Naturaliter enim fit deſcenſus a patre in filium: tamen naturaliter filius ſubditus eſt patri: ideo pater naturaliter diligit filium, etiam pater ſpiritualis, ut habetur I. Cor. IV. 14. „ Non ut confundam vos hoc „ ſcribo, ſed ut filios cariſſimos moneo. “ Sed filii naturaliter ſubiecti ſunt patri; ideo naturaliter honorant patrem: & magis iraſcuntur de iniuria patri illata quam ſibi: & magis appetunt gloriam patri quam ſibi. Prov. XVII. 6. „ Gloria filiorum patres eo„ rum. Unde *qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*: quia ipſe eſt Deus; Deus autem præ cunctis eſt diligendus. Iob XXXII. 21. „ Non accipiam per„ ſonam viri, & Deum homini non æqua„ bo. “ Deus enim ipſa bonitas eſt, ideo magis amandus. Non eſt ergo me dignus qui amat patrem, aut matrem plus quam me. *Et qui amat filium, aut filiam &c.* Quare diligit filius patrem? Dicendum, quod quicquid habet filius, habet a patre: habet enim a patre nutrimentum, & doctrinam. Et hoc non poteſt filius dare patri. Sed quę filius recipit a patre, abundantius recipit a Deo. Ipſe enim docet nos, ut habetur Iob XXXV. 11. „ Qui docet nos ſuper iumenta „ terræ, & ſuper volucres cæli erudit nos „ &c. “ Item paſcit nos, ut dicitur in Gen. de Iacob. Item conſervat nos in perpetuitatem. Et hoc magis habet a Deo homo quam filius a patre: ideo ſemper magis eſt diligendus Deus. „ Scio quod redemptor „ meus vivit, & in noviſſimo die de terra „ ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor „ pelle mea, & in carne mea videbo Deum „ meum: “ Iob XIX. 25. *Et qui non accipit crucem ſuam.* Ita dictum eſt quod qui amat patrem &c. immo dico plus: qui amat ſeipſum pluſquam me, non eſt me dignus. Quia nihil poteſt replere totum affectum niſi Deus. Et ideo Deut. VI. 5. „ Diliges Dominum „ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex „ tota anima tua, & ex tota fortitudine „ tua. “ Unde dicit: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Intelligit, quod qui non eſt paratus etiam mortem pati propter veritatem, & illam maxime mortem, ſcilicet mortem crucis: *non eſt me dignus.* Immo etiam debet gloriari de cruce, ſicut habetur ad Gal. ult. 14. „ Mihi „ autem abſit gloriari niſi in cruce Domini. “ Et in hoc prænuntiat mortem ſuam, & modum mortis. I. Pet. II. 21. „ Chriſtus paſ„ ſus eſt pro nobis, vobis relinquens exem„ plum, ut ſequamini veſtigia eius. “ Item aliter exponitur. Quia ille crucem accipit qui carnem affligit, ut habetur ad Gal. V. 24.

(a) *Al.* & ſorores.

Digitized by Google

24. „ Qui Chriſti ſunt carnem ſuam cruci-
„ fixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis
„ &c. “ Item crux ſertur in corde, quan-
do contriſtatur pro peccato, ut dicebat A-
poſtolus II. Cor. xi. 29. „ Quis ſcandalizatur,
„ & ego non uror? “ Item non ſufficit
iſtud, niſi ſequatur Dominum: unde, *Et ſe-
quitur me*. Si ieiunas, ſi compateris proxi-
mo, non propter me, *non es me dignus*. Ma-
gnum eſt enim ſequi Dominum, ut habetur
Eccli. xxiii. 38. „ Gloria magna eſt, ſe-
„ qui Dominum. “ Sed poſſent dicere: Quid
inde babebimus? Ideo oſtendit pœnam in-
obedientium: unde dicit: *Qui invenit animam
ſuam, perdet eam*. Anima ſumitur pro vita.
Aliquis quando eſt in periculo amittendi de-
narios, conſuevit dicere, Amiſi denarios; &
ſi liberetur a periculo, dicit ſe inveniſſe de-
narios. Similiter ſi aliquis eſt in periculo
corporis, & aliqua occaſione liberatur, di-
cit inveniſſe vitam ſuam. Qui ergo invenit
vitam ſuam, & in periculo ſuerit propter
me, & neget me, ut inveniat vitam, *non
eſt me dignus*. *Et qui perdiderit animam*, ideſt
vitam; ideſt, ſi expoſuerit ſe morti propter
me, *inveniet eam*. Prov. viii. 35. „ Qui me
„ invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalu-
„ tem a Domino. “ *Qui recipit vos, me re-
cipit*. Hic ponit remedium. Tu dicis quod
ita ſaciamus. Unde poterimus vivere? Da
nobis indulgentiam. Sicut Papa dat legatis
poteſtatem indulgendi, ita dat Dominus mer-
cedem recipientibus eos. Et ponit tria,
quorum duo pertinent ad minores. Dicit er-
go: *Qui recipit vos me recipit*: quia Deum
habebunt, quia vos eſtis membra mea, quia
membrum de membro. Unde *me recipit*. Sed
poſſent dicere: Tu es pauper: non eſt ma-
gnum recipere pauperem, ſive te. Immo *qui
me recipit, recipit eum qui me miſit*. Quia,
ſicut habetur Ioan. v. 23. „ Qui honorificat
„ Filium, honorificat & Patrem meum. “
Magnum eſt Deum habere hoſpitem, ſicut
Abrahæ reputatum eſt ad laudem, ut habe-
tur Heb. xiii. Item aliud conſequetur,
ſcilicet mercedem prophetæ. Unde *qui re-
cipit prophetam in nomine propheta, mercedem
propheta accipiet*. Duo excellentia ſunt in pro-
pheta. Scilicet prophetia. Joel. ii. 28. „ Ef-
„ fundam de ſpiritu meo ſuper omnem car-
„ nem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ
„ veſtræ. “ Item donum iuſtitiæ. I. ad Cor. i.
30. „ Ex ipſo autem vos eſtis, qui factus eſt
„ nobis ſapientia, & iuſtitia. “ *Qui recipit
prophetam* (a) *in nomine propheta*. Poteſt ſic
intelligi. *Qui recipit prophetam in nomine pro-
pheta*, ideſt eo quod propheta eſt, *mercedem
propheta recipiet*. Vel aliter. Tu dicis quod
recipiamus Apoſtolos. Sed venient aliqui
pſeudoprophetæ, vel pſeudoapoſtoli; ideo
dicit: Non facio vim de veritate, ſed de no-
mine: Quia qui in nomine prophetæ reci-
pit, mercedem habebit. Et quam? Eamdem
quam haberes ſi verum prophetam recipe-
res. Unde dicit, *Mercedem propheta*, ideſt
quam haberet pro propheta. Item non facit
vim quis ſic ille, utrum unus, vel alter.
Qui enim recipit prophetam, recipit mer-
cedem prophetæ: quia propheta inde pro-
nior eſt ad exercendum opus ſuum: quia non
ſolum qui faciunt, mercedem recipiunt,
„ ſed etiam qui facientibus conſentiunt; “
ut habetur Rom. i. 32. Unde ſi cooperaris
ad bonum, de bono illo recipis mercedem:
ſi miniſtras ſubſidia vitæ, accipis mercedem:
quia aliter non poſſet officium implere.
Et idem eſt quod ſequitur: *Qui recipit iu-
ſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet*.
Sed poſſet dicere aliquis: Si veniret Petrus,
vel Elias, libenter reciperem eum; ideo ſub-
dit: *Et quicumque potum dederit uni ex mini-
mis*, ideſt fidelibus, ut habetur infra xxv.
40. *Amen dico vobis, quod uni ex his fratri-
bus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis &c.* quaſi
dicat: Non curo utrum magni, vel parvi
ſint. Poſſet aliquis dicere: Pauper ſum; non
habeo quid dare: ideo addit: *Calicem aquæ
frigidæ*: non dicit aquæ calidæ propter in-
opiam lignorum, ne poſſet ſe ſic excuſare:
unde vult dicere: Quicquid minimum fece-
rit, habebit mercedem ſuam. Et hoc con-
firmat dicens: *Amen dico vobis, non perdet
mercedem ſuam*. Eſa. xl. 10. „ Ecce Domi-
„ nus veniet: “ & ſequitur: „ & merces
„ eius cum illo, & opus illius coram il-
„ lo. “

(a) *Al. In nomine meo &c.*

CAPUT XI.

(a) ET factum eſt cum conſummaſſet Ieſus præcipiens duodecim diſcipulis ſuis' tranſiit inde, ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum. Ioannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur; & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta. Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. A diebus autem Ioannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ, & lex uſque ad Ioannem prophetaverunt: & ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi, audiat.

(b) Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non planxiſtis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens; & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et iuſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis.

(c) Tunc cœpit exprobrare civitatibus in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die iudicii quam vobis. Et tu Capharnaum, numquid uſque in cælum exaltaberis? Uſque in infernum deſcendes. Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicii quam tibi. In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ: quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo. Et nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.

(a) HIs dictis, tranſiit Dominus, ut doceret, & prædicaret; & hoc propter tria. Una ratio eſt ut quod verbo dixerat, monſtraret exemplo. Act. 1. 1. „Cœpit Ieſus facere, & docere." Item ut oſtenderet quod etiam impiis eſt prædicandum. Unde ad Rom. 1. 14. „Sapientibus, „& inſipientibus debitor ſum." Item ut aliis daret locum prædicandi, ut habetur I. Corin. XIV. 30. „Quod ſi aliquid fuerit re„velatum ſedenti, prior taceat." *Ioannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti*. Poſita eſt doctrina Chriſti, & confirmata, & instructi ſunt prædicatores; hic confutantur rebelles. Et primo confutat diſcipulos Ioannis; ſecundo ſcribas, ibi, *Illis autem abeuntibus &c.* Circa primum tria facit. Primo dubitantes confutat; ſecundo arguit turbas, ibi, *Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam?* tertio perſolvit gratias de fide Apoſtolorum, ibi, *In illo tempore reſpondens Ieſus dixit &c.* Circa primum primo ponitur

quæ-

quæſtio; ſecundo quæſtionis ſolutio, ibi, *Et reſpondens Ieſus &c.* Dicit ergo: *Cum audiſſet in vinculis opera Chriſti*. Ponitur occaſio quare miſit illos. Idem habetur Luc. VII. (a) tamen alio ordine. Dicit ergo quod erat in vinculis, ut ſupra IV. Tunc incepit Ieſus miracula facere. Et hoc erat conveniens, ut ſol non appareret dum nubes eſſent. Infra (hoc cap.) „ Lex, & prophetæ uſ„ que ad Ioannem.“ *Opera*, ideſt miracula, *Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi.*

Quidam volunt ex hoc condemnare Ioannem, quia dubitavit an eſſet Chriſtus; & conſtat quod dubius in fide eſt infidelis. Ambroſius ſuper Lucam dicit, quod hæc quæſtio non fuit infidelitatis, ſed pietatis: non enim loquitur de adventu in mundum, ſed de adventu ad paſſionem. Unde miratur ſi venerat ad patiendum, ſicut dixit Petrus: (b) *Propitius eſto tibi Domine*. (Infra XVI. 22.) Sed contra dicit Chryſoſtomus, quia Ioannes a principio præſcivit, cum dixit: „ Ec„ ce agnus Dei, “ Ioan. I. 29. Conſtat ergo quod ſcivit eum fore hoſtiam immolandam: unde commendatur hic a Domino, quod ſit pluſquam propheta; ſed prophetæ noverunt futura. Alia ratio eſt Gregorii, quod non eſt quæſtio de adventu in mundum, nec ad paſſionem, ſed de deſcenſu ad inferos, quia Ioannes propinquus erat (c) eundo ad inferos, ideo voluit certificari: *Tu es qui venturus es &c.*

Sed contra hoc obiicit Chryſoſtomus. Apud illos qui ſunt apud inferos non eſt ſtatus pœnitentiæ: unde videtur quod fruſtra diceret iſtud. Sed hoc non eſt contra Gregorium, quia voluit non ut nuntiaret captivis converſionem, ſed iuſtis, ut gauderent. Alia reſponſio. Legimus quod Dominus multoties interrogaret, non quia dubitaret, ſed ut calumniam tolleret, ut in Ioan. XI. 34. interrogavit de Lazaro: „ Ubi poſuiſtis eum? “ non quia ignoraret, ſed ut illi qui oſtenderent ſepulcrum, non poſſent negare, nec calumniari: ideo ſic fuit de Ioanne, quia diſcipuli eius calumniabantur de Chriſto, ideo ipſe miſit, non quia ipſe dubitaret, ſed ne ipſi calumniarentur, ſed confiterentur. Sed quare non ante miſerat? Quia ante ſemper erat cum eis, & ideo certificabat eos; ſed cum voluit diſcedere ab eis, voluit quod ipſi per Chriſtum eſſent certi.

Dicit ergo: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Verum eſt quod patres noſtri expectaverunt te? ut habetur Exod. IV. *Et reſpondens ait illis &c.* Hic tangitur Chriſti reſponſio. Ioannes habuit multos diſcipulos, ut habetur Ioan. IV. Erat ergo inter eos contentio, quia videntes opera Chriſti præferebant Chriſtum Ioanni. Item videntes abſtinentiam Ioannis, præferebant Ioannem Chriſto. Unde primo quæſtionem ponit; ſecundo commendat Ioannem. Circa primum reſpondet ſecundum adventum ad paſſionem. Veniet tempus quo Deus paſſurus eſt, & multi ſcandalizabuntur, quia „ Iudæis ſcanda„ lum, “ I. Cor. I. 23. Unde reſpondet quando hoc erit. Secundum Chryſoſtomum oſtendere vult quod ille venit quem prophetæ prædixerunt. Unde per prophetas tria erant promiſſa. Aliquando promittebatur adventus Dei; in aliquibus adventus novi doctoris; in aliquibus adventus ſanctificationis, & redemptionis. Quomodo ergo cognoſcemus quod iſte veniet? Et reſpondet eo modo quo reſpondetur Eſa. XXXV. 4. „ Ecce Deus veniet, „ & ſalvabit nos &c. “ Unde videbitis iſta miracula. *Nuntiate* ergo *Ioanni quæ audiſtis*, in doctrinis, *& vidiſtis*, in miraculis. Item promittebatur doctor. Ioel. II. 22. „ Filii „ Sion exultate: “ & ſequitur: „ quia dedit „ vobis doctorem iuſtitiæ. “ *Cæci vident, &c.* Et hoc ad litteram. Item, ſi quæris quando veniet: Eſa. LXI. 1. „ Spiritus Domini ſuper me, „ ad annuntiandum manſuetis miſit me, “ vel ad evangelizandum; & hoc ſignificatur, cum dicitur: *Pauperes evangelizantur*. Aliquid proprium voluit ſignificare; quaſi dicat: Veniet ponere novam doctrinam. *Pauperes evangelizantur*, ideſt evangelizatur paupertas: unde ſupra V. 3. *Beati pauperes ſpiritu &c.* Et Luc. IV. 18. „ Spiritus Domini ſuper me, propter „ quod unxit me, evangelizare pauperibus „ miſit me. “ Item veniet aliquis ſanctificatus ſanctificans peccatores. Unde Eſa. VIII. 13. „ Dominum exercituum, ipſum ſanctifi„ cate. “ Unde aliquibus promittebatur ſanctificatio; quibus ſanctificatis alii ſcandalizabuntur: unde dicitur: *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me*. Unde ad Hebr. ult. 12. „ Propter quod & Ieſus, ut ſancti„ ficaret per proprium ſanguinem populum, „ extra portam paſſus eſt. “ Ideo oſtendit ſigna de adventu.

Et ſi moraliter loquamur, per hoc ſignificatur totus proceſſus ſanctificationis hominis. Primo enim peccatori accidit cæcitas, quando ratio obtenebatur. Pſal. LVII. 9. „ Supercecidit ignis, & non viderunt ſo„ lem. “ Et Eſa. XLIII. 8. „ Educ foras po„ pulum cæcum, & oculos habentem. “ Claudus dicitur quando ad diverſa mens tra-

(a) *Al.* tamen alio ordine: dicit enim quod erat in vinculis. (b) Ibi: *Abſit a te Domine*. (c) *Al.* de eundo.

trahitur, ut dicitur III. Reg. XVIII. 21. „ Ut quid claudicatis in duas partes? “ Item fit ulceroſus in inſidiis, & leproſus, quia tunc retrahi non poteſt, & alios inficit. Et poſt ſurdus efficitur, quia caſtigatio non auditur. Ulterius moritur. Epheſ. V. 14. „ Surge qui dormis, & exurge a mor- „ tuis. “ Et omnes iſtos ſanat Dominus. Ultimo fit pauper ſpiritu, ita quod non eſt in eo ſanitas. Pſal. XXXVII. 8. „ Quoniam „ lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & „ non eſt ſanitas in carne mea. “ Et iſtos Dominus ſanat, & ſanati in quamdam ſoliditatem mentis conſcendunt, ubi eſt vera pax. „ Pax multa diligentibus legem tuam, „ & non eſt illis ſcandalum: “ Pſal. CXVIII. 65.

Illis autem abeuntibus &c. Hic ſatisfacit dubitationi turbarum. Turbæ autem audierant teſtimonium Ioannis de Chriſto; ſed modo videbantur dubitare. Tria enim poterant habere in corde, quia triplici ratione mutat aliquis verbum ſuum: vel propter animi levitatem, vel propter aliquod commodum, vel quia ex humano ſpiritu, quando neſciat veritatem, & poſt cognoſcat illam. Pſalm. XCIII. 11. „ Scit enim Deus quoniam „ cogitationes hominum vanæ ſunt. “ (*a*) Ideo primo excludit ab eo levitatem; ſecundo appetitum commodi; tertio oſtendit eum propheticam habere veritatem. Dicit ergo: *Illis abeuntibus &c.* Docet nos Dominus magnam curialitatem: quia noluit Ioannem laudare diſcipulis ſuis præſentibus, ſicut nec aliquem in ſua præſentia, ſicut habetur Prover. XXVII. 2. „ Laudet te alienus, „ & non os tuum; extraneus, & non labia „ tua. “ Quia ſi bonus eſt qui laudatur, erubeſcit; ſi malus eſt, adulatur. *Cœpit Ieſus dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre?* Numquid exiſtis ad videndum *arundinem?* Non. Sed exiſtis videre hominem firmum. Arundo autem de facili movetur, unde animus cito mutabilis, ventus reputatur. Ad Epheſ. IV. 14. „ Ut non ſimus iam „ parvuli fluctuantes, & circumferamur „ omni vento. “ Item non eſt levis pro aliquo commodo. *Sed quid exiſtis videre?* Omnes enim divitiæ ad aliquam utilitatem pertinent corporis, & hoc vel in cibo, vel in veſtitu: & conſtat quod in nullo horum facit vim. Non eſt ergo credendum quod pro aliquo commodo hoc dicat: unde dicit: *Quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum?* (*b*) Et quare non facit mentionem de cibo? Quia non poterat eſſe dubium. Veſtiebatur autem de pilis camelorum. Unde *qui mollibus veſtiuntur*, non ſunt in deſerto, *ſed in domibus Regum*. Aliter exponitur ſecundum Chryſoſtomum. Aliqui ex natura leves fiunt, aliqui ex deliciis; ut Oſee IV. 11. (*c*) „ Fornicatio, & „ vinum, & ebrietas auferunt cor. “ Primum amovet per prius dictum; ſecundum per hoc quod dicit, *Mollibus veſtitum*: ideo non eſt inconſtans ex deliciis vitæ.

Sed hic poteſt fieri quæſtio de deliciis veſtitus, utrum ſit peccatum: quia ſi non eſt peccatum, non imputaretur illi diviti qui „ quotidie induebatur purpura, & byſſo: “ Luc. XVI. 19. Reſpondet Auguſtinus, quod talia non ſunt conſideranda, ſed affectus utentis. Quilibet enim debet indui ad modum ſimul conviventium; ideo magis enucleanda eſt conſuetudo. Nam in aliquibus terris omnes, aut plures induuntur ſerico; Unde aliqui ſtrictius induunt, aliqui latius, & utroque modo diſtinguitur. Si reſtrictius; aut intentione bona, & hoc eſt bonum; aut propter vanam gloriam, & hoc malum. Si latius, aut propter ſuperbiam, & hoc malum; aut propter ſignificationem, ut pontifex, & ſacerdos, & hoc bonum.

Myſtice per homines qui mollibus veſtiuntur, ſignificantur adulatores: ille enim mollibus veſtitur qui verbis blandis molitur, ut in ore homines ſuperbi (*d*) quærant gloriam. Et Prover. XXIX. 12. „ Princeps qui „ libenter audit verba mendacii, omnes mi- „ niſtros habet impios. “

Sed dicerent: Non eſt inconſtans, ſed humano ſpiritu loquitur; ideo hoc amovet: *Sed quid exiſtis videre? Prophetam &c.* Unde teſtimonium perhibet quod non humano ſpiritu, ſed prophetico loquebatur: unde primo oſtendit eum eſſe prophetam; ſecundo pluſquam prophetam. (*e*) Fuit enim propheta, ut habetur Luc. I. 76. „ Et tu puer „ propheta Altiſſimi vocaberis &c. “ Item extollit eum ſuper prophetas dicens: *Dico vobis: Etiam pluſquam Prophetam?* & hoc quantum ad tria. Primo quia prophetæ eſt futura prædicere. Iſte autem non ſolum futura, ſed etiam præſentia oſtendit, dicens: (Ioan. I. 29.) „ Ecce Agnus Dei, ec- „ ce qui tollit peccatum mundi. “ Item non dicitur ſolum propheta, ſed etiam Baptiſta, ut ſup. III. Item præcurſor, ut habetur Luc. I. 76. „ Præibis enim ante fa- „ ciem Domini parare vias eius. “ Item quantum ad modum: miraculoſius enim egit quam propheta; quia iſte ex utero prophetavit,

(a) *Al.* Ideo excludit. (b) *Al.* Et quare non facit mentionem de cibo, quia poterat eſſe dubium.
(c) *Al.* Fornicatio, & ebrietas. (d) *Al.* quærunt. (e) *Al.* Dicitur.

Digitized by Google

tavit, alii non, ut habetur Luc. I. 44. „ Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ „ io auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo. “ *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt*. Hic probat Dominus excellentiam Ioannis: & primo per auctoritatem; ſecundo per ſpecialia eius privilegia, ibi, *Amen dico vobis &c.* Dicit ergo: Dixi quod eſt pluſquam propheta, de quo habetur Malach. III. I. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te &c.* In hac auctoritate ponuntur excellentiæ Ioannis: quia primo vocat eum Angelum: Angelus enim eſt ſupra prophetam, quia ſicut ſacerdos eſt medius inter prophetam & populum, ſic propheta inter Angelos & ſacerdotes. Aogelus autem inter Deum & prophetas: unde Zacharias dicit: „ Angelus „ qui loquebatur in me: “ Zachar. I. 9. Angelus eſt nomen officii, non naturæ: unde Ioannes Angelus dicitur ex officio: differentia eſt enim ioter Angelum & prophetam, quia Angeli manifeſte vident: unde habetur infra XVIII. 10. ubi dicitur: *Dico enim vobis quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt*. Angeli ſemper videot faciem Dei, prophetæ vero non. Unde ſicut Angeli ſemper vident faciem Patris, ſic Ioannes ſpecialiter Chriſtum vidit; & ideo quia ſpecialiter, ideo dicit *meum*. Item dicit, *Ante faciem meam*. Quando Rex vadit, pręcedunt multi, ſed magis familiares præcedunt faciem ſuam: ſic Ioannes honorabilior dicitur, quia miſſus ante faciem eius: tanto eoim hoorabilior, quanto propinquior. Item iſte præparabat viam, quia baptizabat; unde dicit: *Qui præparabit viam ante te. Amen dico vobis &c.* Supra commendavit Dominus Ioannem per auctoritatem prophetæ; nunc intendit eum commendare propriis verbis, & auctoritatem prophetæ exponit. Et tria facit. Primo commendat ipſum quantum ad differentiam omnis ordinis & ſtatus. Et primo ſecundum differentiam cæleſtium & terreſtrium; ſecundo quantum ad differeotiam legis & Evangelii; tertio quantum ad differentiam præſentis ſæculi & futuri. Et primo oſtendit eum excellentem inter terreſtres; ſecuodo oſtendit eum minorem inter cæleſtes, ibi, *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo*. Dicit ergo: Dictum eſt quod Ioannes eſt Angelus, & ut io ſumma breviter comprehendam, *dico vobis: Inter natos mulierum non ſurrexit maior*. Proprie locutus eſt cum dixit, *Surrexit*, quia omoes naſcuntur filii iræ, ut habetur ad Epheſ. II. 3. „ Eramus natura filii iræ, ſicut & ceteri. “ Quicumque ergo poteſt ad ſtatum gratiæ pervenire, ſurgit. Unde, *Inter natos mulierum &c.* Et ſignificanter loquitur, ut ab hac univerſalitate excludatur Chriſtus: quia mulier corruptionem ſooat, ſed femina ſexum: unde ſi alicubi invenitur filius mulieris, ut in Ioan. XIX. 26. „ Mulier, ecce filius tuus: “ ſexum tunc nominat, non corruptionem.

Sed quid eſt quod dicit: *Inter natos mulierum non ſurrexit maior?* Eſt ne propter hoc maior omnibus? Dicit Hieronymus, quod non ſequitur: Si non ſurrexit maior, ergo eſt maior. Chryſoſtomus (*a*) autem dicit, quod maior eſt omnibus. Secundum (*b*) ergo primam expoſitionem dico quod argumentum illud in Angelis, ubi eſt ordo, valorem haberet, quod ille quo non eſt alius maior, eſt maximus; ſed inter homines non habet veritatem, quia inter homines non eſt ordo ſecuodum naturam, ſed ſolum ſecundum gratiam. Item ſi dicatur maior omnibus patribus veteris teſtamenti, non eſt inconveniens. Ille enim maior & excellentior eſt qui ad maius officium eſt aſſumptus. Abraham enim maior eſt ioter patres, quo ad probationem fidei; Moyſes vero quo ad officium prophetiæ, ut habetur Deut. ult. 10. „ Non ſurrexit propheta ultra in Iſrael ſicut Moyſes. “ Omnes iſti præcurſores Domioi fuerunt; nullus autem fuit in tanta excellentia & favore: ideo ad maius officium eſt aſſumptus. „ Luc. I. 15. „ Erit enim „ magnus coram Domino. “

Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. Occaſione iſtorum verborum quidam locum calumniandi invenerunt. Volunt enim omnes patres veteris teſtamenti damnare. Si enim maior eſt aliis, ſequitur quod alii non ſunt de numero ſalvandorum: quia per regnum cælorum pręſens Eccleſia deſignatur. Si ergo Ioannes non fuit de præſenti Eccleſia, non fuit de numero electorum: ergo minus alii. Et hæc opinio eſt erronea, quia conſtat quod id quod Dominus dicit, in laudem Ioannis introducitur.

Poteſt autem hæc locutio exponi tripliciter. Primo, (*c*) ut per regnum cælorum ordo beatorum intelligatur: & qui inter illos eſt minor, maior eſt quolibet viatore: Et ideo præſentem ſtatum appellat Dominus pueritiam: unde I. ad Cor. XIII. 11. „ Cum „ autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant „ parvuli: “ unde nominat viatores parvulos.

(a) *Al.* ergo. (b) *Al.* enim. (c) *Al.* ut regnum.

los. Et hoc verum eſt intelligendo de maioritate actuali: actu enim maior eſt qui comprehenſor eſt. Secus de maioritate virtuali; ſicut una parva herba maior dicitur virtute, licet alia maior ſit quantitate. Aliter poteſt exponi, ita quod per regnum cælorum præſens Eccleſia deſignetur. Et hoc eſt quod minor non dicitur univerſaliter, ſed minor tempore. Supra III. Et Ioan. I. 15. „Qui poſt me venit ante me factus eſt.“ Unde ille qui minor eſt, maior eſt illo. Vel aliter poteſt exponi, quod aliquis dicitur maior dupliciter. Vel quantum ad meritum, & ſic multi Patriarchæ ſunt maiores aliquibus novi teſtamenti, ſicut dicit Auguſtinus, quod cælibatus Ioannis non præfertur coniugio Abrahæ: aut comparando ſtatum ad ſtatum, ſicut virgines meliores ſunt coniugatis, non tamen quælibet virgo melior quolibet coniugato: unde Ioannes habet iſtam dignitatem, quod eſt in quodam confinio: quia maior viatoribus, ſed minor comprehenſoribus: unde tenet locum medium.

A diebus autem Ioannis uſque nunc &c. Hic commendatur quantum ad diſtinctionem novi & veteris teſtamenti: & notatur excellentia Ioannis, quia eſt principium novi teſtamenti, & finis veteris. Ita dixi, quod *qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo*: & hoc pertinet ad hoc quod ipſe eſt principium novi teſtamenti: ſed *a diebus Ioannis Baptiſtæ*, ideſt a prædicatione Ioannis, *regnum cælorum vim patitur*. Hoc tripliciter exponitur. Scitis quod in raptu quædam violentia eſt, & quidam conatus: unde oportet quod peccator ad hoc quod poſſit venire ad regnum cælorum, aſſurgat ad ſpiritualia, & conetur multum. Aliter exponitur. Scitis, quod rapina eſt proprie quando alienum præter voluntatem Domini rapitur: prædicatio ſalutis miſſa eſt Iudæis, & per Chriſtum ubique. Ipſe dicit infra XV. 24. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael*. Et cum ad eos mitteretur, non receperunt; tamen illi quibus non mittebatur, propter humilitatem rapiebant. Unde ſupra VIII. 12. *Multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores &c.* Et infra XXI. 43. *Auferetur a vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.* Ideo iſti violenter rapiunt. Et hæc eſt expoſitio Hilarii. Tertia expoſitio eſt. Illud quod rapitur, cum feſtinatione rapitur: unde Iob VI. 15. „Sicut torrens qui raptim „tranſit in convallibus:“ & hoc propter motus velocitatem. Et quia prædicatio ita commoverat corda omnium, videbatur feſtinus curſus; ideo dicit, *Vim patitur*, quia per modum cuiuſdam feſtinationis tendunt ad regnum: unde ab ipſo incepit Evangelium, & ipſe eſt finis legis: unde Chriſtus dicit: *Omnes enim prophetæ, & lex uſque ad Ioannem prophetaverunt*: quia omnes prophetæ propter Chriſtum; & inceperunt impleri a prædicatione Ioannis. Unde Luc. ult. 44. „Oportet impleri quæ ſcripta ſunt „de me.“ Et hoc *uſque ad Ioannem*.

Sed quid eſt? Numquid poſt Ioannem non fuerunt prophetæ? Nonne legimus infra XXIII. 34. *Ecce mitto ad vos prophetas, ſapientes, & ſcribas, &c.*

Dicendum, quod propheta ad duo mittitur. Ad confirmandam fidem, & corrigendos mores. Proverb. XXIX. 18. „Cum prophetia de„fecerit, diſſipabitur populus.“ Ad confirmandam fidem, ut habetur I. Petr. I. 10. „de qua ſalute exquiſierunt, atque ſcruta„ti ſunt prophetæ, qui de futura in vobis „gratia prophetaverunt, ſcrutantes in quod „vel in quale tempus ſignificaret in eis ſpi„ritus Chriſti.“ Unde prophetia de iſtis duobus ſerviebat. Sed iam fides fundata eſt, quia iam promiſſa per Chriſtum ſunt completa. Sed ad corrigendos mores numquam deficit, nec deficiet prophetia. Habet ergo excellentiam Ioannes, quia in medio veteris & novæ legis: unde miſſus eſt ante faciem quaſi ſimul cum Chriſto.

Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Hic ponit excellentiam Ioannis quo ad diſtinctionem præſentis & futuri. Elias enim fuit præcurſor Domini ſicut Ioannes: unde Malach. IV. 5. „Ecce ego mittam „vobis Eliam prophetam, &c.“ *Et Ioannes eſt Elias.*

Sed quid eſt quod dicit Dominus? Quia interrogatus Ioannes ſi eſſet Elias, dixit quod non. Per hoc autem amovetur quædam hæreſis, quæ poſuit tranſmigrationem animæ, quod anima videlicet exibat de uno corpore, & intrabat aliud corpus; ideo anima Eliæ intraverat Ioannem, ut dicebat. Sed hæc opinio falſa eſt, quia ipſe negavit quod eſſet Elias. Chriſtus autem dixit quod Ioannes erat Elias propter triplicem ſimilitudinem. Primo quia ſicut Angelus dicitur ſimilis Angelo, quia pares in officio; ſic Elias & Ioannes pares ſunt officio, quia uterque præcurſor. Luc. I. 76. „Ipſe præibit ante faciem Domini parare „vias eius &c.“ Item quantum ad converſationem: quia vitam auſteram duxit, ut habetur III. Reg. XIX. Item quantum

ad

ad perſecutionem: quia ſicut ille perſecutus eſt a Iezabel, ita iſte ab Herode. Unde *ſi vultis accipere*, ſecundum quod accipi debet, *Ipſe eſt Elias*. Et ut ipſi intelligant quod iſtud dictum eſt myſtice, ſubdit: *Qui habet aures audiendi audiat*; ideſt, qui habet aures ſpiritualiter, audiat, & intelligat.

(b) Hic prorumpit in increpationem turbarum: & primo ponit quæſtionem; ſecundo quamdam ſimilitudinem; tertio eam exponit. Procedit ergo ſic. Ita comparatur Ioannes Eliæ ratione officii; ſed cui comparabo hanc generationem? Et quare dicit hoc hic? Hoc dicit ſicut aliquis quando alicui fecit quicquid boni potuit, & ipſe eſt ingratus, neſcit cui comparare eum: ſic Dominus omnia bona fecerat generationi huic: unde Eſa. v. 4. „ Quid ultra debui facere vi„ neæ meæ, & non feci ei? " Cui ergo potero comparare tantam malitiam?

Notandum, quod generatio aliquando in Scripturis pro congregatione bonorum accipitur, aliquando malorum, aliquando (a) utrorumque. Pro congregatione bonorum, ut in Pſal. 111. 2. „ Generatio rectorum be„ nedicetur. " Pro congregatione mala, infra XII. 39. ubi dicitur: *Generatio mala, & perverſa*. Pro utriſque, Eccle. 1. 4. ubi dicitur: „ Generatio præterit, gene„ ratio ventura eſt; terra autem in æter„ num ſtat. "

Similis eſt pueris ſedentibus in foro &c. Hic ponit quamdam ſimilitudinem; & poteſt exponi ſecundum planum litteræ, vel ſecundum myſticum ſenſum. Primo ponit ſimilitudinem de pueris; ſecundo adaptat eam, ibi, *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens &c.*

Notandum enim, quod naturale eſt (b) homini quærere delectationes, & ſemper quærit illas, & niſi abſtrahatur per ſolicitudines, ſtatim ruit in malas delectationes: ſed pueri non habent ſolicitudines, ideo vacant circa illa quæ ſibi competunt, hoc eſt ludere. Item notandum, quod homo naturaliter ſociale eſt, & hoc quia naturaliter unus alio indiget, unde delectatur in convictu: unde Philoſ. I. Politic. „ Omnis homo qui ſolita„ rius eſt, aut eſt melior homine, & eſt „ Deus; aut peior homine, & eſt beſtia. " Unde dicitur, *Sedentibus in foro*, quia nullus per ſe vult ludere, ſed in foro ubi fit congregatio multorum. Item notandum, quod naturale eſt homini quod delectatio eius ſit in aliqua repræſentatione: unde ſi videamus aliquid bene (c) ſculptum, quod bene repræſentet quod debet; tunc delectamur: ideo pueri qui delectantur in ludis, ſemper ludos ſuos faciunt, cum aliqua repræſentatione vel belli, vel huiuſmodi. Item notandum, quod ad duas paſſiones terminantur omnes animi affectus, ſcilicet vel ad gaudium, vel ad luctum.

Qui clamantes &c. Hoc eſt ita videndum. Ponamus quod ſint pueri ex una parte, & alii ex alia, ita quod quidam debeant cantare, alii ſaltare; unum iſti facere, alii eis reſpondere. Si iſti canerent, & illi eis non reſponderent ſecundum formam ſuam, iniuriarentur eiſdem, unde *dicunt*: *Cecinimus vobis, & vos non ſaltaſtis*. Item nihil ita immutat animum, ſicut cantus: unde computat Boetius in Muſica ſua de quodam qui coram Pythagora cum alio litigabat, & cantu alii loquebantur. Tunc Pythagoras fecit mutari cantum, & ille quievit: unde omnes exercebantur in muſica. Ideo notandum, quod quidam cantus eſt propter gaudium, ſicut habetur Eccli. xl. 20. „ Vinum, & muſica læ„ tificant cor: " ideo dicitur: *Cecinimus*, ideſt cantum gaudii diximus, *& non ſaltaſtis*. Item conſuetudo eſt, quod ſicut aliqui immutantur ad gaudium, ita quidam ad fletum: unde Hierem. IX. 17. „ Vocate lamentatrices, „ & aſſumant ſuper nos lamentum &c. " Ideo dicunt: *Lamentavimus*, ideſt cantus lugubres fecimus, *& vos non planxiſtis*. Myſtice per pueros ſignificatur populus veteris legis, inter quos quidam fuerunt provocatores ad gaudium ſpirituale, ut David Pſal. XXXII. 1. „ Exultate iuſti in Domino. " Quidam ad luctum, ut Ioel II. 13. „ Convertimini „ ad Dominum in toto corde veſtro in ie„ iunio, fletu, & planctu, &c. " Unde poſſunt dicere: *Cecinimus*, ideſt incitavimus vos ad ſpiritualem lætitiam, & non ſuſcepiſtis: *lamentavimus*, ideſt invitavimus ad pœnitentiam, & vos non acquievitis.

Venit Ioannes &c. Hic adaptat ſimilitudinem: & primo adaptat; ſecundo rationes aſſignat. Dupliciter homines attrahuntur ad bonam vitam: quidam enim per ſpeciem ſanctitatis, quidam autem per viam familiaritatis. Dominus, & Ioannes diviſerunt ſibi duas vias. Ioannes, immo Dominus per Ioannem, elegit viam auſteritatis; per ſe elegit viam lenitatis; & tamen per nullum ſunt converſi: unde dicit: *Venit Ioannes non manducans, neque bibens*: & hoc ad litteram, quia multum abſtinens fuit: *& dicunt*: *Dæmonium habet*: ſicut hypocritæ bonum in malum convertunt.

(a) *Al.* utrumque. (b) *Al.* hominibus. (c) *Al.* ſtultum.

tunt. *Venit Filius hominis manducans, & bibens*, ideſt differenter utens cibis; & non valet ei, quia non creditis; immo dicitis: *Ecce homo vorax, potator vini, publicanorum amicus*: contra illud Prov. XXIII. 20. „ Noli eſſe in conviviis potatorum &c. “

Hic notandum, quod qui obſervaret dicta hominum, numquam aliquid bene (*a*) faceret. Eccle. XI. 4. „ Qui obſervat ventos „ non ſeminat, & qui conſiderat nubes num„ quam metet. “

Sed hic eſt quæſtio. Quare elegit Dominus pro ſe vitam leniorem, & per Ioannem aſperiorem monſtravit? Iſta ratio eſt, quia Dominus confirmabat actus ſuos miraculis; (*b*) Ioannes autem non faciebat: ideo ſi nullam haberet excellentiam, non approbaretur eius teſtimonium: ſicut videmus in ſanctis, quia unus habet excellentiam in uno, alius in alio; ut Auguſtinus habuit excellentiam in doctrina, Martinus in miraculis. Item alia ratio, quia Ioannes purus homo erat; ideo abſtinebat ſe a carnalibus deſideriis: Chriſtus autem Deus erat; ideo ſi auſteritatem duceret, non oſtenderetur eſſe homo: ideo humanam vitam magis aſſumpſit. Item Ioannes fuit finis veteris teſtamenti; cui gravia imponebantur; ſed Chriſtus fuit initium novæ legis, quæ procedit per viam manſuetudinis.

Et iuſtificata eſt ſapientia. Iſtud poteſt dupliciter legi. (*c*) Uno modo retorquendo ad utrumque quod dictum eſt de Ioannes, & Chriſto; & tunc eſt ſenſus: quando homo facit quod debet, & alius non corrigitur, tunc ſalvat animam ſuam, (*d*) & iuſtificatur in ſermonibus ſuis. *Iuſtificata eſt ſapientia*, hoc eſt Filius Dei, ſive Chriſtus; ideſt, iuſta apparuit filiis ſuis, quia exhibuit Iudæis quod debuit: abſtinentiam per Ioannem, manſuetudinem per Chriſtum. Vel aliter poteſt dici. Ita dicant filii diaboli, quod *vorax eſt, & potator vini*; ſed filii ſapientiæ intelligunt, quod non eſt vita in cibo & potu, ſed in æqualitate animi, (*e*) utendo cibo pro loco, & tempore, & abſtinendo ſimiliter quando decet; ita quod non excedant in multo, nec deficiant in pauco, ut dicit Apoſtolus ad Phil. IV. 12. „ Ubi„ que, & in omnibus inſtitutus ſum, & ſa„ tiari, & eſurire, & abundare, & penu„ riam pati. “ (*f*) Ideo plenam iuſtitiam non videretur oſtendere, ſi totaliter abſtineret, quia crederetur tota iuſtitia eſſe in abſtinentia; ſed in hoc non conſiſtit, ſed in animi æqualitate. Et nota, quod dicit. *Sapientia*, quia uti cibis, vel abſtinere ſecundum moderationem ſapientiæ eſt ut abſtineat quando debet, & ubi debet.

(c) Supra ſatisfecit diſcipulis Ioannis; nunc exprobrat non credentibus: & duo facit. Primo deſcribitur factum Domini; ſecundo verba ipſius, ibi, *Væ tibi Corozaim &c.* Dicit ergo primo: *Tunc cœpit exprobrare civitatibus &c.* Exprobratio eſt reſpectu beneficiorum, & reſpectu datorum. Magnum enim beneficium fecerat Dominus, quia ſui præſentia eos illuſtraverat: unde ingrati erant, & ideo merito exprobrabiles: unde Michææ VI. 6. „ Popule meus, quid „ feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? “ quaſi dicat, nihil. Et non exprobravit eis quod peccata egiſſent, ſed quod pœnitentiam non feciſſent: unde eis conveniebat quod dicitur Iob XXIV. 23. „ Dedit ei locum pœ„ nitentiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbiam. “ Et Rom. II. 4. „ An ignoras quod benigni„ tas Dei te ad pœnitentiam adducit? “

Sed hic eſt quæſtio litteralis: quia Lucas iſtud alio ordine ponit: ponit enim in miſſione diſcipulorum; iſte hic. Reſpondet Auguſtinus. Videtur quod Lucas magis ordinem ſervet hiſtoriæ; hic autem ſeriem memoriæ.

Sed tunc obiicitur, quod hic dicitur: *Tunc*: ergo videtur (*g*) quod hic magis ſeries texatur hiſtoriæ. Reſpondet Auguſtinus, quod *tunc* tempus indefinitum dicit. Vel aliter poteſt dici, quod bis dixit hæc verba; & ideo potuit eſſe & tunc ſecundum iſtum, & tunc ſecundum Lucam.

Væ tibi Corozaim &c. Hic ponuntur verba Domini. Et primo fit ſermo de civitatibus ſuffraganeis; ſecundo de metropoli, ibi, *Et tu Capharnaum &c.* Et primo comparat culpam ad culpam; (*h*) ſecundo pœnam ad pœnam, ibi, *Verumtamen dico vobis &c.* Dicit ergo: *Væ tibi Corozaim &c.* Iſtæ autem ſunt civitates ſive villæ in Galilæa, ubi multa ſigna Dominus fecerat, & tamen non erant converſæ. Ideo dicit: *Væ tibi &c.*

Sed quid eſt quod facit Dominus? Immo ſcriptum eſt Rom. XII. 14. „ Nolite male„ dicere &c. “ Dicendum, quod eſt maledicere formaliter, & materialiter. Formaliter nullus debet maledicere, ſed materialiter poteſt. Unde notandum, quod quædam coniuncta ſunt ſecundum (*i*) ſenſum, quæ tamen poſſunt ſeparari ſecundum intellectum; ut in pomo eſt odor, & ſapor, quæ non poſſunt

(a) *Al.* conſiderat. (b) *Al.* Ioannes non faciebat. (c) *Al.* Uno retorquendo. (d) *Al.* & tunc.
(e) *Al.* utendo cibo, loco, & tempore. (f) *Al.* Ideo quia. (g) *Al.* quod magis ſeries texatur.
(h) *Al.* ſecundo pœnam, ibi. (i) *Al.* tactum.

Digitized by Google

poſſunt ſeparari ſecundum (*a*) ſenſum, licet ſecundum intellectum. Similiter velle iſtum non puniri, & velle ordinem iuſtitiæ, non poſſunt ſimul eſſe niſi ſecundum intellectum. Unde ſi maledico iſti, quia delector in eius malo, malum eſt. Si autem non pro malo eius, (*b*) ſed pro ordine iuſtitiæ, ſic eſt bonum. Unde verbum Domini non erat verbum delectantis, ſed opus iuſtitiæ nuntiantis.

Væ tibi Corozaim. Corozaim interpretatur miniſterium in eum. Bethſaida domus fructuum. Cui plus committitur, ab eo plus exigitur. Et quare plus ei exhibuit? Quia ibi ſuum miniſterium implevit; ideo „revelata „ eſt ira Dei de cælo ſuper omnem impie„ tatem, & iniuſtitiam hominum eorum qui „ veritatem Dei in iniuſtitia retinent: “ Rom. 1. 18. Bethſaida domus fructuum Si igitur multum fructum fecit ibi Dominus, & non faciunt pœnitentiam, quid erit eis? Eſai. v. 4. „Expectavi ut faceret uvas, „ & fecit labruſcas.“ *Væ tibi ... quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. *Olim*, ideſt a longinquis temporibus.

Et notate modum pœnitentiæ, quia in in cinere, & cilicio: quia duo inducunt ad pœnitentiam. Unum recordatio delictorum; & hoc ſignificatur in cilicio, quod fit de pilis caprarum: iſtud enim animal immolabatur pro peccato. Aliud eſt conſideratio mortis, & conditio humanæ fragilitatis: unde dicitur Gen. III. 19. „ Puluis es, & „ in pulverem reverteris. “ Et Iob ult. „ Ideo reprehendo me, & ago pœniten„ tiam in favilla, & cinere. “

Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die iudicii quam vobis. Hic comparat culpam ad culpam: quia ſi inventi ſunt graviores in culpa, deterius erit eis: quia quod audierunt, non fecerunt; ideo gravius erit: ſecundum quod dicitur Ioan. XV. 22. „ Si non veniſſem, & non eis lo„ cutus fuiſſem, peccatum non haberent.“

Notandum, quod ex iſtis verbis tres errores excludit. Quidam dicebant omnia peccata paria, & ſimiliter ſupplicia. Hoc excludit cum dicit, quia iſtis erit deterius quam Tyro & Sidoni. Item quidam dixerunt, quod non ſalvabuntur niſi quos præſcivit, quia ſi prædicaretur eis, converterentur. Hoc excludit cum dicit, quod Tyro, & Sidoni male erit; ſed tamen deterius iſtis, quibus nuntiatum eſt regnum Dei. Unde Auguſtinus in Libro Perſeverantiæ: „Non „ remunerat Dominus pro his quæ feciſſet, „ ſed pro his quæ facit. “ Item removet tertium errorem: quia dicebant quidam, quod Dominus miſit prophetas, & prædicatores Iudæis, & non aliis: quia ſciebat quod alii non reciperent. Sed hoc excludit, quia ſi prædicaretur eis, pœnitentiam agerent.

Sed tunc reſtat quæſtio: quia ſi Iudæi non credebant, videretur quod Dominus non bene feciſſet, cum non miſit ad eos, ſi illi crediſſent. Dicit Gregorius, quod ſcire ſecreta Dei non eſt hominis: tamen ſecundum quod videtur, quia promiſſum erat patribus, ideo ad confirmandas promiſſiones patrum primo prædicavit Iudæis. Item ut oſtenderetur iuſtior eorum condemnatio, ideo eis prædicavit, & poſt aliis diſcipulos miſit. Remigius ſolvit ſic: quia licet ex Tyro, & Sidone plures credidiſſent in maiori multitudine; tamen apud eos erant aliqui (*c*) perverſi, qui nondum erant parati ad credendum; ideo non miſit primo ad eos. Tertiam expoſitionem ponit Auguſtinus, quod præſcivit Dominus, quia ſi credidiſſent, non perſeveraſſent in tempore paſſionis; & ideo ad eos non miſit. Alia eſt expoſitio Auguſtini, quia (*d*) prædeſtinatio eſt præſcientia beneficiorum Dei. Unde quæcumque pertinent ad ſalutem, ſunt (*e*) effectus prædeſtinationis in prædeſtinatis. Unde diverſimode (*f*) diſtribuit Dominus dona ſua: quia quibuſdam dat cor docile, & pronitatem ad bene agendum; ſed hoc non ſufficit niſi ſit inſtructor. Item aliquando eſt inſtructor, ſed cor eſt durum. (*g*) Et ſicut illis non ſufficit facilitas ad credendum, ſic (*h*) iſtis nocet cor durum. Unde quærere quare iſtum elegit, non illum, fatuum eſt quærere. Unde Auguſtinus: „Quare trahat hunc, & non „ illum, noli iudicare, ſi non vis errare.“ Unde melius eſt ut totum torqueatur ad ordinationem Dei quam ad humana merita.

Et tu Capharnaum numquid uſque in cælum exaltaberis? In parte iſta exprobrat civitati ſolemniori: & primo exprobrat ſuperbiam, & hoc quia magni magis ſuperbiunt; ſecundo exprobrat eorum impœnitentiam, ibi, *Quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes &c.* Circa primum primo exprobrat ſuperbiam; ſecundo minatur pœnam. Dicit ergo: *Et tu Capharnaum &c.* Et eſt ibi duplex littera. Una interrogative: *Numquid uſque in cælum exaltaberis?* Alia littera: *Tu es quæ exaltata es uſque in cælum*: quia a Domino exaltata eſt,

(a) *Al.* tactum. (b) *Al.* ſeu. (c) *Al.* hæretici. (d) *Al.* prædeſtinatio eſt beneficiorum Dei. (e) *Al.* effectus in prædeſtinatis. (f) *Al.* diſtribuit Dominus dona ſua, & pronitatem ad bene agendum. (g) *Al.* Et ſic non ſufficit. (h) *Al.* ſic nec iſti nocet.

Digitized by Google

eſt & præſentia Domini, & multis meritis. Luc. iv. 23. „ Quanta audivimus facta „ in Capharnaum, fac & hic in patria tua." Item a teipſa exaltata es: unde tu numquid exaltaberis per ſuperbiam, vel doctrinam meam? Quantumcumque exaltata fueris, tamen *ad inferos deſcendes*. Iob xx. 28. „ Detrahetur in die furoris Domini: hæc eſt „ pars hominis impii a Deo. " Unde tu quæ videris tangere cælum, detraheris ad infernum. Unde propria pœna ſuperbi eſt deiectio. Iſa. xiv. 14. contra illum qui dicebat: „ Aſcendam ad aſtra cæli, " ſequitur: „ Ad infernum detraheris. " Conſequenter arguit de impœnitentia. Et primo comparat quantum ad culpam; ſecundo quantum ad pœnam. Dicit ergo: *Quia ſi in Sodomis &c.* Et quare hoc dicit? Ad ſignificandum libertatem arbitrii: quia ante hominem vita & mors. Nullus illos monuit. Quamvis enim Lot inter illos eſſet, tamen non fecit miracula. Sed iſti viderunt Dominum docentem, & miracula facientem; ideo &c. Capharnaum interpretatur villa dulciſſima, & per hanc interpretatur Hieruſalem. *Verumtamen dico vobis*: In die iudicii gravior erit pœna tua quam illius terræ, quæ ſubverſa eſt. Vel poteſt intelligi de habitantibus. Luc. xii. 47. „ Servus ſciens „ voluntatem domini ſui, & non faciens, „ vapulabit multis. " *In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi, Pater &c.* Supra Dominus redarguerat infidelitatem turbarum; nunc gratias agit de fide diſcipulorum, & aliorum credentium. Et primo reddit gratias Patri tamquam auctori; ſecundo oſtendit eamdem poteſtatem ſe habere, ibi, *Omnia enim mihi tradita ſunt a Patre meo*. Dicit ergo: *In illo tempore*, ſcilicet quo accidit &c. *reſpondit*: ſed cui reſpondit? Convenit ei quod dicitur Iob xv. 2. „ Numquid „ ſapiens reſpondet quaſi in ventum loquens?" non. Unde reſpondet tacitæ obiectioni. Poſſet enim dicere aliquis: Iſti non credunt quibus prædicaſti; alii autem crediđiſſent, ſi prædicatum fuiſſet illis. Ideo reſpondet, & reſponſione redarguit quoſdam (a) qui cauſas electionis inquiſierunt, quare videlicet illi elevati ſunt in cælum, & iſti demerſi ſunt in profundum: ut Origenes, qui ponebat, quod electio ex meritis eſt. Sed hic reprobat hoc, oſtendens, quod hoc attribuendum eſt divinæ voluntati. Dicit ergo: *Confiteor tibi, Pater &c.*

Notandum, quod triplex eſt confeſſio. Scilicet fidei: unde Rom. x. 10. dicitur: „ Corde „ creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſ„ ſio fit ad ſalutem. " Item confeſſio peccatorum. Iac. v. 16. „ Confitemini alterutrum peccata veſtra. " Item confeſſio gratiarum actionis, de qua Pſal. cv. 1. „ Confitemini Domino, quoniam bonus &c. " De hoc intelligitur: *Confiteor tibi, Pater cæli & terræ*. Duæ hæreſes excluduntur. Hæreſis ſcilicet Sabellii, qui non diſtinguit Filium a Patre: unde dicit: *Confiteor tibi, Pater &c.* Sic confitetur auctoritatem Patris, &c. Item quia eiuſdem naturæ. Ideo dicit Patrem ſuum (b) contra Arrium. Et vere Dominus, quia pater cæli & terræ. Et in Pſal. xcix. 3. „ Scitote quoniam Dominus „ ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi „ nos. " Et dicitur Pater, non quia eum creavit, ſed quia eum genuit. Pſal. lxxxviii. 27. „ Ipſe invocavit me: Pater meus es tu. " (c) Et quare gratias agit? Agit gratias ſuper quamdam diſtinctionem; & ponit ſic: *Quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Unde hic conſiderare oportet qui ſint parvuli, & qui ſapientes, & qui prudentes. Tripliciter autem dicuntur aliqui parvuli. Ad litteram parvuli dicuntur abiecti: unde in Abdia 2. „ Ecce par„ vulum dedi te: contemptibilis tu es val„ de. " Item dicitur parvulus humilitate: quia parva de ſe ſentit. Unde Dominus infra xviii. 3. *Niſi converſi fueritis, & efficiamini (d) ut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Item ſimplicitate: unde Apoſtolus, I. ad Cor. xiv. 20. „ Malitia parvuli eſtote. " Unde poteſt illud intelligi: quia revelaſti ea parvulis, & abiectis piſcatoribus. Et quare; Apoſtolus reddit rationem, dicens (I. Corint. 1.27.) quod „ deſpecta mundi elegit „ Deus, ut fortia quæque confundat. " Auguſtinus exponit: „ *Parvulis*, ideſt humili„ bus, non de ſe præſumentibus: ubi enim „ humilitas, ibi ſapientia: " Hilarius exponit de ſimplicibus. „ In ſimplicitate quærite illum: " Sap. 1. 1. E contrario ſapientes, & prudentes: quia in carnali ſapientia ſtudent. Hier. ix. 23. „ Non glorietur ſa„ piens in ſapientia ſua. " Iſtis non revelavit, ſed ruſticis non confidentibus de ſapientia ſua. Eccle. vii. 24. „ Dixi: Sapiens „ efficiar; & ipſa longius receſſit a me, „ multo magis quam erat. " Quare Apoſtolus ad Rom. x. 3. „ Ignorantes autem Dei „ iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſti„ tiæ Dei non ſunt ſubiecti. " Item per ſapien-

(a) *Al.* qui cauſas electionis inquiſierunt, & iſti demerſi ſunt in profundum. (b) *Al. deeſt* contra Arrium. (c) *Al.* Et gratias agit ſuper quamdam diſtinctionem, ſic. (d) Al. *ſicut parvulus iſte*.

Digitized by Google

ſapientes intelligit ſuperbos iactantes ſe; & talibus non revelavit. Ad Rom. I. 22. „ Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt." Item dicit ſapientes, ſecundum carnem viventes, quæ carnis ſunt quærentes, non quæ Dei: Phil. II. 21. Item „ ſapientes ſunt ut faciant mala, & bene facere neſcierunt:" Hier. IV. 22. *Et revelaſti*. Ad Epheſ. IV. 17. „ Ut non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui." Unde abſcondiſti a ſapientibus, revelando parvulis. Sapientiam abſcondit a ſapientibus, non apponendo gratiam. Unde dicitur ad Rom. I. 28. „ Tradidit eos in reprobum ſenſum."

Sed quid eſt quod gratias reddit, quod abſcondit? Dico, quod hoc non facit ut gaudeat de cæcitate eorum, ſed de iudicio Dei, qui ita ſapienter ordinat. Et quare? Hic non eſt quærenda cauſa: in talibus enim Dei voluntas pro cauſa eſt.

Ita Pater, quia ſic placitum eſt ante te. Artifex bene poteſt aſſignare cauſam quare lapides quoſdam in fundamento, quoſdam ſuperius poſuit. Sed quod hunc poſuerit hic, alium ibi, non eſt alia cauſa niſi voluntas ſua. Sic quod Dominus aliquos ſalvet, hoc eſt ad ſuam miſericordiam, quod hos damnet, ad iuſtitiam. Sed quare circa illum ſic miſericorditer agit potius quam circa alium, hoc ſolum pertinet ad ſuam voluntatem. Unde ad Rom. IX. 18. „ Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat." Unde ſic facit propter beneplacitum. In Pſal. CXVIII. 108. (*a*) „ Beneplacitum fac Domine &c." *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Egerat gratias Patri, quia ſecreta parvulis revelat. Poſſet aliquis credere, quod non poſſet ipſe revelare: unde hoc removens primo tangit magnitudinem ſuæ poteſtatis; ſecundo invitat ad ſe; quaſi dicat: Ecce ſum potens: venite ergo ad me &c. Et primo duo facit. Primo ponit æqualitatem Filii ad Patrem; ſecundo ſpiritualiter applicat ad id de quo agebatur, ibi, *Et nemo novit Filium niſi Pater*. Dicit ergo: Poſſet dicere aliquis: Numquid omnia poteſt? Reſpondet: *Omnia tradita ſunt mihi*. Et attende æqualitatem, ſed tamen a Patre originem; quod eſt contra Sabellium.

Sed quid eſt quod dicit *Omnia*? Tripliciter poteſt exponi. *Omnia*, hoc eſt ſupra omnem creaturam. Infra ult. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. Vel *omnia*, ideſt electi, & prædeſtinati, qui ſpecialiter ſunt dati. Ioan. XVII. 6. „ Tui erant, & eos tradidiſti mihi." Item *omnia*, ſcilicet intrinſeca, ideſt omnem perfectionem divinitatis. Ioan. V. 26. „ Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic Filio dedit vitam habere in ſemetipſo." Et non debemus intelligere carnaliter: quia ſi dedit, ſibi etiam retinuit. Et hæc expoſitio eſt Auguſtini, & Hilarii. Sed poſſet aliquis dicere: Quomodo dedit? Ideo addit modum, cum dicit: *A Patre meo*. Unde per generationem hoc recepit.

Et nemo novit Filium niſi Pater. Modo ſpecialiter ad propoſitum adaptat, & non ſolum quantum ad æqualitatem ad Patrem, ſed etiam quantum ad conſubſtantialitatem. Subſtantia enim Patris ſuperat omnem intelligentiam, cum ipſa eſſentia Patris dicatur incognoſcibilis ſicut ſubſtantia Filii. Unde hic notatur æqualitas, & confunditur Arrius, qui dicit Patrem inviſibilem, Filium autem viſibilem. *Et nemo novit Filium niſi Pater*.

Sed quid eſt? Nonne ſancti noverunt? Dicendum, quod attingendo, vel fide, ſed comprehendendo non cognoſcunt.

Sed quid eſt? Nonne Spiritus ſanctus cognoſcit? Immo. Sed notandum, quod dictiones excluſivæ aliquando adduntur nominibus divinis eſſentialibus, aliquando perſonalibus. Et cum adiunguntur perſonalibus, non excludunt illud quod idem eſt in natura: unde addita Patri non excludit Filium. Unde ubi dicitur: „ Regi immortali, inviſibili, ſoli Deo honor, & gloria:" I. Tim. I. 17. non excluditur alius in natura. Similiter cum dicit hic, *Niſi Filius*, non excluditur Spiritus ſanctus, qui idem eſt in natura. Sed cum dicit, *Nemo novit &c.* intelligitur nullus homo niſi Filius. Et ita habetur quod novit Filius Patrem. Sed hoc eſt contra Origenem. Cognoſcit enim per comprehenſionem. Quia ergo perfecte cognoſcit, & eſt cognoſcibilis, ideo habet poteſtatem revelandi ſicut Pater; ideo dicit: *Et cui voluerit Filius revelare*. Manifeſtatio enim fit per verbum. Ioan. XVII. 18. „ Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus." Ibid. I. 6. „ Deum nemo vidit umquam." Sed ipſe novit: ergo manifeſtare potuit. Illud ergo quod dixerat de Patre, ſibi attribuit. Dixerat enim: *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*: ſic etiam & Filius poteſt, ex quo habet eamdem poteſtatem..

Venite ad me omnes, &c. Venite ad mea beneficia. Et primo ponitur invitatio; ſecundo neceſſitas invitationis; tertio utilitas. Dicit ergo: *Venite ad me*: quod verbum etiam Sapientiæ eſt, Eccli. XXIV. 26. „ Tranſ-

(a) *Ibi*: „ Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine."

Digitized by Google

„ Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis „ me, & a generationibus meis adimplemi- „ ni. “ Unde appropinquate ad me indocti : quia vult ſe communicare. Sed quæ eſt neceſſitas; Quia abſque me homines laborant nimis : *Qui laboratis*. Specialiter hoc poteſt convenire Iudæis, quia laborabanr in oneribus legum, & mandatorum; ut habetur Act. xv. 10. „ Hoc eſt onus quod nec nos, „ nec patres noſtri portare potuimus. “ Item generaliter quantum ad omnes qui laborant propter humanitatis fragilitatem. Pſal. lxxxvii. 16. „ Pauper ſum ego, & in la- „ boribus a iuventute mea.“ *Et onerati eſtis*, onere ſcilicet peccatorum. Pſal. xxxvii. 5. „ Iniquitates meæ ſicut onus gravatæ ſunt „ ſuper me. “ Et quid habebimus ſi veniamus ad te; *Ego reficiam vos*. Ioan. vii. 37. „ Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. “ Conſequenter exponit invitationem: & primo exponit; ſecundo rationem aſſignat, ibi, *Iugum enim meum ſuave eſt*. Circa primum ſic. Poſuerat invitationem, & ad quid; nunc vult oſtendere, quæ fir illa invitatio, dicens : *Tollite iugum meum ſuper vos*. Sed quid eſt; Tu dicis, quod vis nos reficere, & a nobis auferre laborem, & ſtatim præcipis ferre iugum? Credebamus eſſe ſine iugo. Dico quod verum eſt, ſine iugo peccati. Eſa.4. ix. „ Iugum enim oneris eius, & vir- „ gam bumeri eius, & ſceptrum exactoris eius „ ſuperaſti. “ Non quod ſitis ſine lege Dei, ſed ſine iugo peccati. Pſal. ii. 3. „ Proiicia- „ mus a nobis iugnm ipſorum. “ Oſeæ nlr. 2. „ Convertere Iſrael ad Dominum Deum „ tuum : quoniam corruiſti in iniquitate „ tua, &c. “ Ad Rom. vi. 18. „ Liberati „ a peccato, ſervi facti eſtis iuſtitiæ. “ *Tollite* ergo *iugum meum*, ſcilicet documenta evangelica. Et dicitur iugum: ſicut enim iugum colla boum ad arandum iungit, & ligar, ſic doctrina evangelica utrumqne populum ligat ad iugum ſuum. Et quid eſt illud : *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde*? Tota enim lex nova conſiſtit in duobus; in manſuetndine, & humilitate. Per manſuetudinem homo ordinatur ad proximum. Unde Pſal. cxxxi. 1. „ Memento, Do- „ mine, David, & omnis manſuetudinis e- „ ius. “ Per bumilitatem ordinarur ad ſe, & ad Deum. Eſa. lxvi. 2. (*a*) „ Super „ quem requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper „ quietum, & humilem? “ Unde humilitas facit hominem capacem Dei. Item dixerat: *Et ego reficiam vos*. Quæ eſt iſta refectio? *Invenietis requiem animabus veſtris*. Corpus enim non reficitur quamdiu afficitur, & quando ulterius non afficitur, tunc dicitur refectum. Et ſicut fames in corpore, ſic deſiderium in mente: unde impletio deſideriorum eſt refectio. Pſal. cii. 5. „ Qui replet in bonis deſiderium „ tuum. “ Et hæc requies eſt requies animæ. Eccli. li. 35. „ Modicum laboravi, & „ inveni multam requiem. “ Sic in mundo manſueti non quietanrur : unde *invenietis requiem*, ſempiternam, ſcilicet impletionem deſideriorum. Sed non miremini ſi invito vos ad iugum, quia iugum meum non eſt onus. Quare? *Iugum enim meum ſuave eſt*, & delectabile. Pſal. cxviii. 113. „ Quam „ dulcia faucibus meis eloquia tua! “ *Et onus meum leve*. Et bæc poſſunt retorqueri ad duo. Iugo tenentur boves, ſed onus portatur : unde iugum retorquetur ad præcepta negativa, onus ad affirmativa.

Sed videtur hoc eſſe falſum, quia onus legis novæ videtur graviſſimum, ſicut ſupra v. 21. dictum eſt: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides .... Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio*: & ſic videtur qnod gravius onus ſit. Item dictum eſt ſupra vii. 14. *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam*. Item Apoſtolus II. Cor. xi. 23. „ In „ laboribus plurimis. “ Unde videtur iugum graviſſimum.

Ideo (*b*) duo ſunt conſideranda : effectus doctrinæ, & actus circumſtantia; & in omnibus eſt levis in effectu doctrina Chriſti, quia immutat cor, quia facit nos non amare temporalia, ſed magis ſpiritualia. Qui enim amar temporalia, modicum amittere eſt ei magis grave, quam ei qui amat ſpiritnalia, amittere multum. Lex vetus non prohibebat illa temporalia, ideo grave erat eis amittere; ſed modo, etſi in principio aliquantulum grave, poſt tamen parum. Prov. iv. 11. „ Ducam te per ſemitas æquitatis, „ quas cum ingreſſus fueris, non coarcta- „ buntur greſſus tui. “ Item quantum ad actum lex onerabat actibus exterioribus. Lex autem noſtra eſt in voluntate ſolum : unde ad Rom. xiv. 11. (*c*) „ Regnum Dei non „ eſt eſca, & potus. “ Item lex Chriſti iucundat: unde Apoſtolns ad Rom. xiv. 17. „ Iu- „ ſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſan- „ cto. “ Item quantum ad circumſtantiam: quia multæ ſunt adverſitates: unde „ qui pie „ in Chriſto Ieſu volunt vivere, perſecutionem „ parientur &c. “ II. ad Timot. iii. 12. Sed iſtæ non ſunt graves, quia condiuntur condimen-

(a) *Ibi:* „ Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermo- „ nes meos? “ (b) *Al.* Ideo notandum quod tria ſunt conſideranda. (c) *Al.* „ Lex Dei non eſt eſca, ci- „ bus, & potus. “

Digitized by Google

mento amoris: quia quando aliquis amat aliquem, non gravat eum quicquid patitur pro illo: unde omnia gravia & impoſſibilia, levia facit amor: unde ſi quis bene amat Chriſtum, nihil eſt ei grave; & ideo lex nova non onerat.

CAPUT XII.

(a) IN illo tempore abiit Ieſus per ſata ſabbato; diſcipuli autem eius eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare. Phariſæi autem videntes dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet eis facere ſabbatis. At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? Aut non legiſtis in lege quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt? Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic. Si autem ſciretis quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, numquam condemnaſſetis innocentes. Dominus enim eſt Filius hominis & ſabbati. Et cum inde tranſiſſet, venit in ſynagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam; & interrogabant eum dicentes: Si licet ſabbatis curare, ut accuſarent eum. Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc ſabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior eſt homo ove? Ita licet ſabbatis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam: & extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera. Exeuntes autem phariſæi conſilium faciebant adverſus eum quo modo perderent eum. Ieſus autem ſciens receſſit inde; & ſecuti ſunt eum multi, & curavit eos omnes. Et præcepit eis, ne manifeſtum eum facerent: ut adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus quem elegi; dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius gentes ſperabunt.

(b) Tunc oblatus eſt ei homo dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret: & ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic eſt filius David? Phariſæi autem audientes dixerunt: Hic non eiicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diviſum contra ſe deſolabitur; & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe non ſtabit. Et ſi Satanas Satanam eiicit, adverſus ſe diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius? Et ſi ego in Beelzebub eiicio dæmones, filii veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt. Si autem ego in ſpiritu Dei eiicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius alligaverit fortem? Et tunc domum illius diripiet. Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non congregat mecum, ſpargit. Ideo dico vobis: omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus; ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

(c) Tunc

(c) Tunc reſponderunt ei quidam de ſcribis, & phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus a te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis: Generatio mala, & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Viri Ninivitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce pluſquam Ionas hic. Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Et ecce pluſquam Salomon hic. Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit generationi huic peſſimæ.

(d) Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.

(a) SUpra audiſtis quomodo Dominus ſatisfecit diſcipulis, & increpavit eos; hic oſtendit quomodo phariſæi reprimuntur. Et duo facit. Primo oſtendit quomodo redarguit phariſæos; ſecundo quomodo commendantur diſcipuli. Et primo duo facit. Primo oſtendit quomodo confutantur detrahentes diſcipulis; ſecundo quomodo detrahentes Chriſto, ibi, *Et cum inde tranſiſſet &c.* Circa primum primo ponitur occaſio reprehenſionis; ſecundo reprehenſio, ibi, *Phariſæi autem videntes &c.* tertio Chriſti excuſatio, ibi, *At ille dixit eis &c.* Ponitur autem duplex occaſio: una ex parte Chriſti; ſecunda ex parte diſcipulorum, ibi, *Diſcipuli autem eius eſurientes cœperunt vellere ſpicas.* Ex parte Chriſti dicit: *In illo tempore abiit Ieſus per ſata ſabbato.* Sciebat Dominus quod diſcipuli hoc facturi eſſent; & tamen elegit Dominus hoc fieri, ut iam inciperet ſolvere ſabbatum, ut habetur ſupra XI. 13. *Lex, & prophetæ uſque ad Ioannem prophetaverunt.*

Sed notandum eſt quod dicitur, *In illo tempore*: quia quod hic ponitur deſignatio temporis, videtur pertinere ad ordinem hiſtoriæ; ſed Lucas, & Marcus alio ordine recitant: unde poſt illud quod reſpondet Dominus diſcipulis Ioannis, ponitur iſtud: unde videntur omnia præcedentia ante mortem Ioannis facta; hic vero poſt. Et hoc patet per omnia quæ dicuntur uſque ad XIV. cap. quæ continuantur, & hic fit mentio mortis Ioannis: ideo intelligendum eſt quod imminente paſſione, miſit Ioannes diſcipulos, & tunc decollatus eſt; & tunc hæc facta ſunt poſt eius mortem.

Abiit Ieſus per ſata ſabbato. Per huiuſmodi ſata intelliguntur ſacræ Litteræ. Sator Chriſtus eſt: intra XIII. 37. (a) *Ipſe eſt qui ſeminat.* Item populus credentium. *Diſcipuli autem eſurientes cœperunt vellere ſpicas.* Hic duo conſideranda ſunt. Primo neceſſitas, quia eſurienres. Et quare? Quia pauperes erant: unde I. ad Cor. IV. 4. „ Uſque ad hanc horam & eſurimus, & ſitimus, &c. “ Secunda ratio, quia quotidie impediti erant propter turbas: unde uix habebant locum comedendi, ut habetur Mar. VI. Sed quomodo ſatisfecerunt? Datur nobis exemplum abſtinentiæ: unde iſti non magna fercula quæſierunt, ſed ſpicas, iuxta illud I. Tim. VI. 8. „ Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti (b) ſumus. “ Myſtice in avulſione ſpicarum intelligitur multiplicitas intellectus Scripturarum, vel converſio peccatorum. Deinde ponit reprehenſionem phariſæorum: *Phariſæi autem videntes dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet ei facere ſabbatis.* Diſcipuli duo mala faciebant: (c) primo quia ſpicas alienas vellebant; ſecundo quia ſabbatum violabant. Sed phariſæi de primo non reprehendebant, quia illud erat permiſſum in lege: Deut. XXIII. ideo quia permiſſum erat non calumniabantur, ſed quia in ſabbato, calumniabantur. Et per hoc deſtruitur hæreſis Hebræorum, qui dice-

ce-

(a) *Al.* Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis. (b) *Al.* ſimus. (c) *Al. deeſt* primo.

cebant, legalia debere ſervari cum Evangelio. Et quia Paulus huic ſententiæ contrariatur, ideo reprobant Paulum. Contra iſtos arguit Hieroonymus, quia etiam diſcipuli non ſervabant. *At ille dicit eis*. Hic ponitur excoſatio: & primo quibuſdam exemplis; ſecuodo auctoritate, ibi, *Si autem ſciretis*. Circa primum duo facit. Primo ponit exemplum in quo aliqui ſunt excuſati propter oeceſſitatem; ſecuodo in quo aliqui propter ſanctitatem, ibi, *Aut non legiſtis in lege &c.* Dicit ergo: *At ille dicit, &c.* Lev. XXIV. legitur quod de pura farioula fiebant duodecim panes, & iſti ponebantur in menſa propoſitionis in ſabbato, & io alio ſabbato amovebantor, & pooebantor alii, & illi primi comedebantur a filiis Aaroo. Item habetur I. Reg. XXI. quod quando David fugit ab Abimelech diviſit illis panes illos. Et hoc eſt quod dicit: *Nonne legiſtis quid fecerit David quando eſuriit?* Iſte enim David erat homo bonus, de quo dicit Dominus, quod invenit hominem iuxta cor ſuum. I. Reg. XIII. 8. Sed diceret aliquis: Ipſe David erat propheta, ideo potuit accipere. Ideo addit. *Et qui cum eo erant*. Paoes propoſitionis dicebantur qui in ſabbato offerebantur, quibus non licebat uti ſecundum præceptum, ut habetur Levit. XXIII.(*a*) Sed quid ad propoſitum? Quia quando hoc fecit, ſabbatum erat. Et hoc patet, quia ibi dicitur: „ Non habeo paoes niſi quos abſtu-„ lide menſa Domioi: " & hoc non faciebat niſi in ſabbato. Item in die Caleodarum fiebat feſtum neomeniæ: ideo ſi in ſabbato accideret, violabatur ex neceſſitate.

Sed adhoc videtur quod non violavit, quia comedere in ſabbato noo eſt peccatum: unde videtur quod non violavit. Sed Chryſoſtomus dicit, quod violavit magis ſabbato, quia illos panes accepit quos nemini licebat eſſe, propter neceſſitatem. Sabbatum autem invenitur violatum a Machabæis propter oeceſſitatem.

Item notandom, quod dicit Chryſoſtomus, quod quædam ſuot præcepta quæ præcipiuntur propter ſe; & hæc nulla neceſſitate frangi poſſunt: quædam vero non propter ſe, ſed propter figuram; ideo talia loco, & tempore poſſunt: ſicut ieiuoium poteſt modo dimitti in neceſſitate. Ille autem pànis alterius paois erat figura, ſcilicet panis altaris, qui non ſolum a ſacerdote, ſed etiam ab alio populo percipitor: ideo David figurat ibi populum. Unde Apoc. V. 10. „ Feci-„ ſti nos Deo ooſtro regnum, & ſacerdotes."

Item ponitur aliud exemplum, quod ponitur propter ſanctitatem. Et hoc ibi: *Nonne legiſtis in lege quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant*? In Levit. præceptum erat, quod oblatio duplicaretur in ſabbato quæ ſolebat fieri in aliis diebus; & tamen in templo fiebat, & io ſabbato, quia fiebar ad obſequium templi, & Dei: unde excuſabantur ſacerdotes. Unde iſtud exemplum applicatur, quia Apoſtoli totaliter erant dediti maiori quam templo, ſcilicet Chriſto: unde dicit: *Nonne legiſtis quia ſacerdotes violabant ſabbatum*? niſi eſſet propter templum. *Dico autem vobis, quoniam templo maior eſt hic*. Hic pouitur adverbium loci, cuius obſequio ipſi taciunt. Et quod inſit aliquid maius templo, patet, quia corpus ſuum templum eſt. Item videndum, quod in primo exemplo non ponit quod ſit ſine crimioe; in ſecundo ponit quod ſi aliquis frangit ſabbatum propter oeceſſitatem, noo tamen propter hoc omoioo caret crimine; (*b*) ſed ſi propter Deum, penitus excuſatur a crimioe. Deinde argumentatur ex exemplis. Et primo quia miſericorditer agendum eſt cum diſcipulis meis: *Quia ſi ſciretis quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, numquam condemnaſſetis innocentes*. Et quomodo intelligendum eſt, dictum eſt ſuperius. Prov. XXI. 3. „ Miſericor-„ diam facere, & iudicium magis placet Do-„ mino quam victimę &c. " Eſt etiam argumentum aliud quod eos facit innocentes, ſcilicet obedientia: unde hæc poſſunt, quia præcipio eis, *quia*: *Filius hominis* (ita ſe conſuevit nominare) *eſt dominus ſabbati*: & legiſlator oon ſubiacet legi. Eſa. XXXIII. 22. „ Ipſe eſt „ legiſer noſter: " ideo habet poteſtatem, quia habet auctoritatem. *Et cum tranſiſſet inde, venit ad ſynagogam eorum &c.* Supra poſitum eſt, quomodo Dominus repulit phariſæos derogantes diſcipulis; hic quomodo repulit ſe impugnantes. Adverſabantur eoim primo inſidiando; ſecuodo detrahendo; tertio teotaodo. Et ſecuodum hoc repulit eos tripliciter. Secundo ibi, *Tunc oblatus eſt ei homo dæmonium habens*; tertio ibi, *Tunc reſponderunt ei quidam de ſcribis, & phariſæis*. Circa primum duo facit. Primo oſteodit quomodo inſidiabantur doctrinæ Chriſti; ſecundo quomodo vitæ Chriſti, ibi, *Exeuntes autem phariſæi conſilium faciebant adverſus eum*. Circa primum duo facit. Primo ponitur inſidioſa interrogatio; ſecundo Chriſti reſponſio, ibi, *Ipſe autem dixit*. Circa primum tria facit. Primo locus deſcribitur; ſecundo occaſio; tertio, interrogatio. Dicit ergo: *Et cum*

(a) *Al.* Sed quid ad propoſitionem, quia quando homo fecit, ſabbatum erat. (b) *Al.* Sed propter Deum.

cum tranſiſſet inde, venit in ſynagogam. Secundum litteram ita diſcipuli vellebant ſpicas, quos excuſavit Ieſus. Unde cum dicit, *Et cum tranſiſſet*, videtur eodem die inde tranſiſſe. Sed hoc excluditur Luc. vi. quia in alio ſabbato: propter hoc non eſt (*a*) intelligendum, quod ſtatim: unde dicit: *Venit in ſynagogam*, ut prædicaret ſalutem, ut in Ioan. xviii. 20. „ Ego ſemper docui in templo, „ & in ſynagoga, quo omnes Iudæi conve- „ niunt; & in occulto locutus ſum nihil. " Et in Pſal. xxxix. 10. „ Annuntiavi iuſti- „ tiam tuam in Eccleſia magna." *Et ecce homo manum habens aridam*. Sequitur occaſio interrogationis: quia (*b*) *interrogabant eum &c.* Dicitur quod iſte fuit cæmentarius, & habebat manum aridam. Per iſtum ſignificatur genus humanum, cuius manus aruit per originale peccatum; vel quilibet peccator, cuius manus, & virtus operativa aruit: & quandoque dextera, quia impotentes ad agendum bonum, quamvis potentes ad malum. Tum ponitur interrogatio; ſecundo reſponſio. Dicit ergo: *Et interrogabant ſi licet ſabbato curare*. Videbant hominem potentem; ideo petierunt ſi licebat ſabbato curare. Et hoc petebant tentantes, ut habetur Eccli. xiii. 14. „ Ex multa loquela tentabit te. " Non enim animo diſcendi, ſed potius accuſandi petebant, ut habetur in Pſal. xxvii. 3. „ Lo- „ quebantur pacem cum proximo ſuo, ma- „ la autem in cordibus eorum. "

Sed hic eſt quæſtio: quia Mar. iii. habetur quod Dominus interrogavit; hic autem dicitur quod illi interrogaverunt. Reſpondet Auguſtinus, quod utrumque factum eſt: quia quando ille ſtetit in medio, & petiit ſanari, ipſi interrogaverunt; & Dominus fecit eum ſurgere, & tunc interrogavit. Vel aliter, quia illi obſervabant eum: unde parabant ſe ad petitionem; & tunc petiit, quia ipſe ſciebat quod petebant ut accuſarent eum.

Ipſe autem dixit eis. Hic ponitur reſponſio: & primo reſpondet verbo; ſecundo, facto, ibi, *Tunc ait homini: Extende manum tuam*. In primo tria facit. Primo allegat conſuetudinem; ſecundo comparationem, ibi, *Quanto magis melior eſt homo ove?* tertio inducit concluſionem, ibi, *Itaque licet ſabbatis benefacere*. Dicit ergo primo: *Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam; & ſi ceciderit hac ſabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?* Conſuetudo erat apud eos quod ſi ovis caderet in foveam, quod eam die ſabbati ſublevabant: intantum enim erant avaritiæ dediti, quod præponebant damnum temporale damno ſpirituali. Unde conveniebat eis quod dicitur Eccli. x. 9. „ Avaro nihil „ eſt ſceleſtius. " Et ſequitur poſt parum: „ A- „ nimam enim ſuam venalem habet: " quia (*c*) ſcilicet ſe exponit periculo, & damno æterno pro modico lucro temporali. Secundo ponitur comparatio: *Quanto magis melior eſt homo ove?* Incomparabiliter, quia omnia ſunt propter hominem: homini enim eſt commiſſum dominium omnium, ut habetur Gen. i. 26. „ Faciamus hominem ad imaginem & ſimili- „ tudinem noſtram: „ & ſequitur: " ut præ- „ ſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, „ & beſtiis terræ. " Et ſic quod eſt ad imaginem, præeſt, ſicut homo ovi. Ex his concludit: *Itaque licet benefacere*, ſcilicet hominibus prodeſſe. Eſai. i. 16. „ Quieſcite age- „ re perverſe, diſcite bene facere. " Quia ſcriptum eſt, Exo. xx. 10. „ Opus ſervile non „ facietis in eo: " opus ſervile eſt peccatum; ideo licet benefacere.

Sed tunc eſt quæſtio. Licet ne omnia bona opera facere in ſabbato? Tunc enim liceret arare. Ideo dicendum, quod opus ſervile poteſt intelligi ad litteram; & myſtice opus ſervile eſt peccatum. Ioan. viii. 34. „ Qui „ facit peccatum, ſervus eſt peccati. " Item ſervile opus eſt in quo magis exercetur corpus quam anima. Anima enim habent dominari corpori. Ideo conſiliari non eſt opus ſervile. Unde poſſumus videre quæ excuſant a ſabbato. Dominus enim excuſat diſcipulos ratione neceſſitatis: unde neceſſitas excuſat. Item illa quæ ad cultum Dei ordinantur immediate, ut thurificare, &c. Item illa quæ pertinent ad ſalutem corporis, ut facere medicinam, emplaſtra, &c. Unde iſti vituperantur, quia arctant præceptum legis.

Tunc ait homini: Extende manum tuam. In parte iſta reſpondet facto, & hoc fuit eum curare: non enim curaret, niſi licitum eſſet. Sequitur curatio: *Et reſtituta eſt ſanitati ſicut altera*. Myſtice homo qui habet manum aridam, ideſt impotentem ad bene agendum, non poteſt melius curari quam extendendo manum ſuam in ſublevationem pauperum. Unde Dan. iv. 24. „ Peccata tua eleemoſynis re- „ dime. " Et Eccli. iii. 33. „ Ignem ardentem „ extinguit aqua, eleemoſyna reſiſtit pecca- „ tis. " Et ibid. xviii. 36. „ Non ſit manus „ tua porrecta ad accipiendum, & collecta „ ad dandum. "

Et nota, quod primo habebat ſiniſtram ſanam, & reſtituta eſt ſicut altera, dextra: (*d*) & hoc eſt, quia primo ſunt homines poten-

(a) *Al.* eligendum. (b) *Al.* *offerebant*. (c) *Al.* ſcilicet exponit. (d) *Al.* ſcilicet & hoc.

entes ad malum, ut habetur Eſai. v. 22.
„ Væ qui potentes eſtis ad ſaciendum ma-
„ lum: “ ſed poſt ſanantur per gratiam, &
tunc ſunt proni ad bene agendum. Rom. vi.
9. „ Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervi-
„ re immunditiæ, & iniquitati ad iniquita-
„ tem, ita nunc exhibete ſervire iuſtitiæ in
„ ſanctificatione &c. “

Exeuntes autem phariſæi, &c. Hic oſtendit
quomodo inſidiabantur ei: & primo ponun-
tur inſidiæ; ſecundo eius declinatio, ibi, *Ie-
ſus autem ſciens receſſit inde*; tertio auctori-
tas, ibi, *Ut impleretur quod dictum eſt per E-
ſaiam prophetam*. Dicit ergo, *Exeuntes*, ſci-
licet a ſynagoga, ut impleretur quod habe-
tur in Pſal. lııı. 3. „ Synagoga potentium
„ quæſierunt animam meam. “ Exierunt er-
go ut male agerent, ſicut Iob 1. 12. „ E-
„ greſſus eſt Satan a facie Domini. “ *Con-
ſilium fecerunt*, ideſt congregationem, quo-
modo illum perderent, & occiderent, quia
verbis eum vincere non poterant. Pſal. 1.
1. „ Beatus vir qui non abiit in conſilio im io-
„ rum. “ *Ieſus autem ſciens receſſit inde*. Hic
ponitur quomodo inſidias declinavit: & pri-
mo tangitur declinatio; ſecundo fructus. Un-
de receſſit: & quare? Quia nondum erat
tempus patiendi. Item receſſit ut ſuis occa-
ſionem daret fugiendi, ut dictum eſt ſupra
x. Item ut ſe hominem monſtraret. Item
reliquit eos, ut non incitaret eos. Illud e-
nim boni prædicatoris eſt, cum videt homi-
nes motos, & incitatos, quod dimittat eos,
ut videtur Eccli. vııı. 13. „ Non incendas
„ carbones peccatorum arguens eos, & ne
„ incendaris flamma ignis peccatorum illo-
„ rum. “ *Et ſecuti ſunt eum multi*: unde ac-
ceſſit ad eos qui eum diligebant, qui eum
libenter audiebant. Unde Ioan. x. 3. „ Oves
„ meæ vocem meam audiunt. “ *Et curavit
eos*. Ponitur curatio. Sapien. xvı. 12. „ Non
„ ergo herba, neque malagma ſanavit eos,
„ ſed ſermo tuus, qui ſanat omnia. “ Et in Pſ.
cvı. 26. „ Miſit verbum ſuum, & ſanavit
„ eos. “ Et quomodo? *Præcepit eis ne manife-
ſtum eum facerent*. Et quare? Ut daret nobis
exemplum vitandi humanam gloriam, ſicut
habetur ſupra vı. Item ut parceret phariſæis,
qui de factis ſuis calumniabantur. *Ut adim-
pleretur quod dictum eſt per Eſaiam prophetam*.
Hic introducit auctoritatem, quæ habetur Eſa.
xlıı. 1. Et ſciendum, quod alii Apoſtoli dicunt
auctoritates ſecundum Hebraicam veritatem,
alii ſecundum expoſitionem lxx. alii ſenſum ſo-
lum verbis exprimebant. Et tria facit. Pri-
mo deſcribit naturam humanam, cum dicit:
Ecce puer meus: quia puer fuit. Luc. ıı. 43.
„ Puer autem Ieſus remanſit in templo. Vo-
catur autem puer vel a puritate: quia
„ peccatum non fecit, nec inventus eſt do-
„ lus in ore eius, &c. “ I. Pet. ıı. 22. vel
ſecundum quod puer dicitur ſervus: unde
Ecce puer, ſervus per ſervilem formam. Phi-
lip. ıı. 7. „ Exinanivit ſemetipſum, formam
„ ſervi accipiens. “ *Electus quem elegi*. No-
ta, quod in unoquoque homine ſancto ſunt
tria: divina electio, dilectio, & effectus, qui
eſt gratia; & hoc aliter in homine, aliter
in Deo. In homine præcedit gratia; ſecun-
do diligit; tertio eligit. In Deo vero eſt
e converſo. Et hoc eſt, quia voluntas in ho-
mine non eſt cauſativa huius effectus, quæ
eſt gratia; ſed amor, & voluntas Dei eſt cau-
ſa gratiæ; ideo primo (*a*) eligit quem vult
eſſe bonum; ſecundo diligit; deinde gratiam
adiungit: unde ſecundum hoc tria ponit. Pri-
mo electionem, &c. In originali non eſt
ly *electus*. Dicit ergo: *Ecce puer meus, quem
elegi* &c. & hoc quantum ad duplicem ele-
ctionem: quæ omnino Chriſto conveniunt, ſe-
cundum humanam naturam. Ad duo enim
eſt electus. Scilicet ad hoc quod ſit Filius
Dei, ut habetur Rom. 1. 4. „ Qui prædeſtina-
„ tus eſt Filius Dei, &c. “ & Pſal. lxıv. 5.
„ Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti. “ I-
tem eſt electus ad opus redemptionis huma-
næ, ut Ioan. ııı. 16. „ Sic Deus dilexit mun-
„ dum, ut Filium ſuum unigenitum daret,
„ &c. “ Item elegit ut diligat: unde dici-
tur, *Dilectus meus*: ſi enim aliquos diligit,
multo magis unigenitum ſuum. Unde Ioan.
ııı. 34. „ Non ad menſuram datus eſt ei
„ ſpiritus. “ Et ſi diligat aliquos, iſtum ta-
men ſpeciali dilectione: unde dicit: *In quo
complacuit anima mea*, ideſt voluntati meæ;
& hæc eſt ſpecialis dilectio, quia voluntas
non quieſcit niſi ubi invenit placitum. Ni-
hil autem placet niſi per gratiam; & nihil
gratum defuit Chriſto: unde ſupra ııı. 17.
*Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi compla-
cui*. Deinde ponit gratiæ collationem: *Po-
nam ſpiritum meum ſuper eum*: ut habetur
Ioel. ıı. 28. „ Effundam de ſpiritu meo ſu-
„ per omnem carnem. “ Sed in Chriſto non
ſolum de ſpiritu, ſed totum ſpiritum effu-
dit, ut habetur Ioan. ııı. 34. „ Non ad menſu-
„ ram datus eſt ei ſpiritus. “ Et Eſa. xı.
2. „ Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domi-
„ ni. “ Et hoc inquantum habet formam
ſervi. Sed quid faciet; quod officium habe-
bit? *Iudicium gentibus nuntiabit*; ideſt, docebit
gentes iudicia Dei. Antiquitus gloriabantur

(a) *Al.* elegit.

Iudæi ſe eſſe populum Dei peculiarem: unde dicebant(Pſ.cxlvii.20.)„Non fecit taliter omni „ nationi, & iudicia ſua non manifeſtavit eis.“ Sed illud dictum eſt gentibus. Unde *nuntiabit gentibus*, materialiter, quia poteſtatem iudicandi accepit ſuper gentes. Act. x. 42. „ Ipſe „ eſt qui conſtitutus eſt a Deo iudex vivo„ rum & mortuorum. “ Et Ioan. v. 22. „ Pa„ ter omne iudicium dedit Filio.“ Item eſt ne idoneus? Quia in iudicio duo ſunt neceſſaria, clementia, & iuſtitia. Et utrumque oſtendit: & primo quod clementiam habeat. Et quia clementia poteſt eſſe in verbis, ſecundo in factis: quia aliqui etſi non poſſint aliquid, conqueruntur verbo: ideo hæc amovet ab eo: unde dicit, *Non contendet*. I. Pet. ii. 23. „ Cum malediceretur, non „ maledicebat. “ Et bene congruit ei quod dicitur Proverb. xx. 3. „ Honor eſt homini „ qui ſeparat ſe a contentionibus. “ Item aliqui non contendunt, ſed murmurant. Sed hoc non faciet iſte, quia *non clamabit*. Unde Eſa. liii. 2. „ Sicut ovis ad occiſionem „ ducetur, & quaſi agnus coram tondente „ ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. “ Clamor ex affectione procedit. Et Apoſtolus præcipit ad Ephe. iv. 31. „ Omnis in„ dignatio, & clamor auferatur a vobis. “ Aliqui non clamant, ſed conqueruntur. Et hoc amovetur: *Nec aliquis in plateis audiet vocem eius*. In plateis vocem emittunt qui ambulant in viis peccatorum. Thren. iv. 1. „ Diſperſi ſunt lapides ſanctuarii. “ Proverb. i. 20. „ Sapientia dat vocem in plateis. “ Tamen iſte inter eos non audietur. Vel aliter per plateas intelligimus gentiles, quoniam ſunt extra ſanctuarium. Et licet Chriſtus ſuſtineat prædicari gentibus, tamen in propria perſona non prædicavit eis. Unde (a) in plateis non audietur, ideſt inter gentiles. Ita ergo erat patiens in verbo. Item in facto: *Arundinem quaſſatam non confringet*. Et hoc dupliciter: poteſt enim legi primo ſpecialiter quantum ad Iudæos; ſecundo generaliter quantum ad omnes. Quantum ad Iudæos duo erant in eis; ſcilicet regia poteſtas, & ſacerdotalis dignitas. Regia poteſtas ſignificatur per arundinem, quæ iam quaſſata erat, quia Romanis erant ſubditi; ideo facile erat ei ita quaſſare arundinem. Et bene ſignatur per arundinem, quia arundo mobilis eſt, ut habetur ſupra xi. 7. *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* (b) *Et linum fumigans non extinguet*. Per linum fumigans ſacerdotium ſignificatur: unde ſacerdotes lineis veſtibus induebantur. Item fumigans, fumus enim extinguitur per ignem. Item fumus fit per debilem ignem, qui plus reſolvit quam conſummat; & hinc generatur fœtor. Hi ergo erant ſicut (c) linum fumigans, quia non totaliter fidem amiſerant; nec tamen tantum habebant quod cohiberent ſe a malis. Unde quamvis poſſet iuſte extinguere, tamen linum fumigans non extinguet. Item alio modo exponitur quo ad omnes, ita quod per arundinem quaſſatam intelligantur peccatores. Per linum fumigans, quod aliquantulum habet calorem, intelliguntur qui non in peccato ſunt, ſed tepidi ſunt ad opus bonum, & habent aliquid gratiæ. Unde vult dicere: Neque peccatoribus præcludit viam ſalutis. Unde ipſe dicit, Ezech. xviii. 23. (d) „ Numquid voluntatis meæ eſt mors impii? “ Item ſi aliquis habet gratiam, non extinguet eam. Unde in hoc datur nobis exemplum quod non debemus gratiam alicuius, quam Dominus dedit ei, extinguere, ſed potius ſovere. Item non faciet iudicium, *donec eiiciat ad victoriam iudicium*. Et hoc poteſt legi ſpecialiter de Iudæis, ſcilicet quando omnes vicerit, quia imponebant quod in Beelzebub dæmonia eiiciebat: & confutavit eos, tunc impoſuit iudicium ſuper eos. Et hoc impletum eſt per Titum, & Veſpaſianum. Et non ſolum iſtud fiet, ſed ipſis deſtructis, *in nomine eius gentes ſperabunt*. Unde Geneſ. xlix. 10. „ Ipſe erit expectatio gentium. “ Vel aliter. Ita ſuſtinet voluntatem, & neminem iudicat; ſed cum inimica mors deſtruetur, tunc omnes gentes adhærebunt ei; & hoc erit in die iudicii.

(b) Supra repulit Dominus eos qui calumniabantur & ſuæ doctrinæ, & ſuæ vitæ; hic vero repellit eos qui ſuis miraculis detrahunt. Et primo ponitur miraculum; ſecundo perverſitas detrahentium; tertio confutatio eorum. Secunda ibi, *Et ſtupebant omnes turbæ &c.* tertia ibi, *Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis &c.* Circa miraculum duo ponuntur. Primo ponitur multiplex infirmitas; ſecundo perfecta curatio, ibi, *Et curavit eum, ita ut loqueretur, & videret*. Dicit ergo: *Tunc oblatus eſt ei homo dæmonium habens*. De hoc habetur Luc. ii. ſub aliis verbis. Sed non eſt inconveniens: quod recitatur in uno, ſubticetur in alio. Per iſtum ſignificatur gentilitas, vel peccator, qui dæmonium habet inquantum ſervus; quia „ qui facit peccatum, ſervus eſt peccati: “ Ioan. viii. 34. Iſte eſt cæcus privatus lumine gratiæ: unde Eſa. lix. 10. „ Palpavimus

(a) *Al.* in plateis audietur. (b) Al. *Et lumen fumigans non extinguet*. Per lumen fumigans &c. (c) *Al.* lumen, *& ſic deinceps*. (d) *Al.* „ Nolo mortem peccatoris. “

Digitized by Google

„ mus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque „ oculis attrectavimus, &c. “ Item mutus a confeſſione fidei. In Pſalm. xxxviii. 3. „ Obmutui, & ſilui a bonis, &c. “ Et alibi (Pſal. xxxi. 3.) „ Quoniam tacui, in- „ veteraverunt oſſa mea. “ Sequitur perfecta curatio: *Et curavit eum*, expellendo mutitatem, *ita ut loqueretur*, expellendo cæcitatem, ita ut *videret*. Unde datur perfectio ſanitatis. Pſal. cii. 3. „ Qui propi- „ tiatur omnibus iniquitatibus (*a*) tuis, qui „ ſanat omnes infirmitates tuas. “ Unde illum non dimiſit nec cæcum, nec mutum. Sequitur effectus miraculi, ſcilicet turbarum admiratio: *Et ſtupebant omnes turbæ &c.* Item eorum confeſſio: unde *dicebant*, ideſt confitebantur: *Numquid iſte eſt filius David*? Promiſſum erat in prophetis, quod Chriſtus de ſemine David naſceretur. Hier. xxiii. 5. „ Suſcitabo David germen iuſtum. “ Sed videtur impletum quod ſupra dictum eſt, cap. 11. 25. *Quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis, &c.* Unde turbæ confitebantur. *Phariſæi autem videntes dixerunt: Hic non eiicit dæmonia niſi in Beelzebub*, qui eſt Deus Acharon, ut habetur IV. Reg. 1. qui dicitur Deus muſcarum propter turpiſſimum ritum ſanguinis immolatitii, ratione cuius multæ muſcæ congregabantur. Ideo credebant illum dæmonem principem dæmoniorum; ideo credebant in poteſtate illius poſſe eiici dæmonia. Hierem. v. 5. „ Ibo „ ad optimates, & loquar eis. “ Et paulo poſt: „ Et ecce magis hi ſimul confrege- „ runt iugum, ruperunt vincula. “ *Ieſus autem ſciens cogitationes eorum &c.* In parte iſta repellit Dominus detrahentes: & primo arguit contra dicta; ſecundo contra dicentes, ibi, (*b*) *Ideo dico vobis, omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; ſpiritus autem blaſphemia non remittetur*. Dictum redarguit quadruplici argumento. Secundum ibi, *Et ſi Satanas Satanam eiicit, adverſus ſe diviſus eſt*. Tertium autem ibi, *Quomodo ergo ſtabit regnum eius*? Quartum ibi, *Qui non eſt mecum, contra me eſt*. Primum expreſſiſſime ponitur: *Omne regnum contra ſe diviſum deſolabitur*. Primo ponit maiorem, cum dicit, *Omne regnum &c.* Triplex eſt communitas: domus ſive familiæ, civitatis, & regni. Domus eſt communitas conſiſtens ex his per quos fiunt communes actus: ideo conſiſtit ex triplici coniugatione; ex patre, & filio; ex marito, & uxore; ex domino, & ſervo. Communitas civitatis omnia continet quæ ad vitam hominis ſunt neceſſaria: unde eſt perfecta communitas quantum ad mere neceſſaria. Tertia communitas eſt regni, quæ eſt communitas conſummationis. Ubi enim eſſet timor hoſtium, non poſſet per ſe una civitas ſubſiſtere; ideo propter timorem hoſtium neceſſaria eſt communitas civitatum plurium, quæ faciunt unum regnum. Unde ſicut vita in qnolibet homine, ita pax in regno; & ſicut ſanitas nihil eſt niſi temperantia humorum, ſic pax eſt cum unumquodque retinet ordinem ſuum. Et ſicut recedente ſanitate tendit homo ad interitum, ſic de pace: ſi a regno diſcedit, tendit ad interitum. Unde ultimum quod attenditur eſt pax. Unde Philoſophus: „ Sicut medicus ad ſanita- „ tem, ſic defenſor reipublicæ ad pacem. “ Ideo dicit: *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur*. Oſeæ x. 2. „ Diviſum eſt cor eo- „ rum, nunc interibunt. “ Eſa. iii. 5. „ Tumultuabitur puer contra ſenem, & „ ignobilis contra nobilem. “ *Et ſi Satanas Satanam eiicit, adverſus ſe diviſus eſt*. Eiectio importat actionem violentam; ideo oportet quod ubi eſt contradictio, ſit diviſio: quia „ inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia: “ Prov. xiii. 10.

Sed poſſet quis dicere: Non eſt eiectio, quia voluntarie exit. Sed hoc non habet locum, quia talis exitus non eſt eiectio, ſed fit ex obedientia alio imperante: unde hic eſſet voluntarius exitus. Sed quod involuntarie exeant, apparet per hoc quod dictum eſt ſupra, quod inceperunt gemere, & clamare (ſupra viii. 29.) (*c*) *Quid nobis, & tibi Ieſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos*. Ergo eſt diviſio.

Quomodo ergo ſtabit regnum eius? Quod ad propoſitum Hieronymus exponit ſic. *Quomodo ſtabit regnum eius?* quaſi dicat: Regnum diaboli ſtat in peccatoribus uſque ad diem iudicii, quia tunc evacuabitur omnis poteſtas. Unde ſi hoc eſſet, iam eſſet finis mundi. Rabanus ſic. *Quomodo ſtabit regnum eius*? Quia ſi pugnatur contra eum: ergo eſt in caſu, ergo a regno ſuo debetis cavere. Hilarius. *Quomodo ſtabit*? quaſi dicat: De poteſtate mea eſt quod ego faciam quod unus expellat alium: ergo ego deſtruo regnum diaboli, & ex hoc debetis mihi adhærere. *Si ego in Beelzebub*. Hic ponitur ſecunda ratio. Si ego eiicio, aut hoc facio virtute dæmonis, aut virtute Spiritus ſancti: quid autem horum ſit, non debetis mihi detrahere. Et primo proſequitur primam; ſecundo ſecundam, ibi, *Si autem ego in ſpiritu Dei eiicio*

(a) *Al.* noſtris, & noſtras. (b) Al. *Item*. (c) Al. *Fili David &c.*

dæmones &c. Dicit ergo: *Si ego in Beelzebub eiicio dæmones, filii veſtri in quo eiiciunt?* Hieronymus exponit dupliciter. Uno modo de exorciſtis, de quibus habetur Act. xix. quod quidam exorciſtæ eiiciebant dæmonia in nomine Ieſu Chriſti. Unde *ſi ego in Beelzebub eiicio dæmones, filii veſtri in quo eiiciunt?* quaſi dicat filii veſtri eiiciunt. Si ergo de his non calumniamini, nec de me debetis calumniari. Ideo accipitis perſonam. Unde *iudices veſtri erunt*. Quia ego eiicio in virtute Dei, ideo ipſi iudicabnnt; ſicut infra de Regina auſtri, quod ipſa iudicabit. Vel poteſt exponi de Apoſtolis. *Filii veſtri*, ideſt Apoſtoli. Appellat autem eos filios eorum, & non diſcipulos, ut magis moveantur ad eos. Item ut derogantes eis ſeipſos redarguant: quia ſi iſti qui filii veſtri ſunt, eiiciunt, ſimiliter vos faceretis, ſi præpararetis vos. Ideo quia iſti ſunt conſcii, quod hoc facio poteſtate mihi tradita, non in Beelzebub: *ideo iudices veſtri erunt*, non ſolum comparatione, ſed auctoritate: ſicut habetur infra xix. 28. „ Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. " *Si autem ego in ſpiritu Dei eiicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei*; quaſi dicat: Stultus eſt qui repellit a ſe quæ in bonum ſuum cedunt; hoc autem, ſcilicet expellere dæmones, redit in bonum veſtrum: inde ergo poteſtis colligere quod in Spiritu ſancto, quia digitus Dei eſt Spiritus ſanctus, (*a*) ſicut Filius manus. Nec tamen eſt inde aliqua invocatio, ſed ſolum fit iſtud ex auctoritate. Unde *ſi in ſpiritu Dei eiicio dæmones &c.* Sed quare dicitur eiectio dæmonum fieri in Spiritu ſancto? Quia ei amor, & bonitas appropriatur; ideo repellere diabolum nulli bene ita convenit ſicut perſonæ Spiritus ſancti. *Pervenit in vos*. Luc. xvii. 21. „ Regnum Dei intra vos eſt. " Et quod fit a Chriſto, poteſtis cognoſcere, & boc eſt veſtra utilitas; ideo dicit, *In vos*. Vel aliter *regnum Dei*, ideſt domininm Dei in hominibus. Ad Corin. xv. 25. „ Oportet „ autem illum regnare, donec ponat inimi„ cos ſub pedibus eius. " Si ergo dæmones iam ſupeditari incipiunt, iam pervenit in vos regnum, & dominium Dei. *Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis? &c.* Hic ponitur tertia ratio, per quam Dominus dicta phariſæorum confutare intendit: & eſt argumentum ex his quæ accidunt erga homines: quia cum aliquis eſt potens in domo ſua, non poteſt inde eiici, nec vaſa eius diſrumpi, niſi fortior ſuperveniat; ſed Chriſtus ſpoliat vaſa diaboli, expellendo eum ab hominibus, in quibus eſt ut in vaſis propriis: ergo Chriſtus fortior eſt eo. Et hanc rationem ponit ſub his verbis. *Fortis*. Iſte eſt diabolus qui fortis dicitur ex virtute. Iob xli. 24. „ Non eſt poteſtas quæ huic „ valeat comparari. " Et fortior efficitur per conſenſum, quia qui conſentit, dat vires ſupra ſe. Eſa. xix. 2. „ Pugnabit vir con„ tra fratrem, civitas contra civitatem; & „ tradam AEgyptum in mann dominorum cru„ delium. " Domus iſta eſt mundus, vel congregatio peccatorum: non quia mundum creavit, ſed (*b*) quia ei conſentiendo obedivit. Unde Ioan. xii. 31. dicitur princeps huius mnndi. Vaſa eius ſunt homines. Vas dupliciter accipitur. (*c*) Vas alicnius dicitur, quod plenum eſt illo; ut dicitur vas aquæ, quia plenum eſt aqua, vel vas olei, quia plenum eſt oleo: ſic aliqua vaſa diaboli, quia pleni diabolo: & hoc ſecundum corpus, ut obſeſſi a diabolo; ſecundum animam vero illi quorum corda ſunt in plenaria voluntate diaboli, ut dicitur de Iuda. Aliquando vaſa dicuntur quælibet inſtrumenta ad quodcumque officium deputata: unde (*d*) dicitur vas diaboli qui occaſionem peccandi aliis tribnit. Et quocumque modo ſumatur, diripit Chriſtus vaſa diaboli. Ad Coloſ. ii. 15. „ Expolians principatus, & poteſtates, tranſ„ duxit confidenter palam triumphans illos „ in ſeipſo &c. " Hoc tamen non ſufficit, niſi alliget fortem: unde: *Niſi prius alligaverit fortem*. Quæ eſt hæc alligatio? Quia poteſtas nocendi, quam habet a ſeipſo, cohibetur a Deo. Unde ex virtute naturæ ſuæ poteſt multa facere, ſed ex virtute Dei cohibetur, ſicut homo ligatus cohibetur ne impleat quod vult. Unde Pſal. cxlix. 8. „ Ad alligandos Reges eorum in compedi„ bus. " Et tunc domum eius diripiet, quia eo ligato homines ligati diſrumpentur. Eſa. xlix. 45. „ Captivitas a forti tolletur, & „ quod ablatum fuerit a robuſto ſalvabitur. " *Qui non eſt mecum, contra me eſt*. Hic ponitur quarta ratio; & hic dat firmitatem omnibus. Poſſet enim aliquis dicere: Si per victoriam auferres, poſſet procedere ratio; ſed non facis per violentiam, ſed per paſſionem: ideo non eſt ſignum quod alligaveris. Ideo ponit qnartam rationem. Ratio talis eſt. Quæ conveniunt in uno aliquo, opus ſimile habent: unde qni opera ſimilia faciunt, non ſe adinvicem impediunt. Sed ego contraria opera facio eis. Ideo *qui non eſt mecum, contra me eſt*. Primo ponit rationem in generali; ſecundo exemplificat in ſpeciali.

(a) *Al.* ſic. (b) *Al.* quia conſentiendo. (c) *Al.* Vas alicnius, quod plenum eſt illo. (d) *Al.* dicuntur.

Digitized by Google

li. Dicit ergo: *Qui non eſt mecum, &c.* Et diabolus apparet quod non eſt mecum, quia contrarius eſt operibus meis. II. ad Cor. VI. 15. „ Quæ conventio Chriſti ad Be- „ lial? “ Quod autem ſit contra eum, habetur Eccli. XXXIII. 15. „ Contra vitam mors, „ & contra virum iuſtum peccator: “ ſic contra hominem diabolus, qui eſt pater peccati. Sed in quo contrariatur ei? *Et qui non congregat mecum, ſpargit*: Dominus enim congregat. Eſa. XL. 11. „ In brachio ſuo congregabit agnos, „ & in ſinu ſuo levabit eos; fetas ipſe por- „ tabit. “ Diabolus autem diſpergit. Unde Ioan. X. 12. „ Lupus rapit, & diſpergit o- „ ves. “

Sed Luc. IX. 50. habetur „ Qui non eſt „ adverſus vos, pro vobis eſt, &c. “ Hic autem dici videtur contrarium. Chryſoſtomus dicit, quod utrumque particulariter dictum eſt: unde non intelligitur univerſaliter, ſed in caſu & ſpecialiter, quod qui non habet pactum mecum, contra me eſt. Unde ibi vocabat diſcipulos, hic diabolos. Vel aliter poſſumus dicere, quod aliter eſt de Deo, & de homine. Conſtat quod Deus naturalis eſt finis in quem omnia tendunt, ideo qui non eſt cum Deo, oportet quod ſit ſeparatus ab eo. Unde III. Reg. XVIII. 21. „ Ut quid claudicatis in duas partes? Si Do- „ minus eſt Deus, ſequimini eum. “ Sed de homine ad hominem non eſt ita, quia qui non eſt pro me, non propter hoc contra me eſt.

Ideo dico vobis, omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus. Poſtquam confutavit dictum ipſorum, hic invehitur contra eos. Primo ex gravitate peccati; ſecundo ex mala intentione; tertio ex futuro iudicio. Secunda ibi, *Aut facite arborem bonam &c.* tertia ibi, *Dico autem vobis &c.* Circa primum facit duo. Primo præmittit quaſdam ſententias generales; ſecundo explicat, ibi, *Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis &c.* Dicit ergo: Ita factum eſt ſicut dicitis; *ideo dico vobis &c.* Et ponit duas ſententias. Primo de remiſſione generaliter peccati: *Dico: Omne peccatum*, ſcilicet facti, *& blaſphemia*, ſcilicet dicti, *remittetur hominibus*, ſcilicet ſi pœniteant. Unde in Pſal. CII. 3. „ Qui „ propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, „ qui ſanat omnes infirmitates tuas. “ Et alibi, Pſalm. XXXI. 1. „ Beati quorum re- „ miſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta „ ſunt peccata. “ Et in hoc deſtruitur opinio Novatii, qui dicebat, quod non omnia peccata ſint remiſſibilia: hic autem dicitur quod omne peccatum eſt remiſſibile. Secundo ponit ſpeciale, quod non remittitur, dicens: *Spiritus autem blaſphemia non remittetur*, ideſt voluntas blaſphemandi, ſcilicet quando ex certa malitia blaſphemat. Et hæc dicta ſunt generaliter. Deinde accedit ad ſpeciem, & exponit: & primo primum dictum exponit. Ita dictum eſt, quod omne peccatum &c. Et quod hoc ſit verum, oſtendo de iſto, quia blaſphemia quæ eſt contra Filium, remiſſibilis eſt. Unde *quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei*, ſcilicet ſi pœniteat. *Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum*, verbum, *non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Et, ut dicit Auguſtinus, hæc verba ita ſunt difficilia quod non ſunt fortiora verba in Evangelio. Dicendum ergo, quod triplex eſt modus exponendi. Quidam exponunt ad litteram: quia ipſi videbant ipſum miracula facientem, & opera Spiritus ſancti, & dicebant eum habere ſpiritum immundum; ideo blaſphemabant contra Spiritum ſanctum. Et in hoc diverſa eſt expoſitio. Quidam dicunt, quod utrumque debet referri ad perſonam Filii. Sed in Filio duplex eſt natura, divina, & humana; & ſecundum divinam, & ſpiritus eſt, & ſanctus eſt. Unde Filius dicitur Spiritus ſanctus non ſecundum quod ſumitur in ratione unius vocabuli: & ſic exponit Hilarius. Et eſt ſententia. Quicumque dixerit verbum contra Filium, & contra humanam naturam motus ex infirmitate, habet excuſationem; ſed quicumque dixerit contra divinam, hic non habet rationem veniæ. Alii exponunt de Spiritu ſancto, ſecundum quod eſt tertia in Trinitate perſona. Unde quicumque dixerit contra Filium hominis, ideſt humanam naturam, remittetur ei; ſed qui contra Spiritum ſanctum operantem, hic non habet veniam. Hæc videtur plena expoſitio, & hanc videtur dicere textus.

Sed Auguſtinus obiicit ſic. Conſtat quod omnes pagani blaſphemant, quia non credunt Spiritum ſanctum eſſe in Eccleſia. Item multi ſunt hæretici; & tamen iſtis non præcluditur via veniæ. Item multi Iudæi &c. Sed poſſet aliquis dicere: Intelligendum eſt poſt acceptam fidem. Sed ad hoc: Si hoc ſic eſt, eſt ne neganda ei pœnitentia, ſi pœniteat? Item non dicit, Quicumque Chriſtianus; ſed generaliter, *Quicumque*. Quomodo ergo ſolverit?

Auguſtinus ſolvit dupliciter. Una eſt expoſitio in Sermone Domini in monte: & illam retractat. Aliam vero ponit in Libro de verbis Domini. Unde intelligere debetis, quod peccatum in Spiritum ſanctum non dicitur blaſphemia Spiritus ſancti, ſed accipitur

pitur

pitur ex modo peccandi. Spiritui ſancto attribuitur bonitas, caritas, & amor: bonitati malitia reſpondet, caritati invidia. Si quis ergo cognoſcens veritatem ex malitia deroget veritati, peccat in Spiritum ſanctum. Item ſi aliquis videat opera ſanctitatis in aliquo, & ex invidia deroget: invidia enim ſanctitatis, non perſonæ, peccatum irremiſſibile eſt: non quia impoſſibile ſit quod remittatur, ſed quia tanta labes eſt peccati, quod ex divina iuſtitia fit quod non pœniteat. Unde illi qui dicebant, quod in Beelzebub dæmonia eiiciebat, non peccabant in Spiritum ſanctum, ut ait Auguſtinus, quia ad profundam malitiam non venerant, &c. Sed hoc incepit dicere, non quia hoc facerent, ſed ut ipſi qui inceperant, caverent ne ad hunc ſtatum venirent. Hunc ſenſum reprobat, & retractat Auguſtinus: quia ſic eſſet aliquis ſtatus, pro quo non eſſet orandum, quod non eſt verum in via. Ideo aliter exponit in Libro de verbis Domini; & eſt talis. Notate quod non dixit: Quicumque dixit verbum blaſphemiæ; ſed, *Verbum*, infinite. Sed tale quod infinite ponitur, non univerſaliter tenetur, ſed aliquando particulariter, ut Ioan. xv. 22. „ Si non veniſſem, „ & locutus non fuiſſem eis, peccatum non „ haberent; “ non ſimpliciter, ſive univerſaliter, ſed non haberent peccatum infidelitatis. Ita ſimiliter qui dixit, *Verbum*, non quodcumque verbum, ſed tale verbum eſt, quod ſi dicatur, irremiſſibile eſt. Quod autem ſit illud, dicit Auguſtinus. Spiritus ſanctus caritas eſt, per quam membra Eccleſiæ capiti Chriſto uniuntur, & omne peccatum remittitur per Spiritum ſanctum. Quod etſi remittit tota Trinitas, tamen Spiritui ſancto appropriatur propter amorem. Ille ergo qui habet cor impœnitens, loquitur contra Spiritum ſanctum. Unde ipſa impœnitentia opponitur caritati Spiritus ſancti. Unde non quicumque quodcumque verbum dixerit, ſed iſtud verbum, ſcilicet verbum impœnitentiæ; (*a*) iſtud irremiſſibile eſt. Et dicit, *Verbum*, non Verba, quia conſuetudo eſt in Scriptura, multa verba unum verbum dicere. Unde in Eſa. Dominus ſæpe dicit: Dices verbum meum; licet multa verba ei diceret. Unde non contradicit quod dictum eſt ſupra, ibi, *Dico vobis, omne peccatum, & blaſphemia &c.* quia qui contra Spiritum ſanctum dixerit verbum, blaſphemat. Unde quidam magiſter interrogatus, quid eſſet peccatum in Spiritum ſanctum, dixit: Impœnitentia theſaurizat ſibi iram.

Sed quid eſt quod non remittitur neque in hoc ſæculo, neque in futuro? Numquid aliqua peccata remittentur in futuro? Auguſtinus dicit, quod non. Ergo non dicitur quod aliqua in præſenti, & alia in futuro remittantur; ſed ideo quod ſic hic remittitur peccatum ut valeat in futuro. Vel aliter: (*b*) quia quædam peccata, ſcilicet mortalia, in præſenti remittuntur; ſed alia, ſcilicet venialia, in futuro: ſicut ſi aliquis moritur in aliquo veniali, conſtat quod (*c*) remittatur. Unde aliqua miſericordia erit in futuro, quia tunc adhuc erit viator.

Chryſoſtomus valde plane exponit, & dicit, quod hic loquitur de duplici blaſphemia: contra Filium hominis, & Spiritum ſanctum. Iſti blaſphemabant Filium hominis, quia dicebant quod potator erat vini. Item alia eorum blaſphemia erat contra Spiritum ſanctum, quia dicebant quod in ſpiritu dæmoniaco eiiciebat dæmones. De prima habebant excuſationem, quia non ſciebant. Sed de hoc quod contra Spiritum ſanctum dicebant, non habebant excuſationem, quia ſciebant per Scripturas; & ideo non remittetur.

Sed (*d*) quid eſt quod dicit: *Neque in hoc ſæculo, neque in futuro?* Dicitur hoc, quia aliquod peccatum punitur in hoc ſæculo; aliquod in alio; aliquod hic, & ibi. Quoddam in hoc ſæculo tantum, ut patet in pœnitentibus. Quoddam in futuro tantum, ut illi de quibus dicitur Iob xxi. 13. „ Ducunt „ in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. “ Quod vero hic, & in futuro, eſt peccatum in Spiritum ſanctum: unde *non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro*: non quia fiat remiſſio in futuro, ſed quia pœna erit in futuro. Unde ſenſus eſt quod non remittetur quin pœnam patiatur in hoc ſæculo, & in futuro. Sic loquuntur Sancti de peccato iſto.

Notandum autem, quod Magiſter in Sententiis, diſtin. xliii. Lib. II. ponit diſtinctionem, & aſſignat ſex ſpecies peccati in Spiritum ſanctum: deſperationem, præſumptionem, impœnitentiam, obſtinationem, impugnationem veritatis agnitæ, & invidiam fraternæ gratiæ. Unde dicuntur in Spiritum ſanctum peccare qui contra appropriata Spiritui ſancto peccant. Patri appropriatur potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas. Ille ergo in Patrem dicitur peccare qui ex infirmitate peccat; ille in Filium qui ex ignorantia; ille in Spiritum ſanctum qui ex malitia.

Sed

(a) *Al.* & iſtud. (b) *Al.* quod. (c) *Al.* remittetur. (d) *Al.* quidem.

Sed ſciendum, quod peccare ex malitia eſt (*a*) quando quis voluntarie peccat, quod eſt ex certa malitia. Et hoc dupliciter: vel quia habet inclinationem ad peccatum, vel quia non habet. Quando enim aliquis homo peccata committit multa, ex hoc relinquitur in eo habitus peccandi, & ſic peccat ex electione. Item aliquis peccat, quia removetur id per quod retrahebatur a peccato. Retrahitur autem a peccato per ſpem vitæ æternæ: unde qui non ſperat in vitam æternam, peccat ex certa malitia. Ad Eph. IV. 19. „Qui deſperantes ſemetipſos, tradi- „ derunt impudicitiæ.“ Unde qui peccat ex inclinatione, peccat in Spiritum ſanctum, ſcilicet ex hoc quod recedit ab eo quod retrahit a peccato. Hoc autem fit ſex modis. In Deo enim ſunt miſericordia, & iuſtitia. Ex contemptu miſericordiæ fit deſperatio; ex contemptu iuſtitiæ præſumptio. Item ex parte averſionis, quia convertit ſe ad bonum fragile, ſic fit obſtinatio. Item ex parte averſionis, quia non proponit ad Deum reverti, fit impœnitentia. Item ex parte remedii, ſcilicet ſpei, & caritatis, fit impugnatio veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ dilectionis. Hæc ſunt peccata in Spiritum ſanctum. Si ergo ſit impœnitentia actualis, ſic non remittitur; non quia non remittatur omnino, ſed quia non facile remittitur, quia non habet aliquam rationem remittendi, ſed ex ſola gratia Dei: ut ſi aliquis habeat febrem, utpote tertianam, habet unde ſanari poteſt; ſed ſi habet emitriteum, non habet unde ſanari poſſit de ſe, quia non ſanatur niſi ex divino adiutorio.

Sequitur: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum*. Supra Dominus confutavit phariſæorum ritum, prout erant contra ipſius opera loquentes, oſtendens gravitatem peccati; nunc contra ipſos (*b*) dicentes pravam eius eſſe doctrinam. Et primo ponit ſimilitudinem; ſecundo adaptat; tertio rationem aſſignat. Secunda ibi, *Progenies viperarum &c.* tertia ibi, *Ex abundantia cordis os loquitur*. Circa primum duo facit. Primo ponit ſimilitudinem; ſecundo inducit probationem, ibi, (*c*) *Siquidem ex fructu arbor cognoſcitur*. Dicit ergo: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum &c.* Iſtud dupliciter exponitur. Una expoſitio ſecundum Chryſoſtomum, & Hieronymum, alia ſecundum Auguſtinum. Secundum Ioannem Chryſoſtomum ſic exponitur. Vult oſtendere vituperationem eorum eſſe irrationabilem: unde comparat actus ad vitam, ſicut fructus ad arborem. Si aliquis videt fructum bonum, iudicat arborem eſſe bonam; ſimiliter e converſo, ſi malum. Iſti videbant actus Chriſti, puta expellere dæmones, & hoc erat bonum: ideo valde irrationabile eſt quod dicitis. Et optime procedit ab effectu in cauſam, ut dicit Apoſtolus Rom. I. 20. „Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi „ per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpi- „ ciuntur &c.“ Unde vult dicere: Aut vos, ſcilicet phariſæi, facite, ideſt (*d*) concedatis, quia ſi fructus bonus eſt, quod arbor bona eſt; aut facite, ideſt dicite, quod fructus malus eſt, & ita arbor mala. Et hoc non poteſtis dicere. Auguſtinus autem refert ad intentionem. Iſti dicebant, quod in Beelzebub dæmonia eiiciebat. Vult ergo oſtendere ex qua radice hoc proceſſerit, quia ex malitia cordis; ideo dicit, *Aut facite*. Hic ponuntur duo: unum meritorium ut fiat, *Facite &c.* & date operam, & ſtudium ut ſitis arbor bona; quod non poteſt homo ſine præparatione. Unde facite ut ſitis arbor bona; & tunc erit fructus bonus, & verba bona. Quod autem ſequitur, eſt ut caveant, ſcilicet *Aut facite arborem malam, & fructum eius malum*: aut ſtudebitis malitiæ; & ſic eritis arbor mala, & fructus malus. Hierem. II. 21. „Ego planta- „ vi te vineam meam electam; quomodo „ converſa es mihi in pravum, vinea alie- „ na?“ Secundum autem utramque lecturam convenit probatio quæ ſequitur: *Siquidem ex fructu arbor cognoſcitur &c.* quia per fructum bonum bona, per fructum malum mala. *Progenies viperarum &c.* Et hoc diverſimode ſubditur præmiſſis, ſecundum diverſas expoſitiones. Secundum Auguſtinum eſt quædam applicatio ad propoſitum ſic. Dictum eſt: *Aut facite &c.* Et vos facitis malum. Vos eſtis arbor mala, & quia arbor mala, mala facitis, quia non poteſtis bona loqui. Secundum expoſitionem aliorum oſtendit ex quo procedat hæc malitia, & vocat phariſæos progenies viperarum, quia qui a pueritia malitiam habent, firmius tenent; ideo malitia viperæ dicitur malitia eorum. Prov. XXII. 6. „Adoleſcens iuxta viam ſuam, „ cum ſenuerit non recedet ab ea.“ Ideo pluries qui parentes habent malos, promptiores ſunt ad malum. Hier. XIV. 20. „Co- „ gnovimus iniquitates patrum noſtrorum.“ Unde bonum eſt quod homo a conſuetudine ſubdat ſe bono operi. Item natura ſerpen-

(a) *Al.* quando voluntarie peccat. (b) *Al.* dicens. (c) Al. *Ex fructibus eorum &c.* (d) *Al.* conceditis.

Digitized by Google

pentum eſt quod cum lingua venenum eiiciunt : ſic mali faciunt. Iob xx. 16. „ Occi„ dit eum lingua viperæ." Et in Pſal. cxxxix. 4. „Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes." Ideo dicit: *Quomodo poteſtis bona loqui?* Non dicit bona facere, ſed *loqui*, quia filii eſtis viperæ, quæ nocet lingua; ideo cum ſitis imitatores patrum ſceleris, quomodo poteſtis bona loqui? quaſi dicat, non poteſtis. Et aſſignat rationem : & primo in generali ; ſecundo in ſpeciali, ibi, *Bonus homo de bono theſauro profert bona &c.* Dicit ergo: Ita non poteſtis loqui. Unde? *Quia mali eſtis*. Quare? *Quia ex abundantia cordis os loquitur* : quia vox eſt ſignum intellectus. Dicit, *Ex abundantia cordis*, quia ſecundum Chryſoſtomum, cum aliquis ex malitia loquitur, ſignum eſt quod maior malitia ſit in corde, quia de hoc quod intus retinet, nullum timet. Dum ergo aliquid ex malitia profert, ſignum eſt quod magis ſit intus, quod proferre non audet. Ideo dicit : *Ex abundantia cordis os loquitur*. Et ex abundantia malitiæ interius os loquitur; & hoc eſt in bono, & in malo. Unde Hier. xx. 9. „ Fa„ ctus eſt ſermo Domini in me quaſi ignis „ &c. " Item in malo ſimiliter : quia aliqui ex malitia concipiunt aliquid quod non poſſunt retinere. Iob xxxii. 18. „ Coarctat „ me ſpiritus uteri mei, &c. " *Bonus homo de bono theſauro profert bona*. Quod dixerat : *Ex abundantia cordis os loquitur* : exponit in particulari. Verbum quod egreditur de cogitatione, eſt ſicut donum quod egreditur de theſauro. Unde ſi cogitatio eſt bona, verbum eſt bonum, & e contrario. Bonus theſaurus eſt ſcientia veritatis, & timor Domini. Eſai. xxxiii. 6. „ Divitiæ ſa„ lutis ſapientia, & ſcientia, timor Domi„ ni ipſe theſaurus eſt. " Item malus theſaurus eſt mala cogitatio; & de hoc non procedit niſi malum. Prov. x. 2. „ Nil prod„ erunt theſauri impietatis. " Videte: quod de verbis ibi dicitur, illud etiam intelligitur de operibus : ſicut enim cogitatio eſt radix ſermonis, ita intentio operationis; ideo ſi intentio eſt bona, opus eſt bonum. Unde ibi Gloſſa : „ Tantum facis quan„ tum intendis. "

In bono videtur habere inſtantiam. Ponatur quod aliquis velit furari ut det eleemoſynam, actus eſt malus, & intentio bona : ergo &c. Dico. Intentio, & voluntas quandoque diſtinguuntur, quando ſcilicet in uno & eodem aliud eſt voluntas, & intentio. Voluntas eſt de obiecto volito, intentio de fine : voluntas eſt ſicut ſi volo ire ad feneſtram, ut videam tranſeuntes, hæc eſt intentio, quaſi extra tentio: unde oportet quod voluntas, & intentio unum ſint. Unde poſſumus large conſiderare intentionem, & voluntatem; & ſic in iſto. Si voluntas eſt mala, actus eſt malus; tamen ſi excludatur, & ſumatur proprie, non eſt verum.

Sed poſito quod intentio, & actus voluntatis unum ſint, quid inde? Eſt dicendum, quod principalitas meriti conſiſtit circa caritatem, ex conſequenti circa meritum aliarum virtutum : meritum enim reſpicit præmium eſſentiale, penes quod conſideratur caritas. Sic unumquodque opus, quod in maiori ſit caritate, magis habet de merito. Sola caritas habet Deum pro obiecto, & fine : unde meritum caritatis reſpondet præmio ſubſtantiali, meritum aliarum virtutum præmio accidentali. Quia igitur caritas informat intentionem, quanto aliquis ex maiori caritate aliquid intendit, tantum facit; ſed quantum ad præmium accidentale non.

Dico autem vobis &c. Dominus iſtos reprehendit propter gravitatem peccati, & propter malitiam eorum; nunc propter futurum iudicium, quod fide tenemus. Dicitur enim Iob xix. 29. „ Fugite a facie gla„ dii, quoniam ultor iniquitatum gladius „ eſt; & ſcitote eſſe iudicium." Eccli. xii. 14. „ Cuncta quæ (a) fiunt adducet Domi„ nus in iudicium pro omni errato, ſive bo„ num, ſive malum ſit. " Item II. ad Corinth. v. 10. „ Omnes enim nos oportet ma„ nifeſtari ante tribunal Chriſti, ut referat „ unuſquiſque propria corporis, prout geſſit „ ſive bonum, ſive malum. " Unde ibi erit examinatio, quia reddet unuſquiſque rationem de factis ſuis; ideo addit etiam de verbis, dicens : (b) *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*. Et hoc dicitur Sap. i. 8. „ Qui loquitur „ iniqua, non poterit latere. " Et ſubditur, quod ſermo obſcurus in vacuum non ibit.

Sed quid eſt quod dicit : *De verbo otioſo*? Verbum otioſum dupliciter dicitur. Uno modo omne verbum malum dicitur otioſum : quia illud dicitur otioſum, quod non conſequitur finem, ſicut ſi aliquis quærit hominem, & non invenit, dicitur otioſe quæſiſſe. Verbum autem datur ad inſtructionem : quando ergo proficit, non eſt otioſum. Ad Epheſ. iv. 29. „ Omnis ſermo ma„ lus

(a) *Al.* fiunt. (b) Al. *Dico autem vobis, de omni verbo &c.*

„ lus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis „ bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus &c." Et ſecundum Chryſoſtomum, reſpicit ad propoſitum: quia dixerant quod in Beelzebub &c. Iſtud verbum erat pernicioſum; ideo (*a*) etiam otioſum, ſecundum Hieronymum Differt q idem pernicioſum & otioſum, quia pernicioſum eſt quod nocumentum infert: otioſum vero quod non affert utilitatem. Gregorius dicit, quod otioſum dicitur quod caret pia utilitate, vel neceſſitate. Unde quodlibet verbum quod profertur leviter, dicitur otioſum, niſi habeat piam utilitatem, vel piam neceſſitatem.

Sed conſtat quod iſti (*b*) dixerant verbum pernicioſum: quare ergo non facit mentionem niſi de otioſo? Quia vult arguere a minori: quia ſi de otioſo oportet reddere rationem, multo magis de pernicioſo.

Deinde oſtendit rationem: *Ex verbis enim tuis iuſtificaberis &c.* In iudicio mundi aliquando innocentes puniuntur, & mali liberantur: quia iudicium fit ſecundum dicta teſtium. In iudicio Dei ex homine ipſo ſeipſum accuſante, ſcilicet ex ſui confeſſione. Unde ut non credas, quod iudiceris per ea quæ alii dicent de te, ſed per ea quæ tu dices de te; ideo dicit: *Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Sicut Luc. XIX. 22. „ Ex ore tuo te „ iudico, ſerve nequam."

(c) Supra Dominus confutavit detrahentes ſuis miraculis, & doctrinæ; hic arguit tentantes: & hic duo facit. Primo ponitur interrogatio tentativa; ſecundo reprobatio, ibi, *Reſpondens ait illis.* Dicitur ergo: *Tunc reſponderunt*; hoc eſt, poſtquam multa miracula viderant, & poſtquam multa verba ſapientiæ audierant; ita quod impletum eſt in eo quod dicitur Eccli. XXII. 9. „ Cum dormiente loquitur qui narrat „ ſtulto ſapientiam." *Magiſter, volumus a te ſignum videre. Magiſter* dicunt tentando. Pſal. XXVII. 3. „ Loquuntur pacem in ore „ ſuo, mala autem in cordibus eorum." *Volumus a te ſignum videre.* Nonne multa ſigna viderant? Ita; ſed alius Evangeliſta ſic exponit dicens (Luc. XI. 16.) (*c*) „ Volumus „ ſignum de cælo videre;" ſicut legitur Lib. I. Reg. cap. XII. quod Samuel fecit tonitruum; & Elias, qui fecit ignem deſcendere, IV. Reg. 1. Proprium enim Iudæorum eſt ſignum petere, ut habetur I. ad Corinth. 1. 22. „ Iudæi ſignum petunt." Sed cum ſigna dediſſet terrena, non credebant; etiam ſi daret cæleſtia, non crederent. Ioan. III. 12. „ Si terrena dixi vo„ bis, & non creditis; quomodo ſi dixero cæ„ leſtia, credetis?" *Qui reſpondens ait illis &c.* Conſequenter repellit eos, & duo facit. Primo petitionem negat; ſecundo indignitatem oſtendit, ibi, *Viri Ninivitæ &c.* Primo deſignat quod quærebant; ſecundo (*d*) denegat. Dicitur ergo: *Qui reſpondens ait illis: Generatio mala, & adultera ſignum quærit.* Malos enim dicit quia Inſidiatores erant. Dicitur quis malus, quia nocet proximo. Generatio ergo mala, & iniqui filii. Dicitur adultera generatio. Eſai. LVII. 3. „ Vos „ autem accedite huc filii auguratricis, ſe„ men adulteri, & fornicariæ." Ita ergo iſta generatio iniquitati ſubiecta, *ſignum quærit; ſed non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Eſa. VII. 2. „ Pete tibi ſignum „ a Domino Deo tuo in profundum infer„ ni, ſive in excelſum ſupra &c." Petebat ergo ſignum de cæleſtibus; ſed non erant digni videre. Hoc enim dedit Apoſtolis ſuis, qui viderunt eum aſcendentem, qui gloriam Dei viderunt in monte. Sed iſtis non dabitur niſi ſignum in inferno quantum ad animam, & de terra quantum ad corpus. Unde *non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Unde ſignatur mors Chriſti, & oſtenditur caritas Dei, ſicut dicit Apoſtolus ad Rom. V. 8. „ Cum adhuc peccatores eſ„ ſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro „ nobis mortuus eſt &c." Item oſtenditur poteſtas reſuſcitantis, ut habetur I. ad Corint. XV. Et hæc ſunt ſigna eorum quæ in nobis eſſe debent. Per mortem Chriſti ſignificatur nobis quod nos mori debemus peccato; per reſurrectionem vero quod nos debemus a peccato reſurgere. *Et ſicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus,* ſcilicet ſecundum veritatem, *ſic Filius hominis erit in corde terræ.* Et in hoc confunditur error Manichæi dicentis, quod non in veritate mortuus eſt. Et dicit, *in corde terræ*, quia ſicut cor hominis eſt in profundo, ita Chriſtus in profundo terræ. Vel *in corde terræ*, ideſt in corde terrenorum, & diſcipulorum, qui deſperabant de eo, ut habetur Luc. ult. cap. 21. „ Nos (*e*) autem „ ſperabamus, quod ipſe eſſet redempturus „ Iſrael." *Tribus diebus, & tribus noctibus.*

Sed hic eſt quæſtio litteralis. Videtur hoc eſſe falſum, quia hora nona expiravit, & ſepultus eſt in veſpere; reſurrexit autem in mane tertiæ diei.

Dicit Auguſtinus, quod aliqui volunt dicere, quod computanda eſt hora qua poſitus fuit in cruce: unde primam noctem

(a) *Al.* dicitur otioſum. (b) *Al.* dixerunt. (c) *Ibi*: „ Signum de cælo quærebant ab eo."
(d) *Al.* denegant. (e) *Al.* enim.

Digitized by Google

dicunt illam tenebroſitatem quæ apparuit; ſecunda fuit nox diei veneris; tertia diei ſabbati. Sed ſecundum Auguſtinum, non valet: poſſet tamen (a) nobis ſuppetere, ſi tota die dominica fuiſſet in ſepulcro. Ideo aliter dicendum, quod dies naturalis pro die, & nocte, ſumitur pro ſpatio 24. horarum. Sed, ſicut dicit Auguſtinus, in Scriptura aliquando ſumitur pars pro toto. Sic ergo dicendum, quod Chriſtus per ſynecdochen fuit tribus diebus, & tribus noctibus in ſepulcro, quia ſexta feria pro tota die, & etiam pro præcedenti nocte ſumitur. De die vero ſecunda non eſt dubium; tertia vero nox pro nocte, & die ſequenti. Tamen ſi ſecundum veritatem inſpicimus, fuit duabus noctibus, & uno die integro, ad ſignandum quod ſuum ſimplum deſtruxit noſtrum duplum. In nobis erat pœna, & culpa; in eo pœna ſolum: ideo &c.

Viri Ninivitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta. Hic ponit indignitatem.

Hic eſt quæſtio litteralis. Nonne multa miracula fecit? Nonne Lazarum reſuſcitavit, & multa alia? Quid eſt ergo *Non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ?*

Reſpondeo. Non dabitur tale ſignum quale petebant; vel non dabitur ſignum ad utilitatem eorum: ſciebat enim quod non reverterentur, quia indurati erant. Sed ſigna fecit propter fideles, & electos, quales poſt multi fuerunt.

Viri Ninivitæ &c. Hæc eſt indignitas. Et primo præferuntur gentiles; ſecundo ponitur ratio, ibi, *Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine &c.* Videte. Aliquis eſt bonus vel quia non peccat, vel quia pœnitet. Primo ergo præfert eos qui pœnituerunt, ſcilicet gentiles; ſecundo qui peccatum non fecerunt, ibi, *Regina auſtri &c.* Comparaverat Dominus reſurrectionem ſuam Ionæ; ideo poſſent credere quod iſtis accideret ſicut Ninivitis qui liberati ſunt; ſed iſti non ſolum non fuerunt liberati, ſed fuerunt etiam diſperſi. Unde *viri Ninivitæ ſurgent*. In verbis iſtis excluditur unus error Iudæorum, quod reſurrectio erit ante iudicium, & quod in medio reædificabitur Hieruſalem. Et adducunt pro ſe quod dicitur Eſa. xxv. 6. „ Faciet Dominus in „ monte hoc convivium pinguium. “ Alii dixerunt, quod iuſti, & martyres reſurgent ante alios per mille annos; & adducunt pro ipſis, quod dicitur Apoc. xx. 1. „ Vidi Ange- „ lum deſcendentem de cælo habentem cla- „ vem abyſſi, & catenam magnam in manu „ ſua: “ & ſequitur: „ & apprehendit draconem „ ſerpentem antiquum, qui vocatur diabo- „ lus, & ligavit eum ut non amplius gen- „ tes decipiat, donec conſumentur mille an- „ ni. “ Utrumque excluditur cum dicit: *Surgent cum generatione iſta*, ſimul boni, & non boni; *& condemnabunt*, comparatione, non auctoritate: quia inter condemnandos reſurgent. Ezech. v. 5. „ Iſta eſt Hieruſalem: „ in medio gentium poſui eam, & in cir- „ cuitu eius terras: contempſit iudicia mea „ ut plus eſſet impia quam gentes, & præ- „ cepta mea ultra quam terræ quæ in cir- „ cuitu eius ſunt. “ Et in quo condemnabunt? *Quia pœnitentiam egerunt*, iſti vero noluerunt facere pœnitentiam. Dominus incepit prædicationem ſuam a pœnitentia, Ioannes ſimiliter; & non audierunt. Hier. VIII. 6. „ Nullus eſt qui agat pœnitentiam „ ſuper peccato ſuo. “ Item illi fecerunt pœnitentiam in una prædicatione Ionæ. Ieſus autem multas prædicationes eis fecerat; & tamen non ſunt converſi. Ioan. xv. 24. „ Si opera non feciſſem quæ nullus alius fe- „ cit, peccatum non haberent. “ Item converſi ſunt in prædicatione unius Prophetæ; ſed iſti non ſolum habuerunt Prophetam, ſed Filium Dei. Unde habetur Hebr. I. 1. „ Mul- „ tiſarie, multiſque modis olim Deus loquens „ patribus in Prophetis, noviſſime diebus i- „ ſtis locutus eſt nobis in Filio, quem con- „ ſtituit heredem univerſorum, per quem fe- „ cit & ſæcula. “ Et ſequitur: *Ecce pluſquam Ionas hic*: ut habetur ad Hebr. III. 3. „ Amplioris gloriæ enim iſte præ Moyſe „ dignus eſt. “ Ergo Ninivitæ præferuntur, quia pœnitentiam egerunt. *Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam*, ſcilicet in ſapientia, quam iſti noluerunt recipere. De iſta habetur III. Reg. x. 24. quod venit audire ſapientiam Salomonis. Per iſtam ſignatur Eccleſia ex fidelibus. Pſal. xliv. 10. „ Aſtitit Regina a dex- „ tris tuis in veſtitu deaurato circumdata va- „ rietate, &c. “ Regina dicitur, quia regere ſe debet. Prover. xx. 8. „ Rex qui ſedet „ in ſolio iudicii diſſipat omne malum in- „ tuitu ſuo &c. “ Et dicitur *auſtri*, ratione Spiritus ſancti. Cant. IV. 16. „ Surge „ aquilo, & veni auſter, perfla hortum meum „ &c. “ Iſta Regina ſurget in iudicio cum generatione iſta. Nota, quod non dicitur quod non peccaverit, ſed non fuit rebellis. Quare? Quia „ venit a finibus terræ audire ſa- „ pientiam Salomonis; “ ſicut habetur III. Reg. x. 24. „ Et non oportuit quod vos venire-

(a) *Al.* non ſuppetere.

niretis a finibus terræ, quia hic eſt. Unde: *Ecce pluſquam Salomon hic*: quia ille Rex temporalis erat, & peccator; iſte vero innocens, & æternus. Dan. VII. 14. „ Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum æternum, quod non „ corrumpetur. “ *Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine &c.* Oſtendit ſupra, gentiles eſſe potiores Iudæis; hic vult confirmare exemplo: & primo ponit exemplum; ſecundo adaptat, ibi, *Sic erit generationi huic peſſimæ*. Exemplum ponit de ſpiritu immundo.

Notare debetis, quod aliquando ponitur exemplum ex re geſta, aliquando ex parabola. Et quando ponitur ex re geſta, oportet quod unumquodque ſeorſum exponatur, ita quod utrumque indiget expoſitione ſua; ſicut hic poſitum eſt exemplum de Iona. Aliquando ponitur exemplum de parabola, (*a*) ut cum dicitur: *Simile eſt regnum cælorum &c.*

Hic non oportet ponere quid ſit in regno cælorum. Poſſumus ergo dicere ſecundum Hieronymum, quod ſit ſimilitudo, & parabola; & ſic eſt unus ſenſus: vel ex re geſta ſecundum Auguſtinum; & ſic eſt duplex ſenſus. Immundus ſpiritus exit ab homine dupliciter: (*b*) quia hominem aliquando torquet corporaliter, aliquando ſpiritualiter. Unde videndum quomodo impleatur homo ſpiritu immundo; quomodo corporaliter, & quomodo ſpiritualiter; tertio quomodo pertineat ad propoſitum. Quatuor ergo dicuntur. Primo liberatio a ſpiritu immundo; ſecundo iterata vexatio; tertio gravitas; quarto ſecundæ vexationis occaſio. Dicit ergo: *Si ſpiritus immundus exierit ab homine*. Omnis res quæ commiſcetur (*b*) viliori rei, immunda dicitur; quæ puriori, purior: ut ſi argentum plumbo iungatur, fit vilius: ſic ſpiritus creatus, ſi adhæreat inferiori ſe, dicitur ſpiritus immundus. Et iſte exit aliquando ab homine quem corporaliter vexat, aliquando quem ſpiritualiter, ut in baptiſmo. Conſequenter ponitur iterata vexatio, & occaſio: & primo ex parte dæmonis; ſecundo ex parte eorum qui vexantur. Ex parte dæmonis primo quantum ad illos alios; ſecundo quantum ad iſtos. Hæc enim eſt conſuetudo dæmonis quod non poteſt quieſcere niſi noceat, quia ab initio peccatum dilexit. Unde cum ab aliquo expellitur, quærit ubi vexet. Unde dicit: *Ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit*. Unde aliquando requiem non invenit. In quibus autem inveniat, dicit Iob XL. 16. „ Sub umbra dormit, in ſecreto calami, in „ locis humentibus. “ Loca humentia ſunt corda voluptatibus dedita, loca arida ſunt qui contemnunt voluptates, qui a proſperitatibus declinant. Et de hoc Ezech. XXXVII. 11. „ Aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes „ noſtra. “ Dicit, *Ambulat*, & explorat quemcumque hominem quem decipiat. Unde per hoc quod dicitur, *Ambulat*, ſollicitudinem oſtendit. I. Pet. V. 8. „ Sobrii eſtote, „ & vigilate, quia adverſarius veſter diabo„ lus tamquam leo rugiens circuit quærens „ quem devoret.“ *Quærens requiem, & non invenit*, niſi in locis humentibus. Ita fuit de Iudæis: quod exiens a Iudæis ivit ad gentiles, qui aridi ſunt ab humore gratiæ divinæ; ſed non invenit requiem, quia expulſus eſt, quia verbum Dei receperunt. *Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi*. Ex verbo iſto poteſtis colligere quod ſi diabolus aliquando expellitur ab aliquo, quia agit pœnitentiam, non tamen totaliter dimittit eum: ſicut de Chriſto legitur Luc. 4. quod dimiſit ad tempus. Hoc ergo eſt intelligendum ut ſemper ſoliciti ſint homines ne revertatur. Et hoc eſt quod dicit: *Revertar &c. Et veniens invenit eam vacantem*. Hic ponitur occaſio ex parte eius qui ſecundo affligitur. Si volumus ad Iudæos retorquere, planum eſt, quod cum expelleretur a gentibus, rediit ad Iudæos. Unde triplex ponitur occaſio. Scilicet otioſitas: unde dicit, *Vacantem*. Eccli. XXXIII. 29. (*c*) „ Multam „ malitiam docuit otioſitas. “ Ideo Hieronymus: „ Semper aliquid boni facito, ut te „ diabolus inveniat occupatum. “ Unde, *Vacantem*, ideſt otioſum. Thren. I. 7. „ Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata „ ſua.“ *Scopis mundatam*: quia quod mundatur ſcopis, non mundatur niſi quia leviter adhæret. Unde idem eſt ſcopare quod leviter mundare; & inde ſcopatio, imperfecta mundatio. Item *ornatam*; & hoc eſt ſuperficialis ornatus. Mundatio perfecta debet cum igne fieri, ſicut habetur in lege, quod vaſa igne debebant mundari. Item illud quod ornatur, aliam habet ex ſe pulchritudinem, aliam ex ornatu tantum, de qua in Pſal. CXLIII. 12. „ Filiæ eorum com„ poſitæ, circumornatæ, ut ſimilitudo tem„ pli &c. “ Sed qui volunt eſſe ſecuri, debent habere pulchritudinem interiorem. Pſal. XLIV. 14. „ Omnis gloria eius filiæ Regis „ ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta „ varietatibus. “ Sed quando fit ornatus ſolum in exterioribus, non relinquitur a dæmoni-

(*a*) *Al.* ut dicitur. (*b*) *Al.* quia hominem aliquando torquet corporaliter, aliquando ſpiritualiter: tertio quomodo pertineat ad propoſitum. (*c*) *Al.* vili. (*d*) *Al.* Multa mala.

Digitized by Google

monibus. Ita eſt de Iudæis: quia (*a*) ipſis ſervabant ſabbata, in quibus magis vacabant a bonis quam a malis. Item totam curam ponebant in minimis legis. *Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*. Hic ponitur de ſecunda vexatione graviori: & oſtenditur gravior primo quantum ad numerum; ſecundo quantum ad durationem; tertio quantum ad effectum. Quantum ad numerum, quia *aſſumit ſeptem*. Secundum Chryſoſtomum exponitur ad litteram: quia cum aliquis cadit, & non cavet, tunc deterius accidit ei. Ioan. v. 14. „ Ecce ſanus factus es: „ iam noli peccare, ne deterius aliquid ti- „ bi contingat." Secundum Auguſtinum, *aſſumit ſeptem*, & hoc dupliciter. Aliquando enim pœnitens agit pœnitentiam, ſed negligenter ſe habet; & tunc fit proclivior. Rom. I. 28. „ Propter quod tradidit illos „ Dominus in reprobum ſenſum." Et per hoc quod dicit *ſeptem*, univerſitas vitiorum ſignatur. Aliter ſecundum Beatum Auguſtinum. Aliqui peccant aliquo peccato, & in ſtatu pœnitentiæ addunt ſimulationem. Et ſicut ſeptem ſunt dona Spiritus ſancti, ſic ſeptem ſimulationes. Unde primo erant vitia ſimplicia, tunc adduntur ſimulationes vitiorum, quæ ſunt deteriores: & dicuntur ſeptem vel propter univerſitatem vitiorum, vel propter ſabbatum. Et qui hoc modo peccant, fient perſeverantiores in malo: unde dicit: *Et intrantes habitant ibi*: quia inde recedere nolunt. Hier. VIII. 5. Populus in Hie- „ ruſalem averſus eſt averſione contentioſa: „ apprehenderunt mendacium, & noluerunt „ reverti." Si exponatur de Iudæis, patet quod habitat in eis, & diſcedere ab eis non vult. *Et fiunt noviſſima illius hominis peiora prioribus*. Hic ponitur aggravatio quantum ad effectum. Ad litteram, qui magis punitur, magis aggravatur. Unde II. Pet. II. 21. „ Melius erat viam veritatis non co- „ gnoſcere, quam poſt agnitionem retrorſum „ reverti." Item quantum ad Iudæos, quia peius egerunt blaſphemando Chriſtum quam colendo idola. Ideo ſequitur: *Sic erit generationi huic peſſima*: quia deterius erit eis quam umquam fuerit eis in AEgypto.

(d) In parte præcedente Dominus confutavit adverſarios; nunc commendat diſcipulos credentes, &c. præſentia aſſumpta matris, & fratrum. Primo ponitur præſentia; ſecundo denuntiatio; tertio diſcipulorum commendatio. Dicit ergo: *Adhuc eo loquente*.

Sed hic eſt quæſtio litteralis, quare Luc. II. ubi ponuntur eadem verba quæ dicta ſunt, non ponuntur verba quæ ſequuntur; ſed ſubditur (ver. 17.) „ Factum eſt autem „ cum loqueretur, extollens vocem quædam „ mulier de turba &c." Et ita videtur eſſe contrarietas.

Soluit Auguſtinus. Quod abſque dubio ita dictum eſt, ut Matthæus narrat, quod adhuc eo loquente, ideſt dum eſſet in narratione &c. Sed poteſt eſſe quod contigerit quod Lucas dicit, & quod iſte. Et poteſt eſſe quod Lucas præoccupet, vel ad ordinem ſuæ memoriæ (*b*) referat.

Ecce mater eius, & fratres ſtabant foris &c. De matre nulla dubitatio quin ſit illa de qua dictum eſt I. capit. De fratribus autem poteſt eſſe quæſtio. Et quia fit mentio de fratribus, ideo eſt occaſio (*c*) hæreſis, quod cum virgo genuiſſet Ieſum, Ioſeph cognovit Mariam, & genuit inde filios: quod hæreticum eſt, quia poſt partum virgo inviolata permanſit. Fuit etiam opinio, quod iſti eſſent filii Ioſeph de alia uxore. Sed hoc nihil eſt, quia credimus, quod ſicut mater Ieſu fuit virgo, ſic Ioſeph: quia virgini virginem commendavit, & ſicut in fine, ſic etiam & in principio. Qui ſunt ergo iſti fratres? Hieronymus dixit, quod fratres dicuntur multis modis. Aliqui enim fratres natura, ſicut ſupra I. *Iacob genuit Iudam, & fratres eius*. Aliquando fratres qui ſunt unius gentis. Deuter. XVII. 15. „ Non poteris con- „ ſtituere Regem qui non ſit frater tuus." Aliquando religione, ut omnes Chriſtiani, ut infra XXIII. Et in hoc inolevit conſuetudo quod homines eiuſdem religionis dicuntur fratres. Aliquando homines de una parentela, ut Ioſue II. 12. „ Detiſque mihi ſi- „ gnum ut ſalvetis patrem meum, & ma- „ trem, & fratres." Aliquando omnes homines, qui ab uno patre, ſcilicet Deo. Malach. II. 10. „ Numquid non eſt pater unus „ omnium? Numquid non Deus unus crea- „ vit nos? Quare ergo unuſquiſque deſpicit „ fratrem ſuum?" Nullo iſtorum modorum dicuntur hic fratres Domini; ideo uno modo dicuntur fratres, quia conſanguinei. Unde Gene. XIII. 8. „ dixit Abraham ad Lot: „ Fratres enim ſumus:" quamvis Lot nepos eſſet Abraham. Sic iſti fratres erant, quia conſobrini erant. Conſequenter ponitur denuntiatio pœnitentiæ eorum: *Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te*. Quare hoc dixerit, & qua neceſſitate, exponitur in Luca: quia tanta erat multitudo quod non poterant intrare.

Myſtice

(a) *Al.* ibi. (b) *Al.* refert. (c) *Al.* hæretici.

Digitized by Google

Myſtice per matrem ſignificatur ſynagoga: unde Cant. III. 11. „ Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater ſua. " *Et fratres,* ſcilicet Iudæi, qui foris ſtant, derelinquentes Chriſtum. Iob VI. 15. „ Fratres mei dereliquerunt me. " Quærunt, ſed non inveniunt, ut habetur Rom. IX. 31. „ Iſrael ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non pervenit. " *At ille reſpondens &c.* Ponitur reſponſio Chriſti. Et duo facit. Primo confutat interrogantem; ſecundo commendat diſcipulos, ibi, *Et extendens manum &c.* Dicit autem ipſe: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Ex iſto loco quidam negaverunt Chriſtum ſumpſiſſe carnem vere, ſed phantaſtice. Unde exponebant: Non eſt hæc mater mea, neque hi fratres mei: quod eſt contra Apoſtolum, ad Gal. IV. 4. „ Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere &c. " Item ad Rom. I. 3. „ Qui factus eſt ex ſemine David, ſecundum carnem. " Item Dominus eam recognovit in cruce: „ Mulier ecce filius tuus, " ut habetur Ioan. XIX. 26.

Chryſoſtomus: „ Quare inquit Dominus: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* " Et dicit duo; quorum unum eſt ſanum, aliud non. Dicit enim quod mater, & fratres aliquid humanum paſſi ſunt, (a) quia videntes Chriſtum prædicantem, & turbam ſequentem, elationem habuerunt; ideo volebant quaſi quamdam gloriam habere: ideo Dominus voluit oſtendere, quod illud quod faciebat, non habebat ex eo quod aſſumpſerat ex matre, ſed ex patre. Hæc poſitio partim ſana eſt. Nam quantum ad fratres ſana eſt, quia ſic habetur Ioan. VII. 5. „ Neque enim fratres eius credebant in eum. " Sed de matre Domini non ſana eſt, quia creditur quod numquam peccavit nec mortaliter, nec venialiter. De ea namque dicitur Cant. IV. 7. „ Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te. " Et Auguſtinus: „ Cum de peccato agitur, nullam prorſus volo de ea fieri mentionem. " Solvit ergo aliter Hieronymus, quod iſte qui denuntiavit, inſidioſe denuntiaverat. Volebat enim explorare, an ita intenderet ſpiritualibus quod non curaret de temporalibus. Ideo affectui reſpondet. Unde nec matrem plus dilexiſſet niſi plus ſpiritualitatis habuiſſet. Unde dicit: *Quæ eſt mater mea?* Non eam matrem eſſe negat; ſed intendit prohibere inordinatum affectum. Unde ſupra X. 37. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.*

Conſequenter ponitur commendatio diſcipulorum. Et primo commendat diſcipulos; ſecundo univerſaliter omnes credentes. Dicit ergo: *Et extendens manum in diſcipulos dicit: Ecce mater mea;* quaſi dicat: Plus diligo iſtos quam affectus matris meæ, vel fratres: præponendus enim eſt affectus Spiritus ſancti. Et non ſolum extendit ad iſtos, ſed ad omnes. Unde dicitur: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Habebat enim generationem cæleſtem, & temporalem: unde (b) præponit cæleſtem temporali. Illi enim qui faciunt voluntatem Patris mei, illi attinent ei ſecundum generationem cæleſtem. Unde Ioan. VIII. 39. „ Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. " Ipſe enim venit ut faceret voluntatem eius, ut habetur Ioan. IV. V. & VI. *Frater* dicit, quantum ad firmiores; & *ſoror,* quantum ad debiliores.

Sed quid eſt quod dicit, *Et mater eſt?* Dicendum, quod quilibet fidelis, qui facit voluntatem Patris, ſcilicet qui ſimpliciter obedit, ille frater eſt: quia ſimilis eſt ei qui voluntatem Patris implevit. Qui autem non ſolum facit, ſed alios convertit, generat Chriſtum in aliis, & ſic fit mater. Sicut e contra occidit Chriſtum in aliis qui provocat eos ad malum. Apoſtolus ad Galat. IV. 19. „ Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis. "

(a) *Al. deeſt* quia. (b) *Al.* præponderat.

CA-

CAPUT XIII.

(a) IN illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare. Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in littore: & locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ſeminat ſeminare, & dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam; & venerunt volucres, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam; & continuo exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ; ſole autem orto æſtuaverunt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in ſpinas; & creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam; & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum, illis autem non eſt datum. Qui enim habet dabitur ei, & abundabit; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt; & adimpletur in eis prophetia Eſaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos. Veſtri autem beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Vos ergo audite parabolam ſeminantis. Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius: hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt. Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis. Facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuo ſcandalizatur. Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum Dei audit; & ſolicitudo ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert; & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud vero trigeſimum.

(b) Aliam parabolam propoſuit illis, dicens: Simile factum eſt regnum cælorum homini qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſervi patrisfamilias dixerunt ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem; & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

(c) Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cum autem creverit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis; ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita a conſtitutione mundi. Tunc dimiſſis turbis, venit in domum; & acceſſerunt ad eum diſcipuli

Digitized by Google

puli eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui reſpondens ait: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis; ager autem eſt mundus; bonum vero ſemen, hi ſunt filii regni; zizania autem filii ſunt nequam; inimicus autem qui ſeminavit ea, eſt diabolus; meſſis vero conſummatio ſæculi eſt; meſſores autem Angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

(d) Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & pre gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum ſimile eſt regnum celorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Quam, cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam. Ait illis: Ideo omnis ſcriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera. Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas, tranſiit inde: & veniens in patriam ſuam docebat eos in ſynagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas? Sorores eius nonne omnes apud nos ſunt? Unde ergo huic omnia iſta? Et ſcandalizabantur in eo. Ieſus autem dixit eis: Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

(a) SUpra propoſita eſt doctrina evangelica, & confutati ſunt adverſarii; hic oſtendit virtutem evangelicæ doctrinæ: & primum verbis; ſecundo factis in cap. XIV. Et circa primmu primo ponuntur circumſtantiæ doctrinæ; ſecundo Chriſti doctrina; tertio effectus. Secunda ibi, *Ecce exiit qui ſeminat ſeminare*; tertia ibi, *Intellexiſtis hæc omnia*? Et primo ponit quatuor circumſtantias; ſcilicet locum, tempus, diſpoſitionem audientium, & diſpoſitionem loquentis. Tempus tangit cum dicit, *In die illo*: ex quo datur intelligi quod tangit ordinem rei geſtæ. Aliter enim non poſſet intelligi, niſi ly *die* ſumatur pro tempore. Deinde tangitur circumſtantia loci: *Sedebat ſecus mare &c.* Et hoc poteſt exponi ſecundum expoſitionem litteralem, & myſticam. Litteralem tangit Chryſoſtomus. Quia enim ſupra dixerat, quod loquente eo ad turbas, dixit quidam: *Ecce mater tua &c.* ibi expoſuerat Chryſoſtomus quod aliquid humanum ſenſerant; ideo Dominus voluit exire, ut eorum, ſcilicet fratrum, nequitiam reprimeret. Et exivit etiam ut matri honorem deferret. Unde Exo. XX. 12. „ Honora patrem, & „ matrem tuam. “ Myſtice per domum Iudæa intelligitur, de qua exiens propter infidelitatem, venit ad mare, ſcilicet ad gentes, (*a*) quæ turbatæ erant per infidelitatem. Infra XXIII. 38. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*: ſicut Hier. XII. 7. „ Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem „ meam, dedi dilectam animam meam in ma„ nibus inimicorum eius. “ Mare dicitur mundus. Pſalm. CIII. 25. „ Hoc mare ma„ gnum, & ſpatioſum manibus, illic repti„ lia quorum non eſt numerus &c. “ Vel aliter per domum intelligitur interior mens. Sap. VIII. 16. „ Intrans in domum meam, „ conquieſcam cum illa. “ Unde aliquando exit de ſecreto contemplationis ad publicum doctrinæ. *Et congregatæ ſunt ad eum turbæ*. Hic ponit auditores. Cum enim mens exit ad publicum doctrinæ, tunc multi poſſunt audire, & proficere. Eccli. ult. 31. „ Appro„ pinquate ad me indocti, & congregate „ vos in domum diſciplinæ. “ Deinde ponitur diſpoſitio docentis, & audientium: unde dicitur; *Ita ut in naviculam aſcendens ſe-*

(a) *Al.* qui turbati erant.

ſederet. Et quare in naviculam? Poteſt eſſe ratio litteralis, quia multi auditores erant, ideo voluit eos habere ante faciem, ut melius intelligerent. Omnia enim ante ipſum. Iob XIII. 4. „ Ecce omnia vidit oculus „ meus. “ Alia ratio myſtica eſt, quia per navem Eccleſia ex gentibus collecta ſignificatur: ubi (*a*) ſedet per fidem, & docet eos qui ſtant in littore, ſcilicet catechumenos, qui parati ſunt ad fidem. Vel aliter, quod Ieſus in mari, auditores autem in littore ſtant, in hoc dat exemplum prædicatoribus, quod ſcilicet non exponant ſubditos ſuos periculis. Et hoc ſignificatur Exo. XIII. quod cum Moyſes educeret populum ſuum, non eduxit eos per viam terræ Philiſthiim, reputans ne forte pœniterent, & reverterentur in AEgyptum. Ideo Ieſus in turbine ſedit, alios autem extra dimiſit: ideo dicitur: *Et omnis turba ſtabat in littore*. Sequitur modus doctrinæ: *Et locutus eſt eis multa in parabolis*. Ratio duplex eſt. Una eſt, quia per huiuſmodi parabolas abſconduntur ſacra ab infidelibus, ne blaſphement: ſupra enim dictum eſt (cap. VII. 6.) *Nolite ſanctum dare canibus*: ideo quia multi blaſphemabant, ideo voluit loqui in parabolis. Unde Luc. VIII. 10. „ Vobis datum eſſe „ noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem „ in parabolis. “ Secunda ratio eſt, quia per huiuſmodi parabolas homines rudes melius docentur. Unde homines, ſcilicet rudes, quando divina ſub ſimilitudinibus explicantur, melius capiunt, & retinent. Ideo Dominus loqui voluit in parabolis ut melius memoriæ commendarent: quia enim noverat quod digni doctrinam ſuam reciperent, voluit eam ſic tradere ut magis memoriter tenerent. In Pſal. lxxvii. 2. „ Aperiam in parabolis os meum. “ Et quare multas propoſuit parabolas? Ratio una eſt, quia in multitudine hominum diverſi diverſimode ſunt affecti: ideo diverſificare debuit, ut congrueret diverſis affectibus. Alia ratio eſt, quia ſpiritualia ſemper ſunt occulta; ideo per temporalia non plene manifeſtari poſſunt, ideo per diverſa habent manifeſtari. Iob XI. 5. „ Utinam loqueretur Deus „ tecum, & aperiret labia ſua tibi, ut o„ ſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ. “ *Exiit qui ſeminat ſeminare*, &c. Hic ponitur parabolica doctrina. Et intendit tria. Primo ponit impedimentum evangelicæ doctrinæ; ſecundo profectum; tertio dignitatem. Secunda ibi, *Simile eſt regnum cælorum fermento &c.* tertia ibi, *Simile eſt regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas &c.* Circa primum primo ponit impedimenta ab intra; ſecundo quæ ab extra, in ſequenti parabola. Prima in tres: quia primo ponitur parabola; ſecundo aſſignatur; tertio exponitur. Secunda ibi, *Et accedentes diſcipuli &c.* tertia ibi, *Vos ergo audite parabolam ſeminantis*. In prima tria facit. Primo deſcribitur ſtudium ſeminantis; ſecundo impedimentum ſeminis; tertio fructus. Secunda ibi, *Et quum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam &c.* tertia ibi, *Alia vero ceciderunt in terram bonam &c.* Dicit ergo: *Exiit qui ſeminat ſeminare*. Qui exit eſt Chriſtus. Exit enim tripliciter. Ab occulto Patris, non mutans locum. Item exiit a Iudæa ad gentes. Item a profundo ſapientiæ ad publicum doctrinæ. *Exiit* ergo *qui ſeminat*, ſcilicet ſemen doctrinæ. Unde Chriſtus ſeminat, ſicut baptizat, ut habetur Ioan. IV. Semen enim eſt principium fructus. Unde omnis bona operatio eſt a Deo. Philip. I. 6. „ Qui incepit in no„ bis opus bonum perficiet, &c. “ Et in hoc removetur error dicentium, quod initium boni operis eſt a nobis; quod falſum eſt. Unde Gregorius: „ In vanum laborat „ prædicator, niſi intus inſit gratia Salvato„ ris. “ Unde dicit: *Exiit qui ſeminat ſeminare &c.* Videtur iſta involvere verba, ſed non involvit: quia ſeminator exiit aliquando ad ſeminandum, & aliquando ad metendum; ſic Chriſtus in principio exit ad ſeminandum. Prov. XI. 18. „ Seminanti iuſti„ tiam merces fidelis. “ *Exiit* ergo *qui ſeminat ſeminare*: & quid; *ſemen ſuum*. Quidam enim exeunt ſeminare iniquitatem. Iob IV. 8. „ Vidi eos qui operantur iniquita„ tem, & ſeminant dolores, (*b*) & me„ tunt eos. “ Sed iſte exiit ſeminare ſemen ſuum. Iſtud ſemen eſt Verbum Dei, quod procedit eſſentialiter. Unde eſt Verbum Patris. Eccli. I. 5. „ Fons ſapientiæ Verbum „ Dei. “ Sed quid facit? Similes ei a quo procedit, quia facit filios Dei. Pſal. lxxxi. 6. „ Ego dixi: Dii eſtis, & filii Excelſi omnes. “ Ioan. X. 35. „ Illos dixit deos ad quos ſer„ mo Dei factus eſt. “ Et ibid. cap. I. 12. „ Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. “ *Exiit* ergo &c. Sed videamus de impedimento ſeminis. Tripliciter enim impeditur, quia tria requiruntur. Requiritur enim quod memoria conſervetur. Unde Prover. VI. 21. „ Liga eas in corde tuo iugiter. “ Secundum eſt quod radicetur per amorem. Pſal. CXVIII. 140. „ Ignitum eloquium tuum ve„ hementer, & ſervus tuus dilexit illud. “

Ter-

(a) *Al.* ſedit. (b) *Al.* & metent.

Tertio requiritur ſolicitudo. I. ad Tim. VI. 11. „ Sectare iuſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem, &c. “ Hæc tria per tria tolluntur. Memoria per vanitatem; amor, ſive caritas, per duritiam; ſolicitudo per germinationem vitiorum. Unde dicit: *Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam*. Via patens eſt omni (*a*) viatori; ſic cor, quod cuilibet exponitur cogitationi. Ezec. XVI. 25. „ Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum. “ Unde quando in corde vano, & inſtabili cadit verbum Dei, cadit ſecus viam, & ſubiacet duplici periculo. Sed Matthæus non ponit niſi unum, ſcilicet *volucres cæli comederunt illud*. Lucas vero ponit duo, videlicet quia conculcatur, item rapitur a volucribus. Sic quoniam vani recipiuut verbum Dei, conculcatur per vanam cogitationem, vel pravam ſocietatem. (*b*) Quare multum gaudet diabolus, quando poteſt auſerre, & conculcare ſemen iſtud? Habac. I. 15. (*c*) „ Quare reſpicis contemptores, & taces impio conculcante iuſtiorem ſe? “ Secundum eſt cordis duritiam. Iob pen. 15. „ Cor eius indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris (*d*) incus. “ Et hoc opponitur caritati, quia amoris eſt liquefacere. Cant. V. 6. „ Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. “ Durum enim eſt quod eſt in ſe conſtrictum, & propriis metis arctatum. Amor facit transferre amantem in amatum: unde diffunditur. Dicit ergo: *Alia ceciderunt in petroſa loca &c.* Ezech. XXXVI. 26. „ Auſeram a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. “ Aliqui enim ſunt qui ita habent cor privatum omni amore quod omni carne carent; aliqui vero habent bonum affectum, ſed parum habent: unde non habent profundum. Habere profundum eſt, quum finis, & affectus eſt profundus. Ille ergo habet profundum amorem qui omnia diligit propter Deum, & nihil præponit amori Dei. Unde aliqui bene delectantur in Deo, ſed magis in aliis rebus; & iſti (*e*) non ſunt liquefacti: & tales non habent terram multam. Et per terram ſignificatur mollities: Unde ſumitur pro mente indurata. Sequitur: *Et continuo exorta ſunt &c.* quia illi qui profunde cogitant, diu cogitant; ſed qui non profunde, ſtatim in opus prorumpunt: unde cito exeunt. Eſa. XVIII. 5. „ Ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio (*f*) germinabit. “ Unde cito audiunt, ſed non radicantur in illo, quia non (*g*) habent altitudinem terræ amoris, & caritatis. Ad Ephe. III. 18. „ In caritate radicati, & fundati &c. “ Tertium eſt deſtructio fructus: quia ſi magis amat divitias, cum tempus venit tribulationis, accipit quod magis amat. Unde *ſole orto æſtuaverunt &c.* ſcilicet per impotentiam, Apoc. XIII. 10. „ Qui in gladio occiderit, oportet cum gladio occidi, hoc eſt patientia iuſtorum. “ *Et quia non habebant radicem aruerunt*, quia Deus non erat radix. Pſal. XXI. 16. „ Aruit tamquam teſta virtus mea. “ Aliquando in Scriptura petra accipitur pro bono, aliquando pro malo. Similiter terra, & ſol. Unde aliqui ſunt qui afficiuntur bene, ſed poſt negligenter ſe habent. Non autem (*h*) ſic Paulus, qui dicebat (I. Corin. 27. „ Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo &c. “ *Alia autem ceciderunt in ſpinas.* Spinæ autem ſunt ſolicitudines, iræ, rixæ & huiuſmodi. Hierem. IV. 3. „ Nolite ſerere ſuper ſpinas. “ Prov. XXIV. 30. „ Per agrum hominis pigri tranſivi: “ & ſequitur: „ & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ. “ *Et creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea*.

Sed poſſet aliquis dicere: Stultitia fuit ſeminantis. Poteſt dici, quod ſi fieret ſermo de terra ſenſibili, verum eſſet; ſed fit mentio de ſpirituali, ideo non valet, quia ad diverſas materias retorquetur.

Poſitis impedimentis, agitur de ſeminis fructu: *Alia ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum*. Terra quæ non ſecus viam, quæ non petroſa, quæ non ſpinoſa, eſt terra bona, ſcilicet cor bonum; & ſi ibi ſeminatur, fructum affert. Pſal. LXXXIV. 13. „ Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. “ Sed quem? *Aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum*. Quidam retorquent iſtud ad præmium quod eſt in cælo: quia quidam habent centeſimum, &c. Sap. III. 15. „ Bonorum labiorum (*i*) glorioſus eſt fructus. “ Alii retorquent fructum trigeſimum ad fidem Trinitatis, ſexageſimum ad fructum boni operis, centeſimum ad contemplationem cæleſtium. Sed hoc non poteſt eſſe, quia auditor eſt qui facit fructum. Item præmium recipitur. Unde oportet retorqueri ad perfectionem iuſtitiæ. Fructus igitur eſt proprie ultimum quod expectatur in arbore: (*k*) ſic fructus iuſtitiæ qui habetur ex prę-

(a) *Al.* vianti. (b) *Al.* Et quare multum gaudet diabolus quando poteſt auferre, & conculcare ſemen iſtud? (c) *Al.* Quare non reſpicis. (d) *Al.* intus. (e) *Al.* deeſt non. (f) *Al.* germinabit. (g) *Al.* habebant. (h) *Al.* ſicut. (i) *Al.* bonus. (k) *Al.* ſicut.

dicatione. Et hæc eſt centeſima &c. quia triplex eſt perſectio, minor, maior, & media; ita quod centeſima martyrum, ſexageſima virginum, trigeſima eſt coniugatorum. Et quare? Quia &c. Sed perfectio virginum ſexageſima, quia tunc (*a*) debent vacare a malitia; (*b*) ideo hæc perſectio eſt virginum, & quieſcentium, qui ſeparati ſunt a mundo. Per trigeſimum perfectio militantium in hac vita, quia tales apti ſunt ad bellum. Alii aſſignant per computationem in manu &c. ut in Gloſſa habetur. Aliter poteſtis ſecundum numerum numerorum. Semen enim fructificat in perfectione. Videatis ergo quod ſemen eſt mandatum Dei: trigeſimus numerus ex trinario componitur; ſexageſimus ex ſex, & decem; centeſimus ex ductu denarii in ſeipſum. Ternarius eſt numerus completus, & habet communem perfectionem: ſenarius ſimiliter eſt numerus perſectus, quia nihil deeſt ei, habet enim perfectionem integritatis. Denarius eſt numerus perfectus, quia eſt primus limes numerorum: unde habet perſectionem finis. Sic triplex eſt perfectio. Communis iuſtitia; & ſic eſt perfectio trinarii, quæ habetur per tricenarium numerum: ſed cum plus habet ultra communem, tunc dicitur facere ſexageſimum fructum: ſed quando perfectus eſt, & iam prægustat ſuavitatem, tunc pervenit ad centeſimum fructum. Vel aliter ſecundum Auguſtinum, ſecundum quod tripliciter homines ſe habent ad tentationes. Quidam enim graviter tentantur, ſed reſiſtunt fortiter; & hi habent fructum trigeſimum: alii parum tentantur, ſed ſurgunt; & hi habent ſexageſimnm: centeſimum vero habent qui iam in quieta pace manent. Et quia hoc parabolice dictum eſt, ideo ſubdit: *Qui habet aures audiendi*, ſcilicet cordis, interius *audiat* per intellectum. *Et accedentes diſcipuli &c.* Supra poſita eſt parabola; hic aſſignatur ratio: & circa hoc ponuntur duo hic. Primo ponitur interrogatio diſcipulorum; ſecundo reſponſio, ibi, *Qui reſpondens &c.* Dicit ergo: *Accedentes diſcipuli dixerunt ei.*

Incidit quæſtio litteralis: quoniam ipſe erat in navicula, quomodo ergo acceſſerunt ad eum? Sciendum, quod ipſi erant in navicula cum Chriſto. Acceſſerunt autem per ſolicitudinem mentis, vel etiam corporaliter: quia cum parum diſtarent ab eo, venerunt magis prope: vel cum eſſent extra, venerunt ad eum. Sic nos, ſi velimus accedere ad eum, illuminabimur. Pſal. XXXIII. 6. „ Accedite ad eum, & illuminamini. “ Et duo attenduntur. Primo datur exemplum non importune interrogandi: unde dum doceret turbas, non interrogaverunt eum. Eccle. III. 7. „ Tempus tacendi, & tempus „ loquendi. “ *Quare in parabolis loqueris eis?* Item hic conſiderandum eſt, quod debet ſemper fieri quod de ſalute hominum eſt: unde ſequitur reſponſio: *Qui reſpondens ait illis.* Et primo ponitur Dei ordinatio; ſecundo quædam ratio aſſignatur. Dicit: Ideo dico quod in parabolis loquor, quia *vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum, illis autem non eſt datum*: in quibus verbis tria ponuntur. Primo quod quidam ſunt intelligentes, quidam non: & non eſt attribuendum alicui, ſed Deo ordinanti: ideo datum eſt vobis, aliis non. Et ideo eſt divina ordinatio. Item magnæ utilitatis eſt, quia eſt quædam notificatio beatitudinis: unde magna eſt utilitas inquantum dat vobis cognitionem de myſteriis divinis. Hier. IX. 12. „ Quis eſt „ vir ſapiens qui intelligat hoc, (*c*) & ad „ quem verbum oris Domini fiat, ut an- „ nuntiet illud? “ Item eſt ſignum divini amoris. Ioan. XV. 15. „ Vos autem dixi a- „ micos, quia omnia quæcumque audivi a „ Patre meo, nota feci vobis. “ Item hoc fit ex dono, non ex merito. Philip. I. 29. „ Quia vobis datum eſt pro Chriſto non ſo- „ lum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro „ illo patiamini. “ Et hoc eſt *myſterium regni cælorum*, Dei, & hoc a Deo. I. ad Corint. IV. 7. „ Quid autem (*d*) habes quod „ non accepiſti? “ *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit.* Aliquid enim eſt quod habet homo cui datur. Et quid eſt illud? Dicendum, quod quatuor ſunt præparatoria ad hoc quod detur aliquid. Primum eſt deſiderium. Unde ſi vis habere ſcientiam, præoccupat deſiderium, ut habetur Sap. VI. 21. „ Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad re- „ gnum perpetuum. “ (*e*) Et ſupra VII. 7. *Petite, & accipietis.* Unde *qui habet*, deſiderium, *dabitur ei, & abundabit*: quia „ ipſe „ eſt qui dat abundanter omnibus, & non „ improperat: “ Iac. I. 5. *Qui autem non habet*, & ſi aliquam videatur habere aptitudinem ad ſapientiam, vel iuſtitiam, & ſit tepidus, id quod videtur habere, & non habet, *auferetur ab eo*. Unde Chryſoſtomus: „ Si vides tepidum, debes admonere quod „ deſiſtat; & ſi non vult, dimitte eum. “ Apoc. III. 16. „ Utinam calidus eſſes, aut „ frigidus: ſed quia tepidus es, & nec frigi- „ dus, nec calidus, incipiam te evomere ex

„ ore

(a) *Al.* debebant. (b) *Al.* ideo perfectio virginum &c. (c) *Al.* eſt. (d) *Al.* Ut. (e) *Al.* Sed & ad verbum.

Digitized by Google

„ ore meo. “ Secundum quod requiritur eſt ſtudium: & hæc eſt expoſitio Remigii. Unde qui habet bonum ingenium, & non ſtudet, non proficiet: unde qui habet ſtudium, illi dabitur ſapientia, & abundabit. Prov. II. 4. „ Si quæſieris eam quaſi pecuniam, „ & ſicut theſauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam „ Dei invenies. “ *Qui autem non habet*, ſtudium, quod videtur habere, ſcilicet ingenium naturale, non proficiet, ſed *auferetur ab eo*. (*a*) Tertium quod requiritur eſt caritas, quia caritas omnium virtutum radix eſt, & omnium bonorum operum. Apoſtolus ad Eph. III. 17. „ In caritate radicati, „ & fundati. “ Unde ſi habes, ſcilicet caritatem, prorumpes in omne opus bonum. Apoſtolus I. Cor. XIII. 4. „ Caritas patiens „ eſt, benigna eſt. “ Unde ſi non habes, totum ſiccatur. Unde quodcumque bonum habet homo ſine caritate, nihil eſt: quia „ qui „ non diligit, manet in morte: “ Ioan. III. 14. Quartum quod requiritur, eſt fides, quia qui fidem non habent, alia bona parum valent. Sap. I. 2. „ Apparet autem eis qui fi„ dem habent in illum. “ Et Rom. X. 10. „ Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem „ confeſſio fit ad ſalutem. “ Et qui non habet iuſtitiam fidei, id quod videtur habere, ſive naturale, ſive morale, auferetur ab eo. Apoſtolus ad Rom. XIV. 23. „ Omne „ quod non eſt ex fide, peccatum eſt. “ Dico ergo quod datum eſt vobis, quia vos habetis fidem, illis autem non eſt datum.

Sed hic cavendum eſt de quodam errore, quia videtur quod ex ſtudio, & bonis naturalibus poſſemus acquirere gloriam æternam. Sed Paulus dicit (I. Corin. IV. 7.) „ Quid „ habes quod non accepiſti? “ Unde & deſiderium, & ſtudium, & caritas, & fides, omnia hæc ſunt a Deo.

Ideo in parabolis loquor eis &c. Hic adaptat ad propoſitum, & duo facit. Primo applicat quantum ad Iudæos; ſecundo quo ad Apoſtolos, ibi, *Veſtri autem beati oculi &c.* Et primo duo facit. Primo adaptat, ne ex odio videretur dicere; ſecundo inducit auctoritatem, ibi, (*b*) *Et adimpletur in eis prophetia Eſaia*. Notate, quod monens ad ſalutem, manifeſtat doctrinam ſuis actibus. Unde Act. I. 1. „ Cœpit Ieſus facere, & „ docere. “ Et Ioan. XV. 24. „ Si opera non „ feciſſem quæ nullus alius fecit, peccatum „ non haberent. “ Item (ibid. 22.) „ Si lo„ cutus non fuiſſem eis, peccatum non ha„ berent. “ Unde ante ſine parabolis locutus eſt eis, ſed modo poſt operationem miraculorum, *in parabolis loquor eis, quia videntes non vident*. Vident miracula, non vident effectum. Vel ſic. *Videntes*, ſcilicet exterius, *non vident*, interius. Eſa. XLIII. 8. „ Educ foras populum cæcum, & oculos „ habentem; ſurdum, & aures ei ſunt &c. “ *Et audientes non audiunt, nec intelligunt*. Audiunt verba quibus excitari deberent ad bonum; tamen non audiunt, id eſt non habent effectum. Ezech. II. 7. „ Si forte au„ diant, & quieſcant. “ Et ibid. XXXIII. 31. (*c*) „ In canticum oris ſui vertunt illos. “ Et quid eſt quod non vident? Quia non intelligunt. Pſal. LXXXI. 5. „ Neſcierunt, neque „ intellexerunt: in tenebris ambulant. “ Conſequenter inducitur auctoritas Eſaiæ prophetæ: *Et adimpletur in eis profetia Eſaia dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis &c.* quod ſcribitur. Eſa. VI. 9. ſed ibi dicitur (*d*) imperative, hic prænuntiative. Ibi: „ Audite audientes, & nolite intelli„ gere; & videte viſionem, & nolite co„ gnoſcere. “ Et tanguntur tria. Primo Iudæorum duritia; ſecundo cauſa; tertio illius cauſæ effectus. Secunda ibi, *Incraſſatum eſt enim cor populi huius*; tertia ibi, *Ne quando videant &c.* Et quia duo dixerat, ſcilicet de auditu, & de viſu; ideo duo dicit: *Audietis*, auditu ſcilicet exteriori audietis doctrinam Chriſti, *& non intelligetis*, myſteria. Pſal. XXXV. 4. „ Noluit intelligere ut bene „ ageret. “ Oſeæ IV. 5. „ Quia tu ſcien„ tiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdo„ tio fungaris mihi. “ *Et videntes videbitis, & non videbitis*. Videbitis carnem Chriſti viſu exteriori, & non conſiderabitis virtutem eius. „ Palpavimus ſicut cæci parietem, „ & quaſi abſque oculis attrectavimus &c. “ Eſai. LIX. 10. Sequitur ratio: (*e*) *Incraſſatum eſt enim cor populi huius &c.* Quia enim de auditu fecerat mentionem, & intelligere proprie eſt mentis; (*f*) ideo *cor populi huius*, ideſt mens, *incraſſatum eſt*, ideſt excæcatum. Quare? Quia ſicut ad viſionem corporalem puritas requiritur, ſic ad ſpiritualem. Unde intellectus dicitur vis ſuperior, quoniam maxime ſpiritualis. Incraſſatur intellectus quando applicatur groſſis, & terrenis, ſed quando abſtrahitur, ſubtiliatur; ſicut in Apoſtolis. II. ad Corin. IV. 18. „ Non „ contemplantibus nobis quæ videntur, ſed „ quæ non videntur. “ Unde iſti non conſiderabant niſi terrena. “ Animalis homo „ non percipit (*g*) quæ ſunt ſpiritus Dei: “ Apoſtolus I. ad Corin. II. Deut. XXXII. 15.

„ In-

(a) *Al.* Tertium eſt quod requiritur caritas. (b) Al. *Ut impleretur &c.* (c) *Al.* In canticis. (d) *Al.* interrogative. (e) Al. *Et incraſſatum &c.* (f) *Al.* unde. (g) *Al.* quæ Dei ſunt.

„ Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit a Deo ſalutari ſuo.“ Item ſciendum quod quando homo audit quæ non placent, non poteſt de facili intelligere: ergo iſti male intelligebant, quia eis non placebant verba ſua. Ideo dicitur: *Et auribus graviter audierunt*. Ioan. VI. 6. „ Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt hunc audire?“ *Et oculos ſuos clauſerunt &c.* Contingit qnod aliquis habet oculos, & non videt, quia claudit oculos: unde ipſe ſibi facit impedimentum. Aliqua vero ſunt ita occulta, ut niſi multum infigat intuitum, non poteſt videre; ſed ſi res ſit in medio, ſicut paries, non poteſt homo non videre niſi claudat oculos. Ideo ſi Dominus non feciſſet miracnla aperta, non eſſet mirum ſi non crederent; ſed (*a*) apertiſſima fecit: ideo ipſi cognoſcerent, niſi clauderent oculos. Dan. XIII. 9. „ Declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cælum &c.“

Unde notandum, quod in iſta obduratione cauſa per ſe eſt homo, Deus vero non indurat niſi in non impartiendo gratiam. Deus ergo indurat, quia non dat gratiam; ſed homo, quia imponit ſibi impedimentum lumini: ideo iſtis imputatur quod oculos clauſerunt.

Ne quando videant oculis. Hic ponitur damnum quod conſequnntur: unde poteſt intelligi dupliciter. Ita quod ly *ne quando* referatur ad totum ſequens, ut ſit ſenſus: Ita clauſerunt oculos, ne quando &c. & hoc modo intelligitur quod ſit ex eorum malitia: quidam enim peccant ex infirmitate, quidam ex induſtria, ſive ex certa malitia: unde iſti hoc attendentes clauſerunt ocnlos ne intelligant, unde tacita eſt eorum malitia. *Ne convertantur, & ſanem eos*, ſcilicet ſi convertantur. Hierem. III. 14. „ Convertimini filii revertentes &c.“ Et hæc expoſitio eſt Chryſoſtomi. Et ponuntur tria: *ne videant*, *ne audiant*, *ne corde intelligant*; & reſpondent tribus ſupradictis. Auguſtinus aliter exponit, dicens: *Ne quando videant*, cum modo non videant oculis, *& auribus audiant*, *& corde intelligant*, *& convertantur*, *& ſanem eos*. Unde dicit Auguſtinus, quod poſſent hæc verba habere duplicem ſenſum. Quia aliquando ponitur *ne quando* pro eo quod eſt ut poſſit accidere, ut habetur II. ad Tim. II. 25. „ Nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem.“ Aliquando vero ponitur pro eo quod eſt ne poſſit contingere, id eſt hoc contingeret, niſi argueremus &c.

Et quid eſt ergo quod dicit, *Incraſſatum eſt*? Solvit Auguſtinus, quod aliquando contingit quod homo ſuperbus eſt, & videtur ei quod ſit valde bonus; & permittit Dominus cadere in alia peccata, ut ſanet eum a ſuperbia ſua. Tales ſunt præſumptuoſi, de quibus Rom. X. 3. „ Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.“ Quia igitur iſti ſuperbi erant, ideo permiſi ut excæcarentur, ut videant, & audiant, & ſanem eos. Et hæc expoſitio habetur ex littera Marc. IV. Sed littera Ioan. XII. 40. contradicit, quia ibi dicit: (*b*) „ Propterea non poterant credere, quia Eſaias dixit: Excecæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.“ Non ergo ſunt excæcati ut crederent, ſed ut non crederent.

Sed, ſecundum Auguſtinum, hic eſt quæſtio gravis: qnia ſi excæcati ſunt, ut non credant: ergo non debet eis imputari. Solvit Auguſtinus. Poſſumus dicere, quod hoc quod excæcati ſunt, ex præcedentibus peccatis meruerunt. Rom. I. 21. „ Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.“ Et ſequitur poſt: „ Propter quod Deus tradidit eos &c.“ Ideo propter peccata induravit, & aures aggravavit, non indurando, ſed non impartiendo propter peccata eorum. Et poſſumus aliter dicere, ſecundum Auguſtinum. *Incraſſatum eſt cor populi huius*, ut non videant, & convertantur, ſcilicet ſtatim, ſed permanentes crucifigant Chriſtum, & poſt videntes miracula convertantur. Et dicit Auguſtinus, quod videtur hæc ſententia extorta, ſi non videmus ita accidiſſe de facto. Aliqui enim non reducuntur ad humilitatem niſi in grave peccatum cadant: ſic Dominus iſtis fecit.

Veſtri autem beati oculi, qui vident, & aures veſtræ quæ audiunt &c. Supra oſtendit Dominus miſeriam Iudæorum, qui videntes non videbant; hic oſtendit beatitudinem Apoſtolorum, qui videbant, & audiebant. Et primo oſtendit beatitudinem; ſecundo ſignum oſtendit, ibi, *Amen quippe dico vobis &c.* Dicit ergo, quod videntes non vident, ſed *veſtri oculi ſunt beati*. Sed ſi iſtud referatur ad oculos exteriores, & aures, ita beatificantur oculi Iudæorum ſicut Apoſtolorum. Ideo dicit Hieronymus, quod

(a) *Al.* apertiſſime. (b) *Al.* „ Propterea non poterant credere, quia Eſaias dicit &c.“

Digitized by Google

quod oportet intelligere duplices oculos, ſcilicet exteriores, quibus communiter omnes viderunt; & de his non loquitur : vel interiores quibus Apoſtoli ſoli viderunt. Ad Eph. v. 17. „ Det vobis ſpiritum ſapientiæ, „ & revelationis in agnitione eius illuminatos „ oculos cordis.“ Unde ſimiliter & ſunt aures quædam exteriores, quædam interiores, de quibus ſupra: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Eſai. l. 5. „ Dominus mihi aperuit au- „ rem; ego autem non contradico, retror- „ ſum non abii. “ Beatitudinem tribuit in videndo: quia hæc beatitudo in via non conſiſtit niſi in participatione beatitudinis æternæ quæ conſiſtit in viſione: in viſione enim Dei eſt gloria hominis. Hierem. ix. 23. „ Non „ glorietur ſapiens in ſapientia ſua:“ & ſequitur : „ ſed glorietur qui gloriatur, ſci- „ re, & noſſe me. “ Deinde ponit ſignum. *Amen quippe dico vobis &c.* Dicit Auguſtinus: „ Beatus eſt qui habet omnia quæ vult. “ Unde beati quibus ſunt data omnia quæ antiqui voluerunt, ſcilicet prophetæ, & iuſti. Quilibet enim iuſtus rex eſt : unde habetur Prov. xx. 8. „ Rex qui ſedet in ſo- „ lio, diſſipat omne malum. “ Et hoc eſt ideo quia *cupierunt videre quæ videtis*. Si ergo illi deſideraverunt, & non habuerunt, & vos habetis: ergo iam quamdam participationem beatitudinis percipitis.

Sed quid eſt quod dicit, *Et non viderunt*? Nonne habetur Ioan. VIII. 56. „ Abraham „ deſideravit videre diem meum; vidit, & „ gaviſus eſt? “ Item Eſai. VI. 1. „ Vidi Domi- „ num ſedentem ſuper ſolium excelſum, & „ elevatum. “ Et idem de paſſione : unde cap. LIII. 2. „ Vidimus eum, & non erat „ aſpectus. “

Una ſolutio eſt quod aliqui viderunt, aliqui non. Sed, ut dicit Hieronymus, periculoſum eſt hoc dicere. Vel aliter, quod viderunt, ſed non ita manifeſte. Ad Epheſ. III. 5. „ Quod aliis generationibus non eſt „ agnitum filiis hominum, ſicut nunc reve- „ latum eſt ſanctis Apoſtolis. “ Vel aliter, quod totum referatur ad viſionem, & auditum præſentiæ corporalis : quia videre in carne deſiderabile fuit iuſtis. Exemplum habetur in Simeone, Luc. II. 10. Unde veſtri oculi ſunt beati, qui vident &c.

Et nonne Iudæi viderunt? Dico, quod de ipſis dicitur quod non vident, quia ſolum exterius vident.

Sed contrarium habetur in Ioan. xx. 29. ubi dicitur : „ Beati qui non viderunt, & „ crediderunt. “ Dicendum, quod eſt beatitudo rei, quæ habetur per participationem; & beatitudo ſpei, quæ habetur in merendo. Unde beati qui non viderunt beatitudine ſpei, ſive meriti; & beati qui vident beatitudine rei, ſive participationis : unde de Abraham dicitur, Ioan. VIII. 36. „ Exultavit ut videret diem meum; vidit, „ & gaviſus eſt. “

Vos autem audite parabolam ſeminantis &c. Hic ponitur expoſitio. Et primo concludit quod ipſi erant digni; ſecundo exponit. Dicit ergo : *Vos ergo audite &c.* quia ſcilicet eſtis digni vos audire, & non ſolum audire, ſed per me audire. Prover. I. 5. „ Au- „ diens ſapiens ſapientior erit. “ *Omnis qui audit verbum regni &c.* Hic exponit; & quia fecerat mentionem de duplici terra, ideo primo exponit quod dixerat de terra mala; ſecundo de terra bona, ibi, *Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt &c.* Item in terra mala poſuerat tres differentias : quia quædam ſecus viam, quædam in petroſa, quædam in ſpinoſa. Et hoc exponit.

Et ad huius intellectum debetis ſcire, quod audire verbum Dei debet habere effectum unum, ut infigatur in corde: unde: „ Bea- „ tus qui in lege Domini meditatur die ac „ nocte:“ Pſal. I. 2. Alibi Pſal. CXVIII. 11. „ In „ corde meo abſcondi eloquia tua, ut non „ peccem tibi. “ Item alius effectus eſt ut perducatur in opus. In quibuſdam enim impeditur primus; in quibuſdam ſecundus. (*a*) De primo ponitur : & ſciendum quod littera habet interpoſitionem, & debet ſic intelligi. *Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius.* (*b*) Et hic eſt qui eſt ſecus viam. Et quare non intelligit? Quia venit malus homo &c. unde: *Omnis qui audit verbum regni*, ideſt Chriſti prædicantis regnum cælorum : quia Chriſtus ſolum regnum Dei prædicavit: Moyſes enim terrenum regnum prædicavit. Unde Petrus, Ioan. VI. 69. „ Do- „ mine ad quem ibimus? Verba vitæ æter- „ næ habes. “ Aliqui, ſicut infideles, non audiunt. Eſai. LXV. 12. „ Locutus ſum, & „ non audiviſtis &c. “ Aliqui ſunt qui audiunt. „ Beati qui audiunt verba Dei, “ Luc. XI. 28. *Sed non intelligit*. Gloſſa : „ Quia au- „ dit non ex affectu: unde non recondit in „ corde. “ Pſal. XXXV. 4. „ Noluit intellige- „ re ut bene ageret. “ Et quid erit de iſto? Capitur a furibus, quia detinetur mens a cogitationibus, & ita rapitur; & hoc eſt quod dicit : *Venit malus*, ſcilicet diabolus, quia malus non natura, ſed perverſitate, *&*

rapit,

(a) *Al.* De primo primo ponitur. (b) *Al.* Et hoc eſt.

rapit, ſcilicet occulte, ſeducendo, & inducendo vanam cogitationem, *quod ſeminatum eſt in corde eius*, ſcilicet ſemen: (*a*) *hic eſt qui ſeminatus eſt ſecus viam*. Seminatus, aliquando nominat quod ſeminatur, aliquando agrum qui ſeminatur: unde cum dicit, *Quod ſeminatum eſt*, intelligitur ſemen; cum vero dicitur, *Qui ſeminatus eſt*, intelligitur ager. Homo enim dicitur ager, de quo agro habetur Prover. xxiv. 27. „ Diligenter exer„ ce agrum tuum &c. “ Et quomodo ſecus viam? Quoniam non cuſtoditur; contra illud Prover. iv. 23. „ Omni cuſtodia ſerva cor tuum, „ quoniam ex ipſo vita procedit. “ Sic homo dicitur ſeminatus ſecus viam, qui (*b*) verbum recipit, ſed non cuſtodit. Secundus effectus eſt producere in opus: unde Iac. i. 22. „ Eſtote factores verbi, & non audito„ res tantum. “ Effectus autem iſte impeditur per proſpera, & adverſa. De eo qui impeditur per adverſa dicit: *Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt &c.* Primo ergo ponit principium boni; ſecundo occaſionem mali, ibi, *Non habent autem in ſe radicem*; tertio malum, ibi, *Facta autem tribulatione &c.* Petra eſt malum cor, in quod non poteſt penetrare verbum, ſicut in terra petroſa, & ubi eſt parum de terra; ſic aliqui non exponunt cor ſuum penetrabile. Tunc enim dicitur penetrabile, quando nihil præponit verbo, ita quod verbum habeat ut radicem principalem. Unde Ezech. xi. 19. „ Auferam a vobis cor lapideum &c. “ *Hic verbum audit, & continuo cum gaudio ſuſcipit illud*; ideo delectatur de iuſtitia, & pronus fit ad bonum. Ad Galat. iii. 5. „ Qui tribuit vobis Spiritum ſanctum, operatur in „ vobis virtutes. “ Et ſic delectatur; ſed non poteſt figi, quia *radicem non habet*, quia in lapide ſeminatur. Radix autem caritas eſt. Ad Epheſ. iii. 17. „ In caritate „ radicati, & fundati &c. “ *Sed temporalis eſt*, & ad tempus gaudet. Eccli. vi. 10. „ Eſt „ amicus ſocius menſæ, & non permanebit „ in die neceſſitatis. “ Hæc eſt ergo occaſio, quia non habet radicem. Et quomodo eſt? (*c*) Quia male figitur. Unde dicit: *Facta tribulatione, & perſecutione propter verbum &c.* ut quando occurrunt adverſantes contra fidem, & tribulationes per interiores, vel exteriores adverſitates, propter doctrinam verbi, vel propter fidem, *continuo ſcandalizantur*: quia a fide reſiliunt. Pſal. cxviii. 165. „ Pax multa diligentibus le„ gem tuam, & non eſt illis ſcandalum. “ Ille qui perſeverat, eſt amicus. Et dicit, *Continuo*: quia etſi caritatem habeant, ex multa tribulatione poſſent ſcandalizari. Sed quando continuo ex parva tribulatione quis ſcandalizatur, non eſt radicatus in caritate. Unde I. ad Cor. x. 13. „ Fidelis Deus, „ qui non permittit hominem tentari ultra „ quam poſſit; ſed faciet etiam cum tenta„ tione proventum. “ Et ad Heb. xii. 4. „ Nondum enim reſtitiſtis uſque ad ſangui„ nem. “ Et ſecundum Hieronymum, *Continuo*, quia diſtanter inter iſtum & illum. *Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis &c.* Hic ponitur impedimentum bene fructificandi; quod aliquando fit ex proſperitatibus, & aliquando ex adverſitatibus; unde dicit: *Qui autem in ſpinis ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum Dei.* Iſtæ ſpinæ ſunt ſolicitudines huius ſæculi: ſicut enim ſpinæ pungunt, & non ſinunt hominem quieſcere, ſic nec iſtæ ſolicitudines. Ideo nolite ſeri ſuper ſpinas. *Solicitudo huius ſæculi, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum. Solicitudo*, quo ad futura, *fallacia divitiarum*, quo ad preſentia: unde cum abundant divitiæ, fallaces ſunt. I. ad Tim. vi. 17. „ Divitibus huius ſæ„ culi præcipe non ſublime ſapere, neque „ ſperare in incerto divitiarum. “ Item cum deſiderantur, fallunt quantum ad ſatietatem, quia non ſatiant. Item ſolicitant. Ideo Dominus Apoſtolis ſuis prohibet: *Nolite ſoliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis*: ſupra vi. 31. *Suffocat verbum*. Superius dixit, *Aruit*, hic, *Suffocat*. Scitis enim quod candela poteſt extingui vel propter defectum humoris, & tunc areſcit; aliquando propter ſuperfluitatem, & tunc ſuffocatur; ſic (*d*) & vita naturalis, quæ fundatur in calido, & humido, poteſt deficere propter abundantiam humoris, vel propter defectum. Similiter tribulationes aliquando ſubtrahunt humores conſolationis præſentis; & tunc redditur inſtabile, & areſcit: aliquando accreſcunt; & tunc ſoffocatur, ideo ſemen eſt ſine fructu: unde dicit: *Et ſine fructu efficitur.* Ad Rom. vi. 21. „ Quem ergo fructum habui„ ſtis in illis in quibus nunc erubeſcitis? “ Et ſequitur: „ Servi autem facti Deo, habe„ tis fructum veſtrum (*e*) in ſanctificationem. “ Ad Eph. v. 9. „ Fructus enim lucis in omni bo„ nitate, & iuſtitia, & veritate. “ *Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt &c.* Expoſita triplici differentia ad malum, ſubiungit ad bona, quam diſtinguit per tres effectus: quia primo *audit*; item plus *& intelligit*; item *fructum*

(a) Al. *Hoc eſt quod ſeminatum eſt*. (b) Al. eorum recipit. (c) Al. Male finiunt. (d) Al. de vita naturali. (e) Al. in ſanctificatione.

Digitized by Google

ctum affert, & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud vero trigeſimum. Exponatur ſicut ſupra.

Sciendum tamen, quod Auguſtinus Lib. II. cap. XXIII. de Civit. Dei ponit expoſitionem quorumdam qui volebant ſic interpretari, quia in die, cum Dominus veniet ad iudicium, multi ſancti orabunt pro multis, & ſecundum quod erunt meliores, plures eis dabuntur. Unde quibuſdam dabuntur triginta, quibuſdam ſexaginta, quibuſdam centum. Sed hoc eſt contra fidem, quia peccata mortalia non dimittentur, quia ſine caritate non poſſunt dimitti: unde mortalia contraria ſunt caritati, venialia non: ideo &c.

(b) Supra poſuit parabolam in qua oſtendebatur impedimentum evangelicæ doctrinæ ab extrinſeco; hic ponitur alia parabola, in qua ponitur impedimentum de audienda doctrina, quod eſt ab intrinſeco: quia in hac ad nos trahuntur ea de quibus ingenia ſolent ſolicitari. Primo ergo docet de origine boni, & mali; ſecundo de proceſſu; tertio de fine. Secundum ibi, *Cum autem creviſſent &c.* tertium ibi, *Et in tempore meſſis dicam meſſoribus &c.* Circa primum notantur duo. Primo de origine boni; ſecundo mali, ibi, *Cum autem dormirent homines &c.* Dicit ergo: *Aliam parabolam propoſuit illis*. Et quibus eis? Dico non Apoſtolis tantum, ſed etiam turbis. Unde cum primam in navi expoſuiſſet Apoſtolis, convertit ſe ad turbas. *Aliam*, non alteram: quia non ſolum propo.uit duas parabolas, ſed plures. Alterum vero unum de duobus dicitur. Plures autem poſuit, ut pluribus diſpoſitionibus ſubveniret. Quidam enim afficiuntur in uno, quidam in alio. *Simile factum eſt regnum cælorum homini qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo*. In regno continetur Rex, & hi qui reguntur. Et iſti ſunt homines cæleſtes, qui facti ſunt æquales Angelis. Pſal. 90. 11. „ Angelis ſuis mandavit „ de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis." *Homini qui ſeminavit bonum ſemen*. Tres parabolæ ponuntur conſequenter de ſemine. Prima de ſemine ſeminato; ſecunda de ſemine inſpirato; tertia de ſemine multiplicato. Secundum intentionem litteræ, aliter quam ſupra accipitur ſemen. Seminatur enim ſemen quod ſeminatur in homine, & hoc eſt verbum Dei, ſicut habetur Luc. XXII. Hic autem accipitur ipſe homo, in quo ſeminatur. Et hoc patet, quia infra dicit quod ſemen iſtud ſunt filii regni: unde non eſt alia facienda (a) expoſitio ab ea quam Dominus fecit. Et dicitur ſemen, quia ſicut ſemen eſt principium propagationis, ſic homines boni fundamentum totius fidei: unde ex Apoſtolis tota Eccleſia pullulavit. Unde Eſa. I. 9. „ Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, qua- „ ſi Sodoma fuiſſemus. " Et iſtud fuit bonum ſemen, de quo Eſa. VI. 13. „ Semen „ ſanctum erit id quod ſteterit in ea. " Iſtud ſeminavit Chriſtus: & ubi? *In agro ſuo*, ideſt in mundo: mundus enim dicitur ager, in quo ſunt boni, ac mali, quem Dominus per creationem edidit: unde Ioan. I. 10. „ Mundus per ipſum factus eſt. " Et in Pſal. XLIX. 11. (*b*) „ Pulchritudo agri mecum „ eſt. " *Cum autem dormirent homines &c.* Habito de origine boni, hic agit de origine mali: & primo ponitur occaſio malitiæ illatæ; ſecundo ordo. Et primo ponitur occaſio duplex. Una eſt ex parte cuſtodum; ſecunda ex parte ſeminantis. Ex parte cuſtodum dicit: *Cum autem dormirent homines &c.* ideſt, præpoſiti humani generis, qui poſiti ſunt ad cuſtodiendum, *dormirent*, ſcilicet per dormitionem mortis. Sancti ſcilicet Apoſtoli qui noverunt quod hæretici in Eccleſia miſcuerunt ſe tritico: unde Paulus: (Act. XX. 29.) „ Scio quod poſt deceſſum „ meum intrabunt lupi rapaces in vos, non „ parcentes gregi. " Deinde ponitur alia occaſio: unde dicit, *Venit inimicus &c.* id eſt diabolus. Pſal. LXXIII. 23. „ Superbia eorum „ qui te oderunt, aſcendit ſemper: " eorum qui te oderunt, ideſt dæmonum. Hæc autem inimicitia eſt ſecundum perverſitatem voluntatis.

Sed eſt quæſtio. Eſt ne hoc verum quod aliqua res odiat Deum? Dicendum, quod amor non eſt niſi rei cognitæ. Dupliciter autem poteſt cognoſci Deus: in ſe, vel in ſuis effectibus. In ſe impoſſibile eſt quin ametur. Quicquid enim amatur, amatur ſub ſpecie boni. Cum ergo ſit prima bonitas, odiri non poteſt. Sed in effectibus ſuis non eſt impoſſibile. Dæmones enim inquantum ſunt, eum amant a quo ſunt. Sed aliqui effectus diſplicent eis, quod ſcilicet contra voluntatem ſuam puniantur, quod non ad voluntatem ſuam puniant homines, & ſimilia.

Sequitur de ordine: *Et ſuperſeminavit zizania*. Singula verba habent magnam ſignificationem. Videamus ergo quid eſt quod ſeminatur, & qualis eſt ordo. Quod ſeminatur eſt zizania, quæ ſimilis eſt tritico, & lolium vocatur. Quid ſignificatur per zizaniam? Filii nequam, & omnes qui iniquitatem diligunt, ſpecialiter hæretici. Tria ſunt ge-

(a) *Al.* expoſitio quam Dominus fecit. (b) *Al.* Plenitudo.

Digitized by Google

genera malorum; pravi catholici, ſchiſmatici, & hæretici. Mali catholici per paleas ſignificantur, de quibus ſupra III. 12. (*a*) *Paleas comburet igni*; ſchiſmatici per ariſtas; hæretici per zizaniam. Seminantur ergo in agro, ideſt in hoc mundo. Item zizania habet ſimilitudinem cum tritico; ſic iſti prætendunt ſpeciem boni, ut habetur I. Tim. I. 7. „ Volentes eſſe legis doctores, & non „ intelligentes neque quæ loquuntur, ne- „ que de quibus affirmant. "

Et nota, quod dicitur ſupra, *Seminavit*, & hic non: quia prius fuerunt catholici quam hæretici. Diabolus enim videns Eccleſiam dilatari, invidit, & ſeminavit corruptivum, & movit corda hæreticorum, ut magis noceret: unde „ ex nobis erant (ſe- „ cundum quod habetur in I. Canonica Ioan. „ II. 19.) ſed ex nobis non erant: quia ſi „ ex nobis fuiſſent, permanſiſſent utique „ nobiſcum. " Item dicit, *In medio tritici*. Non curat diabolus quod aliqui ſint hæretici inter gentiles, quia omnes poſſidet; ſed in medio tritici, & fidelis populi. Et hoc eſt quod dicitur Iob IV. 18. „ Et in Angelis „ ſuis reperit pravitatem. " Et Auguſtinus dicit, quod nulla ſocietas eſt ita bona quin aliquis ſit pravus: unde in ſocietate Apoſtolorum unus fuit malus, ſcilicet Iudas. Item dicit, *Et abiit*: ubi ſignatur malitia dæmonis. *Abiit*; ideſt, occultum ſe reddidit. Quando enim inſtigat, non ſemper cooperatur. Si enim ad votum omnia ſuccederent, de facili poſſet diſcerni; ideo aliquando malitiæ ſuæ cedit. Pſal. IX. 9. „ Inſidia- „ tur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca „ ſua. "

Conſeqnenter agitur de proceſſu boni, & mali. *Cum autem creviſſet herba*. Et ut intelligatis, tria conſiderantur. Primo ponitur manifeſtatio bonorum a malis; ſecundo zelus bonorum contra malos; tertio tolerantia. Dicit ergo: *Cum creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania &c.* a principio enim quando ſeminatur, non apparet, ſed cum creſcit herba. Et hoc poteſt ad utrumque referri, & ad triticum, & ad zizaniam. Auguſtinus exponit de tritico: quia cum homo parvus eſt, non poteſt diſcernere; ſed quando creſcit, & facit fructum, & fit ſpiritualis, tunc cognoſcit. I. ad Corint. II. 15. „ Spiritualis diſcer- „ nit omnia. " Chryſoſtomus exponit de zizania; quia primo nõn apparet, quia hæretici primo abſcondunt ſcientiam, quia primo aliqua bona dicunt, & prædicant laicis, & poſt inſerunt aliqua mala de clericis; quæ libenter audiuntur: & ſic avertunr populum a dilectione clericorum, & ſic per conſequens Eccleſiæ. Sed poſt cum ſuſcipiunt doctrinam, manifeſtant malitiam. Primo enim non dicunt niſi levia, ſed poſt ſe manifeſtant, & doctrinam ſuam, quæ intelligitur per vinum: de quo vino dicitur Prover. XXIII. 31. „ Ingreditur blande, re- „ tro autem mordebit ut coluber. " *Accedentes autem ſervi patrisfamilias &c.* Hic ponitur de zelo bonorum contra malos. Et primo inquirunt de origine mali; ſecundo moventur zelo ad extirpationem malorum, ibi, *Servi autem dixerunt &c.* Dicit: *Accedentes autem &c.* Primo videndum qui ſint iſti ſervi. Infra dicit de meſſoribus; ſed iſti non ſervi. ſed Angeli. Iſti ſunt homines boni. Et hoc non eſt inconveniens, cum Dominus dicatur & oſtium, & oſtiarius. *Accedentes autem ſervi*, per fidem: Pſalm. XXXIII. 6. „ Accedite ad eum, & illumina- „ mini: " *dixerunt: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo?* Nonne Apoſtoli bonam doctrinam ſeminaverunt? Ita utique. „ Vidit Dominus cuncta quæ fecerat, & „ erant valde bona: " Gen. I. 31. *Unde ergo habet zizania?* Quæſtio ſimilis habetur Hierem. II. 21. „ Ego plantavi vineam electam: „ quomodo converſa es mihi in pravum, „ vinea aliena? " Reſpondet Dominus, & *ait illis: Inimicus homo hoc fecit*. Et notate, quod hoc non ex prima origine, ſed de hoc quod in hominibus eſt a diabolo. Sapient. II. 24. „ Invidia diaboli intravit mors in orbem „ terrarum. " Homo dicitur diabolus per defectum a deitate. Pſal. IX. 20. „ Exurge „ Domine, (*b*) non confortetur homo. " Hic homo dicitur inimicus propter conſummatam malitiam. Geneſ. III. 15. „ Inimici- „ tias ponam inter te & ipſum. " *Servi autem dixerunt*. Hic dicitur quod ſervi moventur zelo ad extirpationem malorum. *Vis imus, & colligimus ea?* Dicuntur hic de ipſis duo laudabilia, quia moventur ad deſtruendum malum. I. ad Corinth. V. 13. „ Auferte „ malum ex vobis ipſis. " Item aliud laudabile, quia hoc facere nolunt proprio motu, ſed iuſſu domini. Unde Tob. IV. 20. „ Omni „ tempore benedic Deum, & omnia conſi- „ lia tua in ipſo permaneant. " *Et ait illis*. Nota, hoc eſt tertium, ſcilicet de ſuſtinentia malorum, de hoc Eccle. VIII. 11. „ Et- „ enim quia cito non profertur contra ma- „ los ſententia, filii hominum abſque timo- „ re perpetrant mala. " Et primo oſtendit pro-

(a) Al. *Paleas comburit igni*. (b) *Al.* non prævaleat.

propoſitum; ſecundo rationem aſſignat; tertio ponit terminum ſuſtinentiæ, quia ſemper non ſuſtinebit. Dicit ergo, *Non*; ideſt, non volo quod colligatis adhuc. II. Pet. ultim. 9. „ Non tardat Dominus promiſſionem „ ſuam, ſed patienter expectat. “ *Ne forte*. Hic ponit rationem.

Et prima fronte notare debetis, quod bonum eſt magnum, & victorioſum ſupra malum: quia bonum poteſt eſſe ſine malo, malum autem non ſine bono: ideo ſuſtinet Dominus multa mala, ut veniant, vel etiam ne pereant multa bona; ideo dicit: *Ne forte colligentes zizania*, ideſt malos, vel hæreticos &c. *eradicetis ſimul & triticum*.

Quatuor de cauſis contingit quare mali non debeant eradicari propter bonos. Una cauſa eſt, quia per malos exercitantur boni. I. Corinth. XI. 19. „ Oportet hæreſes eſſe, ut „ qui probati ſunt, manifeſti fiant in vo„ bis. “ Prover. XI. 29. „ Qui ſtultus eſt ſer„ viet ſapienti. “ Si non fuiſſent hæretici, non claruiſſet ſcientia ſanctorum, Auguſtini, & aliorum. Unde qui vellet malos eradicare, eradicaret & multa bona. Item contingit quod qui modo malus eſt, poſtea bonus fit, ut Paulus. Unde ſi occiſus fuiſſet Paulus, careremus doctrina tanti magiſtri; quod abſit. Ideo ſi vis eradicare, eradicabis ſimul & triticum, ſcilicet eum qui erit triticum. Pſal. LXVII. 23. „ Dixit Domi„ nus: Ex Baſan convertam, convertam in „ profundum maris. “ Tertia ratio, quia aliqui videntur mali, & non ſunt; ideo ſi velles evellere malos, ſtatim multos bonos extirpares. Et hoc apparet, quia noluit Deus quod colligerentur, donec ad perfectam maturitatem pervenirent. Unde I. ad Corinth. IV. 5. „ Nolite ante tempus iudica„ re. “ Quarta ratio eſt, quia aliquis quandoque eſt magnæ poteſtatis; ideo ſi excludatur, trahit multos ſecum, & ſic cum illo malo multi pereunt. Ideo congregatio non excommunicatur, nec princeps populi, ne cum uno multi cadant. De tali intelligitur quod dicitur in Apoc. XII. 4. quod draco traxit tertiam partem ſtellarum ſecum &c. Et Geneſ. XVIII. 25. „ Abſit a te ut hanc „ rem facias, & occidas iuſtum cum im„ pio. “ Sed numquid ſemper parcetur eis? Non, ſed uſque ad tempus: unde dicit: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem &c.* Similis ſententia habetur Apocalyp. ult. 11. „ Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſor„ dibus eſt, ſordeſcat adhuc. “

Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem. Contra iſtam ſententiam obiicitur, quia dicitur Eſa. I. 16. „ Auferte malum cogitationum ve„ ſtrarum &c. “ Item I. Corinth. V. 7. „ Ex„ purgate vetus fermentum, ut ſitis nova „ conſperſio, ſicut eſtis azimi &c. “ Quid ergo dicit, *Sinite &c.*?

Chryſoſtomus dicit, quod loquitur de occiſione. Unde hæretici non ſunt occidendi, quia inde multa mala ſequerentur. Auguſtinus in epiſtola quadam dicit, quod fuit ſibi viſum aliquando quod non deberent occidi; ſed poſt experimento didicit quod multi convertuntur per violentiam. Dominus enim quoſdam violenter trahit, ſicut traxit Paulum. Unde iſte coacte converſus plus profecit quam omnes alii qui voluntarie crediderunt. Et hanc opinionem (vel quæſtionem) tractavit Auguſtinus (*a*). Unde, ſecundum ſententiam Chryſoſtomi, ſi non poſſit ſine periculo, non debet fieri; ſed ubi maius periculum timetur. Et hoc patet inducendo in omnibus, quia etſi mali ſunt, proſunt ad exercitationem. Quia tamen magis timendum eſt ne evangelica doctrina per eos in aliis pereat, ideo &c. Item aliqui qui modo ſunt mali, fiunt poſt boni. Verum eſt quod ſtatim non debent occidi, ſed ſicut habetur ad Tit. III. 10. „ Hæreticum poſt „ primam & ſecundam monitionem devi„ ta. Ad aliud quod tertio opponitur, quia ſcilicet multi videntur mali qui ſunt boni; verum eſt, ſi fieret indiſcrete, ſicut habetur I. ad Tim. IV. Item quod dictum eſt, quod princeps populi excommunicari non debet: ſi videas quod maius ſit ſcandalum ſi excommunicetur quam in eo quod delinquit, non debet excommunicari; ſed ſi aliquid egiſſet quod eſſet ad periculum fidei, ſine dubio excommunicari debet, quodcumque inde accidat damnum.

Et in tempore meſſis dicam meſſoribus &c. Supra Dominus expoſuit parabolice originem boni, & mali, & proceſſum utriuſque; hic agitur de ſimilitudine utriuſque. Et primo ponitur tempus finis; ſecundo ponuntur miniſtri; tertio modus, & ordo: quorum unumquodque ordinatur ad finem. Tempus tangitur, cum dicitur: *In tempore meſſis &c.* Tempus meſſis eſt tempus collectionis fructus qui expectatur ex ſeminibus. Duplex eſt autem collectio: una in Eccleſia præſen-

(a) *Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium ubi num. 5. ſic ait:* „ Putas neminem debere cogi ad iuſtitiam &c. „ & Paulum ad cognoſcendam, & tenendam veritatem magna violentia Chriſti cogentis eſſe compulſum „ &c. & putas nullam vim adhibendam eſſe homini ut ab erroris pernicie liberetur, cum...... Chriſtum „ audias dicentem: Nemo venit ad me, niſi quem Pater adtraxerit. “

Digitized by Google

ti, alia in cæleſti; & ideo duplex eſt meſſis. Quædam congregationis fructuum in præſenti. De hac Ioan. IV. 35. „ Levate oculos „ veſtros, & videte regiones, quoniam al„ bæ ſunt iam ad meſſem. “ Item tempus meſſis in triumphanti Eccleſia: unde infra eodem dicitur quod meſſis eſt conſummatio ſæculi: ergo uſque ad illud tempus differtur. Qui ſunt miniſtri? Meſſores. Unde, *Dicam meſſoribus*. Meſſores primæ meſſis fuerunt Apoſtoli: ipſi enim collegerunt, & converterunt totum mundum; de quibus Ioan. IV. 38. „ Miſi vos metere quod non ſe„ minaſtis. “ In ſecunda meſſe meſſores (*a*) erunt Angeli. Apocalyp. XIV. 15. dictum eſt cuidam Angelo: „ Mitte falcem tuam, & „ mete: quia venit hora ut metatur, quo„ niam aruit meſſis terræ &c. “ Quæ enim mediante Deo fiunt, credendum quod fiant miniſterio Angelorum. Unde dicitur de Angelis, Pſal. CII. 21. „ Miniſtri eius, qui faci„ tis voluntatem eius. “ Sed videamus ordinem, & quo modo aſſequantur finem, & quem finem. Et primo de malis; ſecundo de bonis. De malis ſciendum, quod primo colliguntur; ſecundo alligantur; tertio comburuntur. In primo eſt ſeparatio malorum a bonis. Quamdiu durat tempus iſtud, mali cum bonis ſunt, zizania cum tritico, lilium inter ſpinas, ut habetur in Cant. II. 2. Infra XXV. 2. *Cum venerit Filius hominis, ſeparabit bonos a malis, hædos ab agnis*. Unde dicit: *Colligite primum zizania &c.* Modo quaſi indiſcrete accidunt bona & mala bonis & malis. Et hoc eſt quod dicitur Eccle. IX. quod hoc peſſimum eſt inter omnia quæ ſub cælo fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Sed tunc bona (*b*) reddentur bonis, & mala malis. Ne ergo involvantur, oportet quod ſeparentur, & alligentur: unde, *Et alligate ea*. In alligatione perpetuitas pœnæ ſignatur. Pſal. CXLIX. 8. „ Ad alligandos Reges eo„ rum in compedibus &c. “ Infra XXII. 13. *Ligatis manibus, & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores*: quod ſignat impœnitentiam, & irrevocationem æternæ damnationis. *In faſciculos*. Omnes erunt ſeparati a viſione Dei: pœna damni erit æqualis omnibus; ideo ponentur in faſciculos, ſicut habetur Levit. XIII. ubi docetur diſcernere inter ſanguinem & ſanguinem, inter lepram & lepram. Et Eſa. XXVII. 8. „ In menſura „ contra menſuram. “ Et ad quid? *Ad comburendum*; ideſt, igni æterno tradentur. De iſto dicitur Luc. XVI. 24. „ Quia crucior in „ hac flamma. “

Deinde cum dicitur, *Triticum autem congregate in horreum meum*, ponitur finis bonorum: & e contrario tria ponuntur, ſcilicet puritas, & unitas, & tranquillitas. Puritas, cum dicitur, *Triticum*. Sed notate, quod zizania fuit colligata, ideo non fuit excuſſa, triticum vero fuit excuſſum. Et hoc ſignificat quod mali cum ſuis inquinamentis in infernum mittentur, ſed boni penitus erunt purgati. Eſa. XXXV. 8. „ Via ſancta vocabitur; „ non tranſibit per eam pollutus. “ Item eſt inter eos unitas. Unde *congregate*. Inter malos ſemper ſunt iurgia, ideo non habent unitatem; ſed boni congregantur. Pſal. XLIX. 5. „ Congregate illi ſanctos eius, „ qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſa„ crificia &c. “ Et infra XXIV. 28. *Ubi corpus ibi congregabuntur & aquilæ*. Item erit inter eos tranquillitas: unde dicit, *In horreum meum*. Horreum fit ad conſervationem meſſis: ſic illa patria erit horreum ſanctorum, ubi erunt cum laude, & lætitia ſempiterna, ut habetur Eſa. XXXV. 10.

(c) Per duas oſtendit impedimentum evangelicæ doctrinæ. Sed quia poſſet aliquis dicere: Si ita eſt quod ita impeditur, quod quædam ſecus viam, quædam ſuper petram &c. (*c*) videtur quod non (*d*) poſſit proficere; ideo ſubdit de profectu parabolice, quod ſcilicet profecerit propter duo. Primo propter (*e*) parvitatem apparentem; ſecundo propter occultationem. Ideo duas parabolas ponit. Secunda ibi, *Aliam parabolam locutus eſt eis*. Tertio confirmat modum per auctoritatem prophetæ, ibi, *Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis*. Circa primum primo agit de ſeminatione; ſecundo de (*f*) parvitate ſeminis; tertio de magnitudine fructus. Secundum ibi, *Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus*; tertium ibi, *Quod cum creverit, maius eſt omnibus oleribus*. Dicit ergo: *Simile eſt regnum calorum grano ſinapis &c.* In regno eſt Rex, princeps, ſubditi, & etiam incarcerati: item divitiæ &c. Ideo ad hæc omnia poſſumus aſſimilare regnum. Quod ergo dicit quod *ſimile eſt regnum calorum grano ſinapis*, poteſt exponi, ſicut dicit Hieronymus, quod per granum ſynapis doctrina evangelica intelligitur. Et quare? Quia granum iſtud fervidum eſt; item venena repellit. Et hoc ſignificatur, quia doctrina evangelica per fidem facit ferveſcere. Infra XVII. 19. *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis*. Item excludit errores: unde utilis eſt

ad

(a) *Al.* erant. (b) *Al.* redduntur. (c) *Al.* & ita videtur. (d) *Al.* poſſet. (e) *Al.* pravitatem. (f) *Al.* pravitate.

ad arguendum, ut habetur II. ad Timoth. III. *Quod accipiens homo ſeminavit*. Homo iſte eſt Chriſtus, qui ſeminavit iſtud ſemen: (*a*) vel quilibet homo qni doctrinam evangelicam ſeminat. *In agro ſuo*, ideſt in corde ſuo, quando ei præbet aſſenſum. Chriſtus ſeminavit, quia fidem dedit in qua ſalvi ſumus. Epheſ. II. 8. (*b*) „ Gratia enim „ ſalvati eſtis per fidem, & non ex vobis, „ Dei enim donum eſt. “ Item quilibet qui obedit, ſeminat in agro, ideſt in corde. Prov. XXIV. 27. „ Diligenter exerce agrum tuum. “ In iſto agro ſunt diverſa ſemina, quæ ſunt diverſa dogmata. Dogmata Hieronymi, & Auguſtini magna videntur, & confirmantur magnis argumentis. Similiter doctrina legis. Sed doctrina legis evangelicæ modica apparuit, quia prædicabat Deum paſſum, crucifixum, & huiuſmodi. Et quis poſſet hoc credere? I. ad Cor. I. 18. „ Verbum crucis „ pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his au„ tem qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, virtus „ Dei eſt. “ Et ideo dicit: *Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus*: unde primo minima apparuit. Sequitur magnitudo. Et primo ponitur magnitudo; ſecundo confirmatur, ibi, *Cum autem creverit*, ideſt pullulaverit, *maius eſt omnibus oleribus*: quia doctrina evangelica magis fructificavit quam doctrina legis, quia doctrina legis non fructificavit niſi inter Iudæos. Unde dicebatur Pſal. CXLVII. 20. „ Non fecit taliter omni „ nationi, & iudicia ſua non manifeſtavit „ eis. “ Non enim fuit aliquis Philoſophus qui aliquam patriam potuerit totam convertere ad ſuam doctrinam. Si enim aliquis Philoſophus, ſicut Plato, dixiſſet, quod talis & talis veniet, non crederetur ei. Pſalm. CXVIII. 85. „ Narraverunt mihi iniqui fabu„ lationes, ſed non ut lex tua. “ Maior eſt ergo in ſoliditate, in generalitate, & in utilitate. In ſoliditate, *Et fit arbor*: quia aliæ doctrinæ ſunt olera mollia nihil firmum habentia, quia rationi humanæ ſubiecta. Sap. IX. 14. „ Cogitationes enim mortalium „ timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. “ Sed hæc eſt arbor firma. Pſalm. CXVIII. 89. „ In æternum, Domine, permanet verbum „ tuum. “ Luc. XXI. 33. „ Cælum & terra „ tranſibunt, verba autem mea non tranſ„ ibunt. “ Ideo ſicut hæc arbor ſe habet ad alias arbores, ita hæc doctrina ad alias. *Ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius*. Item præeſt in generalitate (*c*) doctrinæ: quia hæc ſcientia multos ramos habet, & exhibet homini quæ ſunt neceſſaria ad vitam. Unde ſi ſunt coniugati, habent per iſtam qualiter ſe regere debent, ſic clerici quomodo vivant, & ſic de aliis: ideo diverſa dogmata ſunt diverſi rami. Item præeſt utilitate: quia volucres habitant in ramis eius, ideſt omnes qui habent animum in cælis. Ad Philip. III. 20. „ No„ ſtra converſatio eſt in cælis. “ Iſti veniunt, & meditantur, & quieſcunt. Qui enim habitant in terra, non ſunt volucres. II. ad Corin. IV. 18. „ Non contemplantibus „ (*d*) nobis quæ videntur, ſed quæ non vi„ dentur: quæ enim videntur, temporalia „ ſunt; quæ autem non videntur, æterna „ ſunt. “ Chryſoſtomus exponit de Apoſtolis, quos comparavit grano ſinapis, quia erant (*e*) ſpiritu ferventes: & iſtud *ſeminavit homo*, ideſt Chriſtus, *in agro*, ideſt in Eccleſia, ex quo tota fructificatio accidit Eccleſiæ: & fuerunt modici, & abiecti: nulla enim ſcientia divulgata eſt per tam deiectos homines. Unde Apoſtolus I. Corin. I. 27. „ Non multi ſapientes, ſive potentes, „ non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt „ mundi elegit Deus ut confundat ſapien„ tes &c. “ *Sed cum creverit, maius eſt* effectum *omnibus*, quia Apoſtoli maiorem fecerunt fructum. Alexander convertit unam partem mundi ad ſe, Roma ſimiliter; ſed numquam tantum ſicut iſti, qui tantum fecerunt, *ut volucres cæli*, ideſt boni, *requieſcant in ramis*, ideſt in doctrinis eorum. Zach. VIII. 23. „ Apprehendent (*f*) fimbriam viri Iu„ dæi dicentes: Ibimus vobiſcum: audivi„ mus enim quoniam Deus vobiſcum eſt. “ Hilarius exponit de Chriſto, qui fuit granum ſinapis propter fervorem, quia plenus Spiritu ſancto, quod *ſeminavit* poſtea in morte, *in agro*, ideſt in populo, quod minimum fuit propter contemptum infidelium. Eſai. LIII. 2. „ Vidimus eum, & non erat ei aſpe„ ctus; & deſideravimus eum: deſpectum, & „ noviſſimum virorum, virum dolorum, & „ ſcientem infirmitatem. “ *Et maius eſt omnibus oleribus*, ideſt omnibus perfectis. (Iob XXVIII. 17.) „ Non adæquabitur ei au„ rnm. “ Et comparantur perfecti oleribus, quia olus datur infirmis. Qui infirmus eſt, olera manducet. Sed doctrina Chriſti perfectis datur; & ſic fit arbor. Et hoc ſignificatur per arborem, de qua habetur Dan. IV. *Aliam parabolam locutus eſt eis*. Hic ponitur parabola de profectu, & oſtenditur mirabilis, quia de ſemine occulto: unde dicit: *Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in fa-*

(a) *Al.* vel hoc quilibet. (b) *Al.* Quoniam enim. (c) *Al.* doctrinas. (d) *Al.* vobis. (e) *Al.* ſpiritui. (f) *Al.* zonam, & fimbriam.

rina ſatis tribus , *donec fermentatum eſt totum*.

Notate, quod non eſt inconveniens, idem aliquando in booum, aliquando in malum interpretari; ſicut petra aliquando interpretatur Chriſtus, aliquando contrarium, ut duritia. Ezech. xxxvi. 26. „ Auferam a vobis „ cor lapideum de caroe veſtra. “ Ita fermentum aliquando interpretatur io malum, inquaotum habet corruptionem. I. ad Corin. v. 7. „ Expurgate vetus fermentum &c. “ Item ibid. „ Non io fermento veteri, ne„ que in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed „ in azymis ſinceritatis, & veritatis. “ Sed ſecundum quod habet ſervorem, & virtutem dilatandi, ſic ſonat in bonum.

Quid ergo ſignificatur per illud? Significantur quatuor. Chryſoſtomus dicit, quod iſtud fermentum ſunt Apoſtoli. *Mulier*, divina ſapientia, *abſcondit*, eos, *in farina ſatis tribus*; ideſt, in tribulationibus oppreſſit. Sed primo accepit, unde Ioan. xv. 19. „ Ego vos elegi de mundo ut eatis. “ Quos miſit inter fideles, poſuit in farinæ ſatis tribus. Satus eſt menſura, & valet (*a*) modium & dimidium; ideſt, in tribus menſuris farinæ. Et quare in tribus? Ponitur finitum pro infinito, quia inter multas gentes. Vel propter tres partes mundi, quia ad omnes miſſi. Vel propter geotes, quæ a tribus filiis Noe ortæ ſunt. *Donec fermentatum eſt totum*; ideſt, donec omnes converterentur ad Deum. Pſalm. xviii. 5. „ In „ omnem tertam exivit ſonus eorum, & in „ fines orbis terræ verba eorum. “ Vel aliter, ſecundum Auguſtinum, per ſermentum fervor caritatis ſignificatur: quia ſicut fermentum dilatat, ſic caritas. Pſal. cxviii. 32. „ Viam mandatorum tuorum cucurri, cum „ dilataſti cor meum. “ *Mulier*, ratio, vel aoima, *abſcondit in tribus*, ideſt in toto corde, in tota anima, in totis viribus. Vel per tria ſata, tres ſtatus, ſcilicet prælatorum, cootemplativorum, & activorum, qui per Noe, Iob, & Daniel intelliguntur. Vel poſſunt referri ad fructum centeſimum, (*b*) ſexageſimum, & triceſimum. Hietonymus expooit de doctrina evangelica, quam *mulier*, id eſt ſapientia, *abſcondit in tribus ſatis*, quæ ſunt ſpiritus & anima, vel iraſcibilis, & concupiſcibilis, & rationalis. Vel aliter per mulierem intelligitur fides; per tria ſata, tres perſonæ in divinis. Hilarius expooit de Chriſto, qui eſt fermentum quod per providcotiam patris in mundo abſconſum eſt io lege triplici, lege naturæ, lege moſaica & lege evangelica.

Hæc omnia loquutus eſt Ieſus in parabolis &c. Poſitis diverſis parabolis ad turbas, hic confirmat, vel approbat per auctoritatem prophetæ. Et dividitur in tres: quia primo ponitur conſuetudo Chriſti circa parabolicam lectionem; ſecuodo adhibetur auctoritas; tertio pooitur præcedentium expoſitio. Secunda ibi, *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam*; tertia ibi, *Tunc dimiſſis turbis, venit in domum*. Dicit ergo: *Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas*. Quare ergo turbis loqueretur in parabolis, ratio eſt duplex: quia in turba permixti erant aliqui fideles, & aliqui infideles: item aliqui benigni, & aliqui maligni. Propter malignos & iofideles loquebatur ſic ut non intelligerent, ut ſupra dictum eſt, ut videntes noo videant. Propter fideles, ut melius capiaot, melius retineant. Et hoc habetur Marc. iv. Paulus I. ad Corin. vii. 1. „ Non „ potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed „ quaſi carnalibus. “

Et ſine parabolis non loquebatur eis. Hoc videtur falſum, quia in ſermone Domini in monte, & in multis aliis ooo loquebatur in parabolis. Chryſoſtomus ſic ſolvit, quod verum eſt de iſta tota locutione, quia iſtam totam prædicationem ad turbas parabolice locutus eſt. Auguſtinus ſic, quod ideo non ſine parabolis, quia aliquam locutionem non eſt locutus ad turbas quin permiſcuerit aliquam parabolam. Uode in ſermone Domini in monte permiſcuit, ubi dixit (cap. vi. 3.) *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*. Et dicit, quod ſi aliquando inveniatur ſine parabola, dicendum quod Evangeliſtæ non ſecundum ordinem narraverunt: unde etſi noo ſit ſcripta, (*c*) parabola iotelligi debet, propter hoc quod ibi dicit quod *ſine parabolis non loquebatur eis*, & niſi commiſceret parabolas.

Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem (Pſal. lxxvii. 2.) *Aperiam in parabolis os meum*. Dupliciter locutus eſt Dominus humano geoeri. Primo in prophetis; ſecundo in ſeipſo. Eſa. lii. 6. „ Ecce ego „ qui loquebar, ecce adſum. “ Utrobique parabolice locutus eſt, in prophetis multipliciter, (*d*) & per ſeipſum ſimiliter. Quod enim factum eſt in prophetis, (*e*) ſignum fuit eius quod faciendum erat per Chriſtum: uode (*f*) dicit: Ego Dominus, qui aperui os prophetarum in parabolis, aperiam

in

(a) *Al.* modicum. (b) *Al.* quadrageſimum. (c) *Al.* parabola intelligi debet, quod propter hoc &c.
(d) *Al.* & per ſeipſum, ſimiliter hic. (e) *Al.* ſignum eſt quod faciendum erat. (f) *Al.* dicitur.

Digitized by Google

in meipſo. *Eructabo abſcondita a conſtitutione mundi*. In apertione oris eſt manifeſtatio ſecretorum, ut ſupra. Eructatio ex intimis eſt: tunc eructat quando de profundo ſapientiæ emittit. Pſal. XLIV. 2. „ Eructavit cor „ meum verbum bonum. “ Sapientia Domini abſcondita eſt. Iob XXVIII. 21. „ Abſcon„ dita eſt ab oculis omnium viventium. “ Ioan. I. 18. (*a*) „ Deum nemo vidit um„ quam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu „ Patris, ipſe enarravit. “ Eructavit abſcondita, & quæ fuerunt occulta a mundi conſtitutione. Ad Epheſ. III. 5. „ Quod aliis „ generationibus non eſt agnitum filiis ho„ minum, ſicuti nunc revelatum eſt ſan„ ctis Apoſtolis eius, & prophetis in ſpiri„ tu. “ Vel aliter. Eructabo ea quæ ſunt a conſtitutione mundi, quæ ſunt abſcondita. Et quare? Quia ipſe eſt a conſtitutione mundi, & ipſe nobis revelavit ſeipſum per ea quæ fecit. Rom. I. 20. „ Invi„ ſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intel„ lecta conſpiciuntur. “ *Tunc dimiſſis turbis, venit in domum*. Hic exponitur una de præmiſſis parabolis: & primo deſcribitur locus; ſecundo diſcipulorum interrogatio; tertio expoſitio. Dicit ergo: *Tunc dimiſſis turbis, venit in domum*. In qua datur nobis exemplum, quod ſi velimus ſecreta inveſtigare, debemus in ſecretum intrare. Sapien. VIII. 16. „ Intrans in domum meam, con„ quieſcam cum illa. “ Eccli. XXXII. 15. „ Præcurre in domum tuam, & illic (*b*) „ avocare, & illic lude, & age conceptio„ nes tuas, & non in delictis, & verbo ſu„ perbo &c. “ *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri &c.* quia de iſta magis dubitabant. Aliquando præ reverentia accedere non audebant, ut habetur Ioan. IV. 27. quod nemo dixit ei, quare cum muliere loqueretur &c. Sed hic ſpecialem audaciam acceperunt, quia audierant: *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cæleſtis*. Sic ſi aliquid myſticum velimus acquirere, debemus ad eum accedere. Pſal. XXXIII. 6. „ Accedite ad eum, & „ illuminamini. *Qui reſpondens ait*. Hic ponitur expoſitio parabolæ zizaniæ: & primo quo ad primam ſeminationem; ſecundo quo ad ſuperſeminationem; tertio quo ad utrumque. Et primo exponit quid ſit ſeminator, quid ager, quid ſemen. *Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis*. Nominat ſe Filium hominis tum propter humilitatem, tum ut repellat hæreticos futuros: quidam enim Deum eſſe negaverunt, quidam vero hominem. Unde dicit ſe Filium hominis, quod ad hominem pertinet; & ſeminare ſpirituale, ad Deum pertinet. Pſal. IV. 7. „ Signatum eſt ſuper nos „ lumen vultus tui, Domine. “ *Ager eſt mundus*, quem ipſe creavit: unde ſupra dixit, *in agro ſuo*. Ioan. I. 11. „ In propria venit „ &c. “ Item ibidem: „ Mundus per ipſum „ factus eſt. “ *Bonum vero ſemen hi ſunt filii regni*, ex quo alii propagati ſunt, qui fuerunt boni filii. „ Quod ſi filii, & heredes: “ Ad Rom VIII. 17. Deinde exponit quod ad ſuperſeminationem pertinet, & dicit quid ſit ſemen: *Zizania autem filii ſunt nequam*. Eſa. I. 4. „ Væ populo gravi iniquitate, „ ſemini nequam, filiis ſceleratis. “ Deinde quis ſeminator, dicens: *Inimicus autem qui ſeminavit ea eſt diabolus*, qui induxit peccatum. Sap. II. 24. „ Invidia diaboli intra„ vit mors in orbem terrarum. “ Conſequenter agitur de diſtinctione, & tria facit. Primo ponitur tempus; ſecundo miniſtri; tertio diſtinctio. Tempus ponit: *Meſſis vero conſummatio ſæculi eſt*. Sicut eſt dictum, collectio prima facta eſt per Apoſtolos, de qua Ioan. IV. 35. „ Levate oculos veſtros, & vi„ dete regiones, quia albæ ſunt iam ad meſ„ ſem. “ Alia vero in qua erit fructus collectio, de qua ad Gal. ult. 8. „ Quæ ſemi„ naverit homo, hæc & metet. “ *Meſſores vero Angeli ſunt*. Sicut enim in præſenti Eccleſia miniſtri boni ſunt homines, ſic tunc erunt Angeli. Conſequenter ponit finem utriuſque, ibi, *Sicut ergo colliguntur zizania &c.* & primo quo ad malos; ſecundo quo ad bonos; tertio excitat ad ſpiritualem ſenſum. Dicit ergo: *Sicut zizania colliguntur, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos* (hæc verba oſtendunt eum eſſe hominem & Deum) *& colligent de regno eius omnia ſcandala*. Retorquet ad peccata quæ fiunt in proximum. Quod autem ſequitur, *Et eos qui faciunt iniquitatem*, refert ad alia peccata. Quod autem dicitur, *Regnum*, intelligitur præſens Eccleſia, quia in triumphanti non ſunt ſcandala; & homo ſciet per tribulationem præcedentem finale iudicium. Auguſtinus dicit, quod non legimus quod mali ſunt ad remunerandum bonos, ſed boni inveniuntur aliquando punire malos. Quod ergo dicit, *Omnia*, intelligendum eſt in præſenti Eccleſia, immittendo tribulationes, per quas etiam boni & mali puniuntur. Chryſoſtomus exponit per regnum cæleſtem patriam. Et quod dicitur, *Omnia ſcandala*, non intelligitur quod

ibi

(a) *Al.* „ Deum nemo vidit umquam niſi Unigenitus &c. “ (b) *Al.* advocare.

Digitized by Google

ibi ſint, ſed quod non ſint. unde colligent, & ſeparabunt malos a bonis, ne ſint cum eis, *& mittent eos in caminum ignis*. Pœna damni eſt carentia divinæ viſionis: ſed tangitur pœna ſenſus, cum dicitur: *Et mittet eos in caminum ignis*. Apocal. penul. 27. „ Non intrabit iu „ eam aliquod coinquinatum. “ *Et mittet eos*; ideſt, Filius hominis poteſtate iudicatoria. *In caminum ignis.* Unde dicetur (infra xxv. 41.) „ Ite maledicti in ignem æternum. “ *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Hoc expoſitum eſt, tamen poteſt ex hoc haberi quod damnati & in anima, & in corpore punientur: unde ſupra x. 28. *Eum timete qui poteſt animam, & corpus mittere in gehennam*. Fletus enim pertinet ad oculos, ſtridor ad dentes; oculi autem, & dentes ſunt membra corporalia: in quo ſignificatur veritas reſurrectionis. Item per fletum, qui ex fumo cito generatur, ſignificatur pœna ignis, per ſtridorem dentium frigus. Iob xxiv. 19. (*a*) „ Ad „ nimium calorem tranſeat ab aquis nivium. “ Vel aliter, quod fletus ex triſtitia, ſtridor ex ira: unde Act. vii. 54. dicitur, quod „ ſtridebant dentibus in eum. “ Eſa. penult. 14. „ Servi mei gaudebunt præ exultatione cor- „ dis, & vos clamabitis præ dolore cordis, „ & præ contritione cordis ululabitis. “ Luc. vi. 25. „ Væ vobis qui ridetis, quia „ plorabitis. “ Item in ſtridore ſignatur impatientia, & rixa. Apocal. xvi. 10. „ Qui „ manducaverunt linguas ſuas propter im- „ patientiam ſuſtinendi. “ *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum*. Hic exponit quo ad bonos: & in eis erit duplex fulgor. Scilicet in anima, per quem Deum videbunt. Pſal. xxxv. 10. „ In lumine tuo vi- „ debimus lumen, “ ſcilicet increatum. Eſa. viii. 11. „ Et implebit ſplendoribus ani- „ mam tuam. “ Et derivabitur ad corpus. Ad Phil. iii. 21. „ Reformabit corpus hu- „ militatis noſtræ configuratum corpori cla- „ ritatis ſuæ. “ Sap. iii. 7. „ Fulgebunt „ iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto „ diſcurrent &c. “ Quod dicit, *Sicut ſol*, non eſt intelligendum abſolute per omnimodam æqualitatem, maiorem enim habebunt ſplendorem; ſed quia in iſtis ſenſibilibus quod magis ſplendet, eſt ſol. Convenit autem cum ſole, quia ſicut ſol non mutatur, ſic nec iuſtus. Eccli. xxvii. 12. „ Homo ſan- „ ctus in ſapientia manet ſicut ſol, ſtultus „ autem ut luna mutatur. “ Deinde excitat ad ſpiritualem ſenſum: *Qui habet aures audiendi*, ſcilicet interiores, *audiat*, ſcilicet intelligendo. Eſa. i. 5. „ Dominus aperuit „ mihi aurem. “

(d) Supra Dominus parabolice oſtendit doctrinæ evangelicæ & impedimentum, & profectum; nunc autem oſtendit eius dignitatem per quaſdam parabolas, quas diſcipulis expoſuit. Dignitas oſtenditur quantum ad tria. (*b*) Quantum ad copioſitatem, quantum ad pulchritudinem, quantum ad eius communitatem. Secunda ibi, *Iterum ſimile eſt regnum calorum homini negotiatori &c.* tertia ibi, *Iterum ſimile eſt regnum calorum ſagena miſſa in mare &c.* Dico ergo, quod copia doctrinæ evangelicæ eſt in ſimilitudine theſauri, quia ſicut theſaurus eſt copia divitiarum, ſic doctrina evangelica. Eſa. xxxiii. 6. „ Divitiæ ſalutis ſapientia, & ſcientia; ti- „ mor Domini ipſe eſt theſaurus eius. “ Circa iſtud ſic procedit. Primo ponitur theſaurus abſconditus; ſecundo inventio; tertio acquiſitio &c. Secunda ibi, *Quem qui invenit &c.* tertia ibi, *Et pra gaudio illius vadit &c.* Iſte theſaurus multipliciter poteſt exponi. Secundum Chryſoſtomum, eſt evangelica doctrina, de qua II. ad Corin. iv. 7. „ Habe- „ mus hunc theſaurum in vaſis fictilibus: “ qui abſconditus eſt in agro huius mundi, ſcilicet ab oculis immundorum. Supra xi. 15. *Abſcondiſti hac a ſapientibus, & prudentibus*. Secundum Gregorium dicitur cæleſte deſiderium. Eſa. xxxiii. 6. „ Timor Domini „ ipſe eſt theſaurus eius. “ Iſte eſt abſconditus in agro diſciplinæ ſpiritualis: quia exterius videtur contemptibilis, interius vero dulcedinem habet. Prover. xxiv. 27. „ Di- „ ligenter exerce agrum tuum. “ Secundum Hieronymum, eſt verbum Dei, de quo ad Coloſ. ii. 3. „ In quo ſunt omnes the- „ ſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi: “ quem abſcondit in agro ſui corporis, quia latebat in carne. Eſa. ii. 7. „ Et non eſt „ finis theſaurorum eius. “ Ideo aliter intelligitur ſacra doctrina, quæ abſconditur in agro Eccleſiæ. Sap. vii. 14. „ Infinitus enim „ theſaurus eſt hominibus. “ *Quem qui invenit homo abſcondit*. Invenitur in omnibus per fidem. Non enim poteſt in aliquibus eſſe niſi per fidem. Sapien. i. 2. „ Invenitur „ ab his qui non tentant illum, apparet au- „ tem eis qui fidem habent in illum. “ Sed oportet quod abſcondatur, ſecundum quod dicitur Pſal. xviii. 11. „ In corde meo „ abſcondi eloquia tua. “ Quod autem abſconditur, non debet eſſe ex invidia, ſed ex cautela. Quare autem abſcondi debeat, multi-

(a) *Al.* „ Tranſibunt ab aquis nimium frigidis ad calorem nimium. “ (b) *Al.* Quantum ad copioſitatem, quantum ad eius communitatem.

tiplex eſt ratio. Una quia magis fructificat, & proficit, quia magis exardeſcit: (a) ſicut enim ignis concluſus magis calefacit, ſic verbum quando eſt abſconditum. Hier. xx. 9. „ Factum eſt verbum Domini quaſi „ ignis æſtuans, clauſuſque in oſſibus meis; „ & defeci, ferre non ſuſtinens. " Et in Pſal. xxxviii. 4. „ Concaluit cor meum, „ & in meditatione mea exardeſcet ignis „ intra me. " Item eſt quod abſconditur ob inanem gloriam: ſi enim fumigat exterius, ſubiacet periculo. Ideo Dominus ſupra vi. 6. *Ora patrem tuum in abſcondito*. Item quia ſic tutius cuſtoditur: quando enim eſt in publico, tunc invenit qni rapit. Eſa. xxxix. 4. „ Qui oſtendit theſauros nuntiis Regis Babylonis. " Et ſubditur: „ Ecce venient „ dies, & auferentur omnia quæ in domo „ tua ſunt. "

Sed quid eſt quod dictum eſt ſupra v. 15. *Luceant opera veſtra bona*? Solvitur ob diſtinctionem temporum: quia quando primo invenitur, bonum eſt quod abſcondatur; ſed quando homo confirmatus eſt, tunc bonum eſt quod manifeſtetur. Eccli. xli. 17. „ Theſaurus inviſus, & ſapientia abſcondita, „ quæ utilitas in utriſque? " Gregorius dicit, quod debet eſſe apertus in (a) effectu, abſconditus in corde. Unde dicit ſic: „ Opus ſit in publico, quamquam intentio maneat in occulto. "

Præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet. Hoc eſt tertium de acquiſitione, qnia gaudet. Iob iii. 21. „ Quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer cum „ invenerint ſepulcrum. " Quando per fidem invenerit, *præ gaudio vadit*, & incipit proficere, *& vendit omnia*, ideſt contemnit, ut ſpiritualia habeat, *& emit agrum illum*; hoc eſt, vel bonam ſocietatem ſibi exquirit, vel emit ſibi otium quod non habet, ſcilicet pacem ſpiritualem. Ad Philip. iii. 8. „ Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifacerem. " Cant. viii. 7. „ Si „ dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuę „ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam „ &c. "

Iterum (b) *ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori &c.* Hic oſtenditur pulchritudo, vel claritas. *Simile eſt regnum*. Iſta parabola exponitur multipliciter. Chryſoſtomus, & Hieronymus exponunt de evangelica doctrina. Multæ ſunt doctrinæ falſæ. Iſtæ non ſunt margaritæ. Homo ergo qui quærit diverſas doctrinas, invenit unam, ſcilicet evangelicam doctrinam, quæ nna eſt propter veritatem. Virtutes enim multæ ſunt, ſed (c) veritas una. Unde Dionyſius dicit, quod virtus dividit, ſed veritas (d) unitatem dat: unde ad deſignandam veritatem vocat unam. Item dicitur una propter diverſam doctrinam Prophetarum. *Abiit, & vendidit*; ideſt, omnes doctrinas, & Prophetarum, & Philoſophorum pro iſta dimiſit. Prov. xxv. 12. „ Inauris aurea, & margarita fulgens qui „ arguit ſapientem, & aurem obedientem „ &c. " Gregorins iſtam dicit eſſe cæleſtem gloriam, quia bonum eſt naturaliter deſiderabile, & homo ſemper vult commutare minus bonum pro maiori bono. Summum bonum hominis eſt gloria cæleſtis: hanc cum invenerit, debet omnia dimittere pro iſta. Pſal. xxvi. 4. „ Unam petii a Domino, „ hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. " Auguſtinus tripliciter exponit. *Simile eſt regnum cælorum &c.* ideſt, quærenti bonos homines a quibus informetur: quia unus pollet in nna virtute, alius in alia. Et cum invenerit eam, ſcilicet Chriſtum, in quo omnes virtutes ſunt in ſummo, *abiit &c.* Item aliter per bonas margaritas ſignantur diverſa præcepta, & omnia ad vitam neceſſaria. Et dum invenerit unam, ideſt unum mandatum, ſcilicet caritatis, *abiit &c.* Ioan. xiii. 34. „ Mandatum novum do vobis, ut diligatis „ invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem &c. " Et Apoſtolus, Rom. xiii. 10. „ Plenitudo legis eſt dilectio. " Item aliter per margaritas intelliguntur diverſæ ſcientiæ, quas quærendo invenimus principium omnium ſcientiarum, ſcilicet verbum Dei, de quo Eccli. i. 5. „ Fons „ ſapientiæ verbum Dei. " Unde debes omnia vendere pro iſto, & terrena, & animam, & corpus: quia cum vendis iſta, teipſum habes, & es dominus tui. Ad Philip. iii. 8. „ Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. " Unde omnia debes dare pro iſto lucro, ſicut dabat Paulus. II. Corinth. v. 14. „ Unus pro omnibus mortuus eſt, ut & qui vivunt iam „ non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. "

Item ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare &c. Hic ponitur alia parabola; ſecundo ponitur expoſitio non quantum ad totum, ſed quo ad partem, ibi, *Sic erit in conſummatione ſæculi*. Et in iſta duo fiunt. Primo ponitur communitas huins doctrinæ; ſecundo diſtinctio, ibi, *Cum impleta eſſet &c.* Dicit ergo: *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ*. Iſta

(a) *Al.* ſicut ignis concluſus magis calefacit, ſicut verbum &c. (b) *Al.* effectum. (c) Al. *Item ſimile eſt &c.* (d) *Al.* neceſſitas. (e) *Al.* odorem.

Iſta ſagena eſt quoddam inſtrumentum quod circumdat magnam partem maris: unde poteſt per eam ſignificari vel doctrina, vel Eccleſia: quia primi doctores fuerunt piſcatores. Supra IV. 18. *Erant enim piſcatores*. Hæc ponitur in mari, ideſt in mundo. Pſalm. CIII. 25. „ Hoc mare magnum, & ſpatio- „ ſum &c. “ *Et ex omni genere piſcium congreganti*. Ecce communitas. Lex enim non erat data niſi (*a*) uni genti. Pſal. CXLVII. 20. „ Non fecit taliter omni nationi, & iu- „ dicia ſua non manifeſtavit eis. “ Lex evangelica congregat omnes. Ad Rom. I. 4. „ Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & in- „ ſipientibus debitor ſum. “ Et Marc.ult.15. „ Ite, prædicate Evangelium omni creatu- „ ræ. “ Sed numquid idem erit finis omnium? Modo omnes ſimul ſunt in ſagena, ſed in fine omnes ſeparabuntur: unde dicit: *Quam, cum impleta eſſet*; ideſt, quando tot electi intraverint ut ſit completus numerus electorum; *educentes, & ſecus littus ſedentes &c.* Per littus finis mundi ſignificatur: quia non erit apud ſanctos turbulentia, ſed erunt in quiete bona. Et dicit, *Sedentes*, quod pertinet ad iudiciariam poteſtatem. Infra XIX. 28. „ Vos qui ſecuti eſtis me, in regenera- „ tione, cum ſederit Filius hominis in ſe- „ de maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper „ ſedes duodecim iudicantes duodecim tri- „ bus Iſrael. “ *Elegerunt bonos in vaſa ſua*, (*b*) ideſt in cæleſtia habitacula. Ioan. XIV. 2. „ In domo Patris mei manſiones multæ „ ſunt. “ Et dicit *vaſa* pluraliter propter diverſitatem retributionum. Luc. XVI. 9. „ Recipiant vos in æterna tabernacula. “ *Malos autem foras miſerunt*: quia omnes immundi eiicientur. *Sic erit in conſummatione ſæculi*. Hic exponit parabolam. Et notandum, quod exponit ſolum quo ad malos.

Sed tunc eſt quæſtio quare magis exponit de malis, quam de bonis. Dicendum, quod fecerat mentionem de ſagena, qua quando piſces capiunt, mali eiiciuntur, & vivunt; boni autem occiduntur, & comeduntur: ideo poſſet aliquis dicere, quod ita eſſet ex parte iſta: ideo ut excludat illud, exponit dicens: *Exibunt Angeli*, (*c*) non quod diſcedant ab intimis contemplationis, quia ubicumque ſunt, contemplantur Deum; ſed quia progrediuntur ad exterius miniſterium. Daniel. IX. 22. dicitur de quodam Angelo: „ Egreſſus ſum ut docerem te. “

Et ſeparabunt malos de medio iuſtorum. Modo mali ſunt inter bonos, zizania in medio tritici, lilium inter ſpinas; ſed ſeparabuntur ex communione bonorum; & ex hoc eſt mala excommunicatio: iſta tamen ſignum illius, ſed tamen alia: quia Eccleſia ſæpe decipitur, ſed tunc non erit deceptio. Hæc eſt de qua dicit Apoſtolus I.Cor.XVI. 22.(*d*) „ Si „ quis non amat Dominum noſtrum Ieſum „ Chriſtum, ſit anathema. “ Unde dicitur: „ Tollatur impius ne videat gloriam Dei. “

Sequitur de pœna ſenſus: *Et mittent eos in caminum ignis*. Hoc exponitur ut ſupra.

Sed eſt quæſtio quare (*e*) iteravit hoc Dominus: quia videtur idem eſſe quod parabola de zizania. Dicendum, quod idem eſt quantum ad aliquid, quia hic per ſagenam intelliguntur & boni, & mali: unde ſignificat eos qui non ſunt præciſi ab Eccleſia. Sed per zizaniam ſignificantur illi qui ſunt præciſi per diverſitatem dogmatum, & hi non ſunt de Eccleſia.

Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam. Poſtquam Dominus complevit parabolicam doctrinam, & quo ad diſcipulos, hic determinat de effectu: & primo in diſcipulis; ſecundo in turbis, ibi, *Et factum eſt &c.* Effectus in diſcipulis fuit intellectus: unde tria ponuntur. Primo examinatio; ſecundo profeſſio; tertio deſignatio eorum ad futurum officium.

Notandum autem, quod cum multa locutus eſſet ad turbas, & diſcipulos, quia futuri erant magiſtri, ideo oportebat quod intelligerent. Et nota, quod de tribus examinabantur. Primo de intellectu: *Intellexiſtis hæc omnia?* Item de amore. Ioan. ult. „ Simon amas me plus his? “ Item de poſſibilitate ad paſſionem. Infra XX. 22. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Pſal. XCI. 15. „ Bene patientes erunt ut annun- „ tient. “ (*f*) Licet autem humilitatis ſit quod homo non ſe extollat, ingratus tamen eſt, ſi beneficium non recognoſcat. Eſa.LXIII. 7. „ Miſerationum Domini recordabor. “ Ideo reſpondent, & dicunt ei, *Etiam*. Ibi ponitur profeſſio eorum attribuentium ſermoni Chriſti. Pſal. CXVIII. 130. „ Declara- „ tio ſermonum tuorum illuminat, & intel- „ lectum dat parvulis. “

Ideo omnis ſcriba doctus &c. Hic oſtendit officium quod imminebat eis quaſi iam examinatis. Et hæc concluſio dupliciter poteſt ſequi ex præmiſſis. Primo retorquendo hoc quod dictum eſt de theſauro. Poteſt ergo eſſe ſenſus, ut Dominus velit iſtud exponere. Vos dicitis quod intelligitis. Si intelligitis, poteſtis ſcire quod theſaurus eſt ſacra do-

(a) *Al.* unigeniti. (b) *Al.* Et. (c) *Al.* ideſt ibunt ab intimis contemplationis. (d) *Al.* „ Qui nos „ dilexit, anathema ſit de medio iuſtorum. “ (e) *Al.* intravit. (f) *Al.* Licet humilitatis ſit.

doctrina. De iſto theſauro poteritis proferre nova, & vetera.

Et notandum quod iſti dicuntur ſcribæ, quia poſſunt conferre in regno cælorum, & in doctrina ſacra, ubi nova, & vetera continentur. Et dicuntur ſcribę per idoneitatem, quia ſcribæ, ideſt docti. Dan. XII. 34. „Porro docti intelligent.“ Infra XXIII. *Ecce ego mitto ad vos ſapientes, & ſcribas*. Item dicuntur ſcribæ ex officio, quia ſunt notarii Chriſti, quia ſcripſerunt mandata Chriſti in tabulis cordis ſui. Proverb. VI. 21. „Liga ea in corde tuo jugiter.“ Item in cordibus aliorum. Unde Apoſtolus II. ad Cor. III. 2. „Epiſtola veſtra ſcripta eſt in cordibus noſtris.“

Similis eſt patrifamilias, ſcilicet Chriſto. Ipſe enim eſt Dominus, ut habetur ſupra XIII. 52. *Qui profert de theſauro nova, & vetera*, officia novæ legis. Nova enim lex novos ſenſus addit ſuper veterem, & Chriſtus hos expoſuit; & ideo debet nobis ſufficere ut ſit ſimilis Chriſto, ſicut ſupra X. 25. habetur: *Sufficit diſcipulo* (a) *ſi ſit ſicut magiſter eius*. Vel poteſt dici: Simile eſt cuicumque alii patri, qui profert de ſcientia divinitus ſibi data nova, & vetera. Non ſic Manichæi, quia non proferebant vetera. Cant. VII. 13. „Omnia nova, & vetera ſervavi tibi.“ Ergo poteſt referri de expoſitione parabolæ. Secundum Auguſtinum ſic exponitur. *Ideo omnis ſcriba doctus &c.* Vos intellexiſtis qualiter locutus ſum turbis parabolice, & exercitati eſtis, ut quod parabolice dictum eſt, ſecundum ſenſum ſpiritualem intelligatis. Unde debetis intelligere, ut ea quæ in veteri lege leguntur, ſciatis exponere per novam. Unde quæ in veteri dicuntur, ſunt figuræ novi teſtamenti. Unde Apoſtolus I. ad Corin. I. 11. „Omnia in figura contingebant eis.“ Et hæc revelata ſunt in paſſione. Unde infra XXVII. dicitur quod patiente Domino velum templi ſciſſum eſt. Unde Chriſtus ante paſſionem in parabolis locutus eſt, ut auditis his intelligant, ea quæ in veteri teſtamento dicuntur, eſſe dicta in figura aliarum rerum, licet eſſent res geſtæ. *Omnis ergo ſcriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera*. Vel, ſecundum Gregorium, quod vetera referantur ad omnia ea quæ ad peccatum referuntur, nova quæ ad gratiam Chriſti: unde nova dicuntur præmia vitæ æternæ, vetera pœna inferni. Ille ergo profert nova, & vetera qui non ſolum præmia, ſed pœnam etiam inferni conſiderat.

Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas &c. Hic ponitur effectus in turbis duplex, ſcilicet & admirationis, & ſcandalizationis. Et primo locus deſcribitur; ſecundo admiratio; tertio improbatio. Dicit ergo: *Factum eſt cum conſummaſſent Ieſus parabolas iſtas, tranſiit inde*. Notandum, quod non videtur, quod ſtatim (b) tranſierit. Unde non ſervat ordinem hiſtoriæ; ſed tranſivit, quia ad intelligendum non erant idonei; ideo ad alia ſe tranſtulit, ſecundum illud Eccli. XXXII. 6. „Ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem.“ Et XXII. 9. „Cum dormiente loquitur qui narrat ſtulto ſapientiam.“ *Et veniens in patriam ſuam*. Patria ſua aliquando dicitur Nazareth, ubi nutritus eſt, & ibi fecit pauca miracula; aliquando Bethlehem, in qua natus eſt; aliquando Capharnaum, quia miracula fecit ibi. *Et docebat in ſynagogis eorum &c.* Sequitur admiratio: & primo ponitur admiratio; ſecundo cauſatur effectus. Dicit: *Ita ut mirarentur*. Non erat mirum ſi mirabantur. Pſal. CXVIII. 29. „Mirabilia teſtimonia tua.“ Admirabantur unde illæ virtutes eſſent: admiratio enim ex hoc cauſatur quod videtur effectus, & neſcitur cauſa. Iſti effectum manifeſtum videbant, ſed cauſam neſciebant: unde dicebant: *Unde huic ſapientia, & virtutes*? Sed hæc ſtulta admiratio; quia I. ad Cor. 11. habetur, quod ipſe eſt Dei virtus & ſapientia. Sed non cognoſcebant, ideo admirabantur. Et ponunt admirationem ſuam, & cognitionem ſuam: unde dicebant: *Nonne hic eſt fabri filius*? Ipſe enim putabatur filius Ioſeph, (c) qui non erat faber ferrarius, ſed lignarius; quamvis etiam poſſet dici filius fabri, „qui fabricatus eſt auroram, & ſolem:“ Pſal. LXXIII. 16. „*Nonne mater eius dicitur Maria*? Omnia noſcebant quæ erant humanitatis. De Maria habetur ſupra I. 18. „Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph &c.“ *Et fratres eius Iacobus, & Ioſeph, Simon, & Iudas*. Elvidius intellexit, iſtos eſſe filios Mariæ. Sed hoc falſum eſt; ſed fuerunt conſobrini eius. Vel dicuntur fratres, quia de cognatione Ioſeph, qui putabatur eſſe pater Ieſu. Gene. XIII. 8. „Non ſit contentio inter me & te: fratres enim ſumus:“ dixit Abraham ad Lot; cum tamen Lot eſſet filius fratris: & eodem modo intelligendum eſt quod ſequitur: *Et ſorores eius nonne omnes apud nos ſunt*? Ideo ex

(a) *Al.* quod. (b) *Al.* tranſierunt. (c) *Al.* qui non erat ferrarius.

Digitized by Google

ex his quæ ſecundum carnem erant, in admirationem prodibant, dicentes: *Unde ergo huic omnia iſta?* Sed notandum, quod admiratio quandoque habet debitum effectum, ſcilicet Dei glorificationem, ut ſupra III. aliquando vero ſcandalizationem: unde dixit: *Et ſic ſcandalizabantur in eo.* Sed quæ eſt ratio quod admiratio aliquando pariat gloriam, aliquando ſcandalum? Ratio eſt, quia quidam ea quæ audiunt, interpretantur in peius: ideo tales neceſſario ſcandalizantur. In Canonica Iudæ 10. „ Quæcumque quidem ignorant, blaſphemant." Sed aliqui qui ſunt bene diſpoſiti, ſemper in melius interpretantur. De primis erant iſti; ideo eos reprehendit: & primo verbo; ſecundo facto, cum dicit: *Ieſus autem dixit eis: Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua.* Dominus ſeipſum prophetam nominat: nec mirum, quia Moyſes etiam ipſum propbetam nominaverat Deut. XVIII. 15. „ Prophetam ſuſcitabit tibi de gente „ tua, & de fratribus tuis &c." Et poteſt dici, quod propheta dicitur eſſe qui aliquid dicit quod eſt ſupra humanum intellectum per revelationem; & ſic Ieſus dicitur propheta, quia mens eius illuminata eſt ab Angelis, & Deo. Vel poteſt dici aliquis propheta a procul, & phanos, quod eſt illuminatio; & ſic Ieſus non poteſt dici propheta. „ Si quis fuerit inter vos prophera Do„ mini, in viſione appareboei &c." (Num. XII. 6.) Sic habet textus. Sed ſi fuerit aliquis propheta, loquatur in ænigmatibus. Sic non fuit Chriſtus propheta, quia dixit quæ vere ſcivit. Eccli. XXXIV. 9. „ Qui multa di„ dicit, narrabit intellectum." In prophetis veteris teſtamenti non invenimus aliquem honoratum a ſuis, ſed magis ab alienis, ut legitur in Hieremia, qui fuit captus a ſuis, ſed civitate capta, ab extraneis liberatus. Sic etiam fuit de Chriſto, qui ab extraneis honorabatur, a ſuis deſpiciebatur.

Et quæ eſt ratio quare nullus in patria ſua honoratur? Una ratio eſt, quia quando eſt in patria ſua, multi qui cognoſcunt infirma ſua, ſemper reducunt in memoriam infirma: hoc enim eſt a malitia hominum, ut magis infirma cogitent quam perfecta. Alia poteſt aſſignari, quia dicit Philoſophus, quod populus multum paralogizatur: quia credunt quod in aliquo pares, in omnibus pares ſint: unde quando aliquis eſt in patria ſua, cum vident eum parem ſibi in aliquo, vel in genere, vel aliis, credunt quod non poſſit eſſe maior: ideo bene dicit: *Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, & domo ſua.* Unde ſequitur: *Et non fecit ibi multas virtutes*: non quia non potuerit, quia omnipotens erat; ſed non fecit, quia ad hoc faciebat ut ſibi crederetur; ſed ipſi eum deſpectui habebant, quia in malum interpretabantur; ideo non erant diſpoſiti ad fidem: aliquas tamen fecit, ut inexcuſabiles redderentur; & ideo dicit, *Non multas*, quia aliquas. Et hoc propter incredulitatem eorum.

CAPUT XIV.

(a) IN illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Ieſu, & ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit a mortuis; & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligavit eum, & poſuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris ſui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum, quia ſicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis, ſaltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi: unde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo. At illa præmonita a matre ſua, Da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex; propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, iuſſit dari; miſitque, & decollavit Ioannem in carcere. Et allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ, & illa attulit matri ſuæ. Et accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud, & venientes nuntiaverunt Ieſu. Quod cum audiſſet Ieſus, ſeceſſit inde in navicula in locum deſertum ſeorſum. Et cum audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de civitatibus. Et exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis, & curavit languidos eorum.

(b) Veſpere autem facto acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus, & hora iam præteriit: dimitte turbas ut euntes in caſtella emant ſibi eſcas.

Ieſus

Digitized by Google

Ieſus autem dixit eis : Non habent neceſſe ire; date illis vos manducare. Reſponderunt ei : Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces. Qui ait eis : Afferte mihi illos huc. Et cum iuſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fenum , acceptis quinque panibus,& duobus piſcibus, aſpiciens in cælum, benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis panes; diſcipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt : & tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis. Et ſtatim compulit diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi. Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſupra mare. Et videntes eum ſupra mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes, quia phantaſma eſt. Et præ timore clamaverunt : ſtatimque Ieſus locutus eſt eis, dicens : Habete fiduciam, ego ſum , nolite timere. Reſpondens autem Petrus dixit : Domine, ſi tu es, iube me ab te venire ſuper aquas. At ipſe ait, Veni. Et deſcendens Petrus de navicula ambulabat ſuper aquam ut veniret ad Ieſum. Videns vero ventum validum timuit. Et cum cœpiſſet mergi, clamavit dicens : Domine, ſalvum me fac. Et continuo Ieſus extendens manum apprehendit eum, & ait illi : Modicæ fidei, quare dubitaſti? Et cum aſcendiſſet naviculam, ceſſavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes : Vere Filius Dei es. Et cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſaret. Et cum cognoviſſent eum viri loci illius, miſerunt in univerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum ut vel fimbriam veſtimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, ſalvi facti ſunt.

(a) SUpra oſtendit Dominus virtutem evangelicæ doctrinæ ſub quibuſdam parabolis; hic oſtendit factis: & tria facit. Primo oſtendit ad quos effectus ſe extendat per ſimilitudinem factorum; ſecundo oſtendit ſufficientiam evangelicæ doctrinæ ; tertio quomodo in puritate conſervanda ſit. Secundum in cap. xv. tertium in xvi. Circa primum primo ponitur falſa opinio; ſecundo occaſio ; tertio improbatur opinio. Secunda ibi, *Herodes tenuit Ioannem &c.* tertia ibi, *Quod cum audiſſet Ieſus, ſeceſſit inde.* Dicit ergo : *In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam eius.* Et non eſt retorquenda ad illum diem, (*a*) ſed ad tempus in generali : quia Marcus, & Lucas non eodem ordine narrant, quia iſtud narrant poſt miſſionem diſcipulorum, ut habetur Marc. vi. Unde incertum eſt qui ſervent ordinem hiſtoriæ. Tamen quod dicitur, *In illo tempore*, dicitur ut denotetur negligentia Herodis, quia poſt miracula tunc primo audivit famam de Ieſu. Hæc enim deſidia ſolet eſſe in divitibus, quod non curant de parvis rebus. I. Tim. ult. 17. „ Divitibus huius ſæ„ culi præcipe non ſublime ſapere, neque „ ſperare in incerto divitiarum &c. “ *Audivit Herodes tetrarcha*, ad differentiam Herodis Regis, ſub quo natus eſt Chriſtus, ut habetur ſupra cap. 11. Unde illo defuncto reverſus eſt Chriſtus de AEgypto. Iſte Herodes fuit filius eius, & fuit tetrarcha. Pater eius conſtitutus eſt Rex a Romanis, & habuit ſex filios; quorum duos interſecit in vita ſua, alium primogenitum interſecit in morte, cum iam faceret ſe proferri in Regem, patre adhuc vivente. Ipſo mortuo, Archelaus accepit ſibi regnum, & ſequens malitiam paternam, non potuit tolerari a Iudæis. Tunc acceſſerunt ad Romanos, & diviſum eſt regnum in quatuor partes. Duæ partes traditæ ſunt Archelao, alia Herodi, & alia pars Philippo. Unde iſte erat tetrarcha, & princeps ſuper quartam partem regni. *Audivit famam Ieſu.* Ex hoc reprehenſibilis erat (*b*) quod tanto tempore iam vixerat, & miracula fecerat, & tamen tunc primo audivit. Unde impletur illud Iob xxviii. 22. „ Perditio, & mors dixerunt : „ Auribus noſtris audivimus famam eius. “ *Et ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta &c.* Aliqui dixerunt quod ipſe tenuit dogma de transfuſione animarum. Plato enim, & Pythagoras poſuerunt, quod anima exeunte ab uno corpore ſubintrat aliud corpus. Hanc opinionem Herodes tenens, ut dicunt, crebat

(a) *Al.* ſed tempus. (b) *Al.* quando.

debat quod anima Ioannis tranſiſſet in animam Chriſti. Sed hoc non poteſt eſſe, quia parum ante interſecerat eum; Ieſus autem erat triginta annorum: unde hoc non credidit. Item iam miracula fecerat ante decollationem, & ante incarcerationem, ut habetur Ioan. III. Herodes tamen laudandus eſt, quia reſurrectionem credidit, de qua Iob XIV. 14. „Putas ne homo mortuus „ rurſum vivat?“ Item aliam bonam conditionem habuit, quod credidit quod fiat reſurrectio in meliori ſtatu; ideo credidit quod tunc operaretur miracula, quæ ante reſurrectionem non fecerat; ideo dicit: *Et ideo virtutes operantur in eo*: quia ad altiorem ſtatum (*a*) advenit: unde reſurgent homines in meliori ſtatu. Unde Apoſtolus I. Cor. XV. 43. „Seminatur in infirmitate, re- „ſurget in virtute.“

Sed hic eſt quæſtio: quia dicit Lucas (cap. IX. 7.) quod audivit, & dubitavit, unde dixit: „Ioannem ego decollavi:“ hic autem dicit ſine dubitatione, dum dicit, *Hic eſt Ioannes*.

Solvit Auguſtinus, quod non a ſe, ſed audivit ab aliis. Unde cum primo audivit, dubitavit; ſed creſcente ſama conſenſit. Unde Lucas primum recitavit, ſed ſecundum Matthæus. Vel aliter poteſt dici, quod etiam Matthæus dubitationem Herodis tangit, ita quod legatur interrogative: *Hic eſt Ioannes?*

Herodes (*b*) *enim tenuit Ioannem*. Hæc facta ſunt ante: unde non ſequitur ordinem, ſed ex incidenti determinat de morte Ioannis.

Sed eſt quæſtio quare Evangeliſtæ ex incidenti determinant de Ioanne: & hoc quærit Chryſoſtomus. Solvit autem, quia principaliter facta Chriſti intenderunt, alia vero ſolum ſecundum quod referebantur ad Chriſtum.

Ideo hic ex conſequenti determinat mortem Ioannis: & primo determinat (*c*) incarcerationem; ſecundo mortem, ibi, *Die autem natalis &c.* Circa primum tria facit. Primo ponit incarcerationem; ſecundo cauſam; tertio decollationem. *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligavit eum, & poſuit in carcerem*. Tangit ordinem: quia primo comprehendit eum, ligavit, & incarceravit. Sic autem fuit de Chriſto. Cauſam tangit, cum dicit: *Propter Herodiadem uxorem fratris ſui*. Herodes, & Philippus fuerunt fratres. Philippus habuit filiam Arethæ Regis Arabum. Hic habuit inimicitias cum illo Rege Arabum, & etiam cum fratre ſuo Herode, ita quod Rex Arabum in odium Philippi accepit filiam ſuam, & conceſſit eam Herodi.

De iſto Ioanne debetis intelligere quod homo fuit magnæ virtutis: unde de ipſo dicitur, (Luc. I. 17.) „Ipſe veniet in virtute Eliæ.“ Item notare debetis, quod etiam martyr dicitur, quia propter redargutionem fidei mortuus eſt, quia pro veritate; & Chriſtus veritas eſt.

Dicebat enim Herodi: Non licet tibi habere eam. Sciendum quod Antipater pater Herodis Regis alienigena fuit, ſed proſelytus fuit: unde filii ſui Iudæi fuerunt. Sed præceptum erat in lege quod vivente fratre, alter non haberet uxorem fratris. Ideo Ioannis quaſi æmulator legis dicebat: *Non licet tibi habere eam. Et volens eum occidere, timuit populum*. Aliquando accidit quod cum quis non vult vitare peccatum, cadit in maius. Oſeæ IV. 2. „Homicidium, & furtum, „& adulterium inundaverunt, & ſanguis „ſanguinem tetigit.“ Unde cum noluit vitare adulterium, incurrit homicidium. Et cum voluit, *timuit populum*. Commotio populi multum eſt timenda. Eccli. XXVI. 5. „A tribus timuit cor meum: delaturam „civitatis, & collectionem populi, & ca- „lumniam mendacem.“ Item timor Domini aufert malam voluntatem; ſed timor hominis non; licet faciat differre. Ideo quia non potuit propter timorem populi, diſtulit. *Die autem natalis &c.* Hic de occiſione tria facit, quia non potuit propter timorem populi. Primo ponuntur præcedentia; ſecundo occiſio; tertio ſubſequentia. Circa primum ponuntur præcedentia tria: quia ſaltatio, promiſſio, petitio. Dicit ergo: *Die autem natalis &c.* Conſuetudo apud antiquos erat quod celebrarent diem natalis, contra illud Eccle. VII. 2. „Melior eſt „dies mortis, quam dies nativitatis.“ Non legitur quod aliqui celebraverint diem natalis niſi iſte, & Pharao Rex AEgypti: unde *die natalis filia Herodiadis* (ſic vocabatur) *ſaltavit in medio*, ideſt in triclinio (& in hoc culpabilis redditur, quia in laſcivia oblitus eſt aulam regiam, in qua non debebant hæc fieri) *& placuit Herodi*: contra illud Eccli. IX. 4. „Cum ſaltatrice non ſis „aſſiduus.“ Et ſequitur: *Unde cum iuramento pollicitus eſt &c.* Ecce incauta promiſſio, & temerarium iuramentum. Eccli. XXIII. 9. „Iurationi non aſſueſcat os tuum, mul- „ti enim caſus in illa.“ *Et præmonita a matre ſua, Da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ*. Hic ponitur petitio mulieris. Mulieres aliquando ſunt piæ, & mobilem affe-

(a) *Al.* advenerit. (b) Al. *ante*. (c) *Al.* incarnationem.

Digitized by Google

affectum habent : unde quando ſunt piæ, maxime ſunt piæ; ſed quando ſunt crudeles, maxime ſunt crudeles. Eccli. XXV. 22. „ Non eſt caput nequius ſuper caput colubri ; non eſt ira ſuper iram mulieris. “ Et ibidem dicitur : „ Brevis omnis malitia „ ſuper malitiam mulieris. “ Vix enim cogitaret homo quæ cogitat perverſa mulier. Mater ergo petiit ut ſaturaret iram ſuam. Item timebat ne aliquando Herodes propter verba Ioannis converteretur, & dimitteret eam. *Et contriſtatus eſt Rex propter iuſiurandum*. Hic determinatur quomodo occiditur. Chryſoſtomus: „ Hic datur exemplum quod „ honeſtas etiam ab impiis honoratur: “ ut habetur Sap. VIII.

Hieronymus dicit, quod modo eſt contriſtatus qui ante voluit interficere, ſed timuit populum. Quare ergo dicit quod eſt contriſtatus? Solvit. Conſuetudo eſt hominum ut recitent quod videtur hominibus : ſicut dicebant Chriſtum filium Ioſeph, quia ita putabant, ut habetur Luc. III. Unde dicit, *Contriſtatus*, quia ita videbatur hominibus.

Sequitur executio : & primo ponitur præceptum; ſecundo executio. *Propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes*. In hoc ſtultus fuit, quia de re inhoneſta non eſt timendum iuramentum : quia eo quod iuro, ſum periurus. Hier. IV. 2. „ Iurabitis in „ iudicio (ſcilicet cum diſcretione) in iu„ ſtitia, & veritate. “ Item ſi iuraſſet quod in ſemet faceret, intelligi debebat in honeſtis. Unde quod in ſe facere non debuit, alii nec præcipere debuit. Zach. VIII. 17. „ Iuramentum mendax ne diligatis. “ *Et propter ſimul diſcumbentes*, ut omnes facerent homicidii participes, omnes enim rogabant pro puella, *iuſſit dari, miſitque, & decollavit Ioannem*. Hic ponitur executio. Hic adimpletur quod dixerat (Ioan. III. 30.) „ Illum oportet creſcere, me autem mino„ rari : “ quia Chriſtus in cruce extenſus, iſte decollatus. Item decollatio Ioannis ſignum fuit, quod auctoritate legis debebant amittere (a) Chriſtum, & legem.

Conſequenter ponuntur ſubſequentia (b) decollationis : & primo ponitur redditio promiſſi; ſecundo ſepultura. Dicit ergo : *Et allatum eſt caput eius in diſco*. Et in hoc reprehenſibilis fuit Herodes, quia crudelitatem exercuit inter voluptates. Unde dicitur quod quidam balivus amabat quamdam meretriculam, & cum eſſet in gremio, dixit illa quod numquam vidit hominem interfici. Et cum eſſet in prandio, fecit adduci quemdam morte dignum, & fecit coram illa decollari : quod ſciverunt Romani, & exul factus eſt a Roma. Sic iſte etiam miſſus fuit in exilium. *Et accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud*. Hic agitur de ſepultura Ioannis, & computatur inter opera miſericordiæ; & tamen videtur quod miſericordia ad mortuum non pertineat ; quia ſi ad eum pertineat, videtur quod non ſit verum quod dicit Dominus : *Nolite timere eos qui occidunt corpus*; Quare ergo computatur inter opera miſericordiæ? Dicendum, quod etſi non ſerviatur ei ſecundum (c) effectum quem modo habet, ſervitur tamen ei ſecundum affectum quem modo habet cum mortuo : unde *tulerunt corpus eius, & ſepelierunt* : dicitur quod apud Sebaſtem, cum ſit ibi prope. Poſt videns Iulianus Apoſtata multos venientes ad eius reliquias, fecit eum comburi, excepto capite. *Et venientes nuntiaverunt Ieſu*. Unde diſcipuli Ioannis qui primo calumniabantur Ieſum, Ioanne mortuo redierunt ad Ieſum, & fuerunt ei familiares. Sic aliqui in tempore tribulationis convertuntur ad Chriſtum. Oſeæ VI. 1. „ In tribulatione ſua mane con„ ſurgent ad me. “

Et cum audiſſet Ieſus receſſit in navicula in locum deſertum ſeorſum. Supra poſita eſt opinio Herodis de Chriſto, & occaſione huius, introducta eſt narratio de Ioanne; nunc autem oſtenditur opinio Herodis eſſe falſa. Duo dixerat : quia Chriſtus erat Ioannes quem occiderat; item quod reſurgens virtutes operabatur. Dicit ergo : *Quod cum audiſſet Ieſus, ſeceſſit inde in navicula &c.*

Quare ſeceſſit? Aſſignat quatuor rationes Hieronymus. Prima, ut parceret inimicis ſuis, ne ex homicidio in homicidium ruerent. Oſeæ IV. 2. „ Sanguis ſanguinem tetigit. “ Item ut paſſionem differret : unde ipſe dicit, Ioan. VII. 6. „ Tempus meum nondum advenit. “ Item ut nobis exemplum daret, ne nos ingeramus paſſionibus: non enim eſt virtus ſe paſſionibus ingerere, ſed (d) præſumptio. Unde ſupra X. 23. *Si perſecuti fuerint vos (e) in una civitate fugite in aliam*. Item ut oſtenderet quanta devotione audiebant turbæ verbum Dei, quia etiam in periculo ſequebantur eum. Deut. XIII. 3. „ Tentat vos „ Dominus Deus veſter, ut palam ſciat „ utrum diligatis eum. “

Item notandum, quod quatuor ponit quæ turbam debeant retrahere a ſequela Chriſti. Primum eſt quod ſeceſſit in navicula ; item quod in locum deſertum; item quod non erant

(a) Al. ſcilicet Chriſtum. (b) Al. collationis. (c) Al. affectum. (d) Al. præſumptionis.
(e) Al. *in unam civitatem*.

Digitized by Google

erant ibi aliqua nemora, quia erat deſertum; item non iuxta viam, ad quam homines libenter ſe divertunt: ſed iſte ſeceſſit ſeorſum. Hoc autem ſecit ut magis devotio turbæ ſit approbanda. Item Chryſoſtomus dicit, quod ſeceſſit ut hominem approbaret; ideo noluit ſecedere niſi nuntiata morte Ioannis.

Sequitur: *Et cum audiſſent turba &c.* Hic agitur de mirabilibus: & primo tangitur devotio turbarum; ſecundo tanguntur mirabilia. Dicit ergo: *Et cum audiſſent turba, ſecuta ſunt eum pedeſtres de civitatibus*: ubi tangitur devotio turbarum, & pauperum hominum, qui devotionis cauſa Dominum ſequuntur. Oſeæ VI. 1. „ In tribulatione ſua mane conſurgent ad me.“ *Et exiens vidit turbam multam &c.* Hic tangit mirabilia quæ operatus eſt Dominus exiens de deſerto; & recte, quia dum in cælis erat, non quærebant eum turbæ. Ioan. XVI. 28. „ Exivi a Patre, & veni in mundum.“ *Vidit turbam*: unde excitatur ad miſericordiam: unde ſequitur: *Et miſertus eſt eis*: unde ſtatim ſecit eis miſericordiam. Pſal. LXXXV. 15. (*a*) „ Miſerator, & miſericors „ Dominus, patiens, & multæ miſericor„ diæ, & verax.“ Sequitur effectus huius miſericordiæ: *Et curavit languidos eorum*, ſcilicet gratis, & non rogatus. Pſal. CVI. 20. „ Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.“

(b) Poſtquam excluſit Herodis opinionem, hic tangit doctrinæ Chriſti virtutem. Triplex enim eſt virtus eius: reficit, liberat, & infirmos ſanat. Prima igitur virtus oſtenditur, quia paſcit turbas; ſecunda, quia diſcipulos a periculis maris liberat; tertia, quia multos ſanat. Secunda ibi, *Et ſtatim impulit diſcipulos aſcendere in naviculam*; tertia ibi, *Et cum transfretaſſent &c.* Circa primum tria: quia primo ponitur voluntas reficiendi; ſecundo diſtributio cibi; tertio plenitudo reſectionis. Secunda ibi, *Ieſus autem dixit eis &c.* terria ibi, *Et manducaverunt omnes &c.* Dicit ergo: *Veſpere autem facto*, ſcilicet ſolis occubitu, per quod ſignificatur mors Chriſti, quia tunc tradidit corpus ſuum in cibum: unde I. Corinth. XI. 24. „ Hoc facite in meam commemoratio„ nem.“ Et ver. 26. „ Mortem Domi„ ni annuntiabitis donec veniat.“ Deinde inducit neceſſitatem ex loco: *Deſertus eſt locus*. Hic videtur illa eadem fieri quæſtio quæ habetur in Pſal. LXXVII. 19. Nam quomodo poterat Dominus menſam parare in deſerto? Item ſi iuxta villam eſſet locus, potuiſſet credi quod inde habuiſſet cibos; ſed locus erat deſertus. Item ponitur neceſſitas ex hora, quia dicit: *Et hora iam præterit*, qua poſſint ſibi aquirere cibos. *Dimitte turbas*. Ex hoc videtur quod diſcipuli ita ſuerunt intenti ſuavitati ſermonis Chriſti quod magis delectabantur in audiendo Chriſtum, qnam in procurando ſibi victum: unde parum curabant de corporis reſectione. Habetur enim Luc. XXI. 37. „ Erat au„ tem diebus docens in templo, noctibus „ autem morabatur in monte.“ Item alia occaſio, quia iam veſpere erat. De iſta ſame habetur Amos VIII. 11. „ Mittam „ famem in terra: non famem panis, ne„ que ſitis, ſed audiendi verbum Domini.“ Et in hoc ſignificatur devotio turbarum, item dilectio, & reverentia ad Chriſtum: quia non receſſerunt ab eo, quamvis veſpere eſſet.

Sed hic eſt quæſtio litteralis: quia in Ioanne habetur, quod Ieſus interrogavit Philippum; hic autem habetur, quod diſcipuli interrogaverunt Chriſtum.

Solvit Auguſtinus. Non eſt hoc inconveniens, quod id quod unus dimiſit, alter dicat. Unde primo dixerunt illi Chriſto; ſecundo elevans oculos Ieſus interrogavit diſcipulos.

Ieſus autem dixit eis. Hic ponit diſtributionem cibi; & circa hoc tria facit. Primo ponitur imperium Chriſti; ſecundo quantitas ciborum; tertio modus, & ordo diſtribuendi. Secunda ibi, *Reſponderunt ei &c.* tertia ibi, *Afferte mihi illos &c.* Duo dixerant. Primo ut dimitteret turbas; item quod quæreret eſcas ſibi: & ad hæc duo reſpondet Chriſtus: (*b*) Vos dicitis: *Dimitte turbas*; ſed *non habent neceſſe ire*: quia hic eſt „ qui dat e„ ſcam omni carni,“ Pſalm. CXXXV. 25. Item vos dicitis, quod quærant eſcas; ſed non eſt neceſſe, quia vos poteſtis dare eſcas cæleſtes: unde dicit: *Date illis vos manducare*. Unde datur exemplum quod ſpirituales eſcæ præponendæ ſunt carnalibus. Sequitur quantitas ciborum: *Reſponderunt ei*: *Non habemus niſi quinque panes, & duos piſces*. Ex hoc poſſumus notare, quod Apoſtoli ita erant dediti ſermoni Dei quod non curabant etiam de cibis quærendis. Ad Rom. XIII. 14. „ Et car„ nis curam ne feceritis.“ Myſtice per quinque panes doctrina legis. Eccli. XV. 3. „ Pa„ vit eos pane vitæ, & intellectus.“ Per duos piſces doctrina Pſalmorum, & Prophetarum importatur; vel, ſecundum Hilarium, per duos piſces doctrina Prophetarum, & Ioannis Baptiſtæ: ut duæ perſonæ excellentes in

(a) *Al.* Et miſerator. (b) *Al.* Vos dimittite turbas.

Digitized by Google

tes in lege, ſcilicet regalis, & ſacerdotalis. *Qui ait: Afferte mihi illos*. Hic ponitur modus diſtributionis: & primo ponitur præſentatio; ſecundo diſpoſitio turbarum; tertio oratio; quarto diſtributio. Unde dicit, *Qui ait*. Ipſe, qui omnipotens erat, (*a*) creare poterat panes novos; ſed voluit ex factis panibus reficere.

Sed quæ eſt cauſa? Ratio litteralis ſecundum Chryſoſtomum eſt, ut confutaret hæreſim Manichæorum, qui has creaturas a diabolo (*b*) dixerunt factas, contra illud quod ſcribitur I. ad Tim. iv. 4. „ Omnis creatura „ Dei bona eſt. " Unde ſi a diabolo eſſent, in eis tanta miracula non feciſſet. Item ut oſtenderet ſe dominum in terra, & in mari. Ille qui in Gen. i. 11. dixit: „ Germinet „ terra herbam virentem: " & qui dixit: (ibid. 20.) „ Producant aquæ reptile ani„ mæ viventis &c. " ille idem panes multiplicat. Item ad deſignandum quod legem veterem non reprobavit, ſed in novam convertit: ideo dicit, *Afferte mihi*, quia quæ in veteri lege ſcripta ſunt, ad novam debent referri. Unde ipſe dixit, Ioan. v. 46. „ Si „ crederetis Moyſi, crederetis forſitan & „ mihi. "

Et cum iuſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fenum &c. Hic ponitur diſpoſitio hominum: quia fecit ſedere ſuper fenum. Eſa. xl. 6. „ Omnis caro fenum. " Sedere ergo ſuper ſenum non eſt niſi carnem mortificare. Ad Coloſs. iii. 5. „ Mortificate membra veſtra „ quæ ſunt ſuper terram. " Item per fenum ſignificatur lex. Quia iſti erant Iudæi, ſublevabantur per legem; ideo noluit eos ſedere in terra. *Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus &c.* Notandum, quod Dominus faciens miracula aliquando orat, aliquando non orat. Aliquando orat, ut hic, ut verum hominem ſe oſtendat; aliquando etiam maiora facit, & non orat, ut Deum ſe oſtendat. *Aſpiciens in cælum benedixit: in cælum*, ſcilicet ad Patrem. Pſal. cxx. 1. „ Le„ vavi oculos meos in montes, unde veniet „ auxilium mihi. " *Benedixit*: quia per ſermonem Dei omnia benedicuntur. Nota, quod noſtrum benedicere non eſt factivum, ſed ſignificativum; Dei autem (*c*) benedicere eſt factivum: unde benedictio ad multiplicationem pertinet: unde Gen. i. 22. „ Benedixit, „ & dixit: Creſcite, & multiplicamini, „ & replete terram. " Conſequenter agitur de diſtributione: *Fregit, & dedit diſcipulis ſuis*: in quo ſignificatur quod prima diſtributio facta eſt diſcipulis a capite Chriſto. I. ad Corin. xi. 3. „ Omnis viri caput Chri„ ſtus eſt. " *Sed fregit*, ut notaret ſuam diſtributionem. Eſa. lviii. 7. „ Frange eſu„ rienti panem tuum. " *Et dedit diſcipulis*, quaſi mediatoribus. Infra xxvi. 26. *Accipite, & comedite*. I. ad Corint. xi. 28. „ Et ſic pro„ bet ſe homo ut de pane illo edat, & de „ calice bibat &c. " *Diſcipuli autem dederunt turbis*, ut diſtributores.

Sed quomodo multiplicati ſunt? Dicendum, quod fragmenta multiplicata ſunt. Et dicunt quidam hoc poſſe fieri naturaliter: ſicut enim materia ſe habet ad quamlibet formam, ita ſe habet ad quamlibet quantitatem. Sed hoc ſtultum eſt quod materia ſe habeat ad quamlibet quantitatem materialem: hoc enim non poteſt fieri niſi per rarefactionem; hæc autem rarefactio determinata eſt in naturalibus. Quidam dicunt quod multiplicat, ſicut ex paucis granis multa grana; ſed ibi per naturam, hic per operationem Chriſti. Unde manus Chriſti fuerunt quaſi terra, fragmenta quaſi ſemina: unde ſicut ſemina multiplicantur, ſic fragmenta. Sed non ſolum iſta, ſed per converſionem alterius materiæ in ipſam, hoc miraculum factum eſt.

Sequitur de plenitudine refectionis: & hoc quantum ad duo: quantum ad ſaturitatem, & quantum ad reſiduum. Unde dicitur: *Manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt*: ſecundum illud Pſal. xxi. 27. „ Edent paupe„ res, & ſaturabuntur &c. " *Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos*. Hic tangitur plenitudo refectionis ſub multitudine reliquiarum.

Sed quare voluit Dominus colligi reliquias? Litteralis cauſa eſt quam ponit Chryſoſtomus. Voluit primo quod colligerent diſcipuli, ne videretur phantaſma, item ne ab eis daretur oblivioni. Et quod tulerunt duodecim cophinos, hoc fuit ſecundum numerum duodecim Apoſtolorum, ut quilibet tolleret ſuum, ita quod eſſent in memoria omnium. Myſtice per fragmenta intelligitur ſenſus ſpiritualis, qui a turbis non capitur, ſed eſt in cophinis, ideſt in ſapientibus. I. ad Corinth. i. 26. „ Videte vocationem „ veſtram, fratres: quia non multi ſapien„ tes ſecundum carnem, non multi poten„ tes, non multi nobiles; ſed quæ ſtul„ ta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat „ ſapientes &c. "

Deinde ponitur numerus manducantium: *Fuit autem numerus manducantium quinque millia virorum*: ut de uno pane mille, ſecun-

(a) *Al.* unde creare. (b) *Al.* dixit. (c) *Al.* benedictio.

cundum Hilarium. Hoc etiam poſt aſcenſionem factum eſt, quando ad vocem Apoſtolorum uno die quinque millia converſi ſunt. *Exceptis mulieribus, & parvulis*: qui ſunt ignorantes, & (*a*) computari non ſunt digni. Simile habetur in Lib. Machabæorum;, quod parvuli, & mulieres non computantur ad bellum.

Item notate, quod iſtud miraculum ſtatim factum eſt poſt occiſionem Ioannis, & erat prope paſcha, & Chriſtus iam prædicaverat per annum, & revoluto anno paſſus eſt Chriſtus.

Et ſtatim impulit Ieſus diſcipulos. Hic figuratur virtus doctrinæ Chriſti, quia liberativa eſt a periculis, quia diſcipulos a periculis liberavit. Unde tria facit. Primo ponitur occaſio ſubeundi periculum; ſecundo periculum; tettio liberatio. Secunda ibi, *Et dimiſſa turba, aſcendit in montem &c.* tertia ibi, *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans ſupra mare*. Occaſio periculi fuit præceptum Chriſti: frequenter enim volentes obtemperare voluntati Dei, periculis exponuntur, ut ait Apoſtolus II. ad Corint. xi. 26. „Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitatibus, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus.“ *Unde ſtatim impulit eos intrare naviculam*. Unde ſtatim facto miraculo voluit ſeparari a turbis. Et hoc ſecit triplici ratione. Primo ut oſtenderet miraculi veritatem, ne propter eius præſentiam (*b*) illnd accidiſſe dicerent: ipſe enim veritas eſt, ut habetur Ioan. xiv. Secundo ut doceret nos inanem gloriam vitare; ideo poſt facta miracula recedit. Ioan. viii. 50. „Ego gloriam meam non quæro.“ Item ut diſcretionis virtutem (*c*) oſtenderet: diſcretionis enim eſt ſeparare ſe, & quieſcere. Sapien. viii. 16. „Intrans in domnm meam conquieſcam cum illa.“ Sed notandum, quod utitur impulſione, quia durum erat eis ſeparari a Chriſto, ut dicit Petrus, Ioan. vi. 69. „Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.“ Item oſtendit affectum turbarum, ſcilicet cum quo ardore ſequebantur eum. Cant. i. 2. „Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.“

Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Sequitur de periculo; & oſtenditur periculum ex tempore, ex loco, ex vento. Et primo ponitur abſentia Chriſti, quia cum eſſet cum diſcipulis, *aſcendit in montem ſolus orare*. Ipſe venerat plantare fidem noſtram; ideo operabatur aliquando humanum, aliquando divinum. Quod enim panes mulriplicavit, hoc Dei fuit; quod oravit, humanum fuit: non quod indigeret, ſed ut exemplum daret: omnis enim Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. Ioan. xiii. 15. „Exemplum dedi vobis, ut ſicut facio, ita & vos ſaciatis.“ Et dat nobis exemplum quomodo ad oraudum, & ad orationem requiritur quies mentis, elevatio, ſolitudo. Quies oſtenditur, quia *dimiſſa turba*, quæ deſignat cogitationes (*d*) perturbantes, cum quibus non poteſt homo orare; ideo oſtium cordis claudere docet. Supra vi. 6. *Cum autem oraveris, intra cubiculum &c.* Item elevatio. Thren. iii. 28. „Sedebit ſolitarius, & levabit ſe ſupra ſe.“ Item ſolitudo. Oſeæ ii. 14. „Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.“ Per montem intelligitur cælum: cælo enim nihil excelſius. Et dimiſſis turbis, ideſt dimiſſis mortalibus, ivit in cælum, & ipſe ſolus aſcendit, & propria virtute. Micheæ ii. 13. „Aſcendit ante eos pandens iter.“ Item aſcendit orare. Ad Hebr. vii. 23. „Per ſemetipſum (*e*) accedens.“

Sed hic videtur eſſe quæſtio: quia Ioannes videtur dicere quod pavit turbas in monte, ut habetur Ioan. ix. hic autem dicitur quod poſt refectionem turbarum aſcendit in montem. Sed reſpondetur, quod in monte pavit, ſed poſt in altiorem locum montis aſcendit.

Item eſt alia quæſtio: quia habetur Ioan. v. quod ipſe fugit, quia voluerunt eum facere Regem; hic autem dicitur quod aſcendit orare. Auguſtinus dicit quod eadem poteſt eſſe cauſa & fugiendi, & orandi.

Poſt deſcribitur periculum ex tempore, quia nox erat, & in nocte maius eſt periculum maris: ideo dicit: *Veſpere autem facto*. Et ſignificatur eius paſſio, quia in paſſione ſolus aſcendit. Actor. i. 9. „Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.“ *Navicula autem in medio maris iactabatur fluctibus*. Per naviculam ſignificatur Eccleſia, per mare mundus. Pſal. ciii. 25. „Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus.“ Et hæc Eccleſia, Chriſto (*f*) aſcendente, remanſit in mari, & in periculis maris mundi. Quando enim aliquis magnus impugnat Eccleſiam, tunc agitatnr fluctibus. Pſal. lxxxvii. 8. „Et omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.“ Sed quia Chriſtus orat, non poteſt ſubmergi,

(a) *Al.* computati. (b) *Al.* illudiſſe. (c) *Al.* oſtendat. (d) *Al.* perturbantes eum, quibus &c. (e) *Al.* aſcendens. (f) *Al.* deſcendente.

gi , quamvis fluctuet , & elevetur . Geneſ. vii. 17. „ Et elevaverunt arcam in ſublime „ a terra . " Item agitatur a vento . Iſte ventus eſt impetus diabolicæ incitationis . Iob i. 19. „ Quia venit ventus a regione deſerti , & concuſſit quatuor angulos domus . " Eſa. xxv. 4. „ Spiritus robuſtorum „ quaſi turbo impellens parietem . "

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos , ambulans ſupra mare . Poſito periculo, ponitur liberatio a periculo : & circa hoc duo facit. Primo ponitur auxilium; ſecundo effectus . Secunda ibi , *Qui autem in navicula erant venerunt , & adoraverunt eum* . Tria pericula poſuerat . Primo obſcuritatem noctis, periculum maris, periculum venti. Et contra primum ponit viſitationem ſuam ; contra ſecundum certitudinem ſui, ibi, *Statimque Ieſus locutus eſt &c.* contra tertium porrigit manum : (a) *Et continuo Ieſus extendens manum, apprehendit eum* . Item tranquillitatem maris : *Et cum aſcendiſſet in naviculam , ceſſavit ventus* . Circa primum ponitur ſua viſitatio ; ſecundo effectus ſuæ viſitationis, ibi, *Videntes autem eum ſupra mare ambulantem , turbati ſunt* . Dicit ergo : *Quarta vigilia noctis venit ad eos* . Hic tangitur & adventus eius , & tempus , quia *quarta vigilia* . Hieronymus dicit , quod antiqui dividebant noctem in quatuor partes . In prima quidam vigilabant, in ſecunda alii, in tertia alii, & in quarta alii : & illi qui vigilaverant quieſcebant . Unde dicit quod in quarta vigilia &c. quia tota nocte fuerant in mari . *Venit ad eos ambulans ſupra mare* . Et quare ? Aſſignat Chryſoſtomus rationem litteralem , dicens , quod tantum tardavit ut magis deſideraretur . Eſa. xxvi. 9. „ Anima mea deſideravit te in nocte . " Item ut diſcerent quod ſi ſtatim non haberent auxilium , quod non deſiſterent , quoniam oportet ſemper orare. Myſtice per quatuor horas ſignificantur quatuor ſtatus. Primo ſtatus legis ; ſecundo ſtatus Prophetarum ; tertio tempus gratiæ ; quarto aſcenſus in cælum : in quo ſtatu ceſſavit tempeſtas . Unde in quarta vigilia venit ſicut in fine noctis: unde Iac. ult. 8. „ Patientes eſtote „ & vos, & confirmate corda veſtra , quoniam adventus Domini appropinquabit. " Sed qualiter venit ? *Ambulans ſupra mare* . Et quare ſic voluit venire ? Ut ſe oſtenderet dominum maris. Pſal. lxxxviii. 10. „ Tu „ dominaris poteſtati maris , motum autem „ fluctuum eius tu mitigas. " Item ut oſtenderet illuſores poteſtatis huius ſæculi: (b) diabolus enim ſemper illudit poteſtati huius ſæculi. Pſal. ciii. 26. „ Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. " Sed iſtam poteſtatem Dominus fregit . Pſal. lxxiii. 4. „ Tu confregiſti capita draconis . " Et ſignificat quod Eccleſia non poteſt tribulationes ſuſtinere , niſi ſecundum quod voluit ipſe .

Opinio fuit hic , quod in hac vita Dominus accepit quatuor dotes , ſubtilitatis in nativitate , impaſſibilitatis quando ieiunavit quadraginta diebus, vel tranſubſtantiando ſacramentum Euchariſtiæ, agilitatis hic, claritatis in transfiguratione. Sed hoc non credo : credo enim quod miraculoſe fecit.

Et videntes eum . Hic ponitur effectus præſentiæ Chriſti , ſcilicet turbatio diſcipulorum: unde ponitur turbatio , ponitur cauſa , ponitur ſignum : & dicit : *Et videntes eum turbati ſunt &c.* Debetis ſcire , quod quando auxilium divinum eſt magis propinquum, permittit Dominus magis affligi, ut tunc magis cum devotione , & gratiarum actione recipiatur auxilium eius. Item magis timor crevit , quia frequenter ex timore homines convertuntur . Et quare ? Quia (c) crediderunt phantaſma eſſe : unde, *Dicentes quia phantaſma eſt* , non credentes eſſe verum corpus de Virgine. Myſtice enim ſignificatur quod antequam Chriſtus veniat , multi multa phantaſtica dicent , ut habetur infra xxiv. *Et præ timore clamaverunt* : clamor enim eſt ſignum timoris, ſicut etiam in omni tribulatione ad Dominum debemus clamare . Pſal. cxix. 1. „ Ad Dominum , cum „ tribularer, clamavi, & exaudivit me. "

Statimque locutus eſt eis &c. Hic ponitur auxilium . Quia in obſcuritate erant , ideo certitudinem dat: & tria facit. Primo certificat verbis ; ſecundo petit ſignum Petrus factis; tertio conceditur ei. Tria poſuerat : turbationem timoris , falſitatem opinionis , item deſperationem: & contra iſta tria facit, quia *ſtatim locutus eſt eis* . Unde quando quis clamat ad Dominum , ſi opus eſt, ſtatim venit . Eſai. xxx. 19. (d) „ Ad vocem „ clamoris tui , ſtatim cum audierit , reſpondebit tibi. " Item, quia erant deſperantes , dicit eis , *Nolite timere* . Idem habetur Ioan. xvi. 33. „ In mundo preſſuram „ habebitis ; ſed confidite , quia ego vici „ mundum ; " in me autem quietem. Item quia phantaſma credebant , ideo dicit eis , *Ego ſum* . Et quare dicit ſic ? Quia ex modo loquendi ſuo poterant certificari . Ioan. x. 3. „ Oves meæ vocem meam audiunt. "

(a) Al. *Videns autem &c.* (b) Al. *deeſt hæc ſententia* : diabolus &c. *uſque* ſæculi . (c) Al. crediderunt phantaſma eſſe, dicentes, *quia* &c. (d) Al. „ Ad vocem meam &c. "

Item ut ſe verum Deum oſtenderet. Simile habetur Exod. III. 13. „ Qui eſt, miſit „ me: “ dixit Moyſes. Item contra hoc quod turbati erant, dixit, *Nolite timere*. Eſa. li. 12. „ Quis es tu ur timeas ab homi„ ne morrali, & a filio hominis, qui quaſi „ fenum ita areſcit? “ Et Prover. XXVIII. 1. „ Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque „ terrore erit. “ *Reſpondens Petrus dixit: Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas*. Quia auxilium contulerat verbis, ideo Petrus petit ſignum factis. Petrus autem in perſona totius fiducialiter petiit, & dixit: *Si tu es, iube me ad te venire*. Hic eſt magna fiducia Petri. Non dixit, Ora pro me, ſed dixit: *Iube me ad te venire*: quia ipſe confeſſus eſt (inf. XVI. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Unde ex fide quam iam conceperat, audacter confidit in eius poteſtate. Eſther XIII. 9. „ Domine, in poteſtate tua cuncta „ ſunt poſita, & non eſt qui reſiſtere poſſit „ voluntati tuæ. “ Et hoc dixit ex ſolo deſiderio, non ut tentaret, nec ex infidelitate. I. ad Theſ. 1. 3. „ Memores fidei veſtræ, „ operis, & laboris &c. “ Deinde ponitur ſignum, unde dixit, *Veni*. *Et deſcendens Petrus de navicula ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Ieſum*. Et hoc contra Manichæos, qui dixerunt, quod Chriſtus non habebat verum corpus: quia ſi Chriſtus non habebat, quia ambulabat ſuper aquas; ſic nec Petrus. Per hoc quod poſt quartam vigiliam adhuc imminebat periculum, ſignificatur quod in quarto adventu quod erit purgandum, purgabitur in electis. Pſal. XCVI. 3. „ Ignis „ ante ipſum præceder, & inflammabit in „ circuitu inimicos eius. *Videns autem ventum validum &c.* Hic ponitur tertium auxilium, quia liberavit Petrum a ſubmerſione: & primo ponitur cauſa; ſecundo petitio Petri; tertio auxilium Chriſti. *Videns autem ventum validum, timuit*. In mari ventus non habet continuum impetum, ſimiliter nec in terra: unde interpellabatur quando Petrus intravit mare; ſed cum fuit ſuper mare, flavit fortiter; & tunc *timuit*. Ex hoc eſt conſiderandum quod dicit, quod periculoſius erat ſupra mare quam in navi; ideo Dominus aliquando fortes in periculo maris ſubmergi permittir. Unde Apoſtolus I. ad Corin. X. 12. „ Qui exiſtimat ſe ſtare, videat „ ne cadat. “ Sed quare permiſit in periculo? Primo præcepit ire, ut virtus eius oſtendatur, quia uterque ambulabat; & hoc viderunt diſcipuli. Sed quod permiſerit mergi Petrum, hoc fecit ut experiretur quid poſſet de ſe. Unde quod ivir ſupra mare, hoc fuit virtute Chriſti; quod autem cœpit mergi, hoc fuit infirmitatis Petri: ſicut Paulus II. ad Corin. XII. 7. „ Ne magnitudo „ revelationum extollat me, datus eſt mihi „ ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ qui „ me colaphizet. “ Permiſit etiam Dominus Petrum mergi, quia futurus erat paſtor. Voluit ergo & virtutem oſtendere, & infirmitatem. Item hoc fecit ad compeſcendam æmulationem diſcipulorum: quia enim viderunt eius periculum, ceſſavit æmulatio eorum. *Et cum cœpiſſet mergi, clamavit: Domine, ſalvum me fac*. Simile habetur in Pſal. LXVIII. 2. „ Salvum me fac, Domine, „ quoniam intraverunt aquæ uſque ad ani„ mam meam. “ *Et continuo Ieſus extendens manum apprehendit eum*. Chriſtus duo facit: quia & auxilium impendit, & infideliratem arguit. Auxilium impendit, quia manum porrigit. Pſal. CXLIII. 7. “ Emitte manum tuam „ de alto, libera me, & eripe me de aquis „ multis. “ Et Iob XIV. 15. „ Operi manuum „ tuarum porriges dexteram. “ Deinde de infidelitate eum arguit, & ait illi: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* In quo ſignificatur quod ſi fidem certam habuiſſer, ſubmergi non potuiſſet: ideo ſtabiles eſſe debemus in fide. Idem habetur ſupra VIII. 26. „ Quid timidi „ eſtis modicæ fidei? “ *Et cum aſcendiſſet in naviculam, ceſſavit ventus*. Hic ponitur quartum auxilium contra ventum. Pſal. CVI. 25. „ Dixit, & ſtetit ſpirirus procellæ. “ Unde ſignum eſt quod cum Chriſtus eſt cum ſuis, nil perverſi habent. Unde Apoc. VII. 16. „ Non eſurient, neque ſitient ultra. “

Sequitur liberationis effectus: *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum*, ſcilicet diſcipuli, vel nautæ. Supra VIII. 27. „ Qualis eſt hic, quia venri, & „ mare obediunt ei? “ *Vere Filius Dei es*. Per hoc autem ſignificatur quod quando Dominus cum fidelibus eſt tunc veraciter credunt. I. Ioan. II. 28. „ Filioli manete in eo, „ ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, „ & non confundamur ab eo in adventu „ eius. “

Et cum transfretaſsent, venerunt in terram Geneſaret. Hic ponitur virtus Chriſti: & primo deſcribitur locus; deinde devotio hominum; & poſt virtus operativa. Dicit ergo: *Et cum transfretaſsent, venerunt in terram Geneſaret*, qui locus eſt ex alia parte maris, & interpretatur ortus: unde poſt periculum venerunt ad refrigerium. Deinde ſequitur devotio turbarum: *Et cum cognoviſsent eum viri loci illius, miſerunt in univerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes &c.* quia non ſolum ſuos infirmos obtulerunt, ſed miſerunt pro extraneis. Unde cum

co-

cognoviſſent per famam, & per doctrinam, miſerunt pro infirmis, & obtulerunt ei: unde omnes credebant in eum; tantæ erat virtutis ſermo eius. Et hoc ſignificatur Eſa. ult. 19. „ Mittam ex eis qui ſalvati fuerint „ ad gentem in mare &c. “ Item devotio etiam demonſtratur, quia non ſolum petebant quod imponeret manus, ſed *eum* tantum *rogabant ut vel fimbriam veſtimenti eius tangerent*. Per fimbriam ſignificantur minima præcepta; vel caro Chriſti; vel ſacramentum baptiſmi. *Et quicumque tetigerunt*, ſcilicet per fidem, *ſalvi facti ſunt*. Unde Mar. ult. 16. „ Qui crediderit, & baptiza„ tus fuerit, ſalvus erit. “

CAPUT XV.

(a) TUnc acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis ſcribæ, & phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas cum panem manducant. Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem; &, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit; & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis, Eſaias dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe eſt a me. Sine cauſa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum. Et convocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes diſcipuli eius dixerunt ei: Scis quia phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Reſpondens autem Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem; non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.

(b) Et egreſſus inde Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egreſſa, clamavit dicens ei: Miſerere mei Domine fili David: filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine adiuva me. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Ieſus ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.

(c) Et cum tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare Galilææ, & aſcendens in montem ſedebat ibi. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curavit eos: ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſrael. Ieſus autem convocatis diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ, quia triduo iam perſeverant mecum, & non habent quod manducent; & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos ut ſaturemus turbam tantam?

Digitized by Google

Et ait illis Ieſus: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos. Et præcepit turbæ ut diſcumberent ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens fregit, & dedit diſcipulis; & diſcipuli dederunt populo; & comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas. Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres. Et dimiſſa turba, aſcendit in naviculam, & venit in fines Magedan.

(a) Supra Dominus ſub figuris virtutem ſuæ doctrinæ oſtendit; nunc oſtendit ſufficientiam eius. Oſtenditur autem dupliciter. Primo quod non requirit obſervantias legis; ſecundo quod non ſolum uni genti Iudæorum data ſit, ſed & gentilibus, ibi, *Egreſſus inde Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis*. Circa primum tria facit. Primo tanguntur circumſtantiæ accuſationis; ſecundo accuſatio; tertio expoſitio. Secunda ibi, *Quare diſcipuli tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* tertia ibi, *Non enim lavant manus ſuas cum panem manducant*. Aggravatur autem malitia eorum ex tribus. Primo ex tempore, quia tunc quando hæc ſigna faciebat & miracula, ipſi faciebant ſigna iniquitatis: unde malignabantur. Supra XI. 25. *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus &c.* Item redditur aggravatio ex loco, quia cum Iudæi eſſent diffuſi per Iudæam, illi tamen qui erant in Hieruſalem, erant ſapientes; & tamen erant deteriores. Eſa. XXVI. 10. „ In terra ſanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini. " Item aggravatur ex conditione perſonarum, quia de magnis venerunt ſcribæ, qui erant magis litterati, & phariſæi, qui reputabantur magis ſancti. Hier. V. 5. „ Ibo ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognoverunt viam Domini. " Deinde ponitur id in quo accuſabant eos: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* Præceptum erat, ut habetur Deut. IV. 2. „ Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. " Unde addentes traditiones, contra legem faciebant: non quod (a) non liceret conſtituere aliquid; ſed quod ita præcipiebant obſervari ſicut legem Domini. *Non enim lavant manus ſuas &c.* Hic exponitur quæ ſunt eorum traditiones. Hoc tamen exponitur magis Marc. VII. 2. ibi enim dicitur, quod „ cum vidiſſent quoſdam de diſcipulis eius, communibus manibus, ideſt non lotis, manducare panes, vituperaverunt. " Et poteſt hoc eſſe ad litteram, quia non lavabant manus. Quare? Quia ita ſoliciti erant verbo Dei, quod etiam tempus non habebant: unde ex ſolicitudine circa ſpiritualia non ſe lavabant eo modo ſicut Iudæi, ſicut habetur Marc. VII. quod omnes Iudæi niſi crebro lavent manus, non manducant. Ideo diſcipuli non lavabant ſecundum ritum eorum. Unde carnaliter intelligebant quod dicitur Eſa. I. 16. „ Lavamini, mundi eſtote. " Unde ipſi ad litteram intelligebant, lavantes quod erat exterius, & non quod interius. *Ipſe autem reſpondens, ait illis*. Dominus duo facit: quia non reſpondet excuſando diſcipulos; ſed oſtendit quod ipſi non ſunt digni (b) qui reprehenderent eos. Supra VII. 5. *Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo*. Conſtat quod tranſgredi mandatum Dei eſt gravius quam traditiones hominum; & ideo qui tranſgrediebantur mandata Dei, in maioribus delinquebant. Ideo primo oſtendit eos tranſgreſſores legis; ſecundo quod mandatum tranſgrediuntur. Dicit ergo: *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei*, & non obſervatis, *propter traditionem veſtram?* Rom. X. 3. „ Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. " Eſa. III. 8. „ Lingua eorum, & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos maieſtatis eius. " Deinde cum dicit, *Nam Deus dixit &c.* ponit quod eſt iſtud mandatum, quod eſt ſcilicet de honoratione parentum. Et primo ponit mandatum; ſecundo pœnam: unde dicit: *Nam Deus dixit*: (Exod. XX. 12.) *Honora patrem, & matrem tuam*. Et notandum, quod honor non eſt niſi reverentia exhibita in teſtimonium virtutis. Ille enim exhibet reverentiam qui quæ neceſſaria ſunt adminiſtrat: unde non ſolum tenetur homo aſſurgere, ſed etiam neceſſaria miniſtrare. Eccli. II. 21. „ Qui timent Dominum, cuſtodient mandata illius. " Et quod debeatur talis honor patet, quia Tobias mutuavit Gabelo, quod agere præceperat Dominus. Exod. XX. 12 ſtatim addit pœnam: „ Ut ſis longævus ſuper terram. " Item Levit. XX. 9. addit pœnam tranſgreſſoribus. *Qui maledi-*

(a) *Al. deeſt* non. (b) *Al.* quia reprehendebant.

dixerit patrì ſuo , *& matri ſua* , *morte moriatur*. Et ſic in benedictione noo ſolum intelligitur quod ore benedicas , ſed etiam quod benedictionem impendas. Prov. xx. 20. „ Qui maledixit patri ſuo, & matri, extin„ guetur lumeo eius in mediis tenebris . “ Sed quia poſuit incitativum ex parte pœnæ, quare non poſuit præmium ex obedientia ? Quia homioes magis terrentur a pœna , quam deſiderent præmium : nam & brutum a pœna terretur . Ex hoc enim habetur , quod ſi qui detrahunt patri, & matri , ſunt digni morte: ergo qui movent alios eis detrahere, ſuot digni morte: quare non ſunt digni accuſatione. Ergo vos oon eſtis digni accuſare eos. *Vos autem dicitis &c.* Hic tangit quomodo tranſgrediuntur . Et primo hoc oſtendit ; ſecundo auctoritatem ponit . Et circa primum oſtendit ritum ſuum ; ſecundo quid ſequebatur . Dicit: *Vos dicitis* : *Quicumque dixerit patri* , *vel matri &c.* Multis modis hoc legitur . Uno modo ut ſit cooſtructio perfecta; & tunc ſic . *Quicumque* , ideſt quivis, *dixerit* , ideſt dicere poterit . Alio modo ut ſit imperfecta , ſic . *Quicumque dixerit &c.* ſupple, ſervat mandatum , & eſt immuois a pœna . Quid eſt hoc dictum ? Tripliciter expooitur. Rabanus dicebat , quod ſpirituale booum preferendum eſt temporali; ideo dicebant his qui habebant patres pauperes, ut dicerent eis: Pater non diſpliceat tibi ſi non do tibi neceſſaria , quia munus quod offero, proficit tibi ſpiritualiter . Sed hoc non erat verum, ſecuodum illud (Eccli. xxxiv. 23.) „ Dona iniquorum noo probat „ Altiſſimus. “ Et Prover. xxviii.24. „ Qui „ ſubtrahit aliquid a patre ſuo , & a ma„ tre, & non dicit hoc eſſe peccatum, par„ ticeps homicidæ eſt “ Ideo ſi aliquis habet patrem , vel matrem , & non poſſent vivere ſine eo; qui diceret ei, Vade ultra mare, vel intra religionem , in hanc ſententiam incidit . Alia eſt expoſitio . Hieronymus autem legit interrogative; ideſt, *Numquid proderit tibi* ? Habetur Levit. xxii. quod alienigena non poterat ſumere quæ cooſecrata erant Domino: ideo filios qui habebant patres paoperes , monebant quod offerreot Deo. Et ſi patres velleot ſuſtentari ex eis, dicereot eis: Si aliquid accipias ex illo quod Deo debeo offerre, oumquid proderit tibi ? Non , immo magis erit tibi io damnationem. Auguſtinus ſic expooit . Dicebant Iudæi, quod pueri dum erant ſub tutela patris , eis tenebantur . Uode quando parvi ſunt filii, patres offerunt pro filiis , & valet eis; ſed quando liberi arbitrii ſunt , tunc non valet devotio aliena: unde dicebant, quod omois qui ad hunc ſtatom poteſt pervenire, & patri ſuo dicere: *Munus quod ex me eſt*, *tibi proderit*: non teoebatur patri . Sed ex iſta doctrina ſequuntur duo inconvenientia . Unum contra proximom, aliud contra Dominum . Contra proximum: quia qui ſic diceret, & qui ſic inſtructus eſt, non honorificat patrem ſuum. Unde Rom. 1. 30. „ In„ ventores malorum , parentibus non obe„ dientes . “ Et ſequitur : „ Qui talia agont , „ digni ſunt morte . “ Item cootra Deum: unde dicit : *Et irritum feciſtis mandatum Dei* ; quaſi dicat : Non ſolum feciſtis contra proximum, immo etiam *irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram* . *Hypocritæ*. Proprie dicebantur hypocritæ qui intrabant theatrum , & habebant unam perſonam , & ſimulabant aliam cum larvis . Iſti ergo hypocritæ ſont, qui exterius aliud prætendunt quam habeant interius: uode ioterius iotendebant lucra , exterius movebant homines ad offerendum Deo. Iob xxxvi.13. „ Simulatores , & callidi provocant iram „ Dei , neque clamabunt cum vioɛti fue„ rint . “ *Bene prop etavit de vobis Eſaias* . Hoc habetur Eſa. xxix. Primo ponit doplicitatem eorum; ſecundo inutilitatem ſervitii, ibi , *Sine cauſa autem colunt me*. Dicit ergo: *Populus hic labiis me honorat* ; *cor autem eorum longe eſt a me* . Et hoc ad litteram , quia honorabant (*a*) labiis , ſed corde longe erant a Deo : quia Chriſtum in nomine Dei venientem noo recipiebant . Vel ſic. *Populus hic labiis me honorat &c.* quod enim dicont, quod homo debet offerre Deo , videtur quod honorent Deum ; *cor autem eorum longe eſt*: quia noo tendebant ad honorem Dei, ſed ad cupiditatem: unde quanto cupiditas maior, tanto caritas minor. Hoc habetur Hier. xii. 2. „ Prope es tu ori „ eorum, & longe a renibus eorum. “ Sed oumquid iſta fictio valet eis ? Non, quia non placet Domino: unde ſequitur: *Sine cauſa autem colunt me* .

Sed quid eſt hoc dictum? Ieiunare eſt doctrina hominum, & canones ſunt traditiones hominum: numquid qui hæc doceot, ſine cauſa colunt Deum ? Intelligendum eſt in præiudicium mandatorom Dei. Iob xxxii. 21. „ Deum homini non æquabo. “ Act. v. 9. „ Obedire oportet magis Deo quam ho„ mioibus. “ Quare? Quia Deus decipi non poteſt. Eſa. 1. 13. „ Ne offeratis ſacrificium „ fruſtra . “ Ex hoc habemus quod homo

magis

(a) *Al.* labia.

Digitized by Google

magis debeat ſibi conſcientiam facere de transgreſſione mandati, quam de tranſgreſſione eccleſiaſticæ conſtitutionis.

Et convocatis ad ſe turbis, dixit eis &c. Supra oſtendit Dominus, phariſæos calumniantes eſſe indignos quod reprehenderent diſcipulos, quia maioribus eraot involuti peccatis; nunc autem prætermittens eos, inſtruit alios: ut impleatur quod dictum eſt ſupra xi. 25. *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Et primo inſtruit turbas; ſecundo diſcipulos, ibi, *Tunc accedentes diſcipuli &c.* Et circa primum doo facit. Primo præparat ad audiendum; ſecundo dat doctrinam ſuam. Secuoda ibi, *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

Notandum, quod ad audiendum aliquem alium requiritur attentio, per quam homo ad interiora revocetur, & in ſe congregetur. Et hoc facit, cum dicit, *Et convocatis eis*: quia oportet quod ad ipſum congregemur. Pſal. xxxiii. 6. „ Accedite ad eum, & illuminamini." Secondo neceſſaria eſt diligentia io audieodo: ideo dicit, *Audite.* Prover. i. 5. „ Audiens ſapiens, ſapientior erit." Item requiritur intellectus: unde dicit, *Et intelligite.* Pſal. xciii. 8. „ Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite."

Conſequenter proponit altiſſimam doctrinam, quæ eſt perfectio moralis vitæ: unde notaodum, quod aliquid immutatur ab exteriori, ut aqua caleſit ab igne; aliquid ab interiori, ut homo mutatur per peccatum. Quantumcumque enim moveatur exterius, non eſt peccatum niſi conſeotiat homo interius. Iob xxxvii. 9. „ Ab interioribus „ pervenit tempeſtas." Unde primo oſtendit quod noo ab exterioribus; ſecundo quod ab inreriori. Dicit ergo: *Non quod intrat per os, coinquinat hominem.*

Contra, illud obiicitur quod habetur per veterem legem: habetur enim Lev. xi. quod multa cibaria prohibeotur, uode homioes fiebant immundi.

Reſponder Auguſtinus contra Fauſtum dicens, quod aliquid dicitur immundum dupliciter. Uno modo ſecundum naturam ſuam; & ſic nulla ſunt immunda, ſecundum illud I. ad Timot. iv. 4. „ Omnis creatura Dei „ bona eſt, & oihil reiiciendum quod cum „ gratiarum actione percipitur." Item aliquid poteſt eſſe immundum ſecundum ſignificationem; & ſic poteſt aliqua res eſſe (*a*) ſignum immunditiæ, & munditiæ: ut ſi accipiamos porcum, & agnum in ſua natura, utrumque eſt bonum; tamen ſua ſignificatione porcus ſignificat immunditiam, agnus innocentiam: ideo quantum ad ſignificationem unum eſt mundum, aliud immundum. Et quia ante adventum Chriſti erat tempus in quo vivebant ſub figuris, quia ooo adhuc patebat veritas; ideo illæ obſervaotiæ erant ſervandæ, & cadebant ſub præcepto. Sed quia in adveotu Chriſti veritas manifeſtabatur, ceſſabat figura; ideo &c.

Sed iterum reſtat alia quæſtio: quia habetur Act. xv. quod Apoſtoli præceperunt, quod cooverſi abſtioereot a ſuffocato, & ſanguine: ergo videtur quod veritate maoeote debeant teneri illæ obſervaotiæ.

Antiqui dixerunt, quod iſtud ad litteram intelligendum eſt, qood adhuc ab iſtis abſtioendum eſt, quia immunda ſunt. Sed hoc nihil eſt, quia contradicit auctoritati Apoſtoli ad Tit. i. 15. „ Omnia munda mundis." Aliqui dixerunt, quod iſtud partim ad litteram intelligendum eſt, partim moraliter: quod enim dicitor de fornicatione, illud ad litteram prohibuerunt; quod autem a ſanguine, hoc intelligendum eſt, quod ſanguis innoxius ooo effuderetur; quod vero dicitur de ſuffocato, ſic intelligendum erat ut nullus alii calumniam inferret. Sed noo debet ſic intelligi, quamvis ſit expoſitio vera. Verſabatur enim quæſtio, utrum gentiles converſi tenerentur ad iſta quæ prohibuerunt Apoſtoli: ideo oportet intelligi ſecundum quod Iudæis erat conſuetum. Ideo aliter diceodum eſt, quod Apoſtoli aliquid (*b*) conſiderabant, & prohibebant, vel quia ſecundum ſe illicitum, vel quia occaſio ſcandali: unde ſornicationem quaſi illicitam prohibuerunt; ſanguinem aotem ne ſcandalum aliis facerent, ut ſcilicet ſcandalum tolleretur. Et hoc ſonant verba Apoſtoli I. ad Corioth. viii. 9. „ Videte autem ne hæc liceotia veſtra „ offendiculom fiat infirmis."

Item ſi obiicitur: Ponatur quod aliquis in quadrageſima comedat carnes, nonne coinquioatur? dicendum, quod non ex cibo, ſed ex violatione præcepti. Rom. xiv. 17. „ Regnum Dei non eſt eſca, & potus."

Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Hic videtur tangere ſolum peccata quæ ex ore procedunt, & hæc coinquinant. Luc. xix. 22. „ Ex ore tuo te iudico, ſer„ve neqoam." Et ſupra vii. 2. (*c*) *Ex ore tuo iudicaberis.*

Sed dicendum, quod proprium officium oris eſt dicere. Eſt autem duplex dicere: exterius ore corporali, & interius ore mentis,

(a) *Al.* ſignum munditiæ. (b) *Al.* non conſiderabant. (c) Ibi: *In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini.*

Digitized by Google

tis, de quo Pſal. XIII. 1. „ Dixit inſipiens „ in corde ſuo: Non eſt Deus. “ Sic ergo per os poteſt intelligi os cordis, ſcilicet mens hominis; & ſic omne peccatum eſt ex ore, quia numquam eſt peccatum niſi ex propoſito mentis. Sic ergo *quod procedit ex ore*, ſcilicet cordis, *hoc coinquinat*, quia peccatum adeo eſt voluntarium quod ſi non ſit voluntarium, non eſt peccatum.

Tunc accedentes diſcipuli eius &c. Hic inſtruit de ſcandalo vitando; & de principali quæſtione, ibi, *Reſpondens autem Petrus*. Circa primum duo. Primo ponitur quæſtio diſcipulorum; ſecundo Chriſti reſponſio. Hic intelligendum quod phariſæi, & diſcipuli audierunt hoc verbum, in quo intelligebant, quod omnes ſuas traditiones ſubverteret, non autem præcepta Domini: ideo abominantes nihil dixerunt, ſed turbationem habuerunt: ideo diſcipuli dixerunt: *Scis quia phariſæi, audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt?*

Hoc verbum *ſcandalum* frequenter invenitur in Scripturis: unde videndum quid ſignificet. Scandalum in Græco idem eſt quod offendiculum, ut lapis in via: unde offendiculum dicitur ubi eſt occaſio ruinæ. Sed aliquando aliquis ſcandalizat active, aliquando paſſive. Active ſcandalum dicitur quando eſt aliquod factum quod eſt non ſolum in ſe malum, ſed etiam aliis offendiculum: ideo ſcandalum dicitur dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ. Et non dicit cogitatum, quia oportet quod ſit patens. Item non dicit malum, ſed minus rectum, quia oportet quod habeat ſpeciem mali. I. Theſſal. v. 22. „ Ab omni „ ſpecie mali abſtinete vos. “ Item eſt ſcandalum paſſivum; ut ſi aliquis bonum verbum dicat, vel oret, alius ſcandalizetur, & accipiat ſibi occaſionem ruinæ. Unde Dominus non ſcandalizavit, ſed ipſi ceperunt occaſionem. Unde (a) dixerunt diſcipuli ſui, quod phariſæi inde ceperunt ſcandalum; & hoc prænuntiatum erat per Eſa. VIII. 14. „ Et erit vobis in ſanctificationem: in lapidem autem offenſionis, & in petram „ ſcandali. “

At ille reſpondens ait. Hic ponitur reſponſio Domini, & oſtendit eorum ſcandalum contemnendum: primo quia alieni a Deo; ſecundo quia nocivi hominibus, ibi, *Sinite eos: cæci ſunt, & duces cæcorum*. Dicit ergo: *At ille reſpondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur*. Ex verbis iſtis illi qui poſuerunt duas naturas, voluerunt confirmare errorem ſuum: quia malam naturam a malo Deo dixerunt, bonam a bono. Unde dicunt: Si aliquis de mala creatione ſit, etſi videatur facere bona, non poteſt perſeverare. Sed non eſt ſic. Nam, ut dicit Hieronymus, contrarium habetur Hiere. II. 21. „ Ego te „ plantavi vineam electam, omne ſemen „ verum: quomodo ergo converſa es in amaritudinem? “ Hoc ergo patet quod non eſt a Deo. Sic ergo converſa eſt per iſtam plantationem non natura; ſed aliquid ſuperveniens intelligitur, & hoc eſt perverſa voluntas: unde natura ſemper remanet, ſed voluntas perverſa eradicatur: unde poteſt iſta plantatio intelligi de traditione hominum, quæ eſt eradicanda, ſi ſit contra Deum; ſed traditio quæ eſt a Deo, numquam eſt eradicanda. Unde *omnis plantatio*, idest traditio quæ non eſt a Deo Patre meo, *eradicabitur*. Et hoc habetur Act. v. 39. de Gamaliele qui dixit: „ Si fuerit hoc a Deo, non poteritis „ contradicere. “ Hoc patet etiam in omnibus. Videbis aliquem qui bona opera facit fundata in caritate: ad Ephe. III. 17. „ In caritate radicati, & fundati: “ & hæc non poſſunt eradicari. Sed alia quæ non habent bonum fundamentum, ut dare eleemoſynam propter vanitatem, eradicantur. Unde Eccli. XIV. 20. „ Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui facit illud, cor„ ruet in illo. “ Unde ſic intelligendum eſt Sap. IV. 7. „ Adulterinæ plantationes non „ dabunt radices altas. “

Contra hoc habetur I. ad Cor. III. 6. ubi dicit Paulus: „ Ego plantavi, Apollo „ rigavit. “ Ergo Paulus eradicabitur. Dico, quod Paulus non plantavit ut principalis, ſed ut miniſter.

Sequitur: *Sinite illos: cæci ſunt*. Hic oſtendit ſcandalum eorum (b) contemnendum quia nocivi ſunt hominibus. Et primo docet contemnendum; ſecundo præſumptionem eorum; tertio nocumentum. Circa primum: Dicitis quod ita ſcandalizentur: *ſinite eos*, & non curetis.

Sed numquid non eſt curandum de ſcandalo? Nonne Dominus ut vitaret ſcandalum miſit Petrum ad mare, ut ſolveret tributum? Dicendum, quod ſcandalum aliquando oritur ex veritate: unde illud: Vitandum eſt ſcandalum quod poteſt vitari ſine præiudicio veritatis, vitæ, vel doctrinæ, vel iuſtitiæ: unde iudex non debet dimittere iudicium, ſi aliquis inde ſcandalizatur. Sed tamen diſtinguendum: quia aliqui ſcandalizantur ex infirmitate, aliqui ex certa malitia. Scandalum

(a) *Al.* dixerant. (b) *Al.* vitandum.

Digitized by Google

lum puſillorum vitandum eſt, veritate ſervata; & tamen poteſt homo differre, vel remittere. Sed ſi ex malitia, non: & ſic iſti ſcandalizantur. Unde ſi non ex malitia ſcandalizarentur, non dixiſſet Dominus, *Sinite illos*, ſed potius, Inſtruite eos. Ad Titum III. 10. „ Hæreticum hominem poſt ſecun„dam monitionem devita. “ Hier. v. 9. „ Curavimus Babylonem, & non eſt curata. “

Et quare *cæci ſunt*? Spiritualiter cæci ſunt ignorantes. Eſa. LVI. 10. „ Speculatores eius „ omnes cæci. “ Et quia ex certa malitia, non ſolum ſunt cæci, ſed etiam *duces cæcorum*, & magiſtri. Iob XIX. 4. „ Si ignora„vi, mecum erit ignorantia mea. “ Quod ſint duces cæcorum, hoc eſt bonum; ſed quod cæci, hoc eſt malum. *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Iob XL. 8. „ Abſconde eos in pulvere, “ ſcilicet quantum ad corpus.

Reſpondens autem Petrus. Inſtruit eos hic de principali quæſtione, ubi tria facit: quia primo ponitur petitio Petri; ſecundo increpatio; tertio doctrina. Secunda ibi, *At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* tertia ibi, (*a*) *Non intelligitis &c.* Dicit ergo: *Reſpondens autem Petrus dixit ei: Ediſſere nobis parabolam hanc*. Petrus conſuetus erat audire parabolas multas ab eo; ideo credebat quod loqueretur parabolice: vel quia Petrus nutritus erat in obſervantiis legalibus, ſicut dixit in Actibus Apoſtolorum cap. . „ Ab„ſit a me Domine: numquam coinquinatum „ intravit in os meum: “ ideo credebat quod ad litteram non diceret, ſed parabolice. Prov. I. 6. „ Animadvertet parabolam, & „ interpretationem, & verba ſapientium, „ & ænigmata eorum. “ *At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Dominus enim omnibus in Petro reſpondit, qui pro omnibus loquebatur. Hic reprehendit eos. Sed quare? Una ratio eſt quam ponit Hieronymus, quia quod palam dictum eſt, parabolice dictum putant. Sicut enim reprehendendus eſt qui manifeſtat occulta, ſic e converſo qui occultat manifeſta. Pſalm. XXXI. 9. „ Nolite fieri ſicut equus, & mulus, in qui„bus non eſt intellectus. “ Alia ratio eſt Chryſoſtomi: quia videbatur zelare pro Iudæis, quia nutritus in legis doctrina; ideo videbatur inde triſtari. Conſequenter exponit: & primo exponit quod dixerat, ſcilicet *Quod intrat in os*; ſecundo ſecundum quod dixerat, ſcilicet *Sed quod exit de ore, hoc coinquinat hominem*; tertio concludit intentionem. Dicit ergo: *Non intelligitis quod omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?* Et quare ſic dicit Dominus? Dicit Chryſoſtomus, quod loquitur eis quaſi aſſuetis in obſervantiis legis. Erat autem intentio legis, quod dum cibus erat in ore indigeſtus, (*b*) immundus erat; ſed cum digeſtus, mundus: unde ſemper dicitur in lege: „ Immundus erit uſque ad veſperum. “ Ideo ponamus quod ſervari debeant iſtæ obſervantiæ, (*c*) non tamen reddunt hominem immundum, niſi ad tempus: unde quod tranſit, non poteſt immundare eos. Vel aliter. Nihil poteſt immundare animam quod non contingit eam; cibus autem non contingit animam; & hoc eſt ſignum, quia *in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*.

Sed, ſicut dicit Hieronymus, contra hoc obiiciunt aliqui, dicentes, Dominum eſſe ignarum naturalis ſcientiæ, quia non totum in ſeceſſum tranſmittitur. Unde quidam volentes ſic intelligere, quod totum emittatur, volunt quod nihil convertatur in humanam naturam; ſed ſolum quod tractum eſt ab Adam, multiplicetur, & hoc ſolum reſurget: unde quod ex cibis eſt, ſecundum eos non reſurget. Unde & artifices plumbum ponunt cum auro, ut plumbum conſumatur, aurum conſervetur. Sic reſiſtunt cibi ne calor naturalis conſumat illud quod eſt de virtute naturæ. Sed hoc videtur impoſſibile, quia non poteſt aliquid maius fieri, niſi per rarefactionem, quia nihil aliud eſt rarefieri, niſi aſſumere maiorem quantitatem. Item homo communiter ſe habet cum animalibus in ſenſitiva, & in nutritiva, in vegetativa cum plantis; ſed ſic eſt quod iſta augentur, & nutriuntur ex nutrimento: ergo & homines eodem modo augentur, & nutriuntur. Quid eſt ergo quod dicit, quod *in ſeceſſum emittitur*?

Dicit Hieronymus, quod non ſolum intelligitur ſuperfluitas immunda, immo quocumque modo fiat, ſive per (*d*) fimum, ſive alio modo. Et hoc etiam ſecundum Philoſophum, quia licet ſecundum ſpeciem maneat, tamen ſecundum materiam fluit; ut ſi ignis in ſpecie remaneat, ſed materia conſumitur. Poteſt etiam ſic dici. *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit*, aliquid: unde aliquando in Scriptura totum pro parte ſumitur.

Quæ autem procedunt de ore: (*e*) iam dictum eſt quod per os intelligitur mens: *de corde exeunt, & ea coinquinant hominem*: quia peccata cordis ſunt cogitationes, & affectus. Eſa. I. 16. „ Auferte malum cogitationum „ ve-

(a) Al. *Nolite &c.* (b) *Al.* & immundus. (c) *Al.* non reddunt. (d) *Al.* fumum. (e) *Al.* quia.

„ veſtrarum ab oculis meis . “ Item ponit peccata quæ ſunt contra præcepta ſecundæ tabulæ: *Homicidia, adulteria, fornicationes, furta* . Item peccata oris contra proximum, *Falſa teſtimonia : Blaſphemia* , contra præcepta primæ tabulæ . Unde hæc ſunt quæ coinquinant hominem, quia hæc a mente procedunt. *Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem* . Hic concludit, & ponit hanc concluſionem , ut principali intentioni reſpondeat . Item quia diſcipuli non erant intelligentes; ideo concludit quod contra traditionem ſolum dicebatur .

(b) Supra oſtenſa eſt ſufficientia eius doctrinæ, quia obſervantiam legis non requirit ; hic oſtendit quod non coarctatur ad unum populum, ſed etiam ad ſalutem gentilium ſufficit. Oſtenditur autem triplex effectus in gentilibus. Primo in liberatione a poteſtate dæmonis ; ſecundo ab infirmitatibus peccatorum; tertio in ſpirituali refectione. Secunda ibi, *Et cum tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare Galilaæ*; tertia ibi, *Ieſus autem, convocatis diſcipulis ſuis, dixit*. Oſtenditur ergo liberatio a poteſtate dæmonum , quia mulierem obſeſſam a diabolo liberavit. Primo locus deſcribitur ; ſecundo inſtantia mulieris; tertio exauditio. Secunda ibi, *Et ecce mulier Chananaa &c.* tertia ibi, (*a*) *Tunc reſpondens Ieſus, ait illi &c.* Dicit ergo: *Et egreſſus venit in partes Tyri, & Sidonis* . Tyrus, & Sidon ſunt duæ civitates gentilium. Quia a Iudæis repellebatur, ideo ad gentes ſeceſſit, ſecundum illud Act. XIII. 46. „ Vobis (*b*) oportebat primum loqui regnum „ Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indi„ gnos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce con„ vertimur ad gentes. “ Et primo oſtendit Dominus eminere converſionem obſervatorum legis; ſecundo tranſitum ad gentes, quod ſignificatum fuit Act. X. ubi dicitur quod cum Petrus eſſet apud Cornelium , vidit linteum &c. & dictum eſt ei (ver. 15.) „ Quod Deus purificat , tu ne immundum „ dixeris &c. “ *Et ecce mulier*. Hic ponitur inſtantia mulieris : circa cuius petitionem tria ſignificantur. Primo pietas; ſecundo fides; tertio humilitas: & hæc neceſſaria ſunt ad impetrandum. Secunda ibi, *At illa venit, & adoravit eum* ; tertia ibi , *At illa dixit , Etiam Domine*. Primo ponitur interpellatio; ſecundo adiutorium diſcipulorum , ibi , *Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum* . Circa primum primo ponitur pietas mulieris ; ſecundo taciturnitas Chriſti, ibi , *Qui non reſpondit ei verbum*. Dicit ergo: *Et ecce mulier Chananaa &c.*

Sex poſſumus notare. Primo converſio petentis. Eccli. XVIII. 23. „ Ante orationem „ præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi „ homo qui tentat Deum. “ Præparat enim animam, quando a vitiis ſe mundat. Eſa. I. 15. „ Cum multiplicaveritis orationes , non „ exaudiam vos: manus enim veſtræ ſangui„ ne plenæ ſunt . “ Et hoc deſignatur per hoc nomen, *Chananaa* , quæ idem eſt quod mutata . Pſal. LXXVI. 11. „ Hæc eſt muta„ tio dexteræ excelſi . “ Item qui convertitur debet non ſolum vitare peccatum, ſed etiam occaſionem peccati . Eccli. XXI. 2. „ Quaſi a facie colubri fuge peccatum . “ Secundo notanda eſt devotio, quia clamabat. Clamor magnum affectum deſignat. Pſal. CXIX. 1. „ Ad Dominum , cum tribularer , cla„ mavi. “ Tertio notatur pietas, quia alienam, miſeriam ſuam reputabat: unde dicit, *Miſerere mei* : & hoc eſt magna miſericordia. Iob XXX. 25. „ Flebam ſuper eum qui „ afflictus erat , & compatiebatur anima „ mea pauperi. “ Item tangitur humilitas, quia petiit ex confidentia miſericordiæ Dei. Dan. IX. 4. „ Cuſtodiens pactum, & miſe„ ricordiam diligentibus te, & cuſtodienti„ bus mandata tua . “ Quarto tangitur fides quæ neceſſaria eſt ad petitionem . Iac. I. 6. „ Poſtulet autem in fide nihil hæſi„ tans. “ Item confitetur divinam naturam in eo , in hoc quod dicit , *Domine* . Pſal. XCIX. 3. „ Scitote quoniam Dominus ipſe „ eſt Deus. “ Item humanam , *Fili David*, (*c*) qui ex ſemine David. Rom. I. 3. „ Qui „ factus eſt ei ex ſemine David ſecundum „ carnem. “ Item expoſitio propriæ neceſſitatis. *Filia mea male*, ideſt graviter, *a dæmonio vexatur* . Et poteſt eſſe typus totius Eccleſiæ gentilium : vel cuiuslibet pro conſcientia quæ a dæmonio vexatur, cum contra conſcientiam operatur . Luc. VI. 18. „ Et qui vexabantur a ſpiritibus immundis, „ curabantur. “ Et dicit, *Male*, in quo aggravat peccatum . II. Paral. ult. „ Peccavi, „ Domine, peccavi , & iniquitatem meam „ agnoſco , ne ſimul perdas me cum iniqui„ tatibus meis. “

Conſequenter ponitur taciturnitas Chriſti: *Qui non reſpondit ei verbum* . Sed hoc videtur mirabile quod fons pietatis tacuit . Et aſſignatur triplex ratio. Prima ne videretur ire contra illud quod ſupra (X. 5.) dixerat : *In viam gentium ne abieritis* . Ideo prompte noluit exaudire ; nihilominus tamen quia mul-

(a) Al. *Et reſpondens &c.* (b) *Al.* oportebit. (c) *Al.* quia.

multum inſtitit, accepit quod petivit. Ideo
datur intelligi quod propter inſtantiam pe-
titionis impetratur quod ſupra legem eſt :
erat enim de lege quod ſoli Iudæi ſalvaren-
tur. Sed iſta per inſtantiam ſuam impetra-
vit quod erat ſupra legem. Secunda ratio eſt
ut magis creſceret devotio. Habac. 1. 2.
„ Uſquequo clamabo, & non exaudies; vo-
„ ciferabor ad te vim patiens, & non ſal-
„ vabis ? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem,
„ & dolorem, videre prædam, & (*a*) in-
„ iuſtitiam contra me ? “ Tertia ratio ut
daret occaſionem diſcipulis, ut & ipſi in-
tercederent pro ea, quia quantumcumque
ſit aliquis bonus, indiget tamen orationibus
aliorum.

Statim ſequitur interceſſio diſcipulorum :
& primo ponitur eorum petitio; ſecundo
Chriſti reſponſio. Dicit ergo: *Et accedentes
diſcipuli eius rogabant eum*. Et quare acceſſe-
runt? Una ratio eſt quia neſciebant quare
tantum retardabat; ſecunda moti erant mi-
ſericordia; item non poterant pati mulieris
importunitatem. Luc. xi. 8. „ Si perſeveravo-
„ rit pulſans; dico vobis, & ſi non dabit il-
„ li ſurgens, eo quod amicus eius ſit, pro-
„ pter improbitatem tamen eius ſurget, &
„ dabit illi quotquot habet neceſſarios. “
Diſcipuli non dicunt, Sana eam, ſed, *Di-
mitte eam*; ideſt, dicas ei: Nihil faciam ti-
bi. Et iſte eſt modus loquendi, quoniam cum
intendimus unum, dicitur contrarium.

Sed obiicitur quia Marci vii. dicitur
quod ingreſſa eſt in domum, & ibi petiit.
Quid eſt ergo quod hic dicitur, *Quia cla-
mat poſt nos?* Auguſtinus dicit, quod ſine du-
bio primo in domo fuit, & ibi dixit, *Mi-
ſerere mei*: & tunc receſſit Ieſus; & illa ſe-
quuta eſt eum.

Tum (*b*) ſequitur reſponſio Chriſti: *Ipſe
autem reſpondens &c.* Satis videbatur mulier
pietatem oſtendiſſe; ſed hæc videbatur na-
turalis; ideo Dominus exigebat profeſſio-
nem fidei: ideo abiiciebat eam; & dixit:
*Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt do-
mus Iſrael*. Hebræorum erat peculiaris: un-
de dicebant (Pſal. xciv. 7.) „ Nos autem
„ populus eius, & oves paſcuæ eius. “ Et
illæ oves perierant, quia abducti erant per
diverſas obſervantias: unde ſupra ix. 26.
*Videns turbas miſertus eſt eis, quia erant ve-
xati, & iacentes, ſicut oves non habentes paſto-
rem*. Pſal. cxviii. 176. „ Erravi ſicut ovis
„ quæ periit. “

Sed quid eſt quod dicit: *Non ſum miſſus
niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael*. Non-
ne habetur Eſa. xlix. 6. „ Dedi te in lu-
„ cem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad
„ extremum terræ? “ Ergo non ſolum ad
Iudæos miſſus eſt, ſed & ad gentes.

Dicendum, quod ad omnes miſſus eſt, ut
omnes in unum congregaret; ſed miſſus eſt
primo ad Iudæos, ut Iudæos ad gentes trans-
ferret. Rom. xv. 8. „ Dico autem Chriſtum
„ Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis pro-
„ pter veritatem Dei, ad confirmandas pro-
„ miſſiones patrum. “

At illa venit, & adoravit: unde ingerit
ſe. Et primo ponitur profeſſio iſtius; ſecun-
do reſponſio. Ponitur profeſſio, quia Deum
recognovit, quia eum adoravit: licet enim
haberet repulſus Apoſtolorum, tamen in-
geſſit ſe, & adoravit. In hoc Deum reco-
gnoſcit. Deuter. viii. 19. „ Dominum
„ Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. “
Pſal. lxv. 4. „ Omnis terra adoret te,
„ Deus. “ *Adiuva me*. Non dicit, Ora pro
me; ſed, Tu *adiuva me*, quia potes. Pſal. cxx.
2. „ Auxilium meum a Domino, qui fecit
„ cælum, & terram. “ *Qui reſpondens dixit:
Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mit-
tere canibus*. Hoc additur ad probandum hu-
militatem, quia iam conſtabat ſatis de fide;
oſtendens excellentiam Iudæorum ad gentes.
Tunc enim probatur humilitas, quando pa-
titur quod exprobretur gens ſua: unde di-
cit: *Non eſt bonum &c.* Iudæi vocabantur fi-
lii: unde (Eſai. 1. 2.) „ Filios enutrivi, &
„ exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me: “ quia
ipſi inſtructi erant in mandatis Dei. Ioan.
x. panis eſt doctrina. Eccli. xiii. 3. „ Ci-
„ bavit eos pane vitæ, & intellectus. “
Panis iſte poteſt dici miracula Domini, vel
documenta legis (*c*) Hic ergo panis fideli-
bus, ſcilicet Iudæis, debetur. *Non eſt ergo
bonum ſumere panem filiorum*, ideſt Iudæo-
rum, qui iamdiu ſunt filii, *& mittere cani-
bus*, ſcilicet gentilibus: quia ſicut canis eſt
animal immundum, ſic gentes. Unde ſupra
vii. 6. *Nolite ſanctum dare canibus*. Unde
non adhuc totaliter repudiaverunt; ſed, ſicut
dicit Hieronymus, (*d*) conveniens eſt quod Iudęi
canes dicantur, ſecundum illud Pſal. xxi. 17.
„ Circumdederunt me canes multi. “ Et
Eph. iv. 28. „ Nos autem filii ſumus. “

At illa dixit, Etiam Domine. Hic tangi-
tur mira humilitas mulieris, & ſapientia.
Viſus eſt contumeliam inferre genti ſuæ;
ſed humilitatis eſt quod concedit contu-
meliam dictam. Unde dicit, *Etiam Domine*.

Item

(a) *Al.* iuſtitiam. (b) *Al.* Tunc. (c) *Al.* Hunc ergo panem qui fidelibus, ſcilicet Iudæis, debetur.
(d) *Al.* quod conveniens eſt quod Iudæi canes dicuntur.

Digitized by Google

Item maior oſtenditur humilitas, quia ipſe Dominus dixerat *canes*; ſed iſta dixit *catellos*: unde dicit: *Nam & catelli edunt de micis*. Item Dominus vocaverat filios Iudæos, ſed iſta dominos: unde dicit: *Quæ cadunt de menſa dominorum*. Et humiliter ita ſcivit compellere Dominum; quaſi dicat: Non peto, Domine, quod tot beneficia conferas nobis quot Iudæis, ſed de micis des nobis. Eccli. xxxv. 21. „ Oratio humiliantis ſe penetrat cælos. " Et Pſal. ci. 18. „ Reſpexit in ora„ tionem humilium. " Ideo Dominus exaudivit: *Tunc reſpondens Ieſus, ait illi &c.* Et tria facit. Primo ponitur eius commendatio; ſecundo exauditio; tertio effectus. Quando ſe humiliat dicit: *Magna eſt fides tua*. Magna, quia magna credit. Item propter rectitudinem. Iac. i. 6. „ Poſtulet au„ tem in fide nihil hæſitans. " Item magna propter fervorem: unde (infra xvii. 19.) *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc; & tranſibit*. Ideo ſequitur exauditio: *Fiat tibi ſicut vis*. Pſal. cxliv. 19. „ Voluntatem timen„ tium ſe faciet. " Sequitur effectus: *Et ſanata eſt filia eius ex illa hora*. Unde principio Gen. i. 3. dixit: „ Fiat lux, & facta „ eſt lux. " Sic & hic, *Fiat tibi*. Illud enim verbum fuit verbum æternum. Eccle. viii. 4. „ Sermo eius, poteſtate plenus eſt. "

(c) Supra confirmata doctrina evangelica per liberationem gentilium a poteſtate dæmonum per virtutem Chriſti, nunc confirmat per liberationem ad infirmitatibus ſpiritualibus per hoc quod multos curavit. Et tria facit. Primo ponitur locus; ſecundo oblatio; tertio liberatio. Secunda ibi, *Et acceſſerunt ad eum turba multa &c.* tertia ibi, *Et curavit eos*. Deſcribitur primo locus in generali: quia *cum tranſiſſet*, ſcilicet de regione gentilium, *venit iuxta mare*, quod erat in Iudæa, quod aliquando vocatur Geneſareth, aliquando mare Galilææ. Per hoc quod revertitur ad Iudæos, ſignificatur quia reliquiæ Iſrael ſalvabuntur. Ad Rom. xi. 5. „ Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſe„ cundum electionem gratiæ Dei ſalvæ fa„ ctæ ſunt. " Deinde deſcribitur locus in ſpeciali, dicens: *Et aſcendens in montem, ſedebat*. Per montem ſignificatur altitudo verbi. Pſal. xxxv. 7. „ Iuſtitia tua ſicut mon„ tes Dei. " Sed Ieſus non ſtabat, ſed ſedebat, quia niſi deſcendiſſet, non cognoviſſemus: ſecundum illud Pſal. cxliii. 5. „ Do„ mine, inclina (a) cælos tuos, & deſcen„ de. " Item per montem altitudo gloriæ, ut habetur Gen. xix. 17. „ In monte ſalvum „ te fac &c. " ad ſignificandum quod ibi eſt vera quies, non hic. Ad Heb. xiii. 14. „ Non „ habemus hic manentem civitatem, ſed fu„ turam inquirimus; " (b) ideſt, futuram expectamus.

Sequitur oblatio: *Et acceſſerunt ad eum turba multa &c.* Et primo ponitur quantum ad multitudinem turbarum; ſecundo quantum ad oblationem infirmorum; tertio quantum ad modum. Circa primum: *Tunc acceſſerunt ad eum turba multa*. Pſalm. lxxxv. 9. „ O„ mnes gentes quaſcumque feciſti, venient, „ & adorabunt coram te, Domine. " Et non acceſſerunt vacui: quia *ſecum habentes mutos, cæcos, claudos &c.* Et in hoc ſignificatur quod qui convertuntur ad Dominum, debent offerre alios Domino; & hoc eſt quod dicit: *Habentes mutos, cæcos, claudos, & debiles*. Debilis Latine ſignificat defectum virtutis, ſed Græce dicitur qui habet manum debilem: ſicut enim claudus dicitur qui in pedibus læſus eſt, ſic debilis qui manum aridam habet. Per iſtos ſignificantur diverſa genera morborum ſpiritualium. Per mutos ſignificantur illi qui Deum laudare non poſſunt, de quibus Eſa. lvi. 10. „ Canes mu„ ti non valentes latrare. " Claudi dicuntur qui numquam firmiter ambulant ad bonum, ſed cito ab malum convertuntur. III. Reg. xviii. 21. „ Quare claudicatis in duas „ partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini „ eum. " Per cæcos ſignificantur infideles, qui privati ſunt lumine fidei. Eſa. lix. 9. „ Palpavimus tenebras. " Per debiles, qui habent aridam manum, ſignificantur illi qui habent debile cor. Pſalm. xxi. 16. „ Aruit „ tamquam teſta virtus mea. " *Et alios multos*. In hoc magnam fidem oſtendebant, quia non ſolum ſuos, ſed alios. Item oſtendunt devotionem ſuam ex modo: aliquando enim rogaverunt ut manum apponeret, ut ſupra ix. aliquando autem ut fimbriam tangeret, ut ſupra eodem, ſcilicet ix. & xiv. Sed modo ſufficiebat ponere ad pedes eius. Et per hoc myſtice datur intelligi nobis, quod peccatores quos convertimus, non debemus nobis ſubiicere, ſecundum quod habetur I. Corinth. iv. 1. „ Sic nos exiſtimet homo (c) „ ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores my„ ſteriorum Dei. "

Sequitur de curatione: & primo ponitur curatio; ſecundo admiratio; tertio effectus. Dicit ergo: *Et curavit eos*. Pſal. cvi. 20. „ Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & „ eripuit eos de interitionibus eorum. "

(a) *Al.* oculos. (b) *Al.* &. (c) *Al.* ut Dei miniſtros.

Digitized by Google

Et alibi, Pſal. cii. 3. „ Qui propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris, qui ſanat omnes infirmitates noſtras. " Et ſequitur admiratio: *Ita ut turba mirarentur, videntes mutos &c.* Hic ponitur effectus. Iſtud prædictum erat Eſa. xxxv. 5. „ Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt &c. " Et in Pſal. cviii. 3. „ Mirabilia opera tua. "

Sed quæritur. Quare non facit mentionem de debilibus? Quia non erat actus oppoſitus, cui poſſet (a) reſpondere.

Sed (b) videte quod aliqui viſis miraculis blaſphemabant, ut habetur ſupra xiv. Sed iſti collaudabant: unde *magnificabant Deum Iſrael.*

Ieſus autem, convocatis diſcipulis &c. Hic oſtenditur doctrina Chriſti laudabilis per refectionem bonorum: & primo ponitur motivum; ſecundo materia; tertio diſtributio; quarto refectio. Secunda ibi, *Et dicunt ei diſcipuli &c.* tertia ibi, *Et præcepit turbæ ut diſcumberent*; quarta ibi, *Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt.*

Notandum, quod motivum iſtud ponitur poſt præmiſſa, quia infirmi non poſſunt cibari, quia „ omnem eſcam abominata eſt anima eorum: " Pſal. cvi. 18. Ideo oportet quod antequam cibentur, ſanentur: ſic etiam in ſpiritualibus. Auguſtinus: „ Palato infirmo pœna eſt panis, qui ſano eſt amabilis. " Et ideo Dominus poſt ſanationem, cibat.

Et notandum, quod primo convocat diſcipulos, ut reddat attentos, ut ſint memores miraculi. Item ut det exemplum nobis quod quantumcumque ſit homo magnus, debet ſe comportare minoribus. Eccli. iii. 20. „ Quanto maior es, humilia te in omnibus. "

Unde *convocatis diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ &c.* Hoc fuit motivum: unde oſtendit humanitatem convenientem divinitati. Miſericordia eſt paſſio, quia miſericors eſt miſerum cor habens, qui reputat alienam miſeriam, ſuam. Sed miſericordia maxime Deo convenit. Pſal. cii. 8. „ Miſerator, & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors. " Et quam reputat ut ſuam, repellere debet ut ſuam. Unde Dominus inquantum repellit miſeriam dicitur miſericors. Sed ponitur motivum miſerendi triplex. Primo ponit perſeverantiam; ſecundo inopiam; tertio periculum imminens. Primo ponitur perſeverantia, cum dicitur: *Quia triduo iam perſeverant mecum.* Ex quo poteſtis cognoſcere quod qui cum Chriſto perſeverant, pane ſuo reficiuntur: quia *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* (Infra xxiii. 13.) Per triduum poteſtis intelligere confeſſionem ſanctæ Trinitatis: unde infra ult. 19. *Euntes in univerſum mundum, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Vel triplicem actum, ſcilicet cordis, oris, & operis. Item triplex tempus ſæculi; ſcilicet tempus legis naturæ, legis moſaicæ, & legis gratiæ, & gloriæ in fine. Pſal. xvi. 15. „ Satiabor cum apparuerit gloria tua. " Vel per triduum, triduum mortis Chriſti. Unde illi triduo ſuſtinent Dominum qui conformarunt ſe morti Chriſti. Oſeæ vi. 3. „ Vivificabit nos poſt triduum, & in die tertia ſuſcitabit nos. " Unde per mortem Chriſti expectamus iuſtificationem. Ad Galat. ult. 17. „ Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro portantes. " Secundum quod tangitur eſt inopia: unde dicit, *Non habent quid manducent.* Sed quare per triduum expectavit? Ne poſſent calumniari, (c) quia refecti eſſent cibo quem ſecum portaverant. Secundum myſterium, illorum miſeretur qui ſuam miſeriam cognoſcunt. Apocalyp. iii. 17. „ Neſcis quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus &c. " Tertium eſt periculum. *Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via*: deficiunt enim in via qui verbo Dei non reficiuntur. Deuter. viii. 3. „ Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. " Eccli. xiii. 3. „ Cibavit eum pane vitæ, & intellectus. "

Et dicunt ei diſcipuli &c. Hic ponitur materia. Et primo quomodo dedit; ſecundo quanta materia aderat. Unde dicit: *Et dicunt: Unde ergo in deſerto panes tanti?* Hic tarditas, & oblivio diſcipulorum reprehenditur, quia ſupra Dominus ſatiaverat ex quinque panibus quinque millia. Unde ex tarditate, & oblivione reprehenduntur. Secundum myſterium, in hoc gratia Dei, & miſericordia ſignificatur, qui indignis myſteria ſua revelat, & per eos ſacramenta miniſtrat. Hierem. i. 16. „ Neſcio loqui, Domine, quia puer ſum. " Cui Dominus: „ Noli dicere quia puer ego ſum. " Exod. iv. 1. „ Impeditioris ſum linguæ, & tardioris &c. " Eſa. iii. 3. „ Nam ſum mendicus, & in domo mea non eſt panis: nolite me conſtituere principem populi. " Deinde ponitur quanta materia aderat: unde: *Ait illis Ieſus: Quot panes habetis?* Et non petiit ut

(a) *Al.* reddere. (b) *Al.* videtur. (c) *Al.* qui.

ut ignorans, ſed ut miraculum oſtenderetur: unde & paucos piſciculos ſupra in alio miraculo commemorari fecit. Et dicitur quod quinque panes habebant, & duos piſces, in quibus doctrina legis ſignificabatur; & illi panes erant hordeacei: hic ſunt ſeptem, & non dicuntur hordeacei; in quibus ſignificatur lex nova (*a*) ſeptiformi gratia Dei informata. Item in illa duo tantum fuerunt piſces; in hac autem multi piſciculi. „ Vos elegit Deus pauperes in mundo, „ divities in fide. “ (Iac. II. 5.) Et in Pſal. VIII. 9. „ Volucres cæli, & piſces maris, „ qui perambulant ſemitas maris, “ ideſt huius mundi. *Et præcepit turbæ ut diſcumberent ſuper terram*. Hic ponitur diſpoſitio: & primo diſponit; ſecundo materiam accipit; tertio gratias agit, & frangit, & diſtribuit. Dicit ergo, *Et præcepit*. In alia refectione habetur quod fecit ſuper fenum recumbere. Per fenum temporalia ſignificantur: unde Eſa. xl. 6. „ Omnis caro fenum, „ & omnis gloria eius quaſi flos agri. “ Unde in veteri lege erat fundamentum ſuper temporalia, in nova ſolum ſuper ſtabilitatem gloriæ. Eccle. I. 4. „ Terra autem „ in æternum ſtat. “ Vel per fenum ſignificatur quod ſuper temporalia debemus ſedere: Unde poſſeſſio non prohibetur, ſed dilectio, ſive affectio. I. Ioan. II. 15. „ Nolite „ diligere ea quæ in mundo ſunt. “ *Et accipiens ſeptem panes*; in quo ſignificatur quod quicquid de ſpiritualibus adminiſtratum eſt aliis, primo fuit in Chriſto: unde Act. I. I. „ Cœpit Ieſus facere, & docere. “ Omnia ſpiritualia in eo fuerunt. Unde Ioan. III. 34. „ Non dedit ei Deus ſpiritum ad menſuram. “ *Et gratias agens fregit, & dedit diſcipulis*: unde dedit nobis exemplum ut gratias agamus. I. ad Theſſal. v. 18. „ In omni„ bus gratias agentes. “ Deinde quia non omnibus omnia, ut habetur I. ad Corint. ult. Item I. ad Corint. XII. 4. „ Diviſio„ nes gratiarum ſunt. “

Conſequenter ſequitur ordinata diſtributio: quia *& dedit diſcipulis, & diſcipuli dederunt populo*: primo diſcipulis, qui erant mediatores. Deuter. v. 5. „ Ego ſequeſter, & „ medius fui inter Deum & vos in tempo„ re illo, ut annuntiarem vobis verba eius „ &c. “ Et I. ad Corint. IV. 5. „ Sic nos exi„ ſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſ„ penſatores myſteriorum Dei. “

Conſequenter ponit quo ad plenitudinem refectionis ex abundantia reliquiarum, & ex numero manducantium. *Et comederunt omnes*. Poſſet aliquis dicere quod de pauco pane poſſunt multi accipere, ita quod quilibet parum; ſed non ſic; immo *ſaturati ſunt*: unde uſque ad ſaturitatem manducaverunt. Pſal. LXXVII. 29. „ Manducaverunt, & ſatu„ rati ſunt omnes. “ Item multæ fuerunt reliquiæ: quia *tulerunt ſeptem ſportas*.

Sed quare, cum pauciores panes fuiſſent, plures reliquiæ remanſerunt, cum ſcilicet ſaturaverit quinque millia de quinque panibus? Poteſt dici, quod idem ſunt vel plus, ſeptem ſportæ quam duodecim cophini. Chryſoſtomus dicit, quod diverſa fecit miracula, & modo diverſo, ut diſcipuli magis memores eſſent. (*b*) In primo miraculo tot fuerunt reliquiæ quot Apoſtoli; hic autem ſecundum numerum panum: in quo ſignificatur quod ſpirituales homines refici debent ſeptiformi gratia Dei. I. ad Corint. II. 14. „ Animalis enim homo non percipit ea quæ „ Dei ſunt. “

Sequitur numerus comedentium: *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum*. Supra fuerunt quinque millia, quia vacabant quinque ſenſibus, vel propter quinque libros Moyſi; hic autem quatuor propter quatuor virtutes cardinales, vel propter quatuor Evangeliſtas. *Extra parvulos, & mulieres*.

Sed quare excipiuntur iſti? Quia imperfecti & infirmi a vera doctrina excluduntur. Ad Epheſ. IV. 13. „ Donec occurramus „ omnes in virum perfectum &c. “

(a) *Al.* ſeptiformis gratiæ Dei. (b) *Al.* Primo primi miraculi, in quo tot reliquiæ &c.

CA-

CAPUT XVI.

(a) ET acceſſerunt ad eum phariſæi, & ſadducæi tentantes, & rogaverunt eum, ut ſignum de cælo oſtenderet eis. At ille reſpondens ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cælum; & mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum. Faciem ergo cæli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis? Generatio mala, & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Et relictis illis, abiit. Et cum veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes accipere. Qui dixit illis: Intuemini, & cavete a fermento phariſæorum, & ſadducæorum. At illi cogitabant inter ſe dicentes: Quia panes non accepimus. Sciens autem Ieſus dixit: Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum, & quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis; neque ſeptem panum, & quatuor millia hominum, & quot ſportas ſumpſiſtis? Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento phariſæorum, & ſadducæorum? Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, ſed a doctrina phariſæorum, & ſadducæorum.

(b) Venit autem Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Ioannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii vero Hieremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Ieſus: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

(c) Tunc præcepit diſcipulis ſuis ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus. Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati a ſenioribus, & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Abſit a te, Domine; non erit tibi hoc. Qui converſus dixit Petro: Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum. Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis; & tunc reddet unicuique ſecundum opera eius. Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus qui non guſtabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo.

(a) SUpra Dominus oſtendit ſufficientiam evangelicæ doctrinæ, quia nec obſervai..is legalibus indiget, item quia non ſolum uni populo eſt neceſſaria; hic oſtendit puritatem, & excellentiam. Primo oſtendit eam puram ſervandam ab omni traditione; ſecundo per altitudinem fidei omnes opiniones humanas tranſvolare, ibi, *Venit Ieſus in partes Ceſarea Philippi*. Circa primum primo deſcribitur calumnioſa tentatio; ſecundo conſutat; tertio cavendum docet. Secunda ibi, *At ille reſpondens ait illis &c.* tertia ibi, *Et cum veniſſent diſcipuli eius trans fretum &c.* Circa primum primo commemorat locum; ſecundo ponitur tentativa interrogatio.

Notandum, quod ſicut ſupra quando paverat de quinque panibus turbas, dimiſit, & ſic hic. In hoc primo datur exemplum prædicatoribus quando non ſe ingerant, ſed re-

ver-

vertantur. Iob xxxix. 5. de onagro. „ Quis „ dimiſit onagrum liberum, & vincula eius „ quis ſolvit? &c.“

Aſcendit in naviculam, ne ſequeretur eum turba. Unde ponitur impedimentum quare non poſſent eum ſequi. Unde *aſcendit in naviculam*, ideſt in mentem, quæ agitatur fluctibus huius mundi. Sapien. xiv. 3. „ Quoniam dediſti in mari viam, & inter fluctus ſemitam: “ oſtendens quod debet ibi intrare, ut ibi requieſcat. *Et venit in fines Magedan*. Magedan, poma interpretatur, & per hunc locum ſacra Scriptura ſignificatur, ubi poma ſimul cum aliis fructibus creſcunt. Cant. vi. 10. „ Deſcendi ut „ viderem poma convallium. “

Sequitur tentativa interrogatio: *Et acceſſerunt phariſæi, & ſadducæi tentantes, & rogaverunt eum*. Eccli. xix. 23. „ Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. “ *Ut ſignum de cælo oſtenderet eis*. Et petierunt ſignum de cælo. Habetur Ioan. vi. 49. „ Patres veſtri manducaverunt (*a*) manna in deſerto: “ unde panem de cælo dedit eis. Et I. ad Corinth. i. 22. „ Iudæi ſigna petunt. “ Et in Pſal. lxxiii. 9. „ Signa noſtra non vidimus &c. “ Tunc reprehendit eos, & primo de ignavia ad credendum divina. Si enim aliquis defectum habet ex natura ſenſuum, excuſationem habet, ſed cum habet ſapientiam in terrenis, & ignaviam in ſpiritualibus, reprehendendus eſt. Sap. xiii. 1. „ Vani ſunt „ omnes filii hominum, in quibus non eſt „ ſcientia Dei. “ Et primo oſtendit ſolertiam in terrenis; ſecundo ignaviam in ſpiritualibus. Dicit ergo: *At ille reſpondens ait: Veſpere facto &c.* Hoc habet ſenſum litteralem, & myſticum. Litteralem, quia ex aliqua diſpoſitione poterant cognoſcere ſignum ſerenitatis. *Dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cælum*. Item tempeſtatis, quia dicitis: *Hodie erit tempeſtas, rutilat enim triſte cælum*: quia triſtitiam deſignat. Quando enim aer eſt turbidus, non ſunt homines ita læti. Rubedo enim ſerotina eſt ſignum ſerenitatis. Ratio eſt, ſecundum Philoſophum, ex diffuſione radiorum ſolis ſuper vapores. Quando enim vapores ſunt multi, tunc radii non poſſunt penetrare, & tunc fit color niger in aere; quando vero ſubtiles, penetrant. Sed quando quod eſt igneum dominatur, tunc apparet color rubeus, ut apparet in flamma, quia cum magis elevatur, magis apparet rubedo in ea. Ideo ſignificatur quod vapores non ſunt multi, & ſignificatur ſerenitas. Sed cum mane aliquando reſolvitur in rorem, vel in pluviam, eſt ſignum tempeſtatis. Secundum myſterium, per veſpere ſignificatur paſſio Chriſti. Veſpere ſol occidit; ſic Chriſtus veſpere mundi paſſus eſt. Malach. iii. 2. „ Quis „ poterit cogitare diem adventus eius, & „ quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim „ quaſi ignis conflans. “ Pſal. xxix. 6. „ Ad veſperum demorabitur fletus, & ad „ matutinum lætitia. “ Unde rutilans apparuit in veſpere, & ſignificavit tranquillitatem. Tob. iii. 22. „ Poſt tempeſtatem tranquillitatem facis, & poſt lacrymationem, „ & fletum, exultationem infundis. “ In reſurrectione, (*b*) quæ per mane ſignificatur, apparuit rubedo in martyribus, & ſignificat tempeſtatem peccatoribus. Vel per mane ſignificatur mane diei iudicii, quem præcedet rubor. Pſal. xcvi. 3. „ Ignis ante ipſum præcedet. “ Unde eſtis inſtructi in iſtis terrenis: *Faciem cæli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis*, ſcire? Duo ſunt tempora: unum reſpondet adventui primo, aliud adventui ſecundo. Quædam ſigna præceſſerunt primum adventum. Eſa. xlv. 8. „ Rorate cæli deſuper, & nubes pluant „ iuſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem. “ Et cap. xlv. 15. „ Vere tu es „ Deus abſconditus: “ Sed in fine Deus manifeſte veniet, & non apparebunt ſigna de cælo. Sed non eſt tempus. Vel aliter: *Faciem cæli diiudicare noſtis &c.* quaſi dicat: Vos quæritis ſignum adventus, Superfluum eſt ſignum petere, ubi ſunt multa ſigna. Supra xi. 5. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur &c.* Hoc ſignum dederat Eſa. xxxv. 4. „ Ipſe Dominus veniet, „ & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi „ cæcorum &c. “

Quidam ex auctoritate iſta arguunt, quod debemus ſatagere ad cognoſcendum ſecundum adventum: Auguſtinus autem exponit de primo adventu. Primus adventus certiſſimus eſt, quia eſt ad ſalutem; ſalus per fidem, fides per cognitionem; ideo neceſſarium eſt ut agnoſcatur. Sed ſecundus eſt ad remunerandum; ideo occultatur, ut homines magis ſint ſoliciti.

Deinde denegat ſignum petitum: unde dicitur: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit*. Dicitur autem generatio mala, quia recedit a Deo: malum enim eſt per receſſum a Deo. „ Dereliquit Deum factorem ſuum, & „ receſſit a Deo ſalutari ſuo: “ ut habetur Deut. xxxii. 15. Sed adultera, quia alii ſe copu-

(a) *Al.* uvam. (b) *Al.* per quam mane.

Digitized by Google

copulavit. Pſalmus. „ Si derelinquam te in „ vita mea. “ Eſa. lv. 7. „ Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas. “ *Signum petit*; & non debet habere: quia *ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ*: quia ſicut Ionas in ventre ceti fuit tribus diebus, & tribus noctibus, ita &c. ut ſupra XII. habitum eſt.

Sed quare magis ponit ſignum reſurrectionis quam aliud ſignum? Dicendum, quod per reſurrectionem nobis ſalus advenit. Rom. X. 9. „ Si credideris in corde tuo quod „ Chriſtus reſurrexit, ſalvus eris: “ quia reſurgendo vitam reparavit, quia per reſurrectionem Chriſti reſurgemus. Ideo iſtud ſignum datum eſt fidelibus, & omnia alia retorquentur ad iſtud, quia ſcilicet reſuſcitavit Lazarum &c. Unde iſtis non eſt datum aliud ſignum. Diſcipulis autem ſuis dedit ſignum de cælo, cum oſtendit eis gloriam ſuam, ut habetur infra XVII. Sic ergo oſtendit eornm ignaviam.

Seqnitur pars in qua confutat facto diſcedendo ab eis: *Et relictis illis, abiit*: non enim habitat cum malignis. Sap. I. 3. (*a*) „ Separat ſe a perverſis. “ Poſtquam confutavit, docet eos vitari. Et primo ponitur occaſio; ſecundo doctrina; tertio malus intellectus diſcipulorum; quarto reprehenſio; quinto effectus. Dicit: *Et cum veniſsent diſcipuli eius trans fretum &c.* In hoc admirari debemus mentes diſcipulorum, quia non ſolent homines oblivíſci niſi eorum de quibus parum curant: unde cum obliti eſſent panes, parum curabant de eis; ſed ſolum de ſpiritualibus. *Qui dixit: Intuemini, & cavete, &c.* Hie ponitur doctrina. Per fermentum intelligit doctrinam corruptam: unde non intelligit doctrinam legis, ſed traditiones phariſæorum, quæ vocantur fermentum, quia ſicut ex modico fermento totum corrumpitur, ſic ex modico errore tota vita corrumpitur; ſicut de via a qua parum homo recedit, poſtmodum elongatur: unde Philoſophus in I. Cæli dicit, quod parvus error in principio, magnns fit in fine. Spiritualis intellectus eſt panis, non fermentum. Unde per panem vera doctrina intelligitur. Eccli. XIII. 3. „ Cibavit eum pane „ vitæ, & intellectus. “ Unde dicitur: *Intuemini, & cavete*: quia falſa doctrina eſt periculoſa. Dum enim manet fides in homine, non eſt periculum, ſed quando fundamentum ablatum eſt, non eſt ſpes. Pſal. CXXXVI. 7. „ Exinanite, exinanite uſque ad fun„ damentum in ea. “ Fundamentum eſt fides. Ad Titum ult. 10. „ Hæreticum homi„ nem poſt primam, & ſecundam admoni„ tionem devita. “ Quia falſa doctrina habet colorem, ideo dicit, *Intuemini*, ideſt diligenter conſiderate. Proverb. IV. 25. „ Ocu„ li tui recta videant, & palpebræ tuæ præ„ cedant greſſus tuos. “

Conſequenter ponitur intellectus diſcipulorum: *At illi cogitabant &c.* quia enim ſupra ſeptem ſportas fragmentorum acceperant, & non ſecum tulerant, credebant quod diceret: Non accepiſtis panes; ſed nolo quod a phariſæis accipiatis panes: quia animales erant, & „ animalis homo non „ percipit quæ Dei ſunt: “ I. Corinth. II. 14. In iſto intellectu in duobus poterant reprehendi. Primo quia non intelligebant; item in eo quod de virtute Dei diffidebant. De primo non reprehendit eos, ſed de ſecundo. Dicit ergo: *Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panes non habetis*? quaſi dicat: Intelligitis carnaliter quod ſpiritualiter debetis intelligere. *Non recordamini quinque panum, & quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis*? Nonne ergo qui tot pavi, poſſum vos paſcere? *Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis*: ſcilicet materiali, ſed potius ſpirituali, qui panis doctrina dicitur in Ioan. VI. 64. „ Verba quæ „ locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. “ *Tunc intellexerunt &c.* Hic ponitur correctio, unde correcti ſunt ex ſermone eius. Pſalm. CXVIII. 130. „ Declaratio ſermonum „ tuorum illuminat, & intellectum dat par„ vulis. “

(b) Supra Dominus docuit, doctrinam evangelicam conſervandam puram a fermento Iudæorum; hic autem docet eminentiam doctrinæ: & primo quantum ad fidem utriuſque naturæ, ſcilicet Deitatis, & humanitatis; ſecundo quantum ad fidem paſſionis, ibi, *Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis &c.* tertio quantum ad fidem iudiciariæ poteſtatis, ibi, *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui*. Circa primum primo exqniritur opinio turbarum de Chriſto; ſecundo fides diſcipulorum, ibi, *Vos autem quem me eſſe dicitis*? Circa primum primo ponitur locus; ſecundo interrogatio Chriſti, ibi, *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis*? Tertio reſponſio Petri, ibi, *At illi dixerunt &c.* Dicit ergo: *Venit Ieſus in partes Cæſareæ*: & non ſolum hoc, ſed addidit, *Philippi*: quia duæ Cæſareæ fuerunt, ſcilicet Cæſarea Traconis, ubi miſſus eſt Petrus ad Cornelium, alia hæc, quæ dicitur

(a) *Ibi*: „ Perverſæ enim cogitationes ſeparant a Deo. “

Digitized by Google

tur aliter Paneas. Prima ab Herode conſtituta eſt in honorem Cæſaris Auguſti; iſtam conſtruxit Philippus in honorem Tiberii.

Sed quare fecit hic iſtam quæſtionem Dominus? Dicendum, quod hæc civitas in finibus Iudæorum erat ſita; ideo antequam de fide petere vellet, a Iudæis eos extraxit. (*a*) Similiter habetur quod Dominus educens Iudæns de AEgypto, non eduxit eos per ſata Philiſthinorum, ut habetur Exod. XIII.

Conſequenter ponitur interrogatio: *Et interrogabat diſcipulos ſuos &c.* Sapiens quando interrogat, docet, ut dicit Hieronymus. Unde in multis inſtruimur, ut ſimus ſoliciti quid de nobis dicatur: ut ſi malum, quod corrigamus; ſi bonum, ut conſervemus, & multiplicemus. Unde „curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi, & magni: “ Eccli. XLI. 15. Unde Chriſtus interrogavit quid de ipſo diceretur. Item qui divinitatem cognoſcunt, dicuntur dii: Pſal. LXXXI. 6. „Ego dixi, Dii eſtis: “ hi vero qui humanitatem, dicuntur homines: unde dicitur: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Sed, ut dicit Hilarius, Chriſtus ſolum homo videbatur; ideo voluit quod cognoſcerent quod eſſet aliud quam ſimplex homo: unde ipſe ex hoc dat intelligere, aliud eſſe in eo. Item oſtenditur humilitas Chriſti, quia ſe hominis filium confitetur, ſecundum illud ſupra XI. 29. *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde.*

Conſequenter ponitur opinio turbarum: *At illi dixerunt: Alii Ioannem Baptiſtam &c.* Diverſi de Chriſto ſenſerunt diverſa. Phariſæi blaſphemabant Chriſtum, ſed turbæ Prophetam dicebant: unde Luc. VII. 6. „Propheta magnus ſurrexit in nobis. “ Dicebant eum Ioannem ratione auctoritatis, quia Ioannes pœnitentiam prædicabat, ſupra III. 2. *Agite pœnitentiam: appropinquavit regnum cælorum.* Ideo credebant ipſum eſſe Ioannem, quia ſimiliter Chriſtus incipiebat: *Agite pœnitentiam: appropinquavit regnum cælorum*, ut ſupra IV. 17. Item habebant in reverentiam Eliam prophetam. Malach. ult. 5. „Ecce ego mittam Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. “ Unde credebant eſſe Eliam propter poteſtatem ſermonis, & virtutem prædicationis. Eccli. XLVIII. 1. „Et ſurrexit Elias propheta quaſi ignis, quia verbum ipſius quaſi facula ardebat. “ Et de Chriſto dicitur ſupra VII. 29. quod *erat docens tamquam poteſtatem habens.* Item propter eminentiam vitæ credebant eum eſſe Hieremiam, de quo Dominus ait: „Antequam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de ventre, ſanctificavi te: “ Hierem. I. 5. Et ibid. XL. habetur, quia honoratus erat gentibus. Sic in reverentia ab extraneis Chriſtus habebatur, a Iudæis vero blaſphemabatur; ideo Hieremiæ comparabant eum.

Sed quomodo Eliam dicebant? Quia habetur IV. Reg. II. quod raptus eſt, & quod adhuc viveret, & erat promiſſus Iudæis ad ſalutem, ut habetur Malach. ult. Quia quidam poſuerunt transcorporationem, & ideo ſecundum hanc opinionem poſſet eſſe quod anima Eliæ intraſſet aliud corpus.

Dicit eis Ieſus: Vos autem quem me eſſe dicitis? Hic exquiritur fides diſcipulorum: & primo ponitur interrogatio; ſecundo reſponſio; tertio approbatio. Secunda ibi, *Reſpondens Petrus*; tertia ibi, *Reſpondens autem Ieſus &c.* *Dicit eis Ieſus: Vos autem quem me eſſe dicitis?* quaſi dicat: Ita dicunt turbæ; ſed quia magis eſt vobis commiſſum, ideo magis a vobis exigitur. Vidiſtis miracula, ideo magis debetis opinari.

Sed quare petiit? Nonne ſciebat? Immo ſciebat, ſed volebat quod mererentur ex confeſſione. Roman. X. 10. „Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. “ Unde magis ſunt meritoria, quanto magis ſequeſtrata; & quaſi turbis infima ſcientibus, maiora non reſpondeant, ideo &c.

Reſpondens autem Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Ipſe reſpondet pro ſe, & pro aliis; ſed ipſe frequentius reſpondet: & in hoc perfecta fides tangitur, quia tangitur fides humanitatis. *Tu es Chriſtus*, ideſt unctus. Et conſtat quod unctus eſt oleo Spiritus ſancti. Unctio non convenit ei ſecundum divinitatem, quia ab ipſa procedit, ſed ſecundum humanitatem. Hoc ergo dicit ut humanitatem Chriſti aliter æſtiment quam turbæ.

Quæritur autem quare Prophetam eum dicebant. Ungebatur Propheta, ut habetur de Eliſeo; ungebantur Reges, ut habetur de Saule; item Sacerdotes, ut habetur in Levitico. Et omnia hæc in nomine Chriſti importantur: quia & Rex dicitur, ut Hierem. XXIII. 5. „Regnabit Rex, & ſapiens erit. “ Item Sacerdos. Pſalm. CIX. 4. „Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordi-

(a) Al. ſimile.

„ nem Melchiſedech . “ Item Propheta . „ Prophetam ſuſcitabit Deus de gente tua, „ & de fratribus tuis &c. “ Deuteron. XVIII. 15.

Item non ſolum confeſſus eſt humanitatem, ſed teſtudine penetrata, uſque ad divinitatem tranſcendit, dicens : *Tu es Filius Dei*. Alii enim dicebant eum blaſphemum. Unde Ioan. x. 33. „ Non de bono opere lapidamus te , ſed de blaſphemia : quia „ homo cum ſis , facis teipſum Deum . “ Sed iſte Filium Dei recognoſcit. Et dicit , *Vivum*, ad excludendum errorem gentilium, qui quoſdam homines mortuos dicebant deos, ut Iovem &c. ut habetur Sapient. XIII. Item quidam elementa, & cetera mortua , ut terram , ignem &c. ut habetur Sapien. XIII. ſed iſte (*a*) Filium Dei vivi dicit. Sed ſciendum , quod cum dicitur Deus vivus, & homo vivus, de homine dicitur per participationem vitæ , ſed de Deo dicitur , quia fons vitæ. Pſalm. XXXV. 10. „ Apud te „ eſt fons vitæ. “ Et in Ioan. XIV. 6. „ Ego „ ſum via, veritas, & vita . “

Reſpondens Ieſus &c. (*b*) Hic primo approbat confeſſionem eius ; ſecundo mandat tacendam , ibi , *Tunc præcepit diſcipulis ſuis ut nemini dicerent , quod ipſe eſſet Ieſus Chriſtus* . Circa primum primo approbat iſtam confeſſionem per commendationem confitentis ; ſecundo per remunerationem , ibi , *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.* Unde dicit : *Reſpondit Ieſus* : *Beatus es Simon Bariona* . Bar idem eſt quod filius , Ionas , idem quod columba ſuo nomine : unde Bariona , ideſt filius columbæ. Et videtur reſpondere reſponſio Chriſti confeſſioni Petri. Quia confeſſus erat eum Filium Dei ; Ieſus autem dicit eum filium columbæ , ſcilicet Spiritus ſancti , quia hæc confeſſio non potuit fieri niſi a Spiritu ſancto . Sed creditur quod primo dicebatur Bar-Iona , ideſt Ioannis filius; ſed per corruptionem ſcripturæ ita dictum eſt.

Sed quid eſt ? Numquid alii non confeſſi ſunt Filium Dei ? Immo legitur de Nathanaele , Ioan. I. Item illi qui in navi , ſupra IX. Quare ergo hic beatificatur Petrus , & non alii ? Quia alii filium adoptivum confeſſi ſunt , hic autem filium naturalem ; ideo hic præ ceteris beatificatur , quia primus confeſſus eſt divinitatem.

Origenes dicit: „ Videtur quod ante non „ confeſſus fuerit. “ Sed quomodo miſit eos prædicare ? Reſpondet , quod a principio non prædicabant ipſum eſſe Chriſtum ; ſed pœnitentiam prædicabant . Item poteſt eſſe quod prædicabant Chriſtum ; ſed hic primo ipſum eſſe Filium Dei: ergo hic ſpecialiter remunerat.

Beatus es Simon Bariona &c. quia beatitudo eſt in cognitione . Ioan. XVII. 3. „ Hæc „ eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum „ verum Deum. “ Sed duplex eſt cognitio: una quæ eſt per naturalem rationem , alia quæ ſupra rationem . Prima non facit beatitudinem , quia dubia eſt : unde non ſatiat intellectum; ſed beatitudo debet ſatisfacere appetitui naturali; & hoc habebitur in patria. Eſa. LXIV. „ Oculus non vidit, nec au„ ris audivit quæ præparavit Dominus di„ ligentibus ſe. “ Ergo in hac vita quanto aliquis magis poteſt percipere de hac cognitione , magis eſt beatus . Proverb. III. 13. „ Beatus qui invenit ſapientiam . “ Unde dicit , *Beatus es* , quia incipis eſſe beatus . *Quia caro, & ſanguis non revelavit tibi*. Hoc poteſt exponi ita quod caro , & ſanguis ſumantur pro amicis carnalibus. Ad Galat. I. 16. „ Continuo non acquievi carni , & ſan„ guini. “ Unde: *Caro, & ſanguis non revelavit tibi* ; ideſt , non habuiſti ex traditione Iudæorum , ſed ex revelatione Dei . Item in Chriſto erat caro, & ſanguis, & divinitas ; ideo quia Petrus non reſpexit ad carnem , & ſanguinem , (*c*) ei dicitur, *Beatus es*, quia non iudicas ſecundum quod caro , & ſanguis revelat , ſed ſecundum quod Pater meus . Vel non habes ex naturali induſtria, ſed ex Patre meo . „ Nemo enim co„ gnovit Filium niſi Pater: “Luc. X. 22. Illius enim eſt manifeſtare, cuius eſt cognoſcere . Unde (ibid.) „ Nemo novit, niſi cui (*d*) Pa„ ter voluerit revelare. “ Dan. II. 28. „ Eſt „ Deus in cælo revelans myſteria. “

Et ego dico tibi , quia tu es Petrus &c. Hic dat confeſſionis remunerationem . Confeſſus erat humanitatem, & divinitatem; ideo dat Dominus remunerationem . Primo dat nomen , ſecundo poteſtatem . Circa primum primo dat nomen ; ſecundo nominis rationem , ibi , *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* . Et ad hoc venit in hunc mundum ut Eccleſiam fundaret. Eſa. XXVIII. 16. „ Ecce ego ponam in fundamento Sion „ lapidem probatum angularem pretioſum , „ in fundamento fundatum . “ Iſte ſignatus eſt per lapidem quem ſuppoſuit Iacob capiti , & unxit, ut habetur Gen. XXVIII. Iſte lapis eſt Chriſtus , & ab iſta unctione omnes dicti ſunt Chriſtiani : unde non ſolum dicimur Chriſtiani a Chriſto, ſed a petra.

(a) *Al.* Filium dicit. (b) *Al.* Hic approbat. (c) *Al.* unde, *Beatus es*. (d) *Ibi*, Filius.

Digitized by Google

tra. Ideo ſpecialiter imponit nomen: *Tu es Petrus*, a petra, quæ eſt Chriſtus. Licet ſecundum Auguſtinum, videatur quod modo non fuerit impoſitum, ſed a priocipio. Ioan. I. 42. „ Tu vocaberis Cephas. “ Vel poteſt dici, quod tunc ſuit promiſſum, hic datum. In huius ſignum rei, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Proprietas petræ eſt quod ponatur in fundamento; item ut det firmitatem. Supra VII. 24. *Similis eſt homini qui ædificat domum ſuam ſuper petram*. Unde poteſt exponi de Chriſto. *Et ſuper hanc petram*, ideſt Chriſtum, ut ſit fundamentum, & ut fundata firmamentum recipiat. Auguſtinus in Libro Retractationum dicit, quod multipliciter expoſuit, & reliquit audientibus ut acciperent quam vellent. Vel ut demonſtret ly *hanc petram* Chriſtum. I. ad Corinth. X. I. „ Petra autem erat Chriſtus. “ Et alibi, I. ad Corinth. III. II. „ Fundamentum aliud nemo poteſt ponere niſi id quod „ poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. “ Alia expoſitio. *Super hanc petram*, ideſt ſuper te petram: quia a me petra trahes tu quod ſis petra. Et ſicut ego ſum petra, ita ſuper te petram ædificabo &c.

Sed quid eſt? Eſt oe Chriſtus, & Petrus fundamentum? Dicendum, quod Chriſtus ſecundum ſe, ſed Petrus inquantum habet confeſſionem Chriſti, inquantum vicarius eius. Ad Epheſ. II. 20. „ Superædificati ſu„ per fundamentum Apoſtolorum, & Pro„ phetarum ipſo ſummo (a) angulari lapi„ de Chriſto Ieſu. “ Apocalyp. XXI. 4. „ Fun„ damenta civitatis duodecim, & in ipſis „ duodecim oomina Apoſtolorom, & Agni. “ Ideo Chriſtus ſecundum ſe eſt fundamentum, ſed Apoſtoli non ſecuodum ſe, ſed per conceſſionem Chriſti, & auctoritatem datam a Chriſto. Pſal. lxxxvi. I. „ Funda„ menta eius in montibus ſanctis. “ Sed ſpecialiter Petri domus, quæ eſt fundata ſuper petram, non diruetur, ut ſupra VII. Sic iſta impugnari poteſt, expugnari oon poteſt.

Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Hier. I. 19. „ Bellabunt adverſum te, & noo „ prævalebunt. “ Et qui ſunt portæ inferi? Hæretici, quia ſicut per portam intratur in domum, ſic per iſtos intratur in inferoum. Item tyranni, dæmones, peccata. Et quamvis aliæ Eccleſiæ vitoperari poſſint per hæreticos, Eccleſia tamen Romana non fuit ab hæreticis depravata, quia ſupra petram erat fuodata. Unde in Conſtantinopoli fueruot hæretici, & labor Apoſtolorum amiſſus erat: ſola Petri Eccleſia inviolata permanſit. Unde Luc. XXII. 32. „ Ego rogavi „ pro te Petre, ut non deficiat fides tua. “ Et hoc oon ſolum refertur ad Eccleſiam Petri, ſed ad fidem Petri, & ad totam occidentalem Eccleſiam. Uode credo quod occidentales maiorem reverentiam debeot Petro quam aliis Apoſtolis.

Et tibi dabo claves regni cælorum. Hic ponitor ſecundum donum quod Petro dedit Chriſtus ſecundum humanitatem. Fundavit enim Eccleſiam in terris, & Petrum Vicarium ſuum inſtituit, ut introduceret in cælum. Ad Hebræos X. 19. „ Habentes fidu„ ciam io introitu ſanctorum in ſanguine „ Chriſti. “ Unde Chriſtus vicarium ſuum Petrum inſtituit, ut introduceret in cælum: unde illud miniſterium dedit, unde claves dedit. Clavis enim introducit: unde Petrus habet miniſterium introducendi. Et duo facit. Primo claves committit; ſecundo uſum docet. *Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis &c.* Sed videamus quæ ſuot claves. Domus quando eſt ſerata, impedit iotroitum; clavis vero removet impedimentum. Regnum cælorum habebat impedimentum, ſed non ex parte ſua: Apocalyp. IV. I. „ Vidi, & ecce hoſtium aper„ tum: “ ſed impedimentum erat ex parte noſtra, ſcilicet peccatum, quia „ nihil „ coinquinatum intrabit in illam. “ Iſta impedimenta removit Chriſtus per ſuam paſſionem: quia „ lavit nos a peccatis ooſtris „ in ſanguine ſuo: “ Apocalyp. I. 5. Et hanc communicavit ut per miniſterium peccata tollerentur, quod expletur per virtutem ſanguinis Chriſti: unde ſacramenta virtutem habent a virtute paſſionis Chriſti. Unde dabo tibi miniſterium &c. Eſa. XXII. 22. „ Dabo ſuper te claves David. “ Sed dicit, *Tibi dabo*: nondum enim eraot fabricatæ; res autem oon poteſt dari antequam ſit. Fabricandæ autem hæ erant in paſſione: unde in paſſione ſuit eorum efficacia. Unde hic promiſit, ſed poſt paſſionem dedit cum dixit (Ioan. XXI. 17.) „ Paſce oves meas. “

Sed quare dicit claves? Quia abſolvere eſt removere obſtaculum. Duo eoim ſunt, quia duo requiruntur, poteſtas, & ſcieotia.

Sed quid eſt? Numquid non aliqui ſacerdotes ſunt qoi oon habent ſcientiam? Intelligatis quod habent ſcientiam, quia nullus clavem ſcientiæ habet niſi ſacerdos. Non dicitur hic ſcientia habitus intellectus &c. ſed dicitur auctoritas diſcerneodi. Un-

(a) *Al.* angulari Chriſto Ieſu.

Digitized by Google

de eſt aliquis iudex qui non habet ſcientiam primo modo, & non ſecundo modo, quia non habet auctoritatem. Unde ſcientia hic dicitur auctoritas diſcernendi; & ſacerdos quilibet hanc habet ut diſcernat in abſolvendo.

Conſequenter ponit uſum clavium: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*. Sed videtur quod inconvenienter ponatur, quia uſus clavis non eſt ligare, ſed aperire. Dico quod clavium conveniens iſte uſus eſt. Ipſum enim cælum apertum eſt. Apocalyp. iv. 1. „ Vidi oſtium aper„ tum. " Unde non eſt neceſſarium ut aperiatur; ſed ligatus qui debet introire, oportet quod ſolvatur.

Sed hic vitandi ſunt aliqui errores. Primus tangitur in Gloſſa, quia quidam uſurpaverunt, quod poſſent omnes quos vellent, abſolvere, & introducere in regnum cælorum. Sed hoc non poteſt ſtare, quia ſolius Dei eſt immutare voluntates. Alius error eſt quod ſacerdos non ligat, ſed oſtendit eſſe abſolutum. Sed iſtud derogat virtuti ſacramenti, eo quod ſacramenta novæ legis efficiunt quod figurant, ſacramenta vero veteris legis non. Unde ſi nihil efficeret, non eſſet ſacramentum novæ legis. Tertio aliqui dicunt, quod in peccato ſunt tria: culpa, & reatus, & pœna. Ab duobus abſolvitur homo per ſe per contritionem; ſed quando homo ab his abſolutus eſt, remanet obligatus ad pœnam temporalem, quam per ſe tollere, & evitare homo non ſufficit; ideo dantur claves quæ minuunt aliquid de iſta pœna, & ligant quantum ad pœnam aliquam. Tamen videtur mihi quod hoc non ſit bene dictum: quia ſacramentum novæ legis dat gratiam, ſed gratia non ordinatur contra pœnam, ſed contra culpam. Unde dico, quod ſic eſt in ſacramento iſto confeſſionis, ſicut in ſacramento baptiſmi, quod habet virtutem ſpiritualem inſtrumentalem, ſecundum quam mundat a culpa. Unde Auguſtinus: „ Quæ eſt virtus aquæ „ ut carnem abluat, & culpam tollat? " Sic dico, quod in ſacerdote eſt quædam vis ſpiritualis inſtrumentalis, a qua dicitur miniſter; & ſic miniſterialiter operatur remiſſionem, ſicut aqua baptiſmi.

Sed hic facit difficultatem, quia modo ſolum pueri veniunt ad baptiſmum: & ſi accedat adultus, aut venit fictus, aut non. Fictus venit quando ſine innovatione mentis; & tunc non remittitur culpa: non fictus venit quando cum propoſito confeſſionis; unde requiritur gratia, ſive propoſitum converſionis; & iſtud eſt ex gratia. Gratia autem tollit culpam: unde in ſacramento baptiſmi veniens adultus, ſi præparat ſe, recipit remiſſionem culpæ. Sic in ſacramento pœnitentiæ, ad quod ſoli adulti accedunt, non eſt contritus niſi habeat in propoſito ſe ſubiicere diſcretioni, & iudicio ſacerdotis. Si non eſt contritus, non conſequitur effectum, ſicut nec in baptiſmo. Sed poteſt accidere, quod aliquis accedit non totaliter contritus, qui virtute gratiæ collatæ in ſacramento perfecte efficitur contritus; ideo intelligendum eſt: *Quodcumque ſolveris*; ideſt, ſi miniſterium abſolutionis adhibes. Et dicit, *Quodcumque*, quia non ſolam culpam, ſed pœnam. *Solutum erit in cælis*; ideſt, habebitur tamquam abſolutum in cælis, ſicut eſt de baptiſmo: unde debet dicere ſacerdos, Ego te abſolvo, ſicut, Ego te baptizo.

Sed poteſt quis quærere qualiter ligat. Sciendum, quod ſacerdos miniſter eſt Dei, & actio miniſtri dependet ab actu Domini: unde eo modo quo Dominus ligat, & ſolvit, ſic ſacerdos miniſterialiter. Solvit Deus infundendo gratiam, ligat non infundendo: ſic ſacerdos ſolvit ſacramento, miniſtrando ſacramentum, ligat vero non adhibendo. Aliter dicitur, quod per cælos præſens Eccleſia deſignatur: unde: *Quodcumque ligaveris*, excommunicatione, *vel ſolveris, erit ſolutum, vel ligatum*, quo ad adminiſtrationem ſacramentorum Eccleſiæ. Unde volunt, quod iſta adminiſtratio, hæc ligatio, & abſolutio ſit ſuper terram, ita quod non ſe extendat ad mortuos. Sed hoc reprobatur, quia non ſolum ſe extendit ad vivos, ſed etiam ad mortuos: unde ſi ad utrumque referatur ſenſus eſt: *Quodcumque ligaveris ſuper terram*, tunc dico exiſtens ſuper terram, *erit ligatum & in cælis*.

Sed eſt alia quæſtio, quia alibi habetur, Ioan. xx. 23. „ Quorum remiſeritis pecca„ ta, remittentur eis: " hic vero ſolum hoc dicit Petro.

Dicendum, quod immediate dedit Petro, alii vero a Petro recipiunt; ideo ne credantur iſta ſolum dici Petro, dicit: „ Quorum „ remiſeritis &c. " Et hac ratione Papa, qui eſt loco Sancti Petri, habet plenariam poteſtatem, alii vero ab ipſo.

(c) Supra poſita eſt confeſſio Petri de divinitate Chriſti; hic mandat taciturnitatem ad tempus, ne ſcilicet dicerent quod ipſe eſſet Chriſtus.

Sed hic videtur quæſtio. Quia ſupra Dominus miſerat diſcipulos ad prædicandum regnum Dei, quomodo hic prohibet? Secundum ſuperficiem litteræ poteſt dici quod non præcepit ſupra quod annuntiarent Chriſtum,

Digitized by Google

ſtum, ſed regnum Dei. Sed quia annuntiatio regni Dei includit in ſe annuntiationem Chriſti, ideo quod præcepit ſupra, videtur hic prohibere.

Hieronymus dicit, quod illud quod ante prædicaverant non prohibet: quia ante præceperat prædicari Ieſum, hic præcipit ne dicant eum Chriſtum. Chriſtus enim eſt nomen dignitatis, Ieſus nomen Salvatoris. Unde ſupra I. 21. *Et vocabis eum Ieſum*. Origenes reſpondet, quod Apoſtoli ante loquebantur de Chriſto, ut de magno viro; ſed de Chriſto voluit ſubticeri, ut poſt eis magis appareret; ſicut aliquando præmittitur doctrina, ut habeant tempus diſcernendi. Vel dicendum, quod illud (ſupra X. 7.) *Euntes autem prædicate*, non debet retorqueri ad tempus ante paſſionem, ſed poſt. Unde ibi tangitur quod trahentur ante Reges, & præſides &c. & non fuit hoc factum ante paſſionem.

Sed quare Dominus nunc mandavit iſtud tacendum? Futurum enim erat ut populi viderent eum patientem, & quando aliqui percipiunt confuſionem ab aliquo magno, ad ſcandalum magis incitantur, ideo &c.

Chryſoſtomus dicit: „ Si quod plantatur „ evellatur, non poteſt ita cito plantari. “ Unde ſi plantata fuiſſet fides, & evulſa fuiſſet in paſſione, poſt non fuiſſet tam cito plantata: unde multa non ſunt dicenda propter ſcandalum vitandum. Et quod hæc ſit cauſa, patet, quia ſtatim ſuam paſſionem annuntiat: unde ſubditur: *Et exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati*.

Et circa hoc tria facit. Primo prænuntiat paſſionem; ſecundo diſcipulum arguit, ibi, *Qui converſus dixit Petro &c.* tertio docet fidem, ibi, *Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis &c.* Et circa primum duo: quia primo prænuntiat paſſionem; ſecundo reſurrectionem, ibi, *Et tertia die reſurgere*. Et circa primum tangit locum, auctores, ac conſummationem. Dicit ergo: *Et exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis*. Locutus eſt de paſſione hic, & XVII. & XX. cap.

Sed ante hoc tempus non prænuntiaverat; ſed quare modo cœpit? Quia Apoſtolis manifeſtavit. Sed quare non ante? Quia ſi antequam fides eſſet confirmata in eis, prænuntiaſſet paſſionem, forte dimiſiſſent eum; ſed nunc verum Deum credebant, ideo &c.

Et dicit *oſtendere*, non dicere: quia hæc dicuntur quæ manifeſtantur viſibiliter, oſtenduntur quæ intelliguntur; ideo Iudæis dicebat, diſcipulis oſtendebat. Lucæ ult. 26. „ Nonne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam? “ Unde quod dicit, *Oportet*, tangit locum.

Et quare *Hieroſolymam*? Tangit rationem. Sed quod dicit, *Hieroſolymam*, prima ratio eſt, quia ibi erat templum Dei, ubi fiebant ſacrificia. Sacrificia autem veteris legis fuerunt figura iſtius ſacrificii, quod fuit in ara crucis; ideo voluit quod ubi erat figura, pateret veritas. Eph. V. 2. „ Et tradidit ſe„ metipſum ſacrificium, & oblationem, & ho„ ſtiam Deo in odorem ſuavitatis &c. “ Alia ratio eſt, quia prophetæ paſſi ſunt in Hieruſalem, ut infra XXIII. 37. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt*. Voluit igitur ibi pati ad oſtendendum quod mors eorum fuit ſignum paſſionis Chriſti. Item Hieruſalem dicitur viſio pacis; ſed ipſa paſſio pacifica fuit. Ad Coloſ. I. 20. „ Pacificans quæ in „ cælis, & quæ in terris ſunt. “ Item ut per iſtam viam eſſet nobis via ad Hieruſalem ſupernam. Ad Gal. IV. 26. „ Illa autem „ quæ ſurſum eſt Hieruſalem mater noſtra, „ libera eſt. “

Sed a quibus? *A ſenioribus*: & hoc eſt quia eis procurantibus paſſus eſt. Ille facit rem cuius auctoritate fit: unde magis eum interſecerunt quam milites. Unde per hoc malitia populi ſignificatur, quia qui videntur meliores, inveniuntur deteriores. Aliquis enim retrahitur a peccato propter ætatem, aliquis propter ſcientiam, aliquis propter dignitatem; tamen ætas eos non retraxit, quia *a ſenioribus*; non ſcientia, quia *a ſcribis*; non dignitas, quia *a principibus ſacerdotum*. Hier. V. 5. „ Ibo ad optimates, „ & loquar eis: ipſi enim cognoverunt viam „ Domini, & iudicium Dei ſui. Et ecce „ magis hi confregerunt iugum. “ Item quædam abiectio, & humiliatio fuit, quia quando aliquis patitur a plebeis, non eſt magnum, ſed quando a ſapientibus, & ab his qui boni videntur, magna eſt abiectio: unde Ioan. XVIII. 35. „ Gens tua, & principes „ tradiderunt mihi. “ Item paſſus eſt uſque ad mortem; ideo dicit, *Et occidi*. Act. X. 39. „ Quem occiderunt ſuſpendentes in li„ gno. “ Dan. IX. 26. „ Occidetur Chri„ ſtus, & non erit eius populus, qui eum „ negaturus eſt. “ Sed adiungitur gaudium reſurrectionis: *Et tertia die reſurgere*. Oſeæ VI. 1. „ Tertia die reſuſcitabit nos. “

Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum. Hic increpat diſcipulum obviantem. Et primo ponitur obviatio; ſecundo reſponſio Chriſti, ibi, *Qui converſus dixit Petro &c.* *Et aſſumens*, vel in aſpectu, vel ad ſe ſumens,

mens,

Digitized by Google

mens, ne videretur præſumptuoſus, (a) quod Dominum ante alios reprehenderet, dixit: *Abſit a te, Domine: non erit tibi hoc*. Dominus collaudaverat eius confeſſionem, & dederat ei poteſtarem, quia eum Filium Dei eſſe cognoverat; ideo putabat, quod ſi occideretur, quod fides ſua fruſtraretur, & quod non eſſet Deus, & ideo increpavit eum. Habebat in corde, quod Filius Dei erat, & non advertebat, quod Deus non eſt increpandus, ut dicitur Iob xv. 3. „ Arguis eum qui non eſt tibi æqualis, & „ loqueris quod tibi non expedit. “ Sed ſervabat adhuc aliquam fidem divinitatis, quia in Marco habetur: „ Propitius ſis tibi, „ Domine, & noli te tradere in mortem. “ *Qui converſus dixit: Vade retro poſt me, ſatana*. Hic ponitur reſponſio. Hunc locum ſic exponit Hilarius. Diabolus videns quod ipſe nuntiaverat paſſionem ſuam, & cognoſcens teſtimonia prophetarum, incitavit Petrum ad hoc ut diſſuaderet. Ideo videns Dominus quod non ſuo inſtinctu loqueretur, increpavit eum, ideo dixit Petro: *Vade poſt me*, ita quod ſit ibi punctus. Et ad ſatanam dixit: *Satana, ſcandalum es mihi*. Hieronymus dicit, quod non credit, quod inſtinctu diaboli locutus ſit Petrus, ſed pietatis affectu: unde ignoranter dixit. Unde tria facit: quia primo ponitur admonitio; ſecundo increpatio; tertio cauſæ aſſignatio. Admonitio, quia, *Vade*, Petre. Unde eſt eadem ſententia quæ dicta eſt ſupra (IV. 10.) diabolo, *Vade retro, ſatana*. Vel *Vade poſt me*, ſequere me. Satanas eſt idem quod adverſarius: unde qui conſilio divino contradicit, ſatanas dicitur. *Scandalum mihi es*; ideſt, vis impedire meum propoſitum.

Sed nonne diligentibus Deum non eſt ſcandalum? Origenes dicit, quod perfectis non eſt ſcandalum: unde non ſcandalizantur. Sed poteſt aliquis eis ponere ſcandalum. Unde Petrus ſcandalum aſſumpſit, ſed Chriſtus non. Vel ſic quia reputat ſcandalum membrorum eſſe ſuum. Unde Paulus (II. Corinth. XI. 29.) „ Quis ſcandalizatur, & ego „ non ſcandalizor? “ Quia ergo poſſet aliis ſcandalum eſſe dixit: *Scandalum mihi es*: non propter me, ſed propter membra mea.

Sed quid eſt? Supra dixerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; hic autem appellat eum ſatanam.

Hieronymus dicit, quod quæ promiſerat Dominus, nondum habebat. Sed quia in futurum hæc habebat, ideo potuit propter hæc eum vocare ſatanam. Chryſoſtomus dicit, quod voluit oſtendere quid homo potuit per ſe, & quid ex gratia Dei: quia ſupra ex gratia Dei recognovit Chriſti divinitatem; ſed ubi retraxit Deus ſuam gratiam, apparuit humanitas, & defectus, intantum quod ſatanam appellaret eum. Ita Dominus vult aliquando viros perfectos cadere, ut ſuam humanitatem cognoſcant. Et quod ita debeat intelligi, ſatis concordat illud quod ſequitur. Unde dat cauſam: *Quia non ſapis quæ Dei ſunt*. Prius enim dixerat: *Tu es Filius Dei*: ibi ſapiebat ſecundum divinitatem; hic vero ſapit quod hominis eſt. I. ad Corinth. II. 14. „ Animalis enim homo non „ percipit quæ Dei ſunt. “ Prov. XIII. 16. „ Qui fatuus eſt aperiet ſtultitiam. “ Petrus refugit carnis mortem, ſed ſpiritus Dei non: unde Ioan. XV. 13. „ Maiorem caritatem „ nemo habet ut animam ſuam ponat quis „ pro amicis ſuis. “

Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis. Hic exhortatur ad paſſionis imitationem: & primo ponit exhortationem; ſecundo rationem; tertio confirmat. Secunda ibi, *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam*; tertia ibi, *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur? &c.* Ita Petrus volebat impedire paſſionem; ſed ipſe invitat eos, dicens: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; quaſi dicat: Oporret quod ſitis parati ad paſſionem Chriſti imitandam. Imitantur ſpeciali modo martyres corporaliter; ſed ſpiritualiter ſpirituales homines, ſpiritualiter pro Chriſto morientes. Unde poteſt legi de cruce corporali. Chryſoſtomus: „ Sic ergo cum dixit, „ Petre, *vade poſt me*, intelligatis quod ſoli „ Petro dixerit; cum vero dixit: *Qui vult* „ *venire &c.* omnes homines vult venire ad „ ſe. “ Et dicit, *Vult*, quia magis trahitur qui voluntarie trahitur quam qui violenter. Pſal. LIII. 8. „ Voluntarie ſacrificabo tibi. “ Ideo tria dicit: quod abneget, quod tollat crucem, quod ſequatur me. Chryſoſtomus dicit, quod loquitur per ſimilitudinem. Si haberes filium, & videres eum male tractari, ſi non curares, tu abnegares; ſic ſi vis paſſionem Domini ſequi, oportet quod abneges te, & pro nihilo te reputes. Pſal. XXXVII. 15. „ Et factus ſum ſicut homo non „ audiens, & non habens in ore ſuo redar„ gutiones. “ Et Prov. XXIII. 35. „ Verberaverunt me, & non dolui; traxerunt „ me, & non ſenſi. “ *Et tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: quod paratus ſit pati crucem, ſive mori morte acerbiſſima, & turpiſ-

(a) Al. quando.

Digitized by Google

piſſima. Sap. II. 20. „ Morte turpiſſima condemnemus eum. “ Unde homo debet eſſe paratus pati quamcumque mortem propter Deum. Pati propter ſua ſcelera, eſt turpe, ſed propter Deum non. Unde I. Pet. IV. 15. (*a*) „ Nemo patiatur ut homicida, aut fur, aut „ maledicus, aut alienorum appetitor. Si „ autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glo- „ rificet autem Deum in iſto nomine. “ Secundum Gregorium intelligitur de mortificatione ſpirituali. Eſt enim abnegatio ſui ipſius tripliciter. Primo quando abnegat ſtatum peccati præcedentis. Rom. VI. II. „ Exi- „ ſtimate vos mortuos peccato. “ Item ſi non eſt in peccato, & tranſferret ſe ad ſtatum perfectum. Ad Phil. III. 12. „ Si „ quo modo occurram ad reſurrectionem „ quæ eſt ex mortuis: non quod iam accepe- „ rim, aut iam perfectus ſim; ſequor autem „ ſi quo modo comprehendam, in quo & com- „ prehenſus ſum a Chriſto Ieſu. “ Item qui proprium affectum abnegat. Ad Gal. II. 19. „ Ego autem per legem legi mortuus „ ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum „ cruci. “ Et II. ad Cor. V. 14. „ Si unus „ mortuus eſt, & omnes mortui ſunt. “ *Tollat crucem*. Crux a cruciatu dicitur. Spiritualiter cruciatur cuius mens cruciatur propter proximi compaſſionem, ut Apoſtolus Rom. XII. 15. „ Flere cum flentibus. “ Cruciatur ſimiliter quis per pœnitentiam. Ad Gal. V. 24. „ Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam cru- „ cifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. “ *Et ſequatur me*. Multi compatiuntur, ſed Deum non ſequuntur. Qui compatitur, & in peccato eſt, non ſequitur: quia venit Chriſtus peccata deſtruere. Item ſi affligis te propter vanam gloriam, Deum non ſequeris. Supra VI. 16. „ Cum ieiunatis, nolite fieri „ ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim „ facies ſuas, ut appareant hominibus ieiu- „ nantes. “ *Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam*. Hic redditur ratio ſuæ admonitionis, & eſt ratio a magnitudine retributionis. Et hoc dupliciter poteſt legi: eſt enim duplex ſalus: ſalus ſcilicet animæ, & hæc eſt iuſtorum; ſalus corporis, & hæc omnium etiam iumentorum. Pſal. XXXV. 7. „ Homines, & iumenta ſal- „ vabis, Domine. “ Unde dicamus: *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere*, vitam corporalem non abnegando, non tollendo crucem, *perdet eam*. Supra dixit, *Qui vult*; hic, (*b*) *Qui voluerit*. Unde ſicut illud dupliciter interpretari poterat, ſimiliter iſtud. *Qui voluerit animam ſuam*, quæ eſt principium vitæ corporalis, *ſalvam facere*, ſcilicet quod non occidatur, vel quod non compatiatur, *perdet eam*. Pſal. LXXII. 27. „ Perdes „ omnes qui fornicantur abs te. “ *Qui autem perdiderit*, vel tradendo in mortem, vel abnegando delectationes, *propter me, inveniet eam*. Eccli. LI. 35. „ Modicum laboravi, & „ inveni multam requiem. “ Vel ſic. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere*, (*c*) & illam ad ſalutem æternam ducere: Eſa. LI. 6. „ Salus mea in ſempiternum erit: “ *perdet eam*, vel ſuſtinendo mortem, vel abnegando carnalia. *Qui autem perdiderit propter me*, ſcilicet qui carnalia deſideria dimiſerit, *inveniet eam*, ſcilicet vitam. II. Corint. XIII. 4. „ Nam & nos infirmi ſumus in illo, ſed vi- „ vemus cum eo. “

Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima autem ſua detrimentum patiatur? Hic confirmat per rationem. Poſſet aliquis dicere: Non curo: magis volo vitam hanc præſentem quam aliam. Et hoc excludit. Primo per vitam illam inæſtimabilem; ſecundo per damnum animæ irrecompenſabilem. Dicit ergo: *Quid prodeſt &c.* ideſt, quid proficiunt tibi iſta temporalia, ſi animam perdis? Naturale eſt homini quod magis diligit finem quam ea quæ ſunt ad finem, ut corpus quam divitias. Unde naturale eſt quod omnia exponuntur pro ſalute corporis. Si contrarium fiat, perverſitas eſt paſſionis. Sic & naturale eſt plus animam diligere quam corpus: unde ſapiens eſt qui magis vellet corporaliter pati, quam ſuſtinere confuſionem magnam. Si ergo ita eſt, magis debet optare ſalutem animæ, quam corporis, etiam ſi totum mundum poſſet habere. Sed *quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, anima vero ſua detrimentum patiatur?* quaſi dicat: Inæſtimabile damnum eſt animæ detrimentum. Item poſſet dicere: Si habeo, & perdo, potero recuperare; ideo excludit Dominus: *Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* quaſi dicat, nullam. Prov. VI. 35. „ Non accipiet pro „ redemptione dona plurima. “

Sed numquid non poteſt redimi? Dan. IV. 24. „ Peccata tua eleemoſynis redime. “ Dicendum, quod hic loquitur quantum ad perfectam perditionem: quia non poſſet recuperare niſi primo inveniſſet; ſed quando eſt contritus, reinvenit. Gregorius aliter: „ Duplex eſt tempus Eccleſiæ; proſperita- „ tis, & adverſitatis. In adverſitate adver- „ ſa, in proſperitate proſpera. “

Filius autem hominis venturus eſt in gloria Patris

(a) *Al.* „ Nolite pati ſicut fur &c. “ (b) Al. *Si*. (c) *Al.* & ad illam ſalutem.

tris ſui. Hic agit de iudiciaria poteſtate. Et primo ponitur iudiciaria poteſtas; ſecundo tacitæ obiectioni reſpondet. Forte tu dices: Ad quid ſequar, & tollam crucem? &c. Quia iudicium Filii hominis eſt, & poteſtas. Ioan. v. 27. „ Poteſtatem dedit ei iu„ dicium facere, quia Filius hominis eſt. “ Non doleas ergo quia patiatur, quia *venturus eſt in gloria*: non doleas quod reprobetur a ſenioribus, quia *venturus eſt in gloria Patri ſui*; nec quod ante multos, quia *cum Angelis ſuis*. Phil. II. II. „ Omnis lingua „ confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus „ in gloria eſt Dei Patris. “ Et infra xxv. 31. *Cum autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ &c.* Tunc reddet, & reſtituet unicuique ſecundum opera ſua. Deinde reſpondet tacitæ obiectioni: *Amen dico vobis*; quaſi dicat: Dixi vobis, quod venturus eſt Filius hominis &c. Sed nolite mirari. Quare? Volo vobis oſtendere, quia *ſunt quidam de hic ſtantibus qui non guſtabunt mortem*. Peccatores abſorbentur morte, ſed iuſti guſtant mortem. Iſti autem erant Petrus, Ioannes, & Iacobus. *Donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo*. Hoc fuit ſignum gloriæ futuræ. Eos autem non nominavit propter invidiam aliorum. Potuiſſent autem habere invidiam, quia magis his quam aliis. Item propter importunitatem, quia importuni eſſent, ſi nihil eis oſtenderet. Aliter poteſt dici, quod regnum Dei eſt Eccleſia; ideo eſt aliquis qui non guſtabit mortem, ſicut Ioannes, *donec videat Filium hominis venientem in regno ſuo*; ideſt, donec dilatetur Eccleſia: quia tantum vixit quod vidit Eccleſiam dilatari, & multas Eccleſias ædificari.

CAPUT XVII.

(a) ET poſt dies ſex aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum; & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes. Reſpondens autem Petrus, dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde. Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Levantes autem oculos ſuos neminem viderunt niſi ſolum Ieſum. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Ieſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem donec Filius hominis a mortuis reſurgat. Et interrogaverunt eum diſcipuli, dicentes: Quid ergo ſcribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? At ille reſpondens ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis. Tunc intellexerunt diſcipuli quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis.

(b) Et cum veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & male patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Et obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Reſpondens autem Ieſus ait: O generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum? Uſquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpavit illum Ieſus, & exiit ab eo dæmonium; & curatus eſt puer ex illa hora. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eiicere illum? Dixit illis Ieſus: Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis. Hoc autem genus non eiicitur niſi per orationem, & ieiunium. Converſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Ieſus: Filius hominis tradendus eſt in manus hominum, & occident eum, & tertia

die

Digitized by Google

die reſurget. Et contriſtati ſunt vehementer. Et cum veniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma. Ait, Etiam. Et cum intraſſet in domum, prævenit eum Ieſus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum: a filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Ieſus: Ergo liberi ſunt filii. Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius invenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te.

(a) IN parte præcedenti oſtendit virtutem doctrinæ evangelicæ &c. hic oſtenditur finis, qui eſt gloria ſutura: & circa hoc duo facit. Primo oſtendit quomodo demonſtrata eſt in transfiguratione; ſecundo quomodo perveniri poſſit ad eam, in XVIII. cap. *In illa hora &c.* Circa primum duo. Primo demonſtratur ſutura gloria; ſecundo præcipit celationem; tertio ponit dubitationem. Secunda ibi, *Et deſcendentibus illis de monte &c.* tertia ibi, *Et interrogaverunt eum diſcipuli &c.* Circa primum tria. Primo ponuntur circumſtantiæ transfigurationis; ſecundo transfiguratio; tertio effectus. Secunda ibi, *Et transfiguratus eſt ante eos*; tertia ibi, *Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam.* Ponit autem tres circumſtantias, ſcilicet tempus, diſcipulos, locum. Tempus ponit cum dicit, *Poſt dies ſex.*

Sed hic eſt quæſtio litteralis, quare ſtatim cum dixit. *Sunt quidam de hic ſtantibus &c.* non ſtatim transfiguratus eſt. Soluit Chryſoſtomus. Primo ut accenderet deſiderium Apoſtolorum; ſecundo ut mitigaret invidiam eorum, quia forte poſt verbum iſtud turbati fuernnt.

Sed (a) quid eſt quod hic habetur, *Poſt ſex dies*; in Luca (IX. 28.) habetur, „Poſt „ octo dies?" Planum eſt quod Lucas numerat diem quo dixit, & diem transfigurationis; Matthæus vero dies ſolum intermedios: ideo remoto primo, & ultimo non remanent niſi ſex dies. Per ſex dies ſignificantur ſex ætates, poſt quas ſperamus venire ad gloriam ſuturam. Item in ſex diebus perfecit opera ſua; ideoque poſt ſex dies vult Dominus ſe oſtendere: quia niſi elevemur ad Deum ſuper omnes creaturas, quas Dominus his ſex diebus creavit, non poſſumus pervenire ad regnum Dei.

Item *aſſumpſit Petrum, Iacobum, & Ioannem.* Quare non omnes? Ad deſignandum quod non omnes qui vocati ſunt, pervenient. Unde infra XX. 16. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Et quare tres tantum? Ad deſignandum quod nulli pervenient niſi in fide Trinitatis. Marc. XVI. 16. „Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic ſalvus erit." Sed quare plus iſtos quam alios? Ratio eſt, quia Petrus magis fervidus erat. Ioannes, quia ſpecialiter dilectus erat. Item Iacobus quia præcipuus debellator erat adverſariorum Fidei: unde Herodes eum occidit primo, quia magnum aliquid credidit facere pro Iudæis, ut in Act. XII. 2. „Occidit „ autem Iacobum &c." Sequitur: „cum „ videret quia placeret Iudæis &c."

Et duxit eos in montem excelſum ſeorſum &c. Quare in montem? Ad deſignandum quod non inducitur ad contemplandum niſi qui aſcendit in montem, ut in Gen. XIX. 17. De Lot: „In monte ſalvum te fac." Et dicit, *Excelſum valde*, propter altitudinem contemplationis. Eſa. II. 2. „Elevabitur ſuper „ colles, & fluent ad eum omnes gentes, „ & ibunt populi, & dicent: Venite aſcen„ damus ad montem Domini." Quia ſuper omnem altitudinem ſcientiæ, & virtutis erit illa altitudo gloriæ. Item *ſeorſum*, quia ſe ſeparaverunt a malis. Infra XXV. 32. (b) *Separabunt eos ſicut agnos ab hædis.*

Sequitur transfiguratio: *Et transfiguratus eſt ante eos*: & primo ponitur transfiguratio; ſecundo teſtimonium, ibi, *Adhuc eo loquente &c.* Circa primum ponitur transfiguratio; ſecundo modus; tertio Petri admiratio. Dicit ergo: *Et transfiguratus eſt*, ideſt figuram mutavit, *ante eos.* Transfigurari idem eſt quod a propria figura mutari, ut habetur II. ad Cor. XI. 14. quod „ ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis." Ideo non eſt mirum ſi iuſti transfigurentur in figuram gloriæ; ideo transfiguratus eſt, quia quod ſuum eſt depoſuit. Aliqui dixerunt, quod aliud corpus aſſumpſit, quod falſum eſt: ſed in figura quiſquis immutetur de exteriori aſpectu, dicitur transfiguratio: ſicut cum aliquis eſt ſanus, & rubicundus, cum infirmus eſt fit pallidus, & ſic dicitur transfiguratus; ſic Chriſtus, quia in alia forma quam appareret apparuit, quia corpus eius non erat lucidum, ſed tantum claritatem accepit,

(a) *Al.* Quod enim hic habetur. (b) *Al.* Quia ſeparabunt.

(*a*) ideo dicitur transfiguratus; ideo ſequitur: *Et reſplenduit facies eius ſicut ſol*: (*b*) ubi tangitur modus: & primo demonſtratur quantum ad claritatem faciei; ſecundo quantum ad nitorem veſtium; (*c*) tertio quantum ad teſtimonium. Dicit ergo: *Et reſplenduit facies eius ſicut ſol*. Hic futuram gloriam revelavit, ubi erunt corpora clara, & ſplendentia. Et hæc claritas non erat ab eſſentia; ſed ex claritate interioris animæ plenæ caritate. Eſa. lviii. 8. „ Tunc erumpet „ quaſi mane lumen tuum: “ & ſequitur: „ & gloria Domini colliget te. “ Unde erat quædam refulgentia in corpore. Anima enim Chriſti videbat Deum, & ſuper omnem claritatem, a principio ſuæ conceptionis. Ioan. i. 14. „ Vidimus gloriam „ eius. “

Si ergo in beatis aliis derivatur claritas ab anima ad corpus, quare non in Chriſto, qui Deus erat, & homo? Dicendum, quod quia Deus erat, ordo humanæ naturæ erat in ſua poteſtate. Hic autem eſt ordo quod partes ſibi communicent, ut læſo corpore compaſſio ſit in anima, & ex anima afficiatur corpus. Sed hic ordo ſubiectus erat Chriſto: unde ita perfectum erat gaudium in parte ſuperiori quod non egrediebatur extra; unde & perfecte erat viator, & perfecte comprehenſor: unde quando volebat, non fiebat refluxus; ſed quando volebat, refluxus fuit, & apparuit ſplendidus.

Sed nonne dos fuit in Chriſto? Quidam dicunt quod ſic, & quod omnes dotes accepit in via. Dotem ſubtilitatis in nativitate, agilitatis in undarum calcatione, claritatis hic, impaſſibilitatis in adminiſtrando ſacramentum altaris. Ego autem hoc non credo, quia dos eſt quædam proprietas ipſius gloriæ. Unde quod ſuper mare ambulavit, quod reſplenduit, totum fuit ex virtute divina, quia dos gloriæ repugnat viatori; ſed habuit aliquam ſimilitudinem, quia *reſplenduit facies eius ſicut ſol*. Apoc. i. 16. „ Facies eius „ ſicut ſol refulget in virtute ſua. “

Sed poteſt obiici quia iuſti fulgebunt ſicut ſol: ergo ſplendor Chriſti maior non erit aliis. Dico quod ſic, ſed quia in his ſenſibilibus non eſt clarius cui poſſit comparari, ideo ſoli (*d*) comparatur.

Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Hic de veſtimentis. (*e*) Hoc apparet quod non fuit per mutationem Chriſti, nec per dotem, quia veſtimenta non ſunt perceptiva dotis. Per veſtimenta ſignificantur ſancti, Eſa. xlix. 18. „ Vivo ego, dicit Do- „ minus, quia his omnibus ſicut ornamento „ veſtieris. “ Et dicit: *Facta ſunt alba ſicut nix*. Nix habet candorem, & frigiditatem; ſic ſancti habent candorem gloriæ. Sap. iii. 7. „ Fulgebunt iuſti, & tamquam „ ſcintillæ in arundineto diſcurrent. “ Item habebunt refrigerium ab ardore concupiſcentiæ. In Pſal. lxvii. 15. „ Nive dealbabun- „ tur in Selmon. “ Vel per veſtimenta intelligitur littera ſacræ Scripturæ.

Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias. Et quare apparuerunt? Chryſoſtomus aſſignat rationes. Prima ratio eſt ad confirmandum fidem diſcipulorum. Quæſierat ſupra (xvi. 13.) *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis*? Et dixerunt: *Alii Eliam &c.* Ut vero oſtenderet differentiam ſui ad illos, ideo voluit eos adducere. Pſal. lxxxv. 8. „ Non „ eſt ſimilis tui in diis, Domine. “ Secunda ratio eſt ad confutandum Iudæos. Dicebant enim, quod erat tranſgreſſor legis: item dicebant, quod erat blaſphemator, ut habetur Ioan. x. 33. „ De bono opere non „ lapidamus te, ſed de blaſphemia. “ Ideo quia Elias omnibus prophetis ſanctior fuit, & Moyſes legislator; coram Moyſe, & Elia oſtendit quia non erat Deo contrarius, nec tranſgreſſor legis. Tertia ratio eſt, ut oſtendat ſe iudicem vivorum, & mortuorum: quia Elias vivus erat, Moyſes mortuus. Quarta ratio eſt ad certificationem Petri: quia Petrus increpaverat Dominum de morte; ideo oſtendit quod non ſunt increpandi qui exponunt ſe morti, invocando iſtos duos; quia Elias morti ſe expoſuit coram Iezabel, ſimiliter Moyſes expoſuit ſe propter legem. Quinta ratio eſt, quia duo erant in eo quod voluit oſtendere in his duobus: ſcilicet manſuetudo, quam oſtendit in Moyſe, exemplum zeli Dei, quem oſtendit in Elia, de quo dicitur (Eccli. xlviii. 1.) quod „ ſurrexit Elias quaſi ignis, & „ verbum ipſius quaſi facula ardebat. “ Sexta ratio aſſignatur in Gloſſa: quia omnis lex, & prophetæ teſtimonium dixerunt Chriſto. Unde Luc. xxiv. 44. „ Omnia oportet „ impleri de me quæ ſunt in lege, & „ prophetis. “

Sed tunc eſt quæſtio. De Elia non eſt mirum ſi ibi fuit, quia eſt vivus; ſed de Moyſe eſt quæſtio quomodo ibi erat. Quidam dixerunt quod Angelus fuit ibi loco ipſius: ſed hoc nihil eſt, quia Moyſes fuit ibi in anima ſolum. Sed qualiter viſus eſt? Dicendum, quod ſicut Angeli videntur.

Sequitur affectus Petri: *Reſpondens autem Petrus*

(a) *Al.* & ideo. (b) *Al.* ibi. (c) *Al.* tertio teſtimonium. (d) *Al.* comparat. (e) *Al.* Hic apparet.

Digitized by Google

Petrus dixit &c. Et poſſumus exponere torquendo ad carnalitatem, vel ad devotionem. Chryſoſtomus retorquet ad carnalitatem. Supra Chriſtus dixerat ſe paſſurum, & (*a*) Petrus increpaverat eum, cum reprehendit eum. Unde apparuerunt Moyſes, & Elias loquentes de paſſione eius. Ideo cum audivit Petrus referre, non poterat audire. Unde non voluit ſe opponere; ideo cogitavit quod ſi ibi maneret, evaderet mortem; ideo ne cito recederent, dixit: *Faciamus hic tria tabernacula*.

Et quare dixit: *Moyſi unum, & Eliæ unum*? Quia videbat eum affectuoſum ad mortem, volebat quod iſti impedirent mortem eius. De Elia legitur IV. Regum I. quod quando miſit Rex quinquagenarium, fecit deſcendere ignem de cælo. Item legitur de Moyſe, Numer. XVI. quod quando iurgium occurrit in tabernaculo, quod deſcendit nubes. Ideo cogitavit quod pe. Moyſen poterat impetrari nubes, & per Eliam ignis. Alii vero reducunt ad devotionem Petri. Et ſecundum hoc, duo facit: quia primo tangit affectum; ſecundo conſilium, ibi, *Si vis &c* Dicit ergo: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*. Ex nimio fervore, videns gloriam, ita affectus erat quod numquam voluiſſet ſeparari, ſi Deus voluiſſet. Et quid erit de illis qui in gloria erunt perfecta? Unde exiſtentes in illa beatitudine numquam volent ſeparari. Pſal. LXXII. 28. „ Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. " Secundo dat conſilium, & ſicut dicit Luc. IX. 23. „ neſciens quid diceret. " Unde dicit: *Si vis, faciamus hic tria tabernacula*: quia voluntatem noſtram debemus ſubmittere voluntati divinæ, ut ſupra VI. 10. *Fiat voluntas tua &c.* Unde in iſto bene dixit Petrus; in alio vero male: quia credidit quod gloria ſine morte poſſet haberi; quod eſt contra illud II. Cor. V. I. „ Scimus enim, ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvatur, „ quod ædificatam habemus domum non manu „ factam, ſed æternam in cælis. " Item quia credidit in hoc mundo eſſe gloriam ſanctorum, quæ non eſt hic, ſed in cælis. Supra V. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*. Item quia credidit quod domibus indigerent; ſed non indigent hic, ſed habent in cælis; ut Apoc. XXI. 3. „ Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. " Item quia tria tabernacula voluit fieri: unum enim ſufficit Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Item quia comparavit Chriſtum aliis: non autem ſic debet fieri. Iob XXXII. 21. „ Deum homini non æquabo. " Petre, omnes habent unum tabernaculum, quod eſt fides.

Sequitur teſtimonium: *Et adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos &c.* Petrus inſipienter loquebatur; ideo indignus fuit reſponſione. Volebat materiale teſtimonium; ideo voluit Dominus oſtendere quod ſancti non indigent. Item per nubem oſtendere ſe voluit. Pſal. LXVII. 35. „ Magnificentia eius „ in nubibus. " Sed aliquando apparet nubes clara, aliquando nubes tenebroſa. Exod. XIX. dicitur quod apparuit nubes caliginis; ſed hic apparet lucida, quia ſignificat conſolationem gloriæ, quia tunc protegentur ab omni æſtu. Apoc. XXI. 4. „ Abſterget Deus „ omnem lacrymam ab oculis ſanctorum; & „ mors ultra non erit, neque luctus, neque „ clamor, neque dolor erit ultra: quo„ niam prima abierunt. " Sequitur teſtimonium ex voce Patris: unde: *Et vox de nube dicens &c.* Sed quare de nube? Ad ſignificandum quod eſt vox Patris. Dominus habitat in nube. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Tangitur Chriſti dignitas ex proprietate filiationis, ex perfectione dilectionis, & ex conformitate operationis. Unde dicit: *Hic eſt*, quaſi ſingularis, *Filius*. Alii ſunt filii per adoptionem. Pſal. LXXXI. 6. „ Ego dixi: Dii eſtis, & filii „ excelſi omnes. " Sed iſte eſt verus filius, ſcilicet ſingulariter, ut I. Ioan. V. 20. „ Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut „ cognoſcamus verum Deum. " Item aliter, *Dilectus*. Dilectio noſtra eſt ex bonitate creaturæ. Non enim eſt res bona, quia diligo eam; ſed quia res bona eſt, diligo eam. Sed dilectio Dei eſt cauſa bonitatis rerum: & ſicut Deus perfudit bonitatem in creaturis per creationem; (*b*) ſic in Filio per generationem, quia totam Filio communicat bonitatem: unde creaturæ benedicuntur per participationem, ſed Filio totum dedit. Ioan. III. 35. „ Pater diligit Fi„ lium, & omnia poſuit in manibus eius. " Unde ipſe Amor procedit a Patre diligente Filium, & Filio diligente Patrem. Sed contingit quod alicui datur aliquid, & non bene utitur datis; ideo non datori complacet; ſed Deus dedit iſti plenitudinem, & bene uſus eſt eis: ideo ſibi complacuit: unde dicit: *In quo mihi bene complacui*. Idem habetur ſupra XII. 18. (*c*) *In quo mihi complacui, & in quo requieſcit animus meus*. Quia ergo talis eſt, *ipſum audite*. Unde inſinuat eum datum doctorem omnium. Deut. XVIII. 15.

(a) *Al.* Chriſtus. (b) *Al.* deeſt ſic. (c) Ibi: *In quo bene complacuit anima mea. Ponam ſpiritum meum ſuper eum.*

„ Prophetam ſuſcitabit Dominus de gente „ veſtra: ipſum ſicut me audite. “ Vel ipſum audite, non Moyſen, non Eliam, niſi ſecundum quod Chriſtum (*a*) docent, vel doctrinam Chriſti.

Notate, quod Chriſtus habuit teſtimonium de cælo a Patre, de inferno a Moyſe, & ab Elia de paradiſo, a diſcipulis de terra: „ ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cæ„ leſtium, terreſtrium, & infernorum: “ Philip. II. 20. Item notandum, quod duplex eſt regeneratio; una in baptiſmo, alia quando ab omni inquinamento ſpiritus mundabimur. Unde in baptiſmo deſignatus eſt Ieſus per columbam, quæ eſt (*b*) animal ſimplex, ad deſignandum ſimplicitatem: eſt etiam animal fecundum, ad deſignandum aliam regenerationem. Apparuit in nube lucida, ad deſignandum claritatem, & extinctionem omnis concupiſcentiæ. Eſa. IV. 5. „ Et creabit Dominus ſuper omnem locum „ montis Sion, & ubi invocatus eſt, nubem „ per diem, & fumum, & ſplendorem ignis „ flammantis per noctem. “

Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt. Poſita transfiguratione, hic ponitur effectus in diſcipulis: & primo ponitur timor; ſecundo conſortatio Chriſti contra timorem; tertio effectus. Secunda ibi, *Et acceſſit Ieſus &c.* tertia ibi, *Levantes autem oculos ſuos neminem viderunt*. Dicit ergo, *Et audientes*. Audierunt vocem Patris de nube, ſicut dicitur II. Petr. I. 18. „ Hanc „ vocem audivimus cum eſſemus in monte. “ Et ponit ſignum timoris, quia *ceciderunt in faciem ſuam*.

Sequitur timor: *Et timuerunt valde*. Sed quare timuerunt? Ponit Hieronymus tres rationes. Prima quia cognoverunt ſe erraſſe, ſicut dicitur de Adam Geneſ. III. 10. „ Do„ mine, audivi vocem tuam, & timui, quia „ nudus eram. “ Item quia nube erant involuti, cognoverunt maieſtatis divinæ præſentiam. Exod. XIII. 21. „ Dominus autem „ præcedebat eos ad oſtendendam viam per „ diem in columna nubis &c. “ Et naturale eſt quod unuſquiſque ex eo quod non conſuevit, ſtupeſcat. Item propter vocem de nube (*c*) Deut. V. 26. „ Quid eſt omnis „ caro ut audiat vocem Dei viventis? “ Et ex hoc fortitudo eorum defecit, quia *ceciderunt in faciem ſuam*.

Sed notandum, quod aliter cadunt impii, aliter ſancti. Impii cadunt retrorſum, ut habetur I. Reg. IV. de Heli, qui cum audiſſer rumores de arca Domini, cecidit (*d*) de ſella, & fracta cervice expiravit. Sed ſancti in facies ſuas. Apocal. VII. 11. „ Qui „ ceciderunt in facies ſuas. “ Et ratio eſt, quia non videmus quod retro eſt. Eccle. II. 14. „ Sapientis oculi in capite eius. “

Conſequenter ponitur conſortatio Chriſti. Et conſortat eos facto, & verbo. Facto contra timorem, & caſum. Contra timorem, per eius præſentiam, quia *acceſſit Ieſus*. Pſal. XXII. 4. „ Non timebo mala, „ quoniam tu mecum es. “ Et ſupra XIV. 27. *Ego ſum, nolite timere*. Item conſortat per contactum, quia „ dat laſſo virtutem, “ Eſa. XL. 29. & in Daniele legitur (cap. X. 10.) „ Manus eius tetigit me, & erexit. “ Unde dicit: *Et tetigit eos*. Item conſortat contra caſum: unde: *Dixitque eis, Surgite*. Eph. V. 14. „ Surge qui dormis, & exurge a mor„ tuis, & illuminabit te Chriſtus. “ Item contra timorem, *Nolite timere*. Timor ille erat puſillanimitas; & illi qui ſurgunt a peccato, timorem deponunt, quia „ perfecta ca„ ritas foras mittit timorem: “ I. Ioan. IV. 18.

Conſequenter ſequitur effectus conſortationis: *Levantes autem oculos ſuos neminem viderunt niſi ſolum Ieſum*. Et iſte eſt effectus conſortationis divinæ: quia a Chriſto conſortati non vident niſi Ieſum, nec in ullo gaudent, vel conſortantur niſi in ipſo. Ad Philip. I. 21. „ Mihi vivere Chriſtus eſt, & „ mori lucrum. “ Item *neminem viderunt niſi ſolum Ieſum*: quia recedente umbra legis, & doctrina prophetarum, quæ per Moyſen, & Eliam deſignantur, ſola doctrina Chriſti tenetur. Vel, ſecundum aliam litteram, *ſolus remanſit*, ne vox videretur eſſe prolata ad Moyſen, vel Eliam. Unde ipſis non apparentibus, certum fuit quod ad eum vox prolata fuit.

Conſequenter ponitur mandatum de differenda huius viſionis revelatione: unde dicit: *Et deſcendentibus illis de monte præcepit Ieſus dicens: Nemini dixeritis viſionem*. Sed quæ eſt ratio? Triplex eſt. Prima quia, ut dicit Hieronymus, futurum erat quod Chriſtus pateretur, & quod Iudæi ſcandalizarentur: I. ad Cor. I. 23. „ Iudæis quidem „ ſcandalum: “ ideo ſi audiſſent iſtud, magis ſcandalizati fuiſſent: unde reputaſſent nihil fuiſſe: unde magis eſſent tardi ad credendum reſurrectionem. Remigius ſic exponit: quia ſi nuntiaſſet, numquam impleviſſet quod deſiderabat, & ſic fruſtratus eſſet ſuo deſiderio: quia habetur Luc. XXII. 15. „ Deſiderio deſideravi hoc paſcha manduca„ re vobiſcum. “ Hilarius exponit ſic: quia ſpi-

(a) *Al.* doceat. (b) *Al.* anima. (c) *Al.* „ Quis eſt ille homo qui audit vocem &c. “ (d) *Al.* de ſella Domini.

ſpiritualem gloriam non decebat nuntiari niſi per viros ſpirituales; ſed ipſi nondum erant ſpirituales. Ioan. VII. 39. „ Nondum „ erat eis ſpiritus datus. “

Et interrogaverunt eum &c. In parte iſta ſatisfacit petitioni diſcipulorum. Et primo ponitur petitio; ſecundo reſponſio; tertio effectus. Secunda ibi, *At ille reſpondens &c.* tertia ibi, *Tunc intellexerunt &c.* Apoſtoli videntes eum transformari, credebant quod ex tunc inciperet regnare. (*a*) Intellexerant enim quod Elias debebat prius venire, Malach. ult. Et quia eum viderant, credebant quod iam veniſſet, & appropinquaret regnum eius, (*b*) ut habetur Malach. ult. 1. „ Ecce enim dies veniet &c. “ Et ibid. 5. „ Mittam vobis Eliam prophetam antequam „ veniat dies Domini magnus, & horribi- „ lis &c.“ Sed iſtud neſciebant ex Scriptura, quia ſimplices erant, ſed ſciebant ex dictis ſcribarum. Unde dicunt: *Quid ergo ſcribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire?* Scribæ, qui ex lege noverant, ita dicebant; ſed pervertebant Scripturam. Eſt enim duplex adventus Chriſti: ſcilicet gloriæ, & de hoc adventu intelligitur quod Elias præcedet illum; ſed eſt alius adventus in carne. Unde ipſi pervertentes exponebant de iſto. Huic dubitationi Dominus ſatisfacit: & primo tangit adventum futurum; ſecundo præteritum: unde dicit: *At ille reſpondens ait illis: Elias quidem venturus eſt.* Unde de duplici Elia loquitur. Quia de Elia in propria perſona venturo; & hic venturus eſt ad annuntiandum viam iuſtitiæ, *& reſtituet omnia*, & convertet corda hominum ad Chriſtum, convertet Iudæos ad fidem patriarcharum, qui habuerunt fidem de Chriſto: (*c*) quia, ut habetur Rom. XI. 25. „ cæcitas ex parte contigit in Iſrael, do- „ nec plenitudo gentium intraret; & ſic o- „ mnis Iſrael ſalvus fiet. “ Auguſtinus aliter exponit. *Reſtituet omnia*, quia veniente Antichriſto omnes ſeducentur; ſed mortuo Antichriſto omnes reſtituentur ad fidem per prædicationem Eliæ. Origenes ſic. *Reſtituet*: quia ſi aliquis debet quod non ſolvit, debet reſtituere. Sed quilibet debitor eſt mortis, & quia Elias nondum eſt mortuus, cum veniet reſtituet omnia, & reddet debitum mortis. Additur de alio Elia: *Dico autem vobis, quia Elias iam venit.* Quis eſt iſte? Ioannes Baptiſta: non quod ipſe ſit in perſona, ſicut habetur Ioan. I. 21. cum petebatur ab eo: „ Elias es tu? Reſpondit, non: “ ſed in ſpiritu, & (*d*) virtute: quia ſicut Elias ſecundi adventus erit præcurſor, ita Ioannes primi adventus. Item ſicut Elias contradicebat Iezabel, Ioannes Herodiadi: & ſicut Elias fuit eremi cultor, ſic Ioannes: unde de ipſo dicitur Luc. I. 7. „ Ipſe præce- „ det eum in ſpiritu, & virtute Eliæ. “ Io ſpiritu, non quia tranſeat ſpiritus Eliæ in Ioannem, ut aliqui poſuerunt; ſed eamdem virtutem habebit. *Et non cognoverunt eum*; ideſt, non approbaverunt, ut habetur infra XXI. ubi quæſivit Dominus ſi baptiſmus Ioannis eſt de cælo, vel de terra: quia ſi de cælo dixiſſent, credere debuiſſent. *Sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt*: quia eum male tractaverunt, non ſecundum quod iuſtitia exigebat; ſed incarceraverunt eum. Simile habetur de Hieremia Eccli. XLIX. 9. „ Nam „ male tractaverunt eum qui a ventre ma- „ tris conſecratus eſt propheta. “ *Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis.* Ioannes præcurſor fuit Chriſti quantum ad nativitatem: quia ſicut Ioannes ex muliere veteri, & ſterili ſupra naturam, ſic Chriſtus ex virgine ſupra naturam. Item in prædicatione, quia incepit prædicare, *Agite pœnitentiam*, ſic & Chriſtus. Item quantum ad baptiſmum. Ideo requirebatur quod eſſet præcurſor quantum ad paſſionem: quia ſicut ipſe propter iuſtitiam occiſus eſt, ſic & Chriſtus. Unde: *Sic Filius hominis paſſurus eſt ab eis.*

Sed a quibus eis? Videtur quod non ab eis a quibus Ioannes, quia Ioannes ab Herode, Chriſtus a ſcribis. Sed poteſt dici quod ab eiſdem, quia Ioannes ab Herode, & Iudæis conſentientibus, ſed Chriſtus a ſcribis conſentiente Herode: unde in partibus illis erat, & oblatus fuit ei. Pſal. II. 2. „ Aſtiterunt Reges terræ, & Principes con- „ venerunt in unum adverſus Dominum, & „ adverſus Chriſtum eius. “ Vel *ſic paſſurus eſt ab eis*, ita quod ly *eis* faciat ſimplicem relationem: quia omnes ſunt in una generatione a quibus paſſus eſt Ioannes, & Chriſtus.

Conſequenter ponitur effectus huius reſponſionis: *Tunc intellexerunt diſcipuli quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis*: tunc cum Dominus locutus eſt eis. „ Declaratio ſermonum „ tuorum illuminat, & intellectum dat par- „ vulis: “ Pſal. CXVIII. 130.

(b) Hic prænuntiat tranquillitatem gloriæ, quæ impugnatur per oppreſſionem dæmonum, & turbationem hominum: & primo prænuntiat, primam ceſſare per curationem

(a) *Al.* Intellexerunt autem. (b) *Al.* ut habetur: „ Ecce regnum veniet &c. “ Malach. ult. (c) *Al.* quia habetur. (d) *Al.* veritate.

Digitized by Google

nem lunatici; ſecundo ſecundam. Et circa primum primo ponitur curatio lunatici; ſecundo prænuntiat paſſionem, ibi, *Converſantibus autem eis in Galilæa &c.* tertio de ſolutione tributi, ibi, *Et cum veniſſent Capharnaum &c.* Circa primum primo ſanat; ſecundo ſatisfacit dubitationi, ibi, *Dixit illis Ieſus &c.* Circa primum facit duo. Primo ponitur petitio patris; ſecundo ſatisfactio, ibi, *Afferte huc illum ad me*. Circa primum tria facit: quia primo ponitur tempus; ſecundo indicatio infirmi; tertio petitio. Tempus ponitur cum dicit: *Et cum veniſſet ad turbam*. Petrus allectus dulcedine gloriæ, ſemper vellet eſſe in monte; ſed Chriſtus ex caritate quam habuit ad turbas, quia,, caritas ,, non quærit quæ ſua ſunt, "(I.Cor.XIII.5.) voluit deſcendere de monte ut turbæ haberent acceſſum ad eum. Unde cum veniſſet, *acceſſit ad eum homo genibus provolutus*. Si non deſcendiſſet, non veniſſet ad eum homo ille. Et acceſſit humiliter, quia genibus provolutus: quia,, exaudit Deus orationem humi- ,, lium," Pſal.CI.18. Per iſtum genus humanum poteſt ſignificari. Philip.II.10. ,, Ut in nomine ,, Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, ter- ,, reſtrium, & infernorum." Deinde ponitur petitio. Non (a) petit, ſed infirmitatem exponit: ſufficit enim miſericordi miſeriam exponere. Primo exponit infirmitatem; ſecundo accidentia; tertio quod remedium non inveniebat. Dicit ergo: *Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt*. Notandum quod multi pro ſe rogant, ut ſupra de muliere habente fluxum ſanguinis; aliquando aliquis pro alio rogat, ut hic; aliquando vero aliquem curat non rogatus, ſicut in ſpirituali infirmitate, ut habetur de Publicano, Luc. XVIII. aliquando vero ad petitionem alterius aliquis curatur, ut habetur Iac. ult. ,, Orate pro invicem ut ſalvemini;" aliquando ſine oratione, ut in converſione Pauli, Act. IX.

Sed quid eſt quod dicitur quod lunaticus eſt? Lunaticus proprie eſt qui ſecundum ſtatum lunæ alienatur. Sed videtur quod iſte non eſſet lunaticus, ſed dæmoniacus, quia infra habetur, quod exivit dæmonium ab eo.

Poteſt dici, quod non eſt verbum Evangeliſtæ, ſed patris decepti, qui credebat eum eſſe lunaticum, vel quia ſupra IV. cap. habetur quod lunaticos curavit, & iſti erant dæmoniaci. Aliqui dicunt, ut aliqui medici, quod non erant alienati a dæmone, ſed ex mala complexione, vel corporis diſpoſitione; & hoc quia creſcente luna creſcit omne humidum. Sic cum cerebrum humidiſsimum ſit, luna patiente defectum, defectum patitur & ipſum cerebrum; & ita (b) tales deficientes patiuntur luna deficiente. (c) Sed hoc eſt contra fidem, quia expreſſe Scriptura dicit eos dæmoniacos. Et hoc patet, quia ex ſpiritu loquuntur: quia multo ignorantes patiuntur ſic, & tamen loquuntur de Scripturis. Ideo dicendum, quod ſpiritus maligni intendunt multipliciter inſidiari hominibus, & infamare volunt eos; ideo aliqui dæmones inducunt infirmitates, & vexationes, ſecundum quod vident impreſſionem ſtellarum ad hoc convenientem, ut inducant homines ad errorem, ut credant quod ſolum ex influentia ſtellarum accidat eis ut male patiantur.

Et male patitur. Hic ponuntur accidentia. In qualibet infirmitate ſunt diverſi ſtatus: quia quidam habent febrem magis gravem; alii magis debilem: ſic etiam iſte multum gravabatur. *Quia ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam*: ideo in magno erat periculo. Unde notandum, quod Dominus non retrahit manum ſuam in periculis. Unde iam eſſet mortuus, niſi Deus manum ſuam extendiſſet, ut de Iob legitur, cap. I. Quamvis ſatan eum multum cruciaret, tamen præcepit ei Dominus ut in animam manum non mitteret. Per iſtum ſignificatur ratio inſtabilis, de quo in Eccli. 27. ,, Stultus ut luna ,, mutatur." *Et cadit quandoque in ignem*, (d) ſcilicet iræ. Deut. XXXII.27.,, Ignis ſuccen- ,, ſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ,, ad inferni noviſſima." *Crebro in aquam*, ſcilicet cupiditatis. ,, Effuſus es ſicut aqua, ,, ne creſcas:" Gen. XLIX. 4. *Obtuli diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum*. Hic tangitur nequitia iſtius, quia voluit accuſare diſcipulos. Unde Eccli. XI. 33. ,, Qui in ,, electis ponit maculam." Unde Dominus increpat: *Reſpondens Ieſus ait: Generatio incredula, & perverſa*. Unde ponitur reſponſio: & duo facit. Primo increpat vitium; ſecundo exhibet beneficium. Dicit ergo: *Reſpondens Ieſus &c.* Iſte volebat diffamare diſcipulos ad turbas, & etiam Ieſum, quod non haberet iſtam poteſtatem, & multi in hoc conſentiebant; ideo Chriſtus invehitur contra totam gentem, & arguit eos de infidelitate, dicens, *Generatio incredula*, quia hoc non erat propter impotentiam diſcipulorum, ſed propter incredulitatem eorum. Item de perverſitate, *Et perverſa*, quia culpam ſuam Apoſtolis imponebant. Deut.

(a) *Al.* petiit. (b) *Al.* malos. (c) *Al.* Et hoc eſt. (d) *Al.* deeſt ſcilicet.

Digitized by Google

Deut. xxxii. 5. „ Generatio prava , atque „ perverſa, hæccine reddis Domino popule „ ſtulte , & inſipiens ? “ *Quouſque ero vobiſcum* ? Et duo Chriſtus proponit. Primo eorum (*a*) impœnitentiam; ſecundo divinam patientiam , quia non eſt conveniens ſocietas iuſti ad iniuſtum . Eccli. xiii. 21. „ Sicut communicat lupus agno , ſic peccator iuſto . “ II. Corinth. vi. 15. „ Quæ „ conventio Chriſti ad Belial ?“ Unde vult dicere: Mea ſocietate potimini, & tamen mihi , & diſcipulis meis detrahere non ceſſatis . Et , ſicut dicit Hieronymus, Dominus hoc non dicit ut iratus, ſed loquitur ad modum medici qui venit ad infirmum, qui non vult ſervare mandata ſua, qui dicit: Quamdiu viſitabo te qui non vis ſervare mandata mea ? Ideo dat exemplum prælatis , quod licet eis contrarientur homines , tamen beneficia conſerant , ſicut ipſe , qui iſtius filium curavit, qui ſibi , & diſcipulis detrahebat. Unde dicit: *Afferte huc illum ad me*. Et primo ponitur curandi modus ; ſecundo effectus. Primo ponitur actor, ſcilicet Chriſtus: unde dicit: *Afferte eum ad me*. Homines multipliciter peccant. Quidam ex ignorantia , quidam ex infirmitate , quidam ex malitia . Qui ex ignorantia , per hominem inſtrui poteſt; qui ex infirmitate, ſcilicet ille qui per incontinentiam peccat , qui de peccato dolet , & deducitur paſſionibus, Iſte non per quemcumque poteſt ſanari, ſed neceſſarium eſt quod adducatur ad Ieſum, qui ſanat omnes infirmitates noſtras. Et hæc eſt via, quia *increpavit eum*, quia per peccatum ſuum hoc ei acciderat. Proverb. vi. 2. „ Illaqueatus es verbis oris tui , & captus „ propriis ſermonibus. “ Vel *increpavit eum*, ſcilicet dæmonem. Sequitur effectus : *Et exivit ab eo dæmonium , & curatus eſt puer ex illa hora* : quia „ ipſe dixit , & facta ſunt:“ Pſal. cxlviii. 5.

Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecreto &c. Supra Dominus curavit lunaticum ; hic ſatisfacit quæſtioni diſcipulorum. Et primo ponitur quæſtio ; ſecundo reſponſio, ibi, *Dixit illis Ieſus &c.* Ad hoc autem quod petitionem intelligatis , ſcire debetis quod ſupra x. Dominus dederat poteſtatem eis eiiciendi dæmonia : unde dubitabant ne gratiam datam propter culpam amiſiſſent; ideo *acceſſerunt ad Ieſum &c.* Sed quare ſecreto? Non propter verecundiam, ſed quia magnum audire debebant , & ſecreta omnibus dici non debebant. Supra xiii. 11. „ Vobis da„ tum eſt noſce myſteria regni cælorum ; „ illis autem non eſt datum. “ *Dixit eis Ieſus*. Hic reſpondet: & primo ſatisfacit; ſecundo proponit generale documentum, ibi, *Hoc autem genus non eiicitur niſi per orationem , & ieiunium* . Circa primum primo quæſtioni reſpondet ; & ſecundo reſponſionem manifeſtat, ibi , *Amen quippe dico vobis &c.* Quæſierant : *Quare non potuimus eiicere illum* ? Dominus reſpondet : *Propter incredulitatem veſtram* . Ubi conſiderandum eſt , quod antequam Spiritum ſanctum recepiſſent in tanta plenitudine , qua repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Act. ii. aliqua infirma patiebantur. Unde Dominus eos redarguit, Luc. ult. 25. „ O ſtulti, & tardi corde ad cre„ dendum! Nec mirum, quia dum Dominus fuit in monte, illi qui præcipui fuerant in fide, ſcilicet Petrus , Iacobus , & Ioannes abſentes erant. Debilitas enim fidei eſt cauſa non faciendi miracula : quia miraculorum (*b*) operatio eſt ab omnipotentia , quia fides innititur omnipotentiæ : unde ubi eſt infirmitas fidei , eſt defectus miraculorum . Unde habetur ſupra xiii. quod in patria ſua non fecit Chriſtus niſi pauca miracula propter eorum incredulitatem. Aliquando fiunt miracula propter exigentiam petentis , ut ſupra xv. habetur de muliere Chananæa : aliquando ad manifeſtandum ſanctitatem alicuius ſancti; & hoc habetur IV. Regum xiii. ubi dicitur, quod cum latrunculi Syriæ veniſſent in terram Iſrael, eiecerunt corpus mortuum iuxta Eliſeum , & revixit : non quia meruiſſet mortuus , ſed ad manifeſtationem ſanctitatis Eliſei. *Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis &c.* Hic manifeſtat ſuam reſponſionem. Et ponitur quædam conditionalis, cuius antecedens eſt: *Si habueritis fidem &c.* conſequens eſt : *Dicetis monti huic, Tranſi, & tranſibit*. Aliqui dicunt quod fides comparata grano ſinapis ſit parva fides; quaſi dicat: Si habueritis aliquam fidem, dicetis &c. Sed hoc improbat Hieronymus: quia dicit Apoſtolus (I. Corinth. xiii. 2.) „ Si habuero omnem fi„ dem, ita ut montes transferam. “ Unde perfecta fides requiritur ad translationem montium. Per hoc quod dicit, *Sicut granum ſinapis*, triplex perfectio deſignatur fidei. Invenimus enim in grano fervorem , fecunditatem, parvitatem. Granum antequam conteratur , nullum fervorem habere videtur ; cum conteritur fervere incipit ; ſic homo fidelis, antequam probetur, deſpectibilis videtur; quando vero atteritur, tunc apparet eius ſanctitas. I. Pet. 1. 7. „ Modicum nunc „ ſi con-

(*a*) *Al.* pœnitentiam. (*b*) *Al.* opera.

„ ſi contriſtari oportet , ut probatio fidei „ veſtræ multo pretioſior ſit auro, quod per „ ignem probatur . “ Item invenimus in grano fecunditatem, ſupra XIII. quod quamvis ſit parvum, creſcit in ſegetem magnam, ita quod volucres cæli habitant ibi. Ad Hebr. 11. ubi narrantur opera fidei, & ſequitur (ver. 33.) „ Sancti per fidem vicerunt „ regna &c. “ Item invenimus parvitatem, & poteſt per hoc deſignari humilitas fidei . Tunc enim agnoſcitur (*a*) quis humilis in fide, quando acquieſcit ſermonibus Dei . I. ad Timot. VI. 3. „ Si quis non acquieſcit „ ſermonibus Dei , ſuperbus eſt . “ Sic e contrario qui acquieſcit ſermonibus humilis eſt . Vult ergo dicere : *Si habueritis fidem* , & ſi fidem ferventem, indeficientem, in operibus fecundam, ſi parvam, & humilem , *dicetis monti huic, Tranſi, & tranſibit*.

Hic eſt quæſtio, quam movent infideles . Non invenitur quod Apoſtoli umquam hoc fecerint . Reſpondit Chryſoſtomus : „ Etſi „ non invenitur de Apoſtolis, invenitur ta„ men de apoſtolicis viris . “ Legitur enim in Libro Dialog. Beati Gregorii , quod cum quidam vellet conſtruere Eccleſiam, non habens locum ad ædificandum , præcepit monti quod cederet ei , & ceſſit . Vel forte fecerunt, ſed non eſt ſcriptum . Vel poteſt dici , quod ſi non fecerunt , non fuit propter impoſſibilitatem, ſed quia locus non ſe obtulit . Unde facta ſunt miracula ad neceſſitatem aliquando , aliquando ad utilitatem: & quia non fuit neceſſe, ideo non fecerunt . Vel ponitur mons pro diabolo . *Tranſi hinc*, ideſt ab hoc corpore , *& tranſibit*. Vel ſecundum Auguſtinum, intelligitur de ſpiritu ſuperbiæ.

Et nihil impoſſibile erit vobis. Et quid eſt ? Erunt ne omnipotentes ? Non , quia ille ſolum omnipotens vere eſt qui ex propria virtute omnia poteſt. Ipſi autem non ex propria virtute ; ſed ſicut aliter præcipit Rex & ſervus : quia Rex proprio nomine , ſervus nomine Regis. *Hoc autem genus dæmoniorum* (ly *hoc* non demonſtrat ſolum genus lunatici, ſed omne genus dæmoniorum) (*b*) *non eiicitur niſi per orationem , & ieiunium* . Chryſoſtomus dicit , quod quanto anima eſt magis elevata , tanto dæmonibus eſt magis terribilis. Ipſe enim Chriſtus dæmonibus eſt terribilis: unde (*c*) qui Chriſto coniuncti ſunt , ſunt terribiles ei . Elevatio autem mentis impeditur per gravitatem carnis , impeditur per crapulam , & ebrietatem . Unde in Luc. XXI. 14. „ Videte ne graventur „ cor veſtrum in crapula , & ebrietate . “ Unde non poteſt habere mentem ad Deum qui aggravatus eſt ebrietate ; ideo ad elevationem mentis requiritur ieiunium . Unde in Tob. XII. 8. „ Bona eſt oratio cum ieiu„ nio. “ Item Dan. IX. 3. „ Ego Daniel de„ di cor meum ut orarem in ieiunio . “ Ideo, ſicut dicit Origenes , ad hoc quod expellatur ſpiritus, non eſt intendendum convivationibus, ſed orationibus, & ieiuniis. Vel per lunaticum inſtabilitas carnis deſignatur; vel ille qui deducitur per diverſa deſideria. *Qui ſæpe cadit in ignem, & aquam*, talis non curatur niſi in ieiunio & oratione . Ad Gal. V. 17. „ Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, „ & ſpiritus adverſus carnem . “ Oportet ergo ut debilites carnem , & confortes ſpiritum : ſed ſpiritus confortatur per orationem , quia oratio eſt aſcenſus mentis in Deum; caro vero debilitatur per ieiunium. Vel quia non ceſſat ſpiritus adverſus carnem, ideo ut ceſſet talis pugna , requiruntur operationes bonæ, quæ ſignificantur per orationem , & abſtinentia mali , quæ ſignificatur per ieiunium.

Converſantibus autem illis in Galilæa &c. Supra figurata eſt tranquillitas gloriæ per liberationem a poteſtate dæmonum. Iſta liberatio eſt peracta per mortem Chriſti . Ad Hebr. II. 14. „ Ut per mortem deſtrueret „ eum qui habebat mortis imperium , ideſt „ diabolum , & liberaret eos qui timore „ mortis per totam vitam obnoxii erant ſer„ vituti. “ Ideo ſtatim ſubiungit de prænuntiatione paſſionis . Et primo ponitur prænuntiatio ; ſecundo effectus , ibi , *Et contriſtati ſunt vehementer*. Dominus noſter ante (cap. XVI.) prænuntiaverat paſſionem ſuam , & modo etiam , & in ſequentibus . Et quare toties? Quia quæ prævidentur, minus commovent ; ideo quia futurum erat quod diſcipuli ſcandalizarentur in morte Domini , ideo voluit eis ſæpe prænuntiare , ut minus ſcandalizarentur. Sed ſemper addit aliquid. Prius tetigit de occiſione , ſed non de traditione ; hic vero tangit de traditione , dicens: *Filius hominis tradetur*. Et recte dicit, *Filius hominis* , quia etſi ille qui traditur , ſit Dominus gloriæ , (*d*) tamen ſecundum quod Filius hominis traditur . Unde Auguſtinus: „ Licet aliqua dicantur de Filio Dei, „ & Filio hominis, tamen diſtinguitur, quia „ infirma de humana natura dicuntur , (*e*) „ ſtabilia de natura divina. “ Sed non dicit a qui-

(a) *Al. deeſt* quis. (b) *Al.* quod *non eiicitur &c.* (c) *Al.* qui coniuncti ſunt. (d) *Al.* ſed. (e) *Al.* quæ ſtabilia.

Digitized by Google

a quibus traditus eſt, quia tradidit ſe. Ad Gal. II. 20. „ Qui tradidit ſemetipſum pro „ me. “ Traditus eſt a Patre, „ qui proprio „ Filio non pepercit, ſed (a) pro nobis o- „ mnibus tradidit illum: “ Rom. VIII. 32. Item traditus eſt a Iuda. “ Supra x. 4. *Qui & tradidit eum*. Item a dæmonibus. Ioan. XIII. babetur quod diabolus poſuit in cor ut traderet eum Iudas. Et Sapien. II. 12. (b) „ Venite occidamus iuſtum. “ *Et tertia die reſurget*. Oſeæ VI. 3. (c) „ Vivificabit nos „ poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit „ nos, & vivemus in conſpectu eius. “ Sequitur effectus: *Et contriſtati ſunt*. Attendebant & mortem, & reſurrectionem; ſed non videbant utilitatem. Ioan. XVI. 6. „ Quia „ hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit „ cor veſtrum. “

Et cum veniſſent Capharnaum. Completa tranquillitate gloriæ, ponit ſolutionem tributi. Eſa. XIV. 4. „ Quievit tributum. “ Iob III. 19. „ Servus liber eſt a domino ſuo. “ Unde tria facit. Primo ponit exactionem tributi; ſecundo libertatem filiorum; tertio ſolutionem tributi. Dicit: *Et cum intraſſet in domum, prævenit eum Ieſus &c.* Didrachma duplex drachma dicitur. Unde quilibet Iudæus debebat quolibet anno duplex drachma.

Sed unde erat illud tributum? Quidam dicunt quod ex lege, Exod. XIII. Quod propter hoc quod Dominus occiderat primogenita AEgypti, ideo ſtatuit quod omnia primogenita eſſent ſua, & quod filii redimerentur. Poſt præcepit quod ad ſervitium Levitæ præpararentur. Et poſt mandavit quod numerarentur Levitæ. Et inventi ſunt plures primogeniti quam Levitæ. Tunc præcepit quod pro redemptione ſolveretur pretium. Hieronymus dicit, quod non ex lege Dei, ſed Imperatoris, Iudæa nuper tributaria erat Romanorum, ut pro capite cenſum ſolveret. Et hoc videtur verius, quia infra dicitur: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum*? Ideo loquitur de tributo imperiali.

Sed quare in Capharnaum? Quia a quocumque recipiebatur in civitate ſua; ſed Capharnaum erat civitas principalis Galilææ.

Sed quia Chriſtum in reverentiam habebant, ideo non accedunt ad eum, ſed ad Petrum, & non petierunt eum niſi cum manſuetudine: *Magiſter veſter non ſolvit didrachma*. Deinde ponitur Petri reſponſio: *Et ait, Etiam*: idest, verum eſt quod non ſolvit. Chryſoſtomus dicit, quod ne inquietaretur dixit, *Etiam* ſolvit. Sequitur Chriſti interrogatio, deinde Petri reſponſio. In interrogatione duo ſunt conſideranda, ſcilicet quod non expavit denuntiationem eius, quia cum eſſet in tali ſtatu, ad quamdam indignitatem tenebatur; & aliqui ſunt ita diſpoſiti quod cum vident aliquod infirmum in magno, ſtatim ſcandalizantur. Ne ergo ſcandalizentur, ideo *prævenit*, ideo cum infirmitate appoſuit aliquod magnum, ſcilicet quod abſens ſciret quod dictum erat Petro. „ Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius: “ ad Hebr. IV. 13. „ Item notandum quod Petro iudicium committit, quia frequentius ei loquebatur, dicens: *Quid, tibi videtur, Simon*? Iob XII. II. „ Nonne auris verba diiudi- „ cat? “ *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum*? Differentia eſt inter tributum & cenſum: tributum enim de agris, & vineis; cenſus autem de capite datur. Unde in ſignum ſuæ ſubiectionis debet aliquid homo ſubiectus; & hoc cenſus dicitur. Ex hoc vult argumentari, quod cum filii Regum non ſolvunt tributum, quod ipſe non tenetur: ipſe enim eſt Rex Regum, per quem omnes regnant. Item ſecundum carnem erat ex ſemine regio. „ Qui factus eſt „ ex ſemine David ſecundum carnem: “ Rom. I. 3. Chryſoſtomus dicit, quod ex hoc poſſumus conſiderare, quod ſit filius naturalis, quia prius dicitur qui naturalis eſt. *At ille dixit, Ab alienis*. Deinde ponitur Chriſti reſponſio, quia Reges filiis ſuis parcunt. Eſa. III. 15. „ Quare populum meum atte- „ ritis, & facies pauperum commoliſtis? “ Iuſtum enim videtur: qui enim præſidet, curam debet habere de ſubditis, ideo ei ſervire debent ſubditi ſicut membra corpori: ſicut enim membra corporis ex ſibi proprio ſerviunt toti corpori, ſic quilibet ſubditus ex propriis bonis debet ſervire communitati. Ideo concludit Dominus: *Ergo filii liberi*. Origenes uno modo ſic. Ergo filii Regum terræ ſunt liberi, ſed filii Dei ſunt liberi apud Deum.

Sed quid facit hoc ad propoſitum? Aut loquitur ſecundum carnem de filiis, & ſic ipſe non erat filius ſecundum carnem. Si ſecundum ſpiritum, tunc omnes Chriſtiani erunt liberi. Sed hoc eſt contra Apoſtolum: „ Reddite omnibus debita, cui tributum, „ tributum. “ (Rom. XIII. 7.)

Dico, quod iſtud veritatem habebat de illo qui per naturam erat filius. Ille enim vere erat liber, (d) ſed liberi ſecundum ſpi-

(a) Al. pro omnibus. (b) Ibi: „ Circumveniamus ergo iuſtum. “ (c) Al. Viſitabit. (d) Al. ſed qui liberi.

ſpiritum, eo modo habent libertatem quo filiationem per conformitatem ad Chriſtum, qui „ eſt primogenitus in multis fratribus: “ Rom. VIII. 29. Inquantum conformes primogenito liberi ſunt. Ad Philipp. III. 21. „ Qui „ reformabit corpus humilitatis noſtræ con- „ figuratum corpori claritatis ſuæ. “

Ut autem non ſcandalizemus eos &c. Verum eſt quod Dominus liber eſt; ſed quia formam ſervi accepit, ut habetur ad Phil. II. ideo non recuſavit ſolvere; & in hoc dedit exemplum humilitatis.

Et in hac ſolutione tria laudanda, & admiranda notantur. Primo eius manſuetudo, unde ipſe eſt mitis, ſecundum quod ipſe teſtatur ſupra XI. 29. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Ille proprie dicitur mitis qui nullum vult offendere. I. ad Corinth. X. 32. (*a*) „ Sine offenſione eſtote Iu- „ dæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei. “

Sed contra hoc obiicitur. Supra XV. 12. habetur quod diſcipuli dixerunt: *Domine ſcis quia Iudæi ſcandalizantur in verbo iſto?* Et Dominus dixit: *Sinite eos: cæci ſunt, & duces cæcorum*. Non curavit tunc de ſcandalo; hic vero curat. Unde dicendum quod ſcandalum aliquando oritur ex veritate, & tunc non eſt curandum; aliquando ex infirmitate, vel ignorantia, & tale eſt curandum. Sed ſi (*b*) ipſe non ſolviſſet, ſcandalum eorum ex ignorantia eſſet, quia ipſi Deum non cognoſcebant.

Item admiranda eſt paupertas Chriſti, quia ita pauper fuit quod non habuit unde ſolveret. II. Corinth. VIII. 9. (*c*) „ Qui cum „ dives eſſet, egenus factus eſt, ut illius „ inopia vos divites eſſetis. “

Poteſt quis obiicere: Nonne (*d*) loculos habebat? Verum eſt; ſed omnia data erant in uſus pauperum. Rapinam (*e*) arbitrabatur quod erat ad uſus pauperum, in alios uſus expendere. Chryſoſtomus dicit, quod ſolvit, ut dum ſolveret tributum, ex una parte oſtenderet eius potentiam, ex altera parte myſterium.

Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius, invenies ſtaterem. In ſtatere illo erat imago Cæſaris; & ſignificat diabolum, qui nihil habebat in eo. Ioan. XIV. 30. „ Venit „ princeps huius mundi, & in me non ha- „ bet quicquam. “ Ideo quia de ſuo nihil habebat, ideo de ſuo ſolvere noluit.

Item eius providentia, ideo dicit, quod mirari debemus, quomodo potuit ſcire, quod ſtatim occurreret piſcis qui haberet ſtaterem in ore. Si autem non fuit, ſed creavit de novo, eſt mirandum; ſed ſi duxit ad hamum, magnæ providentiæ fuit. Per iſtum piſcem qui primo venit ad hamum, (*f*) primus martyr intelligitur Beatus Stephanus, qui habuit ſtaterem in ore qui didrachma valebat, & duplex; & ſignificat ipſum Stephanum qui vidit ipſam divinitatem, & humanitatem. Vel poteſt intelligi Adam. Item nota, quod ſi aliquis ſæpe loquitur de divitiis, & de moneta, ſtaterem habet in ore: unde qui convertit talem, accipit piſcem qui habet ſtaterem in ore. Item ſignificatur humilitas: unde: *Illum ſumens da illis pro me, & pro te*. Et in hoc quod tributum ſolutum fuit pro Petro, & pro ipſo, ſignificatur quod per paſſionem Chriſti, ipſe ſibi gloriam reſurrectionis acquiſivit: Phil. II. 9. „ Propter quod exaltavit eum „ Deus: “ Petrus, & alii redempti ſunt a pœna, & culpa. Vel aliter, quia paſſus eſt pro ſe, ut corpori ſuo acquireret gloriam reſurrectionis: pro populo, ut lavaret eum a peccatis. Ipſe enim (Apoc. I. 5.) „ lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine „ ſuo.

(a) *Al.* Nullius offenſionis eſtote. (b) *Al.* Sed ipſe non ſolviſſet. (c) *Al.* Quia. (d) *Al.* oculos. (e) *Al.* arbitrabitur. (f) *Al.* prius.

CA-

C A P U T XVIII.

(a) IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quiſputas maior eſt in regno cælorum? Et advocans Ieſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum. Et qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a ſcandalis. Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te. Bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & proiice abs te. Bonum tibi eſt unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt. Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat.

(b) Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit? Et ſi contigerit ut inveniat eam; amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis quam ſupra nonaginta novem quæ non erraverunt. Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum qui in cælis eſt ut pereat unus de puſillis iſtis. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cælis eſt. Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Uſque ſepties? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.

(c) Ideo aſſimilatum eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iuſſit eum dominus eius venumdari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſervus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conſervus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſervi eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde; & venerunt, & narraverunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus ſuus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quo ad uſque redderet univerſum debitum. Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

Digitized by Google

(a) SUpra Dominus monſtravit futuram gloriam in ſua transfiguratione; hic de (*a*) profectione ad illam gloriam agit. Et dividitur in duo: quia primo docet quomodo perveniendum eſt ad eam; ſecundo reprehenduntur quidam inordinate petentes excellentiam in gloria, quæ incipit in xx. cap. Circa primum primo docet quomodo perveniendum eſt ad illam gloriam per viam communem; ſecundo quomodo per viam perfectionis, quod incipit cap. xix. Primo quia per humilitatem pervenitur ad gloriam, ideo primo oſtendit humilitatis modum; ſecundo prohibet inſerre ſcandalum, ibi, *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis &c.* tertio docet quod illatum eſt dimittendum, ibi, (*b*) *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te*. Circa primum ponitur interrogatio diſcipulorum; ſecundo reſponſio Chriſti. Occaſio interrogationis ſumitur ex hoc quod dictum eſt Petro quod iret ad mare, & ſtaterem inventum in piſce ſolveret pro ipſo, & pro Petro: unde videbatur eum aliis prætuliſſe. Et quia erant adhuc infirmi, ideo aliquem zelum, & invidiæ motum paſſi ſunt. Sed videte quod quando duxit tres ſolum in montem, non ita moti ſunt, ſicut hic cum ſolum præfert. Unde quærebant: *Quis putas maior eſt in regno cælorum*? cum non per maioritatem perveniatur, ſed per ſpiritum humilitatis. Ad Phil. II. 3. „ In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes „ &c. " In iſta petitione eſt hoc imitandum, quod non erant cupidi de terreſtribus, ſed de cæleſtibus. II. ad Corinth. IV. 18. „ Non „ contemplantibus nobis quæ videntur, ſed „ quæ non videntur &c. "

Sed quid eſt? Nonne quærenda eſt excellentia in regno cælorum? Dicendum, quod habere eminentiam in regno cælorum eſt dupliciter. Aut ita quod reputemus nos idoneos, & hoc eſt ſuperbia, & contra Apoſtolum, Phil. II. 3. „ In humilitate ſuperio„ res ſibi invicem arbitrantes &c. " Sed appetere maiorem gratiam, ut maior nobis ſit gloria, non eſt malum, ut I. ad Corinth. XII. 31. „ AEmulamini chariſmata melio„ ra. " Item Apoſtoli ſciebant quod in gloria erant diverſæ manſiones, ſicut ſtella differt a ſtella in claritate; ideo quærebant, quia credebant unum maiorem alio, contra hæreticos aliquos qui contrarium poſuerunt.

Conſequenter ponitur reſponſio Chriſti; & ponit factum Chriſti, & dictum. Unde dicit: *Et advocans Ieſus parvulum*. Quis ſit iſte parvulus exponitur tripliciter. Chryſoſtomns exponit (*c*) vere parvulum, quia paſſionibus erat immunis, ut exemplum humilitatis præberet, ut infra XIX. 14. *Sinite parvulos venire ad me*. Et dicitur quod iſte fuit beatus Martialis. Aliter exponitur, quod Chriſtus ſe parvulum reputans, ſtatuit ſe in medio, dicens: *Niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum*. Luc. XX. 27. „ Ego ſum in medio veſtrum ſic„ ut qui miniſtrat. " Aliter quia per parvulum intelligitur Spiritus ſanctus, (*d*) qui facit parvulos, quia eſt ſpiritus humilitatis. Ezech. XXXVI. 27. „ Ponam ſpiritum meum „ in medio veſtri. " Item notandum eſt verbum Domini. Et primo tangit neceſſitatem, ſecundo efficaciam. Dicit: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis*, ab iſta ſcilicet elatione immunes: Zach. I. 3. „ Convertimini ad me „ &c. " *& efficiamini ut parvulus iſte*, non ætate, ſed ſimplicitate. I. ad Corinth. XIV. „ Nolite parvuli effici ſenſibus, ſed malitia „ parvuli eſtote. " Multæ ſunt conditiones parvulorum. Non magna appetunt. Rom. XII. 16. „ Non alta ſapientes. " Sunt immunes a concupiſcentia. " Supra v. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Et talem concupiſcentiam non habent pueri. Item non recordantur inimicitiæ: unde *niſi efficiamini ſicut parvulus iſte*, ſcilicet imitatores proprietatum parvulorum, *non intrabitis in regnum cælorum*. Nullus enim intrabit niſi humilis. „ Humiles ſpiritu ſuſcipiet gloria: " Prov. XXIX. 23. Vel *non intrabitis in regnum cælorum*, ideſt in doctrinam Evangelii, ſicut infra XXI. 43. *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*. Introitus enim eſt per fidem: unde *niſi efficiamini*, & ſi non credideritis, *ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*: quia Marci ult. 16. „ Qui non crediderit, condemnabitur. " Proverb. XXIX. 23. „ Humilem ſpiritu ſu„ ſcipiet gloria. " *Et qui ſuſceperit unum parvulum talem*; ideſt, quicumque eſt imitator puerilis innocentiæ, hic maior eſt, quia quanto humilior, tanto altior: quia „ qui „ ſe humiliat exaltabitur: " Luc. XVIII. 14.

Sed poteſt eſſe quæſtio: videtur enim quod hoc non ſit verum, quia perfectio eſt in caritate: ergo ubi maior caritas, ibi maior perfectio.

Dicendnm, quod caritatem neceſſario comitatur humilitas. Et poteſtis hoc videre ſi conſideretis quis ſit humilis. (*e*) Sicut enim in ſu-

(a) Al. perfectione. (b) Al. *Si autem expectaverit &c.* (c) Al. quod vere parvulum. (d) Al. quia. (e) Al. Sic.

in ſuperbia ſunt duo, affectus inordinatus, & æſtimatio inordinata de ſe; ita e contrario eſt in humilitate, quia propriam excellentiam non curat. Item non reputat ſe dignum. Iſtud de neceſſitate ſequitur ad caritatem. Omnis homo cupit excellentiam quam diligit: ergo quanto magis habet homo de humilitate, tanto magis diligit Deum, & magis excellentiam ſui contemnit, & tanto minus ſibi attribuit; ſic quanto homo plus habet de caritate, habet etiam magis de humilitate.

Et qui ſuſceperit unum parvulum talem, me ſuſcipit. Ex quo parvuli ſunt tam idonei, non ſunt ſcandalizandi: unde: *Et qui ſcandalizaverit &c.* Et primo oſtendit quod non ſunt ſcandalizandi propter pœnam; ſecundo propter divinam providentiam. Secunda, *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis.* Primo dicit quod non eſt inferendum ſcandalum puſillis; ſecundo quod non eſt negligenter vitandum, ibi, *Si autem manus tua &c.* Et primo ponit pœnam in ſpeciali; ſecundo in generali, ibi, *Væ mundo a ſcandalis &c.* Videndum quod duplex eſt pœna; ſcilicet pœna damni, & pœna ſenſus. Utramque tangit: *Qui ſuſceperit unum talem*, non propter ipſum, ſed propter me, *me ſuſcipit*. Sequitur: *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis &c.*

Si ſit talis, conſtat quod maior eſt: & quomodo qui maior eſt ſcandalizabitur? Perfecti enim non ſcandalizantur. Chryſoſtomus dicit, quod ſcandalizare idem eſt quod iniuriam inferre; & hæc poteſt perfecto, & imperfecto inferri. Origenes dicit, quod aliqui ſunt effecti parvuli, aliqui in fieri. Illi qui effecti ſunt parvuli, ſunt illi qui ad perfectionem pervenerunt: hi non poſſunt ſcandalizari. Illi qui ſunt in fieri, quia imperfecti ſunt, poſſunt ſcandalizari; ſicut ſunt qui converſi ſunt de novo. Hieronymus dicit, quod licet non ſcandalizentur, aliquis tamen poteſt eos ſcandalizare, quia eſt ſcandalum activum, & paſſivum. Dominus videtur tangere omnes Apoſtolos, & ſpecialiter Iudam tangit, ſicut infra XXVI. 31. *Omnes vos ſcandalum patiemini &c.*

Et quæ eſt hæc pœna. *Expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius.* Item, ſicut dicit Hieronymus, loquitur Dominus ſecundum modum Palæſtinorum, qui non habebant molendina in aqua, ſed habebant molendina cum equis. Unde mola aſinaria dicitur quam equus, vel aſinus ducere poteſt. *Et demergatur in profundum maris.* Et hæc erat pœna quæ inferebatur ei qui furtum fecerat: quia mola huiuſmodi ſuſpendebatur in collo eius, & proiiciebatur in mare: quod etiam in Beato Clemente factum eſt, licet non quia fur eſſet &c. Unde dignus eſt pœna æterna. Unde melius eſt quamcumque pœnam temporalem ſuſtinere in præſenti, quam ſuſtinere pœnam æternam. Ad Hebr. X. 31. „ Horrendum eſt enim in„ cidere in manus Dei viventis." Et Dan. XIII. 23. „ Melius eſt mihi abſque opere in„ cidere in manus hominum, quam pecca„ re in conſpectu Domini."

Aliter myſtice; & hoc tripliciter. Uno modo per molam cæcitas gentilium intelligitur, quia animalia quæ ponuntur ad ducendum hanc molam, ſunt cæca. Iudic. XVI. ſcribitur, quod (*a*) eruerunt oculos Samſoni, & fecerunt eum molere. Unde expediret Iudæis, quod numquam vidiſſent Chriſtum, & eſſent proiecti in profundum maris, ideſt in profundum infidelitatis. Unde II. Pet. II. 21. „ Melius enim erat illis non „ cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agni„ tionem retrorſum converti." Aliter per molam aſinariam intelligitur vita activa. Et contingit quod aliquis ad vitam contemplativam tranſit, & cum eſt ibi, ſcandalizat contemplationem, quia non ſapit ſibi, ideo expedit ſibi *ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & proiiciatur in profundum maris*, ideſt in profundum cauſarum temporalium. Auguſtinus dicit ſic. *Expedit*, ideſt congruit. Et eſt pœna congrua ei *ut mola*, ideſt cupiditas ſæculi, quia qui ſcandalizat, cupidus eſt, *ſuſpendatur in collo*, ideſt in affectu, *& demergatur in profundum*, ſcilicet cupiditatum.

Væ mundo a ſcandalis. (*b*) Poſita pœna in ſpeciali, ponitur in generali. Et tria facit. Primo prænuntiat in generali; ſecundo ſubiungit neceſſitatem; tertio tollit excuſationem, quia illis qui ſcandalizant expedit ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eorum &c. *Væ mundo a ſcandalis.* Per mundum intelliguntur mundi amatores: quia quantum aliquis coniungitur mundo, tanto magis ſcandalum patitur: unde Dominus: „ In me pacem „ habebitis, in mundo preſſuram," Ioan. XVI. 33. *Væ mundo*, & amatoribus mundi. *Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala.* Quidam hæretici crediderunt, quod eſſet neceſſitas abſoluta quod peccata contingerent, & ex præſcientia divina, & ex natura ſtellarum induceretur neceſſitas. Sed hoc eſt falſum, quia Deo imputaretur, qui eſt auctor naturæ. Chry-

(a) *Al.* exuerunt oculos Samſonis. (b) *Al.* Poſita enim pœna.

Chryſoſtomus dicit, quod neceſſe eſt quod ita eveoiat, ut neceſſitas divinæ providentiæ *(a)* ſit neceſſitas conditionata: unde neceſſarium eſt quod ſi prævidit iſtum peccaturum, peccabit; ſed non ſequitur quod neceſſario peccet. Origenes dicit, quod neceſſitas præſupponit malitiam dæmooum, & infirmitatem hominum: uode *neceſſe eſt quod veniant ſcandala*: quia neceſſe eſt quod diabolus homines decipiat, & homo ei obediat, & ita ex ſuppoſitiooe malitiæ diaboli, & ioſirmitatis homioum, accidit hæc oeceſſitas. Alii exponunt: *Neceſſe eſt*, ideſt utile, quia per ſcandala probantur homines. I. ad Corinth. xi. 19. „ Nam oportet hæreſes eſſe, „ ut qui probati ſunt, maniſeſti ſiaot io oo„ bis. “ Vel, ſecundum Haymonem, loquitur de ſcandalo crucis. I. ad Corinth. 1. 23. „ Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iu„ dæis quidem ſcandalum, Gentibus autem „ ſtultitiam. “

Sed obiicitur. Si neceſſe eſt, ergo immunes ſunt a peccato, cum ita ſit neceſſe evenire. Non dico, quod hoc ſit neceſſe neceſſitate abſoluta: quia *va homiai illi per quem ſcandalum venit*. Unde licet dæmones inſtigent, tamen imputatur ei ad pœnam. Rom. vi. 13. „ Neque exhibeatis membra veſtra „ arma iniquitatis peccato. “ Specialiter dicitur de Iuda qui tradidit illum. Tu dicis, quod *va homini illi per quem ſcandalum venit*: unde noo eſt puſillis intereodum ſcandalum. Et quamvis non debeat ioſerri, tamen non debent eſſe negligentes in vitando ſcandalum; immo aliquis poteſt vitare per aliquod utile ad actionem, vel cognitiooem, vel ſupportationem.

Unde ponit ſub ſimilitudine membrorum corporis: *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te*. Non tamen intelligatis, quod debeaot abſcindi membra corporis; ſed per membra intelliguntur amici, & proximi. Eſt enim homo homini neceſſarius ad operandum, ad ſupportandum, ad docendum. Quod corrigit in agendis, eſt manus; quod ſupportat, eſt pes: unde Iob xxix. 15. „ Oculus fui cæ„ co, & pes claudo. “ Unde *ſi manus tua*, ideſt ille qni dirigit operationem tuam, *vel pes*, ideſt ille qui ſuſteotat te, *ſcandalizat te*, ideſt occaſio peccati eſt tibi, *abſcinde eum, & proiice abs te*. Et reddit cauſam: *Bonum eſt tibi &c.* quia melius eſt quodcumque malum temporale pati, quam mereri pœnam æternam. Item aliquis eſt tibi neceſſarius ad docendum, unde eſt tibi oculus: unde: *Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum*. Et reddit cauſam: *Melius eſt tibi &c.* Vel poteſt referri ad totam Eccleſiam: quia oculi ſunt prælati; manus diacooi; pes homines ſimplices: unde magis eſt deponendus prælatus, vel diaconus abſcindendus, quam Eccleſia ſcandalizetur. Vel per oculum accipitur cootemplatio, per maoum operatio, per pedem proceſſio: unde ſi vides quod hæc contemplatio, vel operatio, vel proceſſio ſit tibi occaſio peccati, abſcinde eam, & proiice a te.

Videte ne contemnatis unum ex puſillis iſtis. Supra docuerat vitare ſcaodalum propter pœnam; hic autem docet vitare ex conſideratione divinæ providentiæ: & circa hoc duo facit. Primo proponit; ſecundo rationem aſſignat, ibi, *Dico enim vobis &c.* Ita dixi quod *qui ſcandalizaverit unum ex his puſillis, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius &c. Videte ne contemnatis*: parvitas enim cito facit ad contemptum. „ Ecce par„ vulum in gentibus dedi te, cootemptibi„ lem inter homines: “ Hier. xlix. 15.

Sed quæritur de quibus puſillis hic loquitur. Diceodum de puſillis qui puſilli ſunt reputatione hominum, ſed magni apud Deum. Iſti ſunt amici Dei. Luc. x. 16. „ Qui vos „ ſpernit, me ſpernit. “

Sed contra hoc obiicitur, quia tales non ſcaodalizantur, nec pereunt; & tamen habetur infra io hoc cap. quod *venit Filius hominis ſalvare quod perierat*.

Dicendum, ſicut ſolvit Origenes, quod per parvulos iotelliguntur humiles, qui perfecti ſuot; & tales non ſcandalizantur, & tamen interdum deficiunt. Vel quamvis non ſcandalizentur omnes, tameo aliquis ſcandalizatur. Secundum Hieronymum, iotelligitur de parvulis in Chriſto, ſicut de novo cooverſis ad Chriſtum. Et tunc continuatur cum parte præcedenti.

Ita dictum eſt, quod pars ſcandalizans abſcindenda eſt; & tunc puſilli, & infirmi, & peccatores quamvis non ſcandalizandi, non tamen ſunt cootemnendi: *Dico enim vobis quod Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*. Hic aſſignatur ratio ex divina providentia. *(b)* Primo quantum ad miniſterium Angelorum; ſecundo quantum ad miniſterium Chriſti, ibi, *Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat*. Ita dictum eſt quod non contemnatis, quia illi de quibus Dominus habet tantam curam, non ſunt contemnendi. *Dico vobis, quod Angeli eorum*. Quare eorum? Quia deputati ſunt cuſtodiæ eorum; quia, ſicut dicit

(a) *Al.* & neceſſitas conditionata. (b) *Al.* Primo quantum ad myſterium Angelorum; ſecundum quantum ad myſterium Chriſti.

Digitized by Google

cit Hieronymus, unicuique homini deputatus eſt Angelus ad ſui cuſtodiam. Pſal. xc. 11. „ Angelis ſuis mandavit de te, ut cu„ ſtodiant te in omnibus viis tuis. " Hebr. 1. 14. „ Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus „ in miniſterium miſſi propter eos qui he„ reditatem capiunt ſalutis. " Iſti habent officium, quod divina deferunt, & nuntiant nobis; item orationes noſtras ad Deum deportant, & præſentant. Apocalyp. VIII. 4. „ Aſcendit fumus incenſorum de orationi„ bus ſanctorum de manu Angeli coram „ Deo. " Unde ſi Dominus ita large eis providet, quod vult eis ſerviri per Angelos, non ſunt contemnendi. In Eccli. xxxv. de vidua dicitur, quod eius lacrymæ aſcendunt a maxilla uſque ad cælum. Vel *Angeli eorum*, quia ſunt concives eorum, quia una eſt ſocietas Angelorum, & hominum: unde ſunt concives civitatis cæleſtis: unde tanta eſt dignitas, quia *ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt*.

Et hic quatuor poſſunt deſignari. Continuitas viſionis, quia ſemper vident. Poſſet aliquis dicere quoniam aliquando mittuntur in miniſterium, quare non ſemper vident faciem Dei; & ideo *ſemper* dicit. Item notatur ſublimitas viſionis eorum. Non videmus aliqua de ſummis, ſed in quadam obſcuritate, & per creaturas, ut habetur ad Roman. 1. 20. „ Inviſibilia enim ipſius a creatura mun„ di, per ea quæ facta ſunt intellecta con„ ſpiciuntur. " Sed Angeli in quadam altitudine: unde dicit, *In cælis*. Item notatur manifeſta viſio. „ Videmus enim nunc per „ ſpeculum in ænigmate, tunc autem fa„ cie ad faciem: " I. Corinth. XIII. 10. Non eſt dicendum, quod habeat faciem corporalem, ſed dicitur facies, eius aperta viſio. Cum enim aliquis videtur in ſpeculo, non aperta viſione videtur; ſed quando in faciem, tunc aperte videtur. Sic Deus in ſpeculo videtur, cum videtur per creaturas; ſed quando in ſe, & per ſeipſum, tunc erit viſio faciei ad faciem. Chryſoſtomus dicit, quod notatur quædam excellens iucunditas, quia iſti ſunt viri perfecti: ſi Angeli ſunt adminiſtratores eorum, denotatur (*a*) eſſe quædam maior iucunditas eorum quam Angelorum. Unde vident eum aſſiſtentem ſibi: unde non ſolum viſio eſt dos, ſed etiam comprehenſio. Ad Philip. III. 12. „ Sequor „ autem ſi quo modo comprehendam. "

Sed quare dicit: *Patris mei qui in cælis eſt*? Ad excludendum errorem eorum qui ponebant Angelos, ideſt dæmones, unde dicebant, quod Angeli in cælo ſunt, dæmones in medio, & ideo ſunt medii, & adminiſtratores noſtri. Ideo ad hoc excludendum dicit: *Semper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt*. Item alia ratio eſt ad promovendum noſtrum deſiderium: quia (*b*) ſi ipſi vident, & nos videbimus: hoc enim ſperare debemus. Sed ne videatur eſſe parum, quod Angeli ad cuſtodiam hominum deputati ſunt, probat hoc etiam per miniſterium Chriſti: & primo hoc probat; ſecundo adducit ſimilitudinem. Dicit ergo quod puſilli non ſunt contemnendi, quia *Filius hominis venit ſalvare quod perierat*. I. ad Timoth. 1. 15. „ Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum „ peccatores ſalvos facere. " Supra 1. 21. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*.

(b) Hic ponitur ſimilitudo: & primo ponitur diligens inquiſitio; ſecundo gaudium de inventa ove. Unde dicit: *Quid vobis videtur*? Ita dictum eſt, quod *Filius hominis venit ſalvare quod perierat*, quia paſtor quærit ovem perditam. *Si alicui fuerint centum oves*. Per centenarium univerſitas rationalis creaturæ ſignificatur: nonag nta novem, idem eſt numerus qui novem, ſed ſolum multiplicatus, quia novem multiplicata per decem, faciunt nonaginta; qui numerus, ſcilicet novem, deficit a denario in unitate: unde per iſtas oves, omnes rationales creaturas ſignificat. Ioan. x. 27. „ Oves meæ vo„ cem meam audiunt. " In Pſal. XLIX. 3. „ Nos autem populus eius, & oves paſcuæ „ eius. " Per ovem quæ erravit, ſignificatur humanum genus. Et quare ſignificatur per ovem quæ erravit? Quia per unum hominem omnes erraverunt. I. Pet. II. 25. „ Eratis ſicut oves errantes. " *Nonne relinquit nonagintanovem in montibus*? Non eſt littera, *In deſerto*, ſed *In montibus*, ſicut habetur in Græco. Hoc tripliciter exponitur. Primo quia iſtæ nonagintanovem ſignificant Angelos, qui relicti ſunt in montibus, ideſt in cæleſtibus. Ezech. XXXIV. 13. „ Paſcam „ eos in montibus Iſrael. " Vel per nonagintanovem ſignificantur iuſti; per ovem perditam peccatores; & ſic reliquit in montibus, ideſt in altitudine iuſtitiæ. Pſal. XXXV. 7. „ Iuſtitiæ tuæ ſicut montes Dei. " Vel per nonagintanovem, ſuperbi, per ovem humiles. Unde: *Nonne relinquit nonagintanovem in montibus*, ideſt in ſuperbia ſua, *& vadit quærere eam quæ erravit*? Pſal. CXVIII. 176. „ Erravi ſicut ovis quæ periit: require ſervum tuum, Domine. "

Con-

(a) *Al*, ineſſe. (b) *Al.* quia ipſi videat, & nos videbimus; hoc ſperare debemus.

Digitized by Google

Conſequenter agitur de gaudio: *Et ſi contigerit quod inveniat eam &c.* Hic etiam triplex ratio poteſt aſſignari. Quod Dominus gaudeat de bonis, habetur Sopho. III. 17. „ Gaudebit ſuper te Deus tuus in lætitia. “ Si per nonaginta ſignificentur Angeli, per ovem homo, plana eſt ratio: quia dignus erat homo reparatione. Ad Hebr. II. 16. „ Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen „ Abrahæ apprehendit. “ Si per nonaginta intelligamus iuſtos, ſimiliter plana eſt ratio: quia dux plus diligit militem qui cadit in bello, & poſt viriliter pugnat ſemper, quam illum qui numquam cecidit, & ſemper tepide pugnat. Sic cum aliquis peccavit, & poſt fortiter reſurgit, & ſemper viriliter ſe habet, plus eum diligit. II. ad Corinth. VII. 9. „ Gaudeo quia contriſtati eſtis „ ad pœnitentiam. “ Ideo plus gaudet Dominus de eo &c. cum maioris (a) eſt zeli. Tamen non eſt extendendum ad omnes: quia poteſt habere iuſtus (b) tantum zelum, quod plus placet Deo quam in pœnitente. Secundum etiam tertiam expoſitionem patet ratio: quia plus gaudet de eo qui recognoſcit peccatum, ut patet de publicano, & phariſæo. Concludit ergo: *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum qui in cælis eſt ut pereat unus de puſillis iſtis.* Minus dicit, & plus ſignificat, quia voluntas eius eſt ut ſalventur. I. ad Timoth. II. 4. „ Qui vult omnes ho„ mines ſalvos fieri. “ Si enim non vellet, non mitteret Angelos. Ezech. XVIII. 23. „ Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, „ dicit Dominus? “

Si ergo peccaverit in te frater tuus &c. Hic agitur de ſcandalo dimittendo: & primo ponitur ordo; ſecundo numerus, ibi, *Tunc accedens Petrus ad eum &c.* Circa primum tria. Primo ponit ſecretam admonitionem; ſecundo teſtimonium, ibi, *Si autem non te audierit &c.* tertio annuntiationem, ibi, *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.* Circa primum primo dat ſuum documentum; ſecundo aſſignat rationem dati, ibi, *Si autem te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ita dixi quod non ſunt contemnendi puſilli. Sed quid faciendum eſt ſi aliquis ſcandalizat? Hic docet: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Notate primo, quod dicit, *Peccaverit*: unde loquitur de peccato perpetrato. Unde aliter procedendum eſt in peccato perpetrato, aliter in perpetrando: quia perpetratum non poteſt eſſe non perpetratum: unde in perpetrando eſt operam dare quod non fiat. Eſa. LVIII. 6. „ Diſſolve colligationes im„ pietatis, ſolve faſciculos deprimentes &c. “ Unde in perpetrando non oportet quod ſervetur talis ordo, in perpetrato oportet. Item dicit, *In te*: Gloſſa: „ Si iniuriam, „ vel contumeliam intulerit tibi. “ Unde vult dicere quod peccatum factum contra nos, remittamus; ſed peccatum quod fit contra Deum, nos remittere non poſſumus, ut dicit Gloſſa. I. Regum II. 25. „ Qui „ peccaverit contra Deum, quis orabit pro „ eo? “ Item debes præcipue curare iniurias (c) factas ab eo qui tecum eſt in eadem ſocietate; de aliis etiam habenda eſt cura, ſed non tanta. I. Corinth. V. 12. „ Quid nobis de eis qui foris ſunt iudica„ re, “ *Vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Dominus diſcipulos ad perfectam ſollicitudinem, & correctionem ducit. Supra VII. Dominus dixerat, quod ſi aliquis offenderet fratrem, quod relinqueret munus ante altare &c. hic autem plus procedit, quia non ſolum ille qui læſit, ſed qui læſus eſt: unde *ſi peccavit in te, vade &c.* Pſal. CXIX. 7. „ Cum his qui oderunt pacem, eram paci„ ficus. “ Et numquid primo remittes? Non, ſed primo debes corripere: unde non iubet cuique dimittere, ſed pœnitenti. Item dicit, *Corripe*, non Increpa; vel, Exaſpera: & breviter oſtende. Si cognoſcit, tunc debes dimittere: unde: „ Inſtruite eos in „ ſpiritu lenitatis: “ Ad Galat. VI. 1.

Sed numquid peccat qui hanc correctionem dimittit? Auguſtinus: „ Si non corri„ pis, peior factus es tacendo, quam ille „ (d) peccando. “

Sed cum hoc ſit verum quod omnes corripere teneantur, diceret aliquis quod ſolis prælatis convenit ex officio, aliis vero ex caritate. Aliquando Dominus permittit bonos cum malis puniri. Quare? Quia non corripuerunt malos. Tamen dicit Auguſtinus, quod aliquando debemus deſiſtere „ ſi „ times ne propter correctionem iſtam non „ emendentur, ſed deteriores reddantur. “ Item ſi times ne inducat perſecutionem Eccleſiæ, non (e) peccas. Si vero deſiſtis, ne lædaris in temporalibus, ne moleſtia tibi accidat, vel huiuſmodi; peccas. Proverb. IX. 8. „ Argue ſapientem, & diliget te. “

orripe eum inter te & ipſum ſolum. Et quare? Quia iſta correctio fit ex caritate: caritas autem eſt amor Dei, & proximi. Si amas, debes ſalutem eius diligere. Sed in hoc duo ſunt attendenda; ſcilicet conſcientia, & bona fama. Si vis ergo eum ſalvare,

(a) *Al.* ſunt. (b) *Al.* tantum velum, quod plus placet Deo, quod non eſt in pœnitente. (c) *Al.* a fratre illius. (d) *Al.* increpando. (e) *Al.* petas.

Digitized by Google

re, debes famam ſuam ſalvare: hoc autem facies corrigendo inter te & ipſum. Si ante omnes corripis, famam eius tollis; tamen conſcientia præponenda eſt famæ. Tamen frequenter accidit quod quando bomo videt publicari peccatum ſuum, ita fit effrons quod omni peccato ſe exponit. Hierem. II. 20. „ Sub omni ligno frondoſo tu proſter- „ nebaris meretrix. " Eccli. IV. 25. „ Eſt „ confuſio peccatum adducens. "

Sed contra hoc obiicitur quod habetur I. Tim. v. 20. „ Peccantem coram omnibus „ argue. " Et hoc eſt verum, ſi publice delinquatur. Eſt enim aliquis peccans publice, & tunc publice increpandus eſt; & aliquis ſecretus, & tunc ſecreto eſt increpandus: & hoc patet, quia dicit Auguſtinus, quod ſi te ſolo ſciente peccaverit, *corripe eum inter te & ipſum ſolum*.

Quod ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum. Ad quid hoc dicit? Propter tria. Ut ſcias quo fine debeas corripere: quia ſi propter teipſum corripis, nihil facis: quia ubi privata eſt emenda, non eſt correctio meritoria; ſed ſi propter Deum, tunc valet. Item hoc eſt ad quod debes intendere, ſcilicet menti fratris inſerere correptionem, & doctrinam. Item poſſet aliquis dicere, quod perdere fratrem ſuum non eſſet iuſtum. Sed ſi ita eſſet, non dixiſſet: *Lucratus es fratrem tuum*. Item *lucratus es*: quia ipſe eſt commembrum tuum: & ſicut membrum membro compatitur, ſic & tu fratri tuo. Item *lucratus*, quia tibi ipſi lucraris ſalutem. Iac. V. 11. „Qui iudicat fratrem ſuum, detrahit „ legi, & iudicat legem: " unde ibid. v. 20. „ Qui converti fecerit peccatorem ab „ errore viæ ſuæ, liberat animam eius a „ morte, & operit multitudinem pecca- „ torum. "

Si autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos. Hic inducit teſtimonium: *Adhibe unum, vel duos &c.* Deuter. XIX. 15. „ In ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne „ verbum. "

Sed hic eſt quæſtio. Quare ſtatim non inducit teſtes? Dicendum, quod ſic debet mundari conſcientia quod non lædatur fama: unde ſi primo, & per ſe poteſt, bene quidem; ſi non, tunc advocet teſtes. Et Hieronymus dicit, quod unum primo, & poſt duos. Et quare? Ut ſint teſtes correctionis factæ, quia ſi ulterius procedit, non eſt tibi imputandum. Hieronymus dicit, quod etiam ad aliud, ut ſcilicet convincat (a) de peccato: quia aliqui ſunt ita pertinaces quod non recognoſcunt, ideo debes teſtes adducere, ut convincas eum de facto. Vel forte iterabit iniuriam. Vel, ſecundum Auguſtinum, ad convincendum eum.

Sed contra hoc videtur eſſe quod Auguſtinus dicit, quod antequam duobus oſtendat, debet oſtendere præpoſito, & hoc eſt oſtendere Eccleſiæ. Ergo videtur pervertere ordinem.

Dico, quod poteſt oſtendi prælato vel ordine iudiciario, vel ut perſonæ privatæ. Intendit ergo Auguſtinus, quod debet oſtendi præpoſito primo ut perſonę privatæ, ut tamquam perſona privata det operam correctioni: ut dicit: *Si eos non audierit, dic Eccleſiæ*.

Hic ponitur denuntiatio. Et primo denuntiat; ſecundo ponitur ſententia; tertio efficacia. Secunda (b) ibi, *Si autem Eccleſiam non audierit &c.* tertia ibi, *Amen dico vobis &c.* Dicit: *Si autem non audierit eos, dic Eccleſiæ*, ideſt toti multitudini, ut confundatur, ut qui noluit ſine confuſione corripi, cum confuſione corripiatur. „ Eſt e- „ nim confuſio adducens peccatum, & eſt „ confuſio adducens gloriam, & gratiam: " Eccli. IV. 25. Vel *Eccleſiæ*, ideſt iudicibus, ut corrigatur. Deuter. XXI. 18. „ Si aliquis „ habeat filium contumacem, & protervum, „ qui non audierit patris, ac matris impe- „ rium, & coercitus audire contempſerit; „ apprehendent eum, & ducent ad ſeniores „ civitatis illius, & ad portam iudicii &c. " Deinde additur pœna: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*. Ethnici ſunt gentiles, & infideles; publicani, qui tributa recipiunt, qui ſunt publici peccatores. Unde quaſi ſeparati excommunicentur per ſententiam Eccleſiæ: quia Eccleſiam non audierunt: unde pro ſola contumacia poteſt homo excommunicari. *Amen dico vobis &c.* Hic ponitur efficacia huius ſententiæ. Quia poſſet aliquis dicere: Quid curo ego, ſi Eccleſiæ dicatur, & ſim excommunicatus? ideo oſtendit efficaciam iſtam: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Supra dicta ſunt Petro hæc; hic autem dicitur toti Eccleſiæ. Et dicitur alligare, vel quia non ſolvit, vel quia excommunicat. Origenes dicit, quod hic dicit, *In cælo*; cum autem Petro loquutus eſt, dixit, *In cælis*, ad deſignandum quod Petrus habet univerſalem poteſtatem. Hic autem dicit, *In cælo*, quia univerſalis non eſt eis poteſtas,

(a) *Al.* a peccato. (b) *Al.* deeſt ibi.

Digitized by Google

ſed in aliquo loco: quia Petro univerſalem poteſtatem dedit.

Iterum dico vobis &c. Hic ponit efficaciam orationis. Et primo hoc facit; ſecundo rationem dat, ibi, *Ubi enim ſunt duo &c.* Dicit: *Iterum dico vobis &c.*

Sed contra potes obiicere, quia multa petimus quæ non obtinemus. Hoc contingit primo propter indignitatem petentium: unde dicit: *Duo ex vobis*: ſcilicet qui ſecundum Evangelium vivitis. Iac. IV. 3. „ Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis. " Item quia non conſentiunt, quia non habent vinculum pacis. Impoſſibile eſt enim preces multorum non exaudiri, ſi ex multis orationibus fiat quaſi una. II. Corinth. I. 11. (a) „ Ut ex multarum perſonis facierum eius, quæ in nobis eſt, donationis per multos gratiæ agantur pro nobis. " Item quia quædam petunt quod non expedit eis ad ſalutem: petitio enim debet eſſe de re utili. Infra XX. 22. *Neſcitis quid petatis.*

Fiet illis a Patre meo, qui eſt in cælis, ideſt in altis: vel *in cælis*, ideſt in nobis. *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: congregatione ſanctorum, non terrenorum. Pſal. CX. 1. „ In conſilio iuſtorum, & congregatione, magna opera Domini. " *Ubi* ergo *duo, vel tres*. Caritas non eſt in uno, ſed in pluribus: unde I. Ioan. IV. 16. „ Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. " Ideo *ego ſum in medio eorum*.

Tunc accedens Petrus dixit ad eum: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Supra docuit quo ordine ſit dimittendum, quia poſt correctionem, & emendam; hic agit de numero quoties ſit dimittendum. Primo ergo ponitur Petri interrogatio; ſecundo Chriſti reſponſio; tertio adhibetur ſimilitudo. Secunda ibi, *Dicit illi Ieſus &c.* tertia ibi, *Aſſimilatum eſt regnum cælorum*. Dicit ergo, *Tunc accedens*. *Tunc*, ſcilicet audito hoc verbo, *ſi peccaverit in te frater tuus &c.* tunc motus fuit Petrus, an ſemel, an pluries dimitteret, & dixit: Quoties peccaverit in me frater meus, nonne dimittam uſque ſepties? quaſi dicat: Uſque ſepties, infirmitatis eſt, ſed plus malitiæ. Ideo petiit, ſi dimitteret uſque ſepties. Item ſciebat illud quod dictum eſt IV. Reg. V. quod Eliſeus præcepit Naaman, quod ſepties lavaret ſe in Iordane: ideo cogitavit quod ſepties dimittere deberet. *Dixit ei Ieſus: Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*. Uno modo poteſt teneri hoc, quod (b) dicit, *Septies*, aggregative, ut ſit ſenſus: non ſepties, ſed ſeptuaginta vicibus. Vel poteſt teneri multiplicative, ita quod ſeptem vicibus ſeptuaginta; & ſic exponit Hieronymus. Secundum primam expoſitionem, quæ eſt Auguſtini, (c) datur intelligi quod totum debemus condonare, ſicut Chriſtus omnia condonavit. Ad Col. III. 13. „ Donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. " Vel poteſt dici, quod ponitur numerus finitus pro infinito, ſicut in Pſalmis: „ Verbum quod mandavit in mille generationes: " Pſalm. CIV. 8. Secundum Hieronymum, eadem eſt cauſa; tamen additur ratio numeri. Per ſex enim perfectio ſignificatur, per centenarium, qui multiplicatur per denarium, decalogus ſignificatur. Primus numerus, qui a denario recedit, eſt undecimus. Et quia per ſex univerſitas ſignificatur, ideo univerſitas peccatorum ſignificatur; quaſi dicat: Omnia quæcumque frater tuus (d) peccaverit contra te, dimitte ei. Unde, ſecundum Hieronymum, videtur quod velit dicere, quod plus remittere poteſt quam ipſe poſſit offendere.

(c) Hic ponitur ſimilitudo. Et tria facit. Primo innuitur divina miſericordia; ſecundo tangitur ingratitudo, ibi, *Egreſſus autem ſervus ille &c.* tertio ingratitudinis pœna, ibi, *Videntes autem conſervi eius &c.* Circa primum primo ponitur examinatio debitorum; ſecundo magnitudo debiti, ibi, *Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus qui debebat ei decem millia talenta*; tertio iuſtitia exigendi, ibi, *Cum autem non haberet unde redderet &c.* quarto debiti remiſſio, ibi, *Miſertus autem dominus ſervi illius &c.* Dicit ergo: Quia ſemper debetis eſſe parati ad remittendum, ideo debetis hanc ſimilitudinem intelligere. *Regnum cælorum* eſt lex regni; ipſum Verbum Dei eſt iuſtitia, & veritas. I. Corinth. I. 30. „ Qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. " Iſtud ergo aſſimilatum eſt homini regi, quando Verbum caro factum eſt. Vel per regnum, præſens Eccleſia deſignatur, ut ſupra XIII. 41. *Colligent de regno eius omnia ſcandala*. Et bene dicitur regnum, ſi conſideremus omnia quæ ſunt in regno. In regno eſt rex, ſervi, & huiuſmodi. *Homini regi*. Iſte Rex eſt Deus, ſive intelligatur de Patre, ſive de Filio, ſive de Spiritu ſancto. *Qui voluit ponere rationem cum ſervis ſuis*. Per ſervos Domini, in-

(a) *Al.* „ Ut ex multarum perſonis facierum quæ in nobis donationis per multos agantur gratiæ Dei pro nobis. " (b) *Al.* dico. (c) *Al. deeſt* datur intelligi. (d) *Al.* peccavit.

intelliguntur prælati Eccleſiæ quibus commiſſa eſt eura animarum. Luc. XII. 42. „ Fidelis ſervus, & prudens, quem conſti„ tuit dominus ſuper familiam ſuam. “ Quid eſt ergo rationem ponere de commiſſis, (*a*) niſi quod obligant ſe ut rationem reddant? Ad Hebr. XIII. 17. „ Ipſi pervigilant „ quaſi rationem pro animabus veſtris red„ dituri. “ Quia etiam unicuique anima ſua commiſſa eſt, ideo quilibet poteſt dici ſervus: unde Iob I. 8. „ Numquid conſideraſti „ ſervum meum Iob? &c. “ Unde poſitus eſt quilibet ut reddat rationem de omnibus: nam etiam de quolibet verbo otioſo oportet reddere rationem, ſupra XII. *Et cum cæpiſſet ponere rationem*. Finis huius rationis erit in die iudicii; principium quando primo inducit aliquam tribulationem. I. Pet. IV. 19. „ Itaque & hi qui patiuntur ſecundum vo„ luntatem Dei, fideli creatori commen„ dent animas ſuas. “ Ezech. IX. 6. „ A „ ſanctuario meo incipite. “ Item tangitur diligens examinatio meritorum. (*b*) Thren. III. 40. „ Scrutemur vias noſtras: “ per quod intelligitur examinatio conſcientiarum. Et in iſta examinatione oblatus eſt ei ſervus *qui debebat decem millia talenta*. Si ad prælatos referimus hæc talenta, peccata ſubditorum intelligimus: quia quoties peccat ſubditus per negligentiam ſuam, efficitur debitor talentorum. Unde dicitur III. Regum XX. 39. „ Erit anima tua pro anima ſua. “ Vel poteſt dici, quod mille eſt numerus perfectus, quia eſt cubicus. Item per decem intelligitur numerus decalogi. Item per talentum gravitas peccati. Zachar. V. 7. „ Et „ ecce talentum plumbi portabatur &c. “ Unde ſignificatur homo habens multitudinem maximorum criminum: unde quando Deus vult ponere rationem, & examinare conſcientiam ſuam invenit maſſam criminum. I. Paral. ult. „ Peccavi ſuper arenam „ maris. “ Cum autem ſit hæc examinatio debiti, petuntur tria. Primo ſignificatur cauſa examinationis, vel cauſa pœnæ; ſecundo deſcribitur pœna; tertio fructus pœnæ. Aliquis punitur quando ex ſeipſo non habet unde ſatisſaciat: unde dicit: *Cum autem non haberet unde redderet*: quia totum quod habet non ſufficit. Unde Michææ VI. 6. „ Quid dignum offeram Domino? &c. “ Ideo *cum non haberet unde redderet, iuſſit eum dominus eius venumdari &c.* quia cum Dominus facit rationem eum homine, & non habet homo unde ſolvat, & conſiderat iuſtitiam Dei, quæ eſt pęna, iubet quod venumdetur. Quando venumdatur, pretium peccati eſt pœna: pretium eſt quod aliquis accipit pro eo; & ſic venumdatur quando pœna infligitur. Eſa. L. I. „ In iniquitati„ bus veſtris venumdati eſtis. “ *Et uxorem, & filios*. De uxore generat filios. Filii autem ſunt opera, uxor concupiſcentia, vel radix peccati. *Et omnia quæ habebat*, quæ ſunt Dei dona. Oſeæ II. 8. „ Dedi ei fru„ mentum, & vinum, & oleum, & (*c*) „ argentum multiplicavi ei, & aurum &c. “ Punitur ergo pro uxore, & filiis, & donis ſibi datis. Sapien. XIV. 9. „ Similiter autem „ odio ſunt Deo impius, & impietas eius. “ Pſal. CVIII. 9. „ Fiant filii eius orphani, „ & uxor eius vidua. “

Procidens autem ſervus ille, rogabat eum, dicens. Hic ponitur miſericordia domini. Et primo ponitur provocativum miſericordiæ. Quod enim multum provocat miſericordiam, eſt oratio: unde quando homo ſentit ſe in periculo, debet recurrere ad orationem. Eccli. XXI. I. „ Fili peccaſti: non „ adiicias ultra, ſed & de priſtinis depre„ care ut tibi dimittantur. “ Commendatur autem huius humilitas; item commendatur diſcretio; item commendatur iuſtitia. Humilitas, quia *procidens*. Pſal. CI. 18. „ Reſpexit Dominus in orationem humi„ lium. “ Unde *rogabat eum*. Origenes ſcribit, *Orabat eum*. Item tangitur diſcretio eius, quia non petiit totum ſibi dimitti debitum, ſed tantum petiit tempus: unde dicit: *Patientiam habe in me*; ideſt, da mihi tempus ut poſſim ſatisfacere. Sic petebat Iob X. 20. „ Dimitte me paululum ut plan„ gam dolorem meum. “ Item tangitur iuſtitia: *Et omnia reddam tibi*. Pſal. L. 21. „ Tunc imponent ſuper altare tuum vitu„ los. “ Item ponitur miſeratio domini relaxantis: *Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei*. Unde dolor pęnitentis non cauſat remiſſionem, ſed miſericordia Domini: unde ad Roman. IX. 26. „ Non eſt currentis, ſed miſerentis „ Dei. “ *Miſertus autem Dominus &c.* Notate, quod Dominus plura dat quam homo audeat petere, (*d*) ut in illa oratione dicitur: „ Qui merita ſupplicum excedis, & „ vota. “ Unde *dimiſit eum*, ideſt abſolvit, *& debitum*, peccati, *dimiſit*. Poteſt enim eſſe tanta contritio quod totum dimittat.

Sequitur ingratitudo: *Egreſſus autem ſervus ille &c.* & ponuntur quinque quæ aggravant ingratitudinem eius. Primo enim aggravatur (*e*) ex tempore: quia ſi poſt novem vel

 de-

(a) *Al.* unde obligant ſe. (b) *Al.* Item Thren. III. &c. (c) *Al.* ungentum. (d) *Al.* deeſt ut. (e) *Al.* ex timore.

decem annos accidiſſet, non eſſet mirum; ſed quia eodem die deliquit, ingratus efficitur: ſicut de peccatore, qui quando ſunt dimiſſa eius peccata, in eodem die ad peccata regreditur. Unde dicitur, *Egreſſus*. Iac. I. 24. „ Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim „ oblitus eſt qualis ſuerit. “ Item ex ſimulatione: quoniam in conſideratione domini humilis ſuit, ſed egreſſus ſtatim oſtendit qualis eſſet. III. Reg. XXII. 22. „ Egre„ diar, & ero ſpiritus mendax in ore o„ mnium prophetarum eius. “ Item oſtenditur ex cognatione: quoniam *invenit unum de conſervis ſuis*. Eccli. XXVIII. 3. „ Homo „ homini ſervat iram, & a Deo petit me„ delam. “ Item ex parvitate debiti: quia *debebat centum denarios*: unde in numero erat differentia, quia ipſe decem millia. In pondere: quia ille denarios, & ipſe talenta: unde peccata quæ in Deum committuntur ſunt & plura, & gravia magis quam peccata quæ in hominem, quæ levia ſunt, quia ex infirmitate: unde differens ibi eſt gravitas, ſicut inter talenta & denarios. Gravius enim eſſet Regem percutere quam unum famulum. Item deſignatur crudelitas in exigendo: quia *tenebat eum*, quia trahebat in cauſam, & vexabat eum, *& ſuffocabat eum*, & reſpirare non dimittebat. Item ex crudelitate, quia noluit remittere. Unde primo ponitur ſupplicatio debitoris; ſecundo crudelitas ipſius, ibi, *Ille autem noluit &c.* Notandum, quod omnia quæ ille ſervus fecit domino, iſte fecit ei: unde *procidens rogabat*. Supra dicitur, *Orabat*; hic, *Rogabat*: quia ſupra reddebat honorem qui debetur Deo; hic autem tangit honorem qui debetur homini; ideo dicit, *Rogabat*. Sed nibil valuit ei: unde dicitur: *Ille autem noluit*. Prover. XII. 10. „ Viſcera impiorum crude„ lia. “ *Et miſit eum in carcerem*, ideſt in tribulationem, *donec redderet debitum*, ideſt ad hoc ut redderet debitum. Proverb. VI. 34. „ Ira, & furor viri non parcent in die „ vindictæ. “

Videntes autem conſervi eius. Hic tanguntur quatuor. Primo ponitur reprobatio iſtius peccati; ſecundo obiurgatio peccati ex parte Dei, ibi, *Tunc vocavit illum dominus ſuus*; tertio pœna, ibi, *Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus*; quarto applicatur ſimilitudo, ibi, *Sic & Pater meus caleſtis faciet vobis &c.* Dicit ergo: *Videntes autem conſervi eius &c.* Videmus enim, quod ſi patiatur unum membrum, compatiuntur alia: unde videntes hominem affligi, compatiuntur ei naturaliter. Pſal. CXVIII. 158. „ Vidi præ„ varicantes, & tabeſcebam. “ Unde *contriſtati ſunt*. (a) „ Gaudere cum gauden„ tibus, flere cum flentibus: “ ad Roman. XII. 15. *Et venerunt, & nuntiaverunt domino ſuo*; ideſt, divinam iuſtitiam imploraverunt. (b) „ Deſiderium pauperum exaudi„ vit Dominus, præparationes cordis eorum „ audivit auris tua: “ Pſal. IX. 17.

Conſequenter ponitur obiurgatio: *Tunc vocavit eum Dominus ſuus &c.* Vocat Dominus per mortem. Iob XIX. 16. „ Vocabis me, „ & ego reſpondebo tibi. “ *Et ait illi*. Primo exprobrat malitiam; ſecundo beneficium collatum; tertio commemorat quod debuit facere. Dicit ergo, *Serve nequam*. Superius cum deberet ei, non dixit ei opprobrium; ſed nunc cum facere debuit quod non fecit, dixit, *Serve nequam*: quia quod homo peccet, hoc humanum eſt; ſed ſi perſeveret, hoc diabolicum eſt. *Omne debitum dimiſi tibi*. Hic exprobrat beneficium illatum, quod ſupra non ſecerat: *Numquid non oportuit & te miſereri conſervi tui?* quaſi dicat: Tu recepiſti magna, & non vis impendere parva? *Et iratus dominus &c.* Et primo agit de pœna, per quam fit ſeparatio a Deo. Quando ſupra dominus iuſſit venumdari, non dixit, quod eſſet iratus, quia monitiones non ſunt ex divina iuſtitia, ſed ex miſericordia; ſed obiurgatio eſt ex ira Dei. Proverb. XIX. 12. „ Sicut fremitus leonis, ira „ & ira Regis. “ Secundo quia ſubiicitur dæmonibus: unde *tradidit eum tortoribus*. Eccli. XXXIII. 14. „ Reddet illis ſecundum „ iudicium ſuum. “ Item tangitur pœnæ perpetuitas: *Quoadusque redderet univerſum debitum*: & hoc erit in infinitum. Si enim pœna ceſſare non debet, donec fiat ſatisfactio debiti, & nullus ſine gratia poteſt ſatisfacere; qui decedit ſine caritate, non poterit ſatisfacere.

Sic & Pater meus caleſtis faciet vobis. Hic adaptat ſimilitudinem. Pater eſt Deus, ſicut ſupra VI. 9. „ Pater noſter qui es in cælis. “ *Faciet vobis*; ideſt, non remittet peccata veſtra. *Niſi remiſeritis unusquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Hic videtur innuere quod peccata dimiſſa redeant, ſicut vult Origenes, quod dimiſſa redeunt in aliquibus, ſicut in apoſtaſia. Item ſi dolet (c) penituiſſe. Sed hoc non videtur, eo quod remiſſio efficaciam habet a ſacramentis; ideo peccata & maniſeſta, & occulta remittuntur. Dicuntur autem redire per ingratitudinem.

CA-

(a) *Al.* „ Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. “ (b) *Al.* Et deſiderium. (c) *Al.* pœnituiſſet.

Digitized by Google

C A P U T XIX.

ET factum eſt cum conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos, migravit a Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem, & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi. Et acceſſerunt ad eum phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa? Qui reſpondens ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandavit dari libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Dicunt ei diſcipuli eius: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi qui de matris utero ſic nati ſunt; & ſunt eunuchi qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat. Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. Ieſus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum cælorum. Et cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde. Et ecce unus accedens ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Dicit illi, Quæ? Ieſus autem dixit: Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falſum teſtimonium dices: honora patrem tuum, & matrem: diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi a iuventute mea; quid adhuc mihi deeſt? Ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo; & veni ſequere me. Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones. Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit ſalvus eſſe? Aſpiciens autem Ieſus dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt. Tunc reſpondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Ieſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

SUpra oſtenſum eſt quomodo veniendum eſt ad vitam æternam per communem viam; hic docet quomodo veniendum eſt per viam perfectionis, quæ tangitur quantum ad duo: quantum ad continentiam, & quantum ad paupertatem voluntariam. Circa primum duo facit. Primo agit de adventu; ſecundo de continentia, ibi, *Dicunt ei diſcipuli eius &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur tentatio phariſæorum; ſecundo ſolutio Chriſti; tertio obiectio contra ſolutionem. Secunda, *Qui reſpondens ait eis*; tertia, *Quid ergo Moyſes mandavit dari libellum repudii?* (*a*) Circa primum

(a) *Al.* Circa primum primo deſcribitur locus.

mum tria. Primo deſcribitur locus; ſecundo occaſio ad tentandum; tertio tentatio. Dicit ergo: *Et factum eſt*, quia dictum eius eſt ſactum. „ Ipſe enim dixit, & ſacta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt: “ Pſal. XXXII. 9. *Cum conſummaſſet ſermones iſtos*, ſcilicet de vitando ſcandalum, *migravit a Galilaea in fines Iudaeae trans Iordanem*. Iudæa aliquando ſumirur pro tota terra quam habitant Iudæi; aliquando pro terra quæ in dotem tribus Iudæ ceſſit: & ſic dividitur contra alias, & ſic hic accipitur: oportebat enim tranſire per Iudæam qui volebat ire in Hieruſalem, quæ erat in tribu Beniamin in finibus Iudææ.

Sed quare migravit a Galilæa? Propter tria. Ut daret prædicatoribus exemplum, quod non eſt ſolum in uno loco prædicandum, ſed in multis. Unde Luc. IV. 43. „ Quia „ aliis civitatibus oportet me evangelizare „ regnum Dei. “ Item quia iam imminebat tempus paſſionis; ideo accedere volebat ad locum ubi pati debebat. Ad Epheſ. V. 2. „ Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. “ Vel voluit redire ad Iudæos, ut ſignificaret quod in fine convertetur ad convertendum Iudæos.

Et ſecuta ſunt eum turba. Signum eſt devotionis turbarum, quia ſecutæ ſunt eum, ſicut filii patrem peregrinantem. Ioan. X. 27. „ Oves meæ vocem meam audiunt. “ *Et curavit eos*. Oſeæ VI. 2. „ Percutiet, & ſanabit (*a*) nos. “ Aliquando Dominus curabat, aliquando ſigna faciebat. Signa, ut conſortaret. In Act. I. 1. „ Cœpit Ieſus facere, „ & docere. “ Poſſet aliquis credere, quia tranſivit ad Iudæos, quod dereliquerit gentes; ideo ad deſignandum quod non dereliquit, (*b*) dicit: *Secuta ſunt eum turba*, ideſt ad ſalutem, quia cum eſſent oleaſter, inſerti ſunr, & facti ſunt olivæ, Rom. XI. Vel quod ſunt ſecutæ trans Iordanem, ſignificatur quod per baptiſmum peccata remittuntur. *Et acceſſerunt ad eum phariſaei tentantes*. Et in hoc reprehenduntur, quia cum turbæ ſequerentur, phariſæi inſidiabanrur. Hierem. V. 5. „ Ibo ad optimates, & loquar „ eis. “ Unde acceſſerunt dicentes: *Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa*? Apparet in iſtis primo malitioſa aſtutia, quia venerunt ad Chriſtum, ut Chriſto calumniam inferrent: quia aut diceret, quod eſſet dimittenda, aut non. Si diceret, quod ſic, videretur ſibi contrarius, quia ipſe erat prædicator caſtitatis. Si diceret quod non, accuſabimus eum, quia hoc eſt contra Moyſen legislatorem. Sicut dicit Chryſoſtomus, arguuntur de incontinentia: quia ſi aliquis libenter audiat loqui de ſeparatione uxoris, incontinens eſt: unde quia iſti de divortio loquebantur, oſtendebant ſe incontinentes. Dominus dederat cauſam propter quam dimitteretur, ſcilicet propter turpitudinem. Sed iſti non ſolum ex hac cauſa petebant, ſed utrum ex quacumque cauſa: unde volebant habere poteſtatem liberam dimittendi uxorem. Ideo ſequitur reſponſio: *Qui reſpondens ait eis*. Dominus dat optimum modum reſpondendi: quia quando quærit aliquis ut addiſcat, ſtatim dicenda eſt veritas; ſed ei qui quærit ut calumnietur, non ſtatim dicenda eſt veritas, ſed primo dicenda ſunt aliqua quæ negari non poſſunt. Ideo primo Dominus interrogat de lege: unde primo aſſumit verba Scripturæ; ſecundo dicit quomodo ad propoſitum facit; tertio principale propoſitum concludit. Et circa primum tria facit. Primo oſtendit ſocietatem maris, & feminæ quam Deus inſtituit; ſecundo affectum quem indidit; tertio modum quo coniunxit. Intendit probare quod coniunctio maris, & feminæ eſt a Deo inſtituta. *Non legiſtis, quod qui fecit hominem, ab initio maſculum, & feminam fecit eos*? Hoc enim legitur Geneſ. I. 27. „ Et „ creavit Deus hominem ad imaginem & „ ſimilitudinem ſuam. “ Non eſt hoc intelligendum, ut aliqui intellexerunt, quod primo fecerit hominem maſculum, & feminam, & poſt ſeparaverit eos; ſed primo fecit unum hominem, & in illo fecit unde fieret mulier.

Sed quare voluit Dominus ſic fieri; ſcilicet ex viro, & muliere multitudinem hominum? Reſpondeo, ut ſignificaretur quod forma matrimonii ex Deo eſſet; item ut magis ſe diligerent.

Sed tunc quærit Chryſoſtomus quare non ſemper ſic facit ut ſimul (*c*) naſcatur vir & mulier. Reſpondet, quia ſi ita eſſet, videretur neceſſitas utendi matrimonio. Et quia Dominus vult eſſe licitum uti matrimonio, vel non uti, & non eſſe neceſſarium; primo creavit maſculum, & feminam ad ſignificandnm, quod licitum erat matrimonium: poſt vero ut ſine muliere naſceretur maſculus, & e converſo, ut liberam habeant facultatem & utendi matrimonio, & non utendi.

Secundum hoc excluditur duplex error. Quidam enim dicebant, matrimonium non eſſe

(a) *Al.* eos. (b) *Al.* ideo dicit. (c) *Al.* naſceretur.

eſſe a Deo; & hoc excludit, quia ſi maſculum, & feminam fecit eos, & conſtat quod nihil fruſtra fecit: ergo nec aliquid horum, & non niſi ad ſocietatem matrimonii. Alii dixerunt, quod ſi non peccaſſet homo, Deus feminam non feciſſet, immo alio modo multiplicarentur homines. Sed hoc nihil eſt, quia ante peccatum creati ſunt. Et ſingulariter dicit maſculum, & feminam, ut unus unam habeat.

Propter quod relinquet homo patrem, & matrem. Hic ponitur quem affectum indidit. *Et dixit*. Quis dixit? Ille qui fecit. Sed hoc non videtur, quia videtur quod Adam dixerit. Auguſtinus dicit, quod immiſit Dominus ſoporem in Adam, & tulit unam de coſtis eius. Sopor iſte fuit extaſis, unde ibi revelavit multa bona: unde Dominus ei revelavit etiam quod hic dicitur: unde ſupra x. 20. dictum eſt: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*. Quia ergo Adam dixit, Deo imperante, ideo dicitur quod Deus dixerit. (*a*) Unde Eſdræ II. capit. iv. „ Homo reliquit patrem, qui nutrivit eum, & adhæret uxori. “

Quæ eſt ratio? Frater & ſoror naſcuntur ex uno, & dividunt ſe; ſed vir & uxor ex diverſis, & tamen non dividunt ſe? Dicit Chryſoſtomns, quod hoc eſt ex ordinatione divina. Item naturaliter omnis cauſa habet reductionem ad effectum, ut ſuccus a radice ad ramos: unde patres magis diligunt filios, quam e converſo: ideo vir & uxor, etſi ſint ex diverſis, uniuntur tamen in effectum unum.

Et erunt duo in carne una: Hieronymus: „ Scilicet in carne prolis. “ Et hic eſt fructus matrimonii. Chryſoſtomus exponit: *In una carne*; ideſt, in uno carnali affectu; ſicut & in ſpiritnali (*b*) affectu fit unitas: ut in Actor. iv. 32. „ Erat autem credentinm „ cor unum, & anima una. “ Vel *erunt duo in carne una*, ideſt in uno carnali opere. Philoſophus dicit, quod homo, & mulier in opere illo ſic ſemper ſe habent, quod ſicut virtus activa, & paſſiva ſemper in effectum coniunguntur, ſic in actu illo actio, & paſſio coniunguntur. *Itaque iam non ſunt duo, ſed una caro*. Deinde (*c*) principale intentum concludit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet*: quia ex Dei voluntate actum eſt. Si eſt ex Deo, non poteſt homo ſeparare: quia ſi Deus coniunxit, Deus ſeparet. Poteſt enim ſeparatio fieri a Deo, vel ab homine: & hoc vel propter voluptatem, vel ut aliquam aliam habeat; & non valet: vel propter conſenſum mutuum, ut Deo liberius ſerviat; & ſic eſt a Deo.

Dicunt illi: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere*? Hic ponitur obiectio eorum contra generalem legem: aperiunt enim quod erat in mente: *Quid ergo Moyſes mandavit dari libellum repudii, & dimittere*? Non mandavit Moyſes dimittere, ſed indirecte prohibere voluit: quia Moyſes voluit quod non dimitteretur, niſi daretur libellus repudii; & hoc magis pertinebat ad prohibitionem, quia libellus non fiebat niſi per manum communem: unde remittebat ad ſapientes, ut viderent ſi haberent cauſam quare deberent dimittere eas.

Et ait illis. Hic obiectioni reſpondet. Et primo ponit reſponſionem; ſecundo confirmationem: quia Dominus probat non eſſe dimittendam ex auctoritate Dei, quæ maior eſt; ideo contra Dei auctoritatem non eſt auctoritas Moyſi.

Sed contra. Nonne Dominus dedit legem per Moyſen? Videte, ſicut dicit Apoſtolus I. ad Corinth. vii. 25. „ De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. “ Unde aliquando dicebat, quod a Domino acceperat, aliquando ex induſtria ſibi inſpirata: ſic & Moyſes. Iſtud autem permiſit, non quod audiſſet a Domino, ſed ab inſpiratione divina, non tamen auctoritate firmata.

Ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras. Ipſi dixerant, quod Moyſes mandavit; ſed non mandavit, ſed permiſit. De duritia eorum habetur Actor. vii. 51. „ Dura cervice, & incircumciſi „ cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. “

Hic (*d*) ſolet eſſe quæſtio, utrum illi peccent mortaliter qui uxores dimittunt. Quidam dixerunt, quod dimittentes peccabant mortaliter. Permiſſio enim quatuor modis accipitur. Dicitur permitti aliquid quando contrarium non præcipitur, ut minus bonum permittitur, quia maius bonum non præcipitur: ut Apoſtolus dicit I. Corinth. vii. 6. „ Secundum indulgentiam dico vobis. “ Item quandoque per privationem prohibitionis; & ſic peccata venialia ſunt permiſſa. Quandoque autem per privationem impedimenti; & ſic omnia mala, quæ fiunt

(a) *Al. Forte:* Unde Gen. ii. 24. „ Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. “ *Loco enim citato non reperitur*. (b) *Al.* effectu. (c) *Al.* principalem communionem concludit. (d) *Al.* De iſta ſolet eſſe quæſtio, utrum iſti &c.

fiunt in præſenti, dicuntur aliquando etiam permiſſa, quia pœoa oon adhibetur. Ideo Iudæis quædam permiſſa fuerunt, quæ erant mortalia peccata, quia pœna non fuit eis inflicta. Sed iſtud habet locum in mundanis rebus: ſic enim videmus quod ſecundum leges humanas non punitur fornicatio ſimplex: unde ſi lex vetus ſolum inſpiciat ad vitam præſentem, ſic ſolutio eſt bona. Sed quia quamvis ſecundum corticem ad vitam pertineat præſentem, tamen ſecundum medullam pertinet etiam ad vitam æternam: Exod. xv. 25. „ Dedi eis præcepta mea: " & Dominus dicit iuveni, infra: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: ideo dicunt alii, quod male proviſum eſſet populo illi, ſi quod eſſet peccatum ignoraret, cum tamen ſcriptum ſit, Eſa. lviii. 1. „ Nuntia populo peccata eorum. " Ideo dicit Chryſoſtomus, quod a peccato abſtulit peccati culpam. Et licet inordinatum quid eſſet, noluit tamen quod eis imputaretor ad culpam, ut Dominus Oſeæ præcepit ut faceret filios fornicationis: unde permiſſio non fuit ex præcepto, ſed ad vitandum maius malum.

Ab initio autem non fuit ſic. Unde actuale fuit, non ab initio inſtitutum: unde poſt multos annos nullus dimiſit uxorem. *Dico autem vobis &c.* Hic inducit legem. Primo pro viro; ſecundo pro muliere. Dicit ergo: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam &c.* Sed excipitur fornicatio.

Sed (*a*) videte, quod duplex eſt fornicatio; ſcilicet corporalis, & ſpiritualis: unde propter utrumque poteſt dimittere, ut habetur I. ad Corinth. vii. 11. „ Si uous infi„ delis, alter fidelis, poteſt dimittere fide„ lis infidelem. " Notandum, quod per nullum impedimentum ſequens poteſt diſſolvi vinculum matrimonii, quia ſignificat unionem Chriſti, & Eccleſiæ: unde cum unio Chriſti, & Eccleſiæ diſſolvi non poſſit, nec unio matrimonii. Sed propter fornicationem poteſt a conſortio ſeparari, & non debet eam ſecum (*b*) retinere, ne videatur eſſe conſcius turpitudinis; ſed pro aliis turpitudinibus non poteſt, ut pro ebrietate. Item ſi vult hominem inducere ad infidelitatem, poteſt dimittere eam.

Sed quare fit mentio magis de fornicatione corporali, quam de ſpirituali? Quia eſt contra fidem matrimonii: & fidem frangenti fides non eſt ſervanda. Alia ratio eſt quam ponit Origenes: quia ſupra v. 31. dixit Dominus: *Qui dimiſerit uxorem, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari*; & ideo dat ei occaſiooem mœchandi: ſed poſtquam ipſa peccavit, non dat ei occaſionem mœchandi; ideo poſt poteſt dimittere, non ante.

Et qui aliam duxerit mœchatur. Sed quare non, niſi aliam ducat? Quia eadem res per ea quæ ſolvitur ligatur: unde quando homo habet uxorem ſeparatam, & non aliam, adhuc ſpes remanet quod uniri poſſint, vel per conſimile peccatum, vel per animorum conſenſum. Sed quando aliam duxit, tunc cor totaliter ſeparavit, & aſſenſum ab ea. Alia ratio, quia ſi præter fornicationem poſſet dimittere uxorem ſuam, aliquando accideret quod homo imponeret uxori ſuæ crimen, ut ab ea ſepararetur, & alii coniungeretur. Ideo Dominus voluit quod non haberet aliam: unde expreſſe prohibet quod non habeat homo diverſas uxores: quia, uoa dimiſſa, & alia accepta, mœchatur.

Et qui dimiſſam duxerit mœchatur. Hic ponit legem quantum ad mulierem: unde non vult quod uxor dimiſſa habeat virum.

Sed quare prohibet viro ne contrahat cum ea, & non mulieri? Reſpondeo, quod mulieres magis ad malum præcipites ſunt. (*c*) Hier. iii. 3. „ Frons mulieris meretri„ cis facta eſt tibi. " Ideo per iſtam prohibitionem præcipitaretur ad mala maiora. Ideo præcipit viro quod noo contrahat, non autem prohibet mulieri.

Sed quid? Nonne licebat ei quæ repudiata erat, accipere alium? Dicunt quidam quod non, quia adhuc manebat vinculum. Et inducunt illud quod habetur Deuteron. xxiv. quod non poterit reverti ad priorem, quia polluta eſt: ſed niſi peccaſſet, redire poſſet. Alii dicunt, quod poterat alteri nubere, ſed non iſti: quia ſi poſſet (*d*) ad eum redire, facilius repudiaret eam.

Quid ergo dicis, quod polluta eſt? Dico (*e*) quod eſt polluta iſti, quia ad eum redire non poteſt. Vel poteſt intelligi de immunditia legis: quia ſacerdos noo poterat eam habere.

Dixerunt ei diſcipuli: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Poſtquam Dominus egit de inſolutiooe matrimonii, hic tractat de perfectione continentium: & circa hoc duo facit. Primo ponit ſententiam diſcipulorum; ſecundo ſententiam Chriſti, ibi, *Qui dixit illis &c.* Dicit ergo: *Dixerunt diſcipuli: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*. Moti ſunt ad hoc dicendum, quia audierant, quod non poterat uxor

(a) *Al.* videtur. (b) *Al.* dimittere. (c) *Al.* Item tertio. (d) *Al.* ad eam. (e) *Al.* quod polluta eſt, quia &c.

Digitized by Google

uxor dimitti niſi ob unam cauſam, cum tamen multæ aliæ cauſæ reddant matrimonium oneroſum, ut aliqua immunditia, ut lepra, & huiuſmodi; ita quod impleatur illud quod in Eccli. xxv. 23. dicitur: „ Commorari leoni, & urſo melius eſt quam „ cum muliere nequam. “ Item multam affert ſolicitudinem. I. ad Corinth. vii. 28. „ Si virgo nubat, cogitat quæ ſunt mundi. “ Ideo ex hoc arguuot quod expedit cuilibet bomini non nubere. Ideo Dominus temperat: quia contingit eſſe aliquid melius dupliciter; vel ſimpliciter, vel ſecundum quid: ſic cootinere aliquibus competit, aliquibus non: quia, ut dicit Apoſt. I. Coriotb. vii. 9. „ Melius eſt nubere, quam „ uri. “ Approbat ſenteotiam diſcipulorum: & primo dictis; ſecundo factis, ibi, *Tunc oblati ſunt ei parvuli*. Et primo approbat contioentiam; ſecundo aſſignat differentias continentium, ibi, *Sunt enim eunuchi &c.* tertio difficultatem, ibi, *Qui poteſt capere capiat*. Dicit ergo: *Qui dixit illis: Non omnes capiunt iſtud verbum*. Ita dicitis, quod noo expedit nubere: verum eſt aliquibus, ſed noo eſt verum quo ad omnes: quia non omnes babent tantam virtutem quod abſtineant; *ſed quibus datum eſt*: qnia aliquibus datum eſt non ex proprio ſacto, ſed dono gratiæ. Sapien. viii. 21. „ Scivi quod aliter „ noo poſſum eſſe continens, niſi Deus det. “ Quod enim bomo in carne vivat præter carnem, non homiois eſt, ſed Dei. I. ad Corioth. vii. 7. „ Volo omnes homines eſſe ſic„ ut me ipſum; ſed unuſquiſque proprium „ donum habet ex Deo, alius quidem ſic, „ alius vero ſic. “ Et quia poſſent credere quod omnes contioere poſſent, ideo dicit: *Sunt enim eunuchi &c.* Unde diſtioguit, quod eſt continentia in aliquibus ex oatura, aliquando ex violeotia, aliquando ex voluntate. Ideo tria genera eunuchorum tangit: quia quidam per naturam, *qui a matris utero ſic nati ſunt*. Sicut aliqui monſtruoſe naſcuntur propter defectum manus, ſic & aliqui ſine genitalibus; & hoc ex Dei providentia: quia ſi omnia ſecundum communem curſum naturæ acciderent, attribueretur totum oaturæ, & non divioæ providentiæ. Unde Sapient. viii. 8. „ Signa, & monſtra „ ſcit aotequam fiant. “ Item quidam per violeotiam, ut illi qui caſtrantur a tyrannis, vel barbaris: vel qui caſtrantur propter cuſtodiam mulierum: *qui ſunt facti ab hominibus*, quos ſcilicet vel crudelitas homioum caſtravit, vel conſervantia mulierum. Et hoc dicit Hieronymus quod ſcit, quia pueri accipereotur, & caſtrareutur, & ponerentur in domo Nabuchodonoſor. Quidam vero voluotate, ut dicit: *Et ſunt eunuchi qui caſtraverunt ſeipſos propter regnum calorum*. Quidam male intellexerunt verbum iſtud, dicentes, ſcindenda eſſe genitalia; & leguntur hoc quidam feciſſe, de quibus dicitur fuiſſe Origenes. Sed iſtud reprobatum eſt, & ſeparari debent a clero: Capit. Ex parte, & Capitul. Significavit, extra de corp. vit. (*a*) Unde datur occaſio errori Manichæorum, qui creaturam corporalem dixerunt eſſe cauſam mali. Item datur occaſio errori gentilium, quia quidam in ſacrificiis ſuis eunuchantur. Item hoc factum non eſt in utilitatem: quia tales, etſi actum nou habent, a concupiſcentia tamen non ſunt immunes. Uode Eccli. xx. 2. „ Concupiſceo„ tia ſpadonis devirginavit iuvenculam. “ Ideo melius eſt quod homo ſibi ſrenum imponat quam membrum abſcindat, ut malas cogitationes, & deſideria (*b*) refrenet. Eſa. i. 16. „ Auſerte malas cogitationes a cordi„ bus veſtris. “ *Qui caſtraverunt ſeipſos*, continuæ caſtitati ſe dederunt; & hoc *propter regnum calorum*. Aliquando enim membrum per actum intelligitur, ut ſupra xviii. 9. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te*. Sic hic membra genitalia pro actu accipiuotur: unde ille ſe caſtrat qui caſtitati ſe dedicat. Vel, ſecundum Hieronymum, quod continentiam ſervantes ſic nati ſunt frigiditate, ſcilicet naturæ, ita quod non moventur ad actum illum. Uode dicuntur eunuchi propter actum eunucborum, quem babeot propter naturam quam ex utero habent. Quia aliqui habent aliquam diſpoſitiooem ad aliquam virtutem naturaliter, ſicut Iob ad miſericordiam, qui dicit capit. xxxi. 18. „ Ab infaotia mecum crevit miſe„ ratio. “ Quidam vero ex voluntate, vel propter ſimulationem, vel doctus ab hæreticis, eſt factus ab bominibus. II. Timoth. iii. 5. „ Habentes quidem ſpeciem pietatis, „ virtutem autem eius abnegantes. “ Quidam vero propter præmium vitæ æternæ. Primi duo, ſcilicet qui vel naturaliter, vel violeoter caſtrantur, non habent meritum vitæ æternæ, ſed ſolum tertii.

Sed numquid eſt verum de primis, quod oon mereantur? Dico, quod merentur quaotum ad voluntatem, licet non mereantur quantum ad actum: quia licet non poſſint facere, poſſunt tamen velle poſſe facere.

Qui poteſt capere capiat. Poſita differentia

(a) *Al.* Unde quia datur. (b) *Al.* refrenans.

continentiæ, hic pooitur exhortatio, ut dicit Hieronymus. Facit Domious ſicut facit dux in exercitu, qui quando eſt capieoda civitas, dicit: Qui intrabit civitatem, dabitur ei hoc, vel illud; ſicut dicit David Ioab. Sic qui poteſt capere, & continere, capiat, & non retrahat ſe. Apoſtolus I. Corinth. XII. 31. „ AEmulamini chariſmata meliora.“

Sed quid eſt quod dicit? Nonne tenetur quiſque ad virginitatem ſervandam? Videtur quod ſic, quia homo ad meliora tenetur. Dicendum, quod non eſt præceptum, ſed conſilium, ſicut dicit Apoſtolus I. ad Corinth. VII. 25. „ De virginibus (a) præceptum Domini noo habeo; conſilium autem do.“

Sed quid eſt? Nonne tenetur homo ad meliora? Dico, quod diſtinguendum eſt, quod melius eſt quantum ad actum, vel quantum ad affectum. Non tenetur ad meliora quo ad actum, ſed quo ad affectum: quia omnis regula, & omnis actus determinatur ad finitum & certum: & ſi tenetur ad melius, tenetur ad incertum. Uode quaotum ad actus exteriores, quia non tenetur ad (b) incertum, non tenetur ad meliora; ſed quantum ad affectum, tenetur ad meliora. Unde qui non ſemper vellet eſſe melior, ooo poſſet ſine contemptu velle.

Sed quid eſt quod dicit: *Qui poteſt capere capiat*? Aut enim potentia naturali; & ſic nullus poteſt: aut potentia gratiæ; & ſic quilibet poteſt: quia dicitur Lucæ XI. 9. „ Petite, & accipietis.“ Item gratia Dei omnia poteſt.

Dico, quod ly *poteſt* includit poteſtatem voluntatis: eſt enim voluntas firma, & infirma. Conſtat autem quod homo cum habet voluntatem firmam, non timet multos impulſus; ſed quando non, ex facili impulſu labitur. Unde qui poteſt per firmitatem voluntatis capere, capiat, & non a natura, ſed a Deo. Unde qui hoc a Deo habet, conſulimus quod hoc capiat, & contineat. Vel qui poteſt ſecundum opportunitatem temporis, vel conditionis temporis, ut Abraham: unde cælibatus Ioaonis non præfertur coniugio Abrahæ. Item ſecundum conditionem: quia qui coniugatus eſt, non poteſt continere: unde excluduntur vel ratione temporis, vel conditionis.

Tunc oblati ſunt ei parvuli. Hic oſtendit quod dixit, facto. Et primo ponitur parvulorum oblatio; ſecundo zelus diſcipulorum; tertio ſatisfactio Chriſti. Secunda ibi, *Diſcipuli autem increpabant eos*; tertia ibi, *Ieſus autem ait eis &c.* Dicit ergo: *Tunc oblati ſunt ei parvuli*. Dominus commeodaverat caſtitatem; & quia in parvulis eſt caſtitas, & puritas, ideo videntes quod puritas placeret ei, obtulerunt ei parvulos: *ut manus eis imponeret, & oraret*. Notandum, quod cooſuetudo erat quod pueri offerebantur antiquis, & benedicebant, & orabant, in ſigoum quod beoedictio eſt a Deo. Item experti quod (c) tactum haberet ſalutarem, quia leproſum curaverat, & multos alios, ideo &c. Item parvulos offerebant, quia credebant quod qui tangeretur ab eo, de cetero a dæmonibus non infeſtaretur; ideo Eccleſia accepit in conſuetudinem, quod parvulis exhibeantur ſacrameota Eccleſiæ ut magis confirmentur.

Diſcipuli autem increpabant eos. Hic tangitur zelus diſcipulorum. Sed quare increpabant? Quia credebant eum ut verum hominem ſatigari ex frequentia hominum; ideo volentes parcere labori eius &c. Alia ratio, quia magnam opinionem habebant de Chriſto: ideo videbatur eis quod inhoneſtum erat quod parvuli accederent ad eum. Origenes. Quia per hoc ſignificatur, quod in Eccleſia ſunt quidam parvuli rudes. Per diſcipulos perfecti ſignificantur, unde tales dedignantur cum vident parvulos, ſcilicet iſtos rudes venire ad Chriſtum, ignorantes quod omnes homines vult ſalvos fieri. Apoſtolus Rom. I. 14. „ Græcis, & barbaris debitor ſum.“

Conſequenter utriſque ſatisfacit: & primo, zelo iuſtitiæ; ſecundo ſatisfacit devotioni offerentium. Dicit ergo: *Sinite parvulos venire ad me*, ideſt humiles, ſive paucos. I. ad Corinth. XIV. 20. „ Nolite parvuli eſſe ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote.“ *Et nolite prohibere*, ſcilicet paucos propter innocentiam: non enim ſunt prohibendi imperfecti venire ad perfectionem. *Talium eſt enim regnum cælorum*. Dicit *talium*, non horum, ſcilicet qui ita ſunt puri per innoceotiam. Supra XVIII. 3. *Niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum*. Iob XXII. 29. „ Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.“ Conſequenter devotioni ſatisfacit: *Cum impoſuiſſet eis manus*: per quod virtutes conforrat: Eſa. XL. 29. „ Qui dat laſſo virtutem:“ *abiit inde*. Aliquando Chriſtus apponit manus, & non abit inde; aliqoando apponit, & abit: quia aliqui ita fortes ſunt quod non tetrocedunt. (d) Vocavit Petrum, & Andream, & manſit cum eis, Ioan. VII. Quia igitur iſti adhuc imperfecti

(a) *Al.* mandatum non habeo. (b) *Al.* certum. (c) *Al.* factum. (d) *Al.* & vocavit.

fecti erant, nec habiles ad ſequendum eum, ideo *abiit inde*.

Et ecce unus accedens &c. Hic agit de perfectione paupertatis: & quia duplex eſt via, via communis, & ſpecialis, ut eſt continentia; via prima eſt via ſalutis, ſecunda perfectionis: ideo primo de prima; ſecundo de ſecunda. Et primo ponitur interrogatio; ſecundo Chriſti reſponſio; tertio reſponſionis expoſitio. Interrogatio ponitur: *Et ecce unus accedens ait illi*: *Magiſter bone*. De iſto diverſa eſt opinio: quia Hieronymus dicit, quod erat perverſus corde: & hoc patet, quia abiit triſtis: unde ſi bono corde acceſſiſſet, non abiiſſet triſtis. Chryſoſtomus dicit, quod a paſſione avaritiæ detinebatur; ideo ferre non potuit: & hoc patet, quia non cauſa tentandi venit: quia quando aliqui veniebant ad Ieſum cauſa tentandi, Dominus ſemper reſpondebat eorum malitiæ: Ut quid me tentatis? vel huiuſmodi; ſed nullum ponit hic: unde patet quod non tentator erat, ſed imperfectus, qui ad Deum accedebat ut perficeretur. Pſal. XXXIII. 6. „ Accedite ad „ eum, & illuminamini. “ *Magiſter bone &c.* Vocat eum magiſtrum, quaſi ſcientem. Talis enim debet eſſe magiſter qui ſciat. Item vocat bonum. De ratione boni et ſe communicare: unde Sapien. VII. 13. „ Sine invidia „ communico. “ Ipſe enim vere bonus eſt. Pſal. CXVIII. 68. „ Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas. “ *Quid boni faciam ut habeam vitam æternam*? Audierat multa de vita æterna. Bene audierat (Pſal. XXXVI. 27.) „ Declina a malo, & „ fac bonum; ‘ ſed in lege non audierat promitti vitam æternam, ſed temporalia tantum. Eſa. I. 19. „ Bona terræ comedetis. “

Qui dicit ei: *Quid me interrogas*? Hic ponit reſponſionem. Primo reſpondet, ut in Marco (x. 18.) habetur: „ Quid me dicis bo„ num? “ Hic autem: *Quid me interrogas*? Utrumque poteſt intelligi. Sed quod Matthæus dicit: *Quid me interrogas*? non habet calumniam; ſecundum vero id quod dicit Marcus, aſſumpſerunt Arriani errorem dicentes, quod Pater eſt bonus per eſſentiam, Filius per participationem; ideo ponebant Filium inæqualem Patri. Sed notandum quod dicit: *Unus eſt bonus Deus*. Sed nomine Dei Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus intelligitur: unde ab hoc excluditur alia creatura, quia non per eſſentiam bona eſt.

Sed quare reſpondet ſic? Dicit Hieronymus, quod reſpondet ad mentem ipſius qui illam bonitatem commendabat quæ ſolet eſſe in homine: quia magis adhærebant traditionibus hominum quam Dei, ſicut ſupra xv. 6. dicitur: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras*. Ideo reprehendit eum, quia petebat ab eo tamquam ab homine bono, non autem tamquam a Deo.

Sed quid eſt quod dicit: *Quid me interrogas de bono*? Hoc dicit tamquam cognoſcens eius affectum: quia non habebat animum ad obediendum bono: & omne bonum temporale eſt imperfectum, & umbra reſpectu boni divini. Eſa. LXIV. 6. „ Omnes iuſtitiæ ve„ ſtræ tamquam pannus menſtruatæ. “ Unde omnia iſta bona ſunt a Deo; ideo ſi vis habere ea, pete ab eo: ipſe enim ſolus eſt bonus. Pſal. CXXXV. 1. „ Confitemini Domi„ no, quoniam bonus. “ Ideo recurre ad Deum.

Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Quidam enim habent vitam imperfectam, quidam perfectam, & quidam totaliter extra vitam ſunt, ut qui in peccato ſunt, vel infideles: quia „ iuſtus ex fide vivit: “ Hebr. x. 38. Quidam igitur habent vitam inchoatam, & imperfectam, ut iuſti in hoc mundo; illi vero perfectam qui iam ſunt in vita æterna: unde: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: quia introducitur homo per mandata. Ezech. xx. 11. „ Dedi eis manda„ ta mea, & iudicia mea oſtendi eis. “

Sed numquid mandata ſufficiebant ad ſalutem? Dico quod non, niſi ex fide Mediatoris, & caritate: unde Apoſtolus ad Gal. II. 21. „ Si ex lege eſt iuſtitia, ergo fruſtra „ mortuus eſt Chriſtus. “ Item Proverb. VII. 2. „ Serva mandata mea, & vives. “

Dicit illi, *Quæ*? Sequitur reſponſionis expoſitio, in qua mandata replicat. Et primo ponit mandata; ſecundo radicem, ibi, *Diliges proximum ſuum ſicut teipſum*. Dicit ergo: *Ieſus autem dixit*: *Non homicidium facies &c.* Et quare non facit mentionem de mandatis primæ tabulæ? Quia pronum videbat ad dilectionem Dei; ideo non fuit neceſſe. Item hæc ſunt prævia ad dilectionem. Et primo ponit negativum; ſecundo affirmativum. Primo incipit a maiori: *Non homicidium facies*, quod eſt contra vitam in actu: *non adulterabis*, quod eſt contra vitam in potentia: *non furtum facies*, quod eſt contra bona perſonæ: *non falſum teſtimonium dices*, quod eſt contra perſonam. Item affirmativum ponit: *Honora patrem tuum, & matrem*. Deinde ponit radicem: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Roman. XIII. 8. „ Qui diligit „ proximum, legem implevit. “

Dicit ei adoleſcens: *Omnia hæc cuſtodivi a iuventute mea*. Poſtquam Dominus tradidit doctrinam communis ſalutis, hic tradit doctrinam perfectionis: & primo tradit doctri-

nam; ſecundo neceſſitatem huius doctrinæ; tertio præmium obſervationis. Secunda ibi, *Ieſus autem autem dixit diſcipulis ſuis*; tertia ibi, *Reſpondens Petrus &c.* Et primo ponitur occaſio doctrinæ dandæ; ſecundo promulgatio; tertio effectus. Secunda ibi, *Dicit ei Ieſus &c.* tertia ibi, *Cum audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis*. Occaſio promulgandi hanc doctrinam eſt petitio adoleſcentis. Et primo conſitetur ſe obſervatorem legalium; ſecundo petit quæ ſit perſectio ad quam pervenire poſſit, ibi, *Quid adhuc mihi deeſt?* Dicit ergo: *Omnia hæc cuſtodivi a iuventute mea*: & dicit, *Omnia*, quia non ſufficit unum facere tantum, niſi omnia ſerventur. Iacob. II. 10. „ Qui offenderit in uno, factus eſt „ omnium reus." Item dicit, *A iuventute*. Proverb. XXII. 6. „ Adoleſcens iuxta viam „ ſuam, & cum ſenuerit, non recedet ab ea." Unde conveniebat ei quod dicitur Iob XXIII. 12. „ A via labiorum non receſſi."

Utrum autem verum dixerit?, eſt quæſtio. Hieronymus dicit, quod mentitus eſt: quod patet, quia ante hoc immediate præcedit: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Si ſic dilexiſſet, non abiiſſet triſtis, cum Dominus dixit: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Chryſoſtomus dicit, quod verum dixit, quod legalia ſervaverat: & confirmatur per illud quod habetur in Marc. X. 21. quod cum intuitus eſſet eum Ieſus, dilexit eum: quod non feciſſet, niſi bonus eſſet. Eſt enim duplex via. Una ſufficiens ad ſalutem, & hæc eſt dilectio Dei & proximi cum ſui beneficio, ſine ſuo gravamine, ſecundum quod habetur I. ad Corinth. VIII. 3. „ Qui diligit Deum, co„ gnitus eſt ab eo:" & hanc ſervaverat. Alia eſt perſectionis, ut diligere proximum cum ſui detrimento; & hanc non ſervaverat: ideo cum nunciata fuit ei, *abiit triſtis*. Prima non fuit contentus; ideo petiit: *Quid mihi deeſt adhuc?* Quilibet tenetur facere hanc quæſtionem, ſecundum quod dicitur (Pſal. XXXVII. 5.) „ Notum fac mihi, Do„ mine, finem meum, & numerum dierum „ meorum quis eſt, ut ſciam quid deſit mi„ hi." Ipſe enim ſolus ſcit quid deſit nobis. „ Imperfectum meum viderunt oculi „ tui:" Pſal. CXXXVIII. 16.

Dicit ei Ieſus: Si vis perfectus eſſe, vade &c. Primo ponitur ſtudium; ſecundo via; tertio, quia difficilis, ponitur præmium; quarto conſummatio perſectionis. Dicit (*a*) ergo: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Debemus enim niti ad perſectionem. Hebr. VI. 1. „ Intermit„ tentes inchoationis Chriſti ſermonem ad „ perfectum feramur."

Sed quærit Origenes. Perſectio legis eſt dilectio; ſed dixerat: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Quare ergo dixit: *Si vis perfectus eſſe*, cum iam perſectus eſſet?

Dicunt quidam, quod in quibuſdam libris non ponitur illud: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Et hoc patet, quia in Marco non ponitur. Aliter poteſt dici, quod illud dixit, ſed non hoc ordine: quia in Evangelio Nazaræorum ita eſt: *Dominus dixit: Non homicidium facies &c.* uſque ad illud de dilectione. Et poſt ſequitur: *Hæc omnia &c.* Et deinde ſequitur: *Diliges proximum &c.* Tamen plana eſt ſolutio: quia duplex eſt dilectio proximi, ſcilicet dilectio ſecundum viam communem, & dilectio perſectionis. Unde dicit: *Vade, & vende omnia &c.* non partem, ſicut fecerunt Ananias, & Saphira, ut habetur in Act. V. *Et da pauperibus*, non divitibus. I. ad Corinth. XIII. 3. „ Si „ diſtribuero facultates meas in cibos pau„ perum." Pſal. CXI. 9. „ Diſperſit, dedit „ pauperibus." Et non uni, ſed pluribus.

Sed quid eſt? Nonne ſtatim talis eſſet perſectus? Videtur quod non, quia adhuc paſſiones ſunt in eo: ergo non eſt perfectus in virtute. Origenes dicit, quod ſtatim perſectus eſt, ſicut illi perſecti ſunt quibus bona ſua diſtribuit. II. ad Corinth. VIII. 14. „ Veſtra abundantia inopiam illorum ſup„ pleat, & illorum abundantia inopiæ ve„ ſtræ ſit ſupplemento." Unde perſectio illorum tranſit in illum, ſicut *qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*: ſupra X. 41. Unde via perſectionis non eſt: *Vade, & vende omnia quæ habes*; ſed tantum hoc quod ſequitur: *Et da pauperibus*. Alia reſponſio eſt. *Si vis perfectus eſſe*; non quod ſtatim ſit perfectus, ſed quoddam principium habebis perſectionis: quia exoneratus iſtis, poteris facilius contemplari cæleſtia. Auguſtinus dicit, quod vigiliæ, & huiuſmodi ſunt inſtrumenta perſectionis; ſed in hoc quod ſequitur eſt perſectio: *Et ſequere me*. Unde ſupra IV. 20. *Petrus, & Andreas, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum*. Et ſic etiam Matthæus ſupra IX. Sed cum dimittis hæc omnia, melior uſus eſt dare pauperibus; & in hoc conſiderandus eſt proximus. Unde ſi non eſt in illis perſectio, in quo conſiſtit? Dicendum, quod in perſectione caritatis. Coloſs. 3. 14. „ Super omnia ca„ ri-

(a) *Al.* Dicitur.

Digitized by Google

„ ritatem habentes, quæ eſt vinculum perfectionis. “ Unde dilectio Dei eſt perfectio, ſed dimiſſio rerum eſt via ad perfectionem. Er quomodo? Auguſtinus in Lib. lxxxiii. Quæſt. dicit, quod „ augumentum „ caritatis eſt diminutio cupiditatis, perfe„ ctio caritatis, nulla cupiditas. “ Ille ergo perſectus eſt in caritate qui diligit Deum uſque ad contemptum ſui, & ſuorum. Unde difficile, & quaſi impoſſibile eſt quod aliquis poſſideat divitias quin eis alliciatur. Et hoc patet de Gregorio, de quo legitur, quod cum cogitaſſet melius ſe famulaturum Chriſto ſub ſpecie ſæculari, cœperunt conrra eum tot ſuccreſcere, ut non iam ſpecie tantum, ſed etiam mente retineretur; ideo nihil eſt quod animum tam liberum faciat ſicut quod non occupetur circa divitias. Et hæc eſt via perſectionis. Unde aliud eſt eſſe perſectum, & habere ſtatum perfectionis. Quicumque habet caritatem perſectam uſque ad contemptum ſui, & ſuorum, perfectionem habet. Status perfectionis duplex eſt, prælatorum, & religioſorum; ſed æquivoce: quia ſtatus religioſorum eſt ad acquirendum perfectionem: unde iſti dictum eſt: *Si vis eſse perfectus*, & ſi vis ad perfectionis ſtatum venire. Status autem prælationis non eſt ad acquirendum ſibi, ſed ad habitam communicandam: unde Dominus, Ioan. ult. xvii. dixit Petro: „ Petre ſi diligis me, pa„ ſce oves meas: “ & non dixit: *Si vis perfectus eſse &c.* Unde talis eſt differentia inter perfectionem religioſorum & prælatorum, qualis inter diſcipulum & magiſtrum: unde diſcipulo dicitur: Si vis addiſcere, intra ſcholas ut addiſcas. Magiſtro dicitur: Lege, & perfice. Unde ſecurior eſt ſtatus religioſorum, quia ignorantia non imputatur eis, ſicut prælato. Unde ſicut ridiculum eſſet magiſtro quod nihil ſciret, ſic &c. Sed dato quod uterque faciat quantum ad eum pertinet, & bene utatur officio ſuo; dico quod non eſt comparatio niſi ſicut inter diſcipulum & magiſtrum: unde in ſtatu perfectiori eſt prælatus, etiam ſi des Eliam, vel quemcumque.

Sed eſt quæſtio. Si prælatus eſt perſectus, nonne tenetur omnia vendere? Dico, quod iſtud ſequeretur, ſi in hoc quod eſt, *Vade*, & *vende omnia quæ habes*, eſſet perfectio; ſed non eſt, ſed eſt via, & præambulum ad acquirendum perfectionem: ideo non oporter quod vendat ea quæ habet. Sed quia hoc raro contingit quod quis perfectionem cum divitiis habeat, ab eo qui venit ad perfectionem, (*a*) relinquenda ſunt omnia. Ideo dat Dominus quod facilius eſt. Unde ſi prælatus eſſet idoneus, & curam bene miniſtraret, dico quod eſſet perſectior, ſicut aliquis poteſt dicere: Volo intrare ſcholas, ut addiſcam. Sed præſumptuoſum eſt dicere, cum nihil ſciat, velle ſe eſſe magiſtrum: unde Auguſtinus de Civitate Dei: „ Status ſu„ perior, ſine quo populus regi non poteſt, „ etſi (*b*) decenter adminiſtretur, indecen„ ter tamen appetitur. “ Item eſt aliud eſſe prælatum, & in ſtatu prælati.

Numquid in ſtatu perfectionis ſunt ſacerdotes plebei, vel curati? Dico, quod non ſunt in ſtatu, quia non ſaciunt ſtatum. Omnis ſtatus cum ſolemnitate datur, ut ordo epiſcopatus, & religio. Cum autem datur plebania, non datur cum ſolemnitate: unde ſtatum non habent perfectionis: quod patet quia aliquibus committitur cura, & adminiſtratio; & ſi non ſit promotus, poteſt dimittere, & uxorari; & aliquando ſactus eſt religioſus. Epiſcopus autem non dimitteret epiſcopatum niſi de licentia ſuperioris; curatus poteſt intrando religionem. Si autem eſſet in ſtatu perfectiori, iam caderet a ſtatu, & ſic peccaret: unde perfectionem poteſt habere ſecundum actum, ſed non ſtatum: quia non datur ſtatus niſi cum ſolemnitate.

Vade ergo, & *vende omnia quæ habes*, & *da pauperibus*: quia per iſtud, magnum habebis præmium, quia præmium reſpondet merito. *Et habebis theſaurum in cælo*. In theſauro duo ſunt, ſtabilitas, & abundantia. Habebis theſaurum, & abundantiam ſpiritualium. Pſal. cxi. 3. „ Gloria, & divitiæ in „ domo eius. “ Eſa. xxxiii. 6. „ Et erit „ fides in temporibus tuis, divitiæ ſalutis, „ ſapientia, & ſcientia. “ *Et veni, ſequere me*. Hic eſt finis perfectionis: unde illi ſunt perſecti, qui toto corde ſequuntur Deum. Unde Gen. xvii. 1. „ Ambula coram me, „ & eſto perſectus. “ *Et ſequere me*; ideſt, imitare vitam Chriſti: unde ſupra xvi. 24. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*. Imitatio enim eſt in ſolicitudine prædicandi, docendi, curam habendi. Unde Chryſoſtomus: „ Dictum eſt Petro, Sequere me, ſci„ licet in ſuſcipiendo curam totius mundi. “ Iob xxiii. 11. „ Veſtigia eius cuſtodivit pes „ meus. “

Cum autem audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis. Oſtenditur affectus, quia *abiit triſtis*. Hoc accidit cum deſideramus aliquid, & non poſſumus habere ut optamus: unde iſte deſide-

(a) *Al.* ei relinquenda. (b) *Al.* decedenter.

ſiderabat perfectionem, & audivit quid per hoc debebat habere; & quia cupidus erat, abiit triſtis. Et quare? *Erat enim habens multas poſſeſſiones*. Auguſtinus: „ Ille qui dimiſit „ voluntatem habendi, eſt magni meriti, „ quia imputatur ei quod habere potuit; ſed „ maioris meriti eſt dimittere quod iam ac- „ quiſivit: quia difficilius eſt quod evellan- „ tur quæ iam ſunt unita, quam quæ non „ ſunt unita. “ Et hoc patet, quia iſte qui habebat, ſeparari non poterat.

Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis. Hic ponitur ratio prædictæ doctrinæ: & primo aſſignatur ratio; ſecundo ſatisfacit admirationi diſcipulorum, ibi, *Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde*. Dicit ergo: *Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis &c.* Occaſio dicendi verbum iſtud fuit, quia ille *abiit triſtis*: quia dixerat: *Vade, vende quæ habes &c. Quia difficile dives intrabit in regnum cælorum*: non dicit impoſſibile. Et dicit, *Dives*, non qui habet divitias, quia quidam habent, & non amant eas; quidam autem habent & amant, & confidunt in eis. Hi qui habent, & non amant, poſſunt ingredi in regnum cælorum. Si enim hoc non eſſet, non diceret Paulus (I. ad Tim. VI. 17.) „ Divitibus huius ſæ- „ culi præcipe non ſublime ſapere; neque „ ſperare in incerto divitiarum. “ Sed qui habet, & amat, difficile eſt &c. Supra XIII. 22. *Solicitudo ſæculi huius, & fallacia divitiarum ſuffocant verbum*. Proverb. XXVIII. 20. „ Qui feſtinat ditari, non erit innocens. “ Eccli. XXXI. 8. „ Beatus dives qui inventus „ eſt ſine macula, qui poſt aurum non abiit „ &c. “ Sed hoc eſt difficile; ideo ſequitur (ibid.) „ Quis eſt hic, & laudabimus eum? „ Fecit enim mirabilia in vita ſua. “ Addit aliquid quod ad impoſſibilitatem videtur pertinere: unde dicit: *Et iterum dico vobis: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire quam divitem intrare in regnum cælorum*. Supra Dominus dixerat, quod divitem erat difficile intrare in regnum cælorum; hic quod impoſſibile, ſicut impoſſibile eſt quod camelus per foramen acus tranſeat. Unde accipite divitem, qui habet divitias, & non amat, difficile eſt. Illum autem qui amat, & in eis confidit, impoſſibile eſt intrare in regnum cælorum. Quod enim camelus non poſſit intrare per foramen acus, hoc eſt ex natura; quod autem dives qui amat divitias non poſſit intrare in regnum cælorum, hoc eſt ex divina iuſtitia; ſed prius poſſent omnia ſubverti, quam divina iuſtitia immutari. Alii, ſicut Hieronymus: „ Non deſignatur im- „ poſſibilitas, ſed difficultas. “ In quadam Gloſſa invenitur, cuius auctor ignoratur, quod Hieroſolymis erat porta quæ vocabatur foramen acus, per quam non poterant cameli onerati tranſire; ita non poteſt dives intrare in regnum cælorum, niſi exoneret ſe ex affectu divitiarum. Sed facilius eſt quod camelus exoneretur quam dives hunc affectum deponat. Chryſoſtomus myſtice exponit. Per camelum, ſignificantur gentes, qui peccato idolatriæ onerati ſunt, per divites Iudæi, acus autem Chriſtus, foramen acus eſt paſſio. Unde facilius fuit gentilem populum tranſire per paſſionem Chriſti, quam Iudæos; quia non poterant venire niſi dimittendo cæremonias legis; & hoc ipſi non facerent. Unde quæſitum eſt a dæmone, quod eſt gravius peccatum, & dixit, habere de alieno. Cui reſponſum eſt, Tu mentiris. Immo, dicit, quia alios peccatores ſæpe amitto, iſtos autem non amitto. Vel ſic. *Facilius eſt &c.* ut per divitem intelligamus ſuperbum, per camelum Chriſtum, per foramen acus, Chriſti paſſionem: ideo facilius fuit camelum tranſire per foramen acus, quam ſuperbum humiliari.

Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis poterit ergo ſalvus eſſe? Supra Dominus aſſignavit rationem ſuæ doctrinæ; hic ſatisfacit admirationi diſcipulorum. Et primo ponitur admiratio; ſecundo ſatisfactio, ibi, *Aſpiciens autem Ieſus dixit illis*. Dicit ergo: *Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis poterit ſalvus eſſe?*

Sed hic eſt quæſtio litteralis. Cum plures ſint pauperes quam divites, & divites difficile ſit ſalvari; quomodo dicunt: *Quis poterit ſalvus eſſe?* Reſpondetur, quod intellexerunt, quod intelligeret etiam de pauperibus qui ſunt divites voluntate: quia plures ſunt pauperes qui voluntate ſunt divites. Item ipſi iam erant effecti ſoliciti pro toto mundo; ideo ingruebat eis illa ſolicitudo, quæ habetur II. ad Corinth. XI. ut ſoliciti erant rectores omnium creaturarum.

Aſpiciens autem Ieſus dixit eis: Apud homines hoc impoſſibile eſt &c. Hic ſatisfacit admirationi, dicens: *Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia*.

Sed quid eſt quod dicit? Videtur enim quod periit liberum arbitrium, ſi impoſſibile eſt apud homines. (*a*) Verum eſt quod homo a ſe habet ut poſſit peccare; ſed reſurge-

(a) *Al.* Verum eſt quod non poteſt homo ſine auxilio gratiæ Dei: unde a ſe habet homo peccare; ſed reſurgere, opera ſalutis facere, hoc non a ſe ſine gratia Dei: ipſe enim Deus eſt qui in iſta poteſt.

Digitized by Google

ſurgere, & opera ſalutis facere, hoc non habet a ſe ſine auxilio gratiæ Dei: ipſe enim Deus eſt qui iſta poteſt. Ad Rom. IX. 6. „ Non eſt currentis, nec volentis, ſed „ miſerentis Dei. " Unde Iob XLII. 1. „ Scio „ quod omnia potes, & apud te non eſt „ impoſſibile. " Unde ſecundum potentiam humanam impoſſibile eſt hominem ſalvum fieri: quia potentia humana non immutat voluntatem; ſed ſolius Dei eſt immutare eam, ſicut habetur Philip. II. 13. „ Qui operatur „ in nobis velle, & perficere. "

Conſequenter determinat de præmio perfectorum. Et primo ponitur interrogatio; ſecundo reſponſio, ibi, *Ieſus autem dixit illis*. Petrus audierat paupertatem laudari, & audierat: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Audierat etiam quod difficile eſt divites intrare in regnum cælorum; ideo reputabat Petrus magnum feciſſe, quia omnia dimiſerat: unde dicit: *Tunc reſpondens Petrus, dixit ei*; *Ecce nos reliquimus omnia*. Et quia non ſolum illud audierat, *Vade, & vende*; ſed ulterius, *Et ſequere me*; ideo addit Petrus: *Et ſecuti ſumus te*. Relinquere omnia non facit perfectionem, ſed relinquere omnia, & ſequi Chriſtum: quia multi Philoſophi reliquerunt omnia. Sed reliquerat Petrus navem, & rhete; ſed Petrus magis de affectu ſuo laudatur quam de eo quod reliquit: quia ita prona voluntate dimiſit quod etiam totum dimiſiſſet, ſi habuiſſet. Item ſciebat quod Chriſtus ſciebat ſuam voluntatem; (a) ideo dicit: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* Per quod dedit exemplum, quod non (b) reputentur pauca dimiſiſſe qui dimiſerunt quod habebant, etiamſi pauca haberent. Et dicit Hieronymus, quod dimittere non facit perfectionem, ſed ſequi Dominum. Et multipliciter aliquis ſequitur Deum. Mente per contemplationem. Oſeæ VI. 3. „ Sciemus, ſequemurque, ut cognoſcamus Dominum. " Unde illi Deum ſequuntur qui Deum habent præ oculis, & Deum cognoſcunt per modum contemplationis. Item (c) ſequitur Dominum per obſervantiam mandatorum. Ioan. X. 27. „ Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me. " Item per imitationem operis. Iob XXIII. 11. „ Veſtigia „ eius ſecutus eſt pes meus. " Item per contemptum ſui, & ſuorum. Supra XVI. 24. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Item per puritatem mentis, & corporis. Apocal. XIV. 4. „ Hi ſunt qui cum mulieribus non „ ſunt coinquinati: virgines enim ſunt, „ & ſequuntur agnum quocumque ierit. " Ad iſtam ſequelam diſponit voluntaria paupertas.

Ieſus autem dixit illis: *Amen dico vobis &c.* Hic agit de præmio perfectionis: & primo ponit præmium perfectionis Apoſtolorum; ſecundo perfectionis aliorum; tertio excludit quamdam obiectionem. Secunda ibi, *Et omnis qui reliquerit &c.* tertia ibi, *Multi autem erunt primi noviſſimi &c.* Dicit ergo: *Amen dico vobis &c.* Quia enim voluit eſſe certum quod dixerat, ideo veritatem dixiſſe profitetur, dicendo, *Amen*. Et ut oſtenderet quod perfectio non eſt in hoc, *Vade, & vende omnia quæ habes*; ſed in hoc, *Sequere me*; ideo dicit: *Quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione .... ſedebitis ſuper ſedes duodecim &c.* Regeneratio duplex eſt. Una quæ eſt ſpiritus, quæ fit per gratiam in baptiſmo, de qua I. Pet. I. 3. „ Regeneravit „ nos in ſpem vivam. " Item eſt regeneratio corporis: ſicut enim ſpiritus per gratiam regeneratur, ſic & in reſurrectione reſuſcitabit corpora noſtra. Ad Philip. III. 21. „ Reformabit corpus humilitatis noſtræ conf„ figuratum corpori claritatis ſuæ. " Quidam exponunt de prima regeneratione, & punctant ſic: *Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione*, ideſt regenerati eſtis per gratiam, *ſedebitis &c.* Chryſoſtomus eodem modo, ſed non punctat ſic: unde dicit, quod promiſit eis præmium in præſenti ſic. *Vos qui ſecuti eſtis me ..... ſedebitis*. Præſens Eccleſia eſt fides Chriſti. In Eccleſia iſta ſunt diverſi ſtatus hominum: & quamvis omnes virtutes neceſſariæ ſint ad ſalutem, tamen unus laudabilior eſt in actu unius virtutis, quam alterius, alii in fide, alii in caſtitate, alii in caritate. Et ſicut in diverſis fidelibus; ſic & in Apoſtolis: quia Petrus ferventiſſimus zelator fidei fuit, ſed Ioannes in caſtitate polluit: ſic qui (d) fervent in fide ſunt ſedes Petri, in caſtitate Ioannis, & ſic de aliis. Sed omnes ſunt ſedes Chriſti, quia omnes virtutes fuerunt in eo; ideo promiſit eis quod ipſi eſſent futuri paſtores Eccleſiæ. Aliter, ſecundum Auguſtinum, accipitur de regeneratione, ſcilicet pro reſurrectione. *Amen dico vobis, in regeneratione*, ideſt in reſurrectione, cum revocabuntur ſecundum corpus & animam, *ſedebitis*, ſcilicet in ſede maieſtatis, ideſt iudiciariam poteſtatem habebitis, *iudicantes duodecim tribus Iſrael*: quia ſicut dedit Deus Filio iudicium, ſic & datur his qui ſecuti ſunt eum.

Sed

(a) *Al.* ideo ergo dicit. (b) *Al.* reputent. (c) *Al.* ſequi. (d) *Al.* ſervant.

Digitized by Google

Sed quid eſt quod dicit: *Super tribus Iſrael*? Numquid (*a*) alios non iudicabunt? Quare ergo plus dicit: *Super duodecim tribus Iſrael*? Intelligitur tota plebs fidelium totius mundi: quia intravit gentilitas in pinguedinem olivæ, & facta eſt conſors promiſſionis factæ patribus. Illi autem qui ſunt infideles non iudicabuntur: nam dicit Gregorius, quod quidam damnantur, & non (*b*) iudicantur, ut infideles; quidam autem damnantur, & iudicantur, ut qui crediderunt, & perverſi fuerunt. Et, ut ponit Hieronymus, aliter condemnantur hoſtes, aliter qui in fide permanſit: quia hoſtes condemnantur abſentes, alii vero præſentes. Ideo *iudicabitis duodecim tribus Iſrael*. Quia Apoſtoli converſati ſunt cum Iudæis, ideo dicitur, quod iudicabunt duodecim tribus. Et quomodo? Comparatione, quia eos monuerant. Poſſent dicere: Quomodo crederemus, quod tu eſſes Deus, qui eras (*c*) mortaliter vivens inter nos? &c. Sed dicet Dominus: Vos eratis ſapientes in lege, & non credidiſtis; iſti erant piſcatores, & crediderunt.

Chryſoſtomus quærit quid magnum datum ſit Apoſtolis. Nonne hoc datum etiam eſt Ninivitis, & Reginæ Auſtri? ſupra XII. 41. Dicit Chryſoſtomus, quod ipſe modus oſtendit auctoritatem iudicandi eſſe datam Apoſtolis: quia iudicantes auctoritate, iudicant ſedendo, advocati, & accuſatores condemnant ſtando: ideo ad deſignandum quod Apoſtoli iudicabunt auctoritate, (*d*) dicit, *Sedebitis*. De Ninivitis vero dicit (loc. cit.) *Viri Ninivitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam*.

Sed hic eſt quæſtio: quia aliqui damnabuntur, & non iudicabuntur; ſic aliqui ſalvabuntur, & non iudicabuntur, ut Apoſtoli, & apoſtolici viri; alii vero ſalvandi iudicabuntur, & merita eorum diſcutientur: & qualiter iudicabunt?

Dicunt aliqui per comparationem. Sed hoc non ſufficit: quia ſic etiam Regina Auſtri iudicabit. Quidam dicunt, quod per iudicium Chriſti. Sed hoc non ſufficit, quia ſic omnes ſancti approbabunt. Pſalm. LVII. 11. „ Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. “ Item dicunt quidam per quamdam venerabilem iuſtitiam, quia elevabuntur iuſti in aera Chriſto obviam, & erunt aſſeſſores Chriſti. Sed hoc etiam non ſufficit, quia dicit: *Sedebitis & vos iudicantes*. Dicunt quidam, quod iudicabunt ſicut liber iudicat: iudicat enim, quia ibi ſcriptæ ſunt leges, quæ illum iudicant, ſicut corda Apoſtolorum, & iuſtorum, qui cuſtodierunt mandata Dei, erunt liber eos condemnans. Mortui iudicati ſunt (*e*) libris apertis: Apocal. XX. Sed plus eſt, quia aliud exercebunt. Unde in Pſal. CXLIX. 6. „ Gladii ancipites in manibus eorum. “ Quomodo ergo iudicabunt? Videte. Erit iudicium mentale, quia virtute divina fiet quod ſingulis ad memoriam omnia peccata ſua reducantur. Unde deceptus fuit Lactantius, qui ponit reſurrectionem fieri ante iudicium per mille annos. Iſtud ergo erit mentale iudicium, quia per virtutem divinam reducentur ad memoriam ea quæ fecit unuſquiſque. Sed non eſt inconveniens quod aliquis recipiat ab aliquo lumen aliquod: quia Angeli a Deo recipiunt, & homines ab Angelis; ideo non eſt mirum quod homines illuminentur ab Apoſtolis, qui pleni erunt; ideo non ſolum iudicabunt, ſed etiam quoddam lumen ab eis alii iuſti recipient. Sed differenter Chriſtus, & Apoſtoli: quia Chriſtus auctoritate, illi vero ſicut promulgatores. Sicut lex per Angelos data eſt, ſic & executio iudicii fiet per Angelos, quia ecce Angeli dicuntur (Iob XXXVI. 6. „ Pauperibus Iudicium dabitur. “) qui iuſtitiam ſecuti ſunt, & omnia dimiſerunt.

Et quare iudicabunt? Una ratio, quia peccata de mundo ſunt: unde illi qui debent iudicare, debent eſſe de extra mundum; & tales ſunt Apoſtoli, & apoſtolici viri. Unde Ioan. XV. 9. „ Elegi vos de mundo. “ Item dicit Philoſophus, quod virtuoſus eſt iudex omnium hominum, ſicut guſtus omnium guſtabilium. Sicut ergo qui vult aliquid guſtare, dat ad guſtandum ei qui habet guſtum ſanum; ſic cum virtuoſus habeat guſtum ſanum, ideo ipſe regula eſt omnium actuum: ideo perfecti viri ut regula iudicabunt. Item alia ratio, quia ſunt alieni a mundo, ideo magis ferventer ſequuntur Chriſtum. Iſti ergo debent magis iudicare, quia de rebus contemplandis incaleſcunt. Pſalm. XXXVIII. 4. „ Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. “ Ideo etiam quia magis aſſueti, ſunt magis ferventes. Item quia erant pauperes, & magis abiecti, ſed meritum abiectionis eſt exaltatio, ideo exaltabuntur. Ideo dicit: *Sedebitis iudicantes &c.*

Sed numquid Iudas iudicabit? Non, quia iſtæ promiſſiones ſemper ſunt ſub conditione; ideo Dominus dicit: *Vos qui ſecuti eſtis me &c.* Unde qui ſecutus fuerit, & perſeveraverit, iudicabit &c.

Sed

(a) *Al.* alios iudicabunt. (b) *Al.* iudicabuntur. (c) *Al.* moraliter. (d) *Al.* ideo dicit. (e) *Al.* libri aperti.

Digitized by Google

Sed ſi iſti iudicant , quid faciet Paulus ? Si iam ſedes plenæ ſunt, ubi ergo Paulus ? Auguſtinus dicit , quod per duodecim ſignificatur univerſitas , quæ per ſeptem volvitur . Numerus ergo duodenus fit ex multitudine ſeptem , quia ſeptenarius numerus conſiſtit ex tribus, & quatuor , & ter quatuor ſunt duodecim, vel quater tria ; ideo per iſtum numerum ſignificatur univerſitas electorum.

Et omnis qui reliquerit domum , vel fratres &c. Poſito præmio Apoſtolorum , hic ponitur aliorum. Et ſunt hic quæſtiones.

Prima quare Apoſtolis nihil temporale promiſit , aliis vero aliquod temporale , quia *centuplum accipiet &c.* Et hoc patet , quia in Marco habetur quod centuplum in præſenti . Secundum Chryſoſtomum , promiſſum fuit Apoſtolis aliquod temporale , quia iudicium in Eccleſia Dei, ut prius dictum eſt. Vel aliter, quia allicitur unuſquiſque ſecundum illud ad quod afficitur . Unde qui dimiſit mundum, & ea quæ ſunt in mundo , non alliciunt eum ea quæ ſunt in mundo ; ſed alii (*a*) qui alligati ſunt rebus ſæcularibus , alliciuntur per eas . Ideo Apoſtolis , quia totum dimiſerant, nihil temporale promiſit ; ſed aliis , quia habent affectum ad temporalia: ideo Apoſtolis iudicium promiſit . Vel , ſecundum Origenem, quod dictum eſt , *In regeneratione*, hoc eſt præmium eorum (*b*) qui omnia reliquerunt propter Chriſtum.

Sed poſſet aliquis dicere: Nolo omnia propter te dimittere , ſed dimittam unam domum , vel unum agrum &c. Dico quod ſi aliquid relinquis , aliquid habebis ; ſed ſi omnia, iudex eris.

Sed eſt alia quæſtio. Dixit , *Domum* : & de hoc non eſt dubium; ſed dicit, *Patrem , aut matrem &c.* Qui iubet dimitti patrem, aut matrem , iubet peccatum . Item ipſe præcepit quod non dimittatur uxor , quod honorentur parentes.

Dicendum , quod in iſtis duo conſiderantur. Naturalis affinitas, & hæc non eſt contemnenda , ſed bene faciendum eſt eis , ſi indigent . Aliquando vero retrahunt a ſervitio Dei : unde tunc ſunt ſicut membrum ſcandalizans , & tunc abſcindendum eſt illud membrum : & ideo præcepit hæc relinquere . Item alia ratio, quia Dominus prævidit tempus futuræ perſecutionis , quod inſurgeret frater contra fratrem ; ideo vult hominem ſeparari ab eis.

Alia quæſtio eſt, cum dicit , *Centuplum accipiet &c.* quomodo intelligatur . Quidam dixerunt , quod ſancti reſurgent ante iudicium per mille annos, & tunc Chriſtus habebit regnum completum . Et tunc qui dimiſit domum , habebit centuplum . Hieronymus improbat , quia non habebit centum patres &c. Item turpitudo ſignificatur, quia non habebit centum uxores. Ideo dicit Auguſtinus , quod intelligitur quo ad ſpiritualia . Unde nos elegit Dominus pauperes in hoc mundo, & heredes regni : unde intelligitur gratia Dei , quæ ponderat omni eo quod dimittis , & in infinitum ; ideo ponit finitum pro infinito . Unde *centuplum accipies*, ideſt aliquid quod valet centuplum . Origenes dicit , quod etiam ad litteram eſt intelligendum. Tu dimittis agrum, ex providentia Dei erit quod invenies multos ad ſervitium tuum : unde conveniet eis (*c*) illud II. Corinth. VI. 10. „Tamquam nihil ha„ bentes , & omnia poſſidentes . “ Item fratres invenies, ideſt omnes viros ſpirituales. Item præter hanc, *vitam æternam*, Ioan. x. 27. „ Oves meæ vocem meam audiunt , „ & ego cognoſco eas , & ſequuntur me , „ & ego vitam æternam do eis. “

Conſequenter introducitur incidens: *Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.* Illi qui relinquunt aliquid propter Chriſtum, vel omnia, ſi negligenter vivant, habebunt ne iſtud præmium? Dico quod non, quia imperfecte aſſumpſerunt, & non erunt primi, ſed noviſſimi. Vel aliter , quia poſſent dicere : *Vos qui reliquiſtis omnia &c.* iudicabimus ſic. Qui per ſuperbiam elati erant primi, ſunt noviſſimi. Origenes dicit , quod poteſt intelligi de his qui veniunt ad Chriſtum , & tepide vivunt ; poſt veniunt alii ferventes , & fervore ſuo tranſcendunt alios : Vel primos vocat qui ex Chriſtianis nati ſunt, qui noviſſimi facti ſunt reſpectu aliorum qui fuerunt ex gentibus , vel Iudæis . Vel poteſt referri ad homines , vel Angelos: quia qui primi ſunt in ordine Angelorum , facti ſunt noviſſimi per culpam ; & noviſſimi, ideſt homines, fient primi, & ſuperiores.

(a) *Al.* quia. (b) *Al.* quia. (c) *Al. deeſt* illud.

Digitized by Google

CAPUT XX.

(a) SImile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa horam ſextam, & nonam, & fecit ſimiliter. Circa undecimam vero exiit, & invenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hic ſtatis tota die otioſi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cum ſero autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a noviſſimis uſque ad primos. Cum veniſſent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes murmurabant adverſus patremſamilias, dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, quî portavimus pondus diei & æſtus? At ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade. Volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.

(b) Et aſcendens Ieſus Hieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecreto, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis; ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo. Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus. Ieſus autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent inter eos? Non ita erit inter vos; ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus: ſicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Et egredientibus illis ab Hierico, ſecuta eſt eum turba multa. Et ecce duo cæci ſedentes ſecus viam audierunt quia Ieſus tranſiret, & clamaverunt dicentes: Domine miſerere noſtri fili David. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine miſerere noſtri fili David. Et ſtetit Ieſus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri. Miſertus autem eorum Ieſus tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.

(a) SUpra Dominus egit de perventione ad regnum per viam communis ſalutis, & per viam perfectionis, & quia quidam credunt indebite pervenire, ideo repelluntur. Et primo illi qui intendunt venire propter temporis antiquitatem; (a) ſecundo qui propter carnis originem. Secunda ibi, *Et aſcendens Ieſus Hieroſolymam &c.* Primum ergo proponitur ſub parabola patrisfamilias, & conductorum. Primo ponit parabolam; ſecun-

(a) *Al.* ſecundo propter carnis originem.

ſecundo concludit id ad quod prodeſt parabola, ibi, *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*. Parabola duas habet partes. Primo agit de conductione; ſecundo de remuneratione. Secunda ibi, *Cum ſero autem factum eſſet &c.* Circa primum ponuntur quatuor (*a*) conductiones, quæ ſunt invitationes operariorum ad operandum. Secunda ibi, *Et egreſſus circa horam tertiam &c.* tertia ibi, *Iterum autem exiit circa horam ſextam &c.* quarta ibi, *Circa* (*b*) *undecimam vero exiit*. Circa primum tria tangit. Primo tangitur conducens; ſecundo ponuntur conducti; tertio modus conducendi. Secunda ibi, *Qui exiit primo mane conducere operarios*; tertia ibi, *Conventione autem facta &c.* Iſte paterfamilias Deus eſt, cuius familia eſt totus orbis, ſed ſpecialiter creatura rationalis. Et dicitur paterfamilias ex ſimilitudine gubernationis. Sapien. XIV. 3. „ Tu autem „ pater gubernas omnia ſapientia. “ *Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam*. Hic agit de conductis. Primo quæritur quæ ſit vinea, qui operarii, quare conducti. Quid ſit vinea iſta. Secundum Chryſoſtomum iuſtitia eſt, & quot virtutes producit, tot palmites emittit. Cant. VIII. 13. „ Vinea mea coram me eſt. “ Gregorius: „ Per vineam ſignificatur ſancta Eccleſia. “ Eſa. V. 7. „ Vinea Domini exercituum domus „ Iſrael eſt. “ Et diverſi palmites. Operarii vero ſunt qui ab Adam deſcenderunt: unde omnes homines. Gen. II. 15. (*c*) „ Poſuit Dominus Adam in paradiſo, ut ope„ raretur, & cuſtodiret illum. “ Debet enim unuſquiſque operari iuſtitiam, & excolere eam, & habere curam de proximo. Eccli. XVII. 12. „ Deus mandavit unicuique „ de proximo ſuo. “ Spiritualiter prælati ſunt operarii. Eſa. LXI. 3. „ Et vocabuntur „ in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini „ ad glorificandum. “ Dicuntur autem conducti qui pro merito operari debent, & quaſi mercenarii. Iob VII. 1. „ Militia eſt „ vita hominis ſuper terram, & ſicut mer„ cenarii dies eius. “ Sicut enim mercenarius non ſtatim accipit mercedem, ſed expectat; ſic nos in vita iſta. Sed ad hoc quod ſit bonus mercenarius, oportet quod laboret ad commodum domini ſui; ſic ſi laboremus in vinea Eccleſiæ, totum referre ad Deum debemus. Unde I. Corinth. X. 31. „ Omnia ad gloriam Domini facite. “ Item primo excolit, & poſt comedit; & ſic oportet quod primo excolamus, & præparemus aliorum ſalutem; poſt temporalia quæramns. Supra VI. 33. *Primum quærite regnum Dei, & omnia hæc adiicientur vobis*. Luc. XVII. 8. (*d*) „ Præcinge te, & miniſtra mihi, donec „ manducem, & bibam, & poſt hæc tu mandu„ cabis, & bibes. “ Item tertio requiritur quod tota die occupetur in labore; ſic cultor vineæ Domini modicum tempus expendat in his quæ ad ipſum pertinent; ſed neceſſarium eſt quod expendamus totum tempus in ſervitio Dei. I. ad Corinth. XV. 58. „ Ab„ undantes in opere Domini ſemper. “ Item verecundatur apparere coram domino niſi bene fecerit; ſic etiam non debet hic apparere coram Domino niſi cum opere bono. Exod. XXIII. & XXXIV. 20. „ Non apparebis „ coram me vacuus. “ Sed videamus quid ſit mane. Totum (*e*) tempus huius ſæculi eſt unus dies. Pſal. LXXXIX. 4. „ Mille anni „ tamquam dies heſterna, quæ præteriit. “ Diverſæ horæ ſunt diverſæ ætates. Prima ab Adam uſque ad Noe, & in illo tempore monuit Dominus & per nuntios, & per apparitiones ire in vineam iuſtitiæ. Vel poteſt dici, quod tota vita hominis eſt unus dies. Mane huius diei eſt pueritia. Pueritia enim virens eſt ſicut herba: unde aliqui vocantur a pueritia, ſicut vocati ſunt a pueritia Hieremias, Daniel, & Ioannes Baptiſta. Ideo dicit: *Qui exiit primo mane &c.*

Conſequenter determinatur de modo conductionis: unde dicit: *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno*. Per denarium iſtum ſignificatur vita æterna, quia denarius ille valebat decem denarios uſuales. Item habebat impreſſam ſimilitudinem Regis. Unde quod ſignificatur per iſtud denarium, conſiſtit in obſervatione decalogi. Supra XIX. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Item habet ſimilitudinem Dei. I. Ioan. III. 2. „ Cum apparuerit, ſimiles ei „ erimus. “

Conſequenter agit de ſecunda (*f*) conductione: *Et egreſſus circa horam tertiam &c.* Si accipiamus diem unum, totum ſæculum, ſicut prima hora ſignificat tempus ab Adam uſque ad Noe, ſic ſecunda a Noe uſque ad Abraham. Antequam promiſſiones factæ ſint de Chriſto, tunc per Angelos monuit multos, & habuit multos etiam qui monebant alios. Sed ſi ad vitam unius hominis, hora tertia eſt adoleſcentia: quia ſicut hora tertia diei ſol incipit caleſcere, ſic in adoleſcentia incipit irradiare ſol intelligentiæ. Item incipit tunc calere. Iac. I. 11. „ Exortus eſt cum ardore. “ Et iſtos invenit

(a) *Al.* conditiones. (b) Al. *Circa horam undecimam &c.* (c) *Al.* Quia poſuit. (d) *Al.* „ Miniſtra „ mihi &c. & poſt comedes, & bibes. (e) *Al.* templum. (f) *Al.* conditione.

in foro, & otioſos. (a) Iſtud forum, ſecundum illud, eſt vita præſens. Forum autem dicitur locus in quo litigatur, forum dicitur in quo venditur, & emitur; & ſignificat vitam præſentem, quæ litigiis plena eſt, emptione, & venditione. I. Ioan. v. 19. „ Mundus totus in maligno poſitus eſt. " Et iſti otioſi erant, quia iam partem vitæ ſuæ amiſerant. Dicuntur enim otioſi non ſolum qui male faciunt, ſed etiam qui bonum non agunt. Et ſicut otioſi non (b) conſequuntur finem, ſic nec iſti. Finis hominis eſt vita æterna: qui ergo operatur eo modo quo debet, habebit eam, ſi otioſus non fuerit. Eccli. XXXIII. 29. „ Multa mala do„ cuit otioſitas. " *Et dicit eis: Ite & vos in vineam meam.* Quia Deus ſecundum iuſtitiam retribuit. I. Reg. XXVI. 23. „ Deus „ retribuet ſecundum iuſtitiam. " Cum iſtis non convenit (c) de denario. Quare cum primis, & non cum iſtis? Ratio eſt ſecundum quod refertur ad ætatem ſæculi. Quia Adam peccaturus erat, ideo poſſet excuſari ſi non ſciviſſet ſuam remunerationem; ſed ſcivit, quia guſtavit. Item ei qui meliores habet ſenſus ſuos, magis innoteſcit veritas. Cum ergo ſenſus meliores Adam habuerit, verius ei innotuit. Sed cum aliis non convenit, quia ſemper pluſquam promittat ſolvit. Eſa. LXIV. & I. Cor. II. 9. „ Oculus „ non vidit abſque te, quæ præparaſti dili„ gentibus te. " Item primi conducti fuerunt ad totam diem: ergo totam mercedem debent habere: ideo promittitur eis denarius diurnus, qui erit plena merces. Sed aliter non dat totam Deo; ideo non convenit cum eo, quia poterat eſſe quod ferventius operabitur, & ſic magis retribuetur; vel ita negligenter, quod non merebitur: ideo dicit: *Et quod iuſtum fuerit dabo vobis*: quia ſi recuperent tempus amiſſum, habebunt mercedem plenam. I. ad Cor. III. 13. „ Uniuſcuiuſque opus manifeſtum erit; „ dies Domini declarabit. " Item primos invitavit ad eundum, ſed iſti ſpontanee iverunt: quia in pueris non eſt diſcretio; ideo ſi faciant aliquod bonum, plus videtur eſſe a Spiritu ſancto quam a diſcretione; ſed in adoleſcentia homo movetur proprio conſilio. Item de primis dicitur quod miſit eos; de iſtis quod ſpontanee iverunt.

Iterum autem exiit circa horam ſextam, & nonam. Secundum quod dies dicitur ſæculum, ſic hora ſexta fuit ab Abraham uſque ad David, & nona a David uſque ad Chriſtum. Sed quare coniungit duas horas? Quia tunc fuit populus diſtinctus, ſcilicet Iudaicus, & Gentilis. Unde poteſt dici quod hora ſexta eſt iuventus, quia ſicut in medio die eſt ſol iu ſui perfectione, ſic homo in iuventute: nona autem hora eſt ſenectus. Et coniungit iſtas duas, quia idem eſt modus vivendi in utraque.

Circa vero undecimam horam exiit. Ponitur quarta (d) conductio: & tria facit. Primo reprehendit; ſecundo (e) excuſant; tertio invitantur. Secunda ibi, (f) *Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit*; tertia ibi, *Ite & vos in vineam meam.* Dicit ergo: *Circa undecimam vero horam exiit.* Nona hora eſt tempus Chriſti. Unde I. Ioan. II. 18. dicitur: „ Filioli, „ noviſſima hora eſt. " Et ad Hebr. I. I. „ Olim loquens Deus patribus in prophetis, „ noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in „ Filio. " Eſa. LII. 6. „ Ecce ego qui lo„ quebar, (g) adſum. " Vel poteſt dici ſenium, ſive decrepita ætas: quia quidam in peccato perdurant uſque ad ætatem decrepitam. Pſal. LXXXIX. 6. „ Veſpere decidat, „ induret, & areſcat. " *Et invenit alios ſtantes.* Alios invenit in foro, iſtos non. Ratio eſt, ſecundum Philoſophum, quia differentia eſt inter adoleſcentes & ſenes: quia adoleſcentes toti ſunt in ſpe, ſenes non in ſpe, ſed in memoriis. Unde illi in foro inveniuntur primi quaſi volentes acquirere; iſti autem inveniuntur ſtantes, quaſi non volentes acquirere, ſed acquiſitum obſervare. Item vidit primos, & non increpavit; iſtos autem vidit, & increpavit: quia primi adhuc infirmi ſunt, & dominantur paſſiones in eis, ideo excuſandi ſunt, quod non expendunt tempus in ſervitio Dei; ſed ſenes abundant ſenſibus, ideo ipſos increpat. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Prov. XII. II. „ Qui „ ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt. " Et XXVIII. 19. „ Qui ſectatur otium implebitur egeſta„ te. " Sequitur eorum excuſatio: *Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit.* Si referamus ad ſtatum ſæculi, ſic iſti ſignificant gentilem populum, qui non ſerviunt Deo, ſed idolis. Sed excuſantur, quia prophetas non habuerunt, ſicut Iudæi. Unde Pſal. CXLVII. 20. „ Non fecit taliter omni nationi, & iudi„ cia ſua non manifeſtavit eis. " Vel ſecundum quod refertur ad ætatem hominis, ſignificatur quod quibuſdam non datur occaſio revertendi ad Deum uſque ad ſenium. Et ratio eſt, quia omnia tempus habent. Vel poteſt contingere ex diſpenſatione divina, quia „ diligentibus Deum omnia co„ operantur in bonum: " Rom. VIII. 28. Unde

(a) *Al.* Iſtud forum eſt vita præſens. Forum dicitur locus &c. (b) *Al.* conſequentur. (c) *Al.* cum denario. (d) *Al.* conditio. (e) *Al.* excuſant. (f) Al. *Dicit eis* (g) *Al.* ecce adſum.

Unde novit Domious qood ſi ante vocaſſet eos, ooo ſtetiſſent. Tuoc ergo conducuntur quaodo conſentiunt, & efficaciter magis reſurgunt. Unde dicit: *Ite & vos in vineam meam*. Unde licet ſint decrepiti, vult tamen omnes ſalvos fieri, I. ad Tim. II. Item primis præmium promiſit, iſtis noo: quia illis debebatur, quia mane ſervierunt ei; iſtis autem debetur ex ſola miſericordia. Sapien. IV. 13. „ Conſummatus in brevi, „ complevit tempora multa. “

Cum ſero factum eſſet &c. Hie agit de remuneratione. Et ponitur primo remuneratio; ſecundo murmuratio; tertio reſponſio. Circa primum duo facit. Primo pooitur tempus; ſecundo perſona committens; tertio perſooa cui committitur. Tempus pooitur: *Cum ſero factum eſſet &c.* Et poteſt intelligi vel de ſioe ætatis, vel de ſine ſæculi. Pſal. XXIX. 6. „ Ad veſperum demorabi„ tur fletus: “ quia deficit lux mundi. Et dicitur, *Sero*, quia in mundo iſto fiet iudicium. *Dixit dominus vineæ precuratori ſuo*. Dominus eſt tota Trioitas: *dixit procuratori*, Chriſto. Et datur ei poteſtas reſuſcitandi, poteſtas iudicandi, & tangitur ordo iudicii. Tangitur poteſtas, *Voca operarios*; ideſt, mortuos reſuſcita. Ioan. V. 28. „ Omnes qui io „ mooumentis ſunt, audient vocem Filii „ Dei. “ Poteſtas iudicandi: *Redde illis mercedem*; ideſt, ſis iudex: unde dat poteſtatem iudicandi. Ioao. V. 27. „ Dedit ei iudicium „ facere, quia Filius homiois eſt. “ Conſequenter tangitur ordo: *Incipiens a noviſſimis uſque ad primos*. Et hoc poteſt retorqueri ad ætatem ſæculi. *Incipiens a noviſſimis*, ſcilicet ab his qui ſacramentis imbuti ſunt: unde maior gratia eis data eſt quam primis. Ephe. III. 5. „ Aliis geoerationibus non eſt agni„ tum, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis A„ poſtolis eius. “ Uode abuodaotius collata fuit eis, licet aliqua perſona io veteri teſtamento habuerit quo ad aliquid maiorem gratiam. Ioan. VII. 39. „ Nondum erat ſpi„ ritos datus, quia Ieſus nondum erat glorifi„ catus: “ ooo qoia noo datus fuerit Spiritus ſanctus, ſed quia tunc abundantius. Vel poteſt retorqueri ad ætatem hominis: quia qui in decrepita ſunt ætare, citius moriuotur, & citius remuneraotur. Vel poteſt eſſe quod ex fervore recuperent rem prius amiſſam, ut legitur de latrooe. Quantum ad utrumque dicit Chryſoſtomus, quod illud homo facit liberalius qood facit ex miſericordia, quam quod alio modo: ideo deſignatur quædam gratificatio, & gaudium. Luc. XV. 10. „ Gaudium eſt in cælo ſuper „ uoo peccatore pœoitentiam agente. “

Deinde ſequitur executio: *Cum veniſſent qui circa undecimam horam venerant*, vel Chriſtiani, vel homines in decrepita ætate, *receperunt ſingulos denaries*. Apoſtolus I. Corinth. III. 8. „ Quilibet propriam mercedem ac„ cipiet, ſecundom ſuum laborem. “ *Venientes autem & primi* (non retorqueatis ad tempus ſæculi, quia Iudæi) *arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi*, eo quod plus habebant in alio ſæculo. *Acceperunt autem & illi ſingulos denarios*, quia ſingulas ſtolas habuerunt.

Sed quid eſt? Nonne omnes æqualiter habebunt gloriam? Dico quod quaorum ad aliquid erit par retributio, quantum ad aliqoid non: quia beatitudo poteſt cooſiderari quantum ad obiectum, & ſic eſt una omnium beatitudo; vel quantum ad participationem obiecti, & ſic non omoes æque participabunt, quia non ita clare videbuot. Ioan. XIV. 2. „ In domo Patris mei manſiones „ multæ ſunt. “ Et eſt ſimile ſicut ſi multi vadant ad aquam, & unus ferat maius vas quam alter: fluvius totum ſe exponit, noo tamen omnes deferunt æqualiter. Sic qui animam habet caritate magis dilatatam, magis accipiet &c. Eccli. XI. 24. „ Beoedi„ ctio Dei in mercedem iuſti feſtinat, & „ in honore veloci proceſſus illius fructifi„ cat. “

Et accipientes murmurabant adverſus patremfamilias dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt &c. Supra poſita eſt remuneratio; hic ponitur quorumdam murmuratio.

Sed hic eſt quæſtio duplex, quia dicit quod accipientes ſingulos denarios murmurabant. Per denarium intelligitur vita æterna. Eſt ne credendum quod accepta remuneratione aliquis murmuret? Non enim videtur, quia runc eſſet ibi peccatom, ut habetur I. ad Cor. X. 10. „ Neqoe murmuraveritis. “

Chryſoſtomus dicir, quod non eſt vis facienda in eo quod dicitur, ſed propter quod dicitur. Unde intelligendum eſt quod tanta erit remuneratio quod ſi poſſibile eſſet, murmurarent. Vel poteſt intelligi in mundo iſto. Gregorius dicit, quod iſta murmuratio nihil aliud eſt quam remunerationem differri: quia ſancti qui ultimo venerunt, ſtatim receperunt præmium, ſed primi diu expectaverunt. Unde II. ad Cor. VI. 13. „ Eam„ dem habeotes remunerationem tamquam „ filiis dico, dilatamini & vos &c. “ Unde illi murmuraot, quia ſtatim oon acceperunt; iſti autem noo, quia ſtatim. Hilarius, & Hieronymus dicunt ſic. Aliquando Scriptora loquitur de toto oumero populi, aliquando ex perſona bonorum, aliquaodo malo-

lorum, ut dicitur Hier. xxvii. quod omnis populus inſurrexit in eum, & omnis populus liberavit. Hic accipitur omnis populus pro parte populi. Sic in primo tempore aliqui fuerunt boni, & non omnes; ideo attribuitur aliquid ratione bonorum, aliquid ratione malorum, non quod tunc, ſed ante murmurabant: quia populus Iudæorum murmuravit contra gentilem, quod æquaretur ei.

Eſt & alia quæſtio. Quid eſt quod dicit: *Qui portavimus pondus diei & æſtus*? Quia non portaverunt niſi quantum vixerunt, & moderni ſimiliter. Quid ergo eſt quod dicitur?

Tripliciter reſpondetur. Prima reſponſio eſt, quod ſpes quæ differtur affligit animam. Aliqui in principio mundi fuerunt qui portaverunt pondus: quia ſciverunt ſuam retributionem differri; ideo dicuntur portaſſe pondus diei. Vel poteſt referri ad Iudæos, qui portaverunt pondera legis, de quo pondere dicit Pet. Act. xv. 10. „ Hoc eſt „ onus quod nec nos, nec patres noſtri por„ tare potuimus. “ Gentiles autem tale pondus non portaverunt, quia legi ſubiecti non fuerunt. Vel, ſecundum Gregorium, quia primi homines longiori tempore vixerunt, unde vivebant nongentis annis, ideo gravius pondus tulerunt.

At ille reſpondens uni illorum, dixit. Hic ponitur reprehenſio. Et primo oſtendit ſuam iuſtitiam, & ſuam miſericordiam; ſecundo remunerationis æquitatem. Circa primum tria. Primo negat iniuſtitiam; ſecundo inducit pactum; tertio inducit retributionem factam. Dicit ergo: *At ille reſpondens uni illorum*: & adde, & omnibus, quia omnes unam cauſam habebant: *dixit, Amice*. Amicum vocat, quia ipſum ad ſe traxerat. Deut. iv. 37. „ Elegit ſemen eorum poſt eos. “ *Non facio tibi iniuriam*: quia quod meum eſt, do iſti, non quod tuum eſt; ideo non facio tibi iniuriam. Iob viii. 3. „ Numquid Omnipotens ſubvertit iudicium? “ Deinde commemorat pactum: *Nonne ex denario conveniſti mecum?* ideſt, pro ſalute conſequenda. Gen. xv. 1. „ Ego Dominus mer„ ces tua magna nimis. “ *Tolle quod tuum eſt*, ideſt quod ex promiſſione mea habes, *& vade*, in gloriam. II. ad Tim. 1. 12. „ Scio cui credidi, & certus ſum quia pot„ ens eſt depoſitum meum ſervare in illum „ diem. “ Quidam exponunt ſic. *Tolle quod tuum eſt*, ideſt damnationem pro murmure, *& vade*, in ignem æternum. Sed hoc non poteſt eſſe, quia dicit quod acceperunt ſingulos denarios. Conſequenter ponit miſericordiam impenſam, dicens: *Volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi*. Et circa hoc duo facit. Primo ponit miſericordiam; ſecundo facultatem miſerendi: *Volo autem huic noviſſimo*, ideſt gentili, *dare ſicut & tibi*. Ad Rom. iii. 9. „ Quid ergo? Præcedimus? „ Nequaquam. “ Sed poſſent iſti dicere: Tu non potes. Immo dicit: *Aut non licet mihi quod volo facere?* quia licet unicuique facere voluntatem ſuam de ſuo. Si enim eſſet debitor alterius, non liceret ei facere, ſimiliter ſi eſſet ſub altero; ſed ipſe eſt dominus, ideo poteſt plus dare. Balivus enim non poteſt dare aliquid niſi ſecundum merita; Rex autem poteſt ſine meritis: (*a*) ſic Deus, qui eſt omnium dominus, poteſt. Pſal. cxiii. 11. „ Omnia quæcumque voluit fe„ cit. “ Ad Rom. ix. 19. “ Voluntati eius „ quis reſiſtit? “ (*b*) Hic notandum, quod in eo quod ex miſericordia datur, non eſt acceptio perſonarum, quia de eo quod pure meum eſt poſſum dare cui volo abſque acceptione perſonæ. Unde dicit: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Conſtat quod murmur præcedens non fuit ex defectu domini, ſed ex miſericordia alii impenſa; ideo ex miſericordia, & bonitate: ſed nequam eſt proprie qui de bonitate dolet; ideo dicit: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* eo quod circa te iuſtitiam oſtendi, circa alterum miſericordiam? Conſtat autem iſtud eſſe ex bonitate. Et ſupra vi. 22. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*. De bonitate Domini in Pſal. lxxii. 1. „ Quam bonus Iſrael Deus his qui recto „ ſunt corde! “

Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Hic concludit id pro quo tota parabola inducta eſt. Et primo ponit concluſionem; ſecundo removet falſam opinionem. Dicit: *Sic erunt noviſſimi primi*. Dupliciter poteſt legi ſecundum Chryſoſtomum. Ideſt, noviſſimi primis (*c*) æquabuntur, ita quod non erit differentia; & hoc reſpondet huic quod dictum eſt, quod ſinguli receperunt ſingulos denarios: nec erit differentia ſecundum tempus. Vel aliter, ideſt illi qui ſunt noviſſimi, erunt primi. Deut. xxviii. 44. „ Advena „ erit ſuper te, & erit in caput, tu in „ caudam. “ Vel aliqui qni erant primi, propter negligentiam fient noviſſimi; & hoc præcedenti reſpondet, quia inceperunt a noviſſimis. Sed poſſet aliquis dicere: Nonne omnes primi ſalvabuntur? Dicit: *Multi ſunt vocati*,

(a) *Al.* ſed. (b) *Al.* Item. (c) *Al.* æquabantur.

vocati, pauci vero electi: quia qui fide credunt, omnes vocati ſunt, ſed illi electi qui bona opera faciunt; & iſti ſunt pauci, ut ſupra VII. 14. *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam*.

(b) In parte præcedenti repulit Dominus intendentes venire ad gloriam propter temporis antiquitatem; hic repellit eum qui intendit venire propter carnis originem. Primo ergo ponitur occaſio petitionis; ſecundo petitio; tertio reſponſio. Occaſio fuit denuntiatio paſſionis Chriſti. Et primo denuntiat locum; ſecundo paſſionem; tertio reſurrectionem. Dicit: *Et aſcendens Ieſus Hieroſolymam &c.* Supra XIX. dictum eſt, quod relicta Galilæa venit in Iudæam, & non ſtatim aſcendit Hieroſolymam, ſed poſtmodum imminente paſſione. Unde dicit, *Et aſcendens*; ideſt, cum erat in promptu aſcendendi. Hieroſolyma erat locus altus. *Accepit duodecim diſcipulos ſecreto &c.* Et quare dicit, *Secreto*? Propter duo. Primo quia magna eis oſtendere volebat, ideo omnibus non erant communicanda. Supra XIII. 11. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum*. Item propter vitandum ſcandalum: quia viri qui nondum perfecti erant, averſi fuiſſent ab eo, ſi audiſſent mortem eius; mulieres provocatæ fuiſſent ad lacrymas. Item ſciendum quod Iudas nondum malum conceperat; ideo Dominus eum a ſocietate non repulit. *Et ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam &c.* Hic notatur firmitas ſui propoſiti: unde, *Ecce*; ideſt, ſum in eodem propoſito, & in eadem voluntate, quia non mutor. Eccli. XXVII. 12. „ Stultus ut luna mu„ tatur, ſapiens autem in ſapientia manet „ ſicut ſol. “ Item propria voluntate. Eſa. LIII. 7. „ Oblatus eſt, quia ipſe voluit. “ Tangit locum, quia *Hieroſolymam*. Lucæ XIII. 33. „ Non capit prophetam perire extra Hie„ ruſalem. “ Et quare? Quia erat locus (*a*) legalis, & ſacerdotalis; & utrumque conveniebat Chriſto: quia ſicut ſacerdos verus debebat (*b*) immolare pro populo, ſic & Chriſtus hoſtiam obtulit pro mundo. Item per paſſionem regnum acquiſivit. Item Hieroſolyma interpretatur viſio pacis. Ad Coloſſ. I. 20. „ Pacificans per „ ſanguinem crucis eius ſive quæ in terris, „ ſive quæ in cælis ſunt. “ Conſequenter prænuntiatur paſſio. Et frequenter commemoravit ſuam paſſionem, ut eam reduceret ad memoriam. Et tangit tria ad paſſionem pertinentia. Quia paſſus eſt a diſcipulo traditionem: *Et Filius hominis tradetur*, ſcilicet a diſcipulo. De iſta traditione habetur infra XXVII. 10. & in Pſal. XL. 10. „ Qui edebat pa„ nes meos, magnificavit ſuper me ſupplan„ tationem. “ Item a principibus ſacerdotum, & ſcribis condemnationem: unde: *Et condemnabunt eum morte*. Iob XXXIV. 17. „ Quomodo tu eum qui iuſtus eſt, intan„ tum condemnas? “ Sap. II. 20. „ Morte „ turpiſſima condemnemus eum. “ *Et tradent eum gentibus*: quia Iudæi in manus gentium eum tradiderunt: unde dixit Pilatus (Ioan. XVIII. 35.) „ Gens tua, & ponti„ fices tui tradiderunt te mihi. “ Et tria tangit quæ fecerunt ei, contra tria quæ maxime appetunt homines; ſcilicet honorem, quietem, & vitam. Contra honorem, illuſus eſt: unde dicit, *Ad illudendum*. Hier. XX. 7. „ Factus ſum in deriſum tota die. “ Et in Pſal. XXXVII. 12. „ Amici mei, & proximi mei „ adverſum me appropinquaverunt, & ſte„ terunt. “ Contra quietem, flagellatus eſt: unde, *Ad flagellandum*. Eſa. L. 6. „ Faciem „ meam dedi percutientibus, & genas meas „ vellentibus. “ Item contra tertium, occiſus: unde, *Et crucifigendum*. Ad Philip. II. 8. „ Chriſtus factus eſt pro nobis obediens „ uſque ad mortem, mortem autem crucis. “ Deinde agit de reſurrectione: *Et tertia die reſurget*. Hoc autem fecit Deus Pater: unde Act. II. 24. „ Quem Deus ſuſcitavit ſo„ lutis doloribus inferni, iuxta quod impoſ„ ſibile erat teneri illum ab eo. “ *Et tertia die*. Secundum Auguſtinum ſignificatum eſt, quod ſuum ſimplum deſtruxit noſtrum duplum. Oſeę VI. 3. „ Vivificabit nos „ poſt duos dies, & die tertia ſuſcitabit „ nos. “

Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi. Hic ponitur petitio occaſionata. Et primo ponitur petitio in generali; ſecundo (*c*) explicatur, ibi, *Ait illi &c.* Dicit ergo: *Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi*. Filii iſti fuerunt Ioannes, & Iacobus, mater eorum fuit Salome: unde Salome nomen eſt mulieris. In Marco habetur quod filii petierunt; hic habetur quod mater: ſed verum eſt quod mater petiit inducta a filiis. *Adorans*, quia cum humilitate petiit: ſciebat enim quod ſemper Deo placet humilis deprecatio. Pſal. CI. 18. „ Reſpexit in orationem humilium. “ Et Iudith IX. 1. „ Et proſternens ſe Domino, „ clamabat ad Dominum. “ *Et petens aliquid*, dari, *ab eo*; ideſt, rogo (*d*) te ut des id quod volo. Et hæc petitio non eſt admittenda, & qui hoc concedit, fatue concedit. Legitur de Herode, quod iſtud conceſſit filiæ

(a) *Al.* legis. (b) *Al.* immolari. (c) *Al.* explicatus dies &c. *Tunc acceſſit &c.* (d) *Al.* deeſt te.

liæ Herodiadis, & non revocavit. Salomon autem matri conceſſit; ſed quia ſapiens fuit, incautum promiſſum revocavit. Ideo Chriſtus ſapientior his, noluit concedere niſi exprimeretur. Supra XII. 42. *Et ecce pluſquam Salomon hic*. Ideo ſequitur explicatio petitionis: *Et ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tuo.*

Sed eſt quæſtio, unde hæc mulier hoc conceperat. Audierat de paſſione, & reſurrectione: unde aliquid carnale conceperat, quod ſtatim cum gloria deberet eſſe in Hieruſalem; ideo petere voluit filiis ſuis eminentiam. Item audierat quod duodecim erant iudicaturi; ideo præponere ſuos volebat: unde ad litteram intelligebat. Et ſciendum, quod Iacobus, & Ioannes magis honorabantur a Chriſto poſt Petrum; ideo Petrum voluerunt excludere. Aliter dicit Chryſoſtomus, quod iſta petiit aliquid ſpirituale, & in hoc fuit laudanda: quia matres plus petunt temporale quam ſpirituale: unde mater ſi videat filium peccantem, non tantum dolet quantum ſi videt infirmantem: unde per dexteram ſpiritualia ſignificantur, terrena per ſiniſtram. Vel poſſumus intelligere per dexteram, & ſiniſtram, activam vitam, & contemplativam; ideo petit iſtos perfici in utraque vita. Cant. II. 6. „ Læva eius „ ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. “

Reſpondens autem Ieſus dixit. Hic ponitur reſponſio; deinde murmur aliorum, ibi, *Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus*. Et circa primum tria facit. Primo increpat eorum ſtultitiam; ſecundo examinat eorum promptitudinem, ibi, *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum*? tertio repellit petitionem, ibi, *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.*

Sed quid eſt? Ipſi non petebant, ſed mater. Novit Dominus, quod illa petebat inducta ab illis, ideo eis reſpondet, ſicut ſupra XVI. 23. dixerat Dominus Petro: *Neſcis quid dicis.*

Neſcitis quid petatis; quaſi dicat: Temporalia non debetis petere, ſed excellentiam ſpiritualem. Vel ſi intelligerent ſpirituale, petebant quod ſuper omnem creaturam haberent eminentiam: quia ſedere a dextris nulli creaturæ convenit, ut habetur ad Hebr. I. 13. „ Ad quem Angelorum dixit ali- „ quando: Sede a dextris meis? “ Unde ſedere a dextris excedit omnem creaturam. Vel aliter, ſecundum Hilarium. *Neſcitis quid petatis*: quia iam conceſſi vobis quod petitis, quia dictum eſt ſupra XIX. 28. *Sedebitis ſuper ſedes duodecim &c.* Vel aliter. *Neſcitis*: quia vocavi vos ad dexteram, & vos petitis (*a*) quod unus ſit ad ſiniſtram? Vel diabolus ſicut per mulierem ad ſiniſtram traxerat hominem, volebat iſtos per mulierem reducere ad ſiniſtram. Sed hoc non potuit, ex quo ſalus per mulierem facta eſt. Vel *neſcitis*: quia de præmio contenditis ſine merito præcedente: ideo conſiderare debetis, quod ad præmium non venitur niſi per meritum; ideo volo vos primo examinare ſi poteſtis pati &c. Unde dicit: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum*? Hic examinat eos, & provocat eos ad paſſionem leviter, quia paſſionem nominat calicem. De iſto dicitur in Pſal. CXV. 13. „ Calicem ſalutaris accipiam. “ Et ſequitur: „ Pretioſa in conſpectu Domi- „ ni mors ſanctorum eius. “ Et dicitur calix, quia inebriat. Item dicit: *Quem ego bibiturus ſum*. I. Petr. II. 21. „ Chriſtus paſ- „ ſus eſt pro nobis, vobis reliquens exem- „ plum, ut ſequamini veſtigia eius. “ *Dicunt ei, Poſſumus*. Et quare ſic reſpondent? Propter tria. Primo ex amore ad Chriſtum, quia ita adhærebant Chriſto quod mors eos ab ipſo ſeparare non poſſet, ſicut dixit Petrus, infra XXVI. 35. *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Item ex ignorantia, quia vires ſuas non conſiderabant; quia quibus aliquando ante factum videtur leve, in ipſo actu deficiunt. Item dixerunt ex cupiditate aſſequendi quod petierant. Unde credebant ſtatim aſſequi quod petebant; ideo ſtatim concedunt: *Poſſumus* hoc ex cupiditate.

Conſequenter repellit petitionem. Et primo futuram paſſionem prænuntiat; ſecundo reſpondet ad petitionem. Dicit ergo: *Calicem meum bibetis.*

Sed quid eſt? Verum eſt quod Iacobus bibit, unde in Act. XII. 2. „ Occidit autem „ Iacobum fratrem Ioannis gladio. “ Sed Ioannes eſt mortuus ſine calice paſſionis.

Sed dicendum, quod non bibit uſque ad mortem, ſed flagellatus fuit, in oleo poſitus, & relegatus. Item multas pœnas paſſus eſt; & ſic non fuit immunis a potu calicis.

Sedere autem ad dexteram. Hic reſpondet ad petitionem gloriæ. Si dixiſſet Dominus, Dabo vobis, triſtati eſſent alii; ſi negaſſet, ipſi effecti eſſent triſtes: ideo dixit: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a*

Patre

(a) *Al.* quod unus ad ſiniſtram.

Digitized by Google

Patre meo. Ex hoc loco argumentati ſunt Arriani, quod non eſt æqualis dignitas Patris & Filii. Hieronymus, & alii exponunt, quod ipſe dat cum Patre. Unde vult dicere: *Non eſt meum dare vobis*; quaſi dicat: Eminentia dignitatis non datur perſonæ, ſed merito, & hoc ſecundum prædeſtinationem divinam. I. Cor. 11. 9. „ Oculus non vidit, „ nec auris audivit, nec in cor hominis „ aſcendit, quæ præparavit Deus diligenti- „ bus ſe. “ Ioan. XIV. 3. „ Si abiero, & „ paravero vobis locum &c. “ Unde ex quo parat Pater, & ipſe. Vel *non eſt meum dare vobis*, ſine meritis. Sed perſonis ex merito acquirentibus; ſed meum ex prædeſtinatione, quæ eſt mihi a Patre meo. Et Auguſtinus ſic. Salome erat ſoror matris Chriſti; & quia credebant impetrare per perſonam magis coniunctam, ideo credebant quod deberet eis dare, quia coniuncti ei erant ſecundum carnem. Sed in ipſo in una perſona erant duæ naturæ: unde dicit: *Non eſt meum*, ſcilicet ſecundum poteſtatem quam habeo a Patre; ideo dabo ſecundum quod diſpoſuit Pater meus.

Audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus. Supra Dominus repreſſit indiſcretam petitionem diſcipulorum; hic ponit indignationem aliorum. Et primo ponitur indignatio; ſecundo reprimitur verbo; tertio facto. Secunda ibi, *Ieſus autem vocavit eos ad ſe, & ait*; tertia ibi, *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*. Conſiderandum, quod ſicut ex quadam elatione duo fratres ſuperiores eſſe volebant, ſic ex quadam elatione iſti indignati ſunt. Proverb. 1. 10. „ Inter „ ſuperbos ſemper ſunt iurgia. “

Sed quare de duobus fratribus? Quia non ipſi petierunt, ſed mater. Sed intellexerunt diſcipuli ex verbis Domini, quod mater petierat ad vocem eorum.

Sed quare non (*a*) ante ſunt indignati? Dicit Chryſoſtomus quod reverebantur magiſtrum: unde expectabant ſententiam Domini. Sed quando audierunt magiſtrum reprehendentem, tunc indignati ſunt.

Conſequenter reprehendit eos: & primo ponit in medium exemplum gentilium; ſecundo docet exemplum non eſſe ſequendum, ibi, *Scitis quia principes gentium dominantur eorum*; tertio ponit quod eſt imitandum, ibi, *Non ita erit inter vos*. Dicit ergo: *Ieſus autem vocavit eos*, dans humilitatis exemplum. Supra 11. 29. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Et ait: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum*. Apud Iudæos gentiles abominabiles erant, ut habetur ſupra XVIII. 17. *Sit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*: unde horrorem incutit: *Principes gentium dominantur eorum*: ut notetur quod hoc exemplum non eſt imitandum. Sed notandum, quod duplex eſt præeminentia, ſcilicet dignitatis, & poteſtatis; & utramque tangit, cum dicit: *Principes gentium dominantur eorum &c.* Illi ſunt principes qui ex officio præſunt.

Sed quid eſt? Numquid dominari eſt malum? Dominari aliquando dicitur pro præeſſe; & ſic non accipitur hic: aliquando prout correlative ſe habet ad ſervum: unde idem eſt quod ſerviliter ſibi ſervum ſubiicere; & ſic ſumitur hic. Principes enim inſtituti ſunt ad hoc ut bonum procurent ſubditis. Si vero volunt eos in ſervitutem redigere, tunc abutuntur, quia utuntur liberis ut ſervis. Liber enim eſt qui eſt cauſa ſui, ſervus qui cauſa alterius. Et (*b*) quia hoc conſuetum eſt apud gentiles, & adhuc eſt apud aliquos, ideo dicit: *Principes gentium dominantur eorum*; ideſt, in ſervitutem redigunt ſubditos. Ezech. XXII. 27. „ Principes tui in medio „ eius quaſi lupi rapaces. “

Item aliqui habent eminentiam non in dignitate, ſed in poteſtate, ut aliqui nobiles. Et conſuetum eſt quod qui poteſtatem habent, non utuntur ad beneficium, ſed *poteſtatem exercent in eos*, ſcilicet ad opprimendum, non ad iuſtitiam. Sed Dominus illam conſuetudinem non vult in Eccleſia ſua, ideo dicit: *Non ita erit inter vos*; ideſt, non debet aliquis eſſe inter vos quaſi dominativus. I. Pet. V. 3. (*c*) „ Neque ut dominantes cle- „ ris. “ *Sed quicumque*. Contra hæc duo, dicit duo: *Sed quicumque voluerit inter vos maior fieri*; & iſtud refertur ad ſecundum dictum, ſcilicet, *Et qui maiores ſunt poteſtatem exercent inter eos*; ideſt, ſic deſideret quis habere præſidentiam in Eccleſia Spiritus ſancti ut ſit ſicut miniſter. I. Petr. IV. 10. „ Unuſquiſque ſicut accepit gratiam in al- „ terutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni „ diſpenſatores: “ ut quantum plus habebis, plus in utilibus expendas. Ideo *qui voluerit maior fieri inter vos*, ideſt in Eccleſia, fiat ut miniſter, ideſt miniſtret in neceſſitate aliorum. Quantum autem ad id quod dicitur: *Principes gentium dominantur eorum*: dicit: *Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus*; ideſt, ſi aliquis deſiderat habere primatum in Eccleſia, ſciat quod illud non eſt habere dominium, ſed ſervitutem. Servi enim eſt quod totum ſe ad ſervitium domi-

(a) *Al.* *deeſt* ante. (b) *Al.* quia conſuetum eſt. (c) *Al.* „ Numquid dominari nos? “

Domini impendat : (*a*) ſic prælati Eccleſiæ totum quicquid habent, quicquid ſunt, ſubditis debent. I. ad Cor. IX.19. „ Cum eſſem „ liber ex omnibus, omnium me ſervum feci. “ II. ad Cor. IV.5. „ Nos autem ſervos ve- „ ſtros per Ieſum. “ Unde, ſecundum Chryſoſtomum, miſerum eſt. Ita ergo dictum eſt, quod non eſt agendum ſecundum conſuetudinem gentilium. Quia ergo poſſent dicere, Quid ſequemur? dicit: Sequimini me, & oſtendit ſe miniſtrum, dicens: *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.*

Sed contra. Nonne babetur ſupra IV. 11. quod *acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*? Unde Ioan. XII. 2. dicitur, quod „ Martha „ miniſtrabat. “ Dico, quod licet miniſtratum fuerit ei, non tamen ad hoc venit. Sed ad quid? Ut ipſe miniſtraret; ideſt abundantiam gloriæ aliis impenderet. Apoſtolus Rom. XV. 8. „ Dico autem Chriſtum Ieſum „ miniſtrum fuiſſe circumciſionis. “ Et in Luc. XXII. 27. „ Ego ſum in medio veſtrum „ ſicut qui miniſtrat. “

Sed dices: Eſt ne ſervus, cum ſit princeps? Ita. Servus enim dicitur qui accipitur in pretium, & ipſe fecit ſe pretium, & dedit ſe redemptionem pro multis: unde *venit miniſtrare, & dare animam ſuam*, ideſt vitam corporalem, *redemptionem pro multis*. Non dicit pro omnibus, quia quantum ad ſufficientiam, pro omnibus; quantum vero ad efficientiam, pro multis, ſcilicet pro electis. Unde Ioan. XV. 13. „ Maiorem carita- „ tem nemo habet ut animam ſuam (*b*) po- „ nat quis pro amicis ſuis. “ Hier. XII. 7. „ Dedi dilectam animam meam in mani- „ bus inimicorum eius. “ *Et egredientibus illis ab Hierico, ſecuta eſt eum turba multa.* Repreſſa eſt indignatio diſcipulorum verbo; hic reprimit facto, miniſterium in aliquos exercendo. Et primo ponitur devotio aliorum; ſecundo Chriſti miſeratio, ibi, *Et ſtetit Ieſus, & vocavit eos*. Circa primum primo ponitur devotio turbæ; ſecundo cæcorum, ibi, *Ecce duo cæci &c.* Dicit ergo: *Et egredientibus illis ab Hierico, ſecuta ſunt eum turba multa*. Quia multi ſequebantur, ideo erat Dominus ſolicitus, ſicut multa ſeges eſt ſolicitudo colligentis. Sed ſecundum myſterium, Hierico defectus dicitur: & ſignificat defectum mundi. Unde niſi veniſſet Dominus ad iſtos defectus, homines non veniſſent ad eum. Unde *ſecuta ſunt eum turba*, quaſi oves eius. Ioan. X. 27. „ Oves meæ vocem „ meam audiunt, & ſequuntur me. “ Sequitur devotio cæcorum: *Et ecce duo cæci &c.* Et primo ponitur devotio; ſecundo conſtantia, ibi, *Turba autem increpabat eos ut tacerent*.

Sed hic eſt quęſtio: quia in Luc. XVIII. legitur, quod unus cæcus fuit tantum qui occurrit ei; & hic dicitur quod duo, qui Domino exeunte de Hierico occurrerunt ei in exitu. Sed Marcus convenit cum Luca, quod erat tantum unus, & ita Matthæus diſcrepat ab utroque.

Auguſtinus dicit, quod iſte cæcus, de quo Lucas ſcribit, fuit alius ab his, quia occurrit ei antequam intraret Hierico. Sed Marcus, & Matthæus dicunt, quod egrediente de Hierico. Sed quod Marcus non dixerit duo, ſicut Matthæus, ratio eſt, quia unus erat magis notus & famoſus, & propter famam miraculum erat magis famoſum. Et hoc patet, quia nominat eum, quod vocatur Bartbimæus; & non nominantur in Scriptura niſi homines multum noti.

Per iſtos cæcos ſignificantur duo populi, ſcilicet populus Iudæorum, & populus Gentilium, qui ſedebat ſecus viam, quæ eſt Chriſtus. Eſa. XXX. 21. „ Hæc eſt via, am- „ bulate per eam. “ Vel ſignificantur converſi ex utroque populo, qui ſedent ſecus viam, ideſt Chriſtum. Ioan. XIV. 6. „ Ego „ ſum via, veritas, & vita. “ Audierunt per prædicationem, quod tranſiret ſecundum naturam humanam Ieſus, ut mortem ſubiret, ut curaret infirmos; ideo *exclamaverunt dicentes: Domine miſerere noſtri fili David*. Cauſa exauditionis non fuit altitudo vocis, ſed fervor devotionis. Pſal. CXIX. 1. „ Ad Do- „ minum cum tribularer clamavi, & exau- „ divit me. “ Item fatentur ipſum eſſe Deum, & hominem. Deum, quia dicunt, *Domine*. Pſal. XCIX. 3. „ Scitote quoniam Domi- „ nus ipſe eſt Deus. “ Et petunt quod eſt proprium Deo, ſcilicet *Miſerere noſtri*. Pſal. CXLIV. 9. „ Miſerationes eius ſuper omnia „ opera eius. “ Item dicunt ex ſemine David; & in hoc confitentur humanitatem.

Conſequenter ponitur conſtantia eorum: & primo ponitur impedimentum; ſecundo conſtantia. Dicit ergo: *Turba autem increpabat eos ut tacerent*, ut poſſibile erat: quia in iſta turba aliqui erant qui venerabantur Chriſtum, & hi increpabant eos, quia vile reputabant quod viles perſonæ ad tantum virum accederent; illi vero qui Chriſto derogabant, increpabant, quia audiebant id quod audire nolebant: dolebant enim quod vocabant eum filium David. Hier. XXIII. 5. „ Suſcitabo David ſervum meum. “ Myſtice ſigni-

(*a*) *Al.* ſicut. (*b*) *Al.* ponat pro amicis.

ſignificatur quod aliqui excæcati per peccatum, clamant ad Dominum: *Miſerere noſtri*; ſed turba cogitationum carnalium, & hominum carnalium increpant eos venire ad Chriſtum. Iob xx. 2. „ Ideo cogitationes variæ ſuccedunt ſibi, & mens in diverſa rapitur. “ Sed homo contra hoc debet eſſe conſtans, & viriliter pugnare, & laborare, ſicut docet Apoſtolus II. ad Tim. II. 3. „ Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. “ Sed verbum Dei non alligatur verbis hnminum; & ideo ſequitur: *At illi magis ac magis clamabant*.

Et ſtetit Ieſus. Hic ponitur miſericordia Domini, & oſtenditur, quia ſtetit. Et quare ſtetit? Quia via lapidoſa erat, & cavernoſa; ideo ſtare voluit, quia ſi procederent, forte lædi poſſent. Secundum myſterium, quia veniendo in mundum commovit ad petendum, ſed ſalutem dedit ſtando. Unde per incarnationem homines promoventur, ſed per eum docentem, & perſeverantem ſanantur. Sequitur, *Vocavit eos*. Sed quare vocavit? Ut alii facerent eis viam; & ſignificat illos quos Dominus vocat per prædeſtinationem. Ad Rom. VIII. 29. „ Quos præſcivit, & prædeſtinavit. “ Item exquirit voluntatem: *Quid vultis ut faciam vobis*? Non petiit ut ipſe ſciret, ſed ut daret intelligere quod pie petentibus ſatisfecit. Pſal. CXLIV. 19. „ Voluntatem timentium ſe faciet. “ *Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri*. Et hoc eſt iuſtum ut quilibet peccator hoc petat. Pſal. CXVIII. 18. „ Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua. “ Et alibi, Pſal. XII. 4. „ Illumina oculos meos. “ Confitebantur Deum, dicendo, *Domine*; & hominem, vocando filium David: ideo miſertus eſt eorum. Omnia enim ex ſua miſericordia facit. Thren. III. 12. „ Miſericordia Domini eſt quod non ſumus conſumpti. “ *Tetigit oculos eorum, & confeſtim viderunt*. In hoc quod tetigit oculos eorum, & confeſtim viderunt, tangitur humanitas, & divinitas Chriſti. Quod enim tetigit, opus fuit humanitatis, ſed quod ſtatim illuminavit, fuit opus divinitatis. Ipſe Dominus tangit per gratiam, ſed illuminat per gloriam. Pſal. CXLIII. 5. „ Tange montes, & fumigabunt. “ Sequitur: *Et ſecuti ſunt eum*: unde non fuerunt ingrati. Multi enim antequam habeant beneficium, ſequuntur Dominum, ſed accepto beneficio dimittunt eum; contra illud Eccli. XXIII. 38. „ Magna eſt gloria ſequi Dominum. “

C A P U T XXI.

(a) ET cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus, & adduxerunt aſinam, & pullum; & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis. Et cum intraſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus propheta a Nazareth Galilææ. Et intravit Ieſus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. Et dicit eis: Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo; & ſanavit eos. Videntes autem principes ſacerdotum, & ſcribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio David: indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Utique. Numquam legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique manſit. Mane autem revertens in civitatem, eſuriit, & videns fici arborem

unam ſecus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea niſi folia tantum; & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuo ficulnea. Et videntes diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuo aruit? Reſpondens autem Ieſus, ait eis: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolum de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

(b) Et cum veniſſent in templum, acceſſerunt ad eum principes ſacerdotum, & ſeniores populi, dicentes: In qua poteſtate hæc facis; & quis tibi dedit hanc poteſtatem? Reſpondens Ieſus, dixit eis: Interrogabo vos & ego unum ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio. Baptiſmus Ioannis unde erat: e cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter ſe dicentes: Si dixerimus, E cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi? Si autem dixerimus, Ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem ſicut prophetam. Et reſpondentes Ieſu, dixerunt, Neſcimus. Ait illis & ipſe: Nec ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operari in vineam meam. Ille autem reſpondens ait, Nolo. Poſtea autem pœnitentia motus abiit. Accedens autem ad alterum dixit ſimiliter. At ille reſpondens ait, Eo domine; & non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei, Primus. Dicit illis Ieſus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei; publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei. Aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus eſt. Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agricolæ, apprehenſis ſervis eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Iterum miſit alios ſervos plures prioribus; & fecerunt illis ſimiliter. Noviſſime autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur forte filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe: Hic eſt heres: venite, occidamus eum; & habebimus hereditatem eius. Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Dicit illis Ieſus: Numquam legiſtis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem vero ceciderit, conteret eum. Et cum audiſſent principes ſacerdotum, & phariſæi parabolas eius, cognoverunt quod de ipſis diceret: & quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam ſicut prophetam eum habebant.

(a) SUpra diviſum eſt Evangelium Matthæi in tres partes. In prima ponit introitum Chriſti in mundum uſque ad tertium capitulum; ſecundo de proceſſu in mundo; in tertia de egreſſu. Completis igitur duabus primis partibus, hic agitur de tertia. Et dividitur: quia primo agitur de quibuſdam præambulis; ſecundo de paſſione Chriſti, & hoc xxvi. capitulo. Et primo ponitur provocatio perſecutorum; ſecundo confortatio diſcipulorum, & hoc xxiv. Confortaverat diſcipulos prædicens futura. Inde provocati fuerunt quidam per eius gloriam, cui invidebant; de hoc agitur in iſto capitulo: aliqui per eius ſcientiam; & de hoc xxii. capitulo. Prima dividitur in duas: quia primo agitur de gloria Chriſti; ſecundo de perſecutorum indignatione, ibi, *Videntes autem principes ſacerdotum, & ſcribæ &c.* Circa primum tria. Primo ponitur gloria Chriſti quæ fuit in via exhibita; ſecundo quæ in civitate; tertio de ea quam poteſtative accepit de templo. Secunda ibi, *Et cum intraſſet Hieroſolymam &c.* tertia ibi, *Et intravit Ieſus in templum*

plum Dei. In via a duobus ei gloria impenſa fuit; ſcilicet per diſcipulos, & per miniſterium turbarum. Secunda ibi, *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via*. Et circa primum tria. Primo ponit mandatum de miniſterio; ſecundo ponitur ratio; tertio mandati executio. Secunda ibi, *Hoc autem totum factum eſt &c.* tertia ibi, *Euntes autem diſcipuli &c.* Circa primum tria. Primo ponitur locus; ſecundo perſonæ quibus fit; tertio mandatum. Locus ponitur cum dicit: *Et cum appropinquaſſent Hieroſolymis &c.* Paulatim Evangeliſta narravit acceſſium Chriſti ad Hieruſalem. Primo narravit quomodo a Galilæa venerat, & quomodo per Hierico, & quomodo ibi cæcos (*a*) illuminaverat, qui erat in confinibus. Poſt dicit: *Cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti*. Et dicitur ſic, quia ibi multæ ſunt olivæ, & diſtat a Hieruſalem per uuum milliare. Bethphage erat vicus ſacerdotalis, quia ſacerdotes ſerviebant templo per hebdomadas. In die autem ſabbati ſacerdos recedens a templo veniebat uſque illuc, quia non debebat ire niſi per mille paſſus. Illi etiam qui ibant ad templum in die ſabbati, inde recedebant. Vel Bethphage idem eſt quod domus maxillarum, quia hoſtiæ maxilla erat portio ſacerdotis. Moraliter Hieruſalem interpretatur viſio pacis, & ſignificat ſocietatem bonorum. Pſal. CXXI. 3. „ Hieruſalem quæ ædi„ficatur ut civitas, cuius participatio eius „ in idipſum. " Unde volens appropinquare Hieruſalem, venit per Bethphage, & per domum confeſſionis. Rom. x. 10. „ Corde credi„tur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad „ ſalutem. " Bethphage ſita eſt in monte Oliveti, ubi eſt abundantia olei. Eſa. v. 1. „ Vi„nea facta eſt in cornu olei. " Per oleum ſignificatur miſericordia, quia habet proprietatem lætificandi. Pſal. CIII. „ Ut exhilaret „ faciem eius in oleo. " Sic miſericoria exhilarat. „ Hilarem enim datorem diligit „ Deus: " II. Corinth. IX. 7. Item valet oleum ad lucernas accendendas. Dominus præcepit quod oleum lucidiſſimum offerretur ei. Item utile eſt ad ſanandum dolores, & ſignificat gratiam Spiritus ſancti, quæ ſanat. Unde dicitur Luc. x. quod Samaritanus infudit oleum, & vinum. *Tunc miſit duos diſcipulos ſuos, dicens illis*: & ſignificavit miſſionem Apoſtolorum in hunc mundum. Ioan. XX. 21. „ Sicut „ miſit me Pater, & ego mitto vos. " Sed duos, ut ſignificaret caritatem, quæ conſiſtit ſaltem inter duos. Unde alibi, Luc. x. 5. „ Mi„ſit eos binos & binos. " Vel ſignificat vitam activam, & contemplativam. Vel duos ordines prædicantium, ſcilicet Iudæorum, & Gentilium. Unde Apoſtolus Gal. II. 8. „ Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu, ope„ratus eſt mihi inter gentes. " Vel duos qui mittendi erant ad gentes, ſcilicet Petrum, & Philippum. Et facit tria. Primo mandat eis ſalutarem diſcurſum; ſecundo dat mandatum de ſalute; tertio de contradicendo. Dicit ergo: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt*. Ad litteram, quoddam erat caſtellum quod ex oppoſito erat, ad ſignificandum mundum, in quem miſit eos Dominus. Mar. ult. 15. „ Euntes in univerſum mundum prædica„te Evangelium omni creaturæ. " Et iſte (*b*) erit contra. Ioan. XV. 19. „ Elegi vos de „ mundo, ideo vos mundus odit. " Dicit ergo: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt*. Aliquid præcipit, & aliquid prænuntiat. Præcipit, *Ite &c.* prænuntiat: *Et invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea*. Alii non faciunt mentionem de aſina. (*c*) Utrumque invenerunt. Moraliter per aſinam, & pullum ſignificantur homines brutaliter viventes, quia quantum ad hoc ſimiles ſunt beſtiis. Pſalm. XLVIII. 13. „ Homo cum in honore eſſet, non „ intellexit; comparatus eſt iumentis inſi„pientibus, & ſimilis factus eſt illis. " Per aſinam ſignificatur Iudæa, per pullum populus gentilis. Et quare per aſinam ſignificatur populus Iudaicus? Quia triplex eſt proprietas aſini. Primo quia eſt animal ſtultum, unde dicitur aſiuus, ideſt inſenſatus. Sic homo inſenſatus eſt relinquens legem Domini. Deut. XXXII. 6. „ Popule ſtulte, & inſipiens. " Item eſt oneribus deputatus; ſic populus Iudaicus oneribus legis eſt gravatus, ut dixit Petrus, Actor. XV. 10. „ Hoc eſt onus quod nec nos, nec „ patres noſtri ferre potuerunt. " Item aſinus eſt animal ignobile; ſic illi ignobiles dicuntur qui contemnunt mandata Domini. Sed ligatam, vinculis ſcilicet ignorantiæ. Sap. XVII. 2. „ Una enim catena tenebrarum „ omnes erant ligati. " Item erant ligati vinculo peccati. Prover. v. 22. „ Iniquitates ſuæ „ capiunt impium. " *Solvite, & adducite mihi*. Hic inducit populi ſalvationem. Solvite a vinculis ignorantiæ per doctrinam. Pſalm. CVI. 14. „ Eduxit eos de tenebris, & umbra „ mortis. " Item ſolvite a vinculis peccatorum: unde Petro dixit ſupra XVI. 19. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Et in Pſal. XXXI. 1. „ Beati quorum remiſſæ „ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt pec„cata. " Unde iſti populum convertentes adduxerunt ad Ieſum. I. ad Corinth. I. 13.

„ Num-

(a) *Al.* illuminat. (b) *Al.* erat. (c) *Al.* Utramque.

„ Numqnid Paulns crucifixus eſt?“ Eſa. lxvi. 19. „ Annuntiabunt gloriam meam in gentibus. “ Sed, ſicut dicit Apoſtolus ad Titum i. 19. oportet epiſcopum habere doctrinam, „ ut ſit „ potens exhortari in doctrina ſana: “ unde quod dicit, *Selvite*, hoc ad doctrinam pertinet; quod vero ſequitur, *Et ſi quis aliquid vobis dixerit, dicite &c.* ad poteſtatem pertinet. Unde *ſi quis dixerit*, contradicendo; ideſt, ſi quis voluerit contradicere, *dicetis quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos*. In hoc oſtenditur virtus Chriſti: quia non propter Apoſtolos dimiſiſſent, niſi hoc fieret opere Chriſti inviſibiliter cor immutantis. Unde dabit intelligere quod ipſe erat Deus, quia ſolius Dei eſt immutare cor: unde cor hominis in manu eius. Item quia dicit, *Confeſtim*, dat intelligere quod ſicut illi ſtatim dimittebant, ipſi etiam ſtatim dimitterent. Vel ad litteram, quia parum tenebit, & ſtatim dimittet, quia ſolum indiget ad diem.

Sed quæſtio eſt ſecundum myſticam expoſitionem. Nonne dicitur: Bonorum noſtrorum non indiget? Dico, quod non indiget niſi ad noſtram neceſſitatem, & ad ſuam gloriam. Ioel. ii. 32. „ Quicumque invocaverit nomen „ Domini, ſalvus erit. “ Omne quod invocat nomen meum.

Hec autem totum factum eſt &c. Hic ponitur ratio mandati. Ne crederet aliquis quod boc factum eſſet ſine ratione, ideo rationem oſtendit: *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam &c.* Iſtud dicit per Zachariam (cap. ix. 9.) Sed ly *ut* non tenetur cauſaliter, ſed conſecutive. Non enim facit, quia Propheta dixerat, ſed potius e converſo: finis enim prophetiæ eſt Chriſtus. *Dicite filia Sion &c.* Annuntiate filiæ Sion, hæc dicitur plebs Hieruſalem, quæ ſubiecta erat monti Sion. Item ſignificatur tota Eccleſia, quia Sion ſpecula interpretatur. „ Annuntiate ſtudia eius „ inter gentes:“ Pſal. ix. 12. Prænuntiatur dignitas: *Ecce Rex tuus*. Iſti Iudæi diu paſſi fuerant tyrannos, unde expectabant Regem, ſicut dictum eſt Hier. xxxv. 5. „ Regnabit Rex, „ & ſapiens erit. “ Et ponit quatuor quæ dignitatem (*a*) Regis commendant; conſequenter quatuor quæ in tyrannis inveniuntur. Primo affinitas, quia magis afficitur homo ad magis coniunctos. Deut. xvii. 15. „ Non poteris ſuper te facere Regem, niſi „ ſit frater tuus. “ Unde dicit: *Ecce Rex tuus*, ideſt de gente tua. Sed quandoque Reges degenerant in tyrannos, quia quærunt utilitatem ſuam, quod eſt contra morem Regis: ideo dicitur, *Venit tibi*, ideſt ad utilitatem tuam. Habac. iii. 13. „ Egreſſus es in „ ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chri„ ſto tuo. “ *Manſuetus*. Manſuetudo pertinet ad Regem, quia infligere pœnam, ferocitatis eſt. Prover. xx. 28. „ Miſericordia, & „ iuſtitia cuſtodiunt Regem. “ Ideo David a populo dilectus fuit, quia manſuetus fuit. Item requiritur humilitas, quia Dominus ſuperbos reſpuit; ideo dicit: *Sedens ſuper aſinam.* Supra xi. 29. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus. Poſtquam poſitum eſt mandatum, hic ponitur executio mandati. Et primo in generali: *Euntes diſcipuli*. Ecce datur obedientiæ mandatum. Exod. xxix. 35. „ Omnia „ quæ præcepit Dominus faciemus. “ Deinde in ſpeciali: *Et adduxerunt aſinam, & pullum*. Per hoc ſignificatur quod converterunt & Iudæos, & Gentiles, ut habetur ad Rom. i. 14. „ Græcis ac barbaris, ſapientibus, & „ inſipientibus debitor ſum. “ *Et impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua*. Veſtimenta ſunt virtutes eorum. Ad Col. iii. 12. „ Induite vos „ ergo ſicut electi Dei ſancti, & dilecti vi„ ſcera miſericordiæ “ Veſtimenta impoſuerunt, quia in exemplum aliis fuerunt, ut dicitur ad Phil. iii. 17. „ Imitatores mei eſto„ te, fratres, & obſervate eos qui ita am„ bulant, ſicut habetis formam noſtram. “ *Et eum deſuper ſedere fecerunt*. Secundum litteram dicitur, quod ſuper utrumque, quia ſuper corda Iudæorum, & Gentilium.

Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via. Poſtquam determinavit de miniſterio diſcipulorum, determinat de gloria turbarum: & primo de gloria quam exhibent ei in opere; ſecundo quam exhibent ei verbo, ibi, *Turba autem .... clamabant*. Et primo *ſtraverunt veſtimenta*; ſecundo *ramos de arboribus*. Et quare? Ad faciendum ei honorem, ſicut magnis hominibus venientibus ſternitur via. Item quia via erat lapidoſa; ideo ne læderetur, ſternebant. Secundum myſterium, diſcipuli ſtraverunt veſtimenta ſuper aſinam, quæ ſignificant virtutes, quas a Deo acceperunt, & iſtas communicaverunt Gentilibus, & Iudæis. Sed veſtimenta turbæ ſunt legalia, quæ propter Chriſtum ſunt diſperſa. Ad Phil. ii. 7. „ Quæ fuerunt mihi lucra, hæc „ arbitratus ſum propter Chriſtum detrimen„ ta. “ Item per veſtimenta, corpora. Apoc. iii. 4. „ Habes paucos in Sardis qui cuſtodie„ runt veſtimenta ſua. “ Illi ergo qui in via ſtraverunt veſtimenta, fuerunt primi martyres. Rom. xii. 19. „ Non defendentes voſmetipſos „ ca-

(a) Al. laudis Regis.

„ cariſſimi, ſed date locum iræ. “ *Alii cædebant ramos de arboribus*. Iſti ſunt rami qui fructificare debebant, per quos ſignificantur ſancti Patres. Ille ergo ramos abſcidit, qui eos ad Chriſtum convertit. Pſal. I. 3. „ Et erit „ tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus „ decurſus aquarum. “ *Turba autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant*. Hic ponitur honor exhibitus ei verbo. Sed a quibus? A præcedentibus, & ſequentibus, ſcilicet ab his qui ante adventum fuerunt, & poſt; & utrique petunt ſalutem, & habent a Chriſto. II. ad Corinth. VI. 13. „ Eamdem ha„ bentes remunerationem. “ Turbæ autem ſalutem petebant: unde *clamabant dicentes*: *Hoſanna filio David &c.* Hæc ſalus incipitur in præſenti, & perficietur in futuro. Supra I. 21. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Unde dicebant: *Hoſanna &c.* Multi dicunt, quod ſignificat redemptionem. Sed idem dicit quod obſecro ſalve: *Anna* affectum dicit obſecrantis. Pſal. XI. 2. „ Salvum „ me fac. “ Et iſtam petunt a filio David. Ita ſcriptum eſt Hier. XXIII. 5. „ Suſcitabo „ David germen iuſtum. “ Et ſequitur: „ In „ diebus illis ſalvabitur Iuda. “ Et poterit hoc facere, quia filius David? Non, ſed quia *venit in nomine Domini*. Quare? Quia venit confitens Dominum. Ioan. V. 43. „ Ego veni in „ nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me. “ Eſt ergo una ſalus, liberatio a peccatis. Eſa. XXXV. 4. „ Ipſe veniet, & ſalvabit nos. “ Item alia ſalus, per quam liberantur ab omni pœna. Eſa. LI. 8. „ Salus autem mea in „ ſempiternum erit, & iuſtitia mea non de„ ficiet. “ Et hoc *in excelſis*; ideſt, des primo ſalutem in terris, & poſtea in cælis.

Et cum intraſſet Hieroſolymam &c. Hic agitur de gloria ei exhibita in civitate. Et primo ponitur admiratio turbarum: *Et commota eſt univerſa civitas*, ideſt admirata. Eſa. LX. V. „ Tunc videbis, & affiues, & mirabitur, „ & dilatabitur cor tuum. “ Pſal. LIX. „ Com„ moviſti terram, & conturbaſti eam. “ *Dicens*: *Quis eſt hic*? Et non eſt mirum ſi iſti mirantur, quia etiam Angeli mirati ſunt in ſua aſcenſione, dicentes: „ Quis eſt hic qui „ venit de Edon, tinctis veſtibus de Boſra? “ Eſa. LXIII. I. Ponitur reſponſio: *Populi autem dicebant*: *Hic eſt Ieſus propheta a Nazareth Galilææ*. Propheta actum denuntiationis ſignificat. *A Nazareth*, quia ibi nutritus erat, & inde magis notus; & ideo dicebatur Nazarænus.

Et intravit Ieſus in templum Dei, & eiecit ementes, & vendentes. Supra oſtendit Evangeliſta gloriam quæ Chriſto exhibita eſt in via, & quæ in civitate; nunc autem de gloria quantum ad ea quæ facta ſunt in templo. Et tria ſunt geſta in templo quæ pertinent ad gloriam Chriſti: quia primo purgavit templum; ſecundo infirmos curavit; tertio ora infantium aperuit. De iſtis per ordinem determinat Evangeliſta. Circa primum primo ponitur viſitatio templi; ſecundo purgatio; tertio reprehenſio Iudæorum. Secunda ibi, *Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes*; tertia ibi, *Dixit eis &c.* Dicit ergo: *Et intravit Ieſus in templum Dei &c.*

Sed quare intrans civitatem, ſtatim venit ad templum? Una ratio, quia venerat ut hoſtia immolanda, ideo primo venit ad locum immolationis; & iſte erat dies ſtatutus in quo agnus præſentari debebat, ut legitur Exo. XII. quod luna decima debebat agnus præſentari, qui debebat occidi quartadecima luna. Sed occiſus eſt in die iovis in ſero: ergo oblatio fieri debuit in ramis palmarum. Secunda ratio, quia oſtendit ſe eſſe filium reverendi Patris, ut reverentiam Patri exhiberet, venit ad domum Patris ſui. Malach. I. 6. „ Si ego pater, „ ubi honor meus? “ Et in hoc datur nobis religionis exemplum, ut cum in civitatem aliquam venimus, quod primo templum adeamus. Pſal. V. 8. „ Adorabo ad templum ſan„ ctum tuum. “ Item egit ut bonus medicus, qui primo obviat cauſæ morbi. Unde ægritudo, & cauſa corruptionis ſpiritualis a templo procedit: quia ſi ſacerdos eſt corruptus, de facili corrumpetur populus. Ideo primo adivit templum, ut curationem adhiberet primo circa templum. Ezech. IX. 6. „ A ſanctuario „ meo incipite. “

Ad intellectum iſtorum debetis intelligere, ut legitur Exo. XXIII. quod omnes filii Iſrael ſemel in anno habebant comparere coram Domino; & non debebant apparere vacui, ſed debebant offerre oblationes ſuas. Et ita erat quod illi qui de prope habitabant, adducebant ſecum animalia ſua, ut ſic lucrarentur. Item quia aliqui non habebant pecuniam, ideo habebant nummularios qui accommodarent non habentibus, (*a*) ut ſic non poſſent ſe excuſare ab oblatione. Sed quia prohibitum erat quod non accommodarent ad uſuram, ideo uſuram non recipiebant, ſed munuſcula quæ coliba dicuntur, ſcilicet uvas paſſas, vel huiuſmodi. Item quia aliqui erant pauperes, qui non poterant habere animalia groſſa, nec eis (*b*) credebantur, ideo habebant miniſtros qui vendebant columbas, & turtures, ne alicui deficeret oblatio. Unde Dominus non reprehendebat oblationes, ſed cupiditatem eorum. Dicit

(a) *Al.* &. (b) *Al.* crederetur.

Digitized by Google

Dicit ergo: *Et eiiciebat ementes, & vendentes*, ad litteram. Vendentes erant miniſtri ſacerdotum. Item habebant nummularios: ideo *menſas nummulariorum evertit, & cathedras vendentium columbas*, ideſt ſedilia in quibus ſedebant. Myſtice in templo, ideſt in Eccleſia, ſunt qui lucris temporalibus inhiant, qui de Eccleſia eiiciuntur: quia „ qui volunt divites „ fieri, incidunt in tentationem, (*a*) & in „ laqueum diaboli: " I. ad Tim. vi. 9. Nummularii poſſunt dici diaconi, quibus datur adminiſtratio temporalium, ut habetur Act. vi. Unde cum officium diſpenſationis retorquent ad quaeſtum, debent eiici de Eccleſia. Per columbam intelligitur Spiritus ſanctus: unde vendentes columbas ſunt praelati vendentes dona ſpiritualia, ut ordinem, vel huiuſmodi. Act. viii. 20. „ Pecunia tua tecum ſit in perdi„ tionem. " Item poteſt exponi quod unuſquiſque eſt templum Dei. I. ad Corin. iii. 16. „ Neſcitis quia templum Dei eſtis vos? " Unde debet unuſquiſque expellere a ſe venditionem, & emptionem, ut non ſerviat Deo propter divitias; item avaritiam, quae per nummularios; item ſimoniae pravitatem; evellere etiam appetitum ſimoniae a corde, qui per cathedras ſignificatur.

Sed hic eſt quaeſtio litteralis: quia habetur in Ioan. ii. quod ante traditionem Ioannis factum fuit iſtud miraculum; hic autem habetur quod imminente paſſione. Dicit Auguſtinus, quod bis factum eſt iſtud miraculum: ideo magis ſunt culpabiles, cum alias reprehenſi fuiſſent.

Item cum eſſet homo deſpectibilis, & humilis, quomodo hoc potuit facere contra voluntatem ſacerdotum, & magnorum? Hieronymus dicit, quod hoc eſt unum maximum miraculum quod Dominus fecerit, & quod virtus quaedam radiabat a vultu ſuo, per quam terrebat homines quando volebat.

Et dixit eis: Scriptum eſt &c. Hic reprehendit eos: & primo in hoc quod pertinet ad dignitatem templi; ſecundo per hoc quod pertinet ad uſum. *Scriptum eſt*, ſcilicet Eſa. lvi. 7. *Domus mea domus orationis eſt*. Expoſitio huius habetur III. Reg. viii. 27. (*b*) ubi dicitur: „ Cum caeli caelorum capere te non poſ„ ſunt, quanto magis domus haec quam aedi„ ficavi tibi? " Unde non dicitur domus Domini, quia ibi corporaliter inhabitet, ſed quia locus eſt deputatus ad orandum Deum. Sicut aliquis dominus habet locum ubi petitiones recipit, & exaudit: ſic templum eſt locus ubi Dominus vota fidelium audit. Eccleſia (*c*) noſtra ſpecialiter dicitur domus, quia ibi habitat corporaliter in ſacramento Chriſtus Deus. Pſalm. cxlvii. 20. „ Non fecit taliter omni „ nationi. " Unde Auguſtinus in Regula: „ In oratorio nihil aliud fiat, niſi ad quod „ deputatum eſt. " Conſequenter reprehendit eos quantum ad uſum: *Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum*: (*d*) quia ea quae religionis ſunt, in quaeſtum convertunt: & latrones in ſpeluncis latitant, ut ſpolient tranſeuntes, & ſibi acquirant quod non eſt ſuum.

Acceſſerunt autem ad eum caeci, & claudi. Hic ponitur quod ad gloriam Chriſti pertinet quantum ad infirmorum curationem. Caeci vero qui in templo ſunt, ſignificant eos qui excaecati ſunt per ignorantiam. Eſa. lix. 10. „ Pal„ pavimus ſicut caeci parietem. " Claudi dicuntur qui per vias ambulant iniquorum. III. Reg. xviii. 28. „ Ut quid claudicatis in duas „ partes? " Et iſti accedunt ad Chriſtum in templo, & ſanat eos. Et congruit huic facto locus: per quod ſignificatur quod morbi ſpirituales non curantur niſi in Eccleſia. Facto oſtendit, quia pueri clamaverunt ſupra: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Eſa. xxxv. 4. „ Ecce Dominus veniet, & ſalvabit nos. „ Tunc aperientur oculi (*e*) eorum. "

Sequitur indignatio ſacerdotum: unde dicit: *Videntes autem principes ſacerdotum, & ſcribae .... indignati ſunt*. De talibus dicitur II. ad Tim. iii. 13. „ Semper proficiunt in „ peius. " Et primo ponitur reprehenſio; ſecundo inquiſitio; tertio reſponſio. Circa primum tria. Primo ponitur cauſa indignationis; ſecundo ponitur indignatio; tertio ponitur confutatio. Unde: *Videntes mirabilia quae fecit*, ſcilicet caecos illuminari &c. & non minus fuit quod ementes, & vendentes eiecit. Hoc enim videntes dicebant ad eum converſi: „ Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcru„ tata eſt ea anima mea: " Pſal. cxviii. 129. Item videntes *pueros clamantes Heſanna &c.* debebant moveri ad reverentiam. Supra xi. 15. *Abſcondiſti ea a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Marc. iv. 12. „ Ut vi„ dentes non videant. " Unde iſti pueri laudabant; ſed iſti ſapientes indignati ſunt, & dixerunt ei: *Audis quid iſti dicunt?* quaſi dicerent: Non eſt iuſtum quod homo purus ſuſtineat laudari ut Deus. Act. xii. quia Herodes ſuſtinuit ut honoraretur ut Deus, ideo percuſſus eſt ab Angelo, & conſumptus vermibus expiravit: in quo datur nobis exemplum quod ſi laudamur ſupra nos, quod non debemus ſuſtinere. Sed ipſe non poterat laudari ſupra ſe, quia ipſe Deus erat. Sequitur reprobatio: & primo reprobantur verbo; ſecundo

(a) *Al.* & laqueos. (b) *Al.* unde dicit. (c) *Al.* veſtra. (d) *Al.* qui ea quae religioſis ſunt. (e) *Ibi*, caecorum.

cundo facto: *Ieſus autem dixit eis*, *Utique*. Dominus valde ſapienter reſpondet. Intendebant quod ſi reprimeret pueros, quod ipſi haberent propoſitum; ſi non, haberent accuſationem erga eum. Sed Dominus ita ſapienter reſpondet quod nec pueros reprobavit, nec ipſi habuerunt unde calumniari poſſent. Unde dixit, *Utique* audio, ſed nihil contra me dicunt. Sed David dicit (Pſal. VIII. 4.) *Ex ore infantium*, *& lactentium perfeciſti laudem*. Non dicit, Dixiſti, ſed *Perfeciſti*, quia quod tales pueri laudant Deum, hoc eſt ex divina inſpiratione: „ quia Dei perfecta ſunt opera: " Deut. XXXII. 4. Unde non ex induſtria, ſed a Spiritu ſancto. Sap. x. 21. „ Qui linguas „ infantium facit diſertas. "

Sed quomodo dicit infantes? Quia tales non poſſunt loqui, ergo nec laudare. Dico, quod non dicuntur infantes propter ætatem, ſed propter ſimplicitatem, quia a malitia immunes, Apoſtolus I. Corint. XIV. 20. „ Nolite pueri „ effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote. " Item lactentes dicuntur, quia a miraculis commovebantur. In miraculis commoveri eſt quidem ut lac, quia lac abſque difficultate bibitur; ſic iſti cum dulcedine per miraculum adducuntur ad fidem. Ad Heb. v. 12. „ Facti „ eſtis quibus lacte opus eſt, non ſolido cibo. "

Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam. Hic confutat facto. Et primo facto quod fit circa ſe; ſecundo facto quod fit circa ficulneam. Dicit ergo quod *relictis illis abiit foras*. Et derelictio illa fuit ſignum quod ipſi derelinquerent eum. Hier. LI. 9. „ Curavimus Babylonem, & non eſt curata. " Et tranſit in Bethaniam, in domum obedientiæ: ibi enim moratur Ieſus, ad Rom. VI. *Et manſit ibi*: quia in obedientibus ſibi manet. Act. v. 29. „ Obedire oportet Deo ma- „ gis quam hominibus. " Et non ſolum in Bethaniam, ſed in quemcumque obedientem. Unde Ioan. XIV. 15. „ Si quis diligit me, ſermo- „ nem meum ſervabit. " Et ſequitur: „ Et „ manſionem apud eum faciemus. " *Mane autem revertens in civitatem*, *eſuriit*. Hic ponitur confutatio ſub quodam figurali facto: & primo ponitur factum; ſecundo diſcipulorum admiratio. Circa primum primo ponitur occaſio miraculi faciendi; ſecundo ſterilitas arboris; tertio maledictio; quarto effectus. Dicit ergo: *Mane revertens in civitatem*, *eſuriit*. Per hoc ſignificatur ſolicitudo quam habebat de ſalute Iudæorum. Unde mane venit ſicut operarius ſolicitus de dieta ſua, ſicut ſupra XX. 1. quod „ ſimile eſt regnum cælorum pa- „ trifamilias, qui exiit primo mane condu- „ cere operarios in vineam ſuam. " *Eſuriit*, & corporaliter, & ſpiritualiter: quia ſemper deſiderat facere voluntatem Patris. Ioan. IV. 34. „ Meus cibus eſt ut faciam volunta- „ tem eius qui miſit me. " Item corporaliter. Sed quomodo? Cum eſſet Deus, omnia in poteſtate ſua habebat: unde quando volebat, ieiunabat. Unde ſupra IV. 2. *Ieiunavit quadraginta diebus*, *& noctibus*; ſed quando voluit, *eſuriit*. *Et videns fici arborem*. Sed quare magis in ficu hoc miraculum fecit? Quia arbor humidiſſima eſt. Unde quod ſtatim aruit, evidentiſſimum fuit miraculum. Et ſignificat Iudæam propter duo: tum quia ficus profert groſſos, qui citius matureſcunt: & iſti fuerunt Apoſtoli, qui maiores fuerunt. Item fructus iſte ſub una cortice multa habet grana, ſicut ſub una lege fuerunt multi. Et iſta erat *ſecus viam*, idest Chriſtum, quia in expectatione fuit, & non voluit ad viam venire. Ipſe enim eſt via. Ioan. XIV. 6. „ Ego ſum „ via, veritas, & vita. " Et Eſa. XXXVI. 21. „ Hæc via, ambulate per eam. " *Venit ad eam*. In Marco habetur quod venit ad videndum ſi aliquid inveniret.

Sed quid eſt? Tunc non erat tempus ficuum. Dicendum, quod aliquando Scriptura aliquid ponit non quod ita ſit, ſed propter aliquem effectum: unde non venit ut quæreret, ſed venit propter ſuſpicionem diſcipulorum: unde venit propter miraculum exercendum. Venit ad eam, quando viſitavit Iudæam. Luc. I. 78. „ Viſitavit nos oriens ex alto. " Iſta habet folia, ſcilicet obſervantias legales. Sed non fructum. Sic aliqui quamdam ſpeciem honeſtatis habent, licet interius mali & perverſi ſint.

Sequitur maledictio: *Et ait illi*: *Numquam ex te fructus naſcatur*. Videtur quod iniuſte egerit, quia non erat tempus ficuum. Item videtur quod intulerit iniuriam poſſeſſori. (a) Vide quod ſicut verba Domini ſunt quædam figura, ſic facta. Aliquando Dominus vult manifeſtare ſuam doctrinam, & tunc manifeſtat eam in hominibus: aliquando ſuam potentiam punitricem, & tunc manifeſtat eam in aliis. Unde exercuit ibi poteſtatem, ut oſtenderet quod Iudæa ſterilis futura eſſet, ſicut habetur Rom. XI. Sic aliquando contingit quod aliqui mali interius, exterius autem virentes, ſiccantur a Domino, ne alios corrumpant. I. Timoth. III. 8. „ Homines corrupti mente, „ & reprobi circa fidem, ſed ultra non proficient. " Luc. XIII. 7. „ Ecce tres anni „ ſunt ex quo venio quærens fructum in fi- „ culnea hac, & non invenio. Abſcinde eam. "

(a) *Al.* Unde.

Digitized by Google

Sequitur effectus: *Et areſacta eſt continuo ficulnea*. Pſal. xxi. 16. „ Aruit tamquam teſta virtus mea: “ quia in tempore diſcipulorum Iudaiſmus aruit, & poſt legalia aruerunt creſcente Evangelio. „ Et ipſi facti ſunt abominabiles, terra fructifera verſa eſt in amaritudinem a malitia inhabitantium in ea: “ Pſal. cvi. 34.

Et videntes diſcipuli mirati ſunt. Hic primo ponitur admiratio; ſecundo admirationis ſatisfactio. Dicit: *Et videntes diſcipuli mirati ſunt*. Sicut mirantur homines quando videtur animus bonus, & cito areſcit; ſic iſti mirantur quomodo tam cito aruit. *Reſpondens autem Ieſus &c.* Hic ſatisfacit: & primo oſtendens virtutem fidei: unde dicit: *Amen dico vobis*. Supra eamdem ſententiam poſuit; ſed hic exponit: unde dicit: *Si habueritis fidem, & non haſitaveritis*: quare fides firma debet eſſe ſine hæſitatione: Iac. i. 6. „ Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: “ *non ſolum de ficulnea facietis*. Ipſe enim per fidem inhabitat in homine, & operatur in homine: ideo ſicut ipſe facit & ille in quo habitat. *Si dixeritis monti huic, Tolle, & iacta te in mare, fiet*. Quidam dicunt, quod numquam factum eſt. Dicit Hieronymus quod multa fecerunt Apoſtoli quæ ſcripta non ſunt. Item ſi non legitur ab eis factum, legitur ab aliis viris apoſtolicis fuiſſe factum, ut de quodam Gregorio narrat, ut dictum eſt ſupra. Item Dominus non dixit quod fieret, ſed quod poſſet, ſi neceſſitas eſſet; ſed neceſſitas non ſe obtulit. Spiritualiter per montem intelligimus diabolum. Unde ſi diabolo dixeritis: *Iacta te in mare*, ideſt in infernum, *ita fiet*. Vel *in mare*, ideſt in malos homines. Vel per mare ſuperbia. Pſal. lxxxix. 2. „ Antequam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, a ſæculo, & uſque in ſæculum tu es Deus. “ Unde ſi dixeritis ſuperbo: *Tolle*, a iuſtis, *& iacta te in mare*, ideſt in malos homines. Vel per montem Chriſtus: unde *ſi dixeritis monti huic*, ideſt Chriſto, *Tolle te*, ſcilicet a Iudæis, *& iacta te in mare*, ideſt in gentiles, qui ſunt (*a*) mare per turbulentiam. Act. xiii. 46. „ Quia indignos vos reputaſtis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. “ Item tangit fidei virtutem quantum ad orationem: quia *quacumque petieritis in oratione credentes, accipietis*. Supra vii. 7. *Petite, & accipietis*.

(b) Hic reprehendunt inquirendo. Et primo ponitur inquiſitio; ſecundo confutatio, ibi, *Reſpondens Ieſus dixit eis*. Circa primum duo. Et primo ponuntur interrogationes; ſecundo Chriſti reſponſiones. Et primo ponitur interrogatio Iudæorum; ſecundo Chriſti, ibi: *Reſpondens autem Ieſus dixit eis: Interrogabo vos &c.* Dicunt ergo: *In qua poteſtate hæc facis?* Ipſe eiecerat ementes, & vendentes de templo; item fecit miracula: ideo petunt in qua poteſtate hæc faciat. Chryſoſtomus dicit, quod in mundo erat duplex poteſtas, ſcilicet regia, & ſacerdotalis: unde quantum ad primum petunt: Unde profiteris hanc poteſtatem habere? Item quantum ad ſecundum: Quis dedit tibi hanc poteſtatem? Habes ne a ſacerdote, vel a Deo? Sic enim erat quod filii ſuccedebant ſacerdotibus in poteſtate. Quis dedit tibi? Non habes hoc a Cæſare, non a ſacerdote. Unde Chryſoſtomus: „ Omnis homo, qualis eſt opinio de aliquo apud eum, talem eum exiſtimat. “ Ideo quia ipſi non habebant opinionem bonam de Chriſto, ideo &c. Vel ad factum miraculorum poteſt retorqueri. Eſt poteſtas Dei, & poteſtas diaboli. Iob xli. 24. „ Non eſt poteſtas in terris quæ huic valeat comparari. “ Unde *in qua poteſtate hoc facis*? (*b*) Dei, an diaboli? Sed Origenes obiicit, quod ſi in poteſtate diaboli faceret, non diceret. Ideo aliter exponit: quia dicit quod poteſtas Dei multiplex eſt: quædam in generali, multæ in ſpeciali, ut quædam ad hoc, quædam ad illud. Unde petunt in qua poteſtate, ideſt in quo gradu poteſtatis, ut de prophetis. Quidam enim habuerunt unam poteſtatem, quidam aliam. Secundum Chryſoſtomum, quando aliquis interrogat ut diſcat, tunc ei reſpondenda eſt veritas; ſed quando ut tentet, tunc reprehendendus eſt, & confutandus. Sic Dominus, quia ſciebat quod tentabant, dixit: *Interrogabo vos & ego unum ſermonem. Baptiſmus Ioannis unde erat: e cœlo, an ex hominibus?* Baptizavit Petrus, nec dicitur baptiſmus Petri, & baptizavit Ioannes, & dicitur baptiſmus Ioannis: quia in baptiſmo Ioannis totum factum erat hominis, ſed in baptiſmo Petri remittebantur peccata, quod per hominem fieri non poterat. Ioan. i. 33. „ Ille ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, ille eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. “ Licet enim Ioannes baptizaret, non tamen a ſe: unde Ioan. i. 33. „ Ipſe qui me miſit baptizare in aqua, dixit mihi &c. “

Conſequenter agitur de reſponſionibus. Et primo de reſponſione Iudæorum; ſecundo Chriſti. Verum eſt quod minores crediderunt; ſed phariſæi indignati ſunt: ideo ſi dicerent quod ex hominibus, ſequeretur eorum confuſio. Item omnes habebant Ioannem ſicut prophetam. Supra xi. 7. *Quid exiſtis in deſertum* vi-

(a) *Al.* in mare. (b) *Al.* an Dei.

uidere? &c. *Et reſpondentes dixerunt, Neſcimus.* Mentiuntur. Pſal. xxvi. 12. Mentita eſt ini- „ quitas ſibi. “ Conſequenter ponitur reſponſio Chriſti: *Nec ego dico vobis.* In quo habetur exemplum, quod qui non vult dicere quod ſcit, quod Dominus abſcondit alia ab eo: nnde Sap. vii. 13. „ Sine fictione didici, & ſi- „ ne invidia communico. “

Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios &c. Supra Dominus inquiſitionem repreſſit ſua interrogatione; hic inquirentes redarguit: & primo de inobedientia; ſecundo de malitia: & hoc, ſecundum duas parabolas, quarum ſecunda aliam exponit, & declarat. Circa primum duo. Primo ponit parabolam; ſecundo expoſitionem, ibi, *Dicit illis Ieſus &c.* Circa primum tria. Primo committit audientibus iudicium; ſecundo narrat factum; tertio requirit ſententiam. Dicit: *Quid vobis videtur?* Magnum eſt teſtimonium pro eo quod iudicium adverſariis committit. Iob vi. 29. „ Reſpondete, obſecro, abſque „ contentione, & quod iuſtum eſt iudicate. “ Deinde proponit factum: *Homo quidam habebat duos filios.* Iſte homo, Deus eſt; duo fiiii ſunt dno populi. Eccli. xxxiii. 15. „ Intuere in „ omnia opera Altiſſimi, duo contra duo, unum „ contra unum. “ Vel duo genera hominum, iuſti, & peccatores. Non dicuntur inſti quicumque, ſed qui profitentur ſe iuſtos; & peccatores non quicumque, ſed qui pœnitentiam agunt. Vel iſti duo filii ſunt clerici, & laici. Agitur ergo de obedientia: & primo ponitur mandatum; ſecundo recuſatio; tertio impletio. *Et accedens ad primum.* Primus eſt populus gentilium, qui incepit a Noe, ſicut populus Iudæorum ab Abraham. Item primus dicitur gens laicorum, quia clerici ſunt propter laicos ad informandum eos. Unde acceſſit ad primum, ideſt ad populum gentilem per internam inſpirationem, vel per manifeſtationem Angelorum. *Dixit: Fili, vade operari hodie in vineam meam.* Vinea Dei inſtitia eſt. Operare ergo in vinea, ideſt opera fac iuſtitiæ. Et dicit, *Hodie*, quaſi per totum tempus vitæ tuæ. Et quando dixit? Quando interius inſpiravit dando lumen rationis. Pſal. iv. 6. „ Multi dicunt: Quis oſtendit nobis „ bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vul- „ tus tui, Domine. “ Conſequenter ponitur recuſatio: *Ille autem reſpondens ait, Nolo.* Hoc nihil aliud eſt quam contemnere mandata Dei. Iob xxi. 14. „ Scientiam viarum tuarum no- „ lumus. “ Poſt ſequitur adimpletio: *Poſtea autem pœnitentia motus, abiit.* Hier. xxxi. 19. „ Poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam. “

Sequitur inobedientia ſecundi: & primo ponitur mandatum; ſecundo tranſgreſſio. Dicit: *Accedens ad alterum*, hoc eſt Iudaicum populnm (a) vel ad clerum, vel qui iuſtos ſe dicunt, *dixit ſimiliter. At ille reſpondens ait, Eo domine.* Profitetur iuſtitiam ſe ſervaturum. Unde dicit populus Iudaicus (Exod. xxiv. 35.) „ Omnia quæcumque præceperit Dominus „ faciemus. “ Sic etiam dicunt clerici, & quicumque religioſi. Unde promiſit ire. *Et non ivit.* Malach. ii. 8. „ Vos autem receſſiſtis „ de via, & ſcandalizaſtis plurimos, irritum „ feciſtis pactum: dicit Dominus exercituum. “ Tunc expetit ſententiam: *Quis ex duobus voluntatem fecit patris?* Primus non promiſit, ſed fecit; ſecundus promiſit, ſed non fecit. *Quis ex iſtis fecit voluntatem patris?* Reſpondent, & dicunt ei, *Primus*: quia „ melius eſt „ non vovere, qnam poſt votum promiſſa non „ reddere: “ Eccli. v. 4. Et II. Pet. ii. 21. „ Me- „ lius eſt viam veritatis non agnoſcere, quam „ poſt agnitionem retrorſum abire: “ eſt enim ibi duplex peccatum; peccatum inobedientiæ, & tranſgreſſio voti. Conſequenter adaptat parabolam: & primo ponit præeminentiam Gentilium ad Iudæos, vel laicorum ad clericos; ſecundo rationem aſſignat. Dicit illis: *Amen dico vobis, quod publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Simile dictum eſt ſupra xx. 16. *Et erunt noviſſimi primi.*

Chryſoſtomus quærit quare magis ponit publicanos, & meretrices quam alios. Reſpondet, quod per publicanos intelligit peccatores. Peccatum publicanorum eſt avaritia: qnia cum tributa recipiunt, multa ſibi acquirunt, & ultra quam commiſſum ſit ſibi, rapinnt. Sed peccatum hominum eſt avaritia; peccatum mulierum eſt luxuria cum ſint otioſæ; & multa mala docuit otioſitas. Ezech. xvi. 46. „ Hæc fuit iniquitas Sodomæ, abundan- „ tia panis, & otium. “

Præcedent vos in regno Dei; ideſt, magis appropinquant ad regnum. Snpra xii. 41. *Viri Ninivitæ præcedent vos &c.* Sequitur ratio. Et primo dicit, quod Iudæi inobedientes fuerunt; ſecundo quod publicani obedierunt; tertio quod non ſecuti ſunt eum. Dicit: *Venit Ioannes ad vos in via iuſtitiæ*, quia in iuſtitiæ viam duxit: vel *in via iuſtitiæ*, quia viam iuſtitiæ obſervavit, ſcilicet viam pœnitentiæ, *& non credidiſtis.* Dicebant enim ei (Ioan. i. 21.) „ Elias es tu? “ Et cum dixiſſet, Non, dixerunt: „ Quid ergo baptizas? “ *Publicani autem, & meretrices crediderunt ei.* Et hoc habetur ſupra iii. quod venerunt ad Ioannem ut baptizarentur. *Vos autem videntes*, alios ſci-

(a) *Al. deeſt* vel ad clerum.

licet converti, & implere quod mandaverat, *nec pœnitentiam habuiſtis, ut poſtea crederetis ei*. Ille enim eſt peſſimus qui de facto ſuo non pœnitet. Hierem. VIII. 6. „ Nnllus eſt qui „ agat pœnitentiam de peccato ſuo, dicens, „ Quid feci? “

Aliam parabolam audite. Dominus interrogaverat de baptiſmo, & noluerunt reſpondere; modo autem occulte interrogat ut non percipiant, ideo diſſerit parabolam, & facit duo. Primo ponit parabolam; ſecundo exquirit eorum ſententiam, ibi, *Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis*? Circa primum duo. Primo ponitur beneficium exhibitum; ſecundo ponitur requiſitio recompenſationis, ibi, *Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet &c.* tertio ponit ingratitudinem, ibi, *Et agricolæ apprehenſis ſervis eius &c.* Circa primum tria. Primo ponitur plantatio vineæ; ſecundo eius ornatio; tertio eius locatio. Dicit ergo: *Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam &c.* Simile ponitur Eſa. V. 1. ubi dicitur: „ Vinea facta eſt dilecto meo in cornu „ filio olei. “ Hic autem dicit quod paterfamilias plantat vineam. Dicunt aliqui quod ibi invehitur contra vineam: unde dicit (ibid. 4.) „ Quid ultra debui facere vineæ meæ? “ hic autem contra agricolas. Ideo dupliciter exponitur ſecundum Hieronymum, & Chryſoſtomum. Vinea dicitur populus Iudaicus. Eſa. V. 7. „ Vinea Domini, domus Iſrael eſt. “ Quod contra agricolas, quia quantum ad præſens huius malitia non proceſſit ex populo, ſed ex principibus. Ioan. VII. 48. „ Numquid „ aliqui ex principibus crediderunt in eum? “ Ideo non contra vineam. Hæc vinea non eſt domus Iſrael, ſed iuſtitia Dei, quæ occulte tradita eſt in ſacra Scriptura: unde dicit: *Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam*, ideſt populum Iudaicum. Pſal. LXXIX. 9. „ Vi- „ neam de Ægypto tranſtuliſti. “ Vel iuſtitiam poſuit in doctrina legis. *Et ſepem circumdedit ei*, ad (*a*) protectionem vineæ: unde quæ ponuntur ad cuſtodiam, ſive ſint orationes ſanctorum, vel cuſtodia Angelorum, dicuntur ſepe. Unde Oſeæ II. 6. „ Sepiam „ viam tuam ſpinis. “ Si autem vinea dicatur iuſtitia, ſepe dicit occulta verba Scripturæ. Secundum enim myſticum intellectum occulta Scripturæ non ſunt pandenda cuilibet: quia non eſt ſanctum dandum canibus, ſupra VII. *Et fodit in ea torcular*. Torcular ponitur ut exprimatur vinum caritatis. Si intelligatur per vineam Iudaicus populus, intelligitur per torcular altare holocauſtorum. Item intelliguntur martyres, qui pro fide ſanguinem fuderunt. Eſa. LXIII. 3. „ Torcular calcavi ſo- „ lus. “ Vel poteſt etiam intelligi ordo prophetarum, in quibus vinum ſapientiæ eſt expreſſum. Vel poteſt dici profunditas ſacræ Scripturæ. Item totus fructus vineæ congregatur in torculari; ſic quicquid poteſt animus, totum debet congregare ad laudem Dei. *Et ædificavit turrim*. Per turrim templum intelligitur. Micheæ IV. 8. „ Et tu „ turris nebuloſa gregis, uſque ad te veniet „ poteſtas prima. “ Vel cognitio Dei. Proverb. XVIII. 10. „ Turris fortiſſima nomen „ Domini. “ Conſequenter de locatione: *Et locavit eam agricolis*; ideſt, ſuper certa mercede conſtituit. Agricolæ ſunt Moyſes, & Aaron, qui gubernaculum habuerunt. Iob XXXI. 39. „ Si afflixi animam agricolarum eius. “ Gregorius: „ Qui præponuntur populo. “ *Profectus eſt peregre*, Dominus, non mutando locum, ſed hominem in ſuo arbitrio relinquendo. Eccli. V. 14. „ Deus ab initio creavit hominem, & reli- „ quit eum in manu conſilii ſui; “ ideſt, ſuo arbitrio dimiſit. Unde dicitur peregre proficiſci, quando non ad quamcumque culpam pœnam infligit. Vel non ita manifeſte apparuit ſicut prius, ſcilicet cum apparuit in rubo, Exod. III. *Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet*. Quicumque facit aliquem fructum, expectat beneficium; & ſic Dominus expectat ut reddatur ei beneficium ad ſuam gloriam. Quantum ad unum hominem, fructus non eſt in pueritia, ſed in plena ætate: unde cum venit ad adoleſcentiam, tunc petit fructus. Sic cum populus fuit plantatus, & lex data, petiit fructum; & non cognoverunt eum. Hier. VIII. 7. „ Milvus in cælo cognovit tempus „ ſuum; populus autem meus non cognovit „ iudicium Domini. “ *Miſit ſervos ſuos*, ideſt prophetas, *ad agricolas*, ideſt ad Iudæos, *ut acciperent fructus eius*; ideſt, ut inducerent homines ad bene agendum. Infra XXIII. 34. *Miſi ad vos prophetas, ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis &c.* Poſt hoc agitur de malitia: & primo quantum ad primos; ſecundo quantum ad ſecundos; tertio quantum ad tertios. *Et agricolæ, acceptis ſervis eius, alium ceciderunt*, ut Michæam, *alium occiderunt*, ut Eſaiam, *alium lapidaverunt*, ut Naboth. Hebr. XI. 37. „ La- „ pidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii „ mortui ſunt. “ (*b*) *Iterum miſit alios*: item ſingulariter miſit prophetas, ut Moyſen, & Aaron, & alios; ſed poſt tempore David miſit multos cuneos prophetarum: vult enim Dominus pugnare miſericordiam ſuam contra malitiam eorum. Unde: *Et fecerunt eis ſimiliter*. Deut. XXXI. 27. „ Vos ſemper contentioſe „ con-

(a) *Al.* procreationem. (b) *Al. Item*.

„ contra Dominum egiſtis . “ Sequitur tertio : *Noviſſim. autem miſit ad eos filium ſuum &c.* quod fuit malitiæ conſummatæ . Et tria facit . Primo ponitur miſericordia domini ; ſecundo malitia eorum ; tertio executio pravi propoſiti . *Noviſſime autem miſit ad eos filium ſuum* . Ad Heb. 1. 1. „ Multifarie, multiſque „ modis olim Deus loquens patribus in pro„ phetis, noviſſime locutus eſt nobis in Filio.“ *Miſit ad eos filium ſuum, dicens: Forte verebuntur filium meum.*

Sed quid eſt quod dicit , *Forte ?* Numquid ignorabat ipſe? Hieronymus dicit , quod iſte modus loquendi dubius ſignificat libertatem arbitrii, ut oſtenderet quid futuri eſſent : quia qui non honorificat filium, non honorificat patrem. Vel dicit ſic, quia aliqui reveriti ſunt eum.

Conſequenter ponitur propoſitum malitiæ : & primo ponitur requiſitio ; ſecundo propoſitum ; tertio malitia . *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe : Hic eſt heres; venite , occidamus eum, & habebimus hereditatem eius* : ipſe enim filius vere heres eſt patris, quia quod petit obtinet. Pſal. 11. 8. „ Poſtula a me, & „ dabo tibi gentes hereditatem tuam . “ Item eſt heres (*a*) quia quæcumque habet pater , habet & ipſe : non enim dicitur heres ſicut aliquis alius qui decedente patre habet hereditatem ; ſed quia ſemper quod eſt patris , ipſius etiam eſt.

Sed contra . „ Si cognoviſſent, numquam Do„ minum gloriæ crucifixiſſent . “ (I. Corinth. 11. 8.) Verum eſt, ſi cognoviſſent vere, ſed cognoverunt per coniecturam.

Sequitur propoſitum: *Venite, occidamus eum*. Sap. 11. 20. „ Morte turpiſſima condemnemus „ eum . “ Et quod eſt propoſitum? *Habebimus hereditatem eius*. Sciebant enim ex lege quod debebat dominari ſuper Iudaicum populum : unde timebant ne imponeret ſuper eos iugum legis, & traditiones eorum deſtrueret ; ideo noluerunt pati iugum Chriſti: unde paſſi ſunt iugum Romanorum . Unde Ioan. 11. 48. „ Ne „ forte veniant Romani , & tollant locum „ noſtrum, & gentem . “ Conſequenter ponitur executio: *Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam , & occiderunt* : quia extra portam civitatis crucifixerunt eum , & ſic quaſi alienum a vinea occiderunt . Eſa. 1111. 7. „ Qua„ ſi ovis ad occiſionem ductus eſt . “ Quod cum extra vineam eiecerunt, habetur in Ioan. 1v. quod quicumque confiterentur nomen Chriſti, fieret extra ſynagogam. Conſequenter requirit eorum ſententiam: *Cum ergo venerit dominus vineæ , quid faciet agricolis illis*? Ita ſubtiliter petit Dominus ut iudicent contra ſe , ſicut Nathan fecit David , quando peccavit cum Berſabee. Ponitur ſententia: *Malos male perdet* , ideſt (*b*) perditione in præſenti , & in futuro. Et dicunt, *Male* , ideſt acerbe. Supra vii. 2. *In ea menſura qua menſi fueritis , remetietur vobis* . Sap. vi. 7. „ Potentes potenter „ tormenta patientur . “ *Malos male perdet, & vineam ſuam* , ideſt populum ſuum, *locabit aliis agricolis* , ideſt Apoſtolis, *qui reddant ei fructum temporibus ſuis* . Pſal. 1. 3. „ Et erit tamquam „ lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus „ aquarum, quod fructum ſuum dabit in tem„ pore ſuo . Iob xxxiv. „ Conteret multos , „ & innumerabiles , & ſtare faciet alios pro „ eis . “

Et hic eſt quæſtio quare in Marco Dominus reſpondit ; hic Iudæi . Solutio. Dico, quod primo dixit Dominus , poſtea ipſi dixerunt . Item Luc. xx. habetur quod cum Dominus hoc diceret , ipſi dixerunt , Abſit . Reſponſio vera eſt: quia primo ipſi dixerunt , poſt intelligentes quod contra eos eſſet , dixerunt , Abſit . Item verum eſt quod principes dixerunt . Et quamvis perciperent quod contra eos eſſet , non contradicebant ; ſed populus dixit, Abſit.

Dicit illis, Ieſus . Hic ponitur confirmatio ; & primo ponitur auctoritas ; ſecundo expoſitio. Dicit: *Numquam legiſtis in Scripturis* (iſtud legitur in Pſal. cxvii. 22.) *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes , hic factus eſt in caput anguli* ? Et ponit quatuor . Primo ponit reprobationem ; ſecundo dignitatem ; tertio cauſam; quarto admirationem . Dicit : *Lapidem &c.* Lapis Chriſtus eſt , qui dicitur lapis ex multis ſimilitudinibus . Eſa. xxviii. 16. „ Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapi„ dem angularem &c. “ Ædificantes ſunt Apoſtoli. Unuſquiſque videat quomodo ædificet. Unde ille lapis *quem reprobaverunt* ,' ideſt eiecerunt, *hic factus eſt*, ideſt conſtitutus, *in caput anguli*, ideſt in caput Iudæorum, & Gentilium. Unde ipſe factus eſt caput Eccleſiæ . Sed poſſent dicere: Ipſe fecit ſe caput; ideo dicit: *A Domino factum eſt iſtud*. Pſal. cxvii. 16.„ Dextera Domini fecit virtutem &c.“ Et qualis eſt iſta exaltatio? *Et eſt mirabile in oculis noſtris*. Habac. 1. 5. „ Aſpicite in genti„ bus, & videte, & admiramini , & obſtu„ peſcite: quia opus factum eſt in diebus ve„ ſtris quod nemo credet cum narrabitur . “ Tanta enim fuit dignitas quod non (*c*) factum fuiſſet, niſi gratia Dei hoc feciſſet . Ad Eph. 11. 8. „ Gratia eſtis ſalvati a Chriſto.“ Conſequenter exponit, & ponit duas concluſiones . Primo quod dictum eſt de parabola ; ſecun-

(a) *Al.* quare. (b) *Al.* perditione præſenti. (c) *Al.* factus.

Digitized by Google

ſecundo ſumitur de hoc quod dictum eſt in auctoritate. Dicitur ergo: *Ideo dico vobis, quod auferetur a vobis regnum*, ideſt ſacra Scriptura, quia amittetis intellectum ſacræ Scripturæ. Ioan. XII. 40. „ Excæcavit oculos eorum, „ & induravit cor eorum, ut non videant o„ culis, & non intelligant corde, & conver„ tantur, & ſanem eos. “ Vel prælationem ſuper Eccleſiam fidelium: quia tranſlata eſt gloria eorum. *Et dabitur genti facienti fructum eius*. Eſa. lv. 4. „ Ecce teſtem populi dedi „ eum, ducem, ac præceptorem gentibus. Ec„ ce gentem quam neſciebas vocabis, & gen„ tes quæ te non cognoverunt, ad te current. “ Sed quomodo datus eſt eis? Superius dictum eſt, quod locavit; hic autem quod datur: quia cum non facit fructum, dicitur conductus, ſive mercenarius; ſed cum datur, tunc fructum facit. Ponit duplicem pœnam. *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur*. Exponitur ſecundum Hieronymum, ſic. Ille cadit ſuper lapidem Chriſtum (*a*) qui fidem tenet de eo, ideſt de Chriſto; ſed cadit per peccatum, quod contra eum facit. Ideo peccatores cadunt, quia non habent caritatem. *Super quem vero ceciderit, conteret eum*. Cadit autem Chriſtus ſuper infidelibus. Hæc eſt differentia: quia quando vas cadit ſuper lapidem, non confringitur vas propter lapidem, ſed propter modum caſus, ſecundum quod magis cadit ab alto; ſed quando lapis cadit ſupra vas, confringit illud ſecundum magnitudinem lapidis. Sic homo cum cadit ſuper lapidem Chriſtum, tunc confringitur ſecundum magnitudinem peccati; quando vero fit infidelis, totaliter conteritur. Vel aliquis cadit ſuper lapidem, quando proprio arbitrio peccat; ſed tunc ſcilicet lapis ſuper eum cadit, quando Chriſtus punit eum; & tunc totus comminuitur. Pſal. XVII. 43. „ Comminuam eos ſicut pulverem ante faciem „ venti. “ Sequitur tempus malitiæ. *Et cum audiſſent, cognoverunt quod de ipſis diceret*. Et ſequitur malitia: *Et volentes eum tenere, timuerunt turbas, quia ſicut prophetam eum habebant*. Et planum eſt.

CAPUT XXII.

(a) ET reſpondens Ieſus, dixit iterum in parabolis, eis dicens: Simile factum eſt regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo: & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum miſit alios ſervos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt; & abierunt, alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam; reliqui vero tenuerunt ſervos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audiſſet, iratus eſt; & miſſis exercitibus ſuis perdit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt; ſed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſervi eius in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos, & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intravit autem Rex ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali; & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.

(b) Tunc abeuntes phariſæi conſilium inierunt ut caperent eum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum. Dic ergo nobis quid tibi videtur. Licet ne cenſum dari Cæſari aut non? Cognita autem Ieſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Et audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt.

(c) In

(a) *Al. quando*.

(c) In illo die acceſſerunt ad eum ſadducæi qui dicunt non eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter, Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit, non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Erant autem apud nos ſeptem fratres, & primus uxore ducta defunctus eſt, & non habens ſemen reliquit uxorem ſuam fratri ſuo. Similiter ſecundus, & tertius uſque ad ſeptimum. Noviſſime autem omnium & mulier defuncta eſt. In reſurrectione ergo cuius erit de ſeptem uxor? Omnes enim habuerunt eam. Reſpondens autem Ieſus ait illis: Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt a Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius.

(d) Phariſæi autem audientes, quod ſilentium impoſuiſſet ſadducæis, convenerunt in unum; & interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ. Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Ieſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei, David. Ait illis: Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

(a) Dictum eſt ſupra, quod Chriſti perſecutores provocati ſunt ad occidendum eum tribus de cauſis: ex eius gloria, ex eius ſapientia qua confutabat eos, ex eius iuſtitia qua arguebat eos. Qualiter autem provocati ſunt ex gloria Chriſti, dictum eſt; nunc autem dicendum qualiter ex ſapientia. Et primo inquantum eorum damnationem præmonſtrat; ſecundo inquantum diſputando confutat, ibi, *Tunc abeuntes phariſæi conſilium inierunt ut caperent eum in ſermone*. In iſta parabola, in qua determinatur de reprobatione Iudæorum, & vocatione gentium, primo ponitur inſtructio nuptiarum; ſecundo de vocatione Iudæorum, & recuſatione; tertio de vocatione gentium. Secunda ibi, *Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos*; tertia ibi, *Tunc ait ſervis ſuis &c.* Dicit ergo: *Et reſpondens Ieſus dixit*. Cui reſpondit? Non eſt dictum quod alicui loqueretur. Sed eum tenere volebant, ideo non verbis, ſed malitiæ eorum reſpondit; ideo *in parabolis dicit eis: Simile eſt regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo*. Hic ponitur parabola de nuptiis, & ſimilis parabola ponitur Luc. XIV. Et non videtur eadem ſecundum Gregorium, quia ibi fit mentio de cœna, hic de nuptiis. Item nullus excluſus eſt ab illa cœna, hic autem eſt aliquis excluſus: unde alia eſt parabola. Per illam convivium cæleſte intelligitur, per iſtam convivium quod fit in terra. Et ideo illud dicitur cœna, quia ab eo nullus excluditur, ab iſto aliquis excluditur. Poteſt dici, ſecundum aliquos, quod eadem eſt parabola, quia antiquitus prandium & cœna idem appellabatur; quia non ſolebant comedere homines (a) niſi uſque ad nonam. Vel poteſt dici, quod Lucas dicit quod Matthæus tacuit. Sed credo, quod alia eſt. Circa iſtam videamus, quis eſt iſte homo rex. Et dicitur quod iſte eſt Deus, & intelligitur perſona Patris, quia dicit, *Filio ſuo*. Sed quare dicit, *Homini regi*? Ratio eſt, ut dicit Origenes, quia Rex dicitur a regendo. Nos autem non poſſumus, nec ſumus capaces regni eius ſecundum quod eſt, ſed regit nos ſecundum modum noſtrum. Deuter. XXXII. 11. „Sicut aquila provocans pullos ad „volandum.“ Et ideo dicitur, *Homini regi*, quia regit nos humano modo. Sed cum videbitur ſicuti eſt, tunc erit Rex, quia tunc ſecundum ſe reget. Unde Apoſtolus I. Corin. XIII. 12. „Videmus nunc per ſpeculum in „ænigmate, tunc autem facie ad faciem.“ Dicit: *Simile eſt regnum cælorum homini regi*. Sicut enim in regno ſunt multa, eſt enim Rex, (b) regnum, & qui ſerviunt; ſic in illo:

(a) *Al. deeſt* niſi. (b) *Al.* regum.

Digitized by Google

lo regno; ideo *ſimile eſt homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo*. Filius eſt Chriſtus, de quo dicitur I. Ioan. ult. 20. „ Ut ſimus in vero Filio eius. " Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Quæ ſint iſtæ nuptiæ, quadrupliciter poteſt exponi. Primo per unitatem naturæ humanæ ad divinam, ut humana natura ſit ſponſa. Thalamus fuit uterus Virginis. Pſal. xviii. 6. „ Ipſe enim tamquam (*a*) ſponſus procedens de thalamo ſuo." Et hæc expoſitio habet aliquid dubietatis: quia poſſet credi quod (*b*) non alia eſſet perſona Patris, alia ſilii. Unde poteſt dici quod iſte ſponſus eſt Verbum incarnatum, ſponſa Eccleſia: unde Apoſtolus Ephe. v. 32. „ Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia." Item ipſius Verbi ad animam noſtram. Fit enim anima particeps gloriæ Dei per fidem; & ſic fiunt nuptiæ noſtræ. Oseæ II. 20. „ Sponſabo te in fide." Item nuptiæ erunt in communi reſurrectione. Huius autem reſurrectionis Chriſtus eſt via. Ioan. xiv. 6. „ Ego ſum via." Tunc erunt nuptiæ, quando mortale noſtrum (*c*) abſorbebitur a vita, ut habetur I. ad Corinth. xiii. Sed ſi loquamur ſecundum Gregorium, oportet exponere de præſentibus, ſecundum quod Eccleſia Chriſto, & anima noſtra Deo per fidem deſponſatur.

Sequitur de vocatione Iudæorum: & primo ponitur duplex vocatio; ſecundo excuſatio, ibi, (*d*) *Illi autem neglexerunt &c.* Circa primum duo facit, ſecundum duas vocationes; unde dicit: *Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos*. Et ſecundum quod dicit ibi Origenes: duplex eſt ibi littera: quia quædam littera habet, *Miſit ſervum ſuum*; quædam, *Servos ſuos*. Si ſit littera, *Servum*, ſic tria ſunt conſideranda. Primo invitatio; ſecundo vocatio, & tertio alia invitatio. Fuerunt ergo Iudæi invitati in patriarchis: unde dictum eſt Abrahæ (Gen. xxii. 18.) „ In ſemine tuo „ benedicentur omnes gentes." Ad Galat. iii. 7. „ Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & „ ſemini eius &c." Primum fuit miſſus Moyſes, Numer. xii. 7. „ Non talis ſervus meus „ Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt." Et ſequitur: „ Quare non timuiſtis eum? *Et nolebant venire*. Deuter. xxxi. 27. „ Adhuc vivente me, & egredien„te vobiſcum, ſemper contentioſe egiſtis erga Dominum." Secunda vocatio eſt per prophetas, de quibus Amos iii. 7. „ Non faciet Dominus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos prophetas." Vel poteſt eſſe littera, *Servos*; & tunc per primos ſignificantur prophetæ, quibus ſemper Iudæi rebelles fuerunt. Actor. vii. 51. „ Vos „ ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis." Per ſecundos Apoſtoli, quibus dictum eſt ſupra x. 5. *In viam gentium ne abieritis*. Vel per primos prophetas, primos Apoſtolos; per ſecundos, ſucceſſores Apoſtolorum.

Iterum miſit alios ſervos. Hic ponitur alia invitatio: & ponitur augmentum benignitatis ex parte invitantis, & augmentum malitiæ ex parte excuſantis. In prima vocatione nihil promiſit; in iſta vero promittit, quia dicit: *Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi*. Iſtud prandium eſt ſpiritualis refectio. Prov. ix. 2. „ Sapientia immolavit victimas, „ miſcuit vinum, & poſuit menſam ſuam, „ miſit ancillas ut vocarent ad arcem." *Tauri mei, & altilia mea occiſa ſunt*. Et hoc dictum poteſt exponi, ſecundum Origenem, (*e*) quod eſt diſpoſitio ſapientiæ Dei. Tauri dicuntur rationes fortes. Eſa. viii. 11. „ In „ forti manu ſua erudivit me." Altilia dicuntur quaſi alita bene. Altilia dicuntur proprie aves ſaginatæ, quæ nutriuntur, & impinguantur, & ſignificant ſubtiles ſenſus; & fiunt ſaginatæ quando ſacris ſenſibus multiplicantur, quibus anima ſaginatur. Pſal. lxii. 6. „ Sicut ex adipe, & pinguedine repleatur „ anima mea." Quicquid enim neceſſarium eſt, invenitur in ſacra Scriptura. Ideo *omnia ſunt parata*. Pſal. xviii. 8. „ Lex Domini im„maculata convertens animas." Hæc eſt invitatio Sapientiæ, Prov. ix. 5. „ Venite, co„medite panem meum, & bibite vinum quod „ miſcui vobis." Vel ſignificat refectionem ſpiritualem. Per tauros ſignificantur exempla ſanctorum, quæ Dominus præparavit in exemplum. Iac. v. 10. „ Accipite in exemplum ex„itus mali, & longanimitatis, & laboris, „ & patientiæ, prophetas." Unde tribulationes ſanctorum ponit in exemplum. Secundum Gregorium, per tauros ſignificantur patres veteris teſtamenti: quia taurus ferit cornibus, & in tempore patrum ſemper quærebatur vindicta, (*f*) & præcipiebatur oculum dari pro oculo. Per altilia patres novi teſtamenti, qui omnia dimiſerunt pro Chriſto, & impinguantur ſapientia Dei, occiſi propter Deum; & utrique occiſi ſunt. *Omnia parata ſunt, venite ad nuptias*. Paſſus eſt Chriſtus, aperuit cælos, miſit Apoſtolos. Vel per tauros intelliguntur ſacerdotes veteris teſtamenti, quia taurus eſt animal immolatitium; per altilia prophetæ qui impinguati ſunt ſapientia Dei. *Sed illi*, ſcilicet indurati in malitia, *neglexerunt*. Quidam dimittunt ex negligentia; quidam

(a) *Al.* ſponſus de thalamo. (b) *Al. deeſt* non. (c) *Al.* abſorbetur. (d) Al. *Rex autem &c.* (e) *Al. omittitur* quod. (f) *Al.* præcipiebat.

Digitized by Google

dam autem ex malitia, qui perſequuntur prædicatores: unde dicit: *Illi autem neglexerunt*. Et quæ fuit cauſa? Quia *abierunt unus in* (a) *vineam ſuam, alius ad negotiationem ſuam*. Videbantur habere iuſtam cauſam exterius; ſed Dominus non recipit: quia nulla temporalia debent detinere de veniendo ad Deum. Secundum Hilarium, per hoc quod dicit, *In vineam ſuam*, ſignificat appetitum humanæ gloriæ. Ioan. XII. 43. „ Dilexerunt magis „ gloriam hominum quam gloriam Dei. “ Hier. V. 4. „ Ego autem dixi: Forſitan pau„ peres ſunt, & ſtulti, ignorantes viam Do„ mini, & iudicium Dei ſui. “ Per hoc quod dicit, *Alius in negotiationem ſuam*, ſignatur appetitus avaritiæ. Hier. VI. 13. „ A maiori „ uſque ad minorem omnes avaritiæ ſtudent. “ Secundum Chryſoſtomum, quidam habent occupationem laborando propriis manibus, alii in negotiationem, ideſt in proprium officium ſuum. Sequitur: *Reliqui vero tenuerunt ſervos ſuos*, ideſt Apoſtolos, *& contumeliis affectos occiderunt*: quia multos occiderunt ex veteri, & novo teſtamento. Unde infra XXIII. 34. *Mitto ad vos ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis &c.* Et non facit hic mentionem de morte ſua, ſed ſolum diſcipulorum: quia ſatis ſuperius fecerat mentionem.

Tunc ſequitur punitio eorum: *Rex vero cum audiſſet iratus eſt &c.* Supra poſuit pœnam ſpiritualem; hic autem ponit temporalem: unde ſupra dicebatur, *Homini regi*; hic autem dicitur, *Rex*: quia nomen hominis ad pietatem pertinere videtur, (b) Regis vero ad punitionem; ideo hic ſolum dicitur Rex. Sap. XIV. 17. „ Hos quos in palam homines hono„ rare non poterant, propter hoc quod longe „ eſſent, a longinquo figura eorum allata, e„ videntem imaginem Regis, quem honorare „ volebant, fecerunt: ut illum qui aberat „ tamquam præſentem colerent ſua ſolicitu„ dine. “ *Rex autem iratus*.

Notandum, quod quando ira attribuitur Deo, non commotionem ſignificat, ſed vindictam: quia irati punire ſolent, unde ira punitio (c) vocatur. Quod eſt notandum contra hæreticos, quia ſolent obiicere, Deum veteris teſtamenti non eſſe bonum, quia præcepit punitiones &c.

Unde *miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos*. Exercitus ſunt ſpiritus Angelici, vel cives Romani qui ſub Tito, & Veſpaſiano occiderunt multos. Pſal. XXIII. 1. „ Domini eſt „ terra, & plenitudo eius. “ *Et civitates illorum ſuccendit*: quia combuſtæ ſunt. Eſa. I. 7. „ Civitates veſtras ignis comburet. “ Vel poteſt myſtice intelligi, ſcilicet corpora eorum, vel congregationes hæreticorum.

Sequitur vocatio gentium, & ponitur examinatio: & tria facit. Primo ponitur mandatum; ſecundo executio; tertio effectus. Secunda ibi, *Et egreſſi ſervi eius &c.* tertia ibi, *Et impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium.* Circa primum duo facit. Primo aſſignat rationem præcepti; ſecundo ponit præceptum. Dicit ergo: *Tunc ait ſervis ſuis*: *Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant non fuerunt digni*. *Nuptiæ quidem præparatæ ſunt*; ideſt, Filius incarnatus eſt, ſecundum illud Eſa. V. 4. „ Quid „ ultra potui facere tibi vinea mea? “ *Sed qui fuerant invitati, indigni fuerunt*; ideſt, indignos ſe reddiderunt. Et quomodo? Sicut dicitur ad Rom. X. 3. „ Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam „ volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt „ ſubiecti. “ Et Act. XIII. 46. „ Sed quo„ niam repellitis illud, & indignos vos iudi„ caſtis vitæ æternæ, ideo convertimur ad „ gentes. “ Unde per delictum Iudæorum ſalus facta eſt gentibus. Apoc. III. 11. „ Tene „ quod habes, ne alter accipiat coronam „ tuam. “ Sequitur mandatum: *Ite ergo ad exitus viarum &c.* Per vias intelliguntur diverſa dogmata, quia iſta ſunt viæ quædam, quæ ducunt nos ad veritatem. Gentiles ſunt in exitibus dogmatum. Unde *ite ad exitus viarum*, ideſt ad illos qui hærent erroneis dogmatibus. Vel aliter Eſa. IX. 2. „ Populus „ qui ambulabant in tenebris, vidit lucem. “ Unde per vias intelliguntur actiones bonæ, de quibus Prover. IV. 27. „ Vias quæ a dex„ tris ſunt, novit Dominus: “ per exitus, quæcumque poſſunt concurrere ad actiones. *Et quoſcumque inveneritis vocate ad nuptias*. Unde infra ult. 19. *Ite, docete omnes gentes &c.*

Sequitur executio: *Et egreſſi ſervi eius in vias, congregaverunt omnes*. Marc. ult. 20. „ Illi autem „ profecti prædicaverunt ubique, Domino „ cooperante. “

Sed quid eſt quod dicit, *Bonos, & malos*? Poteſt dici, quod illos qui primo mali, & poſt boni. Vel poteſt dici cum dicit, *Bonos, & malos*, quod loquitur comparative, quod inter illos aliqui ſunt boni ſecundum virtutes civiles. Vel *bonos, & malos*, quia poſtquam congregati fuerint, commiſcentur boni, & mali.

Et impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium, ideſt fidelibus. Supra XIII. 48. ſimile ponitur: „ Quam cum impleta eſſet, educentes, & ſe„ cus littus ſedentes, elegerunt bonos in va„ ſa ſua, malos autem foras miſerunt. “ *Intravit autem Rex &c.* Hic ponitur examinatio con-

(a) Pro *villam*. (b) *Al.* Rex. (c) *Al.* vocabatur.

congregatorum: & primo ponitur examinans; ſecundo examinatio; tertio condemnatio. Examinas intravit: intrat enim quando exercet iudicium ſuper eos. Gen. XVIII. 21. „ Intra-„ bo, & videbo. “ Et hoc in finali iudicio: item in morte; item quando imminent tribulationes Eccleſiæ. Sed quis eſt examinatus? *Vidit hominem non habentem veſtem nuptialem*. Quæ eſt iſta veſtis? Chriſtus. Qui ſumus Chriſti, Chriſtum induamus. Apoſtolus Rom. XIII. 14. „ Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. “ Quidam enim induunt Chriſtum per ſacramentum. Gal. III. 27. „ Quicumque in Chri-„ ſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. “ Quidam ſunt in Chriſto per caritatem, & amorem. Col. III. 15. „ Super omnia autem „ caritatem habete, quod eſt vinculum perfe-„ ctionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus „ veſtris, in qua & vocati eſtis in uno cor-„ pore. “ Item per mortis rememorationem. Item per operum conformitatem. Ad Rom. XIII. 14. „ Induimini Dominum Ieſum Chri-„ ſtum. “ Habere ergo veſtem nuptialem eſt induere Chriſtnm per operationem bonam, per (*a*) converſationem ſanctam, per caritatem veram: & ſi unum deficiat, malum. Tunc ſequitur examinatio. Deinde dicit qualiter defecit. Dicit ergo, *Amice*. Amicum vocat per fidem, vel quia ipſe amavit eum. Vel poteſt dici, quod ubicumque vocat aliqnem amicum, improperando dicit: unde improperat amorem quo amavit eum. *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem*?

Sed poſſet dicere aliquis: Qua occaſione punivit illum, quia vocavit bonos, & malos? Sed noluit quod mali venirent niſi pararent ſe, & diſponerent ſe ut eſſent boni.

Deinde ſequitur qualiter defecit: unde ſequitur: *At ille obmutuit*: quia non poteſt habere ſufficientem rationem peccator quare veſtem nuptialem contempſit. Iob IX. 3. „ Si „ voluerit contendere cum eo, non poterit „ reſpondere ei. “ Et concluditur ſententia parabolæ. Ponitur pœna duplex: pœna damni, & pœna ſenſus. Nam in mundo tripliciter perficitur, per intellectum cogitando, per affectum tendendo in ſummum bonum, item per actum: ideo tripliciter punitur. Unde *dixit Rex miniſtris*: *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*. Per pedes intelliguntur affectus mali. In mundo iſto pedes habent, ſed non ligatos, quia poſſunt fieri boni; ſed poſt ligabuntur, quia poſt redire non poterunt. Eccli. IX. 10. „ Quodcumque „ poteſt facere manus tua, inſtanter operare: „ quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia erunt „ apud inferos, quo tu properas. “ Item modo poteſt homo proficere in cogitando veritates, ſed tunc non; ideo dicitur: *Mittite eum in tenebras exteriores*: modo enim aliqui peccatores non ſunt tenebroſi quantum ad cognitionem exteriorem, licet quo ad cognitionem interiorem; ſed tunc habebunt tenebras exteriores. Vel ad litteram, quia non ſolum quo ad animam, ſed quo ad corpus, quia ſeparabuntur a ſocietate ſanctorum. Tunc ſequitur pœna ſenſus: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Fletus procedit ex triſtitia, ſtridor ex ira. In Act. VII. 54. „ Stridebant dentibus in „ eum. “ Aliqui flent pro peccatis, & humiliantur, & mundantnr. Ibi erit triſtitia, ſed non ad humilitatem; ſed vertetur in iram. item ſtridor propter impatientiam: quia „ ſuperbia eorum qui te oderunt aſcendit „ ſemper: “ Pſal. LXXIII. 23. Vel poteſt dici in reſurrectione, quia non ſolum in anima, ſed etiam in corpore punientur; vel quia calorem, & frigora patientur. Iob XXIV. 19. „ Tranſibunt ab aquis nivium ad calorem ni-„ mium. “ Deinde concludit: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*: quia quidam nolunt venire, qnidam non habent veſtem nuptialem. Unde ſupra VII. 14. *Arcta eſt via qua ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam*.

(*b*) Supra Dominus confutavit phariſæos per parabolam; ſecundo hic manifeſtat diſputando: & primo reſpondendo; ſecundo obiiciendo, ibi, *Congregatis autem phariſæis, interrogavit &c.* Et reſpondet Dominus triplici quæſtioni. Primo de ſolutione tributi; ſecundo de reſurrectione; tertio de lege. Secnnda ibi, *In illo die acceſſerunt ad eum ſadducæi*; tertia ibi, *Phariſæi autem audientes &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur interrogatio; ſecundo reſponſio; tertio effectus. Secunda ibi, *Cognita autem Ieſus nequitia eorum &c.* tertia ibi, *Et audientes mirati ſunt*. In iſta interrogatione tria ſunt conſideranda. Primo interrogantium intentio; ſecundo miniſtri interrogantes; tertio interrogatio. Intentio interrogantium aperitur cum dicitur: *Abeuntes inierunt*, ideſt inter ſe, *conſilium*, ſcilicet ſtultum fecerunt, *ut Ieſum caperent in ſermone*. Et hoc erat ſtultum, quia ipſe erat Verbum Dei, & Verbum Dei non eſt comprehenſibile. Eccli. XLIII. 29. „ Multa loquimur, & deficimns in verbis. “ Fuit autem conſilium impium. Pſal. I. 1. „ Beatus vir qui non abiit in conſilio impio-„ rum, & in via peccatorum non ſtetit. “ Et Gen. penul. 6. „ In conſilium eorum ncn „ veniat anima mea. “ Miniſtri deſcribuntur cum dicit: *Et mittunt diſcipulos ſuos cum herodianis*.

(a) *Al.* converſionem.

Digitized by Google

dianis. Sed quare non iverunt? Ratio eſt, quia doloſe interrogare voluerunt: unde ſi iviſſent, non haberet locum dolus: ſed ipſi etiam diſcipuli doloſi erant. Eccli. x. 2. „ Secundum iu„ dicem populi ſic & miniſtri eius. “ *Cum herodianis*.

Qui ſunt iſti herodiani? Secundum quod in Luca tangitur, ſub Herode ſacta eſt Iudæa tributaria Romanis. Iſte filius Antipatris alienigenæ conſtitutus eſt Rex a Romanis; ideo voluit compellere Iudæos reddere cenſum Romanis. Unde herodiani, ideſt famuli (*a*) deputati ad colligendum inſtitutionem Herodis. Sed iſte iam mortuus erat, & dimiſit tres filios. Unus ſuit Herodes, & iſte erat tunc præſens, ſicut dicitur in Luc. xxiii. quod ſuit etiam in morte Domini; ideo ſacile ſuit quod ſamuli ſui irent cum aliis.

Sed quare iverunt cum herodianis? Una ratio, quia herodiani zelabant pro Imperatore: ideo diſcipuli phariſæorum ſecum duxerunt eos, ut ſi diceret quod eſſet ſolvendum tributum, accuſarent eum ad phariſæos: ſi diceret quod non, tunc herodiani caperent eum. Item iſti non cognoſcebantur; (*b*) ideo credebant quod non perciperet: unde ſaciebant contra illud Pſal. xxv. 4. „ Non ſedi in con„ ſilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non „ introibo. “ Vel aliter, quia cum Iudæa ſacta eſſet tributaria Romanis, diviſi ſunt, quia quidam dicebant quod plebs Deo dedicata non debebat eſſe homini tributaria; alii vero dicebant, quod quia pro pace (*c*) militabat omnium, quod omnes debebant Cæſari dare tributum. Ideo illi qui dicebant ſolvi tributa Cæſari, dicebantur herodiani.

Poſitis miniſtris, ponitur interrogatio: & primo ponitur adulatio; ſecundo interrogatio, ibi, *Dic quid tibi videtur*. Homines mali ab adulatione incipiunt. „ Loquuntur bona, „ mala autem in cordibus ſuis: “ Pſal. xxviii. 3. Et primo commendant perſonam; ſecundo doctrinam; tertio conſtantiam. Perſonam commendant ex auctoritate, & virtute. Ex auctoritate, cum dicunt, *Magiſter*. Et licet mentirentur ſecundum cor ſuum, quia non eum magiſtrum putabant, ſed ſeductorem, ut habetur inſra xxvii. 63. *Recordati ſumus quod ſeductor ille dixit, quia die tertia reſurgam*: tamen in veritate erat magiſter, ut inſra (xxiii. 8.): *Unus eſt Magiſter veſter*. Item: *Scimus quia verax es*. Verax eſt qui veritatem loquitur; & hoc eſt proprium Dei, & eius qui Deo coniunctus eſt. Pſal. cxv. 11. „ Ego „ dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax. “ Rom. iii. 4. „ Eſt autem Deus verax, omnis „ autem homo mendax. “ Chriſtus autem eſt Deo coniunctus per unionem, & ideo verax eſt. Et ſic commendatur ab auctoritate; deinde a virtute: *Et viam Dei in veritate doces*. Primo oportet quod ſciat quæ doceat. Sap. vii. 13. „ Quam ſine fictione didici, (*d*) & „ ſine invidia communico. “ Item aliqui docent, ſed non utilia; ſed iſte docet utilia, ſcilicet viam Dei. Eſa. xlviii. 17. „ Ego „ ſum Deus tuus, docens te utilia. “ Item aliqui docent quæ Dei ſunt, ſed non in veritate, ut hæreticis iſte autem docet in veritate. De (*e*) iſto in Pſal. xxiv. 4. „ Vias tuas Domi„ ne demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. „ Dirige me in veritate tua &c. “ Item commendant de conſtantia, unde dicunt: *Non eſt tibi cura de aliquo*: non prætermittis timore alicuius quod debes dicere, vel facere. Eſa. li. 12. „ Quis tu ut timeas ab homine mor„ tali? “ Et quare? *Non enim reſpicis perſonam hominum*, ſcilicet contra Deum. Ille enim accipit perſonam qui ratione hominis dimittit dicere veritatem quam debet dicere. Deut. i. 17. „ Non accipietis perſonam cuiuſ„ quam. “ Et videte qualiter malitioſi erant. Quæſtio habebat duo membra: ſcilicet quod non ſolverent, ad honorem Dei pertinebat; quod ſolverent, ad ſavorem hominum. Unde voluerunt quod favorem Dei quæreret, & viam Dei doceret; & ſic ſi diceret quod non, quod magis volebant, ſtatim caperetur ab herodianis. Sequitur interrogatio: *Dic ergo nobis ... licet ne cenſum dari Cæſari, aut non*? Cenſus erat tributum quod pro capite dabatur. Sequitur reſponſio: *Cognita autem Ieſus malitia eorum, ait*. Et primo reſpondet ad mentem eorum; ſecundo ad verba, ibi, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari*. Quia hominis eſt reſpondere ad verba, Dei autem reſpondere ad mentem; ideo quia Chriſtus erat Deus, & homo, ideo ad utrumque reſpondet. „ Scrutans corda, & renes Deus. “ Pſal. vii. 11. *Hypocritæ*. Et bene dicit hypocritas, quia hypocritæ ſunt proprie qui aliud in ore habent, aliud in corde. *Quid me tentatis?* Hoc enim erat prohibitum, Deut. vi. 16. „ Non tentabis Dominum Deum tuum. “ Item iſti blande allocuti ſunt Chriſtum; Chriſtus autem aſpere reſpondit: quia reſpondit ad cor eorum, non ad verba. Item datur nobis exemplum, quod non debemus adulatoribus credere. Proverb. xxix. 12. „ Princeps „ qui libenter audit verba mendacii, omnes „ miniſtros ſuos habet impios. “ Item quando vult aliquid reſpondere, non poteſt melius confutare opponentem, quam ſecundum

(a) *Al.* deputati ſunt ad colligendum. (b) *Al.* ideo quia credebant. (c) *Al.* militabant. (d) *Al.* omittitur &. (e) *Al.* iſtis.

verba ſua. Unde primo ponit quæſtionem; ſecundo ex reſponſione elicit veritatem. Et primo quærit de numiſmate; ſecundo de forma. Senſibiliter enim volebat oſtendere intentum. Prover. XIV. 6. „ Doctrina prudentum „ facilis. “ Dicit: *Oſtendite mihi numiſma cenſus*, ideſt denarium qui pro cenſu datur. Iſte denarius valet decem uſuales; & quilibet ſolvit unum denarium. Deinde quærit de forma: *Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* (a) In qualibet enim denarii publici forma ponitur inſcriptio; ſic erat in iſto. Dicunt, *Cæſaris*. Intelligatis non Cæſaris Auguſti, ſed Tiberii Cæſaris. Et debetis intelligere: quod Dominus interrogabat, non erat ex ignorantia, ſed potius ex diſpenſatione. Bene erat tantæ ætatis, & tantum inter homines converſatus fuerat quod bene noverat formam denarii, ſed petiit ad ſignificationem. Conſequenter concludit veritatem: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*: quaſi dicat: Vos eſtis Dei, & Cæſaris, & habetis in uſu veſtro & quæ Dei ſunt, & quæ Cæſaris. (b) Habetis divitias naturales a Deo, ſcilicet panem, & vinum; & de his date Deo. Habetis iſta artificialia, ut denarios, a Cæſare; & hæc Cæſari reddite. Myſtice ſic. Nos habemus animam quæ eſt ad imaginem Dei, ideo eam Deo reddere debemus; ſecundum ea quæ a mundo habemus, pacem cum mundo habere debemus. Etiam ſancti viri hic elevati a mundo; quia tamen in mundo cum aliis converſantur, debent pacem requirere Babylonis, ut habetur Baruch I. Et hoc eſt quod omnia quæ ſunt carnis, quæ ſunt mundi, vel hominum cum quibus converſantur, reddant Deo. Sequitur effectus: *Et audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt*. Mirum fuit, quia ſtatim ſapientia ſua viſa, debuiſſent eſſe converſi; ſed non potuerunt capere, & receſſerunt. Pſal. CXXXVIII. 6. „ Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: „ confortata eſt, & non potero ad eam. “

(c) Hic ponitur ſecunda interrogatio. Et tria facit. Primo ponitur interrogatio; ſecundo reſponſio; tertio effectus. Secunda ibi, *Reſpondens autem Ieſus &c.* tertia ibi, *Et audientes turbæ mirabantur*. Circa primum primo ponitur diſpoſitio, & conditio interrogantis; ſecundo interrogatio. Dicit ergo, *In die illo*. Et quare in die illo? Non ſine ratione, quia cum viderunt illos confuſos, non ſine præſumptione quæſierunt eum. Sed ſecundum Chryſoſtomum, concordati erant adinvicem quod caperent eum in ſermone, & quilibet volebat honorem victoriæ: ideo illis confuſis, iſti accedere voluerunt. Iob XIX. 12. „ Venerunt „ latrones eius, & fecerunt ſibi viam per „ me. “ Duæ enim erant ſectæ: phariſæi, ideſt diviſi, & ſadducæi, ideſt iuſti. Et hi errabant in dogmatibus: quia non recipiebant prophetias, nec credebant reſurrectionem: item credebant quod mortuo corpore totus homo moreretur; & hoc eſt quod dicit: *Qui dicunt non eſſe reſurrectionem*. Sequitur interrogatio. Et primo ponit legem; ſecundo caſum; tertio interrogationem. Dicunt ergo: *Et interrogaverunt eum dicentes: Magiſter, Moyſes dicit: Si quis mortuus fuerit non habens filium &c.* Deut. XXV. Quæ fuit cauſa legis? Populus carnalis fuit: unde nil niſi temporalia quærebat. Lex ergo illa promiſit. Manifeſtum enim eſt, quod homo non poteſt durare in ſe, ideo conſolatio eſt ei quod maneat in ſuo ſimili, ſcilicet in filio; & hoc natura deſiderat ut quod non poteſt in ſe ſalvari, ſalvetur in ſuo ſimili. Unde contingebat quod aliquis ſine filio moreretur; ideo ſubvenit huic caſui Moyſes ſecundum hanc legem, ut frater ſuus haberet uxorem ſuam: nec ponebatur extraneus, qui nihil pertineret ad eum; item non haberet tantam curam de domo, & familia ſicut frater: & hoc eſt quod dicit: *Et ſuſcitaret ſemen fratri ſuo*; ideſt, generet filium qui habeat hereditatem illius. Poſita lege, ponunt caſum: *Erant apud nos ſeptem fratres, & primus, uxore ducta, defunctus eſt, & non habens ſemen, reliquit uxorem ſuam fratri ſuo &c.* Poteſt eſſe quod talis caſus accidit, vel quod ipſi (c) confinxerunt. Tamen, ſecundum Auguſtinum, per ſeptem fratres homines mali ſignantur, qui in ſeptem ætatibus moriuntur ſine fructu. Apoſtolus Rom. VI. 21. „ Quem fructum ha- „ betis (vel habuiſtis) in his in quibus nunc „ erubeſcitis? “ Iſta mulier eſt mundana converſatio. Pſal. CI. 27. „ Ipſi peribunt, tu au- „ tem permanebis, & omnes ſicut veſtimen- „ tum veteraſcent. “ Unde quærunt: Omnes mortui ſunt, & omnes eam habuerunt: cuius uxor erit in reſurrectione, quæ omnium eſſe non poterit? Iſta opinio non eſt bona, & eſt contra phariſæos: quia credebant quod reſurrectio debet eſſe quantum ad hanc vitam, quod quiſque rehabeat uxorem ſuam, & poſſeſſionem ſuam &c. Unde dicunt: *Cuius erit uxor?* quia non poteſt eſſe uxor omnium. Iſta opinio reprobatur in Iob VII. 10. „ Non re- „ vertetur in domum ſuam. “ Unde non reſurget ad eumdem modum vivendi.

Sequitur reſponſio. Et primo oſtendit errorem, & cauſam; ſecundo inſinuat veritatem: unde dicit: *Reſpondens Ieſus ait, Erratis*; ideſt, erroneam opi-

(a) *Al.* In quolibet enim denario publici forma. (b) *Al.* & divitias. (c) *Al.* confecerunt.

Digitized by Google

opinionem habetis. Sap. II. 21. „ Cogitave„ runt, & erraverunt: excæcavit enim eos „ malitia eorum. " Et quæ eſt cauſa erroris? *Neſcientes Scripturas*. Unde non meditabantur in mandatis Dei. Pſal. CXVIII. 100. „ Super „ ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi." Unde qui meditatur in mandatis Dei, poteſt vitare errores. Unde Ioan. v. 39. „ Scruta„ mini Scripturas. " Iſti autem non ſcrutabantur, ideo errabant, ſicut faciunt aliqui qui male intelligunt. Item aliqui neſcientes virtutem Dei, volentes virtutem Dei metiri ſecundum inferiora. Rom. I. 26. „ Inviſibilia „ Dei a creatura mundi per ea quæ facta „ ſunt intellecta conſpiciuntur. " *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur*. Manifeſtat propoſitum. Et quia duo dixerat, ſcilicet quod neſciebant Scripturas, nec virtutem Dei; ideo primo declarat quod virtutem Dei ignorabant; ſecundo quod Scripturas.

Et cum primo dixerit de Scripturis, quare hoc ſecundo declaratur? Chryſoſtomus reſpondet, quia cum aliquis diſputat cum aliquo qui errat ex malitia, primo debet allegare auctoritatem; quando cum eo qui ex ignorantia, primo debet proponere rationem, & poſt auctoritatem. Sic facit Dominus.

Primo rationem proponit: unde dicit: *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur*. Primum ſecundum litteram verum eſt: *Neque nubent &c.* quia tunc non erit neceſſarium ſicut nunc eſt. Hieronymus: „ Aliter accipitur nu„ bere ſecundum Latinum, aliter ſecundum „ Græcum: quia proprie nubere, ſecundum „ Latinum, mulierum eſt, unde dicitur eſſe „ neutrum paſſivum; ſed ſecundum Græcum, „ viri nubent, idest ducunt uxores, mulieres „ nubentur, non nubent. " Ideo dicit: *Non nubent*, viri, *nec nubentur*, mulieres. Cum enim nuptiæ ſint ad prolis procreationem ut conſervetur homo in eſſe in ſuo ſimili, qui non poteſt in ſeipſo conſervari; ideo cum reſurrectio fiat ad immortalitatem, tunc non erunt neceſſariæ nuptiæ. Ideo iſti errabant, & virtutem Dei ignorabant. *Sed ſunt ſicut Angeli in cælo*. Ille ſtatus eſt ſtatus præmii, & finis iſtius vitæ. Iob XIV. 14. „ Putas ne ho„ mo mortuus rurſum vivat? Cunctis diebus „ quibus nunc milito, expecto donec veniat „ immutatio mea: " & illa immutatio erat præmium. Vita illa erit refulgentium intellectu.

Sed quare erunt ſimiles Angelis? Quia erunt immunes a paſſionibus: quia nunc homo habet intellectum annexum ſenſibus, & in hoc excedunt Angeli; ſed tunc depurabitur, ideo ſimiles erunt Angelis. II. Reg. XIV. 17. „ Sicut „ enim Angelus Domini, ſic eſt dominus meus „ Rex, ut nec benedictione, nec maledictio„ ne moveatur. " Unde qui habent animam a paſſionibus elevatum, ſimiles ſunt Angelis. Paſſiones autem quæ magis faciunt homines beſtiales, ſunt paſſiones venereorum, quæ exercentur per coniugium; ideo tunc nec nubent, nec nubentur.

Item quidam dixerunt, quod non omnes reſurgent, ſed ſolum homines: ſed hoc Auguſtinus deſtruit dicens, quod ſexus reſurget; ſexus autem non ſalvatur in homine ſolum. Hanc opinionem tollit, cum dicit: *Nec nubent, nec nubentur*: (a) ex quo datur intelligi, quod uterque ſexus; ſed *nec nubent, nec nubentur*.

De reſurrectione autem mortuorum &c. Poſtquam oſtendit quod ignorabant virtutem Dei, hic oſtendit quod ignorabant Scripturas. Unde *non legiſtis quod dictum eſt a Domino dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Iacob?* Hoc ſcribitur Exo. III. 6.

Sed quærit Hieronymus, cum aliæ auctoritates ſint magis expreſſæ de reſurrectione, ut habetur Eſa. VI. & Ezech. XXXIII. & Dan. XII. quare iſtam quæ ambigua eſt, poſuit? Reſpondet, quod non recipiebant prophetas, ſed quinque libros Moyſi.

Et quomodo facit ad propoſitum? Dicit: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*. Deus dicitur aliquorum in colendo eum. Iſti ergo colunt eum; ſed colere Deum non eſt mortuorum, ſed viventium: ergo Abraham, Iſaac, & Iacob vivunt; ſed non ſecundum corpus: ergo ſecundum animam. Sed quid valet hoc ad reſurrectionem? Valet quia iſti dicebant animam non eſſe; ipſe autem oſtendit animam remanere; & ſi animam remanet, ergo & reſurrectio, quia naturaliter anima inclinatur ad corpus.

Sed quid eſt quod dicit, quod *non eſt Deus mortuorum*? Verum eſt ſecundum corpus. Eſt tamen etiam Deus mortuorum, quia vivunt ſecundum ſpiritum. Rom. XIV. 8. „ Sive vi„ vimus, ſive morimur, Domini ſumus. " Item eſt contra hæreticos qui damnant patres veteris teſtamenti: quia hic dicit, quod vivunt ſecundum animam. Item dicit ſingulariter, quia in aliis gentibus quilibet deum ſuum habebat. „ Audi Iſrael: Dominus Deus tuus „ unus eſt: " Deut. VI. 4.

Sequitur effectus, quia mirabantur: *Et audientes turba mirabantur in doctrina eius*. Pſal. CXVIII. 129. „ Mirabilia teſtimonia tua, Do„ mine. "

(d) Supra Dominus reſpondit quæſtioni facta

(a) Al. qua.

Digitized by Google

ctæ de ſolutiooe tributi, quæſtioni etiam de reſurrectiooe; hic autem reſpoodet quæſtioni de comparatiooe mandatorum divinorum; & duo facit: quia primo ponitur interrogatio; ſecundo reſpooſio, ibi, *Ait illis Ieſus &c.* Circa primom duo facit. Primo deſcribit nequitiam interrogantium; ſecundo ioterrogationem, ibi, *Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege?* Nequitiam deſcribit quantum ad tria. Primo quantum ad (*a*) impudentiam; ſecundo quantum ad excogitatam malitiam; tertio quantum ad fraudulentiam. Quantum ad impudeotiam, cum dicitur: *Audientes quod ſilentium impoſuiſſet*. Iam confutaverat phariſæorum diſcipulos, & ſaducæos: unde ex boc ſatis poterant ei credere, & erubeſcere. Unde Chryſoſtomus: „ Livor, & ira impudentiam „ outriunt, & (*b*) cauſas. “ Sed iſti non propter hoc dimiſerunt quin adhuc interrogarent eum. Eſa. lvi. 11. „ Canes impudentiſſimi ne„ ſcieruot ſaturitatem. “ Et ſignificatur quod quamvis hoc audirent, noo tameo ſiluerunt. Aliquis ſervat ſilentium ſponte, & hoc eſt prudentis: item aliquis ſervat, quia imponitur ei ſileotium, & hoc eſt imprudentis. Eccli. xx. 6. „ Eſt tacens, non habens ſenſum „ loquelæ; (*c*) & eſt tacens, ſciens tempus „ aptum. “ Eccli. iii. 7. „ Eſt tempus ta„ cendi, eſt tempus loqueodi. “ Item tangitur excogitata malitia, quia, ut melius convincant eum, ſimul congregantur. Pſal. ii. 2. „ Principes convenerunt in unum adverſus „ Dominum. “ *Convenerunt in unum*. Poteſt dici, quod phariſæi, & ſaducæi cooveneruot, (*d*) quamvis in ſectis differrent, tamen in unum ad tentandum Dominum. Vel phariſæi conveoerunt in uoum adverſus Dominum. Item fraudulentia ſignificatur, quia cum in multitudine eſſent congregati, ooluerunt quod omnes interrogarent, ſed unus: ut ſi ille vinceretur, alii non confutarentur; & ſi iſte vinceret, omnes in eo gloriarentur. *Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum*: quia non animo addiſcendi. Iob xvi. 11. „ A„ peruerunt in me ora ſua, & exprobraotes „ percuſſerunt maxillam meam. “

Hic poteſt eſſe obiectio litteralis: quia Marcus dicit (x. 21.) quod (*e*) „ Domious in„ tuitus eum dixit: Non longe es a regno „ Dei. “ Et quomodo hic dicitur quod tentat eum?

Solvit Auguſtinus, quia primo venit cauſa tentandi, ſed cum Chriſtus ſatisfaceret ei, conſenſit ei. Et ideo quod tentavit eum, debet referri ad principium; quod non longe eſt a regoo Dei, debet retorqueri ad finem. Et ſic non fuit mirum ſi verba Domini animum eius mutaverunt.

Sciendum autem, quod aliqui tentant, eo quod noo ſunt certi, quia, ſecundum quod dicit Sapiens Eccli. xix. 4. „ qui cito credit, „ levis eſt corde. “ Iſte cum multa audiſſet de Chriſto, voluit experiri ſi talis eſſet. Et hæc tentatio oon eſſet mala: unde dicit: *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?* Hæc tameo quæſtio videbatur calumnioſa, & præſumptuoſa. Calumnioſa, quia omnia mandata Dei ſunt magna. Prov. vi. 23. „ Mandata „ luceroa, & lex lux. “ Item indeterminate quæſivit, quia omnia ſunt magna, ut ſi reſponderet de uoo, obiiceret de alio. Item fuit præſumptuoſa, quia noo deberet de magno quærere qui mioimum noo implevit. Iob xv. 14. „ Quid te elevat cor tuum, & quaſi ma„ gna cogitaos, attonitos habes oculos? “ Et poterat eſſe quod eſſet controverſia ſuper hac quæſtiooe inter eos: quia aliqui dicebant, ſalutem eſſe io aliquibus exterioribus: unde Eſa. xxix. 13. „ Populus hic labiis me hono„ rat, cor autem eorum longe eſt a me. “ Sed reſpondet Dominus, quod ſolum eſt io ioterioribus: unde ſequitur reſponſio: *Ait Ieſus ei: Diliges Dominum tuum &c.* Et non ſolum reſpondet ad quæſtionem propoſitam, ſed veritatem docet. Et primo docet quod ſit primum; ſecuodo quod ei eſt ſimile; tertio ratiooem aſſignat. Secunda ibi, *Secundum autem ſimile eſt huic &c.* tertia ibi, *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ*. Dicit ergo: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* Iſtud ſcribitur Deut. vi. 5. Item Dominus per Moyſen dicit Deut. x. 14. „ Numquid Dominus „ petit a te, niſi ut timeas, & diligas eum? “ Ergo duo præcipit, timorem ſcilicet, & dilectionem.

Et quare non reſpoodet Dominus de timore ſicut de dilectione? Dicendum, quod quidam timent Deum, (*f*) quia timent pati ab eo, ut qui timent pœnam gehennæ, vel qui timeot amittere aliquid quod babent a Deo; & hic eſt timor ſervilis, quia illud diligit in quo timet puniri. Alius eſt qui ipſum Deum timet propter ſe, qui timet eum offendere; & talis timor eſt ex amore, & ex hoc timet quod amat. Ergo principium eſt amor. I. Ioan. iv. 16. „ Deus caritas eſt; & qui ma„ net in caritate in Deo manet, & Deus in „ eo. “ Et ideo dicit: *Diliges Dominum*, non, Timeas: quia Deus diligendus eſt ſicut primum diligibile, quia ipſe finis primus eſt; ſed quæcumque alia diliguntur propter finem. Qui ergo diligit Deum ut finem, diligit in toto corde.

(a) *Al.* imprudentiam, *& ſic infra*. (b) *Al.* cauſant. (c) *Al.* eſt tacens, ſciens tempus apti temporis.
(d) *Al.* quia quamvis. (e) *Ibi*: „ Intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deeſt. “ (f) *Al.* qui.

Digitized by Google

corde. Ioel. 11. 12. „ Convertimini ad me „ in toto corde veſtro. “ Et quantumcumque nitamini, non poteritis eum comprehendere, quia Deus maior eſt toto corde.

Sed quid eſt quod dicit: *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua?* Chryſoſtomus exponit ſic. Quia in dilectione ſunt duo. Unum quod eſt principium, ſecundum quod eſt dilectionis effectus, & ſequela dilectionis. Principium dilectionis eſt duplex: dilectio enim poteſt fieri ex paſſione, & ex iudicio rationis. Ex paſſione, cum neſcit homo vivere ſine eo quod diligit; ex ratione ſecundum quod diligit ut ratio dictat. Dicit ergo quod ille ex toto corde diligit qui diligit carnaliter, ille ex anima qui ex iudicio rationis. Et nos Deum utroque modo debemus diligere. Carnaliter, ut cor carnaliter afficiatur circa Deum: unde in Pſal. lxxxiii. 3. „ Cor meum, & caro mea exultaverunt „ in Deum vivum. “ Tertium eſt ſequela dilectionis: quia illud quod diligo, libenter video, libenter de eo cogito, libenter facio quod ei placet: Ioan. xiv. 28. „ Qui diligit „ me, ſermones meos ſervabit: “ & totum (a) refero in ipſum. Pſal.lxxxiii. 2. „ Quam „ dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! „ Concupiſcit, & deficit anima mea in atria „ Domini. “ Et poſſumus addere illud quod (b) Marcus (xii. 33.) addit: „ Et in omni „ fortitudine tua: “ quia qui Deum diligit, totum ſe transfert in illum, & fortitudinem expendit in ipſum. Auguſtinus ſic diſtinguit inter cor, & animam, & mentem, ſecundum tria quæ procedunt ex ipſis. De corde exeunt cogitationes, ut habetur ſupra xv. ex anima vitam procedit, ex mente ſcientia, & intelligentia. Unde quod dicit, *ex toto corde*, intelligendum eſt, ut omnes cogitationes in ipſum referamus; quod *ex tota anima*, quod tota vita; quod *ex tota mente*, ut tota ſcientia referatur in eum; ideſt, ut ſcientiam captives in obſequium eius. II. Cor. x. 5. „ In „ captivitatem redigentes omnem intellectum „ in obſequium Chriſti. “ Magiſtralis quædam Gloſſa exponit, quod anima eſt imago Dei ſecundum ſuas potentias, ſecundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem: ita quod illud quod dicitur, *ex corde*, ad intelligentiam referatur: quod dicitur *ex anima*, ad voluntatem: quod *ex mente*, ad memoriam: ita ut perfecte Deo vivatur. Origenes ſic exponit. *Diliges Deum ex tota anima*, ita ut ſis paratus animam tuam ponere pro eo ſi neceſſe eſt. Ioan. xiii. 37. „ Animam meam po- „ nam pro te. “ Sed differentia eſt inter mentem & cor. Mens enim dicitur a metiendo: cor ſumitur pro ſimplicitate intellectus; mens vero quoad prolationem, quia per ſermonem metitur intellectus, ſive cogitatio: unde vult dicere, quod in locutionibus, & in meditationibus Deum totaliter diligamus.

Hoc poſito ſubdit: *Hoc eſt primum, & maximum mandatum*. Maximum capacitate: iſtud enim eſt, in quo omnia continentur, quia in iſto dilectio proximi continetur, ſecundum quod I. Ioan. iv. 21. dicitur: „ Qui diligit „ Deum, diligit & fratrem ſuum. “ Et ideo maximum. Item primum origine, maximum dignitate, & capacitate. Non primum in Scriptura, quia in Scriptura primum mandatum fuit: „ Dominus Deus tuus Deus unus „ eſt: “ Deut. vi. 4. Et quare? Quia omnis inclinatio appetitivæ virtutis eſt in amore; ideo habemus mandatum quod colamus Deum in dilectione. Ad Rom. xiii. 10. „ Plenitudo „ legis dilectio eſt. “ Ad Ephe. iii. 17. „ In „ caritate radicati, & fundati. “

Secundo ponit ſecundum mandatum: *Secundum autem ſimile huic eſt: Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Voluit ſignificare quod in mandatis eſt ordo. Et quæ eſt cauſa? Conſtat quod mandata ſunt de actibus virtutum; virtutes autem habent ordinem, quia una dependet ab alia; & ſicut virtutes, ſic & mandata.

Sed quare dicit quod eſt ſimile primo? Quia quando diligitur homo, cum homo ſit ad ſimilitudinem Dei, diligitur Deus in illo; ideo ſimile eſt primo mandato, quod eſt de dilectione Dei.

Sed quid intelligit nomine proximi, cum dicit, *Diliges proximum*? Iſtud ſatis ſignatur in parabola Luc. x. 16. ubi quæritur: „ Quis ti- „ bi videtur quod fuerit eius proximus? “ Et reſpondetur: „ Qui (c) fecit miſericor- „ diam in eum. “ Unde qui debet facere miſericordiam nobis, vel nos ipſi, ſub nomine proximi continetur. Sed non eſt aliqua rationalis creatura, cui non debeamus miſereri, & e converſo; & ideo ſub nomine proximi continetur homo, & Angelus. Et quod dicit, *Sicut teipſum*, non intelligitur quantum teipſum, quia hoc eſſet contra ordinem caritatis; ſed *ſicut teipſum*, ideſt eo fine quo teipſum, vel eo modo quo teipſum. (d) Eo fine, quia te non debes diligere propter te, ſed propter Deum, ſic etiam proximum. Apoſtolus I. Corinth. x. 31. „ Omnia in gloriam „ Dei facite. “ Item in eo quod teipſum diligis, diligis te in eo in quo vis tibi bonum, & ta-

(a) *Al.* referet. (b) *Al.* Lucas addit. (c) *Al.* fecerit. (d) *Al.* ideo fine.

Digitized by Google

& tale bonum quod ſit ſecundum te, & legem Dei; & hoc eſt bonum iuſtitiæ. Sic etiam & proximo debes optare bonam iuſtitiam: unde debes eum diligere, vel quia iuſtus eſt, vel quia iuſtus ſit. Item debes eum diligere eo modo quo teipſum, quia cum dico, Diligo iſtum, dico, Volo bonum ei. Unde actus dilectionis cadit ſuper duo: vel ſuper ipſum qui bonus eſt, vel ſuper ipſum bonum quod volo ſibi: unde diligo iſtum, quia volo ipſum eſſe bonum mihi. Unde aliquis diligit bona temporalia, quia ſcit ea bona eſſe ſibi. Aliqui vero diligunt aliquid, quia bonum eſt in ſe: ſic debes diligere teipſum, & etiam proximum.

Conſequenter aſſignat rationem quare iſta duo ſint maxima mandata: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ*: tota doctrina legis, & prophetarum dependet ab his. Finis in appetibilibus ſe habet ſicut principium in ſpeculativis: procedit enim ſcientia a principiis ad concluſiones, & ſic tota ſcientia ex principiis iudicatur, ſicut & in omnibus operabilibus totum dependet a fine. Quia ergo dilectio eſt finis: I. ad Tim. 1. 5. „ Finis „ præcepti eſt caritas: " ideo ab iſtis dependent omnia alia; & hæc eſt expoſitio Auguſtini. Origenes ſic exponit. In his, ideſt in obſervantia iſtorum, dependet intellectus legis & prophetarum: quia qui hæc obſervat, meretur intelligentiam legis, & prophetarum. Eccli. 11. 10. „ Qui timetis Dominum, diligi„ te, & illuminabuntur corda veſtra. " Pſalm. cxviii. 104. „ A mandatis tuis intellexi, pro„ pterea odivi omnem viam iniquitatis. "

Congregatis autem phariſæis, interrogavit eos Ieſus. Poſtquam reſponderat eis, ipſe voluit obiicere; & facit duo. Primo ponitur interrogatio; ſecundo eius effectus, ibi, *Nemo poterat ei reſpondere verbum*. Circa primum primo proponit interrogationem; ſecundo reſponſionem; tertio obiicit contra. Dicit ergo: *Congregatis autem phariſæis, interrogavit eos Ieſus*. Congregati autem erant ad tentandum: unde ponit interrogationem: *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt?* Hæc quæſtio difficillima erat, & congrua. Difficillima, quia habetur Eſa. liii. 8. „ Generationem eius quis „ enarrabit? " Erat etiam congrua, quia habebant opinionem quod eſſet purus homo, & non credebant ipſum eſſe Deum: quia ſic non tentarent eum, quia ſcriptum eſt Deut. vi. 16. „ Non tentabis Dominum Deum tuum. " Ideo ut oſtendat ſe Deum, dicit: *Quid vobis videtur de Chriſto?* Sequitur reſponſio: *Dicunt ei, David*. Chriſti enim erat duplex generatio: una ſecundum carnem, alia ſecundum divinitatem, ſecundum quam eſt Filius Dei Patris, de qua dicitur Pſal. 11. 7. „ Dominus „ dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie „ genui te. " Ideo ipſi reſpondent de generatione ſecundum carnem, cum dicunt, *David*. Hier. xxiii. 5. „ Suſcitabo David germen „ iuſtum. " Et ad Rom. 1. 3. „ Qui factus eſt „ ei ex ſemine David ſecundum carnem. " Et iſti inſufficienter reſponderunt, quia inſufficienter cognoſcebant eum. Tunc obiicit ut eis det intelligere aliam generationem: *Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis?* Pſal. cix. 1. Habetur in lege quod pater maior eſt filio: non ergo filius dominus eſt patris. Ergo vel Chriſtus non eſt filius David, vel in eo eſt aliquid maius David, cum vocet eum Dominum. Sed forte dicerent, quod David fuit deceptus: quod removet, quia in ſpiritu hoc dicit, unde „ Spiritu ſancto Dei locuti ſunt homines: " II. Petr. 1. 21.

Poſſumus autem tria videre in auctoritate iſta Pſalmi. Primo præeminentiam ad ſanctos, æqualitatem ad Patrem, & dominium ſuper rebelles. Præeminentiam ad ſanctos, cum dicit: *Dixit Dominus Domino meo*. *Dominus*, ſcilicet Pater, *Domino* ſcilicet Filio: ipſe enim Filius habet dominium ſuper omnes ſanctos. Nullus enim ſanctus illuminatur niſi a lumine vero; ipſe (*a*) autem eſt lumen verum. Ioan. 1. 4. „ Vita erat lux hominum. " Si ergo ipſe eſt, cuius participatione omnes ſancti lumen recipiunt, præeminentiam habet ad omnes ſanctos in eo quod dicitur (Pſal. cix. 4.) „ Tecum principium in die virtutis „ tuæ, in ſplendoribus ſanctorum. " Unde ipſe originaliter eſt ſplendor omnium ſanctorum. Item æqualitas Patris tangitur, cum dicitur: *Sede a dextris meis*: non quod ſint ſedes locales, ſed metaphorice, quia honorabilior locus eſt ſedere a dextris. Dicere enim eſt emittere verbum. Quod ergo dixit Dominus, *Sede a dextris meis*, quid eſt aliud (*b*) niſi quod generando me Verbum, dedit mihi poteſtatem, æqualitatem, & auctoritatem? Poteſt etiam exponi de temporalibus, ideſt in potioribus bonis; ſed non eſt ad propoſitum. Dominus enim ſemper videtur a dextris, ut in Mar. ult. 5. „ Viderunt iuvenem ſeden„ tem a dextris. " Et Stephanus, Actor. vii. 55. „ vidit Ieſum ſedentem a dextris virtutis „ Dei. " Et quid fiet de inimicis eius? Ei omnes ſubiicientur: unde ſubdit: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Iſti vel

(a) *Al.* enim. (b) *Al.* niſi generando.

Digitized by Google

vel ſunt penitus infideles, vel hi qui noluerunt obedire, & ſubeſſe: unde iſtos ponet *ſcabellum pedum tuorum*: ſcabellum enim eſt quod ponitur ſub pedibus; illud autem quod eſt ſub pedibus, totaliter ei ſubiicitur, non autem illud quod eſt in manu. Quidam ponuntur ſcabellum ad punitionem, quidam ad ſalutem. Ad punitionem qui nolunt facere eius voluntatem, ad ſalutem qui faciunt eius voluntatem.

Sed obiiciunt Arriani: Ergo non eſt æqualis Patri. Dico, quod legitur utrumque, & quod ſubiicirur Patri, & quod eſt æqualis Patri. I. ad Corinth. xv. 21. „ Oportet autem „ illum regnare, donec ponat inimicos ſub „ pedibus. “ Item Chriſtus ſibi omnia ſubiiciet. Philip. III. 3. „ Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori cla„ ritatis ſuæ. “ Unde illud dicit ad demonſtrandum unitatem poteſtatis: unde omnia quæ poteſt Pater, eadem poteſt & Filius.

Sed quid eſt quod dicit: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*? Ergo videtur quod poſtquam ſuppoſuerit inimicos, quod ultra non ſedebit a dextris. Dicendum, quod *donec* aliquando importat tempus determinatum, aliquando infinitum: hic vero importat infinitum.

Sed diceret aliquis: Nonne multi rebellant Chriſto? Ita, verum eſt quod multi rebellant; & ideo poterat eſſe dubium de rempore quando multi rebellarent; ideo voluit Chriſtus exprimere.

Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Ergo Dominus eſt, & filius, quia filius eſt ſecundum carnem, quia ab ipſo traxit originem, & Dominus ſecundum divinitatem.

Et nemo poterat reſpondere ei verbum. Hic ponitur effectus, & eſt duplex: quia Chriſtus & fuit reſpondens, & opponens: quia opponens, *nemo poterat reſpondere*. Iob IX. 3. „ Si voluerit contendere cum eo, non pote„ rit ei reſpondere unum pro mille. “ Item quia in reſpondendo confutaverat eos, ideo ſequitur: *Nec auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare*. Ideo poteſtis videre, quod iſti non interrogabant ut eos doceret, ſed ut eum tentarent. Deuter. XXXII. 7. „ Interroga patrem tuum, & annuntiabit „ tibi. “

CAPUT XXIII.

(a) TUnc Ieſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos, dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea movere. Omnia vero opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus eſt enim magiſter veſter; omnes autem vos fratres eſtis. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt. Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter unus eſt Chriſtus. Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter. Qui autem ſe exaltaverit humiliabitur, & qui ſe humiliaverit exaltabitur.

(b) Væ autem vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium. Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum; & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque iuraverit per templum, nihil eſt; qui autem iuraverit in auro templi, debitor eſt. Stulti, & cæci: quid enim maius eſt, aurum, an templum quod ſanctificat aurum? Et quicumque iuraverit in altari, nihil eſt; quicumque autem iuraverit in dono quod eſt ſuper illud, debet. Cæci: quid enim maius eſt, donum, an altare quod ſanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt; & quicumque iuraverit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo. Et qui iu-

rat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum. Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes calicem, camelum autem glutientes. Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis; intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis, ut fiat & id quod deforis eſt, mundum. Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus iuſti; intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate. Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennæ?

(c) Ideo dico vobis: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem, ut veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel iuſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapides eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

(a) SUpra oſtenſum eſt quomodo phariſæi, & ſcribæ provocati ſunt ex gloria Chriſti, & etiam ex ſapientia eius, qua colliſerat eos; nunc autem oſtendit quomodo ex iuſtitia qua eos arguebat. Et duo facit. Primo inſtruit aliquos; ſecundo redarguit. Secunda ibi, *Va autem vobis ſcriba, & phariſai.* Circa primum duo facit. Primo oſtendit eorum dignitatem; ſecundo aperit eorum intentionem in uſu auctoritatis, ibi, *Omnia opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus*. Circa primum tria facit. Primo commendat eorum auctoritatem; ſecundo docet exhibere obedientiam cum cautela; tertio aſſignat rationem. Secunda ibi, *Omnia ergo quacumque dixerint vobis, ſervate, & facite &c.* tertia ibi, *Dicunt enim, & non faciunt*. Dicit ergo: *Tunc Ieſus locutus eſt ad turbas &c.* Ita continuandum eſt. Dominus intantum eos confutavit quod nec interrogare audebant, nec reſpondere ſciebant. Sed, ſecundum quod dicit Chryſoſtomus, inutilis eſt ſermo qui redarguit, & non inſtruit: ideo convertit ſe ad turbas, & ad diſcipulos ſuos, ut eos inſtruat. Sciendum autem, quod quidam audiunt eum ut diſcipuli, quidam ut turbæ. Ut diſcipuli, qui veritatem percipiunt mente. Ioan. VIII. 31. „ Si „ manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli „ mei eritis: " Ut turbæ, qui veritatem mente apprehendere non poſſunt. Ideo quandoque convertit ſua verba ad turbas, quandoque ad dicipulos, quandoque ad utroſque; & diverſimode: quia ad diſcipulos alta dicendo, ut habetur Ioan. XV. 15. „ Quæcumque au„ divi a Patre meo, nota feci vobis: " quandoque vero ad turbas profert parabolas, ſicut habetur ſupra. Utriſque autem loquitur de neceſſitate ſalutis, & talia ſunt hæc verba: *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcriba, & phariſai*. Cathedra proprie eſt magiſtrorum, & ideo illi ſuper cathedram dicuntur ſedere qui ſunt ſucceſſores Moyſi. Eccli. XXIV. 33. „ Le„ gem mandavit Moyſes in præceptis iuſtitia„ rum. " Unde illi qui Moyſis legem docebant, ſedebant ſuper cathedram Moyſi. Et in lege continebantur quædam ad fidem pertinentia, & quædam ad bonos mores. Ad fidem pertinentia erant ea in quibus præfigurabatur Chriſtus: unde ipſe dicit, Ioan. V. 46. „ Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & „ mihi. " Item continebantur præcepta moralia. Eccli. XXIV. 33. „ Legem mandavit Moy„ ſes in præceptis iuſtitiarum. "

Sed notandum, quod ſupra cathedram ſedent & ſcribæ, & phariſæi, & diſcipuli Chriſti. Scribæ qui ſolam litteram conſiderant; phariſæi qui aliquantulum de ſenſu ſuo interiori; diſcipuli Chriſti qui totum perpendunt: &

non

Digitized by Google

non dicuntur diſcipuli Moyſi, ſed Chriſti. Luc. ult. 27. „ Incipiens a lege, & prophetis „ ioterpretabatur illis in omnibus Scripturis „ quæ de ipſo erant. “

Tunc monet eos ad obedientiam cum cautela; & facit duo. Primo hortatur ad obediendum; ſecundo ad cavendum: *Omnia quæcumque dixerint vobis, ſervate*, ſcilicet in corde, *& facite*, io opere. Deuteron. XVII. 9. „ Venies ad ſacerdotes Levitici generis, & „ ad iudicem: “ & poſt: „ & facies quæcumque dixeriot: “ & ſequitur: „ ſequeriſque ſeotentiam eorum. “ Et Apoſtolus (Heb. ult. IX.) „ Obedite præpoſitis veſtris. “ Et hoc eſt contra Manichæos, qui dicebaot legem veterem noo eſſe bonam. Et patet quod ſit bona, quia Dominus præcepit eam ſervari.

Sed poteſt quis obiicere: Ergo debemus legalia obſervare; quod eſt contra doctrinam Apoſtolorum, Actor. XV. Sciendum quod ſemper auctoritas ſervanda eſt legislatoris ſecundum intentiooem eius: ſed legislator aliqua dicit ut ſemper ſervaoda, & talia ſemper debent ſervari; aliqua vero dicit quæ ſuot velut umbra, ut habetur ad Coloſ. II. 17. „ Quæ ſunt umbra futurorum. “ Moralia ergo ſunt mandata ſecundum iotentionem legislatoris, ut ſemper ſerventur, ſed legalia pro tempore tantum, ſcilicet pro tempore ante Chriſtum: unde ante tempus illud debent ſervari, poſt noo: quia qui ſervaret, iniuriam Chriſto faceret. Et ponit Auguſtinus exemplum. Si diceret aliquis, Ego comedam cras, hæc vox eſt ſignum huius rei. Et ſi poſtquam comediſſet, diceret illud idem, non bene diceret. Sic cum iſta legalia eſſent ſigna Chriſti venturi, poſtquam Chriſtus venit, qui ſervaret ea, non bene ſervaret: onde *omnia quæ dixerint vobis*, ſecundum iotentionem legislatoris, *facite*.

Secundum vero opera eorum nolite facere. Hic docet cautelam. Debetis ſcire, quod prælatus præficitur, ut doceat non ſolum doctrina, ſed etiam vita. Et debemus nos ei concordare quantum ad ea quæ docet, quia ſecundum quod dicitur ad Gal. I. 9. „ Si quis evan„ gelizat vobis præter id qood accepiſtis, „ aoathema ſit. “ Similiter etiam debemus ei conformari in vita. Debet enim eſſe vita eius nobis in exemplum, ſicut vita Chriſti: unde I. Corinth. IV. 16. „ Imitatores mei eſto„ te, ſicut & ego Chriſti. “ Iſti vero non diſſonant a doctrina, ſed a vita; ideo doctrina eorum eſt attendenda, ſed vita cavenda.

Dicunt enim, & non faciunt. Hic aſſignat rationem. Et primo ponit ratiooem; ſecundo exponit, ibi, *Alligant autem onera gravia &c.* Tu dicis: Quæ dixeriot vobis facite: quia *dicunt*: Vos debetis beoefacere; *ſed non faciunt*; & ideo oon debetis facere ſecundum opera eorum: quia qui doces non furaodum, furaris. Pſal. XLIX. 16. „ Peccatori eoim dixit „ Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & „ aſſumis teſtameotum meum per os tuum? “ *Alligant enim onera gravia, & importabilia &c.* Domious enim vult exaggerare malitiam eorum, quia *dicunt, & non faciunt*. Si ſimpliciter dicerent, & non facerent, adhuc iſtud tolerabile eſſet; ſed noo ſufficit illis, quia adiiciunt præceptis Dei, graviſſima onera: & ideo notatur præſumptio eorum, quia alligant alia onera ſuper onera a Deo impoſita, quia faciunt novas obſervantias, ſicut habetur io Marco cap. VII. quod prohibebant comedere panem, niſi frequeoter (*a*) lavarentur manus: cootra illud Eſa. LVIII. 6. „ Diſ„ ſolve colligationes impietatis, ſolve faſci„ culos deprimentes. “ Item notatur crudelitas eorum qui impoount onera, contra illud I. Ioan. V. 3. „ Quia mandata Dei levia „ ſuot. “ *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*: ſupra XI. 29. Item notatur eorum indiſcretio, quia ſi forti grave imponerent, non eſſet magnum; ſed debilibus imponunt onera importabilia. Illud enim non poteſt portari, quod ſuperat vires portaotis. In Actor. XV. 10. „ Hoc eſt onus quod nec nos, „ oec patres ooſtri portare potuimus. “ Item notatur eorum nimia ſeveritas: quia ſi imponerent onus, & darent indulgentiam, adhuc ſufficeret; ſed ex quadam violentia (*b*) præcipiunt. *Imponunt in humeris hominum*: uode excedunt io dicendo. Item excedunt in non faciendo, quia ſunt aliqui homines qui non volunt perficere totum, tamen volunt aliquid perficere. Item ſuot aliqui (*c*) qui etſi nolunt facere aliquod difficile, voluot tamen aliquid leve. Item aliqui ſunt qui etſi non faciunt, habent tamen voluotatem faciendi. Sed qui nihil iſtorum vult, in malitia ſuper excedit: unde dicit: *Digito autem ſuo nolunt ea movere*: unde non ſolum noo faciebaot, ſed nolebant ea ſaltem digito ſuo movere, ideſt noo inchoare. Item nec etiam levia facere, quæ per digitum ſigoificantur. Ideo debetis facere quæ doceot, ſed noo ſequendi ſunt quoad opera, quia nec minimum faciuut. Chryſoſtomus dicit: „ Tales ſunt qui „ magna dicuot, & parva faciuot, & tales „ ſuot ſimiles exactoribus tributorum, qui

(a) *Al.* lavarent. (b) *Al.* præceperunt. (c) *Al. deeſt* qui.

Digitized by Google

„ aliis magna faciunt ſolvere pluſquam tributa exigant, ipſi autem ſui nihil ſolvunt. „ Non te videam magna docentem, (*a*) ſed „ parva facientem. Unde magis parcet tibi „ Dominus, ſi declinas ad miſericordiam, „ quam ad ſeveritatem. “

Omnia vero opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus. Hic intentionem proponit; & facit duo. Primo aperit eorum intentionem; ſecundo monet diſcipulos ad eorum vitationem. Et primo intentionem proponit; ſecundo exponit, ibi, *Dilatant enim phylacteria ſua &c.* Quæ eſt ratio quare dicunt, & non faciunt? Quia ſunt incorrigibiles. Cauſa autem quare homo ſit difficilis ad corrigendum, vel incorrigibilis, eſt quærere gloriam propriam: unde Chryſoſtomus: „ Tolle gloriam inanem „ de clero, & ſine labore alia omnia vitia re„ ſecabis. “ Unde ab iſto incipit, dicens: *Omnia vero opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus*. Ioan. XII. 43. „ Dilexerunt glo„ riam hominum magis quam gloriam Dei. “ Unde dicit: *Omnia vero opera ſua faciunt*, quia non ſolum unum, ſed omnia, *ut videantur ab hominibus*: contra illud quod dicitur ſupra VI. 16. *Nolite fieri ſicut hypocritæ*. (Ibid. 16.) *Nolite ergo aſſimilari eis*. Sequitur expoſitio: *Dilatant enim phylacteria ſua &c.* Et facit duo. Primo dicit quod faciunt; ſecundo quod requirunt: *Amant enim primos recubitus in cœnis &c.* Quid faciunt? Oneroſa non faciunt, ſed aliqua quæ exterius patent, bene faciunt. Unde Bernardus: „ Portant veſtes ſanctitatis, „ & hoc non eſt oneroſum, quod oſtendebant „ in phylacteriis, & in fimbriis. “ Dicitur enim Deut. VI. 8. (*b*) „ Ligabis ea in manu „ tua, & ante oculos tuos. “ In manu, ideſt in completione operis, & ante oculos tuos, ideſt in conſideratione tua. Ideo iſti volentes gloriam, ut viderentur zelatores mandatorum Dei, ſcribebant mandata in cedula, & ponebant ante oculos, & illud phylacteria vocabant; & dilatabant magis iſta, ut magis viderentur ab hominibus: unde dicitur: *Dilatant enim phylacteria ſua*. Item de fimbriis legitur Numer. XV. (*c*) quod præcepit Dominus ut facerent fimbrias, quia voluit ut diſcerneretur populus Iudaicus ab aliis populis. Et iſti ut magis oſtenderent ſe religioſos, magnificabant fimbrias, & alligabant ſpinas, ut viderentur ſe pungere, ut recordarentur ſe eſſe Iudæos. Non ergo exhibent niſi exteriora. Supra VII. 15. *Veniunt ad vos in veſtimentis ovium*. Et quid requirunt? *Ut videantur ab hominibus*. Hæc autem gloria in tribus oſtenditur. In primatu, (*d*) in reverentia exhibita, & in laude nominis: qui enim quærit gloriam, quærit unum iſtorum, vel omnia. Iſti autem quærebant primatum in loco ſacro, & in loco communi: unde in loco communi dicit: *Amant autem primos recubitus in cœnis*: volebant enim ſedere in capite menſarum, contra illud Luc. XIV. 8. „ Cum invitatus fueris ad nuptias, „ recumbe in noviſſimo loco. “ Et dicit, *Amant*, quia non reprehenditur auctoritas, ſed inordinatus appetitus. Quidam enim ſunt in primo loco corporaliter, qui tamen in corde ſedent in noviſſimo: & e converſo aliquis ſedet in noviſſimo loco, ut dicatur: Vide, ille eſt humilis, & ſic &c. ſed (*e*) in primo in corde, quia inde quærit gloriam. Item quærunt primatum in loco ſacro, quia in Eccleſia: unde dicit: *Et primas cathedras in ſynagogis*: contra illud Eccli. VII. 4. „ Noli quærere ab homi„ ne ducatum, neque a Rege cathedram ho„ noris. “ Item appetunt reverentiam: unde dicit: *Et ſalutationes in foro*; ideſt, ut ſalutentur, & honorentur ab hominibus, ut amoveatur capucium coram ipſis, & flectantur genua ante eos: & appetunt *vocari ab hominibus rabbi*; ideſt, quod laudentur ut magiſtri. Origenes refert iſtud ad illos qui dignitates appetunt in Eccleſiis: eſt enim quædam dignitas archidiaconorum, diaconorum, ſacerdotum, epiſcoporum. Diaconi ſunt ut præſint menſis, Act. VI. unde illi appetunt primos recubitus, qui appetunt locum diaconorum. Item cathedra proprie ſacerdotum eſt; ideo illi amant cathedras qui amant locum ſacerdotum. Qui autem debent eſſe magiſtri, ſunt proprie epiſcopi, unde illi volunt vocari rabbi, qui amant eſſe epiſcopi.

Vos autem nolite vocari rabbi. In parte iſta arcet ab imitatione gloriæ; ſecundo invitat ad humilitatem, ibi, *Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter*. Notandum autem, quod qui primatum habet, habet inſtruere, & gubernare; quorum primum eſt proprium magiſtri, ſecundum patrum: & ideo primo prohibet inanem gloriam quantum ad utrumque. Secundum ibi, *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram*. Circa primum primo ponit documentum; ſecundo rationem aſſignat. Dicit ergo: *Vos autem nolite vocari rabbi*: contra quod eſt illud I. ad Timoth. V. 17. „ Qui bene præ„ ſunt presbyteri duplici honore digni ha„ beantur, maxime qui laborant in verbo, & „ doctrina. “ Poteſt dici, *Nolite*; ideſt, non ambiatis: & ſubiungit rationem: *Unus eſt enim magiſter veſter &c.* ſcilicet Deus. Pſal. LXXXIV. 9. „ Audiam quid loquatur in me Do„ minus Deus. “

Sed

(a) *Al.* etiam parva. (b) *Al.* Ligabis enim in manu tua. (c) *Al.* deeſt quod. (d) *Al.* & reverentia exhibita in laude nominis. (e) *Al.* ſed in primo corde.

Digitized by Google

Sed quid vult dicere? Dicendum, quod ille proprie dicitur magiſter qui doctrinam habet a ſe, non ille qui traditam ab alio aliis diſpergit: & ſic ſolum unus eſt magiſter, ſcilicet Deus, qui proprie doctrinam habet; ſed miniſterio multi ſunt magiſtri. Si quæris auctoritatem, quæris quæ Dei ſunt; ſed ſi miniſterium, quæris quod humilitatis eſt: unde ſubditur: *Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter*; ideſt, (a) reputabit ſe miniſtrum. Chryſoſtomus dicit, quod ſicut unus eſt Deus per naturam, multi per participationem; ſic etiam unus magiſter eſt naturaliter, multi miniſterialiter.

Sed quomodo poteſt homo ſcire, quod a ſe non habeat doctrinam? Patet, quia ſic eſſet in eius voluntate dare doctrinam cui vellet, ſed non poteſt: immo ſolius Dei eſt, qui interius cor illuminat. Et eſt exemplum manifeſtum in ſanitate: quia medicus ſanat, quia aliqua exterius miniſtrat; ſed natura principaliter ſanat, medicus vero quædam adiuvamenta miniſtrat: & ſanat medicus ſicut natura, reducendo ſcilicet ad medium. Sic eſt de ſcientia, quia principium eſt nobis a natura, ſcilicet intellectus: unus qui docet adhibet quædam auxilia doctrinæ, ſicut medicus ad ſanitatem, ſed ſolus Deus operatur in intellectu: unde *unus eſt magiſter veſter*: unde non debetis vocari magiſtri.

Item oſtendit quod non ament auctoritatem patris: *Vos autem omnes fratres eſtis*: & hoc oſtendit ex æquali conditione. In magiſterio non fecit differentiam in qualitate conditionis, ſed in paternitate conditionem apponit: unde dicit: *Vos omnes fratres eſtis*: quia a me patre. Malach. ult. 5. „ Ecce ego mittam „ vobis Eliam prophetam: “ & poſt: „ & „ convertet cor patrum ad filios, & cor fi„ liorum ad patres eorum. “ Item eſtis filii mei per regenerationem. I. Pet. 1. 3. „ Qui „ regeneravit nos in ſpem vivam per reſur„ rectionem Ieſu Chriſti. “ Unde unus non habet auctoritatem ſuper alium. Et ſequitur: *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram*: quia enim eſtis filii patris ſuperni, ideo non debetis habere patrem in terris. Ille proprie dicitur patrem habere in terris qui hereditatem quærit in terris; & ille habet patrem in cælis qui hereditatem quærit in cælis. I. Petr. 1. 4. „ Qui regeneravit nos in hereditatem „ incorruptibilem, & incontaminatam, & „ immarceſſibilem, conſervatam in cælis. “

Quare ergo in monaſteriis maiores dicuntur patres? Dicendum, quod eſt quantum ad auctoritatem. Eph. III. 4. „ Poteſtis intellige„ re prudentiam meam in miniſterio Chriſti „ &c. “

Unus enim eſt pater veſter. Supra VI. 9. *Pater noſter qui es in cælis*. Item *nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter unus eſt Chriſtus*. Unde Chriſtus magiſterium ſibi attribuit, quia Chriſtus Verbum eſt, & ideo ipſius eſt docere, quia nullus docet niſi per verbum. Item eſt magiſter quantum ad naturam humanam, quia miſſus eſt ut doceret. Ioan. I. 18. „ Deum nemo vidit umquam. Unigenitus qui „ eſt in ſinu Patris, ille nobis enarravit. “ Item ibid. XIII. 13. „ Vos vocatis me Magi„ ſter, & Domine. “

Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter. Poſtquam retraxit a ſuperbia, hortatur ad humilitatem: & primo ponit hortationem; ſecundo aſſignat rationem. Et hoc poteſt ſic continuari. Chryſoſtomus: „ Vos non debetis „ patres vocari, nec magiſtri: unde hoc non „ debetis ambire, ſed magis humilitatem. “ Unde *qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter*; ideſt, debet ſe exhibere miniſtrum. Unde I. Corinth. IV. 1. „ Sic nos exiſtimet homo ut „ miniſtros Chriſti. “ Vel aliter ita dixerat: *Nolite vocari rabbi*: unde dicerent ei: Vis quod non ſit prælatio in terra? Dicit Dominus: Hoc non volo, ſed volo quod qui maior eſt veſtrum ſit miniſter veſter; ideſt, non ſe exiſtimet ut ſuperiorem, ſed ut miniſtrum. II. Corinth. IV. 5. „ Nos autem ſervos ve„ ſtros per Ieſum. “ Et hoc eſt quod dicitur Luc. XXII. 27. „ Quis maior eſt, qui mini„ ſtrat, an qui recumbit? &c. “ Deinde aſſignat rationem: *Qui autem ſe exaltaverit humiliabitur, & qui ſe (b) humiliaverit exaltabitur*. Unde in cantico Virginis, Luc. 1. 52. „ Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit hu„ miles. “

(b) Poſtquam inſtruxit diſcipulos, & turbas de cautela quam habere debebant ſuper doctrina Iudæorum; hic convertit ſermonem ad ſcribas, increpando eos. Primo increpat de ſimulatione religionis, cum irreligioſi eſſent; ſecundo de ſimulatione puritatis, cum impuri eſſent; tertio, de ſimulatione pietatis, cum impii eſſent: Secunda ibi, *Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis &c.* tertia ibi, *Væ vobis qui ædificatis ſepulcra prophetarum &c.* In his quæ ad religionem ſpectant, quædam a ſacerdotibus debentur populo, quædam e converſo. Primo ergo ponit malitiam eorum in his quæ a ſacerdotibus; ſecundo in his quæ a populo, ibi, *Væ qui dicitis: Quicumque iuraverit &c.* Sacerdos debet ſubdito iam converſo aliquid, & aliquid non

con-

(a) *Al.* reputabat. (b) Al. *humiliat*.

Digitized by Google

converſo. Non converſo, ut convertat ipſum; converſo doctrinam. Malach. II. 7. „ Labia „ ſacerdotis docent ſapientiam. “ Item debet ei ſuffragia. Ad Hebr. v. I. „ Omnis namque „ Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro ho- „ minibus conſtituitur in his quæ ſunt ad „ Deum. “ Et iſti mala agebant in utroque: unde primo arguit eos de primo; ſecundo de ſecundo, ibi, *Væ vobis qui comeditis domos viduarum &c.* In iſtis omnibus increpationibus deſignat ſe eſſe Filium eius qui veterem legem dedit. Denter. XXVI. & XXVIII. dantur maledictiones eis qui in lege non permanſerint, & poſt dantur benedictiones. Sed quia venerat ut ſolveret maledicta legis, ideo primo datæ ſunt ſuperius benedictiones, ubi dictum eſt (ſupra v. 3. 4.) *Beati pauperes*, *Beati mites &c.* Circa finem vero ſuæ doctrinæ dat maledictionem. Ideo male reprehendunt qui reprehendunt veterem legem propter hoc quod ibi continebantur maledictiones: quia ſicut in veteri lege, ita & in nova. Sicut enim in lege non maledicebantur niſi qui legem præteribant, ſic nec hic: Prov. III. II. „ Diſci- „ plinam Domini non abiicias. “

Sed quid eſt quod dicit: *Qui clauditis regnum cælorum ante homines*? Regnum cælorum dicitur beatitudo vitæ æternæ. Supra v. 20. *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Item ſacra Scriptura dicitur regnum. Supra XXI. 43. *Auferetur a vobis regnum Dei*, ideſt intellectus ſacræ Scripturæ. Ad utrumque regnum Chriſtus oſtium eſt. Ioan. X. 9. „ Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, „ ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, „ & paſcua inveniet. “ Quid eſt ergo clandere regnum, niſi quod iſti claudebant per malam doctrinam, & malam vitam? Non clauditur niſi quod apertum eſt. Doctrinæ de Chriſto apertæ erant; ſed iſti claudebant, quia obſcuras eas faciebant. Habetur Eſa. XXXV. 5. „ Dominns ipſe veniet, & ſalvabit nos. „ Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures „ ſurdorum patebunt. “ Quando Dominus faciebat iſta miracula, aperta erat hæc Scriptnra; ſed ipſi claudebant dicentes: „ In Bel- „ zebub principe dæmoniorum eiicit dæmo- „ nia: “ Luc. XI. 15. Item ipſi claudebant per malam vitam, quando per malum exemplum inducebant ad peccandum. Pſal. I. I. „ Bea- „ tus vir qui non abiit in conſilio impiorum, „ & in via peccatorum non ſtetit, & in ca- „ thedra peſtilentiæ non ſedit. “ Ille proprie in cathedra peſtilentiæ ſedet qui officium docendi accipit, & per malam vitam populum corrumpit. Per iniuſtam etiam ſententiam iudex hominem perimit, tamen iniuſtam ſententiam in vanum proiicit. Data eſt enim poteſtas ligandi, & ſolvendi ad ædificationem, non ad deſtructionem. Unde poteſt eis dici: *Væ vobis ... quia clauditis regnum cælorum ante homines*. Item quicumque impedit introitum ad regnum, non eſt dubium quin male agat: unde ſequitur: *Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare*; ideſt, alios converti. Unde Malach. II. 8. „ Receſſiſtis a via, & ſcan- „ dalizaſtis plurimos. “

Væ vobis ... qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Hoc eſt ſecundum væ, in quo tangitur ſimulatio quantum ad orationem. Et primo arguit de voracitate, cum dicit: *Qui comeditis domos viduarum*: quia quicquid faciebant, totum ad gulam retorquebant, ita quod eis convenit illud II. Mach. VI. quod totum templum luxuriis, & comeſſationibus erat plenum. *Domus viduarum*, ideſt facultates viduarnm. Sed quare magis domos viduarum quam aliorum? Ratio eſt, quia magis intendunt ſeducere mulieres, quia viri ſapientiores ſunt, & diſcretiores, nec ita cito decipiuntur. Item mulieres habent affectum magis proclivem ad largiendum. I. ad Tim. II. 10. „ Sed quod decet mulieres, promittentes pie- „ tatem per bona opera. “ Item *domos viduarum*: quia mulier quæ habet virum, habet eum ut caput, & ut conſiliarium; ideo non ita decipitur. Item coniugata non habet poteſtatem domus ſuæ, ſed vidua habet; ideo magis poteſt dare quam coniugata: & ideo magis faciebant quæſtum circa eas quam circa alias, cum magis eſſet eis dandum: unde bene convenit eis illud Pſal. XCIII. 6. „ Vi- „ duam, & advenam interfecerunt. “ Et hoc in oratione: *Orationes longas orantes*, propter ſimulationem ſanctitatis; & ſic retorquebant orationem ad quæſtum, & quæſtum ad gloriam: unde reprehendi poterant, quia guloſi, quia deprædatores, item quia ſimulabant ſanctitatem; & ideo ſequitur: *Et propter hoc amplius accipietis iudicium*; ideſt, amplius peccatis. Et quare? Quia ſi aliquis rapit per arma diaboli, peccat; & ſi per arma Dei, peccat dupliciter, quia peccat contra Deum, & contra proximum. Vel *amplius accipietis iudicium*: quia accipitis ab eis quibus debebatis dare. Vel *amplius*, ſicut habetur Luc. XII. 47. „ Ser- „ vus ſciens voluntatem domini, & non fa- „ ciens, vapulabit plagis multis. “

Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum. Et hoc dupliciter exponitur, ut referatur ad tempus poſt Chriſtum, & ante Chriſtum. Si ad tempus poſt, ſic loquitur futura, & præſentia. Prævidit enim quod per totum mundum Iudæi eſſent diſpergendi, &

quod

Digitized by Google

quod cnnverterent ad legem ſuam, & perverterent a Chriſto quos poſſent: & ideo dicitur: *Circuitis mare, & aridam &c.* Dicuntur proſelyti qui convertuntur a gentibus ad fidem eorum, vel a Chriſtianis: (*a*) & quia prævidebat iſtos aliquos ad fidem ſuam converſuros de Chriſtianis, ideo hnc dicit: & dicit, *Vnum*, quia pauciſſimi converſi ſunt. Ideo intrarunt illam maledictionem, quæ habetur Oſeæ IX. 10. „ Quaſi uvas in deſerto in„ veni Iſrael. “ *Et cum factus fuerit*, ſcilicet Iudæus, *facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*: quia eſt primo Gentilis, & poſt Iudæus, & tunc (*b*) habet duplicia peccata, ſcilicet gentilitatis, & Iudæorum: quia (*c*) cum fit Iudæus, fit particeps occiſionis Chriſti. Si autem fuerit Chriſtianus, & poſt Iudæus, efficitur in dupln peior: quia maculat donum Spiritus ſancti quod acceperat in ſacramentis. Item particeps fit peccatorum Iudæorum. Ioan. VIII. 14. „ Vos ex patre diabolo eſtis. “ Pnteſt etiam referri ad tempus ante Chriſtum, quia ante Chriſtum convertebant aliquos ad fidem ſuam. Et hoc patet, quia quilibet diligit magis ſe qnam alium: ergo ſi converterent alios propter ſalutem animæ, magis deberent de ſui ipſius ſalute curare; ſed non curabant, ſed hoc ſaciebant totum propter quæſtum, quia volebant quod oblationes augmentarentur: unde (*d*) futilis erat doctrina eorum. *Et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*: quia primo convertebatur ad Iudaiſmum, & ſcandalizabatur, (*e*) & ſic poſt iterato convertebatur. Unde II. Pet. II. 21. „ Melius eſt viam iuſtitiæ non „ agnnſcere, quam poſt agnitam regredi. “ Item aliter. Antequam eſſet Iudæus, abſtinebat a malis, ſaltem propter laudem hominum; ſed poſt, non: unde ad Rom. II. 14. „ Cum enim gentes, quæ legem non habent, „ naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſ„ modi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex. “ Unde accipiebant exemplum a malis.

Væ vobis duces cæci. In hoc oſtendit quomodo ſunt ſimulatores ſanctitatis in his quæ prælatis debentur. Et primo de oblationibus; ſecundo de decimis, ibi, *Væ vobis .... qui decimatis rnentham &c.* Videte: primo ponit traditionem eorum; ſecundn arguit tribus rationibus. Prima pars, ubi ponitur traditio cum ratione, habet duas partes. Secunda ibi, *Et quicumque iuraverit in altari &c.* Iſti totam religionem trahebant ad quæſtum, ut traherent homines ad offerendum. In templo erat multum aurum poſitum: unde dicebant, (*f*) quod ſi aliquis iuraret per templum, nihil debebat, ſed qui iurabat per aurum, obligabat ſe ad tantum pro quo iurabat. Item ſecunda traditio erat, quod erat ibi altare, & offerebantur multa ſuper altare: unde dicebant quod qui iurabat per altare, nihil ſolvebat; qui autem per oblationem, obligabat ſe ad valorem nblationis. Et quare? Ut lucrarentur ex pœnis, & ut elevarent per ſanctitatem oblationem, & ut incitarentur homines ad magis offerendum. Et primo pnnit primam partem; ſecundo ſecundam. Circa primum duo facit. Primo prnponit traditionem; ſecundo improbationem, ibi, *Stulti, & cæci &c.* Dicit ergo: *Væ vobis duces cæci &c.* Idem habetur ſupra XV. 14. *Cæci ſunt, & duces cæcorum*. Eſa. LVI. 10. „ Speculatores eius „ cæci omnes. “ *Qui dicitis: Quicumque iuraverit per templum Dei, nihil eſt*: quia impoſſibile eſt quod iſte aliud templum faciat: *qui autem iuraverit in auro templi*, ideſt per aurum, *debitor eſt*, ſcilicet illius auri. Conſequenter ponit improbationem: *Stulti, & cæci: quid enim maius eſt, aurum, an templum quod ſanctificat aurum?* Conſtat quod illud quod eſt in templo, ratione templi ſanctum eſt: unde qui aliquid in templo furatur, ſacrilegium committit: unde maius eſt iurare per templum quam per aurum. Chryſoſtomus: „ Contra quoſ„ dam qui dicunt quod iurare per Deum, ni„ hil eſt. “ Unde qui iurant per Deum, credunt nihil iurare, (*g*) ſed cum iurant per ſancta Dei Evangelia, credunt magnum eſſe. Unde poteſt eis dici: Quid maius eſt, (*h*) Deus, vel Evangelium? Conſtat quod Deus, & hoc verum eſt ſimpliciter; ſecus cum aliqua circumſtantia additur quæ aggravat peccatum; quia qui iurat per ſancta Evangelia Dei, iuravit cum quadam deliberatione, & ſolemnitate; & ideo gravius peccat. Deinde ponit ſecundam partem traditionis: *Et quicumque iuraverit in altari, nihil eſt; qui autem iuraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet*. Tunc ponit reprobatinnem: *Cæci, quid maius eſt, donum, an altare quod ſanctificat donum?* Non enim ſanctificatur donum niſi per altare. *Qui ergo iuraverit in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt*. Hic ponit aliam rationem. Templum continet aurum, & non e converſo; ſimiliter aurum continet donum, & non e converſo: unde qui iurat per templum, iurat per aurum quod eſt in templo; & qui iurat in altari, ideſt per altare, iurat per id quod eſt in eo. Item ſequitur alia ratio: *Et qui iuraverit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo*. Iſti dicebant:: Qui iurat in templo, nihil iurat. Sed ipſe vult oſten-

(a) *Al.* & ideo. (b) *Al. omittitur* habet. (c) *Al.* cum ſunt Iudæi, fiunt participes. (d) *Al.* ſubtilis.
(e) *Al.* ſi poſt. (f) *Al. deeſt* quod. (g) *Al.* ſed iurant. (h) *Al.* vel Deus.

Digitized by Google

oſtendere, quod qui iurat per templum, iurat per Deum: quia non iurat per templum niſi ſanctificatum; & non eſt ſanctificatum niſi Deo: ergo qui iurat per templum, iurat per Deum. Deinde ponitur alia ratio: *Et qui iurat in cælo*, ideſt per cælum, non iurat per eum, niſi quia thronus Dei, & quia manifeſtatur ibi potentia Dei: unde *qui in cælo iurat, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum*. Pſal. x. 5. „ Deus in templo ſancto ſuo, Do„ minus, in cælo ſedes eius. “ Et iſtud inducitur ibi ſecundum ſimilitudinem. (*a*) Sed myſtice, ſecundum Origenem, facit mentionem de templo, de auro, & de altari, in quibus ſignificatur vita contemplativa, & glorioſa. Per aurum contemplativa ſignificatur, per quod ſignificatur ſubtilis ſenſus excogitatus ipſius Scripturæ: quia quantumcumque videatur rationabilis, nihil eſt niſi ſit in templo, ideſt niſi confirmetur in ſacra Scriptura. Per altare ſignatur cor, in quo debet eſſe ignis devotionis. Levit. vi. 12. „ Ignis in altari meo non deficiet. “ Per oblationes ſervitia, & oblationes, quæ niſi a corde ſancto, vel ab altari ſancto exeant, non poſſunt valere. Supra vi. 22. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Per thronum vita glorioſa ſignatur. Ibi Deus eſt qui eſt excedens univerſa. Vel per altare, & templum intelligimus Chriſtum: ipſe enim ſe nominat templum. Ioan. ii. 19. „ Sol„ vite templum hoc, & in tribus diebus re„ ædificabo illud. “ Item dicitur altare, ad Heb. ult. 10. „ Habemus altare, de quo e„ dere non habent poteſtatem qui in taber„ naculo deſerviunt. “ Unde quicquid boni facimus, niſi ſit in templo hoc, ideſt Chriſto ſanctificatum, non valet: unde totum contemptibile eſt niſi referatur ad Chriſtum.

Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum. Hic reprehendit eos de decimis; & tria facit. Primo ponit eorum conſuetudinem; ſecundo inducit doctrinam; tertio ponit quamdam ſimilitudinem. Secunda ibi, (*b*) *Hæc oportuit facere*; tertia ibi, *Duces cæci, excolantes culicem &c*. Unde dicit: *Væ vobis ſcribæ, & phariſæi*: & ſuperaddit, *hypocritæ*, quia principalis intentio erat ſimulatio: *qui decimatis mentham, anethum, & cyminum*. Poteſt intelligi, vel decimas datis, vel qui decimas exigitis: unde plurimi erant ſacerdotes, & levitæ, ad quos pertinebat decimas exigere, quæ eis debebantur, ut habetur Num. xviii. & Deut. xiv. ideo diligentiſſimi erant ad exigendum, ideo uſque ad minima exigebant, ut de cymino, & anetho. *Et reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, iudicium, miſericordiam, & fidem*. Quædam enim debebantur ſacerdotibus propter ſe, ut decimæ ex quibus debebant vivere; (*c*) ad quædam vero tenebantur propter Deum, ut facere iudicium, & miſericordiam: unde Dominus ab eis iſta requirebat, ſcilicet iudicium, & miſericordiam. Pſal. c. 1. „ Miſe„ ricordiam, & iudicium cantabo tibi, Domi„ ne. “ Item vult fidem propter gloriam ſuam: unde illa ad quæ tenebantur propter Deum, non curabant: unde dicit: *Et reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem*. Sed de decimis, ad quæ tenebantur propter ſe, bene curabant, ſecundum illud Phil. ii. 2. „ Omnes quærunt quæ „ ſua ſunt, non quæ Dei. “ E contrario facit caritas, quæ „ non quærit quæ ſua ſunt, ſed „ quæ Ieſu Chriſti: “ I. Cor. xiii. 5. Item poteſt dici: Væ vobis qui decimas datis, quia datis de minimis, de mentha, & cymino, & huiuſmodi, & hoc ut appareatis religioſi; ſed de interioribus non curatis, quia nec miſericordiam, nec iudicium, nec fidem diligitis. Supra xii. 7. *Si ſciretis quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, numquam condemnaſſetis innocentes*. Origenes dicit, quod per mentham, & cyminum &c. poſſunt quædam intelligi, quæ ad honeſtatem religionis pertinent: unde miſericordia, iudicium, & fides ſunt ſicut cibi, alia vero minima ſunt ſicut condimentum: unde ſicut faciebant maiorem vim in condimento ſuo in parando cibum quam in cibo, ſic & iſti magis faciebant vim in hoc quod flecteretur genu coram eis quam in eis quæ ad Deum pertinebant.

Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Quia dixerat, *Væ vobis qui decimatis*, poſſet aliquis dicere, quod prohiberet Dominus dare decimas, (*d*) ideo dicit quod immo, cum dicit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*; quaſi dicat: Non (*e*) peccatis in iſtis, ſed in omittendo ea ad quæ magis tenemini: ideo & *hæc oportuit facere*, ideſt decimas exigere, *& illa*, ſcilicet iudicium, iuſtitiam, & fidem, *non omittere*.

Sed hic poteſt eſſe quæſtio de decimis. Videtur Dominus ponere neceſſitatem ſolvendi decimas: unde in toto novo teſtamento non ita expreſſe ſit mentio ſicut hic. Sed numquid ex præcepto legis habetur? Non: quia in lege quædam moralia continentur, quædam cæremonialia, quædam iudicialia. Moralia per omne tempus ſervanda ſunt, & ab omnibus: cæremonialia a certis hominibus, & certis tem-

(a) *Al.* Sed ſecundum miniſterium Origenis. (b) Al. *Et hæc*. (c) *Al. omittitur* ad. (d) *Al.* immo.
(e) *Al.* peccaſtis.

temporibus, ut circumciſio; & hęc erant ſolum in figura: item quædam iudicialia, ut ſi quis furaretur ovem, reddat quadruplum: ideo quæritur de decimis, utrum decimæ ſint præceptum morale. Et videtur quod non, quia moralia ſunt de lege naturali. Illud autem ſolum eſt de lege naturali quod ratio naturalis ſuadet; ſed non plus ſuadet dare decimam quam nonam, vel undecimam &c. ergo non eſt de iure naturali. Item ſi decimæ ſint cæremoniales, ergo peccant qui ſolvunt eas.

Ad hoc dixerunt qui ante nos fuerunt, quod quædam ſunt pure moralia, quædam pure cæremonialia, quædam habent aliquid de morali, & aliquid de cæremoniali. *Non occides*, pure morale eſt. Similiter, *Dominum Deum tuum adorabis &c.* Si dicas: „ Quartadecima luna ad veſperam offeres agnum: “ iſtud pure cæremoniale eſt. Sed ſi dicitur: „ Memento quod diem ſabbati ſanctifices: “ aliquid habet naturale, vel morale, & aliquid cæremoniale. Morale, ſcilicet quod ratio naturalis ſuggerit, ſcilicet quod habeat aliquod tempus, ad quod vacat, vel in quo vacet ad orandum Deum. Sed quod die ſabbati, vel dominico &c. iudiciale eſt: unde dicunt quod præceptum de decimis partim cæremoniale eſt, partim morale. Sunt enim ad ſuſtentationem pauperum, & eorum qui vacant ſervitio Dei, vel prædicationi: (*a*) qui enim ſervit communitati, convenit ei de communitate vivere; & hoc eſt de iure naturali. Sed quod decimam partem, hoc eſt cæremoniale.

Sed numquid tenentur modo? Dico quod determinatio ad quemlibet principem qui habet poteſtatem legem conſtituendi, pertinet: unde in poteſtate Eccleſiæ eſt conſtituere vel decimam, vel nonam, vel huiuſmodi: unde tenentur, non quia ſit de iure naturali, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ.

Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. In parte iſta ponit ſimilitudinem: unde dicit, *Excolantes culicem*. Qui excolat cum difficultate tranſglutit: unde vult dicere, quod magnam curam ponunt in minimis, & parvam in magnis. Vel per culicem peccata minima intelliguntur, per camelum grandia: unde faciunt vim in parvis peccatis; & hoc eſt quod dicit: *Camelum autem tranſglutientes*.

Væ vobis ſcribæ, & phariſæi, qui mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis. Supra Dominus increpuit phariſæos de ſimulatione quam exterius prætendebant, quam non habebant in corde, ſed ad quæſtum retorquebant; hic de ſimulatione puritatis quam exterius oſtendebant. Et hic primo quantum ad appetitum temporalium bonorum, vel quantum ad peccata carnalia; ſecundo quantum ad ſpiritualia. Et primo agit de primo; ſecundo de ſecundo, ibi, *Væ vobis .... quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis*. Circa primum duo facit: primo enim arguit eorum ſimulationem; ſecundo proponit ſacram doctrinam, ibi, *Phariſæe cæce &c.* Dicit ergo: *Væ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis &c.* Notate quod iſtud poteſt intelligi dupliciter. Uno modo quod ſit locutio propria; & vult tangere morem phariſæorum, qui ponebant magnam curioſitatem in mundando exteriora, ut habetur ſupra VII. quia ſervabant munditiam urceorum, & vaſorum: unde *væ vobis*, qui magnam ſolicitudinem imponitis in mundando vaſa, ſed non corda: unde ſequitur: *Intus autem*, ideſt in corde, *pleni eſtis rapina, & immunditia*. Hieronymus vult quod ſit figurativa locutio: unde vult quod intelligatur munditia omnis quæ foris oſtenditur. In paropſide cibus miniſtratur, in calice potus. Homo autem (*b*) paropſis dicitur. Cibus autem in quo Deus delectatur, ſunt bona opera quæ facit. Ioan. IV. 34. „ Cibus meus „ eſt ut faciam voluntatem Patris mei. “ Conſtat quod uſus calicis, & paropſidis non eſt in ſuperficie exteriori, ſed interiori. Ille ergo mundat calicem exterius qui parat corpus ſuum exterius. Vos autem eſtis huiuſmodi: *Intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia*. Et duo ponit, rapinam, & immunditiam, quia duo ſunt genera peccatorum: carnalia quæ conſummantur in delectatione carnis, ut gula, & luxuria; alia quæ in delectatione ſpiritus, ut ſuperbia, & avaritia: quia avaritia quantum ad obiectum, ſic tenet cum peccato carnali, quantum ad completionem, quia completur in delectatione mentis, ſcilicet in cupiditate pecuniæ, ſe tenet cum ſpirituali: unde reprehendit avaritiam, cum dicit, *Rapina*. Rapina autem proprie eſt quando accipitur alienum; ſic proprie avarus detinet alienum: unde opponitur iuſtitiæ. Eſa. III. 34. „ Rapina pauperum in domo veſtra. “ Item *pleni immunditia*, quantum ad gulam, & luxuriam. Anima redditur impura per paſſionem; nulla autem paſſio ita deprimit rationem, ſicut gula, & luxuria. Eph. V. 3. „ Fornicatio, „ & immunditia, aut avaritia nec nominetur „ in vobis, ſicut decet ſanctos. “

Tunc reducit ad ſanam doctrinam: *Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis*. Tota puritas exterior eſt a puritate interiori, ut habetur ſupra VI. 22. *Si oculus*

(a) *Al.* Qui enim ſervit communitati Dei, convenit &c. (b) *Al.* paropſidis.

tus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Ideo docet quod mundet cor; & ſic erit totum mundum: unde dicit: *Phariſæe cæce &c.* Sapien. II. 21. „ Excæcavit eos malitia eo„ rum:" *munda quod interius eſt*: quia quodcumque fiat exterius, dummodo fiat ex bona voluntate, totum bonum eſt. Proverb. IV. 23. „ Omni diligentia ſerva cor tuum. " Item poteſt intelligi intellectus ſacræ Scripturæ. Eccli. XV. 3. „ Cibavit eum pane vitæ, & „ intellectus: " in quo propinatur ſapientia. Panis ſapientiæ eſt verbum vitæ: unde quidam volunt ornare verbum exterius, & de ſapientia non curant. Et iſti mundant quod deforis eſt.

Væ vobis .... quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis. Hic arguit eos quantum ad peccata ſpiritualia: & primo ponit ſimilitudinem; ſecundo exponit. Sepulcrum dicitur ubi mortuum corpus quieſcit. Mortua corpora ſanctorum templum Dei ſunt, in quibus Deus habitat. I. Corinth. III. 17. „ Templum Dei „ ſanctum eſt, quod eſtis vos. " Corpus eſt habitaculum animæ, & anima eſt thronus Dei; ita ſicut corpus eſt habitaculum animæ, ita anima Dei. Pſal. X. 5. „ Dominus in tem„ plo ſancto ſuo &c. " Corpus vero peccatoris eſt ſepulcrum, quia mortuum continet, quia anima per peccatum moritur; ideo mali ſepulcrum dicuntur. Pſal. XIII. 3. „ Sepul„ crum patens eſt guttur eorum. " In ſepulcro eſt corpus mortuum intus, tantum aliquando exterius eſt aliqua imago, quæ videtur in facie vivere. Apocal. III. 1. „ Nomen „ habes quod vivas, & mortuus es. " Et ideo dicit: *Quæ foris apparent ſpecioſa*, propter decorem exterius appoſitum, *intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia*, ideſt omni putredine, & omni immunditia. Poſt hoc exponit: *Sic & vos foris quidem apparetis hominibus iuſti*; ideſt, homines vos iudicant iuſtos; *intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate*. Comprehendit peccata carnalia, avaritiam, & gulam, ſicut dictum eſt ſupra, ſub qua vanagloria continetur. Ioan. XII. 43. „ Di„ lexerunt magis gloriam ſuam quam Dei. " Item ſub iniquitate, omnia peccata ſpiritualia.

Tunc cum dicit, *Væ vobis .... qui ædificatis ſepulcra prophetarum*, arguit eos de ſimulatione pietatis; & duo facit. Primo ponit ſimulationem eorum; ſecundo crudelitatem, ibi, *Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis &c.* Item ſimulant dupliciter, factis, & verbis: unde primo redarguit eos de factis; ſecundo de verbis. Secunda ibi, *Et dicitis: Si fuiſſemus &c.* Dicit ergo: *Væ vobis qui ædificatis ſepulcra prophetarum*.

Sed quid eſt? Numquid ipſi male faciebant? Nonne nos hoc bene facimus, qui corpora ſanctorum in capſis argenteis, & aureis ponimus? Dicunt aliqui, quod non (a) reprehenduntur de opere, ſed de intentione: quia mala erat eorum intentio: faciebant enim ut memoria ſceleris patrum ſuorum ad memoriam redigeretur hominum: unde conſuetudo erat quod quando aliquod novum accidebat, quod fiebat aliquid ad memoriam illius: unde volebant quod audacia parentum, qui auſi fuerunt interficere prophetas, eſſet in memoriam omnium. Sed hæc expoſitio non conſonat litteræ; ideo aliter dicendum, quod non vituperantur propter hoc, ſed quia non faciebant hoc niſi ut exterius oſtenderent ſigna pietatis, ſicut ſupra dicitur, quod decimabant mentham, & cyminum.

Item *ornatis ſepulcra iuſtorum*. Ornabant ſepulcra, & tamen habebant animum ad interficiendum propter ſimulationem. „ Similiter „ (dicit Chryſoſtomus) eſt temporibus no„ ſtris, quod ſi aliquis faciat multa bona, „ ornet ſepulcra, manum habeat largam, & „ huiuſmodi, ſi in lapidibus ædificet, & in„ tendat vanam gloriam, (b) nec ambulet in „ viis Domini; non prodeſt ei. " Item oſtendebant verbo pietatem: *Et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum*. Commune eſt quod in factis aliorum omnes ſunt iudices auſteri: unde ſi videmus aliquem peccantem, iudicamus grande peccatum, noſtrum autem peccatum attenuamus; ideo iſti filii malitiam patrum ſuorum cognoſcebant, ſuam autem non. Supra VII. 5. *Eiice primo trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui*.

Tunc ponit crudelitatem eorum, & primo in generali; ſecundo in ſpeciali: & ponit pœnam temporalem, ibi, *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas*. Circa primum primo deſcribit originem; ſecundo imitationem mali; tertio minatur pœnam. Dicit: *Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum qui prophetas occiderunt*.

Sed quid mali erat eis, quia non erat in poteſtate eorum? Ideo videtur quod non debebat eis imputari. Videte: aliquando (c) filius non imitatur peccata patris, aliquando imitatur malitiam paternam. Si non ſequitur malitiam paternam, non ei imputatur. Aliquando accidit quod habet bonum patrem, & malam matrem, & e converſo; & ſequitur

(a) *Al.* reprehenduntur opera. (b) *Al.* non. (c) *Al.* filius etiam imitetur.

tur bonitatem patris, vel matris. Sed ſi uterque malus, raro accidit quin imitetur malitiam eorum. Et ratio eſt, quia filii malorum aſſueſcunt (a) malis a principio, & ei quod aſſueſcunt in iuventute, fortius adhærent; & ideo magis ſunt proclives ad malum. Item parentes mali cum vident filios aliquod malum agere, non caſtigant eos: quare peccatum eorum aggravatur, ita quod peccata parentum redundant in filios. Exo. XX. 5. „ Ego „ ſum Deus zelotes vindicans peccata patrum „ in filios. " Ideo dicit: *Quia filii eſtis eorum*, qui habetis malitiam eorum. Sapien. III. 12. „ Nequiſſimi filii eorum. " Unde eſtis filii per imitationem; & hoc eſt quod ſequitur: *Implete menſuram patrum veſtrorum*. Non eſt imperativum, ſed nuntiativum: *Implete*; ideſt, implebitis, quaſi ut homo loqueretur; ideſt, interficietis me. Ioan. XIII. 27. „ Quod facis, „ fac citius. " Vel poteſt eſſe (b) permiſſivum; ideſt, non impediemini per me; ideſt, aliquando voluiſtis, ſed non permiſi; de cetero non impediam: ideo *implete menſuram patrum veſtrorum*.

Sed quid eſt quod dicit, *Implete*? Videndum, quod omnia quæ eveniunt, ex certo Dei iudicio eveniunt. Sed in illo Dei iudicio non ſtatim ſolvitur pœna, donec totaliter exaggeretur, & veniat ad cumulum: unde quantum ad iudicium Dei non adhuc erat impleta culpa eorum. Unde interfecerunt prophetas, & non eſt adhuc impleta culpa; ſed in me complebitur. Ideo *implete menſuram patrum veſtrorum*. Eſa. XXVII. 8. „ In menſura „ contra menſuram, cum abiecta fuerit, iu„ dicabis eam. " Vel *implete*. Patres peccaverunt, ſed vos implete. Tunc aliquis implet quando pervenit ad tantum quantum patres ſui. Ideo patres veſtri occiderunt prophetas, & vos implete. Vel poteſt dici, quod illi peccaverunt ſervos interficiendo; iſti autem filium interficiendo: unde impleverunt nequitiam patrum. Sed Dominus voluntarie ſe obtulit, & non ſe oppoſuit. Item non improperat eis peccatum ſuum, ſed ſolum ſuorum, quia boni paſtoris eſt ut iniuriam ſuorum reputet ſuam.

Tunc ſubiungit de pœna: *Serpentes genimina viperarum &c.* Et videtur quod ſatis congrue loquitur de culpa. Serpens animal venenoſum eſt, & occidit veneno ſuo: ſic iſti ſerpentes dicuntur, quia prophetas occiderunt. De vipera etiam dicitur quod pariendo moritur: unde fetus corrodit viſcera matris: ſic cum ipſi eſſent mali, (c) vituperabant patres. Unde vos tales *quomodo effugietis iudicium gehennæ*? Secundum iudicium hominum evaditis, ſed ſecundum iudicium Dei quomodo (d) evadetis? Unde oportet habere cor mundum. Iob XIX. 29. „ Fugite a facie gla„ dii. "

(b) In parte iſta ponit crudelitatem eorum, & addit pœnam temporalem: & primo primum facit; ſecundo pœnam addit. Et primo ponit beneficium; ſecundo culpam; tertio magnitudinem pœnæ. Unde dicit: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas &c.* Et poteſt referri ad illud quod immediate ſequitur, vel ad illud totum quod ſequitur. Si ad totum, ſic planiorem habet ſenſum. Ita dico quod eſtis impleturi, & quod eſtis ſerpentes &c. *Unde mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis*: quia tales eſtis qui occidere conſuevitis. Vel aliter, ita quod ad totum referatur. Dominus vult quod iudicium non ſolum ſit iuſtum, ſed quod appareat iuſtum, ut exempla alii accipiant. Unde ſi aliquis habeat bonum propoſitum, Dominus remunerat eum de bono propoſito, & inde dat voluntatem exercendi opus bonum: ſic e contrario cum aliquis habeat propoſitum malum, & ſit plenus mala voluntate, ſecundum quod dicitur Oſeæ II. 6. „ Sepiam viam ſpinis: " excitat iram Dei, & ex ira Dei eſt ut manifeſtetur malitia ſua. Ideo *mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas; & vos occidetis*. Et dicit, *Ecce*, quia in promptu eſt, quia miſit Apoſtolos: unde Actor. I. 8. „ Et eritis mihi te„ ſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & „ Samaria, & uſque ad ultimum terræ. "

Sed notate, quod in hoc quod dicit, *Mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas*, diverſa dona Spiritus ſancti ſignificat. „ Alii „ datur donum ſapientiæ, alii genera lingua„ rum &c. " I. Corinth. XII. 10. Omnia iſta dona habuerunt Apoſtoli. Habuerunt donum prophetiæ in dicendo futura. Ioel. II. 28. „ Effundam de ſpiritu meo ſuper omnes gen„ tes, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ „ veſtræ. " Item ſapientiæ, quia omnia cognoſcebant. Luc. XXI. 15. „ Dabo vobis os, & „ ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & „ contradicere omnes adverſarii veſtri. " Item fuerunt ſcribæ, quia intellectum Scripturæ habuerunt. Luc. ult. 45. „ Aperuit eis „ ſenſum ut intelligerent Scripturas. "

Et quare hoc prædicit? Ut diſcipuli cogitantes quod audierunt, facilius ſuſtineant. Item ad convincendam malitiam eorum, quia ſicut patres eorum prophetas occiderunt, ſic iſti Apoſtolos: unde, *Ex illis occidetis*, ut ha-

 betur

(a) *Al.* mala. (b) *Al.* permiſſum. (c) *Al.* viperabant. (d) *Al.* evaditis.

Digitized by Google

betur Actor. xii. 2. quia „ Herodes occidit „ Iacobum ſratrem Ioannis gladio , videns „ quia placeret Iudæis . “ Alii fuerunt crucifixi : unde , *Et crucifigetis* : hæc enim erat mors viliſſima ; ideo hac morte occiderunt Chriſtum , ſecundum illud Sap. 11. 20. „ Mor„ te turpiſſima condemnemus eum . “ *Et flagellabitis* . Actor. v. dicitur, quod cæſis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Ieſu . *Et perſequemini* . Iſtud manifeſtum eſt quo modo Paulum perſecuti ſunt . Et ſupra x. 23. *Si perſecuti fuerint vos in una civitate , fugite in aliam* .

Ulterius ponitur pœna , quæ quia videbatur gravis , ideo confirmat : *Amen dico vobis , venient hac omnia ſuper generationem iſtam* . Dicit : *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus a ſanguine Abel iuſti uſque ad ſanguinem Zacharia filium Barachia* . Quis ſit iſte Abel notum eſt , quia iſte occiſus eſt a Cain fratre ſuo . Sed de iſto Zacharia , quis fuerit non habetur . Legitur quod tres fuerint Zachariæ . Quidam filius Barachiæ , qui fuit undecimus inter prophetas . Sed de iſto non poteſt intelligi , quia non erat adhuc altare . Alius pater Ioannis , & cuius fuerit filius non invenitur ; ſed dicit Chryſoſtomus , quod fuit occiſus propter Chriſtum , quia in templo erat locus virginum . Et dum ſederet Virgo Maria in loco virginum , expellere voluerunt eam Iudæi a loco ; quod prohibuit Zacharias , eam defendens ; & propter hoc occiſus fuit . Alius dicitur filius Ioiadæ , quem occidit Ioas in atrio templi , ideo inter templum & altare : unde concordat locus . ſed nomen diſſonat . Sed tamen dicit Hieronymus , quod interpretatur benedictus Domini , & deſignatur ſanctitas patris eius Ioiadæ ſacerdotis . Et dicit quod ipſe vidit Evangelium Nazarenorum , & ibi continebatur , *Filius Ioiada* .

Sed quare ſub iſto Zacharia incipit , poteſt eſſe quæſtio litteralis . (*a*) Ratio autem videtur eſſe , quia etſi præcedentia magis frequentia , iſta tamen inveniebantur in Scriptura . Vel aliter , quod Abel paſtor , Ioiades ſacerdos , ideo per iſtos duos ſignificantur laici , & clerici : unde omnis pœna pro occiſione hominum veniet ſuper vos . Vel aliter , quia quidam activi , quidam contemplativi : unde utrique ſignantur per iſtos .

Sed *amen dico vobis , quod omnia venient ſuper generationem iſtam* . Sed quomodo poteſt eſſe quod omnia veniant ſuper generationem iſtam ? Punitur ne unus pro alio ? Ezech. xviii. 20. „ Filius non portabit iniquitatem pa„ tris . “ Quomodo ergo *ſuper generationem iſtam* ? Hieronymus ſolvit , quod conſuetum eſt in Scriptura quod tota generatio bonorum pro una generatione ſumitur , de qua in Pſalm. cxi. 2. „ Generatio rectorum benedicetur . “ De generatione malorum ſupra xii. 39. *Generatio mala ſignum quærit* . Chryſoſtomus dicit ſic . Aliqui peccant , ſed Deus non ſtatim vindicat : unde in Pſal. vii. 12. „ Numquid „ iraſcitur per ſingulos dies ? “ Aliqui vero numquam cum peccant corriguntur , ſed in peius mutantur . II. ad Tim. iii. 13. „ Mali „ autem homines , & ſeductores in peius pro„ ficient : “ & tunc expectat Dominus donec compleatur malitia eorum . Unde iſti , in quibus complebitur malitia , portant pondus totius quantum ad temporalem pœnam , tamen quantum ad æternam , quilibet ſuam : unde tanta erit quod videbitur quod pro omnibus patiantur . Unde Exod. xxxii. dicitur , quod iſtud peccatum ſervetur uſque in diem ultionis . Sicut fuit plenitudo bonorum his qui credunt in Chriſtum , ſic plenitudo malorum his qui occiderunt Chriſtum . Ideo dicit : *Venient omnia ſuper generationem iſtam* . Sed quæ eſt iſta pœna ? Deſtructio civitatis Hieruſalem . Et quoniam intendit loqui de excidio civitatis , ideo convertit ſe ad civitatem , dicens : *Hieruſalem , Hieruſalem* . Et primo ponit delictum ; ſecundo commemorat beneficia ; tertio prænuntiat pœnam . Secunda ibi , *Quoties volui congregare filios tuos ..... & noluiſti* ? tertia ibi , *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta* . Dicit ergo : *Hieruſalem , Hieruſalem* : & deſignat iſta geminatio affectum miſerantis : unde dicitur Luc. xix. 41. quod „ videns civitatem flevit ſuper eam . “ *Quæ occidis prophetas* . Actor. vii. 52. „ Quem „ prophetarum non ſunt perſecuti patres ve„ ſtri ? “ Et dicit , *Quæ occidis* , non quæ occidiſti ; ideo adhuc in malitia perſeverabant . Hæc eſt illa Hieruſalem de qua habetur Ezech. v. 6. „ Iſta eſt Hieruſalem : in medio „ gentium poſui eam , & in circuitu eius „ terras ; & contempſit iudicia mea . “ Poſſent ſe excuſare : Non habuimus qui diceret nobis ; ideo dicit , *Et lapidas eos qui ad te miſſi ſunt* . Unde miſi prophetas , & multa auxilia , & non cognoviſtis . *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas , & noluiſti* ? Deſignatur in hoc perpetuitas divinitatis eius , ſecundum quod ipſe dicit , Ioan. viii. 58. „ Antequam „ Abraham fieret , ego ſum . “ Unde ipſe Chriſtus miſit prophetas , patriarchas , & Angelos ; quandocumque miſit , voluit congregare &c. Illi congregantur qui ad Dominum con-

(a) *Al. deeſt* Ratio autem videtur eſſe.

convertuntur, quia in eo uniuntur peccatores; diſperguntur qui ab unitate ſeparantur. Unde: *Volui congregare quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas*. Dicitur quod non eſt animal aliquod ita compatiens (a) pullis ſicut gallina. Gallina defendit a milvo, & vitam exponit pro eis, & congregat ſub alas. Sic Chriſtus compatitur nobis. „ Vere langores noſtros ipſe tulit: Eſa. LIII. 4. Item milvo, ideſt diabolo, ſe expoſuit. Deuteron. XXXI. 27. „ Adhuc vivente me, & „ ingrediente vobiſcum ſemper contentioſe „ egiſtis contra Dominum. “

Sed contra. Dominus voluit, & iſti noluerunt: ergo prævaluit mala voluntas eorum voluntati Dei. Unde dicendum: Quoties volui, feci; ſed te invito feci cum feci: unde tua voluntas impedivit quod non facerem. Vel quod miſit prophetas, ſignum fuit quod voluit congregare: *& noluiſti*.

Tunc ſequitur pœna: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*. Totus populus honorabatur propter Hieruſalem, & Hieruſalem propter templum; ideo dicitur: *Relinquetur domus*, ideſt templum, vel habitatio. Pſalm. LXVIII. 25. „ Fiat habitatio eorum deſerta. “ Vel dicitur domus deſerta quando caret proprio habitatore. Pſal. X. 5. „ Dominus in templo ſancto ſuo. “ Unde dicitur relinquere per habitationem: ideo *non videbitis me amodo &c.* quia fui vobiſcum per potentiam divinitatis, & poſt fui corporaliter; ſed recedam a vobis. Sed iam *relinquetur domus veſtra deſerta*, & *non me videbitis amodo*, nec corporaliter, ſcilicet poſt paſſionem, nec ſpiritualiter.

Sed numquid eſt hoc verum, quod nulli Iudæorum viderunt eum, cum tamen multi converſi fuerint ad eum? Ideo dicit: *Donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini*: quia quando confitebimini, tunc videbitis per fidem. Vel aliter deſignat occulte ſecundum adventum. Videbant ipſum corpore, ſed iſtam viſionem non habebant uſque ad ſecundum adventum; in quo poteritis dicere, & recognoſcetis, quod ego ſum *benedictus qui venit in nomine Domini*.

CAPUT XXIV.

(a) ET egreſſus Ieſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli eius, ut oſtenderent ei ædificationes templi. Ipſe autem reſpondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Sedente autem eo ſuper montem Oliveti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi? Et reſpondens Ieſus dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus; & multos ſeducent. Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum: videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum; & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem: & multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc veniet conſummatio.

(b) Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto; qui legit intelligat. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua; & qui in agro, non revertatur tollere tunicam ſuam. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hieme, vel ſabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet. Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos breviabuntur dies illi.

(c) Tunc

(a) *Al.* pupillis.

Digitized by Google

(c) Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire; Ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque in occidentem, ita erit & adventus Filii hominis. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo; & virtutes cælorum commovebuntur; & tunc parebit ſignum Filii hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna; & congregabunt electos eius a quatuor ventis, a ſummis cælorum uſque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici diſcite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas. Ita & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt in ianuis. Amen dico vobis, quia non preteribit generatio hęc donec omnia fiant. Cęlum & terra tranſibunt, verba autem mea non preteribunt. De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli cęlorum, niſi Pater ſolus. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis. Tunc duo erunt in agro: unus aſſumetur, & unus relinquetur. Duę molentes in mola: una aſſumetur, & una relinquetur. Duo in lecto: unus aſſumetur, & unus relinquetur.

(d) Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret peterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati, quia neſcitis qua hora Filius hominis venturus eſt. Quiſputas eſt fidelis ſervus, & prodens quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille ſervus, quem cum venerit dominus eius, invenerit ſic facientem. Amen dico vobis quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem, & bibat cum ebrioſis: veniet dominus ſervi illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat; & dividet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & ſtridor dentium.

(a) SUpra poſita eſt multiplex provocatio Iudæorum; nunc ponitur præparatio per inſtructionem diſcipulorum Chriſti. Inſtruuntur autem de periculis. Et primo ponitur interrogatio diſcipulorum; ſecundo reſponſio Chriſti, ibi, *Et reſpondens Ieſus dixit eis*. Circa primum duo. Primo ponitur occaſio interrogationis; ſecundo interrogatio, ibi, *Sedentè autem eo ſuper montem Oliveti &c.* Occaſio fuit duplex. Prænuntiatio deſtructionis templi; quam quidem prænuntiationem fecit facto, & verbo, quia egreſſus eſt de templo. Supra cap. proximo: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*; & hoc oſtendit, quia exivit: unde quia corporaliter exivit, ideo oſtendit quia ſpiritualiter. Ioan. VIII. 59. „ Ieſus autem abſcon„ dit ſe, & exivit de templo. " Cum peccator non vult corrigi, exit Dominus ab eo. Thren. I. 6. „ Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor „ eius. " Tunc ponitur interrogatio, ibi, *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto, dicentes*; ſecundo reſponſio, ibi, *Ipſe autem reſpondens &c.* Ita *ibat*; ſed tunc *acceſſerunt diſcipuli, ut oſtenderent ædificationes templi*, ut videret quam pulchra eſt domus, quam decora: unde in alio loco, ſcilicet Marc. XIII. 1. habetur: „ Vide „ quales lapides, & quales ſtructuræ. "

Sed quærit Origenes. Nonne alias ibi fuerat, & nonne bene ſciebat? Solvit, quod non petebant ut eum docerent, vel quaſi neſciret, ſed ut remedium inveniret deſtructioni. Ita Chriſtianus eſt templum Dei, ut habetur ad Philip. II. diſcipuli autem ſunt interceſſores, ne deſtruatur templum hoc.

Tunc reſpondet Dominus: Videntur vobis iſta magna, Eſa. XXIII. 9. „ Dominus exer„ cituum cogitavit hoc ut detraheret ſuper„ biam omnis gloriæ &c. " Undo ſubdit: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem*.

Eſt

Eſt ne hoc verum ? Tempore Chryſoſtomi non adhuc totum evenerat, ſed ſperabatur quod veniret. Vel poteſt dici, quod non vult dicere niſi quod deſtrueretur. Vel dicendum, (*a*) quod ſicut ſecundum Dei proviſionem aliquando reſtauratum eſt templum; ſic ſecundum Dei proviſionem, incipiente confirmatione legis novæ, deſtructum eſt templum, ne ſacrificia fiant in templo: unde ſi non fuiſſet deſtructum, multi facti Chriſtiani cæremonias facerent, & ad templum redirent: unde diſpenſatione divina factum eſt ut deſtructum ſit: & hoc habetur Luc. XXI. 6. ubi de templo dicitur: „ Venient dies in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur. “ Sic etiam contingit quod aliquis ædificatus per bonas virtutes, ſi cadat per aliquod peccatum mortale, ſi negligens fuerit, & non ſolicitus, totaliter cadit, & deſtruitur. Pſal. CXXXVI. 7. „ Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. “ Unde vult dicere quod non ſolum templum, ſed etiam pertinentia, quæ erant umbra, ut habetur ad Hebr. X. 1. „ Umbram habens lex fututorum bonorum. “

Poſita occaſione, ponitur interrogatio. Et debemus notare, quod exivit, & ivit ad montem Oliveti, & ſignificat Eccleſiam, in qua olivæ uberes ſunt plantatæ. Pſal. LI. 10. „ Ego ſicut oliva fructifera. “ Et inde inſtruit diſcipulos. Dixerat deſtruendum templum; ideo tria quærunt. Primum de templo; ſecundum de adventu; tertium de fine ſæculi: unde dicunt: *Dic nobis quando hæc erunt*, ſcilicet conſummatio tuæ comminationis, & de adventu tuo, *& quod ſignum adventus tui*; item de fine ſæculi, *& conſummationis ſæculi*. In Luca ſolum tangitur de una quæſtione, ſcilicet de deſtructione Hieruſalem, quia non credebant quod deberet deſtrui niſi poſt adventum ſecundum: unde dicebant, Act. 1. 6. „ Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael ? “ In Marco cap. XIII. dicitur quod ſolum miſerunt Petrum, & Ioannem, & Iacobum, & Andream: quia iſti primo vocati ſunt, & magis habebant fiduciam accedendi ad eum. In quo habemus exempla, quod illi qui diutius Deo adhærent in contemplatione, ſunt Deo magis familiares. Deut. XXXIII. 3. „ Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. “

Iſti diſcipuli quæſierunt de adventu; & iſte duplex eſt. Ultimus, qui eſt ad iudicandum, & iſte erit in conſummatione ſæculi: de iſto habetis Act. I. 11. „ Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum, ita veniet. “ Alius eſt adventus confortans mentes hominum, ad quos venit ſpiritualiter. (*b*) Infra (hoc cap.) *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus*, ideſt in prædicatoribus, quia per prædicatores venit Deus in hominum mentes. Unde dubium eſt ad quid debet referri. Tamen dicit Auguſtinus, quod totum debet referri ad adventum ſpiritualem. Aliqui vero, quod ad ſecundum adventum. Quidam autem exponunt de deſtructione Hieruſalem, & de ultimo adventu.

Primo ergo reſpondet quantum ad deſtructionem; ſecundo quantum ad ſecundum adventum, ibi, *Sicut enim fulgur exit ab oriente*. Circa primum duo. Primo prænuntiat quæ antecedentia ſunt ad deſtructionem; ſecundo ipſam deſtructionem, ibi, *Cum ergo videritis abominationem deſolationis &c.* Iſta præambula erant & ex parte extraneorum, & eorum qui in Eccleſia continentur. Primo ergo ex parte extraneorum, ſecundo ex parte eorum qui in Eccleſia, ibi, *Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos*. Circa primum duo. Primo (*c*) præmittit pericula ſpiritualia; ſecundo corporalia, ibi, *Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum*. Dicit ergo: Ita quæritis de conſummatione, tamen ante debetis eſſe ſoliciti de vobis, quod non decipiamini: ideo dicit: *Videte ne quis vos ſeducat*. Ad Eph. V. 15. „ Videte itaque fratres quomodo caute ambuletis. “ *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus*. Aliquis venit ut miſſus a Chriſto; ſic venerunt diſcipuli: alii vero dicuntur venire in nomine Chriſti, qui dicunt ſe eſſe Chriſtum, uſurpantes ſibi nomen quod non datur alii. Philip. II. 9. „ Datum eſt ei nomen quod eſt ſuper omne nomen. “ Unde multi ſeductores venient, qui venient a ſeipſis. Chriſtus autem non a ſeipſo, ſed a Deo: unde Ioan. VII. 28. „ A meipſo non veni. “ Licet autem hoc de Antichriſto ſpecialiter dictum ſit, tamen poteſt dici de multis aliis: unde quia veritati non adhæſerunt, dati ſunt erroribus. Et hoc accidit in Simone mago, qui libros ſcripſit, & appellavit ſe librum Dei, (*d*) Deum magnum, omnia Dei, & multos ſeduxit. Illorum enim eſt ſeduci qui diviſi ſunt in errores: quia „ ſtultorum infinitus eſt numerus. “ Eccle. I. 15. Unde veritas congregat, error autem dividit; & hoc eſt periculum. Poteſt etiam ad ſecundum adventum referri. Iſta enim accident circa diem iudicii.

Audituri enim eſtis prælia &c. Hic (*e*) primo ponit pericula; ſecundo confortat. Dicit ergo: Ita dictum eſt: *Videte, ne quis vos ſeducat .... quia audituri eſtis prælia &c.* Et hoc ſta-

(a) *Al.* quod ſecundum. (b) Al. *Videbitis Angelos venientes in nubibus*. (c) *Al.* præeminentia. (d) *Al.* Deus magnus. (e) *Al. deeſt* primo.

ſtatim poſt paſſiooem. Statim enim miſſi (*a*) fuerunt in Iudæam ab Imperatore peſſimi tyranni, qui mirabiliter eos gravabant, ita quod quaſi ferre non poſſent: unde *audituri eſtis prælia, & opiniones præliorum*: quia in præliis multum valent opiniones: unde frequenter contingit quod pauci debellant multos. Hier. VII. 16. „ A Dan auditus eſt fremitus equorum „ eius, a voce hinnituum pugnatorum eius „ commota eſt omnis terra. “ Et *videte*. Poſſent aliqui credere quod eſſet ſtatim finis mundi. unde dicitur, quod tanta fuit tribulatio quod credebant finem mundi veniſſe; ideo dicit: *Videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, ſed nondum finis*; quaſi ſit deſtructio Hieruſalem, quia non fuit eius deſtructio poſt paſſionem, uſque ad quinquageſimum annum.

Sed poſſet aliquis dicere: Tu dicis quod audituri ſumus prælia: ſemper fuerunt prælia. Reſpondet: Numquam vidiſtis talia. *Conſurget enim gens in gentem*, ſcilicet gens Romanorum contra gentem Iudæorum, *& regnum*, ſcilicet Romanorum, *contra regnum*, Iudæorum. *Et erunt peſtilentiæ &c.* Poſſet dicere: Iſta prælia a caſu fiunt, & non eſt Dei vindicta. Sed quod fiant a Dei vindicta, hoc patet, quia non ſolum iſta mala infligentur a populo, ſed a Deo: quia *erunt peſtilentiæ*, quæ ex corruptione aeris proveniunt, *& fames, & terræmotus per loca*. Et hæc omnia acciderunt ante deſtructionem Hieruſalem. Diceret aliquis: Omnia iſta fuerunt a caſu, non fuerunt (*b*) indicativa doloris; immo: unde dicit: *Hæc autem omnia initia dolorum*. Eſa. XIII. 8. „ Quaſi parturien„ tes dolebunt. “ Sic exponit Chryſoſtomus. Sed ſecundum quod refertur ad conſummationem ſæculi, ſic exponit Origenes. Sic debemus conſiderare de mundo ſicut de uno homine, quia cum tendit ad mortem, incipiunt debilitari virtutes vitales. Sic in oſtenſione univerſalis commutationis immittet Dominus aliquam particularem immutationem, ita quod non habebunt aliquam virtutem; & tunc erunt peſtilentiæ, quia corrumpetur aer, qui ſervit nobis in duobus. Item corrumpetur terra, quæ ſervit nobis in cibum, quia germinat herbas, & grana, unde cibus naſcitur; & hæc debilitabitur, ita quod erit fames in terra. Item terra ſuſtentat nos; & contra hoc terra inquietabitur: unde fiet terræmotus. Primo duo univerſalia, ſed hoc ultimum erit particulare, quia fiet per loca. Et quare non fiet univerſaliter per totum mundum? Ut homines videntes redeant ad cor, & convertantur. Item contingit quod ex penuria rerum accidit fames, & tunc propter famem exurget gens contra gentem, & hoc poterit eſſe circa finem mundi. Aliter tamen poteſt eſſe quod aliquando reſurget gens contra gentem, non propter penuriam, ſed propter vanam gloriam. Aliquando convenit propter iniuſtitias hominum. Aliquando propitiatur Deus, & coarctat malos Angelos per bonos Angelos, ut Ezech. XIII. 5. „ Non aſcendi„ ſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum „ pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio „ in die Domini. “ Unde ſtat mundus per orationem bonorum. Et tunc, ſcilicet in fine mundi, *refrigeſcet caritas*, & tunc erunt multa mala, quia tunc Angeli boni dimittent dæmones, qui habent nocere terræ, & mari; ideo quia poteſtatem habent ſuper terram, & mare, commovebunt totam terram. Et quod hoc poſſunt, habetur Iob I. Hieronymus dicit, quod poteſt dici de adventu Domini quo venit quotidie in Eccleſiam. Secundum enim quod hæretici impediunt ipſa bona ipſius Eccleſiæ, tunc accidunt *peſtilentiæ*, ſpirituales, *& fames*, ſcilicet indigentia boni documenti, Amos V. alias VII. *& terræmotus*, ideſt, homines qui ſunt ſolidi, movebuntur.

Tunc tradent vos in tribulationem. Tunc ponit quædam præambula, quæ futura erant in Eccleſia. In Eccleſia futura erant proſpera, & adverſa. Et primo ponit adverſa; ſecundo proſpera, ibi, *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe*. Adverſa autem nuntiat dupliciter, ab exterioribus, & interioribus. Deut. XXXII. 25. „ Foris vaſtabit eos gladius, „ & intus pavor. “ Et tangit tria pericula. Tribulationem, occiſionem, & odium. Poſſent dicere: Verum eſt, quod mundus hoc patietur, ſed quid ad nos? Immo dicit; & ideo dicit, *Vos*; quaſi dicat, non eritis immunes, ſed tribulabimini, ad litteram. II. ad Corinth. VI. 4. „ In tribulationibus, in neceſſi„ tatibus &c. “ Item *occident vos*, ſicut patuit, quod occiderunt Stephanum, & Iacobum: unde dicit, Pſal. XLIII. 22. „ Æſtimati „ ſumus ſicut oves occiſionis. “ Item *eritis odio omnibus gentibus*, ideſt Iudæis. Vel *omnibus*, qui diffuſi ſunt per univerſum mundum. Supra V. 10. *Beati qui tribulationem patiuntur propter iuſtitiam*. Et ponit conſolationem, quia cum omnes patiantur, hoc patiemini, *propter nomen meum*. Hier. XLV. 4. „ Ec„ ce quos ædificavi ego deſtruo: “ & poſt: „ & tu quæris (*c*) gaudia? “ Origenes dicit, quod referendum eſt ad ſecundum adventum; quia ita erit univerſalis perſecutio, quod omnes mali perſequentur bonos; & propter hoc dicit, *Tunc*. Conſuetudo enim erat

quod

(a) *Al.* fuerant. (b) *Al.* vindicativa. (c) *Ibi*, grandia.

quod cum accidebant mala, dicebant hoc eſſe propter peccatum Chriſtianorum: unde ioſurgebant cootra eos: unde *tunc tradent vos in tribulationem*. *Et tunc ſcandalizabuntur multi*. Hic ponit pericula ab interioribus. Eſt enim triplex ſcandalum quod patiemini, ſcilicet iofirmorum; item mutuam læſiooem; item debilitatem: unde dicit: *Tunc ſcandalizabuntur multi*: quia etiam multum perfecti ſcandalizabuotur: unde ſupra XVIII. 7. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala*. Unde etiam electi turbaotur, cum videot ſcaodala: unde dicebat Paulus II. Corinth. XI. 29. „ Quis ſcandalizatur, „ & ego noo uror? “ *Et invicem tradent*. Ex hoc patebit tribulatio. Supra X. 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem &c.* Et ooo ſolum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter: quia aliqui ſunt priocipium erroris; & ex hoc ſequetur quod *odio habebunt invicem*. *Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos*. Tales ſunt qui in Eccleſia multos ſeducunt. II. Petr. II. 15. „ Fueruot & pſeudoprophe„ tæ io populo. “ Item I. Ioan. II. 18. „ An„ tichriſti multi facti ſunt. Ex nobis prodie„ runt, ſed noo erant ex nobis. “ Unde hæc mala accident, quod fratres corrumpent, quod *multos ſeducent*. (*a*) Item tertium, quia oon tantum hoc facient, ſed etiam corrumpent: unde deficient: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum*. Apocal. II. 4. „ Sed „ habeo adverſum te pauca, quia caritatem „ tuam priſtinam reliquiſti. “ Poteſt dici refrigeſcere, quia cum vident alios relinquentes caritatem, & ipſi refrigerantur, licet non penitus pereat; & in multis, ſed oon in omnibus, quia ſemper fuit fervida in Apoſtolis. Rom. VIII. 35. „ Quis ſeparabit nos a cari„ te Chriſti? Tribulatio, an aoguſtia, an fa„ mes, an nuditas, an periculum, an perſe„ cutio, ao gladius? “ Unde ita erit in multis, ſed non io omnibus, quia *qui perſeveraverit uſque in finem*, ſcilicet præſentis vitæ, *hic ſalvus erit*. (*b*) Idem habetur ſupra X.

Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo mundo. Supra Dominus prædixit adverſa in Eccleſia futura; nunc autem prædicit proſpera: quia Apoſtoli qui ex Iudæis nati eraot, æmolabantur carnem ſuam. Ad Rom. IX. 2. „ Triſtitia mihi eſt magna, & conti„ ouus dolor cordi meo. “ Ideo ad eorum conſolationem, quia multo plures erant vocandi ad fidem, (*c*) dicit: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe*. Ipſe enim incipiens prædicatiooem dixit (ſupra IV. 17.) *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum*. Hoc autem *prædicabitur in univerſo orbe*: non eoim lex nova determinata eſt uni populo, ſicut lex vetus. Marc. ult. XV. „ Præ„ dicate Evangelium omoi creaturæ. “ Et dicit Chryſoſtomus, quod hoc fuit impletum ante excidium urbis Hieruſalem; & hoc probat per Apoſtolum, ad Rom. X. 18. ubi dicit Apoſtolus: „ In omnem terram exivit ſonus eo„ rum. “ (*d*) Ideo videbatur diffuſa doctrina evaogelica per totum orbem. Item per aliam auctoritatem, quæ habetur ad Coloſſ. I. 9. „ Præ„ dicatio Evangelii fructificat. “ Et ooo eſt mirum, quia uuus Apoſtolus, ſcilicet Paulus, tantum ampliavit quod pervenit Romam, & Hiſpaniam: unde expletum eſt quod habetur Eſa. LVII. 9. „ Miſiſti legatos tuos procul. “ Et ideo dicit Chryſoſtomus, quod in hoc eſt admiranda virtus Chriſti, quod infra ſpatium quadragiota annorum ita crevit doctrina eius quod totum mundum implevit: unde bene dicit: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe*. Sed numquid omnes credent? Non; ſed quidam ſic, quidam non. Et quod quidam credent, hoc erit in teſtimooium contra eos qui non credent, ut Hierooymus dicit. *In teſtimonium omnibus gentibus*. Ad Rom. I. 5. „ Accepimus gratiam, & apoſtolatum ad ob„ ediendum fidei in omnibus geotibus: ita „ ut ſint inexcuſabiles. “ *Et tunc*, ſcilicet quando omnes gentes credent, *veniet conſummatio*, ideſt deſtructio Hieruſalem; & de hoc poteſt intelligi quod dicitur Ezech. VII. 3. „ Nunc fiois ſuper te, & immittam furorem „ meum in te. “ Fecit enim ſigna, divolgavit Evangelium; nec credere voluerunt: ideo accidit eis quod dicitur Malach. I. 10. „ Mu„ nus non accipiam de manu veſtra. “ Auguſtinus vult quod non debeat referri ad conſummationem Hieruſalem, ſed mundi: unde dicit: *Prædicabitur*, ſcilicet ante finem mundi, (*e*) *in teſtimonium omnibus gentibus*, quia non omnes credent; *& tunc veniet conſummatio*, ideſt finis mundi. Et hoc eſt unum ſignum quod donec ſit divulgata prædicatio Evangelii per univerſum orbem, non veniet finis. Non autem adhuc venerat, ut dicit Auguſtinus, ad quoſdam barbaros in Africa. Et reſpondet, ad illud: „ In omnem terram exivit ſonus eo„ rum: “ Pſal. XVIII. 5. quod poſuit præteritum pro futuro. Et ad illud quod ſcribitur ad Coloſſ. dicit, quod adhuc non ad plenum fructificabat, ſed iam incipiebat. Et poteſt ſic diſtingui, quod diffuſio per Evangelium poteſt dupliciter intelligi. Vel quo ad famam taotum, & ſic completa fuit ante excidium urbis: licet enim aliqui non recepiſſent, tamen nulla gens fuit ad quas non perveniſſet fama.

(a) *Al.* Iterum. (b) *Al.* Item. (c) *Al.* ideo. (d) *Al.* Iam. (e) *Al.* ſcilicet *in teſtimonium*.

Si autem intelligatur diffuſio cum effectu, tunc verum eſt quod dicit Auguſtinus, quod nondum venit in omnes gentes.

(b) Iam deſtructionem poſuit; in parte iſta ponit quod veniet conſummatio, & ponit quædam præambula. Et primo ponit prophetiam; ſecundo admonitionem, ibi, *Tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes*; tertio rationem admonitionis, (a) ibi, *Erit enim tunc tribulatio magna*. Ita dixit: *Veniet conſummatio*. *Cum erge videritis abominationem deſolationis &c.* Quid eſt quod vocat abominationem? Poteſt dici quod abominatio dicitur exercitus Romanorum, & dicuntur abominationes deſolationis, quia fuerunt deſolatores (b) terræ. Vel per abominationes idola: & de duplici idolo poteſt dici. Legitur quod Pilatus introduxit aquilam in templum, quod erat ſignum Romanorum, quod Iudæi abominationem dicebant: unde tunc cum videritis idolum poſitum in loco ſancto, tunc poteſtis cognoſcere impletionem prophetiæ Danielis de deſtrnctione Hieruſalem. Vel poteſt dici, quod Hieruſalem deſtructa fuit dupliciter. Primo a Tito, & Veſpaſiano; & tunc combuſtum fuit templum, & tnnc adhuc dimiſsi fuerunt aliqui. Poſtmodum adhuc aliqui rebellaverunt, & tunc Adrianus, qni ſucceſſit Traiano, deſtruxit penitus, & dedit legem quod nullus Iudæus ibi de cetero habitaret, & vocavit civitatem nomine ſuo; item poſuit in ſacro loco idolum: unde illud idolum quod poſuit Adrianus, poteſt dici abominatio: unde cum hoc videritis &c. De hac deiectione ſatis habetur Thren. II. *Qui legit intelligat*. Et quare hoc dicit? Quia in iſta prophetia Danielis multa dicuntur de paſſione Chriſti. Sunt enim hæc verba obſervanda: unde ibi dicitur: „ Occidetur „ Chriſtus .... & erit in templo abominatio „ deſolationis, & uſque ad conſummationem, „ & finem perſeverabit deſolatio. " (Dan. IX. 26. & 27.) Unde qui videt, intelligat quod talia acciderunt. *Tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes*. Ponit admonitionem utilem: & primo ponit eam; ſecundo excludit impedimenta fugæ. Quædam enim ſunt impedimenta evitabilia, quædam inevitabilia. Dicit: *Tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes*. *Tunc*, ſcilicet in tempore Veſpaſiani. Tunc temporis quidam dictus Agrippa dominabatur in montibus, & iſte obediebat Romanis, nec rebellabat eis: unde cum aliæ gentes haberent guerram, iſte, & gens ſua in pace erat: unde ex Dei providentia admoniti fuerunt fideles qui erant in Iudæa quod recederent, & irent ad regnum iſtius Agrippæ; & ſic fecerunt: unde *tunc qui in Iudæa ſunt*, ſcilicet fideles, *fugiant in montes*. Zach. II. 6. „ Fu„ gite a terra aquilonis &c. " Tunc removet impedimenta fugæ; & quia quædam impedimenta ſunt evitabilia, quædam non, ideo primo ponit pericula evitabilia; ſecundo inevitabilia, ibi, *Væ prægnantibus &c.* Quæ ſunt vitabilia sunt negotia terrenorum; & iſtorum quædam accidunt in civitate, quædam extra; ideo utrumque ponit. Secundum ibi, *Et qui in agro non revertatur tollere tunicam ſuam*. Dicit ergo: *Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*; ideſt, quicumque habitat in civitate, etiam ſi in domo, non revertatur tollere &c. Item *& qui in agro non revertatur*, in domum, *tollere tunicam ſuam*, ſcilicet quæcumque ſint neceſſaria: qnia cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua. Et quare hoc dicit? Quia imminente feſto Paſchæ convenerunt multi in Hieruſalem. Quod ſciens Titus obſedit civitatem, cum ita eſſent congregati: unde vult dicere: Ita cito accidet iſtud malum quod non poterit aliquis ſibi cavere. Item ponit impedimenta inevitabilia: & quia erant quædam inevitabilia virtute hominum, & ſimpliciter, quædam licet inevitabilia, tamen virtute Dei vitabilia; ideo primo de primo; ſecundo de ſecundo, ibi, *Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hieme, vel ſabbato*. Illud quod cum eſt, nullo modo vitari poteſt, eſt onus filiorum: quamvis enim poſſet alicui dici, Salva animam tuam, poſſet dicere: Quomodo poſſum dimittere filium? Ideo hoc exponit: *Væ prægnantibus, & nutrientibus*: quia tales non poterant fugere, quia nec illis erat dicendum, quod abortum procurarent, nec nutrientibus ut filios occiderent; & ſic impletur quod dicitur Luc. XXIII. 29. „ Beata ubera „ quæ non lactaverunt. " Item alia ſunt impedimenta ubi non poteſt homo ponere remedium niſi per Deum. Aliquod enim tempus eſt ineptum vel per naturam, vel per legem. Per naturam ut tempus hiemale, quia tunc impeditur homo fugere propter aſperitatem temporis. Item propter legem, ut ſi accidat in ſabbato, quia Deus præcepit quod non irent ultra unum milliare. Et quia iſtud non eſt in poteſtate noſtra, ſed Dei; ideo *orate ne fiat fuga veſtra in hieme, vel ſabbato*: quia in talibus ad Deum ſolum eſt recurrendum. Unde Oſeæ VI. 1. „ Venite, & revertamur ad „ Dominum, quia ipſe cepit (c), & ſalva„ bit nos. " *Orate quod non fiat in hyeme*, quia impedit fugam naturaliter, propter diſcrimen viæ, *nec ſabbato*, quia impedit ſecundum legem Dei. Item notate quod dicit, *Sabbato*: in

(a) Al. *& erit tribulatio*. (b) *Al. deeſt* terræ. (c) *Al.* & ſalvavit.

Digitized by Google

in quo deſignat quod in die feſto fuerunt debite interfecti. Unde neceſſitas fugiendi? Ex magnitudine tribulationis. Unde primo ponit tribulationem, & magnitudinem (a) tribulationis; ſecundo ponit cauſam, ibi, *Et niſi breviati fuiſſent dies illi &c.* Dicit ergo: *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi*. Et hoc ſatis poteſt (b) perpendere qui legit hiſtoriam Ioſephi, quod multi fame mortui ſunt. Item erant ſeditiones in civitate, ita quod ipſi ſe invicem interficiebant: unde cum Titus, qui erat mitiſſimus, vellet eis parcere, ipſi nolebant. Item erant latrones inter eos, qui interficiebant multos. Et quædam mulier comedit filium ſuum: unde fuit talis tribulatio qualis numquam viſa eſt. Et hoc dicit Lucas cap. XXI. „ Erit tribulatio, & cadent in „ ore gladii. "

Sed numquid erit maior in tempore Antichriſti? Sic, ſed non erit inter Iudæos. Et quærit Chryſoſtomus, propter quod peccatum accidit: quia nec pœna Sodomorum fuit tanta: unde non eſſet pœna gravior, niſi peccatum gravius.

Et quia poſſent dicere, quod iſta acciderant eis propter peccata Chriſtianorum; ideo dicit quod non: unde: *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro*. Auguſtinus dicit, quod quidam ſic expoſuerunt, quod dies tunc facti ſunt breviores, ſicut tempore Ioſue longior. Sed contra dicit Pſal. CXVIII. 91. „Ordinatione tua perſeverant dies. " Ideo dupliciter poteſt dici. Primo quod dies tribulationis ſunt breviati, primo in numero: unde ſi duraſſet tempus illud, omnes eſſent interfecti, quia nullus remanſiſſet. Et quare? Quia Romani dominabantur per totum orbem, & iam Iudæi diſperſi ſunt per univerſum mundum; ideo ſi duraſſet tempus illud, interfecti fuiſſent ubique terrarum. Vel dicuntur dies breviati quando mala breviantur. Et quare breviantur? *Propter electos*: non quod (c) exciderit verbum Dei. Multi enim converſi erant de populo illo, & rogabant pro populo, ut relinqueretur ſemen. Eſa. I. 9. „ Niſi Dominus reliquiſſet ſemen, quaſi Sodo„ ma eſſemus &c. "

Tunc ponit Chryſoſtomus duas conſiderationes quare hoc dicatur, quia ibi erant aliqui diſcipuli; item Ioannes adhuc ultra vixit: ideo dicit quod Ioannes non fecit mentionem de hoc in Evangelio ſuo, quia ſcripſit poſt hoc factum, unde dixiſſet præterita. Sed Matthæus, & Lucas, qui ante ſcripſerunt, fecerunt mentionem, quia tunc erat futurum. Ideo dicit quod manifeſtum fuit miraculum, cum Romani impugnarent Iudæos, & quaſi tota gens Iudæorum pateretur excidium, quod tam pauci Iudæi poterant ire per univerſum orbem ad convertendum quaſi totum mundum; & hæc fuit mirabilis virtus Chriſti.

Hilarius exponit, quod referuntur hæc verba ad finem mundi. *Cum videritis abominationem*, hanc, nominat Antichriſtum. II. ad Theſſal. II. 2. „ Nec terreamini nec per ſpi„ ritum, nec per ſermonem, quaſi inſtet dies „ Domini, ne quis vos ſeducat ullo modo. "

Et tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes: quia Iudæi deficient, unde fugient terram Iudæorum, & convertentur ad montes Chriſtianitatis. *Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*. Vult dicere quod perfecti non moveantur a ſua perfectione: unde tangit contemplativam vitam, quæ ſignatur per tectum: unde tales a ſua contemplatione non debent recedere. Item *qui in agro*, tangit vitam activam. Tales non revertantur ad priſtinam vitam, ſed maneant in ſuo propoſito. Et quid per prægnantes? Homines graves peccatis. Homines nutrientes ſunt homines imperfecti: unde vult dicere, quod (d) væ hominibus oneratis peccatis, & non confirmatis. Secundum Auguſtinum, prægnantes ſunt qui concipiunt male agere; nutrientes qui iam opere complent. Et quid dicit, *Hieme, & ſabbato*? Per hiemem ſignatur triſtitia, per ſabbatum lætitia: unde ne fiat in hieme per triſtitiam abſorbentem, vel ſabbato per lætitiam animum elevantem. Vel per ſabbatum otium bonæ operationis, per hiemem refrigerationem caritatis. *Et niſi breviati fuiſſent dies illi*: quia parum durabit; & ſi duraret, *non ſalva fieret omnis caro*, ideſt omnis carnalis. Item poſſunt referri ad adventum Chriſti per Eccleſiam: & ſic dicit Origenes, quod ſicut verbum Evangelii divulgatum eſt adveniente ipſo, ſic falſa doctrina divulgabitur adveniente Antichriſto; & ſicut Chriſtus habuit ſuos prophetas, ſic & Antichriſtus. Tunc qui in civitate, fugiant ad montes perfectæ iuſtitiæ. Prægnantes dicuntur qui adhuc percurrunt verbum ſalutis, nutrientes qui aliquid iam fecerunt. *Orate ergo*, ut non impediantur per deſidiam, & torporem. *Erit tunc tribulatio magna*, quia erit perverſio doctrinæ chriſtianæ per falſam doctrinam. *Et niſi eſſent dies breviati*, ſcilicet documento doctrinæ, per additamenta veræ doctrinæ, *non fieret ſalva omnis caro*; ideſt, omnes (e) converterentur ad falſam doctrinam.

 (c) Poſt-

(a) *Al.* retributionis. (b) *Al.* perpendi. (c) *Al.* excideret. (d) *Al.* ut. (e) *Al.* verterentur.

(c) Poſtquam Dominus reſpondit interrogationi diſcipulorum de deſtructione civitatis, hic incipit reſpondere his quæ ad ſecundum adventum pertinent. Iſte autem adventus eſt adventus ad iudicium; ideo dividitur: quia primo proponit ſigna, & modum veniendi; ſecundo tractat de iudicio, infra xxv. 1. *Simile eſt regnum calorum decem virginibus*. Circa primum duo facit. Primo præmittit ſigna præcedentia Chriſti adventum; ſecundo agit de ipſo, ibi, *Et videbunt Filium hominis &c.* Circa primum duo: quia duo præcedentia erunt: (a) primo ex parte hominum, & electorum; ſecundo ex parte elementorum, ibi, *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur &c.* Circa primum duo facit. Primo præmittit quamdam admonitionem; ſecundo rationem huius admonitionis, ibi, *Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ*. Dicit ergo: *Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus &c.* Notandum quod ly *tunc* non dicit tempus determinatum, ſed tempus confuſum: quia hoc non ſtatim factum eſt poſt deſtructionem Hieruſalem, ſed expectatur futurum in fine. Simile habetur ſupra 11. cap. quod habitavit Dominus in Nazareth, unde Nazarenus dicitur, & ſequitur (cap. III. 1.) *Tunc venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ*: non qnod tunc venerit, quia fuerunt forte viginti anni inter duo tempora: unde tenetur pro tempore confuſo. Sic hic. Futurum enim eſt, quod multi ſeductores venient, & dicent, Antichriſtum eſſe Deum. *Tunc ſi quis dixerit vobis: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere*. II. ad Theſ. II. 2. „ Non terreamini neque per ſpiritum, „ neque per ſermonem, neque per epiſtolam, „ quaſi per nos miſſam, quaſi inſtet dies Do„ mini. "

Deinde cum dicit, *Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ*, aſſignat rationem admonitionis. Et primo ponit rationem ex neceſſitate; ſecundo ex falſitate doctrinæ, ibi, *Sicut enim fulgur exit ab oriente &c.* Circa primum tria facit. Primo introducit ſeductores; ſecundo vehementiam ſeductionis; tertio admonitionem. Dicit ergo: Tu dicis, quod aliqui erunt qui dicent ſe Chriſtum; ſed numquid alii ernnt? Ita: *Surgent enim pſeudochriſti*, ideſt qui dicent ſe Chriſtos; & hoc factum eſt ante deſtructionem Hieruſalem. I. Ioan. II. 18. „ Sed audiſtis quod venit Anti„ chriſtus, unde antichriſti facti ſunt multi. " *Et pſeudoprophetæ*: ſicut enim Chriſtus habuit veros prophetas, qui prænuntiaverunt eum, ſic Antichriſtus falſos: & hoc eſt quod dicitur I. Ioan. IV. 1. „ Multi pſeudoprophetæ „ exierunt in mundum. " Sed numquid facient iſti miracula, & effectus? Unde *dabunt ſigna, & prodigia*. II. ad Theſ. II. 9. „ Cuius „ adventus eſt ſecundum operationem ſata„ næ. " Apocalyp. XVI. 13. „ Et vidi de ore „ draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeu„ doprophetæ exire ſpiritus tres immundos „ in modum ranarum. "

Sed eſt quæſtio. Numquid dæmones poſſunt facere miracula? Dicendum quod non, ſi proprie ſumatur miraculum: quia miraculum proprie non eſt quod fit præter ordinem alicuius cauſæ particularis, ſed quando præter ordinem totius creaturæ; & hoc fit per ſolam virtutem divinam. Sed bene poſſibile eſt quod creatura ſuperior non contineatur in ordine creaturæ inferioris: unde aliquid fit per virtutem ſuperiorum quod non fit per virtutem elementorum. Sic in hominibus aliquis facit per artificium aliquid qnod mirum videtur aliis. Sic de dæmonibus, quia ſubtilioris ſunt intelligentiæ, ideo ſicut artifices aliqui aliquid faciunt quod videtur mirum aliis, ſic & dæmones aliqua faciunt naturaliter quæ videntur nobis mira.

Sed quomodo fiet iſtud? Opinio fuit Avicenæ quod natura corporalis obedit ad nutum (b) intelligentis, unde ad apprehenſionem immutatur corpus. Sed Auguſtinus iſtud amovet, quia non obedit ad nutum alicuius creaturæ, ſed ſolius Dei. Ideo dicendum, quod in rebus naturalibus ſunt virtutes determinatæ ad procreandum aliqua, ut ranas, & huiuſmodi. Iſtas virtutes noverunt melius dæmones quam alii. Et hoc probat Auguſtinus: quia ignis qui deſcendit ſuper oves Iob, fuit naturalis. Poteſt enim excitare corpora, & congregare, ut faciant talia miracula. Illa vero miracula quæ non procedunt ex virtute alicuius rei naturalis, hæc non poſſunt facere, ſcilicet ut mortuus ſuſcitetur: unde talia non faciunt niſi in præſtigiis, ut Simon magus fecit movere caput: unde iſta quæ non fiunt ex virtute naturæ, non poſſunt: unde *dabunt ſigna magna*, ideſt quæ homines reputant magna.

Sed quis erit effectus? *Ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*. Et dicit Origenes, quod ſermo dictus eſt per exaggerationem, quia quicumque homo eſt in hac vita, ſi ſecundum ſe conſideretur, ſeduci poteſt; tamen comparando ad electionem Dei, ut ſit ſenſus, electum ſeduci, hoc eſt impoſſibile: ideo aggravando dicit, quod tanta erit vis quod niſi præſervarentur ex prædeſtinatio-

(a) *Al.* &. (b) *Al.* intelligentis.

tione divina, (*a*) ſeducerentur. Vel dicendum, quod non vere electi, ſed electi ſecundum apparentiam. I. ad Tim. I. 19. „ Quam „ quidam (*b*) repellentes, circa fidem naufra„ gaverunt. " Eſa. XIX. 14. „ Dominus miſcuit „ ſpiritum vertiginis in medio eius, & erra„ re fecerunt AEgyptum. " *Ecce prædixi*: quia, ſecundum Gregorium, minus nocent iacula quæ prævidentur. Amos III. 7. „ Non „ faciet Dominus verbum, niſi revelaverit „ ſecretum ſuum. " Unde *ſi dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire*. Poſita neceſſitate in generali, ponit magis in ſpeciali. *Si dixerint vobis, Ecce in deſerto &c.* Notandum quod vera doctrina fit in publico. Supra X. 27. *Quod dico vobis in occulto, dicite ſuper tecta*. Sed falſa ſemper quærit angulos. Prover. I. 20. „ Sapientia dat vocem in plateis. " Unde veritas eſt lumen, & quærit in lumine videri; ſed ſi fuerit perverſum dogma, quærit occulta. Prover. IX. 14. „ Sapientia ſedet in fo„ ribus. " Et ſequitur: „ Aquæ furtivæ dul„ ciores ſunt. " Unde deſertus eſt locus occultus, quia caret hominibus, vel quia eſt Interclusus: unde *ſi dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire*. Et quid vult dicere? Iſti infideles, & hæretici, dum ſunt fideles in ſocietate, vel congregatione, non poſſunt decipere; ſed nituntur quod a ſocietate ſeparentur, & tunc decipiunt: hoc eſt quod vult dicere: *Si dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite* (*c*) *exire*: nolite a bona ſocietate, & congregatione ſeparari. Item *ſi in penetralibus*, quia ſemper intendunt locum ſecretum, nec doctrinam in publico audent dicere: unde Ioan. XVIII. 20. „ Ego palam locutus ſum „ mundo: " *nolite credere*: quia „ qui cito „ credit, levis eſt corde: " Eccli. XIX. 4. Secundum Hieronymum, poteſt retorqueri ad tempus ante deſtructionem; ſed melius eſt ut retorqueatur ad finem. Item poteſt intelligi de ſeductione facta in Eccleſia. Pſeudochriſti (*d*) dant documentum mendacii; & dicitur unum documentum, quia omnia in uno uniuntur: & quodlibet mendacium habet ſuos prophetas: unde dicunt: *Hic eſt Chriſtus, aut illic*. Ezech. XIII. 6. „ Perſeveraverunt confirmare „ ſermonem. " Et aliquando volunt confirmare per ſcripturas apocryphas, aliquando per occultos ſenſus Scripturæ. Quando per apocryphas, dicunt quod in deſerto eſt; quando per occultos ſenſus, dicunt quod in penetralibus. Vel ſecundum Auguſtinum, vera doctrina duo habet: quia & idem in omni loco, & publice proferri debet; & ab iſtis deficit hæreſis: unde dicit: *Hic eſt Chriſtus*; ideſt, in hac terra, & non in alia. Item quia doctrina ſua non eſt publica, ideo dicunt, *In penetralibus eſt*: unde *nolite credere*.

Sicut enim fulgur exit ab oriente &c. Hic aliam rationem aſſignat, quia falſum dicunt quod Chriſtus veniet occultus; ſed non eſt verum, immo veniet manifeſtus. Et ponit duas rationes. Unam ex manifeſtatione Chriſti, aliam ex congregatione ſanctorum, Dicit, *Nolite credere*, quod non veniat manifeſtus: *ſicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque ad occidentem, ita erit adventus Filii hominis*. Pſal. XLIX. 3. „ Deus manifeſte veniet. "

Sed numquid veniet ſicut fulgur qui modo videatur hic, & poſt verſus orientem? Ideo non intelligatis, quod ſic ſolum manifeſtetur in uno oriente, ſed in omnibus. Si velimus referre ad myſterium, fulgur eſt adventus veritatis. Nolite ergo quærere occultum dogma, quia veritas manifeſtatur per totum mundum. Vel oriens principium, occidens finis, unde veritas dogmatis ſemper habet concordantiam a principio uſque ad finem. Verum enim dogma totam Scripturam recipit. Quidam non recipiunt vetus teſtamentum; quidam non recipiunt prophetas; & ita non poſſent confirmari per alias ſcripturas. Sed vera doctrina a principio naſcentis Eccleſiæ uſque ad finem habebit confirmationem: unde dicit infra ult. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſaculi*.

Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Poſſet enim aliquis dicere: Iſti dicunt: *Hic eſt Chriſtus, aut illic*: quomodo cognoſcemus quando veniet? Oſtendit autem quod non indigebit quærere, quia manifeſtus fiet adventus eius, quandoquidem & alii congregabuntur; & erit ſimile ei quod accidit cum quidam petiit a domino ſuo multum celante conſilium ſuum de movendo caſtra, & dixit: Quando (*e*) movebis caſtra? Et ille: Nonne audies tubam: ad quid petis? Sic dicitur hic. Tu dicis quod erit hic, vel illic: ſcio quod *ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*. Notate, quod in Hebræo habetur, *Anathe*, quod idem eſt quod cadaver: unde voluit ſignare paſſionem Chriſti, quia tunc veniet Chriſtus oſtendens ſigna paſſinnis; & loquitur per ſimilitudinem: *Ubi fuerit corpus &c.* I. ad Theſs. IV. 16. „ Occurremus in „ nubibus obviam Chriſto. " Sed quidam ſunt aquilæ, quidam vultures, & corvi. Sed non dicit vultures, vel corvi, ſed *aquilæ*, per quas ſancti ſignantur. Eſa. XL. 31. Aſſument „ pennas ut aquilæ, volabunt, & non defi„ cient. " Sic, ut dicit Hieronymus, ubicum-

(a) *Al.* quod ſeducerentur. (b) *Al.* rebellantes. (c) Al. *credere*. (d) *Al.* eſt. (e) *Al.* movebitis.

cumque ſit memoria Chriſti paſſionis, viri ſancti debent congregari per iugem memoriam paſſionis eius. Ad Hebr. x. 32. „ Memoramini priſtinos dies, in quibus illuminati „ magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum. “

Et quia non ſolum erunt hæc manifeſta per tribulationes, ideo ait: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur &c.* Et agit de ſignis ſumptis ab aliis rebus quæ ſupra nos ſunt. Et primo ponit ſigna; ſecundo effectus. Secunda ibi, *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* In his autem quæ ſupra nos oſtendit, triplex eſt ordo: corpora cæleſtia, Angeli, Chriſtus. Ad Ephe. I. 21. „ Conſtituit „ eum ſuper omnem poteſtatem, & princi- „ patum &c. “ Quantum ergo ad primum dicit: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum*, quando ſcilicet veniet Antichriſtus. *Statim*, quia non diu poſt, quia multis eſſet in periculum; & hoc eſt contra illos qui fabulam ponunt de mille annis. *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum.* Et quid eſt? Hoc dictum habet ſenſum litteralem, & myſticum. Secundum quod ad ultimum adventum refertur, habet ſenſum litteralem; ſecundum quod ad alium, myſticum.

Sed videtur obiici quod dicit, quod ſol obſcurabitur, quia dicitur Eſa. xxx. 26. „ Et erit „ lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſe- „ ptempliciter. “ Unde ad hoc videndum debetis diſtinguere tria tempora. Tempus ante adventum, tempus in adventu, & poſt adventum. Ante adventum Chriſti huiuſmodi obſervationes fient, de quibus hic dicitur, & Ioel. II. 31. „ Sol convertetur in tenebras, „ & luna in ſanguinem, antequam veniat „ dies Domini magnus, & horribilis. “ In Chriſti adventu non mutabuntur ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum comparationem: quia tanta erit claritas Chriſti, & ſanctorum quod nec apparebit claritas eorum. Eſa. xxiv. 23. „ Erubeſcet luna, & confundetur ſol. “ Sed poſt diem iudicii augebitur claritas lunæ, & ſtellarum. Et tunc erit verum quod dicitur Eſa. xxx. 26. ſcilicet quod „ ſolis lu- „ men erit ſeptempliciter ſicut lumen ſeptem „ dierum. “

Sed videtur falſum quod dicitur, quod ſtellæ cadent de cælo, quia una ſtella maior eſt tota terra. Rabanus ſolvit per litteram Marc. XIII. 25. quod „ ſtellæ erunt decidentes in „ lumine; “ ideſt, in lumine minoratæ. Sed unde iſta minoratio poterit eſſe? Ex duobus eſt quod lumen alicuius luminaris minoratur: vel in ſeipſo, vel propter interpoſitum aliquod, ut ſi nubes interponatur; ut cum eclipſatur luna, minuitur lumen eius: unde dicit Origenes, quod dupliciter poteſt intelligi. Primo quod hoc interpoſitum erit ignis, qui ante Chriſtum præcedet, & conſumet omnia uſque ad medium ſpatium acris, quantum ſcilicet elevatæ ſunt aquæ diluvii: quem ignem ſequetur multus fumus, ita quod tenebrabuntur luminaria cæli. Vel poteſt dici, quod quidam tenebant, iſta corpora eſſe corruptibilia; & ſicut (*a*) elementaria immutabuntur, ita & iſta. De iſtis tribus habetur una auctoritas Apocal. VI. 13. „ Sol factus eſt ni- „ ger tamquam ſaccus cilicinus, & luna to- „ ta facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cæ- „ lo ceciderunt. “

Stellæ cadent de cælo. Stellæ de cælo videntur cadere quando ſuo lumine privantur. Sic ergo erit immutatio in corporibus cæleſtibus. Item in Angelis: unde dicit: *Et virtutes cælorum movebuntur*, ideſt virtutes quæ Deo miniſtrant. Et dicit Auguſtinus, quod omnia corpora adminiſtrantur per ſpiritum vitæ: unde dicuntur moveri in effectu, quia in adventu Domini ceſſabit motus cæli: unde illæ dicuntur moveri quando illa quæ ad ſuum officium pertinent, in alium ſtatum mutantur. Vel Angeli movebuntur, non commotione timoris, ſed admirationis, quia admirabuntur virtutem Chriſti. Vel commovebuntur commotione gaudii ſuper glorificatione ſanctorum. De hoc poteſt accipi quod dicitur Iob XXVI. II. quod „ columnæ cæli contremiſcunt, & „ pavent ad motum eius. “

Et tunc apparebit ſignum Filii hominis in cælo. Hic ponitur ſignum Filii hominis ſuper Angelos exiſtentis. Filii ſignum, ideſt ſignum victoriæ Chriſti, quia quando totus mundus innovabitur, ſignabitur quod obtinuit victoriam omnium per paſſionem ſuam; quod modo non apparet. Vel apparebit ſignum crucis, ad oſtendendum quod tota iſta gloria eſt per paſſionem eius. Item ſignificabitur quod omnem iudiciariam poteſtatem acquiſivit per paſſionem ſuam. Iob XXXVI. 29. „ Si voluerit nubes „ extendere quaſi tentorium ſuum &c. “ Et ſequitur: „ Per hæc enim iudicat populos. “ Item apparebit ad confundendum malos, qui Chriſtum noluerunt ſequi. Item ſignum crucis erit clarius quam ſol.

Sed quis erit effectus? *Tunc plangent omnes tribus terræ*, videntes tantam Chriſti poteſtatem, quam deſpexerunt, & tantam ſapientiam, cui non obedierunt, & tantam claritatem ſanctorum: unde dicent illud quod dicitur Sap. v. 3. „ Hi ſunt quos habuimus ali- „ quando in deriſum, & in ſimilitudinem impro-

(*a*) *Al.* elementa.

„ properii. Nos inſenſati vitam illorum æſti„ mabamus inſaniam, & finem illorum ſine „ honore. Ecce nunc quomodo computati „ ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors „ illorum eſt.“ Item tribus cæli, ideſt illi qui portaverunt imaginem cæli. Eſa. xl. 18. „ Cui ſimilem feciſtis Deum; aut quam ima„ ginem ponetis ei?“ Imputabunt ſibi ipſis quod talia ſuſtinent. Apocalyp. 1. 7. „ Vide„ bit eum omnis oculus, & qui eum pupu„ gerunt, & plangent ſe ſuper eum omnes „ fines terræ.“ Et Zach. xii. 10. „ Aſpicient „ ad me quem confixerunt, & plangent eum „ planctu quaſi ſuper unigenitum, & dole„ bunt ſuper eum ut doleri ſolet in morte „ primogeniti.“ Hæc eſt litteralis expoſitio; ſed ſi referatur ad ſecundum adventum, tunc tantum exponitur myſtice. Origenes: „ Per ſolem diabolus ſignatur, per lunam An„ tichriſtus.“ De his dicitur Iob xxxi. 27. „ Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam in„ cedentem clare, & lætatum eſt in abſcon„ dito cor meum.“ Vidi, ideſt approbavi ſolem; ideſt, ea quæ videntur habere claritatem, & ſanctitatem, & qui virtutem, tunc apparebunt. I. ad Corinth. iv. 5. „ Illuminabit „ abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit con„ ſilia cordium.“ Unde tota doctrina, tota claritas tunc apparebit, quia imago Chriſti apparebit in omnibus. Vel per ſolem Eccleſia ſignatur: unde Eccleſia propter tribulationes videbitur non lucere.

Et quare dicit, *Poſt tribulationem*? Reſpondet Origenes: „ Et poſt, & ſimul.“

Item ſtellæ, ideſt illi qui poſt videbantur ſplendere. *Virtutes cæli*, ideſt, ſancti, *movebuntur*.

Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli &c. Supra Dominus prænuntiaverat quæ futura erant ante ſecundum adventum; hic autem prænuntiat ipſum adventum: & circa hoc tria facit. Primo ponit ſuum adventum; ſecundo certitudinem adventus; tertio incertitudinem horæ, vel diei. Secunda ibi, *Ab arbore fici diſcite parabolam*; tertia ibi, (*a*) *De die autem illa, & hora nemo ſcit*. Circa primum duo facit. Primo ponit adventum, ſive apparitionem Filii hominis; ſecundo congregationem ſanctorum ad ipſum, ibi, *Et mittet Angelos &c.* Et attendite quod ubi fecit mentionem de adventu, duo poſuit, videlicet quod manifeſtus eſſet adventus, & quod ſancti congregarentur: unde dixit: (*b*) *Sicut enim fulgur .... ita erit & adventus Filii hominis*. Et hoc ad manifeſtationem. Item dixit: *Ubi corpus ibi congregabuntur & aquilæ*. Et hæc dno vult magis explanare. Et quomodo veniet? *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli*. Et qui videbunt? Omnes homines. Ipſe enim ad iudicandum veniet. Habet enim naturam humanam, & divinam. Secundum divinam non videbitur niſi a mundo corde &c. ſecundum quod dicitur ſupra v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: ſed ſecundum humanam naturam videbunt eum etiam mali. Luc. iii. 6. „ Videbit omnis caro „ ſalutare Dei noſtri.“ Ideo *videbunt Filium hominis*, quia idem eſt Filius hominis, & Dei; ſed non videbunt ut Filium Dei, ſed ut Filium hominis. Ioan. v. 27. „ Dedit ei iudi„ cium facere, quia Filius hominis eſt.“

Sed poteſt eſſe quæſtio utrum tam boni quam mali ſint eum viſuri in ſpecie glorioſa. Et dicendum quod ſic. Et ratio aſſignatur Eſa. xxvi. 10. ubi diſputans Dominus cum propheta, dicit: „ Non videbit gloriam Do„ mini.“ Et reſpondet propheta: „ Domine, „ exaltetur manus tua, ut non videant.“ Cui reſpondit Dominus: „ Videant, & con„ fundantur.“ Unde boni videbunt ad lætitiam, mali ad cruciatum, & triſtitiam: quando enim aliquis timet puniri, quanto magis poteſtas iudicis contra ipſum apparet maior, magis affligitur; ſic quanto Chriſtus apparebit glorioſior, tanto magis cruciabuntur mali. Et hoc ſignatur cum dicitur: *Venientem in nubibus cæli*. Et hoc reſpondet huic quod ſupra dixerat, quod *ſicut fulgur .... ita erit & adventus Filii hominis*. In fulgure duo ſunt, ſplendor, & terror. Splendor aliquam iucunditatem repræſentat, ſed terror fit ex ſono; & nubes ad refrigerium fit. Eſa. xviii. 4. „ Et „ erit ſicut nubes rorida in die meſſis:“ quæ tunc iucunda eſt. Item nubes habet obſcuritatem, & quando ſpiſſa eſt, eſt terribilis propter fulgura, & pluvias quæ ex nubibus oriuntur: & hoc convenit terrori impiorum. Pſal. xcvi. 2. „ Nubes, & caligo in circuitu „ eius.“ Item competit quod in nubibus veniat ad deſignandum divinitatem Chriſti, quia maieſtas Dei apparuit in nube, Exo. xvi. 10. unde dicitur III. Reg. viii. 12. „ Dixit Domi„ nus quod (*c*) habitaret in nebula.“ Ideo in nubibus veniet. Item competit ad oſtendendum humanitatem eius: quia ſicut habetur Act. i. 9. „ Videntibus illis, elevatus eſt, & „ nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum; & „ audierunt Angelos dicentes: Quemadmodum „ vidiſtis eum euntem in cælum, ſic veniet.“ Ut ergo oſtendatur quod ſit ille idem qui in nube ſublatus eſt, apparebit in nube. Competit etiam ad ſignificandum glorificationem.

Quan-

(*a*) Al. *Dies autem, & hora &c.* (b) Al. *Et ſicut fulgur &c.* (c) *Al.* habitaret Dominus in nebula.

Quando enim transfiguratus eſt, apparuit nubes lucida, & tunc fuit una; ſed tunc erunt plures, quia tunc ſolum tribus apparuit, ſed tunc pluribus apparebit. Apocalyp. I. 7. „ Ecce veniet in nnbibus, & videbit eum omnis oculus. “ Et quid erunt iſtæ nubes? Non erunt niſi quædam claritates redundantes ex corpore Chriſti, & aliorum ſanctorum. Origenes dicit, quod erunt Angeli aſſumentes non ſolum intelligibiliter, ſed veraciter miniſtrantes. In primo enim adventu venit humilis: Zach. IX. 9. „ Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. “ Sed poſt veniet *in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate*. In primo enim adventu duo fuerunt: habuit enim infirmitatem, & ignominiam. Infirmitatem, quia dicit Apoſtolus, II. Cor. XIII. 4. „ Cruci fixus eſt ex infirmitate. “ Ignominiam ſecundum quod habetur Eſa. LII. 14. „ Sic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum. “ Conſequenter ad hæc duo, duo dicit. Conſequenter ad infirmitatem ponit virtutem: unde de iſta dicitur (infra ult. 18.) *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*: & hæc data eſt ei per generationem, inquantum Filius Dei. Sed ipſe promeruit inquantum homo; & hoc manifeſtabitur quando omnes Angeli, & omnia elementa miniſtrabunt ei. Item contra ignominiam dicit quod veniet in maieſtate, quaſi iudex vivorum, & mortuorum.

Tunc veniet, *& mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna*. Hic agit de congregatione ſanctorum, & tria ponit. Primo ponit miniſtros; ſecundo congregatos; tertio unde congregantur. Miniſtri ſunt Angeli, ut habetur Pſal. CII. „ Miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. “ Sed dicit: *Cum voce magna, & tuba*. In reſurrectione triplex virtus operabitur. Primo virtus divina. Secundario virtus humanitatis Chriſti, quia ſua reſurrectio eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, ut dicit Apoſtolus I. ad Corin. XV. 22. „ Sicut in Adam omnes mortui ſumus, ita in Chriſto omnes reſurgemus. “ Item operabitur ibi virtus angelica ad quædam præambula, ſcilicet ad colligendos pulveres. Et hæc tria tangit. Virtutem angelicam, cum dicit, *Mittet angelos*; virtutem Dei, cum dicit, *Cum tuba*; virtutem humanitatis in hoc quod dicit, *Et in voce magna*. De iſta habetur in Ioan. V. 25. „ Omnes qui audierint vocem Filii Dei, vivent. “ Et oportebit quod illa vox ſit magna, quia „ dabit voci ſuæ vocem virtutis: “ Pſal. LXVII. 34. Per tubam bene ſignatur divinitas, quia maior eſt vox tubæ quam vox humana. Apoc. XI. 12. „ Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis, Aſcendite huc. “ Et paulo poſt: „ Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces magnæ in cælo. “ Et notate, quod tuba ſatis ei congruit, quia Num. X. mandavit Dominus Moyſi duas tubas fieri: & clangebant tubis ad concilium, ad feſta, ad pugnam, & ad commotionem caſtrorum: & ſic erit in iudicio, quia erit ibi concilium, ideſt adunatio omnium ſanctorum: quia „ non reſurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum: “ Pſal. I. 6. Item erit tunc ſolemnitas ſempiterna. Item erit ibi pugna contra malos, ut habetur Zach. ult. 14. „ Sed & Iudas pugnabit adverſus Hieruſalem. “ Item erit ibi commotio caſtrorum, quia ſancti transferentur ad vitam ſanctorum. Zach. II. II. „ Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa. “ Item quidam modo congregantur, ſed non omnes; ſed tunc omnes. Infra XXV. 32. *Congregabuntur ante eum omnes gentes*. Hic congregantur ſolum electi, quia ſolum congregantur ut regnent cum ipſo. Pſal. XLIX. 5. „ Congregate illi ſanctos eius: “ Unde dicit: *Et congregabunt electos eius*. Sed unde congregabuntur? *A quatuor ventis cæli, a ſummis cælorum uſque ad terminos eorum*. Venti cæli diſtinguuntur per quatuor partes mundi. Ab oriente provenit ſubſolanus, ab occidente favonius, a ſeptemtrione boreas, a meridie auſter; & ſub his omnes alii continentur: unde *a quatuor ventis cæli*; ideſt, ab omnibus partibus mundi. Sequitur: *A ſummis cælorum uſque ad terminos eorum*. Iſtud poteſt dupliciter exponi. Origenes dicit ſic. *Congregabuntur*. Poſſet aliquis dicere, quod ſolum iſta congregatio eſſet vivorum, & non mortuorum: quod removet, ad oſtendendum quod etiam mortui congregabuntur: ideo dicit: *A ſummis cælorum &c.* Scitis quod ſancti aſcendunt in cælos, & quidam ſunt inferiores, quidam ſuperiores: quia ſecundum modum meritorum erit modus præmii. Unde hoc eſt quod dicit Auguſtinus quod *a quatuor ventis*, hoc eſt propter corpora; quod *a ſummis cælorum*, hoc dicit propter animas. Remigius dicit ſic: & eſt in Gloſſa. *Congregabo &c.* Poſſet aliquis credere quod ſolum eſſet congregatio ab extremis terræ: ſed quid erit de meditullio terræ? unde *uſque ad terminos eorum*. Et vult dicere, quod non ſolum fiet congregatio ab extremis terræ, ſed a cælo, ideſt a meditullio mundi.

Ab arbore fici diſcite parabolam. Hic docet de certitudine adventus ſui. Magna dixerat, & a quibuſdam incredibilia: modo tripliciter certificat. Primo ſimilitudine; ſecundo aſſertione; tertio ratione. Secunda ibi, *Amen dico*

vobis

vobis quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant; tertia ibi, *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*. Dicit ergo: *Ab arbore fici diſcite parabolam*. Dicit Chryſoſtomus. Quando vult Deus oſtendere aliquid, ſemper inducit ſimilitudinem naturalem. Arbores in hieme vitam habent, tamen occulte, unde non producunt folia, neque fructus; ſed in principio veris incipiunt pullulare, & tunc apparet vita: ſic etiam ſancti modo non apparent, ut habetur ad Coloſſ. III. 3. „ Mortui eſtis, & vita veſtra abſcon„ dita eſt cum Chriſto (*a*) in Deo: “ ſed tunc vita ſanctorum apparebit, eorum ſcilicet qui non ſeducentur tempore Antichriſti. Tunc (*b*) veniet æſtas, ideſt æterna retributio. Pſal. cxxv. 6. „ Euntes ibant, & flebant mit„ tentes ſemina ſua: “ & ſequitur: „ ve„ nientes autem venient cum exultatione por„ tantes manipulos ſuos. “ Unde dicit: *Ab arbore fici diſcite parabolam*. Per ficum ſignatur ſynagoga, de qua habetur Luc. XIII. 6. „ Ar„ borem fici habebat quidam plantatam in „ vinea ſua. “ *Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas*. Et hoc poteſt exponi ſic. Ramus tener, Antichriſtus eſt, cuius poteſtas parum durabit; & ſicut folia multum adhærent ei, tunc poteſtas eius manifeſtabitur. Vel poteſt exponi in bono. Per ramum virtus, & fortitudo ſanctorum. Quando Eccleſia incipiet finiri, virtus Chriſti, & ſanctorum apparebit, qui ſuſtinebunt eam. Cant. II. 13. „ Ficus protu„ lit groſſos ſuos. “ *Ita & vos cum videritis hæc omnia*; ideſt, cum videritis ſigna præcedentia evenire, *ſcitote quod prope eſt in ianuis*. Sicut dicitur aliquid eſſe prope, quando eſt in ianuis. Iaco. v. 4. „ Ecce merces opera„ riorum veſtrorum, quæ defraudata eſt a vo„ bis, clamat, & clamor eorum in aures Do„ mini ſabaoth introivit. “

Notate, quod Auguſtinus facit vim in hoc quod dicit, *Omnia*, cum dicit, *Cum videritis hæc omnia &c.* Supra dixerat quod Dominus prope eſt: ſed quid eſt? Semper enim Dominus prope eſt. Ideo dicit: „ Si velimus, di„ camus quod nihil pertinet ad finem mun„ di, ſed ad adventum Chriſti per Eccleſiam: „ unde quod dictum eſt: *Videbunt Filium homi„ nis venientem in nubibus*, ideſt in prædica„ toribus, *cum virtute magna*, quoniam dat „ Dominus verbum evangelizantibus virtute „ multa; & tunc veniet cum maieſtate, quo„ niam dant ei reverentiam. “ Tamen ſecundum expoſitionem aliorum, referre ad finem mundi poſſumus; & aliter dicere, ſecundum quod Auguſtinus exponit, dat intelligere aliquid quod prope eſt, ideſt aliqua eſſe ſigna quod prope eſt: unde quod dictum eſt, *Videbunt &c.* refertur ad omnia ſupra dicta, ſcilicet ad ſigna, fulgura, & terræmotus.

Manifeſtavit ergo per ſimilitudinem, nunc manifeſtat per aſſertionem, ſcilicet cum iuramento, dicens: *Amen dico vobis*; ideſt, infallibiliter verum eſt, *quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant*. Dicit Origenes: „ Quaſi „ in promptu eſſet quod audietis. “ Poſſet enim aliquis credere hæc eſſe dicta de deſtructione Hieruſalem, & quia tunc completa ſunt ad deſtructionem, quia multi ſupervixerunt uſque ad tempus illud: unde *non præteribit generatio hæc*, ideſt homines nunc viventes, *donec omnia fiant*. Sed magnum eſſet omnia dicta ad deſtructionem Hieruſalem referre; ideo aliter dicendum, quod omnes fideles ſunt una generatio. Pſal. XXIII. 6. „ Hæc eſt ge„ neratio quærentium Dominum: “ & præmiſerat, quod „ Domini eſt terra. “ Unde vult dicere: *Non præteribit generatio hæc*; ideſt, non ceſſabit fides Eccleſiæ uſque ad finem mundi, contra aliquos qui dicebant quod duraret uſque ad tempus aliquod: quod Dominus redarguit dicens, infra ult. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Et tunc ponit rationem: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*; quaſi dicens: Facilius eſt cælum & terram tranſire, quam verba. Eſa. XL. 8. „ Verbum „ autem meum manet in æternum. “ Et Pſal. XXXII. 6. „ Verbo Domini cæli firmati ſunt. “ Unde verbum eſt cauſa cæli; & cauſa ſemper validior eſt ſuo effectu; ideo &c. Et non dicitur quod cælum & terra tranſeant, quia eſſe deſinant, ſed quia tranſibunt in alium ſtatum. Apocal. XXI. 1. „ Vidi cælum novum, „ & terram novam. “ Secundum Origenem, boni per cælum ſignantur, per terram mali. Eſa. I. 2. „ Audite cæli, & auribus percipe „ terra. “ Utrique tranſibunt, boni in vitam æternam, mali in ignem æternum. Et quod dicitur verbum Dei non præteriri, non dicitur quod non tranſeat ſecundum ſubſtantiam verbi, ſed ſecundum id cuius eſt: unde hoc, ut dicit Origenes, habet præter alia, quia non præteribit verbum Domini. Verba autem Moyſi, & aliorum prætereunt: unde verba Moyſi ſunt ſigna præſentis Eccleſiæ; ſed verba Chriſti prænuntiant ſtatum vitæ æternæ: unde verba Moyſi tranſeunt; ideſt, quod promiſit Moyſes, tranſit; quod Chriſtus, non, quia promiſit futuram gloriam, quæ non tranſit. Item vet-

(a) *Al.* in gloria. (b) *Al.* veniat.

verbum Chriſti ſecundum quod eſt de terrenis, & temporalibus, tranſit.

De die autem, & hora illa nemo ſcit. In parte autem iſta determinat de incertitudine temporis; & circa hoc duo facit. Primo ponit temporis incertitudinem; ſecundo hortatur ad ſimilitudinem; tertio oſtendit eventum futurum. Secunda ibi, *Sicut in diebus Noe &c.* tertia ibi, *Tunc duo erunt in agro*. Dicit quod *videbunt Filium hominis*. Tu dicis indeterminate; (*a*) dicas nobis determinate ſi eſt verum. *De die autem, & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum*. Quod dicit de Angelis cælorum, manifeſtum eſt, & non habet magnam dubietatem: quia eſt cognitio naturalis in eis, & hoc non ſe extendit niſi ad ea quæ ſecundum curſum naturæ fiunt; iudicium autem non fiet niſi ſecundum voluntatem Dei. Item eſt alia cognitio gloriæ, & ſic tantum ſciunt ſicut quibus Dominus vult revelare: & iſtud ſibi retinuit. Malach. III. 2. „ Ecce veniet „ Dominus: & quis poterit ſcire adventum „ eius? " I. ad Theſ. v. 2. „ Dies Domini „ ſicut fur in nocte, ita veniet. "

Sed eſt quæſtio hic, ſecundum Hieronymum: quia dicit Marcus cap. XIII. 26. „ Nec etiam „ Filius hominis: " ex quo videtur Arrius ſuam hæreſim confirmare: quia ſi Pater ſcit quod neſcit Filius, ergo maior eſt eo. Ideo poteſt dici quod Filius ſcit, & quod dies iudicii ſecundum aliquam rationem determinatus eſt, & quicquid determinatur a Deo, ſuo Verbo æterno determinatur, ideo impoſſibile eſt quin Verbum ſciat.

Sed quare dicitur neſcire? Auguſtinus, & Hieronymus dicunt, quod conſuetus modus loquendi eſt dicere neſcire aliquid, quando non facit illud ſcire, ſicut dicitur Gen. XXII. 12. „ Nunc cognovi quod timeas Deum; " ideſt, cognoſcere feci: ideo dicitur Filius neſcire, quia non facit ſcire. Alio modo dicit Origenes, quod Chriſtus, & Eccleſia ſunt ſicut caput, & corpus: quia ſicut caput, & corpus ſunt ſicut una perſona, ita Chriſtus, & Eccleſia. Sed Chriſtus aliquando accipit formam Eccleſiæ, ut in illo Pſal. XXI. 2. „ Deus Deus „ meus reſpice in me. " Unde quod dicitur quod Chriſtus non ſcit, intelligitur quod Eccleſia non ſcit: unde Dominus, Act. I. 6. „ Non eſt (*b*) veſtrum ſcire tempora, vel mo„ menta &c. "

Notate, quod dicit Auguſtinus quod ipſe volebat oſtendere ex quibuſdam ſignis quod adventus iudicii non poſſit ſciri determinate, quia non determinat quodcumque tempus. Probatio dicit, quod non poſſit ſciri: quia ſicut eſt in ætatibus hominis, ita eſt in ætatibus mundi: unde ſicut ultima ætas hominis non habet terminum certum, ſed aliquando protenditur pluſquam aliæ, ſic & de ultima parte (*c*) mundi dici debet, quod non habet certum terminum, & poterit plus durare quam omnes aliæ partes.

Sicut autem fuit in temporibus Noe, ita erit & adventus Filii hominis. Supra Dominus poſuit incertitudinem horæ ſui adventus; nunc autem adhibet ſimilitudinem: & primo ponit eam; ſecundo exponit, ibi, *Sicut (d) enim erant in diebus ante diluvium &c.* Proponit autem ſimilitudinem convenientem, quia dum loqueretur de fine mundi, quievit in fine mundi. Proponit ergo de alia ſimilitudine. Legitur enim duplex conſummatio. Una per aquam. II. Petr. II. 5. „ Et (*e*) originali mundo non „ pepercit, ſed octavum Noe iuſtitiæ præconem „ cuſtodivit, diluvium mundo impiorum in„ ducens. " Unde dicitur ſatis convenienter, quia prima conſummatio fuit ad amputanda peccata carnalia: unde dicitur Gen. VI. 2. „ Videntes filii Dei filias hominum quod eſ„ ſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex „ omnibus quas elegerant. " Ideo contra ardorem huius concupiſcentiæ, debuit eſſe conſummatio per aquam. In fine autem mundi peccatum erit, quia refrigeſcet caritas, ſicut ſupra dictum eſt; ideo ignis convenienter erit in pœnam: unde dicit: *Sicut in tempore Noe*, ſcilicet quod finis fuit incertus, ſicut habetur Gen. VI. 13. „ Finis univerſæ carnis venit „ coram me. " Unde ſicut illi qui adhæſerunt Noe, ſalvati fuerunt, ſic in adventu Filii hominis, qui adhærebunt Filio Chriſto, ſalvi fient. Secundo exponit iſtam ſimilitudinem quantum ad incertitudinem: *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes &c.* In verbis iſtis duo tangere videtur: unum ſcilicet deſperationem de futuro adventu, & cauſam eius. Cauſa autem quod homo non ſperet futurum adventum eſt, quia verſatur in curis carnis, quoniam ambulat ſecundum eius concupiſcentias. Iac. v. 5. „ Epulati eſtis ſu„ per terram, & in luxuriis veſtris enutriſtis „ corda veſtra. " Ideo vacabunt laſciviæ, quæ duas habet partes, ſcilicet „ in comeſ„ ſationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, „ & impudicitiis: " ad Rom. XIII. 13. Quantum ad primum dicit: *Comedentes, & bibentes*: non quod comedere, & bibere ſit peccatum; ſed ponere ibi finem ſuum eſt peccatum. Quantum ad ſecundum dicit: *Nubentes, & nuptui tradentes &c.* Et ſequitur: *Et non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes*, ſcilicet

(a) *Al.* dicat. (b) *Al.* noſtrum. (c) *Al. omittitur* mundi. (d) Al. *Sicut autem &c.* (e) *Al.* ſi in originali mundi,

Digitized by Google

cet qui non adhæſerunt Noe, qui erat figura Chriſti: *ita erit adventus Filii hominis.*

Sed habetur Luc. xxi. 26. „ Areſcentibus „ hominibus præ timore. “ Et ſupra hoc eodem habetur quod *ſol obſcurabitur*. Quomodo ergo ſecuri erunt homines ut comedant, & luxurientur?

Duplex eſt reſponſio. Dicit Hieronymus, quod verum eſt quod circa tempora Antichriſti multæ erunt tribulationes, & hoc ad probationem electorum; & poſt reſtituentur tranquillitati, & in illa tranquillitate mali vacabunt lætitiæ: unde Lucas loquitur ſecundum ſtatum tribulationis; Matthæus autem ſecundum tempus quod immediate præcedet adventum Dei. Item aliter, qnia quidam ſunt boni, quidam mali. Et univerſaliter Eccleſia patietur tribulationem, & boni punientur a malis: unde dicitur ſupra x. 22. *Odio eritis omnibus hominibus propter nomen meum*. Unde illi qui patientur, erunt boni, qui vero exercebunt huiuſmodi tribulationes, erunt mali. Quod ergo dicitur hic, *Comedentes, & bibentes &c.* intelligitur quo ad malos; quod autem in Luca dicitur, (*a*) „ Areſcentibus hominibus „ præ timore, “ hoc intelligitur quo ad bonos. Vel ſic. Cum frequenrer accidat quod boni emendantur per tribulationem, mali autem non; ideo mali areſcent, boni autem non.

Tunc duo erunt in agro: unus aſſumetur, & alter relinquetur. In parte iſta ponit eventum huius incertitndinis. Et quis erit? Quia continget quod homines in uno officio aſſumpti, quod unus aſſumetur, & alter relinquetur. Et poteſt hoc exponi, ſecundum Chryſoſtomum, quod non velit aliud dicere, quam quod in omni conditione hominum, & omni officio quidam erunt reprobi, quidam electi. Qui boni, aſſumentur; qui mali, relinquentur. Quomodo? Sicut dictum eſt ſupra xiii. qula venient Angeli, & aſſument bonos, ſcilicet ad Chriſtum. Item quidam ſunt delicioſe viventes, quidam vero quædam officia exercentes. Item laborantium qnædam ſunt officia ad homines pertinentia, quædam ad mulieres: labor hominum eſt proprie in agris. *Tunc* ergo *erunt duo in agro* uno, litteraliter, ſcilicet laborantes: *unus aſſumetur*, tamquam electus, *alter relinquetur*, tamquam reprobus. Item *dua erunt molentes in mola una: una aſſumetur, altera relinquetur*. Hoc eſt officium mulierum. Solebat eſſe quod mulieres molerent, & loquitur ſecundum conſuetudinem terræ, ubi non eſt aqua; & (*b*) nunc molitur cum equis, vel cum hominibus; ſed tunc erat officium mulierum. Eſa. xlvii. 2. „ Tolle mo„ lam, & mole farinam. “ Unde duæ erunt molentes, ideſt exercentes officium ſuum. Et tunc *Una aſſumetur* (*c*) exponitur ut prius. Item *duo in lecto uno: unus aſſumetur, & unus relinquetur*. Chryſoſtomus dicit, quod divites non laborant, ſed quieſcunt; ideo aſſignantur per illos qui in lecto iacent; & de iſtis *unus aſſumetur, & alter relinquetur*. Poteſt etiam exponi allegorice, & hæc eſt expoſitio Hilarii. Per agrum aſſignatur mundus, ſicut ſupra dictum eſt. Per duos homines populus fidelium, & infidelium. De iſtis unus aſſumetur, ſcilicet populus fidelium, alter relinquetur, ſcilicet infidelium. Item lex vetus per molam aſſignatur, quæ gravis, & ponderoſa eſt. Act. xv. 10. „ Hoc eſt onus quod nec nos, „ nec patres noſtri ferre potuimus. “ Et eorum qui veterem legem recipiunt, aliqui recipiunt Chriſtum, alii non. Omnes illi dicuntur in mola molere qui veterem legem recipiunt: & illi quidem aſſumuntur qui veterem legem cum nova recipiunt; illi vero qui non, reliquuntur. Item qui Chriſtum recipiunt ſunt ſicut iacentes in lecto, quia per lectum ſignatur memoria paſſionis; & de talibus quidam aſſumuntur, quidam relinquuntur. Quidam enim conſormant ſe paſſioni per bona opera, quidam non. Poteſt aliter exponi, ut ad tres ſtatus fidelium referatur: quia ſunt tria genera hominum, quidam contemplativi, quidam prælati, quidam activi. Nullus ſtatus ſecurus eſt, quin aliqui damnentur in ſtatu aliquo. Status contemplationis per lectum ſignificatur. De boc in Cant. i. 15. „ Lectus no„ ſter floridus. “ Et tamen aliqui in hoc ſtatu damnantur. Status activorum per molentes in mola ſignatur, quia ponderoſitatem habent, & ſunt ſoliciti. Luc. x. 41. „ Martha, „ Martba ſolicita es, & turbaris erga pluri„ ma. “ Unde involvuntur in ſæcularibus, & (*d*) ideo inter eos aliqui damnantur. Per agrum in quem homines exeunt ad laborandum, ſignantur prælati. Cant. vii. 11. „ Ve„ ni dilecte mi, egrediamur in agrum. “ Et in talibus quidam aſſumuntur, & quidam relinquuntur.

(b) Poſtquam Dominus poſuit incertitudinem horæ, monet ad vigilantiam: & primo monet omnes; ſecundo ſpecialiter prælatos, ibi, *Quisputas eſt fidelis ſervus, & prudens? &c.* Circa primum tria facit. Primo proponit admonitionem; ſecundo ſimilitudinem; tertio concludit propoſitum. Secunda ibi, *Illud autem ſcitote &c.* tertia ibi, *Et vos eſtote parati &c.* Dicit ergo: Ita dico quod dies eſt incertus,

(a) *Al.* quod areſcentibus. (b) *Al.* tunc moletur. (c) *Al.* exponit. (d) *Al.* tamen.

& nullus poteſt confidere de ſuo ſtatu, quia de quolibet unus aſſumetur, & alter relinquetur; ideo debetis eſſe diligentes, & ſoliciti. *Vigilate ergo*. Et, ut dicit Hieronymus, ideo voluit Dominus incertum ponere terminum, ut homo ſemper expectaret. In tribus enim homo delinquit: quia vacant eius ſenſus, item quia vacat a motu, item iacet homo: ideo *vigilate*, ut ſenſus veſtri eleventur per contemplationem. Cant. v. 2. „ Ego dormio, & cor meum vigilat." Item *vigilate*, ne in morte torpeatis: ille enim vigilat qui ſe exercet in operibus bonis. I. Pet. ult. 8. „ Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret." Item *vigilate*, ne iaceatis per negligentiam. Proverb. vi. 9. „ Uſquequo piger dormies?" Sed quid dicit? *Quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit*. Hoc dicebat Apoſtolis, & non habetur ſibi quod ita expreſſe ſe vocet Dominum, ſicut hic, & in Ioan. xiii. 13. „ Vos vocatis me Magiſter, & Domine; & bene dicitis, ſum etenim."

Sed poſſet aliquis dicere, quod Dominus loquebatur Apoſtolis; Apoſtoli (*a*) autem non erant victuri uſque ad finem mundi: quomodo ergo dicit: *Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit*?

Dicit Auguſtinus, quod iſtud neceſſarium eſt etiam Apoſtolis, & eis qui ante nos erant, & nobis, quia Dominus venit dupliciter. In fine mundi veniet ad omnes generaliter: item venit ad unumquemque in fine ſuo, ſcilicet in morte. Ioan. xiv. 18. „ Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos." Ergo duplex eſt adventus: in fine mundi, & etiam in morte. Et utrumque voluit eſſe incertum. Et iſti adventus ſibi reſpondent, quia talis invenitur quis in ſecundo qualis fuerit in primo. Auguſtinus: „ Imparatum invenit illum mundi noviſſimus dies, quem imparatum invenit ſuus ultimus dies." Item poteſt exponi de alio adventu, ſcilicet inviſibili quando venit in mentem. Iob ix. 11. „ Si venerit ad me, non percipiam." Unde ad multos venit, & non percipiunt: unde multum debetis vigilare, (*b*) ut ſi pulſaverit, aperiatis ei. Unde Apocal. iii. 20. „ Ego ſto ante oſtium, & pulſo: ſi quis (*c*) aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo."

Illud autem ſcitote, quod ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret illa hora, & non ſineret perfodi domum ſuam. Sed quia neſcit qua hora, oportet quod tota nocte vigilet. Quis eſt iſte paterfamilias? Domus anima eſt. In iſta debet homo quieſcere. Sapien. viii. 16. „ Intrans in domum meam (ideſt in conſcientiam meam) conquieſcam cum illa." Paterſamilias ratio eſt. Proverb. xx. 8. „ Rex qui ſedet in ſolio, diſſipat omne malum intuitu ſuo." Aliquando fur perfodit domum ſuam. Fur eſt aliqua perſuaſio falſæ doctrinæ, vel tentatio aliqua. Et dicitur fur, ſicut habetur Ioan. x. 1. „ Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ille fur eſt & latro." Oſtium proprie dicitur naturalis cognitio, (*d*) ſeu ius naturale. Quiſquis ergo per rationem intrat, per oſtium intrat; ſed qui intrat per oſtium concupiſcentiæ, vel iræ, vel huiuſmodi, eſt fur. Fures conſueverunt in nocte venire. In Abdia 5. „ Si fures introiſſent ad te, ſi latrones per noctem, quomodo conticuiſſes?" Unde ſi de die veniant, non timentur. Sic quando homo eſt in contemplatione divinorum, tunc non venit tentatio; ſed quando remiſſe ſe habet, tunc venit: ideo bene dicit Propheta, Pſal. lxx. 9. „ Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me." Unde debemus vigilare, quia neſcimus quando veniet Dominus, ſcilicet ad iudicium. Vel poſſumus referre ad diem mortis. I. ad Theſſal. v. 3. „ Cum enim dixerint, Pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus." *Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis venturus eſt*. Dicit Chryſoſtomus, quod homines ſoliciti circa temporalia, vigilant de nocte. Et ſi pro temporalibus vigilant, multo magis vigilandum eſt pro ſpiritualibus. Apocal. iii. 3. „ Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur."

Quisputas eſt fidelis ſervus, & prudens quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam? Hic ſpecialiter admonet ad vigilandum prælatos & primo alliciendo præmiis; ſecundo terrendo ſuppliciis. Circa primum tria facit. Primo ponit idoneitatem boni prælati; ſecundo officium; tertio præmium. Idoneitas eſt quod ſit fidelis, & prudens. In quolibet bono opere duo ſunt neceſſaria: ut intentio conſtituatur in debito fine, item quod accipiat vias congruas ad illum finem; ideo in officio prælationis hæc duo ſunt neceſſaria. Primo quod figat intentionem in debito fine, quem quidam conſtituunt in ſeipſis, de quibus dicitur Ezech. xxxiv. 2. „ Væ paſtoribus qui paſcunt ſe:" quia illi qui in recto fine intentionem conſtituunt, non intendunt quod ſibi utile ſit, (*e*) ſed quod multis, ut ſalvi fiant. Et hoc totum propter gloriam Dei recte operantur. Qui autem quærit quod ſuum eſt,

(a) *Al.* *deeſt* autem. (b) *Al.* quia ſi pulſaverit, quod aperiatis ei. (c) *Al.* apparuerit. (d) *Al.* *omittitur* ſeu. (e) *Al.* ſed quod multi ſalvi fiant.

eſt, non: unde oportet quod ſit fidelis. I. Corinth. iv. 2. „ Iam quæritur inter diſpenſato-„ res ut fidelis quis inveniatur. “ Item debet eſſe prudens, quia poteſt eſſe quod aliquis quærat gloriam Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Prælati enim eſt corripere vitia. Poſſet ergo ita increpare quod poſſet inducere in peccatum. Ideo oportet quod ſit prudens. Supra x. 16. „ *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*.

Et notate quod nominat ſervum, quia differentia eſt inter liberum & ſervum: quia omnis actio ſervi retorquetur in dominum, non liberi: ſic omnis actio prælati referri debet in Deum. Sic Paulus vocabat ſe ſervum, cum (*a*) dicebat II. Corinth. iv. 5. „ Nos autem „ ſervos veſtros per Ieſum. “

Sed quare dicit: *Quiſputas eſt fidelis ſervus, & prudens*? Quia pauci ſunt fideles. Phil. ii. 21. „ Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non „ quæ Ieſu Chriſti. “ Proverb. xx. 6. „ Virum autem fidelem quis inveniet? “ Et ſi pauci fideles, pauciores & prudentes; ideo ſic dicit Dominus, notans paucitatem.

Deinde tangit eorum officium: *Quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam*. Et tria agit. Primo agit de ſui inſtitutione ſuper officium ſuum, cum dicit: *Quem conſtituit dominus*: non quod ipſe procuret vel muneribus, vel precibus. Ad Hebr. v. 4. „ Nullus „ aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a „ Deo, ſicut Aaron. “ Deinde tangit ſuper quod conſtitutus eſt, quia *ſuper familiam ſuam*, ſcilicet ſuper Eccleſiam ſuam, non ſuper temporalia; ſecundum quod dicit Apoſtolus II. Tim. ii. 4. „ Nemo militans Deo implicat „ ſe negotiis ſæcularibus. “ Item oportet eum eſſe prudentem, ut vigilet circa Eccleſiam, non circa alia quæ extra Eccleſiam ſunt. I. Corinth. v. 12. „ Quid ad nos de „ his quæ foris ſunt? “ Item tangit officium prælati: *Ut det illis cibum in tempore*: cibum ſcilicet doctrinæ, boni exempli, & temporalis ſubſidii: ideo Dominus (Ioan. ult. 15. 16. 17.) dicit Petro ter: „ Paſce, paſce, paſce oves „ meas. “ Paſce verbo, paſce exemplo, paſce temporali ſubſidio: habetur ultimo, ſed tamen. *In tempore*, Eccle. iii. 1. (*b*) „ O-„ mnia tempus habent. “ Item Ioan. xvi. 12. „ Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis „ portare modo. “ Si enim vult dicere verba, quando non competit, perdit.

Sequitur de præmio: & primo dicit quod eſt iſtud; ſecundo in quo ſit. Quod eſt præmium? Beatitudo: unde dicit: *Beatus*, ſive in morte, ſive in fine mundi, *quem cum venerit dominus, invenerit ſic facientem*, ſcilicet adminiſtrantem, ut dictum eſt. Pſal. cxviii. 1. „ Beati immaculati in via, qui ambulant in „ lege Domini. “ Et quare ſunt beati? *Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*. Hoc tripliciter exponitur. Uno modo ut oſtendatur in quo conſiſtat omnis beatitudo: beatitudo enim in aliquo bono conſiſtit; ſed omnia bona Dei ſunt. Numquid ergo in aliquo iſtorum eſt beatitudo? Beatitudo eſt in illo bono quod eſt ſuper omnia bona. Non enim eſt aliquis beatus niſi in illo bono quod Deus eſt: unde *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*; ideſt beatificabitur in illo, ſcilicet in Deo, qui eſt ſuper omnia. Secundo modo exponi poteſt quod hoc dicit ad oſtendendum præeminentiam quam habebunt boni prælati. Luc. xii. 37. habetur, quod „ faciet eos diſcumbere; “ ſed hic habetur quod *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*: quia inter omnia præmia, maximum eſt præmium boni prælati. Supra v. 19. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur*. Dan. xii. 3. „ Qui docti fuerint, erunt ſicut ſplendor „ firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt „ plurimos, quaſi ſtellæ in perpetuas æterni-„ tates. “ Et (*c*) hoc eſt *ſuper omnia bona ſua*, ideſt ſuper omnia præmia ſanctorum. Tertio modo poteſt exponi per unionem ad Chriſtum: quia ſicut in hoc mundo non perveniet ad ſtatum perfectionis niſi qui ſequitur veſtigia Chriſti, ſic nec tunc (*d*) niſi qui coniuncti fuerint Chriſto: & habebunt dominium ſuper omnia, inquantum voluntas ſua fit conformis voluntati divinæ. Luc. xxii. 29. „ Et „ ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pa-„ ter meus regnum. “ Et Apocal. ii. 28. „ Qui vicerit, dabo ei ſtellam matutinam. “

Si autem dixerit malus ille ſervus in corde ſuo &c. Poſtquam allexit ut ſint vigilantes per præmia, hic terret per ſupplicia. Et primo ponit culpam; ſecundo pœnam, ibi, *Veniet dominus &c.* In culpa duo ſunt, ſcilicet cauſa culpæ, & ipſa culpa; & tamen utrumque culpa eſt. Cauſa culpæ eſt deſperatio de adventu: *Si dixerit: Moram facit dominus meus venire*. Auguſtinus dicit, quod aliquis poſſet dicere hoc, nimio deſiderio, & hoc demonſtrabat qui dicebat (Pſal. xli. 3.) „ Quando „ veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? “ Aliquando dicitur propter deſperationem de cito veniendo. Ezech. xii. 22. „ Fili hominis, „ quod eſt proverbium iſtud in terra Iſrael „ dicentium: In longum differentur dies, & „ peribit omnis viſio? Non enim diu tarda-„ bit. “ II. Pet. iii. 9. „ Non tardat Domi-„ nus promiſſionem ſuam. “ Unde hæc eſt radix

(a) *Al.* dicit. (b) *Al. deeſt hæc ſententia Eccleſiaſtæ.* (c) *Al.* hæc. (d) *Al.* niſi conjun

Digitized by Google

radix omnium. Sed quæ ſunt quæ conſequuntur inde? Unum crudelitatis, aliud voluptatis. Quantum ad primum dicit: *Et cœperit percutere conſervos ſuos*, quia reputat ſibi ſubiectos ut ſervos: contra illud, I. Pet. v. 3. „ Sed voluntarie neque dominantes in cle- „ ris. “ Et non ſolum ſufficit ei, ſed etiam percutit, & affligit. Mich. III. 10. „ Qui æ- „ dificatis Sion in ſanguinibus. “ Vel percutiunt fratres, quos ſervos reputant, malo exemplo. Item iſtud non ſufficit eis, ſed convertunt ſe ad voluptates: *Manducet autem, & bibat cum ebrioſis*; ideſt, habebit ſocietatem cum voluptuoſis, ſi ipſe eſt voluptuoſus. Et quid erit inde? Ponit iudicium. Primo enim ponit iudicium ex inſperato; ſecundo pœnam. Dicit: *Veniet dominus ſervi illius in die qua non ſperat*: quia credit aliquando homo eſſe ſecurus de longa vita, & tamen ſubito deficit. I. ad Theſſal. v. 2. „ Dies Do- „ mini ſicut fur veniet. “ Eſa. xxx. 13. „ Su- „ bito dum non ſperatur, veniet contritio „ eius. “ Et quid fiet inde? Sequitur triplex pœna. *Et dividet eum*, non, ut dicit Hieronymus, ut dividat gladio, ſed a ſocietate bonorum. Infra xxv. 32. *Et ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis*. Et hæc eſt maxima pœna. Dicit Origenes ſic. In homine tria ſunt: eſt anima, corpus, ſpirituale donum. Et hæc in bonis prælatis non dividentur, ſed in malis prælatis. Spirituale donum dividetur, quia accipiet ſpirituale donum quod eis dederat; corpus autem, & anima mittentur in ignem. Item alia pœna eſt quod annumerabitur iniquis: unde dicit: *Partemque eius ponet cum hypocritis*. Hypocritæ ſunt ſimulatores, qui unum profitentur, & aliud agunt: unde partem eius ponet cum talibus. Et ſic accipitur Pſal. x. 7. „ Sulphur, „ & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. “ Item adhuc iſta non ſufficiunt, ſed erit alia pœna: quia *ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Iob xxiv. 19. „ Tranſibunt enim a frigore ni- „ vium ad calorem nimium. “ Unde fletus ex fumo generatur, ſtridor dentium ex frigore. Dicit Origenes, quod poſſumus hinc conſiderare quod male dicunt qui dicunt quod prælati mali non ſunt prælati.

Item notate quamdam ſimilitudinem quam ponit Auguſtinus. Removeamus ab oculis illum ſervum de quo fit ſermo, & ponamus tres ſervos qui diligant adventum Domini. Unus dicat: Dominus meus cito veniet, & ideo vigilabo. Alius dicat: Dominus tardabit, ſed volo vigilare. Alter dicat: Neſcio quando veniet, & ideo volo vigilare. (*a*) Quis iſtorum melius dicit? Reſpondet Auguſtinus, quod primus male decipitur: quia ſi putat quod cito veniat, & poſtea tardat, eſt in periculo ne præ tædio dormiat. Secundus poteſt decipi, ſed non eſt in periculo. Sed tertius bene facit, qui ſub dubio ſemper expectat: ideo malum eſt determinare aliquod tempus.

CAPUT XXV.

(a) TUnc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum. Prudentes vero acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obviam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes dicentes: Ne forte non ſufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Noviſſime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, domine, aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos. Vigilate ergo, quia neſcitis diem, neque horam.

(b) Sicut enim homo peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua: & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem; & profectus eſt ſtatim. Abiit autem qui quinque talenta acce-

(a) Al. Quid.

acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui. Poſt multum vero temporis venit dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Ait illi dominus eius: Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui. Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo ſuperlucratus ſum. Ait illi Dominus eius: Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium domini ſui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti; & timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra; ecce habes quod tuum eſt. Reſpondens autem dominus eius dixit ei: Serve male, & piger, ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem ſervum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium.

(c) Cum autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes; & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis; & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris. Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & operuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus te; ſitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te; aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non operuiſtis me; infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Tunc reſpondebit illis dicens: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.

(a) Supra actum eſt de adventu Domini ad iudicium; hic agitur de ipſo iudicio: unde dividitur iſtud capitulum in duas partes. In prima parte loquitur de iudicio per quaſdam parabolas; in ſecunda manifeſte, & explicite formam iudicii demonſtrat, ibi, *Cum autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua*. Circa primum duo facit. Primo ponitur quædam parabola, in qua aliqui excluduntur a regno propter defectum interiorem; in ſecunda quod quidam excluduntur propter negligentiam exterioris operationis, ibi, *Sicut enim homo peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos*. Prima eſt de virginibus, quæ ſolent animos hominum exercere. Et in hac tria conſideranda ſunt. Primo ponitur præparatio aliquorum ſe diſponentium ut regnent cum Chriſto; ſecundo ponitur excitatio ad iudicium; tertio adventus iudicii. Secunda ibi, *Media autem nocte clamor factus eſt*; tertia ibi, *Dum autem irent emere, ecce ſponſus venit*. Circa primum primo tangit ſtudium præparantium; ſecundo

eorum

orum ſomnum, ibi, *Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes, & dormierunt*. Circa primum duo facit. Primo ponit quod eſt commune omnibus ſe præparantibus; ſecundo diſtinctionem in his qui ſe præparant, ibi, *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*. Circa primum quatuor conſiderantur communia quantum ad omnes: numerus, ſtatus, officium, & finis intentus.

Numerus tangitur, quod decem erant: *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus*. Sed quare decem? Triplex ratio eſt. Una quidem, quia decem eſt numerus univerſitatis: in numerando procedimus uſque ad decem, & poſt incipimus ab uno: unde per decem, per unum, & per centum univerſitas ſignificatur. Vel, ſecundum Hilarium, omnes obſiſtunt decem præceptis obſervandis, vel obligantur ad ea. Vel (*a*) decem propter quinque ſenſus duplicatos. Sunt enim duplicati uno modo, ſecundum Gregorium, quia quinque ſunt in viris, & quinque in mulieribus; & ſic decem. Secundum Hieronymum, duplicantur ſecundum quod ad diverſos ſenſus referuntur. Sunt enim quidam ſenſus exteriores, & quidam interiores. De viſu interiori dicitur Ioan. IV. 12. „ Deum nemo vidit umquam. “ De guſtu dicitur Pſal. XXXIII. 9. „ Guſtate „ & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. “ De olfactu dicitur Cant. I. 3. „ In odorem un„ guentorum tuorum currimus. “ Et ſic ſunt omnes decem qui ad iudicium veniunt.

Status tangitur cum dicitur, *Virginibus*. Sed quare dicuntur virgines? Triplex eſt ratio. Secundum Chryſoſtomum, intelligitur de his qui integritatem carnis ſervant. Sed quare magis facit mentionem de virginibus? Dicit, quod ſupra XIX. 12. locutus eſt de virginibus, ubi dicit, quod *ſunt quidam eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat*. Ideo cum virginitas ſit tantum bonum quod non cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio, ſecundum quod habetur I. Corinth. VII. 25. „ De virginibus præceptum non ha„ beo, conſilium autem do: “ ſi iſti damnantur, multo magis & alii. Vel virgines dicuntur qui ab illecebris quinque ſenſuum abſtinent. Secundum Hieronymum, & Origenem, virgines dicuntur fideles qui non admittunt corruptelam, ſecundum quod dicit Apoſtolus, II. Corinth. XI. 2. „ Deſpondi vos „ uni viro virginem caſtam exhibere Chri„ ſto. “

Sequitur (*b*) videre ſtudium: *Quæ accipientes lampades ſuas*. Lampades ſunt vaſa luminis. Unde, ſecundum Hilarium, poſſumus intelligere animas illuminatas lumine fidei, quod in baptiſmo receperunt. Eſa. LVIII. 8. „ Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum. “ Vel per lampades opera ſignantur, ſecundum Auguſtinum: opera enim veſtra debent eſſe lucerna. Supra V. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Ergo accipere lampades, eſt præparare animam, vel diſponere ad bona opera.

Quartum quod ponitur eſt quod *exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ*. Quis eſt ſponſus, & quæ eſt ſponſa? Dupliciter exponitur ſecundum duplex matrimonium. Unum divinitatis ad carnem, quod celebratum eſt in utero virginis: „ ipſe enim tamquam ſponſus pro„ cedens de thalamo ſuo: “ Pſal. XVIII. 6. Sponſus ipſe filius eſt, ſponſa humana natura: unde nihil aliud eſt exire obviam ſponſo, & ſponſæ, niſi ſervire Chriſto. Item eſt matrimonium Chriſti, & Eccleſiæ. Ioan. III. 29. „ Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. “ Ergo præparantes lampades intendunt ut placeant ſponſo, ideſt Chriſto, & ſponſæ, ideſt matri Eccleſiæ. Et ſic in iſtis conveniunt. Ponuntur etiam (*c*) duo, in quibus diſcrepant, in interiori diſcretione, & exteriori ſolicitudine. Quantum ad primum dicit: *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*. Prov. X. 23. „ Sapientia eſt viro pru„ dentia. “ Ille prudens eſt qui quæ facit, non vult pro nullo perdere. Ideo dictum eſt ſupra X. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*. Vel ſic fatui ſunt qui divertunt a Deo, vel per malam intentionem, & non rectam, vel per falſam doctrinam. Prov. IX. 13. „ Mulier ſtul„ ta, & clamoſa, plenaque illecebris, & ni„ hil omnino ſciens, ſedit in foribus domus „ ſuæ. “ Secundum Origenem, qui habet unam virtutem habet omnes: unde non poteſt eſſe unus ſenſus ordinatus quin ſint alii ordinati. Item ſicut, etiam dicitur Iac. II. 20. „ qui delinquit in uno, factus eſt omnium „ reus. “ Item, diſcrepant quantum ad exteriorem ſolicitudiuem: quia *quinque fatuæ acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum*. Omnes iſtæ bene volebant habere lampades accenſas, quia ipſe qui lumen eſt, vult ſibi ſervire cum lumine; (*d*) ſed lumen non poteſt nutriri ſine oleo: ſtultus enim eſſet qui crederet ſervare lumen in lampade, & non poneret oleum. Per oleum quatuor ſignificantur, ſecundnm Hieronymum. Per oleum ſignificantur bona opera. Et quare? Fides eſt lumen animarum quo accenduntur lampades. Per bona opera fides nutritur. I. ad Timoth. I. 18. „ Hoc præ-

„ ce-

(a) *Al.* per decem. (b) *Al.* videte. (c) *Al.* tria. (d) *Al.* deeſt ſed.

„ ceptum commendo tibi, fili mi Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. “ De iſto poteſt accipi quod dicitur Prov. xxi. 20. „ Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti, & (a) imprudens homo diſſipabit illud. “ Alio modo per oleum miſericordia ſignatur. Et ſic dicit Chryſoſtomus: unde habetur Luc. x. 34. quod „ Samaritanus infudit vinum, & oleum. “ Per vinum ſeveritas ſignatur, per oleum opus miſericordiæ. Vult ergo quod qui intendit continentiam ſervare, & non fecerit miſericordiam, ſtultus eſt: unde dicit Iac. ii. 13. „ Iudicium ſine miſericordia ei qui non fecerit miſericordiam. “ Item per oleum ſignatur interior lætitia; de quo in Pſal. ciii. 15. „ Ut exhilaret faciem in oleo. “ Et alibi in Pſal. xliv. 8. „ Unxit te Deus oleo lætitiæ. “ Multi ſunt qui exterius abſtinent, & quærunt intus gaudium, ſcilicet conſcientiæ; & ibi habent ſecum oleum. Alii vero non quærunt gaudium conſcientiæ, ſed gloriam hominum; & iſti non habent oleum. Secundum Origenem, per oleum ſancta doctrina ſignatur. Cant. i. 2. „ Oleum effuſum nomen tuum. “ Oleum iuſtitiæ rectam doctrinam ſignat. Pſal. cxviii. 11. „ In corde meo abſcondi eloquia tua. “ Unde virgines dicuntur qui continentiam ſervant, qui faciunt miſericordiam, qui gaudium interius quærunt, qui rectam doctrinam aſſumunt.

Sequitur de ſomno repentino. Ponitur cauſa ſomni, & ſomnus. Cauſa ſomni eſt mora. Quando enim aliqui expectant aliquem, & maxime de nocte, cito dormiunt: unde per hoc ſpatium ſignatur ſpatium inter adventum Chriſti in carnem, & adventum ad iudicium: unde dicit: *Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes, & dormierunt*. Secundum omnes Expoſitores exponitur de morte.

Sed quare dicitur mors ſomnus? Hoc eſt propter ſpem reſurrectionis. Sicut enim qui dormit intendit evigilare, ſic qui dormit morte, intendit reſurgere. I. Theſſal. iv. 12. „ Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri qui ſpem non habent. “

Sed quid eſt dormitio, & dormitatio? Exponit Gregorius. Dormitatio eſt proprie via ad ſomnum: unde per dormitationem poſſumus intelligere longiorem vitam, per ſomnum mortem. Secundum Origenem, intelligitur de ſomno pigritiæ. Prov. vi. 9. „ Uſquequo piger dormies, quando conſurges de ſomno tuo? “ Unde *moram autem faciente ſponſo*, vel ad iudicium, vel ad mortem, *dormitaverunt omnes, & dormierunt*: vix enim ſunt aliqui qui longo tempore vivant quin torpeſcant. Vel qui totaliter negligunt, dormiunt; qui vero aliquo modo aliqualiter deſiſtunt a primo fervore, dormitant.

Tunc ſequitur excitatio; ſecundo effectus; tertio petitio fatuarum virginum; quarto reſponſio ſapientum. Dicit ergo: *Media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit*. De iſta dicit Origenes aliter quam alii, & magis ſecundum litteram. Alii omnes exponunt excitationem iſtam referendo ad finale iudicium; & ſecundum hoc iſte clamor erit tuba, vel vox Chriſti. I. Theſſal. iv. 15. „ Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo. “ I. Corin. xv. 52. „ Canet tuba .... & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi: “ I. Theſ. iv. 15.

Et quare media nocte? dicit Hieronymus, quod Hebræus dicit quod ſicut Angelus in media nocte deſcendit ad interficiendum primogenita AEgypti, ſic venturus eſt Dominus in media nocte. Unde ſolebat eſſe conſuetudo apud eos quod non dimittebatur populus uſque ad mediam noctem. Auguſtinus dicit, quod non eſt propter rationem temporis, ſed ſolum eſt propter occultationem. I. ad Theſ. v. „ Dies Domini ſicut fur de nocte. “

Sed quid eſt quod dicit: *Ecce ſponſus venit, exite obviam ei*? Quia tunc omnes reſurgent ei obviam. Ioan. v. 25. „ Venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt audient vocem eius. “ Amos iv. 2. „ Præpara te, Iſrael in occurſum Dei tui. “ Origenes refert ad præſentem vitam. Et hoc quando homo detinetur inani gloria, & fit clamor per prædicatorem, vel per internam inſpirationem. Tunc revertitur ad Chriſtum. Eſa. xl. 9. „ Exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hieruſalem. “

Tunc ſequitur effectus: *Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas*. Ad litteram, facto clamore per tubam, vel per vocem Chriſti, omnes reſurgent. Unde Ioan. v. 25. „ Omnes enim qui in monumentis ſunt vocem eius audient. “ Sed quid fecerunt? *Ornaverunt lampades ſuas*. Sed quid eſt hoc? Erit ne tempus? Dicendum, quod ornare lampades nihil aliud eſt quam dinumerare opera quæ fecerunt, ut poſſint congruam rationem reddere. Unde habebunt ſollicitudinem quando audient vocem Filii Dei; ut

(a) *Al.* impudens.

ut infra: *Quando vidimus te eſurientem, & pavimus; ſitientem, & dedimus tibi potum? &c.* Secundum Origenem, eſt planior littera. Quia ſi ad præſentem vitam referatur, quando fit clamor per prædicatorem, vel internam inſpirationem, tunc ſurgunt a negligentia, & tunc incipiunt ſurgere ad corrigendum facta ſua.

Tunc ſequitur petitio fatuarum: *Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* Iſtæ erant fatuæ quo ad aliquid, & quo ad aliquid non: quia aliquid habebant de lumine fidei, unde dicunt: *Quia lampades noſtræ extinguuntur*: ſi enim nihil haberent fidei, dicerent, Extinctæ ſunt: unde cognoſcunt quod non poſſunt ignem ſine oleo conſervare. Et quid eſt hoc dictum? Sive intelligatur per oleum opus miſericordiæ, ſive iuſtitiæ, idem eſt ſenſus: (*a*) quia illi reſurgentes qui non habent hæc opera in abundantia, petunt ſuos defectus ſuppleri per eos qui habuerunt magis abundanter. Sed hoc non poterit fieri, quia unicuique erunt ſua neceſſaria. Ad Galat. ult. 5. (*b*) „ Onus ſuum unuſquiſque portabit. " Et quia videbant quod non poterat valere lumen fidei ſine opere miſericordiæ, petebant ab aliis qui fecerant opera miſericordiæ. Auguſtinus ſic exponit. Conſuetum eſt quod quando (*c*) aliquis præoccupatur in aliquo, ſolet recurrere ad illud in quo ſperat. Iſtæ habebant exterius fiduciam, quia laudem aliorum quærebant: unde dicunt: *Date nobis de oleo veſtro*, idest de laude veſtra; ideſt, laudetis nos de opere noſtro. Sed iſtud non valebit eis, ſecundum quod habetur ad Rom. 11. 15. „ Teſtimonium reddente „ illis conſcientia ipſorum. " Iob xvi. 20. „ Ecce enim in cælo eſt teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. " Unde confidunt in humano favore, qui prodeſſe non poteſt. Secundum Origenem contingit quod aliqui in rebus vanis expenderunt (*d*) vitam ſuam; & cum recognoſcunt, recurrunt ad alios, & petunt orationes, & beneficia eorum. Et in hoc non ſunt fatui, ſi incipiunt reverti ad Dominum.

Reſponderunt prudentes, dicentes &c. Hic ponitur reſponſio ſapientum: & in iſta reſponſione duo ponuntur. Et primo ponitur reſponſio repudiandi; item ponitur quoddam conſilium, ibi, *Ite potius ad vendentes.* Et quæ eſt ratio? *Ne forte non ſufficiat nobis, & vobis.* Unde quia oleum miſericordiæ, vel interins gaudium, vel exteriora opera non ſufficiunt nobis, & vobis, ſicut dicitur I. Petr. iv. 18. „ Si iuſtus vix ſalvabitur, impius, & peccator ubi parebunt? " & Apoſtolus Rom. viii. 18. „ Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis: " & Eſa. lxiv. 6. „ Omnes iuſtitiæ veſtræ tamquam pannus menſtruatæ: " quia ergo non ſufficit nobis, & vobis: *ite potius ad vendentes, & emite vobis.*

Sed numquid erit tempus quod requirant ſibi oleum? Ideo intelligendum quod iſtud magis dicitur per modum improperii quam per modum conſilii; quaſi (*e*) dicerent, Debuiſſetis iviſſe. Secundum Chryſoſtomum, iſti vendentes ſunt pauperes, quia mercantur regnum. Luc. vi. 6. „ Facite vobis amicos de „ mammona iniquitatis. " Unde dicunt, *Ite*, ideſt ire debuiſſetis, ſecundum Auguſtinum, dicitur enim per modum improperii. Venditores olei ſunt adulatores: unde videntes quod iſtæ petunt auxilium, dicunt: *Ite potius ad vendentes, & emite vobis*; quaſi dicerent: Vos numquam quæſiſtis niſi oleum, ideſt laudem humanam; modo eatis ad mundum, & ematis illud teſtimonium quod ſemper quæſiſtis. Secundum Origenem, plana eſt littera, quia vult quod totum in mundo iſto contingat. Aliquando accidit quod peccator videt iuſtum, & petit quid debeat facere. Sed aliqui ſunt ita ſapientes quod ſibi ſufficit ſapientia ſua, ſed non ſufficit ſibi, & aliis. Unde tales dicunt illis qui ab eis petunt conſilium: Non habemus tantum de doctrina ſpirituali quod poſſimus nobis, & vobis ſufficere; ideo ite ad doctores Eccleſiæ, & ad ſapientes, qui vendent vobis. De iſta habetis Eſa. lv. 1. „ Omnes „ ſitientes venite ad aquas, & qui non ha„ betis argentum, properate, emite, & co„ medite. "

Sed quomodo ſine argento venditur? Dico quod ſapientia venditur ſine argento. Et quod eſt pretium eius? (*f*) Quod homo libenter ſtudeat, hoc eſt pretium ſapientiæ. Prover. ii. 4. „ Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & „ ſicut theſauros effoderis illam, tunc intel„ liges timorem, & ſcientiam Dei inve„ nies. "

Dum autem irent emere, venit ſponſus. Dicit Auguſtinus, quod quidam referunt iſtud ad ſtatum præſentis vitæ; ſed non poteſt ſtare cum eo quod dicitur: *Et clauſa eſt ianua.* Ideo Origenes etiam hoc exponit de futuro adventu. Et tria facit. Primo ponitur adventus iudicis; ſecundo receptio bonorum; ter-

(a) *Al.* quia iſti reſurgentes, qui habebunt. (b) *Al.* Opus. (c) *Al.* aliquid. (d) *Al.* viam. (e) *Al.* diceret. (f) *Al.* Hoc eſt quod.

Digitized by Google

tertio excluſio malorum. Dicit ergo: *Dum irent emere, venit ſponſus*; ideſt, dum haberent ſolicitudinem quomodo excuſarent ſe in iudicio, venit Dominus ad iudicium. Sed Origenes dicit, quod quidam ſunt qui venient ad conſilium, vel ad ſacerdotes, & cum deliberatione ut convertantur, & tunc in adventu moriuntur. Unde tunc venit ſponſus, quando homo moritur.

Sed quid eſt quod hic dicitur, *Veniente ſponſo*, cum ſupra dixerit, *Exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ*? Ratio eſt, quia in iudicio ſponſa, ideſt caro Chriſti, erit aſſumpta in glorificationem. Vel ſi referamus ad Eccleſiam, tunc perfecte ipſa unietur ipſi ſponſo per adhæſionem. Unde Apoſtolus I. Corinth. VI. 17. „ Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum „ illo. “

Et ſequitur: *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*. Iſtæ nuptiæ ſunt regnum cælorum, de quo Apoc. XVII. 14. „ Quo- „ niam Dominus dominorum eſt, & Rex re- „ gum & qui cum illo ſunt vocati, & ele- „ cti, & fideles. “ *Et ſtatim clauſa eſt ianua*: quia nulli poſtea aperietur. Modo autem aperitur: unde Pſal. XXIII. 7. „ Attollite por- „ tas, Principes, veſtras. “ Et Apoc. IV. 1. „ Poſt hæc vidi, & ecce oſtium apertum in „ cælo. “ Sed tunc elaudetur.

Conſequenter ponitur repulſio malorum: & dicuntur tria. Primo exprimitur negligentia, quia tardè veniunt: unde dicitur: *Noviſſime autem* (*a*) *veniunt*. Unde ſignat eos qui tardam pœnitentiam agunt. Sapient. V. 3. „ Dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, „ & præ anguſtia ſpiritus gementes. “ Deſiderium tangitur cum dicunt: *Domine, domine, aperi nobis*. Unde in hoc quod dicunt eum Dominum, dicunt aliquid per quod deberent impetrare. Per hoc autem quod geminant, ſignatur quod ex anguſtia petant: unde dicitur ſupra VII. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*. Deſiderium autem eorum tangitur cum dicitur, *Aperi nobis*. Sequitur repulſio: *At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos*; ideſt, non approbo vos: „ novit enim „ Dominus qui ſunt eius: II. ad Timoth. II. 19. ſicut artifex neſcit opus quod diſcordat ab arte ſua. Conſequenter concludit: *Vigilate itaque, & orate, quia neſcitis diem, neque horam*.

(*b*) Supra poſuit Dominus parabolam de iudicio, in qua reprobatur aliquis propter hoc quod bonum ſpirituale interius ſuſceptum non conſervat; hic vero ponit parabolam, in qua quis bona ſuſcepta non multiplicat: unde dividitur: quia primo de diſtributione donorum agit; ſecundo de uſu eorum; tertio de iudicio utentium. Secunda ibi, *Abiit autem qui quinque talenta acceperat &c.* tertia ibi, *Poſt multum vero temporis &c.* Circa primum tria facit. Primo ponit neceſſitatem diſtribuendi; ſecundo diſtributionem; tertio receſſum diſtribuentis. Neceſſitatem oſtendit in hoc quod dicit: *Sicut enim homo peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua*. Ubi debetis notare, quod iſte homo Chriſtus eſt. Et poſſumus dicere, quod peregre proficiſcebatur tripliciter: quia pergebat in locum, qui quamvis ſit ſibi proprius per divinitatem, ſcilicet in cælum, tamen peregrinus erat ſecundum carnem, quia nulla caro ibi aſcenderat. Unde Ioan. III. 13. „ Nemo aſcendit in „ cælum niſi qui deſcendit de cælo Filius ho- „ minis, qui eſt in cælo. “ Item proficiſcebatur in cælum, quia in mundo peregrinus exiſtens in cælum proficiſcebatur. Hier. XIV. 4. „ Quare futurus es quaſi colonus in terra, „ & quaſi viator declinans ad manendum? “ Item poteſt intelligi ſpiritualiter. Nunc enim peregrinatur a nobis, quoniam nos peregrinamur ab eo. II. ad Corinth. V. 6. „ Dum ſu- „ mus in corpore, peregrinamur a Domi- „ no. “ Quando autem videbimus eum, tunc non erimus ſicut peregrini, ſed ſicut cives, & domeſtici Dei.

Et notandum, (*b*) quod, ſicut dicit Origenes, ubi ponitur *ſicut* debet iungi aliquid, niſi ponatur in ſimilitudine, ſicut habetur ſupra XXIV. 27. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, ita erit adventus Filii Dei*. Sed hic non ponitur in ſimilitudine, & non ponitur poſtea aliud; propter hoc debet ſic legi. Aliquis peregre proficiſcens ſicut homo: quia Chriſtus & Deus, & homo eſt. Unde ſecundum quod Deus non peregrinatur, quia „ omnia nuda, & aperta „ ſunt oculis eius: “ ad Heb. IV. 13. Peregre autem proficiſcitur ſicut homo. Ioan. I. 14. „ Vi- „ dimus eum tamquam unigenitum a Patre; “ ideſt, ſicut unigenitum a Patre. Et hoc fuit neceſſe ex quo peregre proficiſceretur, quod curam committeret de ſuis; & hoc facit cum dicit: *Vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua*. Et primo tangitur liberalitas dantis; ſecundo diverſitas donorum, item diſcretio dandi. Dantis liberalitas in duobus tangitur: eo quod prævenit eos quibus dedit; item eo quod abundanter dedit. Eo quod prævenit, quia qui expectat dare diminuit de liberalitate ſua; non ſic autem Dominus. In Pſal. XX. 4. „ Domine prævenisti eum in benedi-

(*a*) Al. *venerunt*. (*b*) *Al. deeſt* quod.

„ ctionibus dulcedinis. " Unde *vocavit ſervos ſuos*, non illi ipſum: unde Ioan. xv. 16. „ Non „ vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. " Rom. viii. 29. „ Quos præſcivit, hos & prædeſtina„ vit. " Item tangitur liberalitas, quia de ſuo: *Dedit bona ſua*, non aliena. Aliqui bene ſunt liberales de alieno, ſed non de ſuo; iſte autem de ſuo: unde de iſto poteſt intelligi quod dicitur in Pſal. lxvii. 19. „ Aſcendiſti in al„ tum, cepiſti captivitatem, (*a*) dediſti do„ na hominibus. "

Conſequenter ponitur diverſitas donorum: *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vere unum*. Omnes iſtos dividit per tres, in fructum trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum: quia omnis multitudo dividitur in ſummum, & infimum, & medium. Iſta talenta ſunt diverſa dona gratiarum: ſicut enim talentum pondus dicitur metalli, ſic gratia pondus eſt quod inclinat ipſam animam: unde amor eſt pondus animæ. Apoſtolus I. Corinth. xii. 4. „ Diviſiones gratiarum ſunt. " Unde iſta dona dividuntur, ita quod non æqualiter dantur omnibus. Ad Eph. iv. 7. „ Uni„ cuique (*b*) noſtrum data eſt gratia ſecun„ dum menſuram donationis Chriſti. " Et hoc eſt quod dicit: *Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum*.

Et quæ eſt ratio huius numeri? Poſſumus dicere, quod aliquis ita ſuperabundat quod habet menſuram dupli; aliquis vero ita quod ultra duplum: unde qui accipit duo, ſe habet ad illum qui (*c*) unum, ſicut proportio dupli; qui autem quinque, ſe habet ultra proportionem dupli. Unde vult dicere quod aliquis accipit quinque, qui accipit ſecundum menſuram incomparabilem. Poſſumus (*d*) etiam dicere, quod iſta dona ſunt eloquia Dei, verba ſapientiæ: frequenter enim ſapientia divitiis comparatur. Eſa. xxxiii. 6. „ Divitiæ ſalu„ tis ſapientia. "

Quid eſt quod dicit, quod *uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vere unum*? Origenes (*e*) dicit, quod illi dedit quinque talenta qui omnia quæ in Scriptura dicuntur, ad ſpiritualem intellectum refert: unde (*f*) dictum eſt ſupra: Sicut ſunt quinque ſenſus corporales, ſic ſunt quinque ſpirituales. Sic Dominus Apoſtolis dedit. Luc. xxiv. 45. dicitur quod „ aperuit eis ſenſum ut intelligerent „ Scripturas. " Et in Daniele i. 17. dicitur, quod „ dedit Deus pueris intelligentiam in „ omni Scriptura. " Qui autem ſunt illi qui duo accipiunt? Secundum Origenem, dualitas numerus eſt materiæ: unde omnis numerus eſt ex binario, & unitate: unde binario attribuitur materia, unitati forma. Unde illi dicuntur duo recipere qui minus recipiunt, quia neſciunt ſe in omnibus regere; ſed aliquid habent in quo ſciunt, quia ſunt boni ædificatores, vel huiuſmodi. Unde, ſecundum Originem, plus accipit qui recipit unum, quam qui duo. Secundum Gregorium, & Hieronymum eſt e converſo: quia per quinque talenta intelliguntur quinque ſenſus: unde ille recipit quinque talenta qui gratiam a Deo recipit circa temporalia, circa quæ operatio ſenſuum verſatur. Per duo autem talenta intelliguntur ſenſus, & intellectus. Per unum vero aſſignatur intellectus ſolum: unde ille unum recipit, qui gratiam intellectus recipit, non gratiam operandi. Secundum Hilarium, ille recipit quinque qui Chriſtum invenit in quinque Libris Moyſi; ille autem duo qui gratiam novi & veteris teſtamenti veneratur, qui in Chriſto veneratur naturam divinam, & humanam; unum autem recipit Iudæus, qui in ſolis legalibus gloriatur.

Deinde ſequitur ratio: *Unicuique ſecundum propriam virtutem*. Si hoc referatur ad illud quod talenta ſint eloquia, plana eſt expoſitio, quia debent dari ſecundum maiorem capacitatem. Ioan. xvi. 12. „ Multa habeo „ vobis dicere, quæ non poteſtis portare mo„ do. " Et Apoſtolus I. Corinth. iii. 2. „ Tamquam parvulis in Chriſto lac potum „ dedi vobis, non eſcam. " Ideo magis ſubtilibus magis ſubtilia dedit.

Si autem (*g*) referamus ad bona gratiarum, ſciendum, quod quidam dixerunt, quod ſecundum bona naturalia daret bona gratuita: unde ſecundum quod magis habet homo de bonis naturalibus, habet etiam de bonis gratuitis. Et hoc verum fuit in Angelis, (*h*) at in hominibus non. Et quæ eſt ratio? Quia in Angelis una eſt natura ſpiritualis, ideo ad quod moventur, totaliter moventur, ſecundum totalitatem virtutis, ideo quantum valet conatus eorum, tantum capiunt. Sed homo eſt ex duabus contrariis naturis, quarum una retrahitur ab alia a ſuo corpore: unde non tantum datur ei niſi quantum homo cum iſto bono naturali habet de ſtudio.

Item alius error fuit qui dixit, quod initium gratiæ fuit a nobis. Et contra hoc obiicit Auguſtinus per verbum Apoſtoli II. Cor. iii. 5. qui dicit, quod „ non ſufficientes ſumus cogi„ tare aliquid ex nobis quaſi ex nobis. " Sed quod eſt prius principium quam cogitatio? Et ſi cogitatio a nobis non eſt, ergo nec operatio. Unde qui plus conatur, plus habet de gratia; ſed quod plus conetur, indiget altio-

ri

(a) *Al.* dedit. (b) *Al.* veſtrum. (c) *Al.* duo. (d) *Al.* enim. (e) *Al.* *deeſt* dicit. (f) *Al.* dicit dictum eſt. (g) *Al.* referamus ad bona gratiarum, quia quidam dixerunt &c. (h) *Al.* &.

ri cauſa. Thren. v. 21. „ Converte nos ad te, „ & convertemur. “

Si autem quæris quare unus magis habet de gratia quam alter? Dico, quod huius rei eſt cauſa proxima, & cauſa prima. Proxima eſt maior conatus iſtius quam illius. Cauſa prima eſt electio divina. Eccli. xxxiii. 7. „ Quare dies diem ſuperat, & lux lucem, & annus „ annum, & ſol ſolem? A Domini ſcientia ſeparati „ ſunt. “ Et quæ eſt ratio huius? Videre quod aliter eſt de agente univerſali, & particulari. Agens particulare præſupponit ſibi aliquid, & ſecundum hoc diverſimode operatur, ut artifex aliam formam dat uni materiæ, & aliam alii. Sed ſi poſſet facere materiam, diceretur quod talis fecit talem materiam ut induceret formam ſecundum voluntatem ſuam. Sic Dominus, cum ſit creator omnium, creavit iſtum ut ſic eum faceret: unde intelligitur ut intelligatur capacitas naturæ cum conatu.

Tunc ponitur receſſus dantis cum dicit: *Et profectus eſt ſtatim*. Et poteſt intelligi quod iſte peregre proficiſcebatur, quia cum Apoſtolis dixiſſet: „ Accipite Spiritum ſanctum, “ Ioan. ult. 22. & Petro dixiſſet, Ioan. xxi. 17. „ Paſce oves meas: “ ſtatim profectus eſt: unde dicebat, Ioan. xiii. 33. „ Filioli, adhuc mo- „ dicum vobiſcum ſum. “ Et ſtatim aſcendit. Vel poteſt dici quod profectus eſt non recedendo; ſed quia relinquit eos ſub arbitrio, quia non compellit eos uti donis datis.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat &c. Hic ponitur de uſu donorum, & hoc quantum ad tres ſervos: & primo quantum ad primum; ſecundo quo ad ſecundum; tertio quo ad tertium: unde dicit: *Abiit autem qui quinque talenta acceperat*. Deſignatur hic profectus virtutis. Pſal. lxxxiii. 8. „ Ibunt „ de virtute in virtutem. “ Et hoc habetur Gen. xxvi. 13. „ Ibat creſcens, & proficiens. “ Virtus enim proficit per exercitium operationis: niſi enim operetur, deficit; & ideo dicit, *Operatus eſt*. Unde dicitur Proverb. xiii. 4. „ Anima operantium impinguabitur. “ *Et lucratus eſt alia quinque*. Et quo modo? Dupliciter proficit aliquis: uno modo in ſeipſo, alio modo in alio. In ſe, ſi habeat intelligentiam Scripturarum ita ut proficiat; ſi caritatem, ut proficiat aliis. Profectus eſt ut proficiat (*a*) in alio, ut quod accepit, communicet. I. Petr. iv. 10. „ Unuſquiſque gratiam „ quam accepit, in alterutrum adminiſtrantes. “ Unde ſi quod accipis communicas, totidem lucraris. Unde dicit, quod *ſuperlucratus eſt alia quinque*: quia vix eſt quod aliquis conferat ad aliquem id quod non habet. I. ad Corinth. xi. 23. „ Ego enim accepi a Domino quod & tradi- „ di vobis. “ In eo autem quod habet, in eo proficit. Apoſtolus (I. Corinth. xv. 10.) „ Gratia eius in me vacua non fuit. “ Secundum Hilarium, ille lucratur quinque qui proficit in quinque Libris Moyſi, ut Chriſtum lucretur. *Similiter qui duo acceperat*, ſcilicet qui proficit intellectu, & operatione, *lucratus eſt alia duo*, ideſt præmiationem quo ad utrumque. Vel duo, quia non ſolum proficit prædicando viris, ſed etiam mulieribus; ſecundum Gregorium. Secundum Origenem, quod illud quod acceperat ſecundum rationem naturalium, ad intellectum referat. *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram &c.* Quid autem eſt fodere in terram? Tripliciter exponitur, ſecundum Gregorium. Ille theſaurum abſcondit qui donum acceptum abſcondit in peccatis carnis, vel temporalibus: unde qui poteſt in temporalibus proficere, & convertit ſe ad terrena, abſcondit pecuniam domini ſui in terra. De talibus dicitur in Pſal. xvi. 11. „ Oculos ſuos ſtatue- „ runt declinare in terram. “ Secundum Origenem, habet aliquis donum intellectus, & tamen vult religioſe vivere, & ſibi ſolum vivere; cum tamen multis poſſit proficere: iſte abſcondit in terra. Tob. xii. 7. „ Opera Dei „ revelare, & confiteri honorificum eſt. “ Talis enim pecunia eſt ad multiplicandum, non abſcondendum. Hilarius: „ Qui ſunt qui „ recipiunt unum? Iudæi, qui puram litte- „ ram recipiunt. Iſti abſcondunt pecuniam in „ terra, ideſt in carne Chriſti, qui propter „ carnem non poſſunt credere ipſum eſſe „ Deum. “ Unde Apoſtolus I. Corinth. 1. 23. „ Nos autem prædicamus Chriſtum Ieſum, „ Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem „ ſtultitiam. “

Poſt multum vero temporis venit dominus ſervorum illorum. Hic agitur de iudicio: & primo ponitur ratio adventus iudicis; ſecundo de iudicio, ibi, *Et poſuit rationem cum eis*. Notandum, quod de operibus, & donis debemus Deo reddere rationem. Supra xii. 36. (*b*) *De omni verbo, quod locuti fueritis, oportebit reddere rationem*. Et ſupra xviii. 23. *Simile eſt regnum calorum homini qui voluit ponere rationem cum ſervis ſuis*. Et primo ponitur in ſpeciali: *Et poſuit rationem cum eis*: quia quilibet tenetur reddere rationem (*c*) primo in ſua morte; ſecundo in die iudicii quando oportebit nos aſtare ante tribunal Chriſti. Cum ergo dicit, *Poſt multum vero temporis venit dominus*, poteſt

(a) *Al.* in alia. (b) Ibi: *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*. (c) *Al. omittitur* primo.

poteſt referri ad utrumque. Si enim ad diem iudicii, datur intelligi quod magna eſt mora inter adventum Chriſti & diem iudicii: contra illud quod crediderunt quidam tempore Apoſtoli: unde II. ad Theſſal. II. 2. „ Non „ terreamini quaſi inſtet dies Domini. “ Sed ſi ad diem mortis, dicit Origenes: „ Conſideretis quod vix fuerit aliquis utilis in Ecclesia qui parum vixerit. “ Et hoc probat de Petro, cui dixit Dominus, Ioan. XXI. 18. „ Cum autem ſenueris, extendes manum tuam, „ & alius te cinget.“ Item de Paulo qui adoleſcens fuit in ſui converſione, & poſt factus eſt ſenex: unde ad Philemonem 9. „ Ut „ Paulus ſenex &c.“ Unde cum dicitur, *Poſt multum vero temporis*, datur intelligi quod dat Dominus longum ſpatium ad bene agendum. Et de hoc intelligitur quod dicitur Prov. III. 2. „ Longitudinem dierum, & annos vitæ, „ & pacem apponet tibi. “

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque &c. Hic agitur de tribus ſervis: & primo de primo; ſecundo de ſecundo; tertio de tertio. In primo duo facit. Primo ponitur ratio reddita; ſecundo remuneratio debita, ibi, *Ait illi Dominus eius &c.* Ex parte iſtius primo ponit ſecuritatem, fidelitatem, humilitatem, & ſtrenuitatem, ſive ſolicitudinem. Securitatem tangit, quia non expectavit quod dominus vocaret eum, ſed ingeſſit ſe. Unde dicit, *Accedens*. Hanc ſecuritatem habebat Paulus per ſanguinem Chriſti. Ad Heb. X. 19. „ Habentes fiduciam in in„ troitu ſanctorum in ſanguine Chriſti. “ II. Corinth. III. 12. „ Habentes talem ſpem, „ multa fiducia utimur. “ Item notatur fidelitas, quia *ei obtulit alia quinque*. Infidelis quidem eſſet qui de bonis domini ſui aliquid ſibi attribueret: unde iſte totum obtulit domino. Si ergo feceris aliquod bonum, ſi aliquem convertiſti, & tibi attribuis, non Deo; non es fidelis. I. Paralip. XIX. 14. „ Tua ſunt o„ mnia, & quæ de manu tua accepimus de„ dimus tibi. “ Item notatur humilitas confeſſionis doni, quia cognoſcebat ab eo recepiſſe. I. Corinth. IV. 7. „ Quid habes quod „ non accepiſti?“ Unde iſte confitetur donum, dicens: *Domine, quinque talenta tradidiſti mihi &c.* Item tangit ſtrenuitatem, ſive ſolicitudinem: *Ecce alia quinque ſuperlucratus ſum*. Unde bene dicebat cum Apoſtolo (I. Corinth. XV. 10.) „ Gratia Dei in me vacua non fuit.“ Sequitur remuneratio debita; & in iſta facit quatuor: quia primo ponitur congratulatio; ſecundo commendatio meritorum; tertio æqualitas iudicii; quarto magnitudo præmii. Congratulatio tangitur cum dicit: *Ait illi dominus eius: Euge ſerve bone, & fidelis &c.* Unde dicitur Eſa. LXII. 5. „ Ecce gaudebit ſponſus ſuper ſpon„ ſam, & gaudebit ſuper te Dominus tuus.“ Unde exultanti animo recipit eum, cum dicit, *Euge*. (a) Euge vox eſt exultationis. Sequitur commendatio: & primo commendat de humilitate cum dicit, *Serve*, quia recognoſcebat ſe eſſe ſervum eius. Luc. XVII. 10. „ Cum „ omnia bene feceritis, dicite: Servi inutiles „ ſumus. “ Item commendat eum de bonitate per hoc quod dicit, *Bone*, quia proprie bonum eſt diffuſivum ſui: unde bonus multiplicavit bonitatem. Item a fidelitate, quia non ſibi retinuit, ſed domino obtulit: unde dicitur, *Et fidelis*. I. Corinth. IV. 2. „ Iam quæ„ ritur inter diſpenſatores (b) ut fidelis quis „ inveniatur. “ Et ſupra XXIV. 45. *Quiſputas eſt fidelis ſervus, & prudens?* Unde approbat eum, dicens, *Fidelis*. „ Non enim qui „ ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed „ quem Deus commendat:“ II. Corinth. X. 18. Deinde ponit æqualitatem, ut præſtet æquitatem iudicii, dicens: *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam*. Iſta pauca ſunt omnia quæ ſunt in vita iſta, quia quaſi nihil ſunt in comparatione ad cæleſtia. Unde vult dicere: Quia fuiſti fidelis ratione bonorum quæ ſunt præſentis vitæ, *ſuper multa te conſtituam*; ideſt, dabo tibi ſpiritualia, quæ ſunt ſuper omnia bona iſta. Luc. XVI. 10. „ Qui fidelis eſt in minimo, & in maiore fi„ delis eſt. “ Sequitur magnitudo præmii: *Intra in gaudium domini tui*. Gaudium enim eſt præmium. Ioan. XVI. 22. „ Videbo vos, „ & gaudebit cor veſtrum. “

Et poſſet dicere aliquis: Nonne viſio eſt præmium, vel aliquod aliud bonum? Dico quod ſi alia res dicatur præmium, gaudium tamen eſt finale præmium. Sicut poſſem dicere, quod eſt finis gravium locus inferior; item quieſcere in illo loco: & illud eſt magis principale. Sic gaudium nihil aliud eſt quam quies animi in bono adepto: unde ratione finis dicitur gaudium præmium.

Et quare dicit, *Intra in gaudium*, non Accipe? Dicendum, quod duplex eſt gaudium, de bonis exterioribus, & de bonis interioribus. Qui gaudet de bonis exterioribus, non intrat in gaudium, ſed intrat (c) gaudium in ipſum; qui autem gaudet de ſpiritualibus, intrat in gaudium Cant. I. 5. „ Introduxit me Rex in cellaria „ ſua. “ Vel aliter. Quod eſt in aliquo continetur ab illo, & continens maius eſt. Quando ergo gaudium eſt de aliquo quod minus eſt quam cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum;

(a) *Al.* Euge ecce vox eſt exaltationis. (b) *Al.* quis fidelis. (c) *Al.* in gaudium ipſum.

tuum; ſed Deus maior eſt corde: ideo qui gaudet de Deo, intrat in gaudium. Item intrat *in gaudium domini*, ideſt de Domino, quia Dominus veritas eſt. Unde nihil aliud eſt beatitudo quam gaudium veritatis. Vel ſic. *Intra in gaudium domini tui*; ideſt, (*a*) de eo gaude, quo gaudet, & de quo gaudet Dominus tuus, ſcilicet de fruitione ſui ipſius. Tunc ergo gaudet homo ut Dominus, cum fruitur ut Dominus: unde dicit Dominus Apoſtolis (Luc. XXII. 30.) „ Statui vos ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo; " ideſt, ut ſitis beati in quo ſum beatus.

Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat. Supra actum eſt de iudicio quantum ad primum ſervum, qui quinque talenta acceperat; hic agitur de iudicio quantum ad ſecundum ſervum, qui duo talenta acceperat. Quantum ad litteram, nihil differt a primo, nec eſt aliquid dicendum niſi quod dictum eſt de primo: & ideo non oportet iterare, quia & iſte eamdem commendationem, & idem præmium (*b*) recepit ſicut qui quinque talenta acceperat. In quo datur intelligi, ſecundum Origenem, quod qui parvum donum a Deo recipit, & bene utitur ſecundum poſſe ſuum, tantum accipit, & meretur quantum qui magnum. Hoc enim ſolum requirit Dominus ab omni homine quod ei ſerviat in toto corde ſuo, ut habetur Deut. XVI.

Sed hoc poteſt habere dubietatem. Ponatur quod aliquis habeat magnam menſuram bonorum, alter parvam. Si operatur iſte ſecundum paucam caritatem quam accepit, tunc merebitur tantum quantum qui plus accepit; quod videtur quod non poſſit eſſe, quia ſic mereretur tantum, vel plus qui minus habet de caritate quam qui plus. Et ideo diſtinguendum eſt, quia quædam ſunt bona quæ perficiunt, & eliciunt actum voluntatis, & inclinant; quædam autem quæ non. Donum quod inclinat voluntatem, & elicit actum, eſt caritas. Non poteſt ergo eſſe qui plus habet de caritate quin maiori nixu utatur, & melius. Sed ſunt alia dona quibus poteſt aliquis uti ſecundum maiorem, & minorem caritatem, ut ſcientia, & huiuſmodi. In talibus qui maiori conatu utitur, quantum ad præmium magis meretur: unde dicitur Luc. XXI. quod paupercula mulier plus miſit in gazophilacium quam illi qui plus appoſuerunt: quia uſa eſt ſecundum totum poſſe ſuum.

Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait. Hic determinatur de iudicio mali ſervi: & primo ponitur ratio; ſecundo condemnatio quam ſuſcepit, ibi, *Reſpondens autem dominus eius, dixit ei*. Mirabilem rationem propoſuit. Primo enim blaſphemiam propoſuit; inde negligentiam aſſumpſit; tertio innocentiam concluſit. Et ſic non poterat valere ſillogiſmus. Blaſphemiam, cum dicit: *Domine, ſcio quod homo durus es*: negligentiam, cum dicit: *Abii, & abſcondi talentum &c.* innocentiam, cum dicit: *Ecce habes quod tuum eſt*. Et conſideremus quod dicit quod acceſſit. Dictum eſt ſupra de illo qui quinque talenta acceperat, quod acceſſit, ideſt fiduciam habuit; ſed iſte non acceſſit cum fiducia, ſed per violentiam. Vel aliter: quia aliqui in his quæ male faciunt, videtur eis bene feciſſe. Prov. XXVI. 16. „ Sapientior ſibi piger videtur ſeptem „ viris loquentibus ſententias. " Unde viſum fuit ei quod bene feciſſet. Secundum Origenem, videtur æſtimatio de Deo alicui ſicut de homine duro, a quo ſe abſtrahit aliquis propter duritiam. Eccli. IX. 18. „ Longe ab„ eſto ab homine poteſtatem habente occi„ dendi. " Et ideo ſicut qui cognoſcit hominem durum, non vult ei ſervire, ſic cogitant aliqui de Deo quod ſit homo durus. Et ſecundum hoc iſte ſervus habebat tres malas opiniones de Deo. Primo quod Deus non eſſet miſericors: ſecundo quod ei aliquid accreſceret a bonis noſtris; tertio quod non omnia eſſent a Deo: & omnes iſtæ opiniones procedebant ab una radice mala, quia cogitabat quod Deus eſſet quaſi unus homo; & hoc ſignatur cum dicit: *Scio quod homo durus es*; ideſt, æſtimo te eſſe hominem; quod non eſt verum, ut habetur Num. XXIII. 19. „ Non eſt Deus ut homo. " Eſa. LV. 9. „ Sic„ ut exaltantur cæli a terra, ſic exaltatæ „ ſunt viæ meæ a viis veſtris. " Et dicit, *Durus*, quia homo durus non flectitur. Et dicitur de tali, Iob XLI. 15. „ Cor eius indu„ rabitur ut malleatoris incus. " Sed non ſic eſt Dominus: quia „ miſerator, & miſe„ ricors Dominus: " Pſal. CX. 4. Duritia ſolet accidere ex avaritia. Prov. XXIX. 4. „ Rex iu„ ſtus erigit terram, vir avarus deſtruet „ eam. " Ideo ita æſtimat quod ſit durus, & ita avarus; & ideo attribuit ei quæ ſunt avari. *Metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti*; ideſt, ita durus es quod aliena rapere non ceſſas: quod tamen falſum eſt. Iob XXXV. 7. „ Porro ſi iuſte egeris, quid do„ nabis ei, aut quid de manu tua accipiet? " Et in Pſalm. XV. 2. „ Bonorum meorum non „ eges. " Unde in hoc imponebat ei quod indigeret bonis noſtris. Tertium erat quod eſſet aliquod bonum quod non eſſet a Deo; ut ſunt aliqui qui ea quæ habent de patrimo-

(a) *Al.* gaude eo quo gaudet. (b) *Al.* recipit.

Digitized by Google

monio, vel de ſtudio, non dicuntur habere a Deo. Et hoc eſt quod dicit: *Ubi non ſeminaſti*: contra illud Iac. 1. 17. „ Omne datum „ optimum, & omne donum perfectum de- „ ſurſum eſt, deſcendens a patre luminum. " Item aliqui æſtimantes ipſum eſſe durum, extrahunt ſe a ſervitio ſuo. Unde aliqui, qui poſſunt multum proficere, dicunt: Si (*a*) audirem confeſſiones, & facerem prædicationes, fortaſſis male accideret mihi. Tales Deum durum reputant. Item aliqui dicunt: Si intrarem religionem, fortaſſis peccarem, & eſſet deterius. Iſti reputant Deum durum, qui credunt ſi adhæſerint Deo qood deficiat eis. Tales ſunt ſimiles his qui deſperant de Dei miſericordia. Iſta allegabat iſte ſervus. Et tamen iſta vera ſunt, & habent fulcimentum ab auctoritate. Eſt enim durus cum peccatoribus, & benignus recurrentibus ad eum. Sapien. XI. 11. „ Hos quidem tam- „ quam pater mooens probaſti, illos autem „ tamquam Rex durus interrogans conde- „ mnaſti. " Thren. III. 25. „ Bonus eſt Domi- „ nus animæ quærenti eum. " I. Paral. XXX. 18. „ Dominus bonus propitiabitur cunctis „ qui requirunt in toto corde Dominum „ Deum patrum ſuorum. " Ergo durus eſt cum peccatoribus, & misericors bonis; & non eſt dubium quod timeri debet ne contemnatur: unde ad Hebr. X. 31. „ Horrendum „ eſt incidere io manus Dei viventis. " Sed inquantum eſt miſericors, debemus ſperare quod ſi ſe dat aliquis ſervitio ſuo, quod non cadet; & ſi ceciderit, reſurget. Item quod dicit, *Metis ubi non ſeminaſti*, licet falſum ſit, tamen quo ad aliquem ſenſum, verum poteſt eſſe: quia non requirit propter ſe, ſed propter noſtram utilitatem: quia ipſe metit gloriam ſuam, quam non ſeminavit. Item *congregas ubi non ſparſiſti*. Qui enim metit, accipit in multitodine; ille autem qui congregat, ex multis recipit. Sic vult Dominus quod ſua gloria ex diverſis hominibus creſcat. Unde Apoſtolus II. ad Corinth. 1. 14. „ Gloria veſtra „ ſumus, ſicut vos noſtra, in die Domini no- „ ſtri Ieſu Chriſti. " Similiter quod dicit, *Metis ubi non ſeminaſti*, quo ad aliquid veritatem habet: quia homo ſeminat, & Deus colligit. Ioan. IV. 37. „ Alius eſt qui ſeminat, „ alius qui metit. Ego miſi vos metere ubi „ non laboraſtis. " Homo enim ſeminat opera ſua, & Deus metit ad gloriam ſuam. Ad Galat. ult. 8. „ Quæ ſeminaverit homo, hæc „ & metet. " Et Dominus dicit, Ioan. XIV. 3. „ Veniam, & accipiam vos ad meipſum. " Si enim facis eleemoſynam, tu ſeminas, & Dominus metit, quia ſibi fortaſſe reputat. Unde ipſe dicit, intra in hoc capitulo: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Item, ſicut ſupra dictum eſt cap. XIII. ſemen eſt verbum Dei. Uode aliquando colligit Deus fructus boni operis, ubi non eſt ſeminata prædicatio. Rom. II. 14. „ Homines qui legem „ non habent, ipſi ſibi ſunt lex. " Tertio modo quod quædam mala fiunt ab homioe ſicut mala carnis, ex quibus malum colligi debet: de quo ad Galat. ult. 8. „ Qui ſeminat in car- „ ne, de carne metet corruptionem. " Attamen Deus facit venire ad bonum aliquid, (*b*) ut bonum iuſtitiæ, humilitatis, vel huiuſmodi. Unde iſte ſervus primo blaſphemos fuit. Deinde tangitur negligentia ſua, *Timens abii*. Pſalm. XIII. 5. „ Trepidaverunt timo- „ re ubi non erat timor. " Verum eſt quod timendus eſt Deus, ut evitetur peccatum, ſecundum quod habetur Iob III. 23. „ Sem- „ per enim quaſi tumentes ſuper me fluctus „ timui Deum. " Unde quod non peccet homo, hoc debet facere ex amore, oon timore. Ideo ſequitur: *Abſcondi talentum tuum in terra*: quia ex timore; quia timor ſervilis multa mala facit. Tunc concludit: *Ecce habes quod tuum eſt*: uode conſervavit ſcientiam, & non multiplicavit. Et hoc non ſufficit, quia oportet multiplicare. I. ad Corinth. IX. 16. „ Si non evangelizavero, non eſt mihi „ gloria. "

Reſpondens autem dominus eius, dixit ei. Hic ponitur condemnatio ſervi. Et ſicut in aliis ſervis, primo commendavit eos, deiode poſuit æquitatem iudicii, & poſtea præmium; ſic in iſto, primo vituperat eum; ſecundo ponit æquitatem iudicii; tertio pœnam. Secunda ibi, *Sciebas quia meto ubi non ſemino &c.* tertia ibi, *Tollite itaque ab eo talentum*. Dicit ergo: *Serve male, & piger*. Servum vocat, quia propter timorem dimiſit, & ſervorum eſt timere ſerviliter; & ideo ad Rom. VIII. 15. „ Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis „ iterum in timore. " Item eum malum vocat, quia malum dixerat de domino ſuo. Supra XII. 35. *Malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala*. Item vocat eum pigrum, quia operari ooluit. Prov. XX. 4. „ Propter „ frigus piger arare noluit: " propter frigus ſcilicet timoris. *Sciebas quia meto ubi non ſemino &c.* Nunc arguit eum de culpa: & primo proponit quod ſciebat; ſecundo quid facere oportebat; tertio quid inde ſequeretur. Dicit ergo: *Sciebas quod meto ubi non ſemino*; & tamen non operabaris: quamvis habeatur Luc. XII. 47. „ Servus ſciens voluntatem do- „ mi-

(*a*) *Al.* Si audio confeſſiones, & facio prædicationes. (*b*) *Al.* &.

Digitized by Google

„ mini ſui, & non faciens, plagis vapulabit „ multis. “ Item dixerat quod erat durus, & quod colligebat ubi non ſeminabat. Dominus bene confitetur quod ipſe metit ubi non ſeminat; ſed non confitetur quod ſit durus: quia quod requirit ab homine, hoc non facit propter duritiam, ſed propter miſericordiam, ut bonum ſuum multiplicetur. *Oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis*. Et ſequitur: Sicut tu dicis quod meto ubi non ſeminavi, & colligo ubi non ſparſi. Sed quia hæc facio, multo magis volo quod pecunia mea multiplicetur. Et loquitur ſecundum ſimilitudinem illorum qui pecuniam tradunt ad multiplicationem. Pecuoia iſta ſunt verba Dei. Unde in Græco habetur *Argireon*. Per argentum enim, quod ſonorum eſt, ſignatur verbum Dei. Pſal. xi. 7. „ Eloquia Domini eloquia caſta, argentum „ igne examinatum. “ Nommularii poſſunt dici dupliciter, propter duplex oſſicium: quia officium habent ut probent pecuniam utrom ſit bona; item ut exhibita pecuoia lucrentur. Secundum primum nummularii ſunt auditores, qui debent probare quod audiunt. Iob xii. 11. „ Nonne auris verba diiudicat? “ Item illi qui multiplicant, ut Apoſtoli, qui aliis dederunt donum Spiritus ſancti, conſtituendo Epiſcopos, &c. Ad Titum i. 5. „ Huius gratia dimiſi te Cretæ, ut conſtituas „ per civitates presbyteros &c. “ *Et ego veniens, recepiſſem utique quod meum eſt*: unde iſtud bonum ſequeretur.

Et quod eſt illud bonum? Triplex. Cum Dominus dat tibi intellectum, & tu ſtudes ad operandum, multiplicas. Iacob. i. 22. „ Eſtote factores verbi, & non auditores tantum. “ Item quando dat Dominus virtutem, & ſtudes ad bene utendum. I. Petr. ii. 2. „ Quaſi modo geniti infantes, rationabiles „ ſine dolo lac concupiſcite, ut io ea creſcatis in ſalutem. “ Item ut quod in te habes, aliis ſtudeas impartiri.

Conſequenter ponit pœnam: & circa hoc duo facit. Primo ponit pœnam damni; ſecundo ſenſus. Circa primum primo ponit pœnam damni; ſecundo generalem ſententiam, ibi, *Omni enim habenti dabitur, & abundabit*. Dicit ergo: *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta*. Sicut dicit Gregorius, (*a*) ille qui quioque talenta acceperat, eſt ille qui ſcientiam habet de terrenis, quæ ſubiacent quinque ſenſibus; qui autem unum, eſt qui habet intellectum ſine opere. Accidit ergo quod qui habet intellectum exercitat ſe in illo. Pſalm. cxviii. 104. „ A „ mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. “ Aliqoando e converſo accidit quod aliquis habet donum intellectus, & occupat ſe in terrenis, & totum amittit. Apocal. iii. 11. „ Tene quod habes, „ ne alins accipiat corooam tuam. “ Vel poteſt dici, quod ille qui quinque talenta tecipit, magis accepit; & ſecuodum quod magis laboravit, magis accepit. Unde unus accepit talentum alterius, quia ſanctus homo non ſolum gaudebit de ſuis boois, ſed de omnibus quæ facta ſunt per quoſcumque; & ita accipiet coronam iſtius, & ſic talentum eios.

Conſequeoter ponitur generalis ſententia: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit*. Iſtud poteſt exponi quadrupliciter. Primo ſic, ſecundum Gregorium. Ab eo qui ooo habet, non poſſet aliquid auſerri; ſed contingit quod aliquis habet dona gratuita, & non habet caritatem: unde omnia auſereotur ab eo, quia ooo (*b*) habet ad ſui utilitatem. I. ad Corinth. xiii. 1. „ Si lioguis hominum loquar, „ & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinoiens. “ Unde ſi habeat homo caritatem, dantur ei multa bona, quia accipiet bonum alterius, quia gaudebit de bono alterius ſicut de ſuo. Chryſoſtomus exponit de doctrina. Qui habet gratiam docendi, & non exercitat ſe, amittit illam. Alter, qui non habet, & exercitat ſe, acquirit eam, ita ut ſit doctor. Hieronymus expooit ſic. Aliquis habet ingenium, & dat ſe otio, efficitur rudis, & hebes; aliquis autem non habet ingenium, & exercitat ſe, & acquirit ingenium; & ita habenti ſtudium datur ſcieotia, & ingenium; & noo habenti, etiam illud quod habet, ſcilicet ingenium, aoſeretur ab eo. Item, ſecundum Hieronymum, exponitur de fide, quia habenti fidem dabitur gratia. Ad Eph. ii. 8. „ Gratia eſtis ſalvati per „ fidem. “ Unde qui noo haberet fidem, etſi haberet alia, ſine fide oihil valerent. Hilarius autem exponit de populo Iudæorum, & Gentilium, quia Iudæi videbaotur habere legem Dei, & nolueruot obedire, unde facti ſunt alieni; populus autem Gentilium recepit quod non habebat, & iotravit in benedictionem olivæ.

Conſequenter agit de pœna ſenſus. Duo autem ſunt ſenſus; viſus ſcilicet, & tactus: ideo ponit primo pœnam viſus; ſecundo tactus, cum dicit: *Et inutilem ſervum mittite in tenebras exteriores*. Et ootate, quod non (*c*) punitur propter malum quod fecerit, ſed propter bonum quod omiſit: Unde ſupra vii. 19.

(a) *Al.* quod ille. (b) *Al.* habuit. (c) *Al.* ponitur.

Digitized by Google

19. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*. Et alibi, Ioan. xv. 2. „ Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet „ eum. " Et dicitur ſervus inutilis, quia bonum quod habet non expendit in utilitatem aliorum: ut ſi intellectum habuit, & non expendit in uſum bonum, alios docendo; ſi pecuniam, & non exercuit opus miſericordiæ. *Mittite in tenebras exteriores*. Origenes dicit, quod quidam ante eum dixerunt, quod damnati a toto mundo eiicientur: unde dicunt infernum eſſe extra totum mundum. Et innitebantur illi quod dixit Iob xviii. 18. „ De orbe transferet eos Deus. " Ipſe autem ſic exponit. *In tenebras*, quia ignorat. Pſal. lxxxi. 5. „ Neſcierunt, neque intellexe- „ runt, in tenebris ambulant. " Et ſequitur pœna tactus: *Illic erit fletus, & ſtridor dentium*. Hoc eſt expoſitum ſupra cap. xxiv.

(c) Supra Dominus præmiſit diverſas parabolas pertinentes ad iudicium; hic autem manifeſte de ſuo iudicio agit: & tria facit. Primo agit de adventu iudicis; ſecundo de congregatione iudicandorum; tertio de iudicio. Secunda ibi, *Et congregabuntur ante eum omnes gentes*; tertia ibi, *Et dicet Rex &c.* Circa primum quatuor ſunt conſideranda. Primo rangitur conditio iudicis venientis; ſecundo dignitas; tertio miniſtri; quarto iudiciaria auctoritas. In hoc quod dicitur, *Cum venerit Filius hominis*, non eſt dubium (a) quin idem ſit Filius Dei.

Sed quare potius nominat Filium hominis quam Filium Dei? Una ratio eſt, quia inquantum Filius hominis iudicabit. Ioan. v. 27. „ Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia „ Filius hominis eſt. " Et hoc propter tria. Primo ut ab omnibus videatur: in forma enim divinitatis non poterit videri niſi a bonis: unde ſi ab omnibus videri debeat, debet videri in forma hominis. Apocalyp. 1. 7. „ Videbit eum omnis oculus. " Item propter meritum Chriſti: hoc enim ipſe meruit per ſuam paſſionem. Ad Philipp. 11. 8. „ Hu- „ miliavit ſemetipſum, factus obediens uſque „ ad mortem, mortem autem Crucis: pro- „ pter quod & Deus exaltavit illum. " Item ut appareat iudicaturus in forma in qua iudicatus fuit. Iob xvi. 22. „ Utinam ſic iudi- „ caretur vir cum Deo, quomodo (b) iudi- „ catur filius hominis cum collega ſuo. " Item ex Dei clementia, ut homines ab homine iudicentur. Ad Heb. iv. 15. „ Non ha- „ bemus Pontificem qui non poſſit compati „ infirmitatibus noſtris. " Iſte ergo erit Filius hominis.

Et cuius erit dignitatis? Veniet *in maieſtate ſua*. Luc. xxi. 27. „ Videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate ma- „ gna, & maieſtate. " Sed quid per maieſtatem poteſt intelligi? Dicendum, quod divinitas, quia licet appareat in forma hominis, tamen apparebit cum divinitate. Unde Apoſtolus I. Theſſal. iv. 15. „ Dominus in iuſ- „ ſu, & in voce Archangeli, & in tuba „ Dei deſcendet de cælo. " Et de hoc dicitur etiam Actor. ix. Vel *in maieſtate*, ideſt in gloria, quia ſuum corpus erit glorioſum; & veniet cum ſocietate glorioſa: unde ſupra xvi. 27. *Filius hominis venturus eſt cum gloria*. Et ideo ſubdit: *Et omnes Angeli cum eo*. Hic agit de miniſtris; & poteſt intelligi de cæleſtibus ſpiritibus. Pſalm. ciii. 4. „ Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. " Et quare venier cum iſtis? Quia cuſtodes ſunt hominum. Pſalm. xc. 11. „ Angelis ſuis Deus „ mandavit de te. " Ideo aderunt tamquam teſtes, quia boni cuſtodiam ſuam receperunt, mali autem non, ſed repulerunt. Eſa. l. 7. „ Curavimus Babylonem, & non eſt cura- „ ta. " Vel *omnes Angeli*, ideſt prædicatores, vel doctores veritatis. Malach. ii. 7. „ Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & „ legem requirunt ex ore eius. " Iſtis competit iudiciaria poteſtas, ut dicit Auguſtinus. Eſa. iii. „ Dominus ad iudicium veniet, & „ omnes ſancti eius cum eo. " Proverb. ult. 23. „ Nobilis in portis vir eius, quando ſederit „ cum ſenatoribus terræ. " Tunc ſequitur iudiciaria poteſtas: *Tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ*. Non debemus intelligere ſecundum ſedem corporalem; ſed ſedes eius homines ſancti ſunt, & Angeli. In eis ſedebit, quia per eos iudicium exercebit. De hominibus dicitur ſupra xix. quod ſedebunt ſuper ſedes duodecim, &c. De Angelis dicitur Coloſ. 1. 16. „ Sive throni, ſive domi- „ nationes &c. " Et in Pſalm. lxxix. 3. „ Se- „ des ſuper Cherubim. Et Pſalm. ix. 5. (c) „ „ Sediſti ſuper thronum qui iudicas iuſti- „ tiam. "

Conſequenter ponitur congregatio; ſecunda diviſio. Dicit ergo: *Et congregabuntur omnes gentes*. Per gentes non ſolum gentes ſignantur, ſed omnes homines qui nati ſunt ab Adam uſque ad finem mundi. II. ad Corinth. v. 10. „ Omnes nos manifeſtari oportet ante „ tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque „ quod geſſit in corpore, ſive bonum, ſive „ malum. " Inter iſtos etiam parvuli nati, quia, etſi nihil habeant proprio merito, habent tamen aliquid, ſcilicet vel culpam ex pec-

(a) *Al.* quoniam: (b) *Al.* iudicaretur. (c) *Al.* Sedes.

Digitized by Google

peccato primi hominis, vel gratiam ex ſacramento Chriſti.

Unde notandum, quod non omnes iſti congregabuntur ad idem; ſed erit quadruplex genus eorum qui comparebuot in iudicio. Quidam enim comparebunt ut iudicentur per diſcuſſionem meritorum; ſed iſtorum quidam damnabuntur, quidam ſalvabuntur. Quidam vero ut ſine diſcuſſione ſententiam recipiant. Iudicari enim dupliciter dicitur: ſcilicet vel ſeotentiam recipere, quia omnes vel præmiabuntur, vel (*a*) punientur; vel dicitur iudicari, per diſcuſſionem meritorum reddere rationem. Et hæc diſcuſſio noo erit neceſſaria omnibus: quia peccata, & merita illorum præcipue diſcutientur qui fuerunt cooiuncti cum Chriſto per fidem: illi enim qui totaliter alieoi ſunt a Chriſto, non indigent diſcuſſione: ſecundum quod dicitur Ioan. III. 18. „ Qui non credit, iam iudicatus eſt. " Gregorius ponit exemplum. Qui inimicum ſuum accipit in bello, non expectat iudicium, ſed iam iudicatus eſt: ſic &c. Item aliqui ſunt qui nihil habent commune cum mundo, quia omnia dimiſerunt propter Chtiſtum; & iſti apparebunt ut iudices: unde ſupra XIX. 28. *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*. Qui ſunt ergo qui iudicabuntur? Fideles qui implicati ſunt ſæcularibus: quorum quidam ſunt eis bene utentes, ut habetur I. ad Timoth. VI. 18. „ Divitibus præcipe bene agere, di„ vites fieri in bonis operibus, facile tribue„ re, communicare &c. " Qui autem detinentur, & eis involvuotur, damnabuntur.

Sed quæ eſt oeceſſitas? Nonoe omnes in morte recipiunt quod merueruot? Ad quid ergo iudicabuntur? Notandum, quod præmium quod iuſto Dei iudicio datur hominibus, eſt duplex. Primum eſt ſtola animæ, & ſecundum ſtola corporis. Quantum ad ſtolam animæ, in morte recipitur; ſed tunc gloriam corporis ſimul recipient. (*b*) Unde quantum ad animam omnes ſimul recipiunt corpora, ſed quantum ad pœnam, omnes ſimul damnabuntur. Unde in Eſa. XXIV. 22. „ Congrega„ buntur congregatione unius faſcis: " quia unum ſunt in peccato. Iſtam congregationem poſſumus intelligere congregationem localem, quia omnes congregabuntur in uno loco. Ioel. III. 2. „ Congregabo omnes gentes, & de„ ducam eas in vallem Ioſaphat; " quia qui ſalvantur, per paſſionem Chriſti ſalvantur, & qui damnautur, per contemptum paſſionis eius damoantur; ideo ubi facta fuit paſſio Chriſti, ibi fiet iudicium. Et intelligendum eſt, quod booi in aere occurreot ei obviam; aliqui vero in terra manebunt, ſecuodum Origenem. Iſta congregatio non erit localis, ſed diſperſi erunt, & in locis ſingulis congregabuntur. Et hoc vult illud quod eſt dictum ſupra XXIV. 27. *quod ſicut fulgur exit ab oriente, & paret uſque in occidentem, ita erit & adventus Filii hominis*: quia ubicumque (*c*) erunt, erunt ibi præſcotes. Unde vult quod erit congregatio ſpiritualis, quia modo quidam diſperguntur ab eo, quidam ſe tenent cum eo; ſed tunc omnes congregabuntur. Eſa. XL. 5. „ Videbit omnis „ caro ſalutare Dei noſtri. "

Tunc agit de ſeparatione: *Et ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis*. Et primo pooitur ſecundum nomeo; ſecundo ſecundum ſitum, ibi, *Et ſtatuet oves quidem a dextris &c.* Dicit ergo: *Et ſeparabit eos ab invicem*.

Notate, quod quamdiu muodus durat, mali ſunt bonis permixti. Vix autem eſt aliqua ſocietas, quin aliqui ſint mali. Cantic. II. 2. „ Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea in„ ter filias. " Sed in illo iudicio mali erunt ad unam partem, booi ad aliam: Eccli. XXXV. (*d*) Iudicabit inter oves, & hœdos.

Sed quare bonos vocat oves? Hoc eſt propter quatuor. Invenimus enim in ovibus innocentiam. II. Reg. XXIV. 17. „ Iſti qui oves „ ſunt, quid feceruot? " Item patientiam. Eſa. LIII. 7. „ Tamquam ovis ad occiſiooem „ ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe „ obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. " Item Pſal. XLIII. 22. „ AEſtimati ſumus ſicut „ oves occiſionis. " Item obedientiam, quia ad vocem paſtoris congregantur. Ioan. X. 27. „ Oves meæ vocem meam audiunt. " Item affluentiam fructuum. Sicut ex ove plures fructus percipimus, ſic multi ſunt fructus bonorum. Esech. XXXIV. 3. „ Lac comedebatis, „ & lanis cooperiebamini. " Item per hœdos intelligit peccatores, quia eſt animal per præcipitia vadens, item ad coitum fervidum; & cootrarias habet proprietates; item pro peccato offerebatur.

Conſequenter ponitur diviſio quo ad ſitum: *Et ſtatuet oves quidem a dextris, hœdos autem a ſiniſtris*. Quid intelligitur per dexteram, & quid per ſioiſtram? Poteſt dici, quod ad litteram ita fiet, quod boni ad partem unam, & mali ad aliam conſtituentur. Vel quia dextera pars nobilior eſt, ideo qui ſunt boni, ſitum habebunt nobiliorem, quia occurrent Chriſto in aere. Origenes retorquet iſtud ad

(a) *Al.* ponuntur. (b) *Senſus obſcurus. Forte*: Unde quantum ad corpora omnes ſimul recipient ſtolam: ſic quantum ad pœnam &c. *Vel*: Unde quantum ad ſtolam corporis, omnes ſimul recipient; ſicut quantum ad pœnam &c. (c) *Al.* erunt. (d) *Al.* Iudicabo.

ſinalem remunerationem : qnia qni intentionem ſuam direxerunt ad Deum, erunt a dextris , ideſt in remuneratione æterna . Eccli. x. 1. „ Cor ſapientis in dextera eius, & cor „ ſtulti in ſiniſtra illius . Item Prov. iv. 24. „ Vias quæ a dextris ſunt , novit Domi- „ nus; perverſæ vero ſunt quæ ſunt a ſini- „ ſtris . “

Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt &c. Hic agitur de iudicio . Et primo promulgatur ſententia quo ad bonos ; ſecundo quo ad malos; tertio ponit complementum . Circa primum tria facit . Primo ponitur ſententia; ſecundo admiratio ſalvandorum ; tertio ſatisſactio. Secnnda ibi , *Tunc reſpondebunt ei iuſti*; tertia ibi, *Et reſpondens Rex dicet illis*. Circa primum duo facit . Primo invitat ad præminm; ſecundo comparat ad meritum . Dicit ergo : *Tunc dicet Rex* . Et vocat eum Regem , quia Regis eſt iudicare . Proverb. xx. 8. „ Rex qui ſedet in ſolio diſſipat omne ma- „ lum intuitu ſuo . “

Sed eſt quæſtio: Numquid ſiet per vocalem ſententiam? Quidam dicunt quod verbo tenus, & quod multum tempus tenebit iudicium ; & hoc dixit Lactantius, quod durabit mille annis. Sed hoc non eſt verum; ſed hoc ad interiorem locutionem referri (a) debet : & inducit in cognitionem hominum , quia boni digni gloria, mali pœna. Unde quod iſti dicent, non erit vocale, ſed ſecundum interiorem inſtinctum: & hoc dicit Auguſtinus quod divina virtute erit, quod uniculque occurret quod fecit . Et hoc patet per Apoſtolum, Rom. 11. 15. „ Teſtimonium reddente illis „ conſcientia eorum, & inter ſe invicem (b) „ cogitationibus accuſantibus, aut etiam de- „ fendentibus, in die cum iudicabit Dominus „ occulta hominum . “ Ideo ad interiorem locutionem debet referri.

Et videtur tria tangere , quia ponitur invitatio , cauſa ſententiæ, & ipſum præmium . Invitatio: *Venite benedicti Patris mei* .

Sed quare dicit, *Benedicti Patris mei*? Quia non erit nobis ſecundum noſtrum meritum, ſed ſecundum quod confirmamur merito Chriſti. Unde Apoc. 111. 21. „ Qui vicerit , da- „ bo ei ſedere mecum in throno meo , ſicut „ & ego vici , & ſedi cnm Patre meo in „ throno eius . “ Luc. xxii. 29. „ Ecce ego „ diſpono vobis , ſicut diſpoſuit mihi Pater „ meus regnum: “ ego inquantum homo, inquantum fruor Verbo. Item quantum ad corpus. Ad Philip. 111. 21. „ Reformabit cor- „ pus humilitatis noſtræ configuratum corpori „ claritatis ſuæ. “ *Venite*, ideſt conformamini. I. Ioan. 111. 2. „ Cum apparuerit, ſiml- „ les ei erimus. “

Sed numquid boni modo (c) non ſunt coniuncti Deo? Dico quod ſic per caritatem non plenam . Item per ſidem ænigmaticam ; ſed tuuc congregabuntur in caritate plena, in fide non ænigmatica . Quia „ nunc corpus quod „ corrumpitur, aggravat animam, & terrena „ inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitan- „ tem: “ Sap. ix. 15.

Cauſa huius præmii eſt duplex . Cauſa damnationis eſt ex homine ; cauſa ſalutis ex Deo . Oſeæ xiii. 9. „ Ex te perditio tua , „ Iſrael, ex me tantummodo auxilium tuum . “ Unde cauſam ſalutis invenimus temporalem, & æternam. Temporalis eſt appoſitio gloriæ, & hoc tangitur : *Venite benedicti Patris mei*. Dicere ſuum, eſt facere : unde Pſal. xxxii. 9. „ Ipſe dixit, & facta ſunt . “ Unde eius benedicere, eſt gratiam inſundere : unde dicit, *Patris* , qnia non eſt ex nobis , ſed ex Deo . Iac. 1. 17. „ Omne datum opti- „ mum , & omne donum perfectum de- „ ſurſum eſt , deſcendens a Patre lumi- „ num . “ Item alia cauſa eſt Dei prædeſtinatio: & hoc notatur cum dicit : *Paratum vobis regnum* . Unde Apoſtolus ad Rom. viii. 30. „ Quos prædeſtinavit, hos & vocavit . “ Eſa. lxiv. 4. „ Oculus non vidit , nec auris „ audivit, quæ præparavit Deus diligentibus „ ſe. “ Et dicit, *A conſtitutione mundi*.

Sed quomodo eſt hoc ? Nonne ipſe elegit eos ab æterno? „ Ipſe elegit nos ante mundi „ conſtitutionem: “ Ad Eph. 1. 4. Et dicendum, quod elegit ab æterno, ſed a conſtitutione mundi maniſeſtavit.

Sed quid eſt præmium illud quod tangit: *Poſſidete paratum vobis regnum* : & quod eſt iſtud regnum? Iſtud regnum eſt regnum cælorum. Pſal. cxliv. 13. „ Regnum tuum, Do- „ mine, regnum omninm ſæculorum . “ Qui poſſidet Deum, poſſidet regnum. Apoc. v. 10. „ Et feciſti nos Deo noſtro regnnm , & ſa- „ cerdotes . “

Sed diceret aliqnis: Nolo regnare , ſufficit mihi quod non damner. Hoc non poteſt eſſe. Vel eris Rex , & habebis regnum , vel eris damnatus.

Et dicit, *Poſſidete* , ideſt intrate in poſſeſſionem . Intrare autem in poſſeſſionem proprie convenit ei qui ius habnit ; iſtud autem ins habuimus ex ordinatione divina . Item ex acquiſitione Chriſti , qui nobis hoc acquiſivit. Item ex gratia ſua. Epheſ. 1. 14. „ Qui eſt „ pignus hereditatis noſtræ . “ Item dicitur poſſeſſio quæ pacifice habetur: unde plenarium do-

(a) *Al* deberet. (b) *Al*. cogitationum accuſantium, aut etiam deſcendentium. (c) *Al. deeſt* non.

Digitized by Google

dominium ſignatur. Modo habemus Deum, ſed non quiete, quia inquietatur homo multis modis; ſed tunc quieta erit poſſeſſio. I. Pet. III. 9. „In hoc vocati eſtis ut benedictionem hereditate poſſideatis.“ Supra XVIII. 29. *Et vitam æternam poſſidebit.*

Eſurivi, & (a) dediſtis mihi manducare &c. Supra poſita eſt ſententia de præmio; hic poſita eſt de merito. Ex quo conſiderare debemus quod duplex eſt cauſa beatitudinis. Una ex parte Dei, (b) ideſt benedictio Dei; alia ex parte noſtra, ideſt meritum, quod eſt de libero arbitrio: non enim debent homines eſſe deſides, ſed cooperari gratiæ Dei, ut dicitur I. ad Cor. XV. 10. „Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia Dei in me vacua non fuit.“

Sed cum ſint multa bona merita, ſolum fit mentio de operibus miſericordiæ: Et ex hoc aliqui acceperunt occaſionem errandi, dicentes, quod ſolum per opera miſericordiæ ſalvantur, vel damnantur per omiſſionem eorum; ita quod ſi commiſerit aliquis multa peccata, & exerceat ſe in operibus miſericordiæ, ſalvabitur, iuxta illud Dan. IV. 24. „Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.“ Contra illud quod habetur ad Rom. I. 32. „Qui talia agunt (ſcilicet peccata) digni ſunt morte.“ Et ad Gal. V. 21. poſt enumerationem peccatorum carnalium dicit: „Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.“ Ideo iſtud non eſt tenendum. Sed poſſet eſſe quod aliquis abſtinet, & pœnitet; & ſic per eleemoſynam poteſt liberari. Eleemoſynam enim debet homo incipere a ſe. Eccli. XXX. 24. „Miſerere animæ tuæ, placens Deo.“

Et quare magis fit mentio de iſtis operibus quam de aliis? Dicendum, ſecundum Gregorium, quod proponit iſta tamquam minora. Si enim iſta quæ dictat natura, non faciunt, nec alia multo magis. Et hoc conſonat verbis Evangelii, quia iſti dicunt: *Quando vidimus te eſurientem, & pavimus? &c.* quaſi dicant: Iſtud eſt modicum. Et cum magis parum reputant, Dominus magis exaltat, dicens: *Quod feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Auguſtinus dicit, quod omnes peccant in mundo, non tamen omnes damnantur; ſed qui non pœnitent, nec ſatisfaciunt. Sed qui pœnitet, & promittit ſatisfactionem per opera miſericordiæ, ſalvatur. Origenes dicit, quod ſub operibus miſericordiæ omnia bona ſunt dicta, vel prætermiſſa propter prætermiſſionem huiuſmodi operum. Et ſignificatur quia eleemoſyna non ſolum proximo fit, ſed & ſibiipſi. Si enim paſcit eſurientem, multo magis paſcere debet ſe eſurientem; & ſic de aliis operibus. Item non ſolum ſunt eleemoſynæ corporales, ſed etiam ſpirituales; ideo quicquid facit homo vel ad ſuam utilitatem, vel proximi, totum ſub opere miſericordiæ continetur. Unde omnia vel ſub his continentur, vel ſub contrario. Septem ſunt opera miſericordiæ, ſed ſex ſolum tanguntur. Iſta ſeptem habentur per verſum:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

De ſepultura vero hic non tangitur. Sed quare? Ad excludendum errorem quorumdam qui dixerunt, quod animæ non conſequuntur requiem donec corpus condatur. Sed hoc non eſt verum, quia nihil recipit anima a corpore quando eſt ſeparata. Ponit ergo ſex quæ impenduntur contra defectum. Et quia eſt defectus quidam generalis, quidam ſpecialis; primo agit de generali, ſecundo de ſpeciali. Et quia quidam generaliter ab exteriori, quidam ab interiori; primo tangit defectus a parte interiori, ſecundo ab exteriori. Dicit ergo: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare.* Hoc habetur Eſa. LVIII. 7. „Frange eſurienti panem tuum.“ *Sitivi, & dediſtis mihi bibere*: quia propter me dediſtis proximo. Unde ſupra X. 42. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ uni ex minimis meis, non perdet mercedem ſuam.* De iſtis duobus Prov. XXV. 21. „Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitierit, da ei aquam bibere.“ Item ſunt defectus ab exteriori, & hi ſunt duo, ſcilicet a tegumento coniuncto, & ſeparato. Dicit ergo: *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Ad Heb. ult. 2. „Hoſpitalitatem nolite obliviſci: per hanc enim latuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis.“ Quantum ad tegumentum coniunctum dicit: *Nudus, fui, & operuiſtis me.* Iob XXXI. 19. „Si deſpexi prætereuntem, eo quod non haberet indumentum:“ & ſequitur: „ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ovium mearum calefactus eſt.“ Eſa. LVIII. 7. „Cum videris nudum, operi eum.“ Item quidam ſunt particulares defectus; & horum quidam ſunt naturales, quidam ab exteriori. Defectus naturalis, & (c) ab intrinſeco eſt infirmitas: unde dicit: *Infirmus, & viſitaſtis me.* Quantum ad exteriorem defectum dicit: *In carcere eram, & veniſtis ad me.* Et poteſt per carcerem intelligi quælibet tribulatio. Ad Heb. X. 34. „Nam & vinctis compaſſi eſtis.“

Tunc reſpondebunt iuſti dicentes. Hic ponitur reſponſio mentalis. Bonarum mentium eſt quod

ea

(a) Al. *non dediſtis.* (b) *Al. omittitur* ideſt. (c) *Al.* ab extrinſeco.

ea quæ propter Deum faciunt, parva reputent. Luc. XVII. 10. „ Cum feceritis omnia „ quæ præcepta ſunt vobis, dicite, quia ſervi „ inutiles ſumus. " Et ad Rom. VIII. 18. „ Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones „ huius temporis ad futuram gloriam quæ re- „ velabitur in nobis. " Unde dicent quod ignorantes fecerunt, & hæc dicent parva reputantes. Unde: *Quando vidimus te eſurientem, & pavimus? &c.* Unde hoc dicent admirantes.

Et reſpondens Rex dicet illis. Huic admirationi ſatiſfacit: quia quando homo humiliat ſe, & Deus exaltat hunc; quando homo ſe vilificat, & Deus collaudat. Unde: *Quamdiu feciſtis uni de his Fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Supra X. 40. *Qui vos recipit, me recipit*: quia caput, & membra ſunt unum corpus. Et dicit, *Fratribus*, quia fratres ſunt qui Dei faciunt voluntatem: unde ſupra XII. 48. dicitur quod extendens manus in diſcipulos dixit: *Hi ſunt fratres mei*. In quo notatur quod bonis dandum eſt. Eccli. XII. 4. „ Da bono, „ & non recipias peccatorem. "

Et numquid dandum eſt peccatori? Dandum eſt, cum fuerit in extrema neceſſitate, ſed magis, & prius iuſtis; ideo dicit, *Fratribus meis*: multi enim veniunt, qui non fratres Dei ſunt. Unde I. Ioan. IV. 3. „ Omnis „ ſpiritus qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt. " Unde ceteris paribus melius debemus facere bonis; tamen ad indigentiam etiam malis dandum eſt in tempore neceſſitatis, non propter fomentum peccati, ſed naturæ. Numquid omnes ſunt fratres Dei? Ita; ſed quidam ſecundum naturam, quidam ſecundum gratiam. Secundum naturam omnes boni, & mali. II. Cor. XI. 26. „ Periculum in falſis fratribus. " Secundum gratiam autem ſoli boni. Rom. VIII. 29. „ Ipſe eſt primogenitus in multis fratri- „ bus. " Et his principaliter eſt miſerendum, & ſubveniendum. Unde Apoſtolus ad Galat. VI. 10. dicit: „ Dum tempus habemus, ope- „ remur bonum ad omnes, maxime autem ad „ domeſticos fidei. "

Sed quare dicit eos minimos? Hoc dicit quantum ad opinionem vulgi. Conſtat quod homines qui propter Deum parvi ſunt, minimi reputantur: Iac. III. Item minimi propter humilitatem. Supra XI. *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Et loquitur a minori: quia poſſent dicere aliqui: Si feciſſem (a) pari, vel aliquibus de magnis hoc, credo quod redderetur. Ideo Dominus dicit, quod non ſolum maioribus, ſed imperfectis; ideo dicit, *Minimis*.

Tunc dicet Rex & his qui a ſiniſtris erunt. Hic ponitur condemnatio malorum: & primo ponitur condemnatio; ſecundo excuſatio eorum; tertio confutatio. Et circa primum primo ponit ſententiam; ſecundo pœnam. Dicit ergo: *Diſcedite a me maledicti*. Hæc ſententia differt a prima: quia dixit in prima: *Venite benedicti Patris mei &c.* hic autem non dicit: Maledicti Patris mei: quia benedictio noſtra a Deo eſt, maledictio autem a nobis. Et ad Hebr. V. & Deut. XXIII. vertit benedictionem in maledictionem. Item differentia eſt: quia ſupra dixit: *Poſſidete paratum vobis regnum &c.* hic autem dicit: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius*. Et quæ eſt ratio? Dicit Origenes, quod pœnas non fecit propter homines, ſed homines fecit propter bonum; ſed ipſi acquirunt ſibi mortem manibus ſuis. Eſa. XXXI. 7. „ In die illa abiiciet vir idola „ auri, & argenti ſui, quæ fecerunt vobis „ manus veſtræ. "

Sed poteſt aliquis dicere: Nonne etiam fecit Dominus diabolum bonum? Notate, quod loquitur Dominus de præparatione ſecundum quod manifeſtatur ab origine mundi. Sed diabolus ab initio peccavit: unde Angelo qui quantum ad naturam creatus eſt bonus, non paravit, ſed peccato.

Eſurivi. Hic non eſt aliud dicendum niſi quod diverſimode loquitur ad bonos, & ad malos: quia ſupra dixit explicite nnumquodque per ſe, hic multa coniungit: unde, *Infirmus, & in carcere*. Et quia coniungit iſta duo, dicendum, quod ad modum boni iudicis procedit, qui invite condemnat, & large remunerat: unde verba remunerationis dilatat, verba condemnationis abbreviat.

Tunc reſpondebunt ei & ipſi. Et notate, quod ſicut boni abbreviant bona, ita mali culpas: unde dicunt: *Domine, quando vidimus te eſurientem, aut ſitientem? &c.* Totum ſimul dicunt: in quo datur intelligi, quod non libenter diſcutiunt conſcientias ſuas, contra illud Eſa. XLVI. 8. „ Redite prævaricatores ad cor. " Unde cum oportet redire, redeunt ad valde breve.

Tunc ſequitur confutatio: *Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis &c.* Simile habetur Luc. X. 16. „ Qui vos ſpernit, me ſpernit. " Zach. II. 8. „ Qui tetigerit vos, tangit pupillam ocu- „ li mei. "

Et ibunt hi in ſupplicium æternum &c. Poſita ſententia, ponitur effectus. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum*. Supra dixerat quod in ignem æternum, quia ſtare poſſet quod eſſet ignis æternus, & tamen non æterne cruciaret; ideo

(a) *Al.* patri.

ideo dicit, *In ſupplicium. Iuſti autem in vitam æternam*. Ioan. XVII. 3. „ Hæc eſt vita „ æterna, ut cognoſcant te ſolum verum „ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. “ Quod autem ſit ſupplicium æternum, habetur Dan. XII. 2. „ Multi de his qui dormiunt in pulvere, evigilabunt, alii in vitam „ æternam, alii in opprobrium, ut videant „ ſemper. “ Apocal. XX. 15. „ Miſſus eſt in „ ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & beſtia, „ & pſeudoprophetæ cruciabuntur die ac no„ cte in ſæcula ſæculorum. “ Eſa.ult.24. „ Ver„ mis eorum non morietur, & ignis eorum „ non extinguetur. “

Quæ eſt cauſa huius ſupplicii? Quidam, ut Origenes, voluerunt qnod non eſſet æternum ſupplicium: unde ponunt quod omne ſupplicium terminatur: unde dicit, quia quod dictum eſt hic, dictum eſt propter exaggerationem. Sed Auguſtinus arguit. Si hoc ita eſt, ergo quod dicitur, quod iuſti ibunt in vitam æternam ſimiliter diceretur ſecundum exaggerationem. Sed hoc dicitur ſecundum diuturnitatem, ut etiam concedit Origenes: & hoc eſt deteſtabile, quod in eadem Scriptura ſit talis diverſitas. Sed quod hoc non poſſit eſſe, patet ſic: quia hoc (a) exigit iuſtitia ut culpæ pœna reſpondeat æqualis. *In qua enim menſura menſi fueritis, remetietur vobis*: ſupra VII.1.

Sed quomodo poſt mortem tantam dilationem habebit ſupplicium æternum? Reſpondet Gregorius dicens, quod Deus iudex eſt voluntatis: unde qui non retinuit voluntatem a peccato uſque ad mortem, peccavit in ſuo æterno; ideo dignum eſt quod Deus puniat in ſuo æterno. Auguſtinus dicit ſic. Videmus quod pœna debet eſſe æqualis culpæ, & ſic eſt etiam in iuſtitia humana, quod ſi quis peccat contra ſocietatem civitatis, iudex non intendit mortem, niſi ut ſeparet a ſocietate civitatis perpetuo. Sed qui contra Deum, intendit excludere eum a ſocietate cæleſtis curiæ. Secundum Hilarinm, culpæ debetur pœna; ſed culpa non deletur niſi per caritatem: ergo quamdiu homo non habet caritatem, iuſtum eſt quod ſemper ſit in pœna. Ex quo ergo caritatem non habuit in hac vita, neceſſe eſt quod ſemper maneat in pœna.

Item obiicitur quod ſancti orabunt, & ipſi exaudientur: ergo &c. Dicit Gregorius quod dum ſunt in via ſancti, pro eis exaudiuntur, ſed non poſt.

Item obiicitur. Deus non delectatur in pœna, quomodo ergo ſine fine affliget? Dicendum, quod etſi non delectatur, tamen hoc facit ad iuſtitiam ſuam conſervandam.

CAPUT XXVI.

(a) ET factum eſt cum conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & conſilium fecerunt ut Ieſum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. Cum autem eſſet Ieſus in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli indignati ſunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venumdari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Ieſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? Opus enim bonum operata eſt in me. Nam ſemper pauperes habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Scarioth ad principes ſacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.

(b) Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere paſcha? At Ieſus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt, apud te facio paſcha cum diſcipulis meis.

(a) *Al.* exiſtit.

Digitized by Google

meis. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus, & paraverunt paſcha. Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt. Et contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum, Domine? At ipſe reſpondens ait: Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum, Rabbi? Ait illi, Tu dixiſti.

(c) Cęnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum.

(d) Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.

(e) Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus, ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt. Tunc venit Ieſus in villam quæ dicitur Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cępit contriſtari, & mæſtus eſſe. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Suſtinete hic, & vigilate mecum. Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes; & dicit Petro: Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Iterum ſecundo abiit, & oravit dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio, eumdem ſermonem dicens. Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite iam, & requieſcite. Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce appropinquavit qui me tradet.

(f) Adhuc eo loquente, ecce Iudas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis, & fuſtibus miſſi a principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Et confeſtim accedens ad Ieſum, dixit, Ave Rabbi; & oſculatus eſt eum. Dixitque illi Ieſus: Amice, ad quid veniſti? Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum. Et ecce unus ex his qui erant cum Ieſu, extendens manum exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum principis ſacerdotum, amputavit auriculam eius. Tunc ait illi Ieſus: Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? Quia ſic oportet fieri. In illa hora dixit Ieſus turbis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me. Quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis. Hoc autem totum factum eſt ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

(g) At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham principem ſacerdotum, ubi ſcribæ, & ſeniores convenerant. Petrus autem ſequebatur eum a longe uſque in atrium

prin-

principis ſacerdotum; & ingreſſus intro ſedebat cum miniſtris, ut videret finem. Principes autem ſacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, ut eum morti traderent; & non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſime autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea quæ iſti adverſum te teſtificantur? Ieſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Chriſte: quis eſt qui te percuſſit? Petrus vero ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Et iterum negavit cum iuramento, quia non novi hominem. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari, & iurare, quia non noviſſet hominem. Et continuo gallus cantavit; & recordatus eſt Petrus verbi Ieſu quod dixerat: Priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras flevit amare.

(a) POſtquam poſuit Evangeliſta præparatoria paſſionis, hic accedit ad paſſionem Chriſti. Et dividitur in duas partes: quia primo narratur paſſio quantum ad ea quæ facta ſunt a Iudæis; ſecundo quantum ad ea quæ a Gentilibus, cap. XXVII. 1. *Mane autem facto &c.* Circa primum duo facit. Primo ponitur prænuntiatio dominicæ paſſionis; ſecundo narratur paſſio, & ordo, ibi, *Tunc abiit unus de duodecim*. Prænuntiatur paſſio tripliciter: verbo Chriſti; conſilio inimicorum; tertio facto, & obſequio. Secunda, *Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi;* tertia, *Cum autem eſſet Ieſus in Bethania*. Circa primum primo ponit ordinem prænuntiationis, & ipſam prænuntiationem. Ordinem: *Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes*. (a) Et dicit ſic, quia ipſe ſolus eſt qui conſummare poteſt. Nos incipere poſſumus, ſed non conſummare, iuxta illud Eccle. IV. Multa dicimus, & deficimus. Item dicit, *Sermones hos*, ſcilicet quos a principio ſuæ prædicationis dixerat, ex quo dixerat (ſupra IV. 17.) *Pœnitentiam agite &c.* Vel ſermones quos dixerat de prænuntiatione gloriæ: quia paſſio fuit exaltatio gloriæ. Phil. II. 3. „ Propter quod exaltavit illum „ Deus, & dedit illi nomen quod eſt ſuper „ omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & in„ fernorum, & omnis lingua confiteatur quia „ Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei „ Patris. “ Item non dicit ſolum omnes, ſed *hos omnes*, quia omnia ad utilitatem credentium, & fidei eſt locutus. *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet*. In iſta prænuntiatione non ſimpliciter prænuntiat, ſed dicit: *Poſt biduum paſcha fiet*. Et hoc factum eſt ad deſignandum quod non quæcumque paſſio eſt paſſio Chriſti, ſed quæ ſignatur per paſchale ſacrificium. Et dicit, *Poſt biduum*. Et ſecundum hoc debetis conſiderare, quod verba hæc dicta fuerunt luna decimatertia, ideſt feria tertia, quia luna decimaquinta celebrabatur paſcha, ſed habetur in Ioan. XII. quod Dominus venit in Bethaniam, & hoc in die ſabbati. Et alio die venit in Hieruſalem, & ibi eiecit vendentes, & ementes. Et in die lunæ rediit, & vidit ficum arentem, cui maledixit. Et ſecundum Marcum, in die martis rediit, & tunc in illo die conſtituit omnes parabolas illas. Et illo die cum conſummaſſet ſermones hos, dixit: *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet*. Hoc nomen *Paſcha*, ſecundum quod dicit Hieronymus, a paſcendo dicitur; ſed proprie dicitur phaſe, quod eſt tranſitus. Quadruplex autem eſt tranſitus, ſecundum quod paſcha quadrupliciter accipitur. Secundum hiſtoriam celebrata eſt paſcha, quando exterminator percuſſit primogenita Ægypti: tunc præcepit Dominus quod man-

(a) *Al.* Et item dixit.

Digitized by Google

manducarent phaſe, Exo. xII. Item ſecundum allegoriam eſt tranſitus Chriſti per mortem. Et de iſto, Ioan. xIII. 1. „ Sciens Ieſus quod iam hora eſſet ut tranſiret de hoc „ mundo ad Patrem &c. " Item eſt moralis, ſive typicus, ſecundum quod de carnali converſatione tranſitur ad ſpiritualem. Eccli. xxIv. 26. „ Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me. " Item tranſitus generalis eſt, ſecundum quod dicitur quod cælum & terra tranſibunt &c. Unde poſt duos dies, ſcilicet poſt doctrinam veteris, & novæ legis. Secundum Græcum dicitur a paſcui, quod eſt paſci, unde congrue ſciens Chriſtus quod tranſiret a mundo ad Patrem, dixit: *Et Filius hominis tradetur ut crucifigatur*. Non dicit a quo tradetur, quia traditus eſt a Patre. Rom. vIII. 32. „ Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit „ eum. " Item a ſeipſo. Ad Epheſ. v. 2. „ Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis &c. " Item a Iuda. Hic: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Item a Iudæis Pilato. Ioan. xvIII. 35. „ Gens tua, & „ pontifices tui tradiderunt te mihi. " Item a Pilato gentibus: unde dicitur Ioan. xIx. 16. „ Tradidit eum ad crucifigendum. "

Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum &c. In parte iſta ponitur perverſum conſilium pharisæorum: & primo ponitur conſilium de Chriſti paſſione; ſecundo de dilatione, ibi, *Dicebant autem: Non in die feſto*. Circa primum notare poſſumus, quod peccatum Iudæorum aggravatur ex tempore: quia *tunc*, imminente paſchali feſtivitate. Eſa. lvIII. 13. „ Si „ averteris a ſabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo. " Sed, ut credo, non ad diem immediatum refertur, ſed circa illud tempus: quia Ioan. xI. 13. habetur quod „ collegerunt conſilium, & ex „ illa die cogitaverunt ut interficerent eum. " Et tunc dicitur quod receſſit Ieſus in regionem iuxta deſertum. Unde non fuit hoc immediate factum. Vel poteſt dici, quod bis fuit factum. Item aggravatur ex multitudine: unde dicitur: *Congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi*. Eſa. I. 14. „ Solemnitates veſtras odivit anima mea: ecce enim „ manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. " Item ex conditione peccantium, quia erant (*a*) de maioribus: unde dicitur: *Principes ſacerdotum.* Hier. v. 5. „ Ibo ad optimates, & loquar „ eis: " & poſt: „ & ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula. " Et Pſal. II. 2. „ Aſtiterunt Reges terræ, & „ Principes convenerunt in unum adverſus „ Dominum, & adverſus Chriſtum eius. " Item ex loco, quia *in atrio principis ſacerdotum.* Unde iſti debebant alios cohibere a malitia, ipſi autem faciebant. Dan. xIII. 5. „ A ſenioribus egreſſa eſt iniquitas. "

Sed numquid erant multi principes? Præceperat enim Dominus quod eſſet unus ſolus ſummus ſacerdos, ſed non ſufficiebat eis: unde propter cupiditatem, ſacerdotium diviſerant. Item iam amiſerant, & a Romanis ſacerdotium emebant. Vel vocat principes illos qui ante eum fuerant principes, & illum qui illius anni fuerat princeps.

Item tangitur illud de quo conſiliabantur: *Ut Ieſum dolo tenerent*. Et hoc erat fatuum, eum credere dolo tenere (*b*) qui omnia ſciebat. Hier. Ix. 8. „ Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt. "

Dicebant autem: Non in die feſto. Hic agitur de dilatione, & ponitur conſilium, & ratio. *Dicebant autem: Non in die feſto*. Poſſet aliquis dicere, quod hoc dicerent ex devotione; ideo hoc tollit dicens: *Ne forte tumultus fieret in populo*: ſciebant enim quod multi habebant eum ut prophetam, quidam vero ut Chriſtum: ideo diſſenſio erat in populo, ſicut habetur Ioan. vII. & Ix. ideo timebant ne tollerent eum a manibus ſuis. Hoc iſti cogitabant; ſed aliud cogitabat Chriſtus: unde illi duo cogitabant, ſcilicet quod eum volebant occidere, & quod non in die feſto crucifigeretur, ad ſignificandum quod iſta immolatio ſuccedebat imolationi agni paſchalis.

Cum autem eſſet Ieſus in Bethania. Hic ponitur prænuntiatio per factum mulieris: & primo ponitur factum; ſecundo reprehenſio; tertio excuſatio. Secunda ibi, *Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt*; tertia ibi, *Sciens autem Ieſus*. Circa primum quatuor facit. Primo locus deſcribitur; ſecundo perſona; tertio facultas; quarto opus. Primo duplex locus ponitur, ſcilicet generalis, & ſpecialis, Generalis, cum dicit: *Cum eſſet Ieſus in Bethania*: ſpecialis, cum dicit: *In domo Simonis leproſi*.

Notate, quod tunc non erat leproſus, ſed curatus fuerat a Chriſto: ſi enim eſſet, non remanſiſſet Chriſtus cum eo, cum eſſet illud prohibitum in lege: & tamen utrumque (*c*) ad myſterium attinet. Bethania domus obedientiæ dicitur: unde per hoc ſignificatur eius obedientia. Phil. II. 8. „ Factus eſt obediens „ uſque ad mortem. " Ideo competit ei (*d*) eſſe in domo leproſi. Eſa. lIII. 4. „ Et nos „ reputavimus eum ut leproſum. " Et ob hoc potius ibi venit. Alia ratio poteſt eſſe lit-

(a) *Al.* de manibus. (b) *Al.* quia. (c) *Al.* miniſterio attinet. (d) *Al.* quod eſſet.

litteralis, ſcilicet ut illa haberet fiduciam veniendi ad Chriſtum, quia iſte erat cognatus Mariæ: & curatus erat ab eo lepra corporali, & ipſa veniebat ut curaretur a lepra ſpirituali. Et notandum, quod nullus alius dicitur venire ad Chriſtum pro ſalute ſpirituali, excepta iſta, ideo laude digna fuit.

Acceſſit ad eum mulier. Ecce perſona. Matthæus, & Marcus dicont hoc accidiſſe io eodem loco; Ioannes, & Lucas noo. Lucas enim loquitur de iſta, cap. VII. & Ioan. XII. Eſt ergo quorumdam opinio, ot fuit Origenis, quod fuerunt mulieres plures. Loquamur de primis duabus. Expreſſe dicit Hieronymus, quod illa de qua loquitur Lucas, noo fuit ſoror Lazari: quia illa dicitur quod pedes uoxit, de iſta dicitur quod pedes, & caput. Ambrnſius ſuper Lucam dicit quod utrumque poteſt dici, quod ſit eadem, vel diverſa. Si dicimus quod eadem, poſſumus diecre: Etſi eadem, non tamen eiuſdem meriti; ſed peccatrix non eſt auſa caput tangere, ſed poſt habita fiducia caput unxit. Et Auguſtinus probat quod ſit eadem: quia Ioan. XI. 5. antequam accedat ad iſtud ſactum, dicit: „ Erat „ autem Maria ſoror Lazari, quæ unxit Do„ minum unguento, & exterſit pedes eius „ capillis ſuis. “ Ideo videtur quod illa, de qua Lucas loquitor, ſit eadem cum illa quæ eſt ſoror Lazari. Origenes dicit, quod noo eſt eadem illa de qua Lucas loquitur, & illa de qua Ioannes loquitur. Et poteſt probari ratione temporis, quia illud legitur factum aotequam iret in Hieruſalem; hoc ſactum eſt cum dicit: *Scitis, quia poſt biduum paſcha fiet*. Item ex loco, quia illa in domo Marthæ, de qua in Ioanne. Hæc autem in domo Simoois. Item per hoc quod ibi pedes, hic caput uogit. Quartum eſt quod ibi (Ioan. XII. 5.) Iudas dixit (*a*) „ Ut quid perditio hæc? “ Hic autem quod omnes diſcipuli. Auguſtinus dicit, quod eadem mulier eſt; & reſpoodet ad ratiooes Origenis. Ad primam dicit, quod Matthæus non ſervat ordinem hiſtoriæ, ſed recitat, quia ex hoc caſu aſſumpſit Iudas occaſionem peccandi, cum vidit unguentum effundi. Quod obiicit de loco, Auguſtinus non ſolvit. Poteſt tamen ſic ſolvi: quia iſte homo erat magnæ auctoritatis, & poteſtatem habens, & domus una eorum, quia cognatus eius erat. Aliter quomodo verum eſſet quod dicitor (Ioan. XII. 2.) quod „ fecerunt ibi „ (*b*) cœnam .... & Lazarus erat unus de diſ„ cumbentibus? “

Acceſſit ergo mulier habens alabaſtrum unguenti. Alabaſtrom eſt genus marmoris quod eſt translucens, & fiunt inde feneſtræ: & de iſta petra fiebant quædam vaſa ubi conſervabantur unguenta, ſicut modo fiunt de terra cootrita, quia ex ſui frigiditate eraot coſervativa: unde alabaſtrum, ideſt vas de alabaſtro, plenum ungueoto. Et dicitur hic *Pretioſi*, alibi quod nardi piſtici. Piſtis Græce, fidelis Latine. Unde piſtici, ideſt noo ſophiſticati. Conſequenter effectus ponitur: *Et effudit ſuper caput eius diſcumbentis*.

Sed hic eſt quæſtio duplex. Quomodo Chriſtus ſuſtinuit, quia videtur ad laſciviam pertinere? Ad hoc reſpoodit Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana. Aliter exiſtimatur in perſona communi, aliter in perſona prophetica: quia in perſona communi ſecundum ſactum, ſed io prophetica ſecundum ſuam ſignificationem. In perſona commuoi ſignificaret laſciviam; in perſona prophetica ſignificationem. Expoſitio allegorica, quia ſignificat ſepulturam Chriſti, quia antiquitus corpora ſolebant inungi. Marci XIV. habetur quod prævenit corpus inungere in ſepulturam. Item myſtice unguentum ſignificat quodcumque opus booum. Iſtud autem opus dupliciter poteſt fieri: quia quoddam eſt quod non fit propter Deum, ſed propter iuſtitiam naturalem, ut opus gentilis, & hoc eſt unguentum, ſed non pretioſum; ſi propter Deum, ſic eſt pretioſum: unde pedes ungit quando booum opus facit propter utilitatem proximi; ſed quando ad gloriam Dei, tunc ungit caput.

Sed quid eſt quod dicit Ioannes quod pedes, & Matthæus quod caput? Auguſtinus dicit, quod utrumque.

Sed quid eſt quod dicit Marcus, quod fregit alabaſtrum? Dicit Auguſtinus, quod ſicut accidit aliquaodo qood aliquis effundit ſic ut nihil remaneat, & poſt frangit; ſic ſecit iſta, & effudit, & fregit. Vel ſi vult aliquis calumniari, poteſt dici, quod primo pedes, deinde caput unxit.

Tunc ſequitur iocrepatio mulieris: *Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt*. Sed hic opponitur, quia Ioan. XII. dicitur quod ſolus Iudas dixit; iſte quod omnes. Duplex eſt reſponſio, ſecundum Hieronymum: quia illud quod dicitur hic quod diſcipuli dixerunt, dicitur per ſinecdochem: *diſcipuli*, ideſt diſcipulus; & hic modus cooſuetus eſt in Scriptura. Heb. XI. 37. „ Secti ſunt, “ quia unus ſectus, ſcilicet nonniſi Eſaias. Vel poteſt dici quod omnes, quia, ſecundum quod dicit Auguſtinus, Iudas omnes excitavit. Item quod alii excitati propter inopiam pauperum; iſte vero motus fuit propter avaritiam: uode dicunt: *Ut quid perditio hæc?*

Vv 2 Sed

(*a*) *Ibi*: „ Quare hoc ungentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? “ (*b*) *Al. deeſt* cœnam.

Digitized by Google

Sed quare hoc dicebant ? (*a*) Audierant Dominum multum commendaſſe miſericordiam. Supra XIX. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia qua habes, & da pauperibus.*

Sciens autem Ieſus ait illis. Hic ponitur excuſatio mulieris: & duo facit. Primo excuſat, & commendat; ſecundo præmium eius tangit: *Amen dico vobis &c.* Et primo excuſat; ſecundo obiectioni diſcipulorum reſpondet; tertio exponit quod dixerat. Dicit ergo: *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Dominus ſemper eſt advocatus huius mulieris: quia Luc. VII. 39. Phariſæus accuſabat eam de peccato, unde dicebat: „ Hic ſi eſſet propheta ſciret utique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum &c. “ & Dominus excuſavit eam per dilectionem. Item Luc. X. etiam Martha accuſabat eam de otio; & Dominus excuſabat eam per contemplationem. Hic diſcipuli de unguenti effuſione; & Dominus excuſat eam ex devotione, dicens: *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Iob VI. 27. „ Super pupillum irruitis, & ſubvertere nitimini amicum veſtrum. “ *Opus bonum operata eſt in me.* Prov. III. 27. „ Noli prohibere aliquem bene facere; ſi potes, tu ipſe bene fac. “ Chryſoſtomus. Aliquando contingit quod aliquis facit bonum opus ex genere, & forte melius facere potuiſſet: unde aliter eſt agendum ante factum, & poſt factum. Unde poſt factum, de facto commendandus eſt; ſed ſi veniret ante factum, conſulendum eſſet ei quod faceret quod melius eſt. Unde credendum, quod ſi a Domino petiiſſet ante conſilium, dixiſſet ei quod (*b*) daret pauperibus. *Nam pauperes ſemper habebitis vobiſcum &c.* Hic ponitur reſponſio ad obiectionem eorum, quia illi dicebant quod poterat dari pauperibus. *Me autem non ſemper habebitis.* Verum eſt ſecundum præſentiam corporalem, ſed ſemper erit ſecundum præſentiam ſpiritualem. Unde dicit infra ult. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſaculi.* Et quid fecit? *Mittens autem hoc unguentum in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.*

Sed quid eſt? Numquid intendit ſepelire Chriſtum? Non. Sed, ſicut dicit Auguſtinus, Spiritus ſanctus ſicut monet ad loquendum, ita aliquando ad operandum: unde ſcriptum eſt Rom. VIII. 14. „ Qui ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege. “ Unde accidit quod a Spiritu ſancto inſtruatur aliquis ad aliquem ſenſum quem non intendebat. Sic iſta bonum opus intendebat, ſed Spiritus ſanctus illud ordinabat ad ſepulturam.

Dicit: *Bonum opus operata eſt in me.* Poſſet aliquis dicere quod dare proximo eſſet bonum opus. Verum eſt, ſed non tantum quod prædicetur per univerſum mundum; ideo ſubdit: *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur in memoriam eius*, ideſt in commendationem eius. Hieronymus dicit, quod iſte crucifigendus prænuntiat Evangelium narrandum in univerſo mundo; & tamen non erat adhuc divulgatum cum Matthæus ſcripſit. Item notate, quod multi voluerunt divulgari nativitatem ſuam per univerſum mundum, & deleta eſt memoria eorum; factum tamen huius non eſt deletum. Prov. X. 7. „ Memoria iuſtorum cum laudibus. “ Et Pſal. CXI. 7. „ In memoria æterna erunt iuſti. “

Tunc abiit unus de duodecim. Supra (*c*) poſuit triplicem prænuntiationem dominicæ paſſionis; hic intendit ad narrationem: & duo facit. Primo præmittit præparatoria; ſecundo agit de ipſa paſſione, ibi, *Adhuc eo loquente &c.* Sunt autem tria præparatoria. Primo ponitur tractatus proditionis; ſecundo inſtitutio communionis dominicæ; tertio de oratione Chriſti. Secunda ibi, *Die autem azymorum &c.* tertia ibi, *Tunc venit Ieſus cum illis in villam qua dicitur Gethſemani.* Circa primum tria. Primo deſcribitur perſona proditoris; ſecundo tractatus proditionis; tertio ſolicitudo. Dicit ergo, *Tunc.* Intelligatis quod non refertur ad immediate præcedens, quia de iſta muliere per tranſpoſitionem dictum eſt; ſed retorquetur ad illud quod dictum eſt, quod *congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi .... ut Ieſum dolo tenerent, & occiderent. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Scarioth.* Et deſcribitur perſona eius ex tribus. Ex officio, quia unus erat de duodecim, non ſolum de diſcipulis, ſed de duodecim ſpecialiter vocatis. Ioan. VI. 71. „ Nonne vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt? “

Sed quare futurum malum, & proditorem voluit eligere? (*d*) Prima ratio poteſt eſſe ad ſignificandum quod nullum condemnat propter ſuam prædeſtinationem, vel ſalvat, ſed propter præſentem iuſtitiam: unde ſi damnaret propter ſuam prædeſtinationem, non imputaretur alicui. Item propter conſolationem hominum: ſciebat enim eſſe futurum quod multi deciperentur in electionibus; ſicut de Philippo accidit, qui elegit Simonem magum; ideo Dominus permiſit inter diſcipulos proditorem eſſe. Alia poteſt eſſe ratio, ut nullus vituperaretur, ſi aliquis eſſet malus,

(a) *Al.* Audierunt, (b) *Al.* dediſſet. (c) *Al.* poſuit eius triplicem prænuntiationem. (d) *Al.* Prima ratio eſt.

Digitized by Google

lus, cum in primo collegio nous fuerit malus.

Item deſcribitur ex nomine perſona proditoris: *Qui dicebatur Iudas*. Inter diſcipulos vocati fuerunt hoc nomine duo; tameo unos fuit malus: per quod ſignificatur, quod quidam confiteotes Deum ſuot boni, quidam mali. De bonis Pſalm. cxiii. 2. „ Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius. " De malis dicitur ad Titum 1. 16. „ Confitentes ſe ooſſe Deum, „ factis autem negant. " Item deſcribitur a patria, *Scarioth*. Eſt villa quædam, & interpretatur memoria mortis, quia peccatom Iudæ in memoria habetur. Et poteſt ad illud referri quod dicitur Hierem. xvii. 1. „ Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in uogue adamantino. " *Ad principes ſacerdotum*, qui Chriſtum habebant interficere, oblivíſcens illius quod dictum eſt Pſalm. 1. 1. „ Beatus „ vir qui non abiit in conſilio impiorum &c." Et io Geo. xlix. 6. dicit Iacob: „ In conſilium „ eorum non deſcendat anima mea. " *Et ait illis*. Hic ponitur tractatus proditionis: & primo ponitur tractatus; ſecondo conſummatio. Et primo conſideranda eſt cupiditas eius; ſecundo præſumptio. Cupiditas, cum dicit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam*? Propter pecuniam, omnem amicitiam contempſit. Eccli. x. 10. „ Nihil eſt ioiquius „ quam amare pecuniam: hic eoim aoimam „ ſuam venalem habet. " Iſte enim quia non refrenavit cupiditatem, incidit in proditionem. Quia enim vidit quod ſraudatus erat pretio unguenti, ideo voluit recuperare io prodendo Chriſtum. Item tangitur præſumptio, cum dicit: *Et ego eum vobis tradam*. Magna præſumptio fuit eum tradere qui omnia ſciebat. Item loquitur iſte ut valde male ſentiens de Deo, quia quando aliquis vult vendere rem quam diligit, imponit ei pretium; ſed quando habet rem de qua vult ſe expedire dicit: Date mihi quod placet. Sic dicit iſte: *Quid vultis mihi dare*? ideſt, date quod vultis. „ Pro oihilo habuerunt terram „ deſiderabilem: " Pſalm. cv. 24. *Et iſti conſtituerunt ei triginta argenteos*. Dicit Origenes, quod ſimili modo faciunt qui pro temporali commodo Deum dimittunt. Habitat enim in nobis per fidem; ſed tunc dimittimus quando nimis temporalibus adhæremus: unde dixit: *At illi conſtituerunt ei triginta argenteos*.

Sed quare ita expreſſit? Quia ita ſigoificatum erat per illud Zach. 11. 12. „ Et appenderunt mercedem meam trigiota argenteis. " Et non eſt dicendum, quod Ioſeph venditus fuit triginta denariis; ſed Scriptora vult quod ſolum viginti argenteis, ideſt denariis.

Sed quid vult dicere quod triginta? Intelligendum eſt. Iſte numerus componitur ex quinque & ſex: unde quinquies ſex ſuot triginta. Per quinque ſignificantur quioque libri Moyſi, vel temporalia, quæ ſubiecta ſunt quinque ſenſibus: unde ſignatur, quod poſt legem Moyſi in ſexta ætate fieret ſalus. *Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet*. Hic ponitur ſolicitodo. Et quare hoc faciebat? Ut facilius, & occultius facinus perpetraret, ſicut eſt de peccantibus, quia „ qui male agit odit lucem: " Ioan. iii. 20. & Iob xxiv. 10. „ Oculus adulteri obſervat caliginem. "

(b) Tunc agit de conſtitutione ſacramenti: & quia nova ſuccedunt veteribus, (a) ut dicitur Levit. xxvi. 10. „ Novis ſuperveoientibus vetera proiicietis: " (b) primo agit de veteri; ſecuodo de novo. Circa primum (c) duo. Primo pooitur præparatio paſchæ; ſecundo ponitur prænuntiatio proditoris, ibi, *Et edentibus illis dixit &c.* Et circa primum primo tempus deſignatur; ſecundo præparatio convivii; tertio inſtitutio ſacramenti. Dicit ergo: *Prima die azymorum*.

Et hic poteſt eſſe obiecto: quia hic dies erat prima dies paſchæ. Et videtur contra hoc quod dicitur in Ioan. xiii. 1. „ Ante diem feſtum paſchæ &c. " Dicunt Græci, Matthæum, Lucam, & Marcum erraſſe, & quod Ioannes correxit eos, quia fuit facta ante diem paſchæ: unde dicunt quod Dominus paſſus eſt decimaquarta luna, & cœnam fecit decimatertia: unde dicunt quod Dominus confecit non in azymo, ſed (d) io fermentato. Et hoc nituntur confirmare plurimis argumentis. Primo quia dicitur Ioan. xviii. 28. quod „ ooo „ introierunt, ut noo contaminarentur, ſed „ manducareot paſcha. " Et ita die paſſionis debebant comedere paſcha. Item alia ratio eorum, quia mulieres præparaverunt aromata; ideo &c. Sed hoc non poteſt ſtare, quia Dominus non fregit cæremonias. Non enim invenitur quod præveniretur paſcha; invenitur tamen quod prolongaretur. Et dato quod præveniretur, hoc oon eſt pro Græcis, quia ſcriptum eſt, quod paſcha debebat comedi cum azymis, & lactucis agreſtibus. Si ergo aliter feciſſet, contra legem feciſſet. Ideo ſecundum quod tres Evangeliſtæ dicunt, hoc fuit factum decimaquarta luna, & tunc erat neceſſe comedere paſcha.

Quid ergo reſpondendum ad id quod dicit Ioaones: „ Ante diem feſtum paſchæ? " Dicen-

(a) *Al.* &c. (b) *Al.* Primo ergo. (c) *Al. deeſt* duo. (d) *Al.* in fermeato.

Digitized by Google

condum, quod conſuetudo fuit quod incipiunt diem a veſperis, & ſic dies paſchalis a veſperis incipiebat. Et hoc habetur in Exod. XII. 14. (*a*) „ Decimaquarta luna ad veſperum celebrabitis paſcha. “ Et ex tunc non inveniebatur fermentatum in domibus Iudæorum uſque ad vigeſimum primum diem. Unde ſi computamus a veſpere quartædecimæ lunæ, præparatio fuit facta ante diem paſchæ, tamen erat decimaquarta luna. Vocat ergo Ioannes diem illum azymorum, & diem paſchæ decimamquintam lunam.

Quod tu dicis ſecundo (ex Ioan. loc. cit.) quod „ non introierunt prætorium ut non „ contaminarentur &c.“ Chryſoſtomus ſic ſolvit, & dicit, quod Dominus non prætermiſit aliquid de legalibus obſervantiis: unde paſcha comedit decimaquarta luna. Sed iſti principes inhiarunt ad interfectionem Chriſti, propter quod diſtulerunt, & tunc non celebraverunt, & hoc contra legem ſuam. Vel per paſcha (*b*) intelliguntur panes azymi.

Quod dicunt de mulieribus, dicit Auguſtinus, quod habebant multas ſolemnitates; ſed ſabbatum ſolemnior erat ſolemnitas: unde non licebat ſabbato præparare cibaria; quod tamen licebat in aliis feſtis, ſed in die ſabbati non. Ideo tunc ita accidit quod feſtivitas paſchæ accidit in die veneris, & ſequebatur ſabbatum; ideo tunc præparaverunt, & in die ſabbati quieverunt. Ideo poſſumus dicere, quod decimaquarta luna celebravit paſcha.

Sequitur ſolicitudo diſcipulorum. *Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere paſcha?* Et primo ponitur inquiſitio; ſecundo mandatum; tertio impletio. Dicit: *Acceſſerunt diſcipuli eius*. Sed qui diſcipuli? Dicit Remigius, quod ex obſequio Iudas, ut celaret proditionem ſuam. Tamen Leo Papa dicit, quod etiam alii. *Ubi vis paremus tibi comedere paſcha?* Per hoc deſignatur quod Chriſtus non habebat ibi domum, nec aliquis de ſocietate; ideo ſignatur paupertas eius: unde ſupra VIII. 20. *Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput ſuum.*

At ille dixit. Hic ponitur mandatum. Et primo denuntiat hoſpitem; ſecundo paſſionem; tertio expoſcit locum ad convivandum. Dicit ergo: *Ite in civitatem ad quemdam*. Et notare debetis, quod non erat hoſpitatus in civitate, ſed in Bethania.

Sed quid eſt quod dicit, (*c*) *Quemdam?* Dicit Auguſtinus, quod Dominus aliquem certum nominavit; ſed quia non erat neceſſarium nominare, Matthæus prætermiſit nominare. Chryſoſtomus dicit, quod dicit, *Ite ad quemdam*, ideſt ad quemcumque: quia voluit oſtendere ſuam virtutem, ut non turbarentur de paſſione. Ita enim erat divulgata fama eius quod iam ſententiatum erat quod qui reciperet eum, (*d*) fieret extra ſynagogam. Unde voluit dare intelligi, quod non reciperet eum aliquis niſi immutaret cor eius. Proverb. XXI. 1. „ Cor Regis in manu Domi- „ ni, & quocumque voluerit inclinabit il- „ lud. “

Et dicite ei &c. Prænuntiat paſſionem, ut non turbentur: unde dicit, *Tempus*; non quodcumque dicitur, ſed determinatum a Patre. Secundum iſtum modum dicitur Ioan. VII. 6. „ Tempus meum nondum advenit, „ tempus autem veſtrum ſemper eſt para- „ tum. “ *Apud te facio paſcha*; ideſt, celebrabo paſchale convivium apud te. Et addit, *Cum diſcipulis meis*, ad denotandum, quod non occulte, ſed publice. Secundum Chryſoſtomum, iſtud dixit, quia volebat, quod præpararentur cibaria ſufficientia & ſibi, & diſcipulis.

Sed quid eſt quod ipſe celebravit, & (*e*) nos non debemus celebrare? Quia Ioan. XIII. 15. dicitur: „ Exemplum dedi vobis, ut quem- „ admodum ego feci, ita & vos faciatis. “ Ad hoc reſpondet Auguſtinus, quod ſicut Chriſtus paſſus eſt, ut a morte nos redimeret, ſic legem voluit obſervare, ut nos a lege abſolveret.

Tunc ſequitur executio: *Et fecerunt diſcipuli ſicut* (*f*) *præceperat eis Ieſus &c.* Similiter habetur Exod. XXIV. 3. „ Omnia verba quæ „ præcepit Dominus faciemus. “ Conſequenter agitur de convivio: *Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis eius*. Et dicitur, *Veſpere*, quia, ſicut præcipitur Exod. XVI. 12. (*g*) „ Decimaquarta luna ad veſpe- „ ram celebrabitis paſcha. “ Vel *veſpere*, quia tendit ad occaſum. Zach. XIV. 7. „ Et in „ tempore veſperi erit lux. “ Vel ſignatur verus tranſitus Chriſti, ſcilicet finis: ad veſperum enim eſt finis diei.

Et edentibus illis dixit &c. Hic ponitur de prænuntiatione proditoris. Et primo deſignat ex ſocietate; ſecundo ex auctoritate; tertio ex propria voce. Secunda ibi, *At ille reſpondens &c.* tertia ibi, *Tu dixiſti*. Et circa primum primo ponitur prænuntiatio; ſecundo effectus, *Et contriſtati ſunt*. Unde dicit: *Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quod unus veſtrum me traditurus eſt*. *Amen dico*: affirmat, quia magnum dicebat, *quod unus veſtrum*: quos elegi eſſe columnas Eccleſiæ. Eccli. VI. 10. „ Eſt amicus ſocius menſæ, & „ non

(a) *Al.* quod 14. luna. (b) *Al.* intelligitur. (c) Al. *Quidam*. (d) *Al.* quod fieret. (e) *Al.* & nos debemus celebrare. (f) Al. *prædixerat*. (g) *Al.* quod 14. luna.

„ non permanet in die neceſſitatis. “ Et in Hier. ix. 4. „ In omni fratre tuo non habeas „ fiduciam. “ Tunc ſequitur effectus; & eſt duplex effectus, triſtitia, & dubitatio. Quantum ad triſtitiam dicit, *Et contriſtati*. Et quare? Contriſtabantur de morte Chriſti, quia amarum erat eis carere tali duce, tali patrono. Item triſtabantur de tali ſcelere quod erat futurum. Hier. ix. 1. „ Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum? “ Tunc ponitur dubitatio: *Cœperunt ſinguli dicere*.

Sed quare dubitabant? Nonne unuſquiſque erat certus de ſe? Reſponſio. Inſtructi erant diſcipuli, quia homines ſunt cito proni ad peccatum: unde Apoſtolus I. Corinth. x. 12. „ Qui ſtat, videat ne cadat. “ Item dubitabant, quia magis ei credebant, quam propriæ conſcientiæ. Simile eſt illud quod dicitur, I. Corinth. iv. 4. „ Nihil mihi conſcius ſum; ſed „ non tamen in hoc iuſtificatus ſum. “

At ille reſpondens ait: *Qui intingit manum in paropſide, hic me tradet*. Hic ponitur prænuntiatio ex verbo prophetico. Et primo ponit prænuntiationem propheticam; ſecundo neceſſitatem paſſionis; tertio pœnam proditoris. Dicit ergo: *At ipſe reſpondens ait*. De hoc poteſt intelligi illud Pſalm. xl. 10. „ Qui „ edebat panes meos, magnificavit ſuper me „ ſupplantationem. “ *Qui intingit manum in paropſide*. Marcus dicit, „ In catino. “ Paropſis dicitur vas quadrangulare, & dicitur quaſi latera paria habens; catinus dicitur vas fictile ad recipiendum liquores: unde in catino reponebantur liquores, in paropſide ſicca: unde poterat ibi eſſe utrumque. Vel dicebatur paropſis, ſed ex officio catinus.

Et quid eſt quod dicit: *Qui intingit manum in paropſide?* Dicendum, quod conſuetudo apud antiquos erat quod multi (*a*) comedebant ex una ſcutella, & forte vas accipiebant. Unde omnes admirantes retraxerunt manum, præter Iudam, ut magis excuſaret ſe; & ideo erat verbum dubium, quia ſimul intingebat cum omnibus: ideo noluit eum tegere, ne fieret magis peccator. Vel poteſt dici, quod duo, & duo ſedebant, & iſtum ſecum poſuerat, ut ipſum retraheret. Sed multi per amicitiam non retrahuntur.

Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo. Quid eſt quod dicis, quod tu traderis? Dicit: *Filius hominis vadit*, ſcilicet propria voluntate. „ Oblatus eſt, quia ipſe vo„ luit; “ ſicut ſcriptum eſt Eſa. liii. 7. Unde prædicta fuit paſſio a prophetis, ut habetur Luc. ult. 27. „ Et incipiens a Moyſe, & omni„ bus prophetis interpretabatur illis in omni„ bus ſcripturis quæ de ipſo erant. “ Et ita Filio hominis nihil nocet, quia fit quod ipſe diſpoſuit.

Sed dicet aliquis: Si vadit ex propria voluntate, ergo non eſt imputandum Iudæ. Dicendum, quod immo, quia hoc mala voluntate faciebat, quod Filius ſpontaneus agebat.

Ideo ſequitur pœna: *Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur*. Sicut ſupra xviii. 7. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala; væ autem homini illi per quem ſcandalum venit*. Et tangitur magnitudo pœnæ: *Bonum erat illi, ſi natus non fuiſſet*. Ex hoc ſequitur occaſio erroris. Dicunt enim quidam, quod non exiſtenti non infertur pœna; ideo dicunt quod melius eſt ſimpliciter non fuiſſe, quod eſt contra Apoſtolum, ad Rom. ix. Unde, ſecundum Hieronymum, dicendum, quod loquitur ſecundum communem modum loquendi; ideſt, minus nocumentum; ideſt, maius tormentum ſentit quam ſi natus non fuiſſet. Et ad hoc videtur facere quod dicitur Eccle. iv. 2. „ Laudavi magis mortuos quam viventes. “ Et hoc eſt contra Auguſtinum in Libro de libero arbitrio. Quod nihil eſt, non poteſt eligi. Item quod eligimus, eſt propinquius felicitati; ſed quod non eſt, non eſt propinquum felicitati. Quid eſt ergo dicendum? Poteſt ne aliquis magis eligere non eſſe, quam pœnale eſſe? Ideo dicendum, quod non eſſe dupliciter poteſt accipi: vel ſecundum ſe, vel per comparationem ad aliud. Secundum ſe, dico quod non eſt eligibile, ut dicit Auguſtinus; ſed per comparationem ad aliud, eſt eligibile, ut dicit Hieronymus. Quia hoc non eſt aliquid in natura, ſed ſecundum apprehenſionem animæ accipitur ut aliquid, ut non ſedere. Sed electio accipitur ab eo quod eſt apprehenſum; ideo carere malo, accipit ut bonum. Quando ergo eligit non propter ſe, ſed inquantum excluſivum mali, ſic eligit, ut dicit Philoſophus. Per hoc patet reſponſio ad ſecundum. Dico ergo, quod illud quod magis removet a malo, accipitur ut magis propinquum felicitati: unde homini febrienti, carere febre, videtur eſſe felicitatem, quia ſub miſeriis videtur non eſſe: unde melius eſt non eſſe, quam ſub miſeriis eſſe.

Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum Rabbi? Notandum, quod ſimulatorie hoc dixit: unde quia tardavit quærere, (*b*) ſignificavit quod erat triſtis, ſed ſimulavit. Item alii vocant ipſum Dominum, ſed iſte Magiſtrum. Utrumque tamen erat, Ioan. xiii. 13. „ Vos vocatis me „ Ma-

(a) *Al.* comedant. (b) *Al.* ſignavit.

Digitized by Google

„ Magiſter , & Domine , & bene dicitis , ſum „ etenim . “ *Ait illi ; Tu dixiſti* . Notate manſuetudinem Domini . Supra XI. 29. *Diſcite a me quia mitis ſum , & humilis corde* . Et hoc ut nobis exemplnm manſuetudinis daret: nnde dicit , *Tu dixiſti* , ideſt confeſſus es . Vel tu dicis iſta , non aſſero ego ; ſed tu dicis . Unde non eſt verbum aſſerentis: nolebat enim eum revelare ; qnaſi dicat : Non aſſero , ſed tu dicis.

(c) Supra poſuit Evangeliſta celebrationem veteris paſchæ ; hic ponitur inſtitutio ſacramenti altaris. Et primo inſtituitur ſacramentum ; ſecundo prænuntiatur futurum ſcandalum diſcipulorum, ibi, *Tunc dixit illis Ieſus*: *Omnes vos ſcandalum patiemini*. Primo duo facit. Primo inſtituitur paſchale ſacramentum; ſecundo hymnus gratiarum actionis , ibi , *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti* . Et circa primum duo facit . Primo ponitur inſtitutio ſacramenti ſub ſpecie panis ; ſecundo ſub ſpecie vini, ibi , *Et accipiens calicem gratias egit &c.* Circa primum primo tangit facta Chriſti; ſecundo verba, ibi, *Accipite, & comedite*: *hoc eſt corpus meum* . In factis quinque ſunt notanda . Primo , ponitur tempus ; ſecundo deſignatur materia; tertio benedictio ; quarto fractio; quinto communicatio, ſive diſtributio. Tempus tangitur cum dicit : *Cœnantibus autem eis &c.* ideſt, dum eſſent in cœnando, ideſt dum cœnarent.

Et quare hoc conſtituit in ipſa cœna , & non ante? Duplex eſt ratio. Quia voluit Dominus quod iſtud ſuccederet veteri ſacramento , ſicut veritas figuræ ; ideo poſt conſtitutionem veteris ſacramenti, novum conſtituit. Levit. XXVI. 10. „ Novis ſupervenientibus ve„ tera proiicietis . “ Item propter aliud , quia voluit ut infigeretur memoriæ : quæ enim ultimo audiuntur, altius infiguntur memoriæ. Thren. III. 19. „ Recordare pauper„ tatis, & tranſgreſſionis meæ , abſinthii , & „ fellis. “

Quare ergo conſtituit Eccleſia quod homines ieiuni iſtud ſacramentum reciperent? Dicendum , quod hoc eſt ad reverentiam ſacramenti: conveniens enim eſt quod ante cibum ſumatur. Et hoc intelligendum eſt eodem die. Cum enim dies a media nocte incipiat , non debet recipere quicquam a media nocte uſque ad perceptionem huius ſacramenti.

Sed quæſierunt aliqui , ſi quodcumque intrat in os, ſolvat ſumptionem ſacramenti, ut ſi bibit aliquis aquam. Intelligendum eſt, (a) quod duplex eſt ieiunium , ſcilicet ieiunium Eccleſiæ, & ieiunium naturæ . Ieiunium Eccleſiæ non ſolvit potus aquæ , ſed ieiunium naturæ ſolvit: quia etſi aqna per ſe non nutriat, cum aliis nutrit . Et debetis intelligere, quod aqnam recipit, & potum, ſi aliquis lavet os , & transglutiat unam guttam caſualiter : non tamen propter hoe debet dimittere , immo computatur cum ſaliva . Similiter de cibo dico, (b) quod ſi quis aniſum comedit in ſero , & remanſerit aliquid (c) in dentibus, ſi caſu tranſglutiat , non propter hoc debet dimittere . Item aliqui conſcientiam faciunt , quod ſi non dormiunt non recipiant. Hoc non habet locum, quia non fuit de conſtitutione Eccleſiæ . Unde nou facit ad rem (d) utrum dormiat, vel non dormiat.

Accepit Ieſus panem &c. Hic tangitur materia . Notandum , quod iſtud ſacramentum , quantum ad aliquid , veteri ſacramento attinet , ſicut veritas figuræ . Sacramentum illud ſumebatur ut cibus, quia mandatum erat quod comederent agnum; & iſtud, quod loco eius ſumitur , debet ſumi ut cibus . Et ſicut ille erat vere cibus , ita & iſte agnus. Ioan. VI. 51. „ Caro mea vere eſt cibus . “ Unde falſa eſt illa opinio quæ ponebat , quod ſolum erat ibi Chriſtus ſub ſigno, quia ſi ita eſſet , quid plus haberet iſtud ſignum quam illud ? Sed illud erat ſignum tantum; hoc autem eſt figura, & veritas.

Sed numquid eſt irreverentia , quia aliquis comedat corpus Domini ? Dicendum , quod differt iſte cibus ab aliis cibis , quia alii cibi convertuntur in corpus noſtrum: unde ſi Chriſtus ita converteretur , irreverentia eſſet. Sed non eſt ſic , immo e converſo , ut dicit Auguſtinus: „ Non tu me mutabis in te, ſed tu „ mutaberis in me . “ Unde illud ſacramentum finis & perfectio omnium eſt ſacramentorum : & ratio eſt , quia eſſe quod eſt per eſſentiam , eſt finis & perfectio eorum quæ per participationem . Alia enim ſacramenta Chriſtum continent per participationem , in iſto autem eſt Chriſtus ſecundum ſubſtantiam: ideo dicit Dionyſius , quod nullum eſt ſacramentum quod non perficiatur in Euchariſtia : unde ſi adultus baptizetur, debet ei dari Euchariſtia. Debet ergo ſumi in cibo , ut veritas reſpondeat figuræ.

Et quare non ſub ſpecie propria? Una ratio eſt ratione meriti fidei, quia fides non habet meritum ubi humana ratio præbet experimentum . Item ut parcatur ſumentibus , quia non eſt conſuetum quod caro humana comedatur . Item ut defendatur a deriſionibus infidelium.

Et quare ſub tali ſpecie ? Quia voluit celebra-

(a) *Al.* quod ieiunium, ſcilicet &c. (b) *Al.* ut ſi aniſum. (c) *Al.* de dentibus , ſi a caſu tranſglutiat . (d) *Al. deeſt* utrum.

lebrari ab omnibus ubique terrarum; ideo voluit eis dare materiam quæ communis eſt omnibus. Communis autem cibus eſt panis, & communis potus hominum eſt vinum: unde panis, & vinum ſunt cibus principalis, alia potius quaſi ædulia. Item in aliis ſacramentis in unctione non quodcumque oleum accipitur, ſed commune, quod dicitur (a) oleum ex multis uvis: ſic unitas Eccleſiæ (b) ex multis fidelibus. Et ſic patet quod noſtra ſacramenta magis ſunt antiqua quam ſacramenta veteris legis: quia ſacramenta veteris legis habuerunt initium a Moyſe, & Aaron; ſed ſacramenta novæ legis a Melchiſedech; (c) qui obtulit Abraham panem, & vinum. Ideo dicitur Chriſtus factus „ ſacerdos ſecundum „ ordinem Melchiſedech: " Pſal. cix. 4.

Conſequenter agitur de benedictione: & hæc benedictio refertur ad tria. Ad materiam, quia benedixit fructum terræ, in quo ſignificatur quod maledictio Adæ revocata eſt per Chriſtum, quando dixit ei Geneſ. iv. 17. „ Maledicta terra in labore tuo .... ſpinas, „ & tribulos germinabit tibi. " Item refertur quantum ad illud quod continebatur in illo, ſcilicet Chriſtum. Supra xxi. 9. „ *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Item ad fructum ſacramenti, quia per iſtum benedicuntur fideles, & tranſit a capite ad membra. Prover. x. 6. „ Benedictio Domini ſuper „ caput iuſti. "

Deinde tangitur fractio, *Et fregit*: & tria ſignificat. Primo ſignificat myſterium futuræ paſſionis, quia in paſſione perforata ſunt membra, ſecundum illud Pſalm. xxi. 17. „ Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. " Et hoc factum eſt, quia ipſe voluit. Eſa. liii. 7. „ Oblatus eſt, quia ipſe voluit. " Item ſignificatur quod frangatur ab unitate in multitudinem: unde ſignificat incarnationem: quia cum ipſum Dei Verbum ſimplex eſſet, venit in iſtam multitudinem, non relinquendo ſimplicitatem. Item ſignatur effectus, quem in diverſos intulit: quia ſecundum Apoſtolum I. Corinth. xii. 24. „ Diviſiones gratiarum ſunt, „ idem autem ſpiritus. "

Item ponitur diſtributio: *Dedit diſcipulis ſuis*. Eccli. xxix. 33. „ Ex his quæ in manu „ habes, ciba ſingulos. " Et dicit, *Diſcipulis*, quia nulli non baptizato debet dari huiuſmodi ſacramentum. Sicut non conficeret ſacerdos (d) niſi conſecratus, ſic non debet alicui illud adminiſtrari niſi baptizato. Item non eſt dandum niſi fidelibus; immo infideles non debent admitti ad videndum iſtud ſacramentum. Unde in primitiva Eccleſia, quando multi erant catechumeni, recipiebantur in Eccleſia uſque ad Evangelium, & tunc expellebantur.

Item, cum dicat quod *diſcipulis ſuis*, quæritur utrum Iudas ibi fuerit. Omnes dicunt quod ſimul dedit omnibus, & etiam Iudæ, & hoc ut eum ſua benignitate a peccato revocaret. Item ut daret Eccleſiæ documentum ut dum eſſet occultus peccator, quod non prohiberetur a receptione huius ſacramenti: homines enim non habent iudicare de occultis. Hilarius hic dicit, quod non fuit Iudas, quia iam exierat. Et vult probare per illud quod dicitur in Ioan. xiii. 25. cum petierunt diſcipuli: „ Quis eſt qui tradet te? " Quibus dixit: „ Cui tradidero buccellam in„ tinctam. " Ideo oſtendit quod iam exierat. Sed magis tenendum eſt quod alii dicunt.

Et ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Hic ponuntur verba. Et in iſtis verbis tria facit. Primo hortatur ad recipiendum; ſecundo ad comedendum; tertio denuntiat veritatem. Dicit: *Accipite, & comedite*. Et quod dicit, *Accipite*, ad ſpiritualem receptionem debet referri, quia non debet accipi niſi in fide, & caritate. Ioan. vi. 55. „ Qui manducat carnem meam, & bibit ſan„ guinem meum, in me manet, & ego in „ eo. " Item inducit ad comeſtionem, *Comedite*, non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam ſacramentaliter. Cant. v. 1. „ Comedite ami„ ci, & bibite. " Item deſignat veritatem: *Hoc eſt corpus meum*. Forma ſacramenti continetur in his verbis, quæ ſunt verba Domini, quia in verbis Domini ſacramentum conficitur. Unde ſi verbum Eliæ tantam virtutem habuit quod faceret ignem de cælo deſcendere, multo magis verbum Dei poterit tranſmutare unum corpus in aliud.

Tunc quæritur utrum virtus ſit in verbis. Et non eſt dubium quod ſic: unde dicitur Pſal. lxvii. 34. „ Dedit voci ſuæ vocem vir„ tutis. " Eccle. viii. 4. „ Quia ſermo eius „ poteſtate plenus eſt. " Unde ſacerdos peragit in perſona Chriſti, & non utitur verbis in perſona propria, ſed in perſona Chriſti.

Sed quæ eſt hæc virtus? Quomodo tanta eſt virtus? Ideo dicunt aliqui quod nulla eſt ibi virtus, ſed poteſtas Chriſti ſolum, quæ ibi aſſiſtit. Et hoc non videtur, quia ſacramenta novæ legis efficiunt quod figurant.

Sed quam virtutem habuit? Dicendum, quod eſt cauſa agens principalis, & hæc virtutem

(a) *Forte*: oleum ex multis olivis; ſicut & vinum ex multis uvis: ſic unitas &c. (b) *Al.* ex multitudine fidelium. (c) *Al.* cui. (d) *Al.* niſi conſecratus ſit, non debet &c.

tutem habet in ſe manentem; Item cauſa inſtrumentalis, & hæc non operatur per virtutem in ſe manentem, ſed ab alio tranſeuntem: unde ſacramenta ſunt cauſæ, non ſicut cauſæ principales, ſed inſtrumentales ab alio tranſeuntes.

Sed tunc quæritur quod eſt de facto: utrum iſtud, *Accipite, & comedite &c.* ſit de forma ſacramenti. Et dicendum, quod ſolum illud, *Hoc eſt corpus meum*, eſt de forma ſacramenti. Unde intelligendum, quod aliter eſt de ſacramento hoc, & de aliis ſacramentis: quia conſecratio materiæ aliquando eſt de neceſſitate ſacramenti, aliquando non: ut in baptiſmo conſecratio materiæ non eſt de neceſſitate baptiſmi; ſed in unctionibus nulla fit unctio, niſi oleum benedicatur. In aliis etiam ſacramentis non percipitur ſacramentum in benedictione, ſed in infuſione: quia (*a*) oleum, & aqua cum ſint inanimata, non continent gratiam: unde cum gratia ſit finis ſacramenti, non poteſt inſerri niſi per ſuſceptionem ſacramenti. Sed in iſto ſacramento continetur ille qui eſt plenitudo gratiæ; ideo non perficitur in nobis, ſed in conſecratione materiæ: unde dato quod nullus acciperet, non minus eſſet ſacramentum: unde uſus eſt conſequens, & non eſt de neceſſitate. Unde in aliis illud eſt de forma quod pertinet ad uſum; iſtud non pertinet ad uſum, ſed ad materiæ ſanctitatem: unde iſtud quod dicitur, *Accipite, & comedite*, quod pertinet ad uſum, non eſt de forma.

Item ſolet eſſe quæſtio utrum Dominus confecerit ſub his verbis. Et videtur quod non: quia dicitur ibi: *Accepit panem, & benedixit*: ergo videtur quod in benedictione conſecraverit. Ideo dixerunt aliqui quod non conſecravit primo verbis, ſed ſpirituali virtute. Et hoc potuit facere propter virtutem excellentiæ, quia poterat veritatem ſacramenti ſine ſacramento tradere, quia virtutem ſuam non alligaverat ſacramentis: unde hoc potuit facere per virtutem excellentiæ. Alii dicunt, quod primo in occulto dixit, & poſt in publico. Melius dicitur quod ſemel dixit, & non bis, & in his verbis conſecravit: unde debet ita legi quod illud quod dicitur: *Ait*: *Accipite, & comedite*: referatur ad præcedentia: unde ſic dicendo dixit: *Hoc eſt corpus meum*.

Hic quæritur quid demonſtret hoc pronomen *hoc*. Dixerunt quidam, quod demonſtrat non ad ſenſum, ſed ad intellectum, quia non eſt niſi ad ſubſtantiam panis, & non eſt niſi ad ſignificandum: unde ſenſus eſt: *Hoc eſt corpus meum*; ideſt, ſignatum per hoc, eſt corpus meum. Et hoc non poteſt ſtare, quia ſacramenta novæ legis efficiunt quod ſignant; ideo nihil aliud facit niſi quod ſignat; & ſignat corpus Chriſti, & ſic ſolum eſt corpus Chriſti ſub ſigno. Alii dicunt quod ly *hoc* demonſtrat ipſam ſubſtantiam corporis. Sed quomodo eſt hoc? Eſtne ſtatim corpus Chriſti cum dicit, *Hoc*? Conſtat quod non, quia ſi moreretur ſacerdos, non eſſet conſecratum niſi expleret. Ideo dicunt alii quod ly *hoc* retardat ſuam ſignificationem, & demonſtrat illud quod erit poſt prolationem iſtius verbi *meum*. Iſtud etiam non competit, quia ſic idem videretur dicere, ac ſi diceret: Corpus meum eſt corpus meum: (*b*) & Deo non competit. Alii dicunt, quod verba proferuntur materialiter, non ſignificative. Et hoc non poteſt ſtare: quia dicit Auguſtinus: „ Accedit verbum ad „ elementum, & fit ſacramentum. “ Quid ergo? Dicendum, quod recitative (*c*) dicuntur, & ſimul recitative, & ſignificative. Quare? Quia ipſe loquitur in perſona Chriſti, & peragit ac ſi Chriſtus eſſet præſens: aliter verba non accederent ad propriam materiam. Quid ergo? Dicendum, quod aliter eſt in verbis ſacramentalibus, & verbis aliis humanis: quia verbum humanum eſt ſolum ſignificativum, ſed divinum ſignificativum, & factivum. Unde verba ſacramentalia habent virtutem a virtute divina. Unde ſimul dicit, & ex virtute divina facit. Ideo non ſolum eſt (*d*) illud verbum ſignificativum, ſed etiam factivum. Et primo facit, ſecundo ſignificat. In factione enim materiali ita eſt quod præexiſtit aliquod commune in qualibet tranſmutatione, & illud commune eſt ſub uno termino tranſmutationis, & in fine ſub alio. Verbi gratia, ponatur quod de nigro fiat album, in iſta tranſmutatione erat corpus, ſed in principio erat ſub nigredine, & poſt ſub albedine. Unde quo ad aliquid eſt ſimile, quo ad hoc ſcilicet quod eſt aliquid commune; ſed diſſimile, quia non eodem modo: quia in aliis tranſmutationibus materialibus commune eſt ſubiectum, & differens forma; hic autem eſt contrarium, quia commune eſt accidens, differens eſt ſubſtantia. Unde ſubſtantia tranſmutatur, commune accidens manet.

Quid ergo demonſtrat ly *hoc*? Dicendum, quod ſenſus eſt: *Hoc eſt corpus meum*; ideſt, contentum ſub accidente, eſt corpus meum: vel hoc ſit quod contentum ſub accidentibus ſit corpus meum. Unde in fine poſuit nomen, ſed in principio pronomen, quod ſubſtantiam indeterminatam ſignificat; ſed per no-

(a) *Al.* eidem & aqua. (b) *Al.* & ideo. (c) *Al.* dicunt. (d) *Al.* illud verbum *eſt*.

Digitized by Google

nomen ſorma determinata: unde in principio non eſt forma, ſed in fine.

Sed quo modo eſt ibi corpus Chriſti? Una fuit opinio quod ſimul cum corpore Chriſti ſubſtantia panis manebat: unde quod dicit, *Hoc eſt corpus meum*, refertur ad corpus ſolum. Alii dicunt, quod tranſit ſubſtantia panis in præiacentem materiam, & advenit ibi corpus Chriſti, præter hoc quod ſubſtantia panis tranſeat in corpus Chriſti. Improbatur autem hoc ſic. Quia ſic videtur quod aliquid incipiat eſſe ubi non primo fuit, quod non poteſt eſſe niſi vel mutetur ſecundum locum, vel quod aliquid convertatur in ipſum. Sicut ſi dicatur: Hic non eſt ignis. (a) Quod ergo poſt ſit ibi, hoc non poteſt eſſe niſi quod ibi aliunde apportetur, vel quod aliquid quod ibi ſit, in ignem mutetur. Sed ſecundum iſtam opinionem tollitur modus converſionis: ergo non eſt niſi mutatio localis. Sed impoſſibile eſt idem corpus eſſe in diverſis locis; ideo &c. Ideo aliter dicendum, quod corpus incipit ibi eſſe, non per motum localem, ſed per converſionem alterius in ipſum; & in hoc manet forma, & tranſit ſubiectum. Unde mutatur ſubiectum in ſubiectum, quod eſt principium individuationis, non propter hoc quod ſimul cum ſubſtantia panis ſit corpus Chriſti, vel annihiletur ſubſtantia panis; ſed per hoc quod tranſmutetur per converſionem in ipſum.

Sed qualiter poterit eſſe in tam parvo loco? Dicendum, quod aliquid eſt ibi de vi ſacramenti, & iſtud ibi principaliter eſt; aliquid vero per concomitantiam. Illud eſt ibi de vi ſacramenti in quod terminatur converſio. Et quia panis convertitur in corpus Chriſti, illud quod ſignificatur, eſt corpus Chriſti, & non eſt ſine anima, nec ſine divinitate; nec tamen panis convertitur in animam, vel divinitatem, ſed ſunt ibi per concomitantiam. Unde ſi aliquis in triduo celebraſſet, cum anima eſſet ſeparata a corpore, non eſſet ibi anima. In pane enim duo ſunt, ſubſtantia, & accidentia. Accidentia manent, ſubſtantia tranſit. Illud ergo ibi eſt principaliter in quod terminatur transmutatio; ſed terminatur in ſubſtantiam: ergo ſubſtantia eſt principaliter, ſed accidentia per concomitantiam; dimenſiones autem ſunt accidentia. Nec corpus Chriſti in ſacramento comparatur ad locum per dimenſiones proprias, ſed per dimenſiones panis præexiſtentes.

Item *fregit*. Sed numquid in qualibet parte eſt totum corpus? Dico quod ſic. Et debetis intelligere quod dicitur aliter eſſe in loco, quam locatum in loco: quia locatum comparatur ad locum ſub ſuis dimenſionibus, ſed non ſic hic. Ideo notandum, quod ubicumque eſt aliqua differentia quantitatis, non facit differentiam in ſubſtantia. Sed ſi ſit aliquod ſequens quantitatem, dividitur ſecundum quantitatem. Sed anima non habet a quantitate ſuam totalitatem accipere, ſed habet ſuam totalitatem in qualibet parte: unde corpus Chriſti non comparatur ad corpus illud ſecundum quantitatem, ſed ſolum ſecundum ſubſtantiam; ideo ſicut anima eſt in qualibet parte corporis, ſic Chriſtus in qualibet parte hoſtiæ.

Quid ergo erit de iſtis accidentibus? Dicendum, quod manent abſque ſubiecto ex virtute divina. Et quo modo poteſt hoc eſſe, cum accidentia dependeant a ſubſtantia? Dicendum, quod Deus eſt principium eſſendi: unde poteſt producere effectum ſeparatum a ſubiecto, & ſine principiis: ideo cum principium ſubſtantiæ ſit conſervare accidentia in eſſe, poteſt Deus abſque ſuis principiis conſervare.

Si quæris utrum ſit verum de omnibus accidentibus; dicendum, quod omnia accidentia referuntur ad ſubſtantiam mediantibus dimenſionibus: unde quodammodo individuantur; ideo dimenſiones ſunt ſine ſubiecto, ſed qualitas in dimenſionibus eſt ut in ſubiecto. Unde ſenſus eſt: *Hoc*, ideſt contentum ſub his accidentibus, quæ accidentia manent in dimenſionibus, quia ſubſtantia, quæ primo ſuberat ſub his accidentibus, mutatur in corpus Chriſti.

(d) Supra actum eſt de inſtitutione novi ſacramenti quantum ad ſacramentum corporis Domini; hic agitur de inſtitutione eiuſdem quantum ad ſacramentum ſanguinis. Et circa hoc duo facit. Primo ponuntur ſacta Chriſti; ſecundo dicta, ibi, *Bibite ex hoc omnes*. Circa primum tria ſacta ponuntur. Primo quod accepit calicem; ſecundo quod gratias egit; tertio quod diſcipulis dedit: unde dicit: *Et accipiens calicem &c.* per quod ſignatum eſt, quod non fuit inſtitutum quod agatur ſub una ſpecie, ſed ſub duabus.

Et quæ eſt ratio huius? Una ratio eſt, quia tria ſunt in hoc ſacramento. Unum quod eſt ſacramentum tantum, aliud quod eſt res tantum, aliud quod eſt ſacramentum & res. Sacramentum tantum, ſunt ſpecies panis, & vini; res tantum, eſt effectus ſpiritualis; res & ſacramentum, eſt corpus contentum. Si ergo conſideremus ſacramentum tantum, ſic bene competit ut corpus ſignetur ſub ſpecie

(a) Al. Quia.

panis, ſanguis ſub ſpecie vini, quia ſignatur ut indicans refectionem ſpiritualem; ſed refectio eſt proprie in cibo & potu, ideo &c. Item ſi ſumatur ut res & ſacramentum, ad hoc competit quod illud ſacramentum eſt rememorativum dominicæ paſſionis. Et non potuit melius ſignificare quam ſic, ut ſignificetur (*a*) ſanguis ut effuſus, & ſeparatus a corpore. Item quantum ad id quod ſumitur ut res tantum, quia ſanguis pertinet ad animam, non quia ſanguis ſit anima, ſed in ſanguine vita conſervatur: unde ſignatur quod cum illud ſacramentum ſit ad ſalutem fidelium, quod panis offertur pro ſalute corporis, ſed ſanguis pro ſalute animæ. Prov. IX. 5. „ Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis: " quia refectio iſta (*b*) eſt in pane, & vino. Item alia ratio, quia totus Chriſtus continetur in corpore. Quæ eſt ergo neceſſitas quod ſanguis per ſe? Ideo eſt accipiendum quod dictum eſt ſupra, quod aliud eſt ibi ex vi ſacramenti directe, aliud ex naturali concomitantia. Sub panis ſpecie continetur corpus Chriſti de vi ſacramenti, ſed ſanguis per concomitantiam. In ſanguine vero e converſo, quia ſanguis eſt de vi ſacramenti, ſed corpus per concomitantiam. Unde ſanguine Chriſti effuſo in terram, ſi fuiſſet celebratum, non fuiſſet ſanguis niſi ſeorſum. Ideo quia hæc non intellexerunt quidam, dixerunt quod formæ illæ continuantur: unde dicunt quod cum conſecratur corpus, non eſt ibi ſanguis donec vinum fuerit conſecratum. Sed hoc non eſt ita, quia ſi moreretur ſacerdos antequam conſecraret vinum, eſſet in hoſtia & corpus, & ſanguis.

Item dicit, *Accipiens calicem*, & non dicit, Accipiens vinum; ideo quidam dixerunt, quod debebat fieri in aqua. Et hoc excluditur, quia ſequitur: *Non bibam de genimine vitis &c.* Secundo patet quod fuit vinum & aqua mixtum. Et huius ratio eſt ex parte ſacramenti, quia celebrandum eſt ut Dominus inſtituit. Sed in terra calida conſuetudo eſt quod non bibatur vinum ſine aqua, ideo non eſt credendum quod in puro vino confecerit. Competit & contento, quia illud ſacramentum eſt rememorativum dominicæ paſſionis; ſed a latere Chriſti exivit ſanguis, & aqua, ut habetur Ioan. XIX. Item ad ſignificandum effectus, & hoc dupliciter: quia iſtud ſignificat memoriam paſſionis Chriſti: ergo inducit in nos effectus paſſionis Chriſti. Effectus autem eſt duplex, abluere, & redimere. Redemit nos per ſanguinem ſuum. Apoc. V. 9. „ Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo. " Item abluit ſordes. Apocal. I. 5. „ Dilexit „ nos, & lavit nos a peccatis noſtris in ſan„ guine ſuo. " Et hæc erant neceſſaria, ut ablueret, & redimeret. Et ablutio ſignatur per aquam, redemptio per vinum. Item per aquam populus. Apocalyp. XVII. 1. „ Aquæ „ multæ populus multus. " Et per iſtud ſacramentum populus unitur Chriſto, ideo per iſtam admixtionem ſignatur populus uniri Chriſto.

Sed quid ſit de illa aqua? Dicunt aliqui quod manet. Alii dicunt quod convertitur in vinum; quia cum ponatur parum, ſpecies mutatur, & ita totum eſt converſum; & ita pertinet ad myſterium, quia in hoc unitas eccleſiaſtica continetur.

Item in hoc quod dicit, *Accipiens*, ſignatur quod voluntarie ſuſtinuit paſſionem: unde in Pſalm. CXV. 13. „ Calicem ſalutaris accipiam, „ & nomen Domini invocabo. "

Item gratias egit. Et de quo? De duobus, de ſigno, & ſignato. De ſigno, quia de effectu; de ſignato, quia de paſſione. In quo ſignatur quod non ſolum de bonis gratias reddere debemus, ſed etiam de malis & adverſis. I. ad Theſſal. V. 18. „ In omnibus gratias „ agentes. " Ad Rom. VIII. 28. „ Diligentibus „ Deum omnia cooperantur in bonum. " Item gratias egit de inſtitutione huius ſacramenti, quia virtute divina hoc faciebat: unde in Ioan. V. 30. „ A meipſo facio nihil. " Ideo gratias agit Deo Patri. Ioan. XI. 41. „ Gratias ago tibi, quoniam audiſti me. " In quo datur nobis exemplum, quod ſi Chriſtus gratias egit, qui erat Patri æqualis, quod nos gratias agere debemus. Item gratias egit de effectu, quia effectus eſt ſalus totius mundi. Et hoc non poterat facere niſi ex divinitate. Ioan. VI. 64. „ Spiritus eſt qui vivificat, „ caro autem non prodeſt quicquam. "

Sequitur, *Et dedit*, ut ſumerent in ſacramento: & per hoc ſignificavit quod fructus ſuæ paſſionis debebat per alios aliis miniſtrari: unde Apoſtoli poſſunt comparari pullis aquilæ, de quibus dicitur Deut. XXXII. 11. „ Sicut aquila provocans pullos ſuos ad vo„ landum, & ſuper eos volitans. " Tunc iniungit uſum: & primo ponit uſum; ſecundo verba conſecrationis ſanguinis; tertio reſurrectionem prænuntiat. Dicit ergo: *Bibite ex hoc omnes*. Cant. V. 1. „ Bibite, & inebria„ mini cariſſimi. " Unde ſignatur quod Chriſtiani poſſunt (*c*) communicare loco, & tempore. *Hic eſt enim ſanguis meus &c.* Hæc ſunt verba conſecrationis. Et notate, quod in his ver-

(a) *Al.* ut ſanguis effuſus. (b) *Al.* omittitur eſt. (c) *Al.* communicati.

Digitized by Google

verbis eſt differentia cum his quibus utitur Eccleſia. Eccleſia addit: *Hic eſt calix*. Item ubi dicit, *Novi teſtamenti*, Eccleſia addit, *Novi, & aterni teſtamenti*. Item ubi dicit, *Qui pro multis*, Eccleſia addit, *Qui pro vobis &c.* Unde ergo Eccleſia habet iſtam formam? Dicendum, quod, ſicut dicit Dionyſius, non fuit intentio Evangeliſtarum tradere formam ſacramentorum, ſed eas tamquam ſecretas ſervare: unde non intendebant niſi hiſtoriam narrare. Unde ergo habet Eccleſia? A conſtitutione Apoſtolorum: unde dixit Paulus I. Corinth. XI. 34. „ Cetera, cum venero, diſponam. "

Sed eſt quæſtio. Cur dicit: *Hoc eſt corpus meum*, vel *Eſt ſanguis*? Quare non dicit: Hoc convertitur in corpus, aut in ſanguinem? &c. Sed duplex eſt ratio. Prima eſt, quia formæ ſacramentorum debent ſignare quod efficiunt. Illud quod efficiunt, eſt quod convertatur in corpus Chriſti, ſed ultimus effectus eſt quod fit corpus, ideo ultimus effectus ſignari debet: ideo debet ſignari quod hoc ſit corpus, non autem quod convertatur in corpus. In hac autem forma eſt aliquid ſimile cum veteri, aliquid diſſimile. (a) Simile in hoc, ſicut habetur Exod. XXIV. 8. quod cum legiſſet Moyſes legem, immolavit vitulos, & obtulit ſanguinem, & dixit: „ Hic eſt ſanguis „ fœderis Domini: " ſic iſte ſanguis oblatus eſt pro ſalute populi. Ad Hebr. IX. dicitur, quod ſemel in anno Pontifex ſolus introibat non ſine ſanguine quem offert pro ſua, & populi ignorantia. Oſtenditur autem differentia quantum ad quatuor. Primo in hoc quod ſanguis ille eſt vitulorum, iſte Chriſti: ideo iſte eſt efficax ad remittendum. Ad Hebr. IX. 13. „ Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ conſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; „ quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad „ ſerviendum Deo viventi? " Item ille dicebatur ſanguis teſtamenti, ſed iſte dicitur teſtamentum. Item accipitur teſtamentum communiter, & proprie. Communiter pro quocumque facto, quia ita ſolebat eſſe quod in omni facto adducebantur teſtes. Proprie dicitur teſtamentum quando aliquid legatur in morte, ſecundum quod dicit Apoſtolus, quod teſtamentum in morte teſtatoris firmatur. Utroque modo competit hic, quia pactio fuit ibi: & fiebat ſanguine, quia in confœderatione pacis antiquitus oſtendebant ſanguinem; ideo dicebatur ſanguis fœderis. Item ſecundum quod ad mortuos dicitur, ſic erat quoddam pactum inter Deum, & homines in veteri, & in nova lege; ſed differenter: quia primo de temporalibus, ſcilicet veteris legis, ſicut patet quod promiſit eis terram Amorrhæorum, ideo fuit vetus, quia non innovabantur homines, ſed magis inveterabantur; iſtud autem teſtamentum eſt de cæleſtibus, & de ſupernis. Ideo ſupra IV. 17 *Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cælorum*. Ideo dicit, *Novi teſtamenti*; ibi vero (Exod. XXIV. 8.) dicebatur: „ Hic eſt ſanguis fœderis „ quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his &c. " Hier. XXXI. 31. „ Feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus „ novum. " Unde *hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti*; ideſt, dedicatus ad novum teſtamentum, in quo debemus habere fiduciam. Ad Hebr. X. 19. „ Habemus fiduciam per „ ſanguinem Chriſti. " Item (b) pro morte competit: quia per mortem Chriſti confirmata eſt repromiſſio. Item alia differentia: quia iſta addit, *Novi, & aterni teſtamenti*, quod poteſt referri vel ad hereditatem æternam, vel ad Chriſtum, qui æternus eſt. Alia differentia eſt: quia in illa (loc. cit.) habetur: „ Quod pepigit vobiſcum: " unde ad illos ſolum reſtrictum eſt illud teſtamentum; ſed iſtud etiam ad gentes. Eſa. LII. 15. „ Ipſe „ aſperget (ſcilicet ſanguine ſuo) gentes multas. " *Pro multis*; & pro multis, & pro omnibus: quia ſi conſideretur ſufficientia, (I. Ioan. II. 2.) „ ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; (c) non pro noſtris autem „ tantum, ſed & pro totius mundi. " Sed ſi conſideremus effectum, non habet effectum niſi in his qui ſalvantur; & hoc ex culpa hominum. Sed Eccleſia addit, *Pro vobis*, ideſt Apoſtolis, quia ipſi miniſtri ſunt huius ſanguinis, & per iſtos derivatur ad gentes. Item ponitur, *In remiſſionem peccatorum*, quia ille non poterat remittere peccata.

Dico autem. Hic ponitur conſolatio, ſecundum Chryſoſtomum. Quia fecerat mentionem de effuſione ſanguinis, per quem ſignatur paſſio, ideo conſolatur eos, & prænuntiat gloriam ſuam. Et poteſt quatuor modis exponi. Exponit ſic Chryſoſtomus, quod Dominus prænuntiaverat paſſionem, ideo vult eos lætificare. *Non bibam amodo de genimine vitis*, ideſt de vino, *uſque in diem illum &c.* Hoc regnum appellat regnum reſurrectionis: tunc accepit regnum novum, ideſt novo modo. Quod poſt biberit cum eis, patet Actor. X.

Sed quare dicitur novo modo? Quia ante aliter comedit, & poſt: quia ante comedit ex neceſſitate, ſed poſt reſurrectionem non pro-

(a) *Al.* Similiter. (b) *Al.* pro morte competit. Et quia &c. (c) *Al.* & non.

Digitized by Google

propter neceſſitatem, ſed ut demonſtraret reſurrectionis veritatem.

Hieronymus dicit ſic, quod per vineam ſignatur populus Iudæorum. Eſa. v. 7. „ Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt. “ Hier. II. 21. „ Ego plantavi te vineam electam, omne ſemen verum. “ *Dico autem vobis, quod amodo non bibam*; ideſt, non gaudebit anima mea de populo iſto; *uſque in illum diem, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei*. Regnum ſignat præſentem Eccleſiam, *novum*, ideſt innovatum per fidem: quia tunc convertentur, & tunc gaudebo cum eis. Multi enim ſunt converſi, & multi convertentur. Remigius exponit ſic, & dicit quod hoc referendum eſt ad cæremonias paſchales; ideſt, non celebrabo de cetero huiuſmodi cæremonias uſque ad ſtatum Eccleſiæ, cum gaudebo de innovatione Eccleſiæ. Auguſtinus ſic: „ In hoc quod dicit *novum*, opponitur veteri. “ Vetuſtas autem duplex (*a*) eſt: pœnæ, & culpæ; & hæc derivata eſt ab Adam, ut habetur ad Rom. VI. Chriſtus autem vetuſtatem habuit pœnæ, non culpæ. Unde ſuum ſimplum ſolvit noſtrum duplum. Dicit ergo: *Non bibam*, de vetuſtate pœnæ, *uſque &c.* quia depoſiturus erat corpus iſtud; & aſſumpſit in reſurrectione corpus glorificatum: & promittit Apoſtolis quod ipſi etiam aſſument: & ſignat quod non ſunt diverſæ naturæ, quia corpus quod aſſumet, erit eiuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ.

(e) Poſita inſtitutione novi ſacramenti, hic prænuntiatur futurum ſcandalum diſcipulorum: & primo præmittitur locus; ſecundo prænuntiatio, ibi, *Et dixit illis*. Et hoc competit præmiſſis, & ei quod ſequitur: unde cum utroque poteſt ordinari. Dicit ergo: *Et hymno dicto*. Per hoc exemplum duorum nobis dat: quia primo fuit cœna, & prandium materiale, poſt quod gratias debemus reddere, & Deum laudare. Pſal. XXI. 27. „ Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum. “ Item poſt iſtud fuit cęna ſacramentalis, poſt quam etiam debemus gratias agere. Unde poſt illud, hymnum dixit: unde illud quod poſt communionem dicitur in Miſſa, repræſentat iſtum hymnum; ideo fideles debent expectare uſque ad finem Miſſæ ut hymnum iſtum audiant. Et hoc eſt quod Ioan. XVII. I. dicitur: „ Pater clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. “ Et hoc dicto, *exierunt in montem Oliveti*: mons enim Oliveti pinguedinem ſignificat, quia olivæ pingues ſunt: unde ſpiritualem pinguedinem ſignificat. In Geneſ. XLIX. 20. „ Pinguis panis eius. “ Unde ſignat pinguedinem gratiæ, & gloriæ cæleſtis in quam provehitur. Pſal. LXVII. 16. „ Mons Domini mons pinguis. “ Oleum membra feſſa quietat, dolorem mitigat, igni pabulum, & claritatem præſtat. Sic erit in illa gloria, quia amovebitur omnis labor, omnis dolor; omnis aderit claritas. Item quod dicit, *In montem Oliveti*, convenit prænuntiationi futuræ. Per oleum miſericordia ſignatur: ſicut enim ſupernatat aliis liquoribus, ſic miſericordia. Pſal. CXLIV. 9. „ Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. “ Item in monte ſcandalum oſtenditur, ut miſericordia ſignetur prævia. „ Cum ceciderit iuſtus, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam: “ Pſal. XXXVI. 24.

Tunc dicit .... Omnes vos ſcandalum patiemini in me. Hic ponitur ſcandalum: & primo in generali; ſecundo in ſpeciali, ibi, *Reſpondens autem Petrus &c.* Circa primum duo facit. Primo prænuntiat; ſecundo ne videatur fortuitum, auctoritatem inducit, ibi, *Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves*. Et in iſto verbo aggravatur peccatum diſcipulorum ex multis. Primo ex univerſitate, *Omnes vos*. Eſa. I. 6. „ A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas. “ Item materia tangitur: *Scandalum patiemini in me*. I. ad Corinth. I. 23. „ Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum. “ Iudæi, quia non quærebant niſi infirmitatem carnis, ſcandalum paſſi ſunt. Item aggravatur peccatum appropinquatione temporis, quia poſt tantas monitiones, poſt ſacramenti ſuſceptionem: unde iam obliti erant quæ fecerat eis: unde bene comparati ſunt viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: (*b*) „ conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit: “ Iac. I. 24. Item quia in nocte, quia „ qui ebrii ſunt, & qui dormiunt, in nocte dormiunt: “ I. ad Theſſ. V. 7. ſic etiam qui ſcandalizantur. Tunc ſubiungit auctoritatem: *Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves*. Et ſcribitur Zach. XIII. 7. Et dicitur ibi: „ Percute paſtorem (ſcilicet Chriſtum) & diſpergentur oves: “ hic autem dicitur, *Percutiam*: & ſatis convenienter, quia Propheta deſiderabat quod iſtud fieret: ideo dixit, „ Percute paſtorem; “ ſed Chriſtus in propria perſona loquitur: & in iſto die prænuntiat primo paſſionem Chriſti, ſecundo ſcandalum, cum dicit, *Percutiam paſtorem*. Iſte paſtor eſt Chriſtus. Ioan. X. 11. „ Ego ſum paſtor bonus. “ Et I. Pet. II. 25. „ Converſi

(a) *Al. omittitur* eſt. (b) *Al.* conſideravit, & abiit.

„ verſi eſtis ad paſtorem, & epiſcopum animarum veſtrarum. “ Et iſte percuſſus eſt, quia Deus tradidit eum: quia „ proprio Filio non pepercit: “ Rom. VIII. 32. & hoc propter peccata noſtra. Eſai. LIII. 8. „ Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. “ Item prænuntiat ſcandalum: *Et diſpergentur oves*. Oves ſunt fideles. Ioan. x. 27. „ Oves meæ vocem meam audiunt. “ Et ſic Deus paſſus eſt ut diſpergerentur, ut poſt congregaret. Pſal. CXLVI. 2. „ Diſperſiones Iſraelis congregabit. “ Ioan. x. 16. „ Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere. “

Tunc prænuntiat gaudia reſurrectionis: *Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*: quia licet Pater reſuſcitaverit eum, ſicut alibi dicitur, Act. II. 24. „ Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni: “ tamen propria virtute ſurrexit, quia virtus Patris eſt virtus Filii. II. ad Corinth. ult. 4. „ Sed ſi crucifixus eſt propter infirmitatem noſtram, vivit tamen ex virtute Dei. “ Item contra illud quod dixerat quod diſpergentur oves, dicit: *Præcedam vos in Galilæam*. Oves enim ſequuntur paſtorem: unde paſtor congregat vocando eas nominatim: ideo dicit, *Præcedam*. Vel poteſt referri ad illud quod dicit, *Poſtquam reſurrexero*. Quia poſſent aliqui credere quod multum eſſet tempus uſque ad reſurrectionem ſuam, ideo dixit quod non multum: (*a*) quia *præcedam vos in Galilæam*. Conſuetudo eius erat quod parum moraretur in Iudæa, ſed cito tranſibat in Galilæam. Vult ergo dicere: (*b*) Ante reſurgam quam poſſitis venire in Galilæam: ut oſtenderet ſe eſſe illum qui apparebit eis: ideo ſatis potuerunt certificari. Item quod dicit quod præcedet, ſecuritatem dat. Quia in Iudæa perſecutionem patiebantur, ideo dicit quod præcedet in Galilæam, ut removeat eos a timore.

Et dicit Chryſoſtomus, quod non eſt intelligendum quod primo apparuerit in Galilæa. Sed hic apparuit, ſed non primo, immo in Hieruſalem. Quare ergo magis dicit, *In Galilæam*? Galilæa interpretatur tranſmigratio; unde ſignificatur quod per reſurrectionem tranſibimus a vita mortali ad immortalem: & in iſta nos præceſſit, quia Chriſtus eſt primitiæ dormientium. Item ſignatur tranſmigratio diſcipulorum ad gentes: & in hoc Chriſtus præceſſit, corda movendo.

Reſpondens autem Petrus. Hic ponitur prænuntiatio de ſcandalo Petri: & primo ponitur occaſio; ſecundo prænuntiatio; tertio excuſatio. Secunda ibi, *Ait ei Ieſus &c.* tertia ibi, *Ait ei Petrus &c.*

Hic eſt quæſtio litteralis: quia videtur quod Petrus hoc dixerit poſtquam receſſiſſent de cœnaculo; ſed Luc. XXII. videtur dicere quod antequam receſſiſſent, & huic conſonat Ioan. XIII.

Auguſtinus ſolvit quod Petrus hoc ter dixit: & ſic concordant omnes &c. quia ſi conſideremus narrationem, ex pluribus cauſis hoc dicit. Hic motus fuit ex hoc quod ſcandalum prænuntiavit. Luc. XXII. 32. dixerat Dominus: „ Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua. “ Et tunc dixit Petrus: „ Domine tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. “ Sed in Ioanne dictum eſt alia de cauſa: quia Ioan. XIII. 33. dixit Dominus: „ Quo ego vado, vos non poteſtis venire modo. “ Tunc dixit Petrus: „ Animam meam ponam pro te. “ Ideo ter dixit; ideo poteſt eſſe quod bis (*c*) dixerit in cœnaculo, ſed ſemel dixit extra, ſicut hic dicitur. Et poteſt eſſe quod ex fervore dicebat, & non conſiderabat virtutes ſuas. Tamen in tribus deliquit. Primo quia non plus Domino credidit quam ſibi, cum tamen ſcriptum ſit ad Rom. III. 4. „ Solus Deus verax, omnis homo mendax. “ Item quia prætulit ſe aliis: unde dixit: *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor*. Unde reputabat ſe aliis firmiorem; & incidit in illud quod dicitur Luc. XVIII. 11. „ Non ſum ſicut ceteri hominum. “ Item quia attribuebat ſibi quod non debebat, cum ſcriptum ſit, Ioan. xv. 15. „ Sine me nihil poteſtis facere. “ Quia ergo arroganter locutus eſt, ideo magis permiſit eum cadere. Et hoc facit Deus, quia multum odit Deus ſuperbiam. Iob xl. 6. „ Et reſpiciens omnem arrogantem, humiliat. “

Ait illi Ieſus: Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Quia putare poteras quod dicerem comminatorie, ideo dico tibi, *Amen*; ideſt, corde tibi dico, *quia antequam gallus in hac nocte cantet, ter me negabis*. Et aggravatur eius culpa ex propinquitate temporis, quia *in hac nocte*. Item ex multitudine, quia *ter*. Sicut ter præſumpſerat, ita ter negavit poſt præſumptionem. Iob XXXI. 27. „ Si lætatum eſt in abſcondito cor meum. “

Sed quæſtio eſt de hoc, *Antequam gallus cantet, ter me negabis*: quia in Marco XIV. habetur, quod antequam gallus bis vocem dederit. Secundum Auguſtinum poteſt ſolvi quod ſecundum hiſtoriam verum eſt quod Marcus dicit,

(a) *Al. deeſt* quia. (b) *Al.* ideſt ante. (c) *Al.* dixerat.

dicit. Et quod Matthæus dicit, poteſt ſic ſolvi, quod homo dicitur facere quando facit in propoſito, ſicut ſupra v. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Sic Petrus in ſuo propoſito negavit ter, vel etiam pluries: ex quo timorem concepit quod ſufficiens erat ad negandum ter, vel pluries: ideo dicit quod ter negavit, quia iam conceperat ſe ter, vel pluries negaturum. Unde Matthæus dixit, quod interius intendebat; ſed Marcus quod exterius geſſit. Vel poteſt aliter dici, (*a*) quod quando dico: Ego faciam iſtud infra tale tempus: tunc non oportet quod in illo factum ſit, ſed ſufficit quod inceptum fuerit. Unde quod dixit quod ter eſſet negaturus, non oportebat quod ante galli cantum, completum eſſet, ſed inchoatum.

Sequitur excuſatio Petri: *Ait ei Petrus &c.* Excuſat ſe Petrus, *quia ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Et tamen timuit, quia ad vocem ancillæ negavit. Hieronymus dicit, quod neſcivit quid diceret, quia ſolus Chriſtus moriturus erat, ut ſolus eſſet redemptor. Eſa. lxiii. 3. „ Torcular calcavi ſolus. “

Deinde ponit affirmationem, ſcilicet aliorum: *Similiter & omnes diſcipuli dixerunt*. Unde dixerunt ſicut & Petrus; tamen alii meliorem cauſam habebant quam Petrus ſe excuſandi, quia alii ſine aſſertione.

Tunc venit Ieſus in villam quæ dicitur Gethſemani. In iſta parte ponitur præparatio quæ eſt per orationem: & tria facit. Primo proponitur propoſitum orandi; ſecundo neceſſitas orandi; tertio differentia. Secunda ibi, *Et aſſumpto Petro &c.* tertia ibi, *Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam*. Circa primum duo facit. Primo ponitur locus; ſecundo prænuntiat propoſitum, *Et dixit diſcipulis ſuis*. Dicit ergo: *Tunc venit Ieſus in villam quæ dicitur Gethſemani*. Contrarium videtur quod dicitur in Ioan. xviii. 1. quod „ egreſſus Ie„ ſus venit trans torrentem Cedron. “ Unde notandum, quod villa illa erat in pede montis Oliveti, unde idem erat locus; & veniebat ibi poſt cœnam quaſi ad ſpatiandum. Tunc prænuntiat propoſitum orandi: *Et dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem*. Simile habetur Gen. xxii. 5. Dixit Abraham ad pueros ſuos: „ Expectate hic cum „ aſino, & ego, & puer illuc uſque properan„ tes, poſtquam adoraverimus, revertemur „ ad vos. “

Sed hic movet Damaſcenus quæſtionem. Oratio eſt aſcenſus in Deum; intellectus autem Chriſti coniunctus erat Deo: (*b*) quomodo ergo indigebat Deus, qui faciebat? Unde dicatur, quod ipſe orabat non propter ſe, ſed propter noſtram utilitatem. Et hæc duplex eſt, quia oravit ut daret nobis exemplum, ut in tribulatione recurramus ad Dominum. Pſal. cxix. 1. „ Ad Dominum cum „ tribularer clamavi. “ Item ut oſtenderet ſe eſſe ab alio, & quod ab alio habebat: unde dicit (Ioan. v. 30.) „ Non poteſt Filius a „ ſeipſo facere quicquam. “ Et ibid. viii. 28. „ Ego a meipſo facio nihil. “ Item ad excludendum errorem: quia dicebant aliqui quod non eſſet eadem virtus Patris, & Filii. Ioan. viii. 49. „ Ego honorifico Patrem meum. “ Dat ergo exemplum orandi, & quomodo ſit orandum. Prima enim conditio orationis eſt quia debet eſſe humilis oratio: quod ſignatur, quia ivit in vallem. Iudith ix. 16. „ Humilium, „ & manſuetorum ſemper tibi placuit depre„ catio. “ Item debet eſſe devota: unde in Gethſemani, ſcilicet in villa pinguedinis. Pſal. lxii. 6. „ Sicut adipe, & pinguedine replea„ tur anima mea. “ Item quod ſit ſolitaria; ſicut ſupra vi. 6. *Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum*.

Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi &c. Hic prænuntiat neceſſitatem orationis: & hæc erat triſtitia. Et primo ponit teſtes triſtitiæ; ſecundo oſtendit triſtitiam; tertio repellit. Secunda ibi, *Cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe*: tertia ibi, *Suſtinete hic, & vigilate mecum*. Dicit ergo: *Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi &c.* Tres ſecum aſſumpſit. Et quare iſtos præ aliis? Una ratio, quia iſti firmiores erant; & quia omnes ſcandalizabat infirmitas, ideo magis iſtis infirmitatem ſuam voluit monſtrare quam aliis. Item oſtenderat eis gloriam; ideo volebat quod ſicut viderant gloriam, ita viderent infirmitatem, ut cognoſcerent quod nec infirmitas gloriam, nec gloria abſorberet infirmitatem.

Sequitur oſtenſio infirmitatis: & primo facto; ſecundo verbo. Et ſecundum hoc tria facit: quia primo dicit ſecundum quæ Chriſtus triſtatus eſt; ſecundo quare triſtatus eſt; tertio quomodo triſtatus ſit. Quo ad primum *cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe*. Hic cavendi ſunt duo errores: quia quidam dixerunt quod triſtatus eſt ſecundum divinitatem: & hoc non poteſt eſſe, quia triſtatus eſt, quia paſſibilis erat; ſed divinitas non erat paſſibilis. Item opinio Arrianorum, alias Eunomii, erat quod in Chriſto non erat anima, ſed Verbum loco animæ. Et quare hoc dicebat? Ut omnia quæ ad defectum pertinent, ad Verbum referrentur, ut oſtenderetur minor Patre.

Et

(a) *Al.* quod dicendo quando ego faciam iſtud &c. (b) *Al.* quomodo ergo indigebat? Deus erat qui faciebat.

Digitized by Google

Et hoc falſum eſt. Ideo paſſus eſt ſecundum quod pati potuit, ſcilicet ſecundum animam. *Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Non dicit, Ego ſum triſtis: quia ego eſt oſtenſivum perſonæ, ſed non triſtabatur inquantum Verbum, ſed ſecundum animam: ideo excluditur error & Arrii, & Apollinaris; item Manichæi, qui ponit eum non vere paſſum. Unde patet ſecundum quod triſtatus eſt.

Sed quare triſtatus eſt? Diverſa ſunt verba Sanctorum. Quia Hilarius, & multi alii dixerunt, quod non triſtatus eſt propter ſe, nec propter mortem ſuam, ſed propter ſcandalum diſcipulorum. Et hoc vult probare per hoc quod aſſumpſit eos. Damaſcenus dicit, quod triſtabatur pro ſeipſo. Et quare? Quia triſtitia ineſt ex hoc quod caremus eo quod naturaliter amamus. Anima naturaliter vult uniri corpori, & iſtud fuit in anima Chriſti, quia comedit, & bibit, & eſuriit. Ergo ſeparatio erat contra naturale deſiderium: ergo ſeparari erat ei triſte. Tamen poſſumus intelligere quod aliquid ineſt animæ ſecundum ſe, & aliquid ineſt animæ per comparationem ad aliud: ſicut amara potio ſecundum ſe conſiderata, doloroſa eſt, ſed relata ad finem noſtræ ſalutis, eſt cauſa gaudii. Sicut aliquid eſt rationis ut natura eſt, & aliquid rationis inquantum ratio; ſic iſta mors Chriſti erat materia triſtitiæ ſecundum quod conſiderabatur ſecundum ſe, ſed ſecundum quod referebatur ad rationem, referendo ad finem, ſic gaudebat. Ideo verba Hilarii, & Hieronymi intelliguntur referendo ad finem.

Item quæritur quomodo triſtitia cadit in Chriſto. Ideo notandum, quod quandoque triſtitia accidit ſecundum paſſionem, aliquando ſecundum propaſſionem. Secundum paſſionem, quando aliquid patitur, & immutatur; ſed quando patitur, & non immutatur, tunc habet propaſſionem. Sed quandoque huiuſmodi ſunt in nobis, ita quod ratio immutatur, & tunc paſſiones ſunt completæ; quando autem ratio non (*a*) immutatur, tunc eſt propaſſio. Sed in Chriſto numquam fuit ratio immutata, ideo fuit propaſſio, & non paſſio: unde ſignanter dicit Evangeliſta, *Cœpit triſtari*. Item dicit Auguſtinus, quod nos habemus triſtitiam ut contractam, Chriſtus autem ut aſſumptam. Illud enim contrahitur quod naſcendo per originem habetur. Sed Chriſtus aſſumpſit naturam noſtram ut voluit; ideo non fuit neceſſitas quod paſſibilitatem acciperet, ut triſtitiam, ſed a voluntate. Item notandum quod dicit Damaſcenus, quia in nobis motus (*b*) paſſionum prævenit rationem, quia aliquando eſt in nobis paſſio, & aliquando propaſſio: in Chriſto autem non fuit niſi propaſſio, & numquam fuit in Chriſto quod motus inſurgeret in inferioribus viribus animæ, immo ſuberant totaliter inferiores vires rationi; & quando volebat, permittebat agere inferiores vires ſecundum quod eis erat naturale. Ideo alius Evangeliſta dixit, quod turbavit ſeipſum, quia iſti motus non potuiſſent accidiſſe, niſi ſecundum quod voluit.

Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Notate, quod dicit, *Uſque ad mortem*, per quam ſatisfaciam pro iſto ſcandalo, & pro aliis. Vel ſecundum aliam expoſitionem. Non credatis quod in perpetuum debeat durare: quia quamdiu corpus erit paſſibile, & hoc eſt uſque ad mortem, triſtis eſt anima mea; & tunc glorificabitur.

Deinde excludit alios: *Suſtinete hic, & vigilate mecum. Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, orans, & dicens*. Supra tetigit cauſam triſtitiæ; hic autem agit de ordine orationis Chriſti. Et quia ter oravit, ideo dividitur hæc pars in tres partes ſecundum tres orationes. Et circa primum duo facit. Primo ponit orationem orantis; ſecundo increpat diſcipulorum defectum, ibi, *Et venit ad diſcipulos &c.* Et in prima primo ponit conditionem orantis; ſecundo tenorem orationis. Triplex autem conditio commendatur, quia primo notat ſolicitudinem; ſecundo humilitatem; tertio devotionem. Solicitudinem, quia *progreſſus puſillum*: quia etiam ab illis quos elegerat ſe ſeparavit. Supra VI. 6. *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito*. Sed notate, quod non multum, ſed puſillum, ut notaret quod non longe eſt ab invocantibus eum. Pſal. cxliv. 18. „Prope eſt „Dominus omnibus invocantibus.“ Item ut viderent eum orantem, & formam acciperent: ideo ſequitur humilitas: *Et procidit in faciem ſuam*: unde exemplum humilitatis oſtendit. Et primo propter humilitatem communem, quia humilitas neceſſaria eſt ad orationem. Eccli. XXXV. 21. „Oratio humiliantis „ſe nubes penetrabit.“ Item propter humilitatem ſpecialem, ſcilicet Petri, quia dixerat: *Si oportuerit me mori tecum non te negabo*. Ideo Dominus procidit, ut ſignaret quod non debebat de ſua virtute confidere. Supra XI. 29. *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde*. Item ſignatur conditio pietatis, ſive (*c*) devotionis, cum dicit, *Pater mi*: neceſſarium enim

(*a*) Al. immutata. (*b*) Al. actionum. (*c*) Al. conditionis.

enim eſt oranti ut ex devotione oret : unde dicit, *Pater mi*, quia ipſe ſingulariter Filius, nos autem per adoptionem . Ioan. ult. 17. „ Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem ve- „ ſtrum; “ quaſi, aliter meum, & aliter veſtrum.

Conſeqnenter tenorem orationis ſubiungit: *Si poſſibile eſt*, *tranſeat a me calix iſte*. Iſta oratio tripliciter poteſt exponi , & quocumque modo exponatur, duo ſunt conſideranda. Primo conſiderare debetis in communi quantum ad omnes: quia, ſecundum Damaſcenum, oratio eſt aſcenſus mentis in Deum : unde oratio eſt ſecundum mentem, vel ſecundum ſuperiorem rationem ; ſed tamen infra Deum conſtitutam, ſupra tamen humanam naturam, vel ſub divina voluntate . Quid ergo debet intelligi ? Secundum quod eſt cum ſuperior ratio deſcendit ad iſta inquantum decet , tamen quod ſemper ſubdatur rationi divinæ; & hoc notatur cum dicitur: *Veruntamen non ſicut ego volo*, *ſed ſicut tu*: quia ſuperior ratio ſequitur voluntatem naturæ , non tamen ſimpliciter; ideſt, ſi relata ſuperiori, non repugnat. Unde vult dicere: Volo quod impleatur quod volo, ſi non repugnat tuæ iuſtitiæ; ſed volo tuam iuſtitiam impleri . Et in hoc docet exemplum qualiter affectiones debemus ordinare , quia ita debemus ordinare quod non a regula divina diſſonent. Unde non eſt grave quod aliquis quod grave eſt naturæ refugit, dum tamen ordinet ad voluntatem divinam. Item poteſt exponi, ſecundum Chryſoſtomum, & Origenem , ita quod per calicem ſignificetur paſſio Chriſti, de quo in Pſal. cxv. 13. „ Calicem ſalutaris accipiam &c. “ Conſtat quod Chriſtus habuit naturalem hominis voluntatem; hoc autem eſt quod mortem refugiat: ideo ut hominem ſe oſtendat, petit tranſire calicem a ſe ; & hæc eſt ita naturalis , quod petitionem non amovit ab eo. Item dixit: *Si poſſibile eſt* , *tranſeat calix* , ideſt paſſio ; ſed non abſolute dico , ſed ſi poſſibile. Et quia poſſet aliquis credere quod dubitaret an eſſet Deo poſſibile, ideo oſtendit quod eſt poſſibile: quia „ omnia tibi poſſi- „ bilia ſunt: “ Marc. xiv. 36. *Veruntamen non ſicut ego volo*, *ſed ſicut tu*; ideſt, ſi congruit iuſtitiæ tuæ, volo: ideo dicit: *Non ſicut ego volo*. Unde duas tangit voluntates : (*a*) unam quam habebat a Patre inquantum Deus , (*b*) quam unam habebat cum Patre ; & in hoc confunditur error multorum: item aliam voluntatem inquantum homo, & iſtam voluntatem in omnibus ſubmittebat Patri , in hoc dans nobis exemplum , quod voluntatem noſtram voluntati Dei ſubmittamus . Ioan. vi. 38. „ Deſcendi de cælo , non ut faciam vo- „ luntatem meam , ſed voluntatem eius qui „ miſit me Patris . “ Secundum Hieronymum, non petebat ſimpliciter; ſed ut iſte calix tranſiret , videbat ſe paſſurum a Iudæis. Volebat igitur quod tranſiret, ideſt quod ita redimeret mundum quod non eſſet delictum Iudæorum. Rom. xi. 11. „ Delictum Iudæorum ſa- „ lus eſt gentibus. “ Hilarius vero dicit ſic. Non rogat Dominus ut non moriatur , ſed rogat ut calix in alios tranſeat; quaſi dicat: Accipiam calicem cum fiducia . Rogo ut diſcipuli mei ſine diffidentia accipiant. Sed quare dicit, *Si poſſibile eſt*? Quia hoc videtur contra naturam quod mortem ſine dolore accipiant : unde vult dicere : Ego vellem alios non pati, ſi poſſibile eſſet; ſed fiat ſicut vis, ideſt ſecundum tuam ordinationem.

Et venit ad diſcipulos ſuos. Hic increpat diſcipulorum defectum. Et primo ponitur defectus; ſecundo increpatio; tertio admonitio ; quarto cauſa admonitionis. Cum oraſſet , *venit ad diſcipulos*, *& invenit eos dormientes*. Et iſtud habet rationem ſecundum litteram, quia iam pars noctis tranſierat , ideo ſomno erant gravati. Item cauſa erat, quia triſtes erant , & tales facile ſubrepit ſomnus. Prover. xvii. 22. „ Spiritus triſtis deſiccat oſſa. “ Item ſignatur quod Chriſto aſcendente pro nobis ad paſſionem, multi dormiere , ſicut *dormitaverunt omnes*, *& dormierunt*: ſupra v. 5. *Et dicit Petro*: *Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum*?

Sed quare magis dixit Petro ? Ratio eſt , quia Petrus magis ſe iactaverat quod aſſiſteret ei in neceſſitatibus ; ideo iam erat futurum præſagium caſus ſui . *Non potuiſtis una hora vigilare mecum* ? Et quæ eſt ratio quod omnibus poſtea dixit? Quia omnes promiſerant cum Petro: unde dictum eſt ſupra : *Similiter autem & omnes dixerunt*.

Vigilate , *& orate* , *ut non intretis in tentationem*. In iſta parte ſubiungitur admonitio . Vos de vobis confiditis ; ſed vos debetis refugere ad ſuffragia orationis: unde *orate ne intretis in tentationem* . Unde ſupra vi. 13. in oratione communi docet hoc petere: *Et ne nos inducas in tentationem* . Et præmittit vigilantiam ad præparationem. Eccli. xviii. 23. „ Ante „ orationem præpara animam tuam; “ ideſt, neceſſaria eſt prudentia. Supra x. 16. „ Eſto- „ te prudentes ſicut ſerpentes. “ *Spiritus quidem promptus eſt*, *caro autem infirma* ; quaſi dicat: Quod promittis , ex promptitudine eſt ſpiritus; ſed tamen non eſt neceſſaria oratio

propter

(a) *Al.* unam habebat a Patre. (b) *Al. omittitur* quam unam habebat cum Patre.

propter ſpiritum, ſed propter carnem, quæ infirma eſt; ideo neceſſaria eſt vigilantia. Simile eſt quod Apoſtolus dicit Rom. VIII. 10. „ Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſed ſpiritus vivit propter iuſtificationem. “

Sed notandum, quod omnium caro eſt infirma, ſed non omnium ſpiritus eſt promptus. In malis ſiquidem ſicut caro eſt infirma, ita & ſpiritus. E contrario in bonis, quia ſpiritum habent promptum; & ideo in reſurrectione ſpiritus redit corpus promptum. Vel poteſt eſſe duplex infirmitas. Una mala quæ inclinat ad peccatum, ſecundum quod dicit Apoſtolus ad Rom. VII. 18. „ Non habitat in carne mea bonum. “ Alia infirmitas bona, ſecundum quod carnalis deficit ſecundum promptitudinem, ſecundum quod dicitur in Cant. V. 8. „ Nuntiate dilecto, quia amore langueo. “ Et ex iſta cauſa debet homo vigilare, ſicut dicit Origenes, ſicut qui habet magnum theſaurum, diligenter vigilat ut illud cuſtodiat.

Iterum ſecundo abiit, & oravit. Hic ſecundo orat. Secundum Chryſoſtomum, ad hoc ſecundo orat ut firmius veritatem humanæ naturæ oſtendat. Unde in Gen. XLI. 32. „ Quod ſecundo vidiſti, firmitatis indicium eſt. “ Quod autem dicit: *Si non poteſt tranſire calix hic, niſi bibam illum, fiat voluntas tua*: poteſt tripliciter exponi. Primo ſic. Supra ſub conditione petierat; hic autem, quia fuit certificatus quod non poterat eſſe quin illum biberet, ideo petit ut fiat voluntas eius; quaſi dicat: Si non poteſt eſſe quin tranſiturus ſim ad gloriam immortalitatis: quia mortalitas non erat contracta, ſed aſſumpta; ideo ſive pateretur, ſive non, erat tranſiturus ad gloriam immortalitatis. Sed non poterat tranſire a ſe, & a membris: unde ſi non biberet, non tranſiret a membris. Vult ergo dicere: Si non poteſt tranſire a me, & a membris, *fiat voluntas tua*. Pſal. XXXIX. 9. „ Ut facerem voluntatem tuam Deus meus volui. “ Secundo exponit ſic Hieronymus. Si non poteſt fieri quod veritas tranſeat ad gentes, niſi Iudæi excedant, *fiat voluntas tua*: eorum enim delicto, ſalus gentibus facta eſt. Hilarius ſic exponit. Si non poteſt fieri quod alii ſancti bibant calicem paſſionis niſi exemplo meo, *fiat voluntas tua*: quia alii ſancti ex paſſione Chriſti exemplum ceperunt. Vult ergo dicere: Si non poteſt tranſire a me in diſcipulos, niſi ego bibam, ut fortiores efficiantur ad bibendum, *fiat voluntas tua*.

Conſequenter ponitur ſecunda dormitio diſcipulorum: *Et venit iterum, & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati*, ſomno, ideſt propter ſomnum, & propter triſtitiam. Pſal. XXX. 10. „ Turbatus eſt in ira oculus meus. “

Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio. Hic de tertia agit oratione: & duo facit. Primo ponit ordinem; ſecundo conceſſionem ſomni, ibi, (a) *Tunc venit ad diſcipulos &c.* Dicit: *Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio, eumdem ſermonem dicens*. Sed quid ſignat, quod ter oravit? Ter oravit, ut nos a malis præſentibus, præteritis, & futuris liberaret. Item ut orationem noſtram doceret, ad Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum dirigendam: unde in orationibus Eccleſiæ ſemper dicitur: „ Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. “ Item ut trina oratione trinam Petri negationem liberaret. Luc. XXII. 32. „ Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. “ Item ter oravit contra tres timores. Eſt enim timor contra concupiſcentiam: eſt enim triplex concupiſcentia, curioſitatis, ſuperbiæ, & carnis; & iſta triplex tangitur I. Ioan. II. 16. „ Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. “ Iſti triplici concupiſcentiæ triplex timor reſpondet; ſcilicet concupiſcentiæ carnis, timor doloris; concupiſcentiæ oculorum, timor paupertatis; concupiſcentiæ ſuperbiæ, timor opprobrii, & ignominiæ. Et hæc paſſus eſt Chriſtus, non quia indigeret, ſed pro nobis. *Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dixit illis*. Et primo indulget ſomno; ſecundo excitat, ibi, *Surgite, eamus*. Primo dat licentiam; ſecundo cauſam aſſignat, ibi, *Ecce appropinquabit hora, & Filius hominis tradetur*. Chriſtus prima vice invenit eos dormientes, & increpavit eos; ſecundo invenit eos dormientes, & tacuit; tertio invenit eos dormientes, & ſomnum conceſſit. Quæ eſt ratio? Ratio litteralis eſt, quia prælatis datur forma correctionis: quia quando venit ad aliquem, & invenit dormientem, neſcit ſi ex negligentia ei accidit, vel ex infirmitate. Et poteſt indulgere. Item quia poſt reſurrectionem invenit dormientes, & eis exprobravit, Luc. XXIV. 25. „ O ſtulti, & tardi corde ad credendum. “ Item viſitavit poſt acceptum Spiritum ſanctum, & tunc nihil dixit, quia adhuc erant infirmi: quia adhuc legalia obſervabant, ut dicitur de Petro, ad Gal. II. Sed ultimo in ſuo adventu viſitabit, & dimittet eos in quiete ſancta, & pacifica. Pſal. IV. 9. „ In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. “ Secundum Auguſtinum, concedit

(a) Al. *Et venit &c.*

eis, & ſupra negavit; ſed alius eſt hic ſomnus, & ſupra. Quia eſt ſomnus aggravationis, & de hoc loquitur ſupra, unde dicitur: *Erant oculi eorum gravati*, ſomno; & hoc eſt increpandum: hic autem ſomnus eſt ſomnus quietis, & iſte permittitur. Item eſt ſomnus propter turbationem, & hic prohibetur. De iſto dicitur ad Eph. v. 14. „ Surge „ qui dormis, (*a*) & exurge a mortuis. “ Aliquando enim (*b*) eſt ſomnus propter quietem corporis; ſed tamen anima vigilat. „ Ego „ dormio, & cor meum vigilat: “ Cant. v. 2. Item quia laboraturi erant, ideo oportebat quod quieſcerent. Tunc cauſam aſſignat: *Ecce appropinquavit hora*. Non hoc habuit ex aliqua neceſſitate facere, ſed ex ordinatione divina. Ioan. VII. 30. „ Quærebant eum, & „ non poterant manus iniicere in eum, quia „ nondum venerat hora eius. “ Sed hæc hora venerat. Ioan. XIII. 1. „ Sciens Ieſus quia „ venit hora eius ut tranſeat ex hoc mundo „ ad Patrem. “ Sed poſſent dicere: Si hora eſt ex ordinatione divina, ergo non peccant occidentes eum. Ideo cum hoc ponit peccatum: *Et Filius hominis tradetur in manus peccatorum;* ideſt, non faciunt hoc ſic ex ordinatione divina, ſed ex impletione voluntatis ſuæ. Hier. XII. 7. „ Dedi dilectam animam „ meam in manibus inimicorum eius. “ Tunc ponit excitationem: & primo ponit eam; ſecundo neceſſitatem, ibi, *Ecce appropinquavit hora*. In hoc autem quod dicit, *Surgite*, promptitudinem ſuam oſtendit: unde Ioan. XVIII. dicitur, quod occurrit eis. Et quare? *Ecce appropinquat qui me tradet*. Prope erat, non quod oculo corporali videret, ſed ipſo ſpiritu, oculo ſcilicet divinitatis.

Sed quomodo dixit eis, *Surgite*, cum licentiaſſet eos dormire? Solvit Auguſtinus, quia improperando dixerat; quaſi dicat: Dormiatis quantum volueritis, *ecce appropinquavit hora &c.* Et dicit Auguſtinus, quod iſtud ſufficeret, niſi melius occurreret; ideo dicit aliter, quod iſti dormierunt aliquantulum, & cum dormiſſent, dixit: *Surgite, eamus*.

(f) Supra poſita ſunt præparatoria ad paſſionem, ſcilicet inſtitutio ſacramenti, & oratio Chriſti; hic autem ponit paſſionem quantum ad ea quæ a Iudæis ſunt illata. Et primo oſtendit quo modo capitur; ſecundo quo modo examinatur; tertio quo modo condemnatur. Secunda ibi, *Principes autem ſacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum;* tertia ibi, *Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua*. Circa primum tria facit. Primo agit de proditione; ſecundo de captione; tertio quo modo ductus eſt poſt captionem. Secunda ibi, *Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum*; tertia ibi, *At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham*. Circa primum tria facit. Primo deſcribit perſonam proditoris; ſecundo ſignum proditionis; tertio complementum. Secunda ibi, *Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum;* tertia ibi, *Et confeſtim accedens ad Ieſum, dixit, Ave Rabbi*. Deſcribit proditorem ex tribus. Primo ex nomine; ſecundo ex dignitate; tertio ex ſocietate. Ex nomine: *Adhuc eo loquente, ecce Iudas &c.* loquente ſcilicet verba hæc, quibus eis fiduciam adhibebat, *ecce Iudas*, qui dicitur confitens. Duo fuerunt Iudæ, quorum unus eſt malus, alter bonus, ad ſignandum quod quidam confitentes in Eccleſia futuri erant boni: Rom. x. 10. „ Ore autem con„ feſſio fit ad ſalutem: “ quidam futuri mali: ad Tit. 1. 10. „ Confitentur ſe noſſe Deum, „ factis autem negant. “ Conſequenter deſcribitur ex dignitate, *Unus ex duodecim*: quia licet in tanta eſſet dignitate conſtitutus, in tantum (*c*) tamen ſcelus cecidit. In quo datur exemplum quod nullus de ſtatu ſuo debet (*d*) confidere. Apoſtolus I. Corint. x. 12. „ Qui ſtat, videat ne cadat. “ Ioan. VI. 71. „ Nonne vos duodecim elegi, & unus ex vo„ bis diabolus eſt? “ Et quare elegit eum, cum ſciret ipſum futurum malum? Ratio una eſt, ut daret exemplum prælatis ut non deſolarentur. Item deſcribitur ex ſocietate: *Et cum eo venit turba multa &c.* Sicut habuit crudelem animum, ita crudelem ſocietatem, quia omne animal ſibi ſimile appetit. Et hoc deſcribitur, quia *multa*. In hoc notatur quod erant ſtulti, ſtulti enim ſunt in multitudine. Eccle. 1. 15. „ Stultorum infinitus eſt nume„ rus. “ Et ipſi bene ſtulti erant, quia ſapientiæ contradicebant. Item erant armati, quia *cum gladiis, & fuſtibus*. Et quæ eſt ratio? Origenes dicit, quod multi credebant in eum, & ideo timebant ne eum turba ab eis raperet. Item quia dicebant, ſupra XII. quod in Belzebub dæmonia eiiciebat; ideo ut nulla poteſtas tueretur eum, venerunt armati. Item deſcribitur ab auctoritate, quia *miſſi erant a principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi*: unde inſtructi erant eorum auctoritate, ita ut nullus eis contradiceret, ut impletum ſit quod dicitur in Pſal. II. 2. „ Aſtiterunt Reges ter„ ræ, & Principes convenerunt in unum ad„ verſus Dominum, & adverſus Chriſtum „ eius. “

Conſequenter agitur de ſigno proditionis: *Qui autem tradidit eum, dedit eis ſignum, dicens &c.*

Sed

(a) *Al.* reſurge. (b) *Al.* omittitur eſt ſomnus. (c) *Al.* deeſt tamen. (d) *Al.* ſe confidere.

Sed hic eſt quæſtio. Cum eſſet notus in Iudæa, quare petebant ſignum? Ratio duplex poteſt eſſe. Una, quia audierat Iudas quod Chriſtus transfiguratus erat in monte, & credebat hoc eſſe factum arte magica; ideo prævenire voluit per oſculi ſignum, antequam poſſet ſe transfigurare. Hanc expoſitionem ponit Hieronymus. Origenes autem dicit ſic, quia ſicut manna in deſerto unicuique ſapiebat id de quo opinabatur, ſic Chriſtus apparebat unicuique, ſecundum quod habebat opinionem de ipſo; ideo fuit neceſſarium quod ſignum daret. Dedit mirabile ſignum, quia *quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, teneto eum*. Signum amicitiæ fecit ſignum proditionis. Proverb. XXVII. 6. „ Meliora ſunt vulnera diligentis, quam „ fraudulenta oſcula inimici. "

Et confeſtim accedens ad Ieſum, dixit, Ave Rabbi; & oſculatus eſt eum. Hic ponitur complementum proditionis. Et primo ſigna demonſtravit; ſecundo cœpit agere. Et oſtendit primo dicto, cum dicit, *Ave Rabbi*; ſecundo facto; *Et oſculatus eſt eum*. Simile habetur II. Reg. XX. 1. quod Ioab tenuit mentum Amaſæ, & interfecit eum.

Sed quare non venit ſtatim ad eum, ſed primo ſalutavit? Una ratio eſt propter reverentiam magiſtri. Item primo ſalutavit eum, quia timebat ne priuſquam eum manifeſtaret, ſe primo poſſet transfigurare.

Dixitque illi Ieſus: Amice, ad quid veniſti? Et poteſt illico legi interrogative, vel remiſſive. Si interrogative, tunc poteſt legi quod per opprobrium dictum eſt; ac ſi dicat: Tu oſtendis amicitiam per oſculum; & veniſti perdere me? ſecundum illud Pſalm. XXVII. 3. „ Loquuntur pacem in ore ſuo, mala au„tem in cordibus eorum. " Et dixit, *Amice*. Quoties amicum aliquem vocat, improperando loquitur: unde dictum eſt ſupra XXII. 12. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem*? Et alibi XX. 13. *Amice, non facio tibi iniuriam*. I. Ioan. IV. 19. „ Non enim „ prius dileximus eum, ſed ipſe prior dile„xit nos. " Vel poteſt legi remiſſive; & non eſt verbum increpatorium, ſed permiſſivum. *Amice ad quid veniſti*: ſecundum illud Ioan. XIII. 27. „ Quod facis, fac citius. " Et vocat eum amicum quantum eſt de ſe: quia „ cum his qui oderunt pacem, eram pacifi„cus: " Pſalm. CXIX. 7. Et licet ſciret eum oſculaturum eſſe, tamen occurrit ei.

At (a) *illi tenentes, manus iniecerunt in Ieſum*. Nunc agitur de captione. Et primo ponitur ſeveritas captionis; ſecundo teſtimonium; tertio reprehenſio diſcipuli. Circa primum tria facit: quia primo dicit quomodo miniſtri eum capiunt; ſecundo quomodo quidam diſcipulus impedire volebat; tertio quod Chriſtus reprehendit eum. Dicit ergo: *At illi tenentes, iniecerunt manus in Ieſum*. Eſa. I. 15. „ Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. " Ipſe enim tradidit ſe. Hier. XII. 7. „ Dedi „ dilectam animam meam in manibus inimi„corum eius. " Tunc ponitur quomodo unus diſcipulus invaſit invadentes: *Et ecce unus ex his qui erant cum Ieſu, extendens manum exemit gladium ſuum*. Quis fuit iſte? Dicendum quod Petrus: unde ſicut ſupra XVI. voluit paſſionem Chriſti impedire, ſic & hic. Unde habuit occaſionem? Ex eo quod habetur Luc. XXII. ubi Dominus præcepit, quod emant gladios; & hoc intelligentes crediderunt quod gladii eſſent neceſſarii: unde habebant cultellum ad incidendum agnum. Ideo Petrus habuit unum. *Percutiens ſervum principis ſacerdotum, amputavit ei auriculam*. Non credatis quod habuit tempus deliberationis quod auriculam amputaret; ſed proiecit ictum, & cum vellet percutere eum ad mortem, accidit quod auriculam amputavit. Nomen iſtius erat Malchus, qui interpretabatur Rex. Et ſignat abſciſſionem regni a populo Iudaico, & tamen factus eſt ſervus principum ſacerdotum, ideſt Romanorum: huic Petrus abſcidit auriculam. Per auriculam, auditus ſignatur; & hic eſt duplex, ſcilicet dexter, per quem ſignatur vita æterna; ſiniſter, per quem temporalis. *Amputavit auriculam eius*: quia a populo Iudæorum doctrinam ſpiritualium amputavit; & hoc factum fuit occaſionaliter, quod gentes receperint dexteram, quia Petrus primo prædicavit gentilibus; & ita amputavit dexteram trahendo gentiles ad fidem. *Tunc ait illi Ieſus: Converte gladium tuum in locum ſuum*. Hic ponitur reprehenſio. Et primo reprehendit Petrum; ſecundo miniſtros: *In illa hora dixit Ieſus turbis &c.* Et primo ponit admonitionem; ſecundo rationem admonitionis aſſignat: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Dicitur: *Tunc ait illi Ieſus: Converte gladium tuum in locum ſuum*. Venerat ut voluntarie pateretur, ideo nolebat defendi. Et in hoc dabat exemplum ut martyres patientes pro Chriſto non defenderent ſe. Deinde rationem aſſignat: & primo ex pœna; ſecundo ex voluntate Chriſti; tertio ex auctoritate. Secunda ibi, *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum &c.* tertia ibi, *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ*? Primo mitigat ex terrore pœnæ, dicens: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*.

Sed

(a) Pro *Tunc acceſſerunt &c.*

Digitized by Google

Sed movet quæſtionem Auguſtinus : quia non omnes qui gladio feriunt, gladio pereunt, ſed aliquando febre: ideo poteſt exponi tripliciter, ſecundum quod triplex eſt gladius. Eſt gladius materialis, de quo in Pſal. xxxvi. 14. „ Gladium evaginaverunt peccato„ res. " Item divinæ ſententiæ, de quo Hier. xix. 7. „ Subvertam eos gladio. " Item divini verbi Epheſ. vi. 17. „ Et gladium ſpi„ ritus accipite, quod eſt verbum Dei. " Poteſt ergo intelligi de omnibus iſtis. De gladio materiali: quia qui gladio perimit, gladio peribit, ideſt ſuo, non alieno. Unde Pſal. xxxvi. 15. „ Gladius eorum intret in corda „ ipſorum. " Item poteſt exponi de gladio condemnationis, de quo habetur Gen. iii. quod Dominus gladium verſatilem poſuit ante paradiſum: unde qui alios condemnant, divina ſententia condemnabuntur. Vel aliqui propria auctoritate accipiunt quod non habent ab alio, & tales gladio pereunt.

An putas quod non poſſum rogare Patrem meum &c. Hic aſſignat rationem ad mitigandum animum Petri, dans intelligere quod voluntarie patiebatur, & quod poterat effugere. Et quia videbat eum præſumentem, ideo dicit: *Non poſſum rogare Patrem meum*? Et non dicit non poſſum vocare, vel adducere, ſed rogare. Dicit enim verba hominis, quia orare hominis eſt. *Et exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum*? Et iſtud dictum eſt ſecundum infirmitatem animi Petri. Ita Petrus ſe habebat quod deberet eum defendere, & indigeret auxilio hominum; ideo vult dicere quod ſi auxilio hominum poſſet defendi, multo magis Angelorum: ſed non erat neceſſe, quia magis Angeli ſuſtentantur per ipſum.

Sed quid eſt quod dicit: *Duodecim legiones Angelorum*? Dicendum, quod ſocietas apud Græcos dicitur phalanga, apud Romanos legio; & habebat ſex millia hominum: unde duodecim legiones ſunt (a) ſeptuagintaduo millia, & tot ſunt linguæ hominum, ſicut habetur ex Gen. xi. Unde vult dicere: Si omnes homines inſurgerent contra me, poſſet Dominus mittere contra quamlibet linguam mille Angelos: & ſi unus Angelus deſtruxit tot millia, ut patet Eſa. xxxvii. multo magis mille poterunt occidere unam linguam. Iob xxv. 3. „ Numquid eſt numerus militum eius? " Et Dan. vii. 10. „ Millia millium miniſtrabant „ ei, & decies millies centena millia aſſiſte„ bant ei. " Remigius dicit ſic. Quicumque faciunt voluntatem Dei, poſſunt dici Angeli, ideſt nuntii. Eſa. xviii. 2. „ Ite Angeli „ veloces ad gentem convulſam, & dilace„ ratam: " Quicumque enim obſequuntur Deo, Angeli dicuntur. Pſal. ciii. 4. „ Qui „ facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros „ ſuos ignem urentem. " Poteſt ergo per legionem intelligi legio Romanorum: unde Dominus poſſet adducere, & provocare legiones Romanorum ad deſtruendos Iudæos, ſicut poſt ſub Tito, & Veſpaſiano factum fuit. Et iſto loco deſtruxerunt quidam opinionem illorum qui dicebant, quod non poterat Dominus facere niſi quod facit: quia ſi poterat legiones convocare quas non convocavit, conſtat quod poteſt facere multa quæ non facit.

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? Hic ponitur tertia ratio quare non debeat impedire: quia ita Scripturæ dixerunt, & ideo ſic oportet fieri. Et non dicit quæ Scripturæ, quia omnes prophetæ dixerunt, vel occulte vel manifeſte. Unde Luc. ult. 26. „ Nonne o„ portuit Chriſtum pati, & ita intrare in „ gloriam ſuam? "

In illa hora dixit Ieſus turbis. In parte iſta redarguit miniſtros; & duo facit. Primo commemorat factum; ſecundo irrationabilitatem facti, cum dicit: *Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me*. Iob xvi. 10. „ Infremuit contra me denti„ bus: " quia exierunt ac ſi eſſet latro; ſed ipſi magis veniebant ut latrones. Latro latet ut non capiatur; ſed Chriſtus offert ſe in manifeſto. Et latrones ſi nocere volunt, non nocent in publico; ſed Chriſtus ſe offerebat. Unde dicit: *Quotidie apud vos eram docens in templo, & non me tenuiſtis*: ideo veniſtis ut latrones. Ut enim daret oportunitatem, exivit civitatem. *Quotidie apud vos eram docens in templo*. Simile habetur Ioan. xviii. 20. „ In „ occulto locutus ſum nihil. " Et dicit, *Docens in templo*. Hæc erat conſuetudo ſua ſemper ut doceret in templo. *Et non me tenuiſtis*: unde patet quod ſicut latrones veniſtis.

Conſequenter ponitur teſtimonium: *Hoc autem totum factum eſt, ut implerentur Scripturæ Prophetarum*. Et non dicit quorum, quia quaſi in omnibus habetur. Pſal. xxi. 17. „ Fode„ runt manus meas, & pedes meos, & di„ numeraverunt omnia oſſa mea. " Et Eſa. liii. 3. „ Reputavimus eum noviſſimum viro„ rum, virum dolorum. " Et dicit, *Ut implerentur*. Ly *ut* poteſt teneri cauſative, & ſic non tenetur hic; vel conſecutive, & ſic accipitur hic. Quia enim Prophetæ dixerunt, non accidit; ſed ideo prædixerunt, quia accidere debebat: unde ſenſus eſt: *Ut adimplerentur*;

(a) *Al.* ſeptuaginta.

ventur; ideſt, hoc facto adimpletum eſt quod per Prophetas prædictum erat.

Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt: ita quod compleretur quod dicitur in Pſalm. XXXVII. 12. „ Dereliquerunt me amici mei, & proximi mei. “

Sed quare non a principio dereliquerunt? Reſpondet Hieronymus. Quia ſcriptum eſt, Ioan. VII. 30. quod „ quærebant eum, & nemo miſit in eum manum, quia nondum venerat hora eius. “ Unde a principio credebant quod ſe liberare poſſet, & ſe defenderet; ſed cum viderunt quod captus eſſet, & quod non vellet ſe defendere, fugerunt, & dereliquerunt eum.

(g) Supra actum eſt de captione Chriſti; nunc agitur quo ſit ductus; & deſcribitur locus, & ſocietas convenientium ad locum. Dicit ergo: *At illi*, ſcilicet qui tenuerunt eum, *duxerunt* eum *ad Caipham*. Iſto Caiphas erat pontifex anni illius ſecundum Hieronymum: ſecundum quod habetur Ioan. XI. 49. „ Cum autem eſſet pontifex anni illius. “ Iam enim ſacerdotium non ſecundum legis præceptum agebatur. Mandaverat Dominus quod Aaron, & filii eius eſſent ſacerdotes iure hereditario, ita quod mortuo uno remaneret alter ſacerdos. Sed poſt, ambitione creſcente, non potuerunt pati, ſed ſubiecta Iudæa Romanis, iſte Caiphas emerat ſacerdotium a Iudæis, emerat a Pilato; ideo iniquus erat princeps: & non mirum, ſi iniquus iudex, ſive princeps, iniquum facit iudicium. Et hoc convenit myſterio: quia ſicut paſſio Chriſti erat oblatio veri ſacrificii, ſic & locus congruere debebat, ut Chriſtus, qui eſt ſacerdos in æternum, in domo pontificis offerretur. Caiphas inveſtigator interpretatur; & poteſt referri ad malitiam qua Chriſtum, condemnavit.

Sed hic eſt quæſtio: quia Ioan. XVIII. dicitur quod primo ductus eſt ad Annam. Et hoc intelligendum eſt eſſe verum: convenerant enim ad domum Annæ, & ibi congregati erant, & in hoc apparet malitia eorum, quia cum intenti eſſe deberent ſolemnitati, erant intenti malitiæ, ita quod bene conveniebat eis quod dicitur Eſa. I. 14. „ Solemnitates veſtras odivit anima mea. “ Unde completum eſt quod dictum eſt Pſalm. II. 2. „ Convenerunt adverſus Deum, & adverſus Chriſtum eius. “

Petrus autem ſequebatur eum a longe. Actum eſt de loco; hic agitur de Petro perveniente. Primo ducitur, deinde Petrus pervenit. Et tria facit: quia primo tangit modum; ſecundo quomodo ſequens pervenerit. Quod pervenerit, hoc erat fervoris; quod a longe, hoc erat timoris: unde ſignificabatur quod in fide Petri fundata Eccleſia ſecutura erat Chriſtum, tamen a longe: quia Chriſtus paſſus eſt pro Eccleſia, non pro ſe; Petrus autem, & Eccleſia paſſa eſt pro ſe. Item tangitur locus: quia *uſque in atrium principis ſacerdotum*: non enim auſus eſt intrare domum, ne videretur eſſe de diſcipulis Ieſu. Quomodo autem intravit, tacet Matthæus, ſed narrat Ioannes XVIII. 15. quia „ diſcipulus quidam notus erat pontifici, & introduxit Petrum. “

Sequitur ſocietas: *Et ingreſſus intro ſedebat cum miniſtris, ut videret finem*: & hoc faciebat vel ex curioſitate, vel ex pietate. Et hæc tria iam erant quædam diſpoſitiva ad caſum Petri. Quod a longe ſequebatur, hoc diſponebat, quia ſignificabat quod non erat firmus: qui enim firmus eſt, debet appropinquare. Unde dicitur Iac. IV. 8. „ Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. In domo enim eſt ſedes Dei &, agni, “ ut habetur Apocal. ult. 3. In domo enim erat perfecta caritas: unde Petrus non appropinquavit ad caritatem Chriſti.

Item non pervenerat ad malitiam Iudæorum, ideo tepidus erat; ideo accidit ei id quod dicitur in Apocalyp. III. 16. „ Quia tepidus es, eiiciam te de ore meo. “ Item quia famuli mali. Eccli. X. 2. „ Secundum iudicem populi, ſic & miniſter eius. “ Et ideo non fuit mirum ſi cecidit, quia in mala ſocietate manſit: quare Pſal. XVII. 16. „ Cum ſancto ſanctus eris...... & cum perverſo perverteris. “

Tunc ſequitur examinatio Chriſti: & primo per teſtes; ſecundo per propriam confeſſionem, ibi, *Et ſurgens princeps ſacerdotum ait illi &c.* Circa primum tria facit. Primo deſignatur perverſum ſtudium principum; ſecundo defectum; tertio falſum teſtimonium. Dicit ergo: *Principes autem ſacerdotum quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, ut eum morti traderent*.

Sed eſt quæſtio quare non ſine teſtimonio eum morti tradebant. Una cauſa eſt, quia hypocritæ quærunt quod videtur eſſe bonum, ſed veritatem non quærunt; ſic iſti quærebant ut viderentur non a ſe facere, unde contra legem faciebant. Exod. XX. 16. „ Non loquaris contra proximum tuum falſum teſtimonium. “ Si non licet loqui, nec quærere. Alia ratio erat, quia non habebant auctoritatem occidendi, & ideo quærebant ut ipſum tradere poſſent principi.

Et non invenerunt, cum tamen multi falſi teſtes acceſſiſſent. Ecce defectus, in quo deſignatur innocentia Chriſti, ut poſſet dicere,

(Pſalm. xxv. 1.) „ Ego in innocentia mea ingreſſus ſum. “ Semper enim inſidiati ſunt Chriſto, ſed non invenerunt aliquid mali. Unde implevit illud quod habetur I. Petr. II. 15. „ Benefacientes obmuteſcere faciatis „ imprudentium hominum ignorantiam. “ Tunc ſequitur falſum teſtimonium: *Noviſſime autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt.*

Sed hic eſt quæſtio quare dicantur falſi teſtes: quia manifeſtum eſt Chriſtum dixiſſe, Ioan. II. Secundum Hieronymum, non ſolum falſus dicitur qui dicit quod neſcit, ſed qui dictum ad falſum refert intellectum. *Hic dixit: Poſſum deſtruere templum* (*a*) *Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Sed non intelligebat de templo materiali, ſed de templo corporis ſui. Item non ſolum eſt falſum teſtimonium quo ad ſenſum, ſed quo ad vocem: quia dixerat (Ioan. II. 19.) „ Solvite „ templum hoc; “ & non dixit: *Poſſum ſolvere templum Dei*; quaſi dicat: Vos Iudæi ſolvite templum, ideſt Chriſtum, & poſt triduum reſuſcitabo illud. Non dixit: Et poſt triduum reædificabo: quia reædificare magis ad materialem templum pertinet, ſed excitare magis ad corpus: unde falſi teſtes erant tam ratione vocis, quam ratione ſignificationis.

Item eſt quæſtio. Quare non accuſant eum de violatione ſabbati? Reſpondit Chryſoſtomus, quod quia ſæpe accuſaverunt eum de hoc, & ſemper excuſaverat ſe, & excuſationem confirmaverat miraculis, ideo cogitabant quod non valeret eis. Item iudex non erat Iudæus, ideo ſciebant quod non reciperet hanc accuſationem.

Tunc ſequitur examinatio per propriam confeſſionem. Et primo ponitur interrogatio quantum ad teſtificationem; ſecundo quo ad principale. Secunda ibi, *Et princeps ſacerdotum ait illi &c.* Dicit ergo: *Surgens princeps ſacerdotum ait illi: Nihil reſpondes ad ea quæ iſti adverſum te teſtificantur?* Quod ſurrexit, fuit ex impatientia, & furore, audiens quod Chriſtus non convincebatur; & quod dicit, *Nihil reſpondes &c.* non dicit ut excuſaret eum, ſed ut caperet eum in ſermone. Eſa. xxxII. 6. „ Stul„ tus fatua loquetur, & cor eius faciet ini„ quitatem. “ *Ieſus autem tacebat.* Sed quare tacebat? Propter tria. Ut doceret nos cautelam. Sciebat enim (*b*) quod, quicquid ille diceret, totum ad calumniam referrent; & in tali caſu coram inſidiatoribus eſt tacendum. Pſal. xxxvIII. 2. „ Poſui ori cuſto„ diam, cum conſiſteret peccator adverſum „ me. “ Alia ratio erat, quia tunc non erat tempus docendi, ſed patientiam habendi. Et ita completum eſt quod dicitur Eſa. LIII. 7. „ Quaſi agnus coram tondente ſe ob„ muteſcet, & non (*c*) aperiet os ſuum. “ Tertia ratio eſt ut doceret nos conſtantiam, quando aliquis de aliquo accuſatur iniuſte. Eſa. LI. 7. „ Opprobrium hominum ne metua„ tis. “ Tunc ſequitur quæſtio de principali: *Princeps autem ſacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum, ut dicas mihi, ſi tu es Chriſtus Filius Dei.* Et primo ponitur inquiſitio; ſecundo Domini reſponſio. Videns princeps quod non poſſet capere, adiuravit eum; & hoc ut in ſermone caperet. Et hoc habetur Ioan. x. 24. „ Uſquequo animam no„ ſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis „ palam. “ Apud enim Iudæos pro magno habebatur adiurare. Adiurare enim eſt ad iuramentum cogere. Sicut enim Chriſtiani non debent iurare niſi ex neceſſitate, ſic nec debent uti adiuratione, ſed loco adiurationis debent uti oratione. Tunc ſequitur reſponſio: *Dixit illi Ieſus, Tu dixiſti.* Notate, quod cum aliquid fuit contra eum, tacuit; ſed ſtatim cum adiurata fuit poteſtas Patris, reſpondit: unde gloriam Patris ſemper quæſivit. Ioan. vIII. 50. „ Ego gloriam meam non „ quæro. “ Et circa hoc primo ponit reſponſionem; ſecundo manifeſtationem. Dicit ergo: *Dixit ei Ieſus, Tu dixiſti.* Poteſt exponi ut Chriſtus non aſſerat, ſed (*d*) relinquat in dubio. Supra vII. 6. *Nolite ſanctum dare canibus.* Vel poteſt aſſertive legi, *Tu dixiſti*; ideſt verum eſt: & patet, quia dicitur in Marc. xIv. 62. „ Ego ſum. “ Tunc evidentiam oſtendit: *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei.* Et vult evidenter oſtendere quod ipſe ſit Filius Dei, ſecundum duas auctoritates. Una eſt in Pſalm. cIx. 1. „ Dixit Do„ minus Domino meo: Sede a dextris meis. “ Et per hanc oſtenderat ſupra xxII. quod Chriſtus erat Filius Dei. Alia eſt Daniel. vII. 7. „ Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum „ nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat „ &c. “ Ita, dico, dicit, ſcilicet, *Tu dixiſti*; ſed non noſti veritatem. Attende, quia veritas (*e*) manifeſtabitur: quia *videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei.* Quia dixit ſedentem a dextris, exponit Chryſoſtomus, quod ſeſſio a dextris ſignat dignitatem regiam. Eſa. Ix. 7. „ Super ſolium Da„ vid, & ſuper regnum eius ſedebit. “ Vel ſedere a dextris eſt eſſe in plena beatitudine virtutis, vel in bonis potioribus. Dextera enim nobilior pars eſt, ideo maiorem digni-

(a) Al. *hoc.* (b) *Al.* ut quidquid. (c) *Al.* aperuit. (d) *Al.* reliquit. (e) *Al.* manifeſtabatur.

gnitatem ſignificat; non quia maiorem habeat poteſtatem, ſed æqualem. Infra ult. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Item de eius poteſtate dicit: *Venientem in nubibus cæli.*

Sed quid eſt quod dicit: *Amodo videbitis &c.* Notandum, quod id quod dicit, *In nubibus*, poteſt referri ad adventum ultimum, vel quotidianum. Adventus ultimus erit in nube. Actor. I. 11. „ Quemadmodum vidiſtis eum „ euntem in cælum. “ Et ſupra xxiv. dicitur quod veniet in nubibus. Alio modo poteſt exponi de adventu quotidiano, de quo Iob ix. 11. „ Si venerit ad me, non videbo „ eum. “ Et iſte adventus eſt in nubibus, ideſt in Apoſtolis, & ſacris doctoribus. De iſtis dicitur Eſa. lx. 8. „ Qui ſunt iſti qui ut „ nubes volant? “ Iſti dicuntur nubes, quia in altum aſcendunt. Item nubes fecundæ ſunt. Primum pertinet ad altitudinem vitæ, ſecundum ad fecunditatem doctrinæ. Et ſunt nubes cæli, ideſt cæleſtes, quia portaverunt imaginem cæleſtem. Sed quid eſt, *Amodo videbitis*? ideſt, ſtatim poſt paſſionem aliquos convertit ad fidem, alios per operum evidentiam. Unde aliqui converſi ſunt propter eorum fidem, quidam propter bonam operationem. Item ſi referatur ad ultimum adventum, dicit Origenes: „ Totum tempus mundi comparatum ad æternitatem nihil eſt, „ ſicut unum momentum.“ Pſal. lxxxix. 4. „ Mille anni ante oculos tuos, ſicut dies heſterna quæ præteriit. “ Ideo dicit, *Amodo*, quia nihil eſt tempus uſque ad iudicium reſpectu æternitatis. Verumtamen poſtquam a me recideritis, non reſtat niſi quod manifeſte me cognoſcetis, quia veniam in nubibus cæli. Et tunc cognoſcetis me eſſe Filium hominis. Similis modus loquendi habetur ſupra xxiii. 39. *Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua. Hic ponitur condemnatio. Et primo ponitur quomodo condemnatur; ſecundo quomodo a diſcipulo negatur. Et primo agit de condemnatione; ſecundo de deluſione. Circa primum duo facit: quia primo princeps eum condemnat; ſecundo exquirit ſententiam. Condemnans autem oſtendit culpam & facto, & verbo. Facto, quia *ſcidit veſtimenta ſua*. Eodem furore ſcidit veſtimenta ſua quo paulo ante ſurrexit de ſede ſua: conſuetum enim erat quod qui audiebant blaſphemiam ſcindebant veſtimenta ſua, in ſignum quod non poterant audire. Verum quod hæc duo fecit, aliquid ſignificabatur: quod ſurrexit de ſolio, (a) oſtendebat quod amitteret ſacerdotium; & quod ſcidit veſtimenta ſua, ſignificabat quod transferri debebat. Ad Hebr. vii. 12. „ Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt „ quod tranſlatio legis fiat. “ Veſtis Chriſti non fuit ſciſſa. Ioan. xix. 24. „ Non dividamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. “ Unde ſignificabat abolitionem. Et hoc ſignatur I. Reg. xv. 28. „ Scidit Dominus regnum Iſrael a te hodie. “ Sic ſciſſum eſt a Iudæis, & datum eſt membris Chriſti. Tunc imponit culpam, *Blaſphemavit*. Quia hoc dixerat, reputabat eum blaſphemum: unde Ioan. x. 33. „ De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: quia homo „ cum ſis, Filium Dei te facis: “ & tali debebatur mors. Tunc manifeſtat culpam: *Quid adhuc indigemus teſtibus*? Tunc exquirit ſententiam: *Quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis*, ſecundum iudicium legis. Et hoc eſſet verum, ſi eſſet blaſphemus; ſed non erat, ideo male iudicant, quia auctorem vitæ morti condemnant. I. Corinth. xv. 22. „ Sicut enim mors „ per Adam in omnes homines, ſic & vita „ per Ieſum. “

Tunc expuerunt in faciem eius &c. Poſt condemnationem Chriſti agitur de illuſione; & ſatis convenienter, quia Chriſtus peccata noſtra tulit, ut Eſa. lxii. Homo autem per peccatum in mortem eſt traditus, quando dictum eſt ei, Gen. ii. 17. „ Quacumque hora „ comederitis, morte moriemini. “ Item proprium honorem amiſit, quia „ homo cum in „ honore eſſet non intellexit, comparatus eſt „ iumentis inſipientibus: “ Pſal. xlviii. 13. Et ideo Chriſtus redemptor mortem, & opprobria primo facto ſuſtinuit; ſecundo verbo, ibi, *Prophetiza nobis Chriſte*. In prima conſpuitur, & colaphis cæditur; in ſecunda in facie percutitur. Quantum ad primum dicitur: *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt*. Secundum quod habetur ex verbis, iſtud fiebat in ſignum mandati Dei contempti. Unde habetur Deut. xxv. ſi aliquis nolebat accipere uxorem fratris, quod conſpuebant in faciem ſuam. Item propter contemptum mandati paterni. Sic de Maria ſorore Moyſi. Unde ſpuebant in faciem eius, quia blaſphemum reputabant. Eſa. l. 6. „ Faciem meam non averti ab increpantibus, „ & conſpuentibus in me. “ Item *colaphis cædebant*, ad modum ebrii, vel ſtulti. Eſa. liii. 3. „ Vidimus eum noviſſimum virorum; “ ideſt, ita deſpectus videbatur ac ſi eſſet noviſſi-

(a) Al. oſtendebatur.

viliſſimus omnium virorum. *Alii autem palmas in faciem dederunt*, in irreverationem. Thren. III. 30. „ Dabit percutienti ſe maxillam. “ Myſtice, ſecundum Auguſtinum, adhuc hoc aliqui faciunt: quia ſpuere in faciem, nihil aliud eſt quam contemnere præſentiam gratiæ Chriſti. Ad Hebr. x. 29. „ Quanto magis putatis maiora mereri ſupplicia qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? “ Sed proprie colaphizat qui caput manui ſupponit, & tales ſunt qui magis dignitatem ſuam inquirunt, quam Chriſti honorem. De talibus dicitur (Ioan. III. 19.) quod „ dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. “ Illi autem qui faciem percutiunt ſunt illi qui quodammodo præſentiam eius demoliri (a) contendunt, ut ſunt Iudæi. De his Eſa. xxx. 11. „ Ceſſet a facie noſtra Sanctus Iſrael. “ Tunc improperia ingerunt verbo: *Prophetiza nobis Chriſte: quis eſt qui te percuſſit?* Et hoc dicebant illudendo, quia nullus eorum pro propheta eum habebat; & non erat neceſſarium, infamia enim eorum manifeſta erat. Unde hoc noluit dicere. Iob xvi. 11. „ Et exprobrantes percuſſerunt maxillam meam. “

Petrus autem ſedebat foris. Hic agitur de negatione Petri. Lucas autem alio ordine refert: quia primo ponit negationem Petri, quam illuſionem Chriſti; Matthæus autem e contrario. Et non eſt contrarietas, quia dum illuderetur, ſimul factum eſt; ideo non refert ſi ante, vel poſt ponatur. Et notandum, quod cum ducebatur, non negat, ſed quando illuditur, negat, ad ſignificandum quod quidam magis timent opprobria quam verbera, contra illud Eſa. LI. 7. „ Nolite timere opprobria hominum, & blaſphemias eorum nolite metuere. “ Et circa hoc primo ponitur negatio; ſecundo pœnitentia Petri: *Et continuo gallus cantavit; & recordatus eſt Petrus verbi Ieſu*. Prima dividitur in tres, ſecundum tres negationes. Secunda ibi, *Exeunte autem illo ianuam &c.* tertia ibi, *Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant &c.* Et primo ponitur locus; ſecundo occaſio; tertio negatio. Dicit ergo: *Petrus autem ſedebat foris*, ſcilicet extra locum ubi Chriſtus patiebatur. Illi enim qui a Chriſto ſe elongant, cito confunduntur. Hier. xvii. 13. „ Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur. “ E contrario in Pſal. xxxiii. 6. „ Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. “ Qui enim eſt extra paſſionem Chriſti, de facili labitur. Tunc ponitur excitativum ad denegandum: *Et acceſſit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilaeo eras*. Et convenit caſus Petri caſui primi hominis. Eccli. xxv. 33. „ A muliere initium peccati. “ Sic Petrus ad vocem mulieris Chriſtum negavit: in quo Dominus præſumptionem eius humiliare voluit, quia non ad vocem viri, ſed mulieris. *Et tu cum Ieſu Nazareno eras*. Hoc ſolebat ei eſſe glorioſum, ſed modo eſt ei terribile; & ideo negavit: *At ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis*. Si volumus aggravare culpam Petri, poſſumus aggravare ex tribus. Aggravatur, quia ſtatim ad modicum terrorem negavit. Lev. xxvi. 36. „ Terrebit eos ſonitus folii volantis. “ Item quia non erubuit coram omnibus. Item ex mendacio, quia dixit, *Neſcio quid dicis*, & *Non novi hominem*: contra illud Eccli. iv. 24. „ Ne confundaris dicere verum. “ *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Et iterum negavit*. Hic ponitur ſecunda negatio: & primo tangitur locus; ſecundo incitativum; tertio negatio. Quantum ad hiſtoriam, ſecundum Marcum cap. xiv. poſt primam negationem gallus cantavit, & tunc exivit ianuam, & vidit eum ancilla, & negavit. Sed videtur (b) contrarius aliis, quia videntur alii dicere, quod ſedentes dixerunt; & Lucas dicit quod unus de ſedentibus. Quid ergo? hic dicitur quod ancilla? Notandum, ſecundum Auguſtinum: quod quando negaverat, exivit. Et dum eſſet in exeundo, dixit ei ancilla &c. & tunc negavit: quod audiens Petrus reverſus eſt intus. Tunc illi qui audierant ab ancilla, petierunt idem. Et poteſt eſſe quod unus qui cognoſcebat eum, magis urgebat eum: *Et iterum cum iuramento negavit, quia non novi hominem*: contra illud Eccli. xxiii. 9. „ Iurationi ne aſſueſcat os tuum. “ Tunc ſequitur tertia negatio. Et primo deſcribitur tempus; ſecundo incitativum; tertio negatio. Dicit ergo: *Et poſt puſillum*. Lucas (xxii. 59.) dicit, quod „ facto intervallo quaſi unius horæ. “ Et hoc procurabat diabolus ut reſpirationem non haberet. Unde dicunt ei: *Et tu ex illis es*: & hoc probant: *Nam & loquela tua manifeſtum te facit*.

Sed conſtat quod omnes Iudæi erant: quomodo ergo dicit: *Nam & loquela tua manifeſtum te facit*? Solvit Hieronymus, quod in eadem lingua ſæpe diverſa locutio fit, ſicut patet in Francia, & Picardia, & Burgundia, & ta-

(a) *Al.* contemnunt. (b) *Al.* contrarium.

Digitized by Google

& tamen una loquela eſt . Sic Galilæi ali-
quam differentiam habebant a Hieroſolymi-
tanis. Sic & cuilibet poteſt dici: *Nam & lo-
quela tua manifeſtum te facit*: quia, ut dicitur
Luc. VI. 45. ,, ex abnndantia cordis os loqui-
,, tur : “ quia cum bomo eſt carnalis , cito
prorumpit in verba carnalia, cum ſpiritualis,
in verba ſpiritualia.

Tunc cœpit deteſtari , & iurare &c. Aliqui
ſunt qui volunt excuſare Petrum , quod non
peccavit . Unde cum dixit , *Non novi homi-
nem*, verum eſt hominem , ſed hominem , &
Deum . Et hoc non eſt bonum , quia impo-
nit mendacium Chriſto : quia dixerat Chri-
ſtus : *Tu me negabis* . Ideo melius eſt dicere ,
quod Petrus potius mentitus eſt quam Chri-
ſtus . Item notandum, quod non ſolum nega-
vit Chriſtum , ſed negavit ſe eſſe Chriſtia-
num. Unde in una negatione dixit, *Non no-
vi eum* , ſcilicet non ſum Chriſtianus . Item
notandum , quod qui cito non ſe retrahit a
malo , de malo cito in peius vadit . Eccli.
XIX. I. ,, Qui ſpernit modica , paulatim de-
,, fluit .“ Unde negationi periurium addidit,
periurio blaſphemiam . Unde Gregorius :
,, Peccatum quod per pœnitentiam non di-
,, luitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. “
Item notandum, quod ſignatur triplex tenta-
tio qua tentatur homo . Tentatur a concu-
piſcentia carnis. Iac. I. 14. ,, Unuſquiſque ten-
,, tatur a concupiſcentia ſua . “ Item tenta-
tur a cupiditate terrenorum. Sap. XIV. 2. ,, Il-
,, lud enim cupiditas acquirendi excogita-
,, vit . “ Item a dæmonibus, & hoc ſignatur
per illam negationem in qua dicitur, *Poſt pu-
ſillum acceſſerunt qui ſtabant* . Ad Epheſ. VI. 12.
,, Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem,
,, & ſanguinem , ſed adverſus principes , &
,, poteſtates , adverſus mundi rectores tene-
,, brarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ
,, in cæleſtibus . “ De iſtis tribus habetur
I. Ioan. II. 6. ,, Omne quod eſt in mundo ,
,, aut eſt concupiſcentia carnis , aut concu-
,, piſcentia oculorum , aut ſuperbia vitæ . “
Vel aliter, ſecundum Auguſtinum, dicendum
eſt , quod per iſtas tres negationes omnium
hæreticorum error ſignatur . Quidam enim
Chriſti divinitatem negabant , ut Photinus ;
quidam autem humanitatem , ut Eunomius ;
quidam utrumque, ut Arrius, qui inæqualem
Patri dicebat Filium . Item , ſecundum Ori-
genem, ſignatur perſecutio quam habitura erat
Eccleſia . Prima fuit a Iudæis , in qua multi
mortui ſunt; ſecunda a gentibus, in qua mul-
ti martyres facti ſunt ; tertia ab hæreticis ,
quæ multos (a) ſeduxit , & aliqui etiam mor-
tui ſunt.

Item notandum, quod inveniuntur quædam
ſcripta, quæ videntur excnſare Petrum , quod
non peccavit mortaliter , quia dicit Bernar-
dus: ,, Sopita fuit in eo caritas , non extin-
,, cta. “ Dicendum , quod mortaliter pecca-
vit , non tamen fuit ex malitia , ſed timore
mortis . Et hoc voluit dicere Bernardus ,
quod ſopita fuit &c.

Et continuo gallus cantavit . Hic agitur de
pœnitentia Petri : & primo ponitur moti-
vum , ſive excitativum ; ſecundo pœnitentia
eius, ibi , *Et egreſſus foras flevit amare*. Tan-
guntur duo, quibus fit excitatio. Primo can-
tus galli : unde : *Et continuo gallus cantavit* .
Per gallum prædicator ſignatur, qui homines
peccatores excitat ad pœnitentiam . Unde
Apoſt. I. Corinth. XV. 34. ,, Evigilate iuſti, &
,, nolite peccare. “ Et ad Epheſ. V. 14. ,, Sur-
,, ge qui dormis , & exurge a mortuis ; &
,, illuminabit te Chriſtus . “ Secundum eſt
memoria Petri : *Et recordatus eſt Petrus verbi
Ieſu quod dixerat &c.* Pſalm. XXI. 28. ,, Remi-
,, niſcentur , & convertentur ad Dominum
,, omnes fines terræ. “ Et hæc duo frequen-
ter accidunt ad vocem prædicatoris : quia
qui oblitus eſt Deum per peccata , ad vocem
prædicatoris revertitur . De illo gallo dici-
tur in Iob XXXVIII. 36. ,, Quis dedit gallo
,, intelligentiam? “ Item Lucas (XXII. 61.)
ponit tertium, quia ,, Dominus reſpexit Pe-
,, trum. “ Apoſtolus ad Rom. III. 24. ,, Iu-
,, ſtificati gratis per gratiam ipſius. “ Thren.
V. 21. ,, Converte nos Domine ad te, & con-
,, vertemur . “ Poſt agitur de pœnitentia Pe-
tri: *Et egreſſus foras flevit amare*. Et eſt pœ-
nitentia commendabilis ex tribus : & primo
quia cito , quia ſtatim egreſſus . Eccli. V. 8.
,, Ne tardes converti ad Dominum . “ Item
prudens , quia declinavit a conſortio eorum
qui induxerant eum ad negandum; ſic & pœ-
nitentes debent occaſionem vitare peccandi .
II. ad Corinth. VI. 17. ,, Exite de medio eo-
,, rum , & ſeparamini , dicit Dominus , &
,, immundum ne tetigeritis; & ego recipiam
,, vos . “ Item quia efficax, & vera. Hier.
VI. 26. ,, Luctum unigeniti fac tibi, planctum
,, amarum. “ Eſa. XXXVIII. 15. ,, Recogitabo
,, tibi omnes annos meos in amaritudine ani-
,, mæ meæ. “

(a) *Al.* induxit.

CAPUT XXVII.

(a) MAne autem facto, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum, & ſeniores populi adverſus Ieſum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccavi, tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Ieſus autem ſtetit ante præſidem; & interrogavit eum præſes, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Ieſus, Tu dicis. Et cum accuſaretur a principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer. Per diem autem ſolemnem conſueverat præſes populo dimittere unum vinctum quem voluiſſet. Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis ut peterent Barrabam, Ieſum vero perderent. Reſpondens autem præſes ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barrabam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Ieſu qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes, Crucifigatur. Ait illis præſes: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum a ſanguine iuſti huius, vos videritis. Et reſpondens univerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Tunc dimiſit illis Barrabam, Ieſum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

(b) Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem; & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem eius. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum: & cum guſtaſſet, noluit bibere. Poſtquam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Et ſedentes ſervabant eum. Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum. Tunc crucifici ſunt cum eo duo latrones, unus a dextris, & unus a ſiniſtris. Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva temet ipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum ſcribis, & ſenioribus dicebant: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum face-

Digitized by Google

facere. Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet nunc eum, ſi vult: dixit enim, Quia Filius Dei ſum. Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt per univerſam terram uſque ad horam nonam: & circa horam nonam clamavit Ieſus voce magna, dicens: Eli, Eli, lammaſabacthani? hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Quidam autem illic ſtantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iſte. Et continuo currens unus ex eis, acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum. Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt. & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem; & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iſte. Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ ſecutæ erant Ieſum a Galilæa miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cum autem ſero factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioſeph involvit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra, & advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contra ſepulcrum. Altera autem die, quæ eſt poſt paraſceven, convenerunt principes ſacerdotum, & phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulcrum uſque in diem tertium, ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis: & erit noviſſimus error peior priore. Ait Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulcrum ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

(a) SUpra Evangeliſta narravit quod paſſus eſt Chriſtus a Iudæis; hic narrat quod paſſus eſt a gentilibus: & quatuor facit. Primo tangit quomodo traditus eſt gentibus; ſecundo quomodo examinatur; tertio quomodo condemnatur; quarto quomodo patitur. Secunda ibi, *Ieſus autem ſtetit ante præſidem &c.* tertia ibi, *Per diem ſolemnem conſueverat præſes &c.* quarta ibi, *Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium &c.* Circa primum duo. Primo narrat de aſſignatione, qua traditus eſt in manibus gentilium; ſecundo de morte, & peccato traditoris, ibi, *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet*. Circa primum tria. Primo motivum aſſignat; ſecundo modum; tertio factum. Cauſa fuit conſilium habitum de morte: & ſecundum hoc tria tangit, ex quibus aggravatur eorum peccatum. Primo ex ſolicitudine; & hoc tangit cum dicit: *Mane autem facto, conſilium inierunt*: quia cum tota nocte ſoliciti eſſent in illuſione, tamen mane convenerunt. Unde bene ſoliciti erant. Iob xxiv. 14. „ Mane primo conſurgit homicida. “ Item aggravatur ex communitate: quia *omnes principes*. Si enim unus, vel duo, excuſabile eſſet; ſed omnes convenerunt. Eſa. 1. 6. „ A planta pedis uſque ad verticem „ non eſt in eo ſanitas. “ Ideo dicit, *Omnes principes*. Ezech. xi. 2. „ Fili hominis, hi ſunt „ viri qui cogitant iniquitatem, & tractant „ conſilium peſſimum. “ Item ex crudelitate: quia multa alia cogitare poterant, ſed cogitabant *quomodo eum morti traderent*. Prov. 1. 16. „ Pedes eorum ad malum currunt, & „ feſtinant ut effundant ſanguinem. “ Sed quomodo? *Vinctum adduxerunt*. Hæc erat conſuetudo quod tales vincti adducerentur, & ſignarentur morti condemnati. Et ſignavit quod ſicut mortem noſtram (*a*) ſua morte deſtruxit, ſic vincula peccatorum vinculis ſuis deſtruxit. *Et tradiderunt Pontio Pilato*. Et quare? Triplex eſt ratio. Una litteralis erat, quia vicarius erat Imperatoris, & Iudæi

(a) *Al. deeſt ſua.*

dæi non habebant iudicium ſanguinis. Propter quod dicunt in Ioan. XVIII. 31. „ Nobis „ non licet interficere quemquam. Item ex intentione ipſorum. Ipſi enim nolebant occulte interficere, ſed manifeſte, ut fama divulgaretur, ſecundum quod habetur Sap. II. 20. „ Morte turpiſſima condemnemus eum. “ Tertia cauſa eſt, quia pro omnibus voluit mori, ideo voluit ut omnes congregarentur tam Iudæi quam Gentiles; ita quod impletum eſt illud Pſal. II. v. „ Aſtiterunt Reges „ terræ, & Principes convenerunt in unum. “ *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet &c.* Hic agitur de pœnitentia, & morte Iudæ. Et circa hoc duo facit. Primo narrat de proditione; ſecundo quid factum ſit de pretio, ibi, *Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt.* Circa primum primo agitur de pœnitentia; ſecundo de deſperatione, ibi, *Et proiectis argenteis in templo, receſſit.* Circa primum tria facit. Primo ponitur motivum; ſecundo pœnitentia; tertio effectus. Motivum: *Tunc videns, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos.* Potuit eſſe quod credidit Iudas quando vendidit eum, quod non occideretur, ſed quod flagellaretur; ideo videns quod damnatus eſſet, pœnituit.

Sed eſt quæſtio quando traditus fuit præſidi, quomodo videre potuit quod eſſet damnatus. Hieronymus dicit, quod hoc vidit oculo mentis, quia ex quo vidit quod a Iudæis damnatus erat, & traditus Pilato, cogitavit quod Pilatus iudicaret ad voluntatem eorum, ſcilicet Iudæorum. Origenes dixit, quod quidam dixerunt: Videns Iudas quod eſſet damnatus, ſcilicet ipſe Iudas, ex iſto motus fuit ad pœnitentiam. Unde *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos.* Et hæc pœnitentia non fuit vera pœnitentia; habuit tamen aliquid pœnitentiæ: quia pœnitentia debet eſſe media inter ſpem & timorem; Iudas autem timorem, & dolorem quidem habuit, quia de peccato præterito doluit; ſed ſpem non habuit. Et talis eſt pœnitentia impiorum. Sapien. V. 3. „ Pœnitentiam agentes, & præ „ anguſtia ſpiritus gementes. “

Et quare ductus pœnitentia? Notandum, quod dicit Origenes quod aliquando accidit quod diabolus impellit hominem ad peccandum, aliquando homo; ſed aliter, & aliter: quia homo ut libidinem compleat, diabolus ut perdat. Et ſi diabolus immiſit, non habuit ex creatione; & ideo pœnitere potuit. Et hoc eſt contra Manichæos, qui dicunt quod duplex eſt creatio, bona, & mala; & qui ſunt de creatione mala, non poſſunt bene agere, & e converſo. Et ſecundum eos Iudas fuit de creatione mala. Quomodo ergo potuit pœnitere? Dicit ergo, quod hoc quod deſperavit, non fuit niſi quia negligens fuit.

Sequitur effectus. Effectus pœnitentiæ eſt ut peccator ſtudeat emendare. Peccaverat, quia vendiderat Chriſtum, fecerat enim quod in ſe erat; ideo *triginta denarios retulit.* Et primo ponitur retractatio; ſecundo pœnitentia, ibi, *Peccavi tradens ſanguinem iuſtum.* *Retulit* ergo *triginta argenteos*; & in hoc retractavit, dicens, *Peccavi*; ideſt, vere deliqui. In hoc autem quod dicit, *Tradens ſanguinem iuſtum*, etſi bene dicit, non complete tamen, quia poteſt retorqueri ad hominem iuſtum. Unde Hier. XXVI. 15. „ Si occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmet- „ ipſos. “ Unde dicit Hieronymus quod ſi rectam fidem habuiſſet, non deſperaſſet: debuit enim dicere, Tradens Deum. In hoc ergo quod dixit, *Tradens ſanguinem iuſtum*, minoravit eius poteſtatem, & oſtendit ſe non habere rectam fidem.

Tunc ponitur Iudæorum obſtinatio: *At illi dixerunt: Quid ad nos?* Iſte iuſtum confitebatur, & tamen dicunt, *Quid ad nos?* Hier. VIII. 7. „ Populus meus non cognovit iudi- „ cium Domini. “ *Tu videris*; ideſt, non ſequimur conſcientiam tuam. Remigius: „ Quid „ ad nos? Tu primo vendidiſti, & poſt iu- „ ſtum confiteris. Quis videris apud nos qui „ ita mutas ſententiam? “ Mutare enim de malo in bonum, bonum eſt; de malo autem in malum, malum. Eccli. XXVII. 12. „ Iuſtus in æ- „ ternum ſtat, ſtultus autem ut luna muta- „ tur. “

Tunc ponitur deſperatio. Deſperatus enim de bonis temporalibus nihil curat; & ſic facit iſte, quia *proiectis argenteis in templo receſſit* (non habuit curam de pecunia) *& abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Unde habetur Act. I. 18. quod ſuſpendit ſe, & crepuit per medium.

Et quare? Dicit Origenes, quod accidit, quia diabolus præcipitat aliquem in peccatum, & licet det ſpatium, tamen vult præcipitare in aliud. Et hoc caveri voluit Apoſtolus, dicens II. Corinth. II. 7. „ Ne forte abundantiore „ triſtitia abſorbeatur qui eiuſmodi eſt. “ Sic Iudas ad tantam abſorptionem venit, quod *abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Pſal. LXVIII. 16. „ Ne- „ que abſorbeat me profundum. “ Origenes narrat opinionem quorumdam dicentium, quod quia Iudas audierat loqui de reſurrectione, ideo credebat Chriſto occurrere, & ideo laqueo ſe ſuſpendit.

Quærit Auguſtinus quando hoc fuit. Quia ſi velimus conſiderare, vix inveniemus tempus ante paſſionem quo iſtud acciderit, quia principes occupati fuerunt tota die circa mortem Chri-

Digitized by Google

Chriſti. Item in ſequenti die ſabbatum fuit, & non recepiſſent ipſo die pecuniam. Ideo videtur Auguſtinus velle, quod iſtud fuit poſt reſurrectionem. Tamen poteſt dici, quod etſi aliqui ad Pilatum acceſſerant, & morti vacabant Chriſti, tamen aliqui in templo remanſerunt, & his tradidit Iudas triginta denarios.

Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt &c. Oſtendit quid fuerit de pecunia Iudæ factum. Et primo dicitur quomodo excluditur a corbona; ſecundo in quid expenſa fuit dicitur. Dicit ergo: *Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam &c.* Notandum, quod in corbonam ponebatur oblatio gratificationis, vel donum gratiæ. Unde quædam erant voluntaria quæ offerebantur, alia ex debito. Voluntaria in corbonam mittebantur, alia vero alibi. Eccli. XXXIV. 23. „ Dona iniquorum non „ probat Altiſſimus. “ *Non licet ergo ponere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt.* Et in hoc verificatur verbum Domini ſupra XXIII. 24. *Tranſglutientes camelum, & excolantes culicem.* Nolebant hanc pecuniam mittere in corbonam, ſed de morte Filii Dei bene tractabant. Tunc narrat quid inde factum eſt. Et dicit primo factum; ſecundo quid inde ſit factum. Dicit: *Conſilio autem inito &c.* Quare hoc fecerunt? Dicendum, quod Deus ſic procuravit ut iſtud factum in memoria haberetur. Unde *emerunt agrum figuli in ſepulturam peregrinorum*, non eorum qui erant de patria, ſed alienorum. Secundum myſterium congruit, quia per ſanguinem Chriſti accelerabatur non ſolum iuſtificatio, ſed quies mortis. Apoc. XIV. 13. „ Amo„ do iam dicit ſpiritus ut requieſcant a labo„ ribus ſuis. “ Vel poteſt eſſe quod peregrini ſunt qui non habent ibi manſionem propriam. Pſal. CXIX. 5. „ Heu mihi, quia inco„ latus meus prolongatus eſt. “ Iſti autem conſepeliuntur Chriſto. Apoſtolus, Rom. VI. 4. „ Conſepulti eſtis Chriſto. “ Ager iſte, ſancta Eccleſia eſt. Unde ſupra XIII. 44. *Simile eſt regnum calorum theſauro abſcondito in agro.* Iſte figulus eſt Chriſtus. Unde dicitur Hier. XVIII. 6. „ Sicut lutum in manu figuli, ſic & vos, „ domus Iſrael, in manu mea. “ Tunc ponitur confirmatio facti; & primo ex nomine: *Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem*; ſcilicet, uſque ad illud tempus in quo ſcriptum eſt iſtud Evangelium. Tunc confirmat ex auctoritate: *Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam.*

Sed eſt quæſtio quare dicit: *Per Hieremiam prophetam dicentem*: quia verba, ſecundum quod ibi iacent, non ſunt ſcripta in tota ſacra Scriptura. Tamen ſimile habetur Zach. XI. 12. „ Appenderunt mercedem meam triginta ar„ genteis. “ Eſt ergo quæſtio quare ponitur per Hieremiam, cum dictum ſit per Zachariam. Auguſtinus dicit, quod alicubi invenitur ſcriptum per Prophetam, & non per Hieremiam; tamen videtur quod ille ſit Hieremias ſicut habetur in littera. Hieronymus tangit ſolutionem quod prophetæ ſcripſerunt aliquos libros qui canonizati ſunt apud Iudæos. Unde aliqui ſunt libri prophetarum qui non ſunt in canone Bibliæ, ſicut Iudas nominat quædam in Canonica ſua, & etiam Apoſtoli omnes iſtos receperunt. Unde dicit, quod quidam attulit ei librum Hieremiæ, ubi iſta verba ſcripta erant verbo ad verbum; & Evangeliſta ſcripſit ſecundum quod in apocrypho invenit. Auguſtinus ſolvit: contingere aliquando quod volens exprimere nomen unius auctoris, occurrit nomen alterius, ideo poteſt eſſe quod cum vellet ſcribere Zachariam ſcriberet Hieremiam. Sed multi erant tunc Iudæi qui legem noverant: quare non correxerunt? Quia cogitaverunt quod divinitus eſſet dictum, quia a Spiritu ſancto omnes prophetæ locuti ſunt, & non habent efficaciam verba prophetæ niſi a Spiritu ſancto; ideo ut inſinuarent hoc myſterium, non correxerunt. Alia ſolutio quam innuit, eſt, quod licet non ſint verba Hieremiæ, tamen eſt ibi quoddam factum ſimile, ut habetur Hier. XXXII. quod recepit mandatum quod emeret agrum. Vel Spiritus ſanctus ſic movit Matthæum ad idem factum, ſicut movit Hieremiam. (a) Sed ſi volumus, poſſumus accipere verba Hieronymi in Libro de optimo genere interpretationis, qui dicit quod Chriſti pediſequus non incurrit aliquam notam falſitatis: officium eſt enim boni interpretis non conſiderare verba, ſed ſenſum. Ideo iſte poſuit ſenſum quorumdam ſcriptorum in Hieremia, quorumdam in Zacharia; ſicut habetur in Marco, quod ponit auctoritatem Eſaiæ, cuius una pars eſt Malachiæ, alia Eſaiæ. Sic & Matthæus coniunxit duas ſententias, quarum una a Zacharia, altera a Hieremia ponitur cap. XXXII. Quod enim eſt in Zacharia (XI. 12.) ſcilicet quod „ appen„ derunt (ideſt acceperunt) triginta argen„ teos: “ in Hieremia non invenitur; ſed quod agrum emit, quod ſignabat factum toti populo. *Sicut conſtituit mihi Dominus.* Hoc expreſſe habetur ex eo quod præcepit Hieremiæ, ubi ſupra, quod agrum emeret. Ideo ſecundum primam partem, in Zacharia habetur;

(a) *Al.* Sed ſi volumus accipere.

Digitized by Google

betur, ſecundum ſecundam in Hieremia.

Ieſus autem ſtetit ante præſidem; & interrogavit eum præſes. Supra enarravit Evangeliſta quomodo Dominus aſſignatus eſt in manu gentium; hic autem agit de examinatione: & circa hoc tria facit. Primo narrat quomodo ante terrenum iudicem ſiſtitur; ſecundo quomodo examinatur; tertio quomodo accuſatur. Dicit ergo: Ita dictum eſt de Iuda, cum tradidiſſet præſidi Ieſum. Ieſus ergo ſtetit ante præſidem, ideſt tamquam reus, & accuſandus. (*a*) Iob xxxvi. 17. „ Cauſa tua quaſi impii iudicata eſt: cauſam, iudiciumque recipies. “ Per hoc enim meruit ut fieret iudex vivorum, & mortuorum. Tunc ſequitur examinatio: & primo ponitur interrogatio; ſecundo reſponſio, ibi, (*b*) *Dicit illi Ieſus*. Pontifices in multis accuſabant eum; ſcilicet de ſubverſione legis, & quia Regem ſe dicebat. Unde Pilatus non curavit quærere de tranſgreſſione legis, ſed potius de eo quod videbatur tangere læſionem maieſtatis; ſcilicet, *Tu es Rex Iudæorum*? quia Ioan. xix. 12. habetur: „ Omnis qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari. “ Tunc ſequitur reſponſio: *Dicit ei Ieſus, Tu dicis*. Dicit Hieronymus, quod Chriſtus ſic moderatur ſermonem ſuum quod non affirmat, nec negat; ſed dicit, *Tu dicis*. Proverb. xvii. 27. „ Qui moderatur ſermones ſuos, prudens eſt. “ (*c*) Item nota, ſecundum Hilarium, quod ſupra xxvi. 63. interrogatus a principe Iudæorum: *Si tu es Chriſtus Filius Dei*; dixit, *Tu dixiſti*; & reſpondit per præteritum: cum autem reſpondit gentili, reſpondit per præſens. Et in hoc ſignificatur quod confeſſio Chriſti a Iudæa eſt de præterito, quia facta eſt per prophetas. Hierem. xxiii. 5. „ Regnabit Rex, & ſapiens erit. “ Sed loquens ad gentilem, dicit, *Tu dicis*, quia gentilitas confitebatur.

Conſequenter agitur de accuſatione: & primo ponitur accuſatio; ſecundo inductio ad reſpondendum, ibi, *Dixit autem Pilatus*. Dicit ergo: *Et cum accuſaretur a principibus ſacerdotum, nihil reſpondit*. Super quibus accuſaretur, tacet Matthæus, ſed Lucas hoc dicit cap. xxiii. Hæc eſt conſuetudo Evangeliſtarum, quia quod unus omittit, alter narrat. Unde ibi dicitur quod ſeduceret turbas &c. & quod prohibebat dari cenſum Cæſari; item Regem ſe diceret. Et hoc eſt falſum ſecundum intentionem ſuam: quia intendebant de regno temporali; ſed ipſe dicit, Ioan. xviii. 36. „ Regnum meum non eſt de hoc mundo. “ Sed Chriſtus nihil reſpondit. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Eſa. liii. 7. „ Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. “ Et cap. xlii. 2. „ Non audietur foris vox eius. “ *Tunc dicit ei Pilatus*. Ex tunc conabatur Pilatus eum liberare; ideo conabatur ut reſponderet: unde dicebat: *Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia*? Et primo ponitur incitatio, *Non audis &c.* Hoc autem dicebat, quia volebat dimittere eum. Ipſi enim qui erant accuſatores, erant teſtes; & ideo noluit reſpondere. Quare autem non reſpondit, poteſt eſſe ratio ex parte Chriſti, quia noluit excuſare paſſionem ſuam: poterat enim eam excuſare loquendo; ideo noluit loqui. „ Oblatus enim eſt, quia voluit: “ Eſai. liii. 7. Item ut daret nobis exemplum, quia cum malediceretur, non maledicebat. Item quia tot ſigna Iudæi viderant quod converti poterant; & ideo reputavit eos indignos. Eccli. xxxii. 6. „ Ubi non eſt auditus, non effundas ſermonem. “

Et notandum, quod in multis loquitur, & in multis ſilet; quia ſi ſemper loqueretur, excuſaret ſe; item ſi ſemper taceret, pertinax videretur. Pilato autem quandoque reſpondet, quandoque non; ſed Iudæis numquam reſpondet: quia Pilatus ignorabat, ideo veritatem aliquando dicebat; ſed Iudæi obſtinati erant.

Tunc ponitur admiratio Pilati: *Ita ut præſes miraretur vehementer*. Et quare miratur? Quia audiebat eum facundiſſimum: & hoc eſt quod dicit David, Pſal. xxxvii. 4. „ Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum; “ ideſt, ac ſi eſſem ignorans.

Et notate quod dicit, *Vehementer*: quod enim aliquis ſapiens nihil reſpondeat, mirum eſt; ſed quod in tali cauſa ubi adiudicatur morti, non reſpondeat, hoc vehementer eſt admirandum. Item quia non videbat eum perterritum: in tali enim caſu ſolent homines etiam perterreri.

Tunc agitur de damnatione: & primo ponitur diverſum ſtudium volentium excuſare ipſum, ſecundo ſtudium volentium condemnare, ibi, *Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis ut peterent Barrabam*; tertio condemnatio, ibi, *Tunc dimiſit illis Barrabam*. Circa primum primo ponitur ſtudium Pilati ad liberandum; ſecundo ſtudium principum ad condemnandum. Circa primum primo ponit quaſdam opportunitates; ſecundo tractat de eius liberatione; tertio dat cauſam. Secunda ibi, *Congregatis ergo illis, dixit*

(a) *Al.* Hier. xxxvi. „ Cauſa autem tua &c. “ (b) Al. *Et interrogavit eum &c.* (c) *Al.* Item ſecundum Hilarium.

xit Pilatus; tertia ibi, *Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum*. In prima ponit duas opportunitates. Dicit ergo: *Per diem autem ſolemnem conſueverat praeſes populo dimittere unum vinctum*. Iſta conſuetudo non erat ex lege Imperatoris, ſed ex voluntate eius, ut redderet populum ſibi magis devotum. Quia in ſolemnitate debebant magis eſſe iucundi, nolebat quod illa die eſſet cauſa triſtitiæ. Sic & Romæ in illo die quo Imperator intrabat, nullus adiudicabatur morti. Item de novo acquiſiverat præfecturam, ideo volebat ſibi eos eſſe devotos. Aliquid tamen ſimile legitur in veteri teſtamento, ſcilicet quod Saul liberavit Ionatham, qui adiudicatus erat morti: I. Reg. XIV. Deinde ponit opportunitatem ex quodam latrone, qui dicebatur Barrabas, qui interpretatur filius patris, ſcilicet diaboli. Ioan. VIII. 44. „ Vos ex patre diabolo eſtis.“ *Congregatis autem illis, dicit Pilatus*: *Quem vultis dimittam vobis*? Hic facit Pilatus contra conſuetudinem Iudæorum: quia non ſolebat eos rogare, ſed ipſi rogabant eum. Sed hoc faciebat, quia quærebat eum dimittere: & videtur inducere, quia videbatur ei quod deberent præeligere Chriſtum quam Barrabam: quia iſte erat reus læſæ maieſtatis, & multis nocuerat. Item ex eo quod Chriſtum nominat, dicens: *An Ieſum, qui dicitur Chriſtus*? Chriſtus enim dicitur unctus: unde Regem appellabat eum, ideo credebat quod Chriſtum deberent accipere. Eccli. XV. 18. „ Ante ho„ minem vita,& mors. “ Sic Pilatus ante eos poſuit bonum, & malum; & ipſi acceperunt malum, ideo eos ſemper ſequitur malum. Deinde ponit cauſam: *Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum*. Ex quo ſciebat? Audierat enim multa bona de eo, & videbat eum conſtantem: unde *ſciebat quod per invidiam tradidiſſent eum*. Sicut enim invidia diaboli fuit inimica primo homini, ſic debuit eſſe invidia iſtorum inimica Chriſto. Sic enim Ioſeph ex invidia traditus eſt a fratribus: Geneſ. XXXII.

Sedente autem eo pro tribunali, miſit ad eum uxor eius. Supra poſuit Evangeliſta unam cauſam quare Pilatus nitebatur dimittere eum; hic autem ponit aliam cauſam, ſcilicet admonitionem uxoris: & primo ponitur admonitio; ſecundo cauſa admonitionis, ibi, *Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*. *Sedente autem eo pro tribunali*. Sicut dicit quædam Gloſſa, tribunal eſt ſedes iudicum. Proverb. XX. 8. „ Rex qui ſedet in ſolio iudicii, „ diſſipat omne malum intuitu ſuo. “ Cathedra proprie doctorum. Supra XXIII. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & phariſæi*. Et dicitur a tribunis, quia primo tribuni electi ſunt a Romanis ad facienda iudicia. Et dicit, *Pro tribunali*; & eſt iſte modus loquendi Græcus. Aliquando enim *pro* accipitur pro ante; ſicut, exercitus eſt pro caſtris, ideſt ante caſtra. Aliquando pro in: unde *pro tribunali*, ideſt in tribunali. *Miſit ad eum uxor eius dicens*. Erat iſta mulier gentilis, & ſignat Eccleſiam gentilium, quæ ſuſcepit Chriſtum, ut I. ad Corinth. I. *Nihil tibi, & iuſto illi*; ideſt, non pertinet ad te iudicare, immo ipſe debet eſſe iudex tuus. Act. X. 42. „ Qui conſtitutus „ eſt iudex vivorum, & mortuorum. “ *Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*. Hic ponitur cauſa; & eſt modus loquendi talis: quando enim abſtrahitur quis a ſenſibus, aliqua ſecundum imaginationem apparent; & conſuetum eſt quod viſio refertur ad id quod apparet, cum ſit alienatio a ſenſibus. Hoc autem fit aliquando in vigilia, aliquando in ſomno. Quando in vigilia, viſio dicitur: unde Num. VI. 20. dicitur: „ Si quis fuerit in„ ter vos propheta Domini, in viſione appa„ rebo ei, vel per ſomnum loquar ad illum. “ Hic autem ponitur propheta pro utroque.

Notandum, quod huius cauſa quandoque corporalis intrinſeca eſt, ut quando ſuperabundat ſanguis, fit apparitio corporum rubeorum, & ſic de aliis. Aliquando ex cauſa extrinſeca, ut ex frigore ſomniat aliquis quod ſit in nive. Aliquando autem fit a cauſa ſpirituali: & hoc vel a Deo per bonum Angelum, & de hoc Iob XXXIII. 15. „ Per ſomnium in viſio„ ne nocturna aperit aures virorum. “ Et hæc vera ſunt, & veritatem habentia: non tamen multum debet confidere. Eccli. XXXIV. 7. „ Ne dederis in illis cor tuum: multos „ enim errare fecerunt ſomnia. “ Aliquando fiunt a dæmonibus, qui poſſunt imprimere in phantaſiam, quia eſt virtus corporalis: unde divinationes, & huiuſmodi prohibentur in lege. Deuteron. XVIII. 10. „ Non inveniatur „ in te qui ſomnia obſervet, vel auguria „ &c. “

De hac viſione poſſumus dicere quod facta eſt a Deo per bonos Angelos; vel a diabolo, quia erat ad impediendum paſſionem: quia in paſſione erat peccatum occiſionis, & ſic fiebat per Angelos bonos; ſed ex paſſione ſequitur fructus, ideo diabolus iam percipiens eum eſſe Deum, & timens per paſſionem poteſtatem amittere, ſicut in mente Iudæ poſuerat ut eum traderet, ſic & modo voluit impedire, non quia vellet impedire peccatum, ſed potius paſſionis fructum.

Tunc ponit ſtudium Iudæorum volentium occidere Chriſtum: *Principes autem ſacerdotum*, (a) *& ſeniores perſuaſerunt populis ut peterent* Bar-

(a) Al. *& ſeniores populi &c.*

Barrabam. In utroque enim ſe oſtendunt abominabiles, quia principes, qui alios corrigere deberent. Prover. XVII. 15. „ Qui iuſtificat „ impium, abominabilis eſt. “ Similiter eo quod ſeniores. Dan. XIII. 5. „ Egreſſa eſt „ iniquitas a ſenioribus populi. “

Reſpondens autem præſes ait illis. Hic ponit conatum quo conabatur Pilatus dimittere eum: & primo oſtendit quibus verbis egerit ad liberationem; ſecundo quibus factis, ibi, *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret*. Tribus modis eſt conatus liberare eum. Primo ex comparatione; ſecundo ex dignitate; tertio ex innocentia. Ex comparatione, quia comparavit eum malo actori, reſpondens ſcilicet petitioni populi, vel iſtis principibus qui inſtigabant eum: *Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barrabam*. Quod & populo improperat Petrus, Actor. III. 13. dicens de Chriſto: „ Quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem ſanctum, „ & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis &c. “ Dicit ergo Pilatus: *Quid ergo faciam de Ieſu qui dicitur Chriſtus*? Hic allegat dignitatem. *Quid faciam de Ieſu*; quaſi dicat: Iniurioſum erit vobis ſi illum occidatis, *qui dicitur Chriſtus*. Sed iſti vereri non potuerunt; immo dicunt omnes, *Crucifigatur*: hæc enim erat mors turpiſſima. Ideo completur quod dicitur Sap. II. 20. „ Morte turpiſſima condemnemus eum. “ Eſa. III. 8. „ Lingua eorum, & adinventiones eorum contra Dominum. “ *Ait illis præſes*: *Quid enim mali fecit*? Hic allegat innocentiam eius, intendens eum liberare, quaſi utens illo quod dicitur Hier. II. 5. „ Quid invenerunt patres veſtri in me iniquitatis? “ Et Ioan. VIII. 46. „ Quis ex vobis arguet me „ de peccato? “ *At illi magis clamabant, Crucifigatur*. Unde flecti non poterant, ſecundum Hier. VIII. 5. „ Apprehenderunt mendacium, „ & noluerunt reverti. “ Unde pertinaces erant in malitia.

Videns autem Pilatus quod nihil proficeret. Hic intendit liberationem eius per factum: & primo ponitur factum; ſecundo populi obligatio ad pœnam. Dicit: *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret*. Per hoc dat intelligere quod multa alia dixerat, & quod nihil proficiebat. *Accepta autem aqua lavit manus ſuas*. Hæc erat conſuetudo quod quando quis volebat ſe oſtendere innocentem, lavabat manus; ſic & iſte: unde dixit: *Ego innocens ſum a ſanguine iuſti huius &c.* Secundum hunc modum habetur in Pſal. XXV. 6. „ Lavabo inter innocentes „ manus meas. “ Et vere ipſe fuiſſet innocens, ſi in ſua ſententia permanſiſſet, unde vocat eum iuſtum. *Vos videritis*, ideſt quid vobis accidere debeat. Unde Ioan. XVIII. 31. dicitur: „ Accipite eum vos, & ſecundum „ legem veſtram iudicate eum. “ Tunc ſequitur obligatio ad pœnam: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Et ita fiet quod ſanguis Chriſti expetitur ab eis uſque hodie: & bene convenit illis quod dictum eſt Gen. IV. 10. „ Sanguis fratris tui Abel clamat ad me „ de terra. “ Sed ſanguis Chriſti efficacior eſt quam ſanguis Abel. Apoſtolus Ad Hebr. XII. 24. „ Habemus ſanguinem (*a*) melius clamantem quam ſanguis Abel. “ Hier. XXVI. 15. „ Verumtamen ſi occideritis me, ſanguinem „ innocentem tradetis contra voſmetipſos. “ *Tunc dimiſit Barrabam*. *Dimiſit*, ideſt abſolvit a ſententia mortis. *Ieſum vero flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur*. Et quare flagellatum? Hieronymus dicit, quia conſuetudo erat Romanorum quod adiudicatus morti primo flagellabatur. Et ſicut dicitur Ioan. XIX. ipſe flagellavit: unde completur in eo quod habetur in Pſal. XXXVII. 18. „ Ego autem in „ flagella paratus ſum. “ Quidam dicunt quod flagellavit ut moverentur ad pietatem, & ſic flagellatum dimitterent.

(b) Poſtquam habitum eſt de condemnatione, hic agitur de paſſione, & morte; ſecundo de ſepultura, ibi, *Cum ſero autem factum eſſet &c.* Circa primum duo facit: quia primo narrat quæ indigne pertulit; ſecundo quæ magnifice fecit, ibi, *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt*. Prima pars in tres. In prima agit de illuſione militum; ſecundo de crucifixione; tertio de crucifixi deriſione per Iudæos facta. Secunda ibi, *Et poſtquam illuſerunt ei*; tertia ibi, *Prætereuntes autem blaſphemabant eum*. Circa primum primo deſcribuntur illuſores; ſecundo illuſio. Dicit ergo: *Milites congregaverunt univerſam cohortem*. Cohors ſocietas militum dicitur: & quilibet qui habebat iudiciariam poteſtatem, habebat cohortem militum ad exercendum iudicium. Prætorium dicitur eſſe locus, ubi exercebantur iudicia: unde congregati ſunt ad eum & Gentiles, & Iudæi, ut nulli eſſent immunes: quia omnes debebat redimere. Ideo competit quod habetur Rom. XI. 32. „ Concluſit Deus omnia „ in incredulitate, ut omnium miſereatur. “ Et in Pſal. CXVII. 10. „ Circuierunt me ſicut apes. “ *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei*. Hic deſcribitur illuſio: & primo quo ad habitum; ſecundo quantum ad honorem; tertio quantum ad opprobrium. Se-

(a) *Al.* magis.

Digitized by Google

cuoda ibi, *Et genu flexo ante eum, illudebant ei*; tertia ibi, *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaum, nomine Simonem &c.*

Notandum, quod licet accuſaſſeot eum de multis, tamen non propter aliud patiebatur, niſi quia Regem ſe dicebat, ſicut habetur Ioan. XIX. 12. „ Si eum dimittis, noo es ami-„ cus Cæſaris. " Unde ex hac cauſa magis timuit. Ideo volentes illudere imponunt ei ſigna Regis. Conſuetudo eoim eſt quod Reges purpura induaotur, & iſti loco huius, veſte coccioea eum induerunt. Item ſolent habere coronam; & loco huius fecerunt coronam ſpineam. Item ſolent habere ſceptrum; & loco huius dederuot ei baculum arundineum. Dicit ergo: *Et chlamydem coccineam circumdederunt ei*, ideſt rubeam.

Sed quid eſt quod Marcus dicit cap. XV. 17. quod „ eum purpura induerunt? " Auguſtinus ſolvit, quod hoc dixit propter ſimilitudinem coloris. Vel poteſt dici quod quamvis eſſet coccinea, tameo habebat aliquid de purpura.

Per hoc quod propriis veſtibus exuitur, & alienis induitur, reprehenduntur hæretici qui dixerunt eum non eſſe verum hominem. Iſta chlamys poteſt ſignare carnem Chriſti ſanguine proprio cruentatam. „ Ipſe eoim vulnera-„ tus eſt propter iniquitates noſtras, attritus „ eſt propter ſcelera noſtra: " Eſa. LIII. 5. Vel ſignat ſanguinem martyrum, qui laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni: vel peccatum gentilium. *Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius*. Unde pro corona gloriæ impoſuerunt ei coronam contumeliæ. Eſa. XXIII. 18. „ Coronate eum corona tribulatio-„ ois. " Per iſtas ſpinas ſignantur aculei peccatorum, qoibus conſcienria vulnerarur: & iſtas Chriſtus accepit pro nobis, quia pro peccatis noſtris mortuus eſt. Vel poteſt referri ad maledictum Adæ, ubi dictum eſt (Geo. III. 18.) „ Spinas & tribulos germinabit ti-„ bi. " Unde ſignatum eſt quod ſolvebatur iſta maledictio. Et loco ſceptri *arundinem in dextera eius*. Et ſignatur poteſtas dæmonum, ſecuodum Origeom, quam Chriſtus de manibus eorum eripuit. IV. Reg. XVIII. 21. „ Non „ confidas in baculo arundineo. " Poteſt enim ſignari inanitas gentilium, quam ſibi tamen Chriſtus aſſumpſit. Pſal. II. 8. „ Poſtula a „ me, & dabo ribi gentes hereditatem tuam. " Et bene comparaotur aruodioi, quia ſicut arundo fertur in omnem ventum, ſic gentilitas in omnem errorem. Item arundine utebatur ad ſcribendum: item ad venenoſa occidendum. Sic Chriſtus fideles ad ſe trahit, & aſcribit, ſed perſecutores ad mortem.

Tunc agitur de illuſorio honore, & iſtum exhibebant facto: uode dicitur: *Et genu flexo ante eum, illudebant ei*. Et licet hoc fecerint illudendo, tamen ſignabat quod omne genu ante eum flecti debebat. Phili. II. 10. „ In „ nomine Ieſu omne genu flectatur. " Unde illudebant verbo, dicentes ei: *Ave Rex Iudæorum*. Et ſignantur per iſtos illi qui „ voce „ confitentur ſe noſſe Deum, factis autem „ oegant: " ad Tit. I. 16. Item varias contumelias intulerunt, quia ioſpuerunt io faciem eios. Eſai. L. 6. „ Faciem meam oon aver-„ ti a conſpuentibus in me. " Item *percutiebant caput eius*, tamquam ſtultus eſſet. Et qui ſunt illi qui caput Chriſti percutiunt? Caput Chriſti eſt Deus, ut babetur I. Cor. XI. Illi ergo caput Chriſti percutiunt, qui divinitatem Chriſti blaſphemaot. Per arundioem ſacra Scriptura ſignatur. Tales errorem ſuum per ſacram Scripturam confirmant.

Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaum, nomine Simonem. Poſt illuſionem agitur de crucifixione. Et circa hoc duo facit. Primo determinat de loco crucifixionis; ſecundo de habitu, & de his quæ in eo loco ſunt acta. Et primo narrat quomodo Chriſtus ductus eſt ad locum; ſecundo quomodo crux eſt delata; tertio quomodo pervenerunt ad paſſionem. *Et poſtquam illuſerunt*, (a) *exuerunt*, ſcilicet chlamydem quam ei induerant.

Notate, quod illuditur In veſte aliena, ſed ducitur in propria; per quod ſignatur, quod non erat ei proprium illudi, ſed occidi: quia ut habetur ad Philip. II. 8. „ Humiliavit ſe-„ metipſum, factus obedieos uſque ad mor-„ tem. " Ibi enim apparuit virtus. Pſal. CXVII. 16. „ Dextera Domini fecit virtutem. " Eſa. LIII. 7. „ Quaſi ovis ad occiſiooem doce-„ tur. "

Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaum. Hic agitur de delatione crucis. Et per hoc ſignatur quod nnluit pati in civitate, ſed extra. Et ratio aſſignatur ad Hebr. ult. 12. ubi dicitur: „ Propter quod ut Ieſus ſanctificaret „ per ſuum ſanguinem populum, extra por-„ tam paſſus eſt. " Competit etiam figuræ: quia, ſicut habetur Levit. XVI. qnod hircus, qui pro peccato debuit immolari, extra caſtra mittebatur; ſic & Chriſtus, qnia erat hoſtia populi. Item ad noſtram ædificatiooem, ut det nobis intelligere quod exire debemus ad eum extra converſationem ooſtram. Ad Hebr. nlt. 13. „ Exeamus ergo ad eum ex-„ tra caſtra, improperium eius portantes. "

Aaa 2 Item

(a) Al. *exuentes*.

Digitized by Google

Item paſſus eſt extra portam, ut virtus paſſionis non includeretur ad unam gentem. Ioan. xi. mortuus eſt ut omnes gentes congregaret in unum.

Hunc angariaverunt ut tolleret crucem. Hic videtur diſcordia: quia Ioan. xix. 17. habetur quod „ exivit baiulans ſibi crucem. " Hic eſt quædam ſolutio ſecundum Hieronymum, quod primo portavit, ſed poſt incedentes obviaverunt Simoni, & angariaverunt &c. Origenes dicit, quod e converſo fuit, quod Simon primo portavit, & poſt Chriſtus. Et ratio eſt myſtica, quare primo tulit crucem. Unde ſupra xvi. 24. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me &c.* Et notandum quod iſte Simon extraneus erat; & ſignat gentilem populum, qui crucem Domini tulit. I. Corinth. i. 18. „ Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia, his autem qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt. " Et Simon dicitur obediens; & gentilis populus obedivit. Pſal. xvii. 45. „ Populus quem non cognovi, ſervivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. " Et veniebat de villa. Villa Latine, pagos dicitur Græce. Unde ille de villa venit qui de paganiſmo venit. Convenit & quod dicit Cyrenæum, quod interpretatur hereditas pretii. Pſal. ii. 8. „ Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. " Et quod dicit quod coegerunt eum, ſignat illos qui exterius crucem ferunt; interius autem coacte ferunt: quia non propter Deum, ſed propter mundum. Ad Gal. v. 24. „ Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. "

Conſequenter ponitur locus: *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt calvariæ locus*. Calvaria dicitur apud homines denudatum, ſicut patet in cæmiteriis: unde dicitur in Græco κρανίος. Et dicunt aliqui quod in illo loco ſepultus fuit Adam. Hieronymus iſtud improbat, quia ſepultus fuit in Hebron, ut habetur in Ioſue xiv.

Et quare ibi paſſus eſt? Notandum, quod in qualibet civitate eſt aliquis locus ubi ſolent damnati cruciari: unde ibi erat locus damnatorum.

Tunc narratur quid actum eſt in ſua crucifixione: & (a) primo ponitur potatio eius; ſecundo crucifixio; tertio alia quæ facta ſunt. Et circa primum primo ponitur quid ſit oblatum; ſecundo quomodo ſe habuit ad oblatum. Dicit ergo: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*. Voluerunt quod omnes ſenſus eius paterentur. Viſus paſſus eſt per ſputa, & vigilias; auditus per blaſphemias, & verba irriſoria; tactus, quia flagellatus: ideo voluerunt quod & guſtus pateretur. Et completum eſt quod in Pſal. lxviii. 22. dicitur: „ Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. " Et Hier. ii. 21. „ Quomodo converſa (b) es in pravum, vinea aliena? "

Sed eſt quæſtio: quia in Marc. cap. xv. habetur quod dederunt ei vinum myrrhatum. Dicendum, quod myrrha amariſſima eſt, & vinum felle mixtum (c) eſt amarum. Sed conſuetudo eſt omne amarum nominari ſub ſpecie fellis. Unde ſecundum veritatem vinum erat myrrhatum, ſed tamen ad ſimilitudinem fellis dicitur. Et per hoc ſignificabatur quod amaritudinem peccatorum noſtrorum tulit.

Poſtea ponitur quo modo ſe habuit: quia *cum guſtaſset noluit bibere*.

Sed quid eſt quod dicit Marcus quod accepit, hic autem dicit quod guſtavit? Poteſt dici, quod non accepit niſi ad guſtandum; & hoc ſignat, quia guſtavit mortem: quia enim cito ſurrexit, vix viſus eſt mortuus, quia fuit „ inter mortuos liber, " Pſal. lxxxvii. 6.

Poſtquam autem crucifixerunt eum &c. Sed poteſt quæri quare magis iſta morte voluit mori. Una ratio eſt ex parte crucifigentium: quia volebant quod per hoc infamaretur, ſecundum illud Sap. ii. 20. „ Morte turpiſſima condemnemus eum. " Et hæc eſt crucis. Item ex parte ordinationis Dei: quia Chriſtus voluit eſſe noſter magiſter, ut daret nobis exemplum patiendi mortem: unde paſſus eſt mortem ut per mortem liberaret nos, ut habetur ad Hebr. ii. Sed multi ſunt qui bene volunt pati mortem, ſed mortem abiectam refugiunt; ideo Dominus dedit exemplum ne quodlibet genus mortis refugerent. Item competebat redemptioni, quia ad ſatisfactionem pro peccato primi hominis; ſed primus homo peccavit in ligno; ideo Dominus in ligno pati voluit. Sapien. xiv. 7. „ Benedictum lignum, per quod fit iuſtitia. " Item Chriſtus exaltandus erat per paſſionem; ideo exaltari voluit per paſſionem in cruce. Item volebat corda noſtra trahere ad ſe. Ioan. xii. 32. „ Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. " Item ut corda noſtra elevarentur.

Diviſerunt ſibi veſtimenta ſua. Hic ponuntur quæ facta ſunt in contumeliam crucifixi: & primo ponitur diviſio veſtimenti; ſecundo ſuperpoſitio tituli; tertio aſſociatio. Circa primum primo ponit factum; ſecundo prophetiam. Dicit ergo, *Diviſerunt*. Chryſoſtomus dicit,

(a) *Al.* deeſt primo. (b) *Al.* eſt. (c) *Al.* omittitur eſt.

Digitized by Google

dicit, quod hoc factum fuit in magnum vituperium. Conſuetudo (a) enim erat quod condemnatus non denudabatur niſi viliſſimus homo, ideo ut magnam contumeliam inferrent ei, denudaverunt ipſum, ut inſtruamur quod nos ab omni affectu actuum carnalium debemus nos denudare. Quando hoc factum ſit, Matthæus tranſit, ſed Ioannes narrat cap. xix. quod quilibet miles accepit partem ſuam de alia veſte; ſed ſuper tunica inconſutili miſerunt ſortem. Tunc ponitur prophetia: *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam*. Ly *ut* non ponitur cauſative, ſed conſecutive: quia Chriſto patiente accidit impleri iſtud quod dictum erat. *Et ſedentes ſervabant eum &c.* ut ſcilicet non ſepeliretur. Pſal. xxi. 19. „ Ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt „ me. “

Tunc ſequitur titulus: *Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam &c.* Et attendendum, quod illud quod ad ignominiam fecerunt ex ordinatione, ceſſit ad honorem eius. Unde *impoſuerunt cauſam ipſius*, ideſt cauſam pro qua patiebatur. Apoc. xix. 16. habetur ſcriptum: „Rex Regum, & Domi„ nus dominantium. “ Quod ergo dicit, *Rex Iudæorum*, hoc pertinet ad honorem, quia futurus erat Rex ſuper omnes gentes. Pſalm. ii. 6. „ Ego autem conſtitutus ſum Rex ab „ eo ſuper Sion montem ſanctum eius. “

Tunc ponitur ſocietas: *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones*. Hæc fuit ſocietas, quia in medio duorum latronum, ut malefactor. Unde Eſa. liii. 12. „ Et cum iniquis deputa„ tus eſt. “ Sed *unus a dextris, alter a ſiniſtris*. Crucem accepit ut iudex: ſicut enim in iudicio quidam a dextris, quidam a ſiniſtris; ſic hic. Unde per hoc ſignatur iudex vivorum, & mortuorum. Ad Phil. ii. 9. „ Pro„ pter quod exaltavit illum Deus, & dedit „ illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, „ ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, „ cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. “ Iob xxxvi. 17. „ Cauſa tua quaſi impii iudi„ cata eſt: cauſam iudiciumque recipies. “ Item per hoc quod unus a dextris, alius a ſiniſtris, ſignatur quod pro omnibus Chriſtus paſſus eſt; ſed tamen aliqui credunt, aliqui non. I. ad Corinth. i. 23. „Nos autem prædi„ camus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem „ ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. “ Vel poteſt dici quod quidam crucem patiuntur propter Deum, & hi a dextris; quidam autem non propter Deum, ſed propter mundum, & hi a ſiniſtris.

Tunc agitur de illuſione crucifixi: *Prætereuntes autem blaſphemabant eum*: & primo agitur de ea quæ a populo; ſecundo de ea quæ a principibus; tertio de illa quæ a latronibus. Circa primum primo deſcribit blaſphemos; ſecundo blaſphemias. Primo ergo deſcribit quia *prætereuntes*, ideſt præter viam euntes. De talibus dicitur Eſa. xxx. 11. „De„ clinate a me ſemitam, ceſſet a facie (b) „ noſtra Sanctus Iſrael. “Item deſcribuntur, quia *movebant capita*: & hoc faciebant ad deluſionem. Per caput ſignificatur ratio, per pedes affectus: unde primo moverunt affectus ad malum, poſt movent capita, quia infatuantur in peccatis. In tribus irrident eum. Primo in verbis; ſecundo de operibus quæ fecit; tertio de dignitate quam ſibi appropriavit. De primo dicit: *Vah qui deſtruis templum Dei &c.* Vah eſt interiectio deriſionis. Iam enim erat divulgatum, & non volebant credere: unde de his dicitur Hier. viii. 5. Ap„ prehenderunt mendacium, & noluerunt „ reverti. “ Quaſi dicerent: Si vis reædificare templum, reædifica te. Sed non poterat reædificare, niſi primo ſolveretur; ideo primo voluit quod ſolveretur, quia de templo corporis ſui hoc dixerat. Deinde ex opere: *Salva teipſum*; quaſi dicerent: Salvaſti alios, ſalva te. Sed non vere ſalvaſti alios, nec poteris te ſalvare. Item ex dignitate, quia *ſi Filius Dei es, deſcende nunc de cruce*. Hæc conditionalis non eſt bona; immo potius, ſi Filius Dei eſt, debet eſſe obediens Patri. „ Ipſe enim factus eſt obediens uſque ad mor„ tem: “ Phil. ii. 8. Item potius deberent dicere: Si Filius Dei es, aſcende, & non deſcende. Ioan. iii. 13. „ Nemo aſcendit in „ cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius ho„ minis qui eſt in cælo. “ Utuntur eodem verbo quo diabolus uſus eſt tentans eum (ſupra iv. 6.) *Si Filius Dei es, mitte te deorſum*. Non eſt enim Filii Dei deſcendere. Unde perſuaſione diaboli loquebantur, volentes impedire paſſionem eius.

Tunc ſequitur de illuſione principum: *Similiter & principes ſacerdotum illudentes &c.* Unde non ſolum populus, ſed principes illudebant ei. Aliquis non facit vim ſi a minimis condemnatur, ſed deriſionem maiorum tolerare non poteſt: naturaliter enim homo appetit honorari; honor autem fit in teſtimonium virtutis: unde deluſio fit propter opprobrium. Et deſcribuntur iſti ex auctoritate, quia principes; item ex doctrina, quia ſcribæ; item ex vita, quia phariſæi, qui præeminebant in vita. Hier. v. 5. „ Ibo ad „ optimates, & loquar eis: ipſi enim cogno„ ve-

(a) *Al. deeſt* enim. (b) *Al.* veſtra.

„ verunt viam Domini, & iudicium Dei ſui. „ Et ecce magis hi ſimul confregerunt iu„ gum, ruperunt vincula. “ Et tria dicunt. Primo improperant miracula quæ fecit; ſecundo regiam dignitatem; tertio quod Filium Dei ſe fecit. Quantum ad primum dicunt: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere*. Volebant dicere: Si alios ſalvos fecit, ſe poterit ſalvare; ſed ſe non poteſt: ergo nec alios ſalvos fecit. Sed nos e contrario debemus arguere: Alios ſalvos fecit, ergo ſe ſalvare poteſt; ſed ſe potuit ſalvare reſurgendo: ergo & nos poterit ſalvare. Ad Hebr. v. 9. „ Factus eſt omnibus obtemperan„ tibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. “ Unde iſti non intendebant niſi ſalutem temporalem; Chriſtus autem voluit oſtendere quod ſalus æterna præponenda eſt: unde dicunt: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce*. Hic improperant regiam dignitatem, & faciunt falſam promiſſionem, & faciunt malam conſequentiam: quia ſi Rex Iſrael eſt, non debet deſcendere, quia per crucem debet aſcendere. Pſalm. xcv. 10. „ Dominus regnavit a li„ gno. “ Et in Eſai. ix. 6. „ Factus eſt prin„ cipatus (ideſt crux) ſuper humerum „ eius. “ Item facit quod maius eſt, quia ſurrexit de ſepulcro, & tamen non crediderunt: unde mendaces erant. Hierem. xxiii. 16. „ Nolite audire verba prophetarum, qui „ prophetant vobis, & decipiunt vos: “ & ſequitur: „ viſionem enim cordis ſui loquun„ tur vobis. “ Item improperant quod dixit ſe Filium Dei: *Confidit in Deo, liberet eum, ſi vult*. Pſalm. xxi. 9. „ Speravit in Domino; „ eripiat eum, ſalvum faciat eum, quoniam „ vult eum. “ Poterat liberare, ſi vellet, ſed nolebat: quia volebat eum ad tempus morti exponere, ut nobis ſalutem procuraret, & ſibi honorem. Unde impletum fuit quod dicitur in Hierem. cap. xv. 10. „ Omnes „ maledicunt mihi. “

Idipſum autem & latrones improperabant ei. Sed quid eſt quod dicitur hic quod ambo improperant ei? In Luca autem xxiii. quod unus ſolus? Solvit Auguſtinus: quod aliquando conſuetudo eſt in Scriptura quod plurale ponitur pro ſingulari, ut in Heb. 11. 33. „ Obturaverunt ora leonum; “ ideſt, obturavit, ſcilicet Daniel: & eſt loquendi modus, ſicut dicitur, Iſti ruſtici mihi ſunt infeſti; etiam ſi unus ſolus ſic infeſtet eum. Sic Matthæus loquitur. Vel aliter, ſecundum Hieronymum, quod a principio ambo improperaverunt ei; ſed unus videns miracula quæ faciebat, pœnituit. Et hoc, ut dicit Chryſoſtomus, divina diſpenſatione factum eſt: unde ſignificantur illi qui poſt multa ſcelera ad Chriſtum revertuntur.

A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt per univerſam terram. Supra narravit Evangeliſta quomodo Dominus paſſus eſt in cruce; hic quomodo operatus eſt magnifica: & primo ponit quæ operatus eſt ante mortem; ſecundo quæ poſt mortem, ibi, *Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum*. Circa primum duo facit. Primo narrat obtenebrationem accidentem; ſecundo clamorem, ibi, *Et circa horam nonam clamavit Ieſus*. Dicit ergo: *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt per univerſam terram*. Sicut narrat Origenes, gentiles audientes Evangeliſtam hoc narrantem pro miraculo, deridebant eum, & dicebant hoc factum fuiſſe naturaliter: ideo credebant quod ut ignorans diceret, cum ſol naturaliter pateretur: Sed non fuit hæc eclypſis naturalis, ſed miraculoſa. Sed ſi vultis videre, audite quod Dionyſius dicit, qui erat vigintiquinque annorum, & ſtudebat in aſtris in civitate Heliopolis. Et dum viderent, admirati ſunt ipſe, & Apollonius; & videbatur eis quod non erat naturalis; & conſideraverunt (a) quatuor miracula. Primum ex tempore, quia cum eſſet dies qua paſcha debebat fieri, luna erat quintadecima, ubi luna eſt in oppoſitione ad ſolem; ſed naturalis eclypſis fit ex coniunctione lunæ ad ſolem. Secundum miraculum fuit quod quando ſol in occidente eſt, luna debet eſſe in oriente; ſed hic mutatus eſt curſus lunæ. Item tertium ſignum eſt quod ſemper obſcuratio incipit a parte occidentis, quia omnes planetæ habent duplicem motum, proprium, & communem. Luna quo ad proprium motum velocior eſt, & cum venit ad corpus ſolis, venit ab occidente; ſed ſic non fuit hic, quia ab oriente venit. Quartum miraculum fuit quod ab eadem parte incipit obſcuratio, & redit illuminatio; ſed hoc tunc non fuit, quia illam partem quam primo occupavit, ultimo (b) dimiſit; quia luna ab oriente venit uſque ad corpus ſolis, & tunc retroceſſit, unde illa pars primo fuit illuminata. Et ideo iſta conſiderans, in adventu Pauli ſe convertit, & poſt convertit ſocium ſuum. Quintum miraculum, quod eſt maius, ut dicit, eſt quod quando naturalis eclypſis eſt, parum durat: non enim ſol patitur, ſed fit obſcuratio per interpoſitionem lunæ; ſed corpus lunæ non eſt maius quam ſolis; ideo moram non habet: ſed iſtud duravit tribus horis, ideo magnum fuit miraculum.

Sed

(a) *Forte* quinque. (b) *Al.* diviſit.

Sed quærit Origenes: Si iſtud fuit ita magnum miraculum, quare aliquis aſtrologorum non deſcripſit? Reſpondit, & dixit, quod iſta obſcuratio non fuit univerſalis, ſed circa terram Iudææ. (*a*) Vel dicitur, quod *ſuper univerſam terram*, ſcilicet Iudæam. Similis modus loquendi eſt, cum dicitur: Non eſt gens, aut regnum &c. intelligendum enim de illa gente; ſic & hic. Chryſoſtomus vero dicit, quod intelligitur *ſuper univerſam terram*, ideſt ſuper totum mundum, quia moriebatur pro univerſo mundo: ideo voluit per ſignum paſſionis omnibus innoteſcere. Sed Dionyſius dicit, quod erat in AEgypto, & ipſe vidit, & ſic poterat intelligere quod durabat uſque in Aſiam: unde magis eſt ei credendum. Narrat quidam aſtronomus de quadam eclypſi quæ facta fuit tempore Tiberii; ſed non dicit quando, vel quantum duravit, vel quomodo: tamen poteſt dici, quod quia tunc non erat tempus eclypſis, non perpenderunt modum. Unde aliqui dixerunt, quod nubes multæ interpoſitæ fuerunt inter nos & ſolem; aliqui autem dixerunt, quod ſol retraxit radios ſuos: unde Amos VIII. 9. „ Occidit eis ſol in meridie. "

Sed eſt quæſtio: quia hic dicitur quod crucifixus eſt hora ſexta; Marcus vero dicit hora tertia, cap. XV. Dicendum, quod Matthæus hiſtoriam narrat, quod crucifixus eſt hora ſexta, & mortuus eſt hora nona: & hoc myſterio competit, quia ſol in meridie eſt in medio cæli; ideo competit Filio Dei, qui eſt verus ſol. Malach. IV. 2. „ Vobis timentibus nomen Dei, orietur ſol iuſtitiæ. " Item competit tranſgreſſioni primi hominis: quia Adam poſt meridiem peccavit, Gen. III. ideo Chriſtus ſatisfacere voluit illa hora.

Quare ergo dicit Marcus quod hora tertia? Dicendum, quod crucifixus fuit hora tertia lingua Iudæorum, ſed hora ſexta manibus militum. Item tribus horis fuerunt tenebræ; & fuit figuratum per id quod ſcribitur Exod. X. 22. quod „ Moyſes tribus horis „ extendit manus ſuas in cælum, & factæ ſunt „ tenebrę tribus diebus in uuiverſa terra AEgy„ pti. " Sic Chriſtus in cruce expandit manus ſuas, & factæ ſunt tenebræ tribus horis, ad ſignandum quod privati erant lumine Trinitatis.

Et circa horam nonam clamavit Ieſus voce magna. Hic ponit clamorem Chriſti. Et primo ponitur clamor; ſecundo effectus, ibi, *Quidam autem de illic ſtantibus &c.* Dicit ergo: *Et circa horam nonam clamavit Ieſus voce magna*. Secundum Origenem, Chriſtus voce magna clamat, & ſignat multitudinem myſteriorum. Eſa. VI. 3. (*b*) „ Seraphim clama„ bant alter ad alterum: Sanctus, ſanctus, „ ſanctus Dominus Deus exercituum. " Unde qui vult hoc intelligere quod tædio mortis clamavit, non intellexit myſterium: ideo non ſic intelligendum eſt, ſed quia voluit dare intelligere ſe æqualem Patri, lingua Hebræa dixit: *Eli, Eli lamaſabacthani*? Item quia voluit ſignare quod prænuntiata eſt a prophetis, ideo dixit (*c*) illud Pſal. XXI. 2. „ Deus „ meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? " Unde dicit Hieronymus, quod impii ſunt qui aliter Pſalmum illum exponere volunt, quam de paſſione Chriſti.

Notate, quod quidam male intellexerunt: unde debetis ſcire, quod fuerunt duæ hæreſes. Una, quæ in Chriſto non poſuit Verbum unitum, ſed quod Verbum fuit loco auimæ; & hoc poſuit Arrius. Alii vero, quod Verbum non fuit unitum naturaliter, ſed per gratiam, ſicut in aliquo iuſto, ut in prophetis; & ſic Neſtorius. Unde exponebant: *Deus, Deus meus ut quid dereliquiſti me*? Dicunt, quod hoc dicebat Verbum Dei, & vocat eum Deum, quia creatura ſua eſt, & conqueritur, quod hoc Verbum fecit ſibi uniri? & poſt dereliquit eum. Sed hæc eſt expoſitio impia, quia ſemper cum eo eſt: unde divinitas non dimiſit carnem, nec animam: unde in Ioan. VII. 29. „ Qui me miſit, mecum „ eſt. " Quid ergo? Dicendum, quod ex ipſo modo loquendi manifeſtum eſt, quod de Chriſto debebat intelligi. Dicitur enim de eo, Ioan. ult. 17. „ Aſcendo ad Patrem meum, „ & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum „ veſtrum. " Patrem nominat, eo quod Deus eſt, Deum nominat, eo quod homo eſt: ideo cum dicit: *Deus meus, Deus meus &c.* manifeſtum eſt quod ſecundum quod eſt homo, loquitur; ideo ingeminat, ut magnitudinem affectus humani deſignet. Et quod dicitur, *Dereliquiſti me*, dicitur per ſimilitudinem: quia quod habemus, a Deo habemus: unde ſicut cum aliquis alicui malo exponitur, dicitur derelictus; (*d*) ſic quando Dominus dereliquit hominem cadere in malum pœnæ, vel culpæ, dicitur derelictus: ideo Chriſtus dicitur derelictus non quantum ad unionem, nec quantum ad gratiam, ſed quantum ad paſſionem. Eſa. LIV. 7. „ Ad punctum „ dereliqui te. " Et dicit, *Ut quid*? non quaſi ex tædio; ſed poteſt deſignare compaſſionem ad Iudæos: unde non dixit, niſi poſtquam

(a) *Al.* Vel quod dicitur, quod *ſuper univerſam terram*, ſcilicet Iudæam, ſimilis modus loquendi eſt, cum gens, aut regnum &c. (b) *Al.* quod Seraphim. (c) *Al.* illum Pſalmum. (d) *Al.* ſicut.

Digitized by Google

quam tenebræ eſſent: unde vult dicere: Quare voluiſti ut paſſioni traderer, & iſti obtenebrarentur? Item ſignat admirationem: unde admirabilis eſt Dei caritas. Ad Rom. v. 8. „ Commendat Deus caritatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. “

Tunc ſequitur effectus: *Quidam autem illic ſtantes &c.* Et primo ponitur effectus communis in omnibus; ſecundo in uno eorum, ibi, *Et continuo currens unus ex eis &c.* Dicit ergo: *Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte.*

Qui fuerunt iſti? Credit Hieronymus, quod iſti fuerunt milites, qui neſcierunt linguam Hebræam, & propter hoc credebant quod Eliam vocaret, quia Elias multum erat famoſus, quia raptus fuit in cælum, ut habetur IV. Reg. III. Vel poteſt dici quod illi fuerunt Iudæi, & volunt per hoc oſtendere quod Chriſtus eſt homo, & non Deus, qui auxilium alterius petit.

Tunc oſtenditur effectus in uno: & primo dicitur quid ipſe fecerit; ſecundo quid alii. Dicit ergo: *Unus autem ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto.* Quare hoc fecerit, non dicitur hic, ſed in Ioan. XIX. 28. quia Chriſtus videns omnia conſummata dixit, „ Sitio; “ ideo iſte volens ei ſatisfacere, dedit ei potum damnatorum. Unde impletum eſt quod in Pſal. LXVIII. 22. dicitur: „ Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. “ Notandum, quod erat vinum myrrhatum, ſed dictum eſt fel, & acetum, quia habebat amaritudinem. Myſtice per vinum myrrhatum ſignificantur illi qui nihil habent de fide. Vel per acetum, quod fit per corruptionem vini, ſignatur corruptio humanæ naturæ. Iſtam autem amaritudinem Chriſtus portavit. Vel per acetum, malitia Iudæorum ſignatur. Et ponitur in ſpongia, quæ cavernoſa eſt, & ſignat cautelas & verſutias Iudæorum. Sed (a) imponunt calamo. Per calamum ſacra Scriptura ſignatur: unde ſuam malitiam per Scripturam confirmare volunt. Et poteſt eſſe quod iſte ex compaſſione movebatur, unde volebat iſte facere ei auxilium, alii autem nolebant; ideo dicebant: *Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.*

Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. Hic agitur de his quæ poſt mortem acta ſunt: & primo ponitur mors Chriſti; ſecundo quæ acta ſunt; tertio effectus. Secunda ibi, *Et ecce velum templi ſciſſum eſt*; tertia ibi, *Centurio autem &c.* Circa primum tangitur mors, & modus mortis. Cauſa mortis triplex aſſignatur. Una cauſa fuit ut oſtenderet quantum nos amavit. Auguſtinus: „ Nulla maior eſt ratio amoris, quam præveniri amando. “ Rom. v. 8. „ Commendat Deus caritatem ſuam in nobis, quoniam cum peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. “ Item ut doceret nos contemnere mortem. Per mortem deſtruxit omnia peccata. Item ut pœnam peccati Adæ tolleret, ut ſcilicet liberaret a peccato Adæ. Dictum enim fuit ei, Gen. II. 16. „ Quacumque hora comederitis, moriemini. “ Ab hac morte nos liberavit. Item quia diabolus, qui eſt actor mortis, invaſerat eum qui non meruerat, ideo poteſtatem in aliis amiſit; ideo animam ſuam morti tradidit ut noſtras liberaret. Item deſignatur conditio mortis: *Et clamans voce magna emiſit ſpiritum.*

Quidam dixerunt, quod divinitas mortua fuerat: ſed hoc eſt falſum, quia vita non poteſt mori; ſed Deus non ſolum eſt vivens, ſed etiam vita. Aliqui dixerunt animam mori cum corpore; quod eſſe non poteſt, quia non poſſet apprehendere immortalitatem. Item notandum, quod omnes moriuntur ex neceſſitate; Chriſtus autem propria voluntate: unde non dicit, Eſt mortuus, ſed, *Emiſit*, quia ex voluntate; & hoc ſignat poteſtatem, ſicut alibi dicitur, Ioan. x. 18. „ Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. “

Et voluit mori cum magna voce, ad ſignandum quod ex poteſtate, & non neceſſitate moriebatur: unde animam ſuam poſuit cum voluit, & accepit cum voluit: unde facilius fuit Chriſto ponere animam, & recipere, quam alicui dormire, & excitari. Sed quare imputatum eſt eis? Quia fecerunt quod in eis fuit.

Et ecce velum templi ſciſſum eſt &c. In parte iſta agitur de effectu. Primo agitur de his quæ circa templum facta ſunt; ſecundo de his quæ in elementis; tertio de his quæ in hominibus. Et videndum, quod Matthæus alio ordine narrat quam Lucas. Dicit Auguſtinus, quod Matthæus narrat ordinem hiſtoriæ: & hoc patet, quia dicit: *Et ecce velum templi ſciſſum eſt.* In Luca autem nihil tale habetur.

Et notandum, quod in templo duplex velum erat, ſicut in tabernaculo: quia erat velum intra ſancta ſanctorum, & erat velum aliud quod non erat in ſanctis. Et iſta duo duplicem velationem ſignabant: quia velum interius ſignificabat velationem myſteriorum cæle-

(a) *Al.* imponitur.

cæleſtium quæ nobis (*a*) revelabuntur: tunc enim ſimiles ei erimus, cum apparuerit gloria ſua. Aliud quod exterius erat, ſignificabat velationem myſteriorum quæ ad Eccleſiam pertinent. Unde iſtud exterius fuit ſciſſum, alterum non, ad ſignandum quod myſteria manifeſtabantur per mortem Chriſti quæ ad Eccleſiam pertinent. Sed aliud non fuit diviſum, quia ſecreta cæleſtia adhuc remanent velata. Unde Apoſtolus II. Corinth. III. 16. „ Cum autem Iſrael converſus fuerit ad „ Deum, amovebitur velamen. “ Unde per paſſionem omnia myſteria quæ in lege, & prophetis ſcripta ſunt, aperta fuerunt, ut habetur Luc. ult. 27. „ Incipiens a Moyſe, & „ omnibus prophetis, interpretabatur illis in „ omnibus Scripturis quæ de ipſo erant. “ Vel ſignificabat diſperſionem populi Iudæorum: & quia gloria eorum erat in velo, quod in paſſione Domini ſciſſum eſt, ſignificabatur quod tota gloria dividebatur ab eis.

Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt &c. Supra poſitum eſt miraculum quod factum eſt circa ſacra templi; hic ponit miraculum quod factum eſt circa elementa: (*b*) & iſta convenientia inveniuntur primo quantum ad virtutem paſſionis; ſecundo quantum ad effectum ſalutis; tertio quantum ad iudiciariam poteſtatem quam Chriſtus patiendo meruit. Convenit quod terra mota eſt &c. quia non poteſt præſentiam tantæ maieſtatis ſine tremore ſuſtinere. Unde in Pſal. CIII. 32. „ Qui reſpicit terram, & facit eam tre„ mere. “ *Et petræ ſciſſæ ſunt*: per quod ſignatum eſt quod nulla virtus poteſt ei reſiſtere. III. Reg. XIX. 11. „ Tranſit Dominus ſub„ vertens montes, & conterens petras. “ *Et monumenta aperta ſunt*. Monumenta ſunt clauſtra corporum mortuorum: unde ſignatur quod vincula mortis diſrumpit. Oſeæ XIII. 41. „ Ero „ mors tua o mors, morſus tuus ero infer„ ne. “ Item I. ad Corinth. XV. 54. „ Abſor„ pta eſt mors (*c*) in victoria. “ Item convenit quantum ad effectum. (*d*) Commovetur terra dum quicquid terrenum eſt abiicitur. Pſal. LIX. 4. „ Commoviſti terram, & „ conturbaſti eam, ſana contritiones eius, „ quia commota eſt. “ Item petræ ſcinduntur, quando duritia cordium ad compaſſionem movetur. Hier. XXIII. 29. „ Verba mea „ (ſcilicet paſſionis) quaſi ignis, & quaſi „ malleus conterens petras. “ Item quod monumenta aperta ſunt, ſignat quod mortui in peccatis debent reſurgere. Ephe. V. 14. (*e*) „ Surge qui dormis, & exurge ex mortuis. “ Item convenit venienti ad iudicium: quia ipſo veniente, terra movebitur. Aggæi II. 7. „ Adhuc unum modicum eſt, & ego mo„ vebo cælum, & terram. “ Item petræ ſcinduntur, quia omnis altitudo virorum deprimetur. Item monumenta apetientur, quia mortui venient ad iudicium. Ioan. V. 28. „ Ve„ nit hora, in qua omnes qui in monumen„ tis ſunt, audient vocem Filii Dei. “

Conſequenter tangitur miraculum in hominibus: & primo tangit reſurrectionem; ſecundo manifeſtationem. Dicit ergo: *Et multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt*.

De illis ſolet eſſe quæſtio utrum reſurrexerint iterum morituri, vel non morituri. Conſtat aliquos reſurrexiſſe, ut poſt morerentur, ut Lazarus. Sed de iſtis poteſt dici quod ſurrexerunt non iterum morituri, quia ſurrexerunt ad manifeſtationem reſurrectionis Chriſti: certum autem eſt quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur. Item ſi ſurrexiſſent, non eſſet eis beneficium exhibitum, ſed potius detrimentum. Ideo ſurrexerunt tamquam intraturi cum Chriſto in cælum.

Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam civitatem. Et notandum, quod (*f*) licet iſtud dictum ſit in morte Chriſti, tamen intelligendum eſt per anticipationem eſſe dictum: quia poſt reſurrectionem actum eſt: quia Chriſtus „ primoge„ nitus mortuorum, “ Apocalyp. I. 5. *Et venerunt in ſanctam civitatem*: non (*g*) quod modo eſſet ſancta, ſed quia ante fuerat. Eſa. I. 12. „ Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, „ plena iudicii? “ Vel dicitur ſancta, quia ſancta ibi tractabantur. Vel, ſecundum Hieronymum, *in ſanctam civitatem*, ſcilicet cæleſtem: quia cum Chriſto venerunt in gloriam, *& apparuerunt multis*: ſicut enim Chriſtus poteſtatem habet ſe manifeſtandi quibus vult, ſic intelligendum de corporibus glorificatis.

Centurio autem &c. Hic agitur de effectu miraculorum: & primo in gentibus; ſecundo in mulieribus, ibi, *Erant autem ibi mulieres multæ*. Circa primum tria facit. Primo ponitur diligens conſideratio; ſecundo timor; tertio vera confeſſio fidei, proveniens ex timore. Dicit ergo: *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde*.

(a) *Al.* revelabantur. (b) *Al.* & iſta convenientia invenitur quantum &c. (c) *Al.* in victoria ſua. (d) *Al. omittitur* Commovetur terra dum quicquid terrenum eſt abiicitur. (e) *Al.* Exurge. (f) *Al.* licet iſtud dictum ſit hoc. (g) *Al.* quomodo.

In Luca dicitur, quod iſte (*a*) territus fuit ex hoc quod Chriſtus clamans expiravit; hic autem dicitur quod *viſo terramotu*. Et dicit Auguſtinus, quod non eſſet facile ſolvere, niſi diceret, *Et his qua fiebant*. Iſte autem ſignabat gentilem pnpulum, qui ſalnbri timnre confeſſi ſunt Dominum: unde Oſeæ 11. 24. „ Dicam non pnpulo meo: Populus „ meus es tu. Et ipſe dicet: Deus meus es „ tu. Vocabo gentem meam, non gentem „ meam. “ Eſa. xxvi. 18. „ A facie tua, Domine, concepimus, & peperimus ſpiritum „ ſalutis. “

Deinde ponitur vera confeſſio, ibi, *Vere Filius Dei erat iſte*. In hoc confunditur Arrius, qui eum exiſtentem (*b*) in cælo non confitetur eſſe vere Filium Dei, quem Centurio in morte confitetur. I. Ioan. v. 20. „ Hic eſt „ vere Filius Dei, & vita æterna. “

Sequitur devotio mulierum: *Erant autem ibi mulieres multa &c.* Et primo deſcribuntur quo ad præterita, & qun ad præſentia. In quo conſiderandum, quod populis recedentibus, mulieres adhæſerunt, ita quod impletum eſt quod dicitur Eſa. l. 2. „ Non remanſit vir mecum. “

Sed conſiderandum, quod hic dicitur, quod ſteterunt a longe. Ioannes autem xix. 25. dicit, quod „ ſtabant iuxta crucem &c. “ Auguſtinus dicit, quod poteſt dici, quod aliæ mulieres eſſent quæ prope, & quæ longe; niſi diceretur utrobique, quod Maria Magdalena erat una. Ideo aliter dicendum, quod ſicut multum & paucum dicuntur relative, ſic prope & longe. Et ſicut idem poteſt dici multum & paucum reſpectu diverſnrum, ſic prnpe & longe. Sic conſiderandum, quod Centurio, & Gentiles iuxta crucem erant; ſed mulieres poſt eos, turbæ vero magis a longe. Unde ſecundum diverſam comparationem erant lnnge & prope. Longe comparandn ad Centurinnem, & Gentiles; prnpe comparando ad turbas. Vel poteſt dici, quod primo ſteterunt prope, ſed cum emiſit ſpiritum, ſteterunt longe.

Item notate, quod dicit quod *ſecuta erant eum a Galilaa, miniſtrantes ei*. Ipſe enim cui Angeli miniſtrabant, permiſit ut miniſtraretur ei a mulieribus. In hoc dedit documentum Apoſtolis ſequentibus, quod reciperent temporalia ab his quibus miniſtrarent ſpiritualia. Et hæc erat conſuetudo antiquitus quod doctores recipiebant neceſſaria a bonis quos (*c*) docebant. Sed Paulus, quia gentibus prædicabat, inter quos non erat hæc conſuetudo, ne viderc⸱ ⸱r quod pro pecunia prædicaret, recipere nnlebat.

Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi &c. Ex iſto verbo Elvidius aſſumpſit occaſionem erroris, qui dixit, Ieſum eſſe natum ex ſemine Inſeph. Ad hoc dicit Hiernnymus, quod duo fuerunt Iacnbi. Maior, qui dicitur frater Ioannis; & minor, qui fuit filius Alphæi, cuius mater erat mater etiam Ioſeph. Unde illa quæ fuit mater Iacnbi mainris, non fuit mater Iacobi minoris: quia ſtatim additur: *Et mater filiorum Zebedai*.

Sed quid eſt quod dicitur: Maria Cleophæ, & Maria Alphæi? Solvit Hiernnymus, quod potuit eſſe quod illa Maria habuit virum qui fuit binomius: unde vocabatur Cleophas, & Alphæus. Vel poteſt dici, quod primo Cleophæ nupſit, (*d*) & mortuo illo nupſit Alphæo. Vel poteſt dici, quod Clenphas fuit pater, & mater fuit vocata Salome, quia, „ Maria, dicit (Marc. xv. 40.) & Salome: “ unde Salome eſt nomen mulieris. Unde patet error Magiſtri in Gloſs. ſuper 11. capitulo ad Galatas, quod fuit nomen viri. Et Magiſtri in Hiſtoria, quia in Græco habetur Solomei, quæ eſt terminatio feminea, quæ nulln modo invenitur in maſculino.

Cum ſere autem factum eſſet &c. In parte iſta (*e*) primo agitur de ſepultura; ſecundn de veneratione; tertio de cuſtodia. Secunda ibi, *Accepto corpore involvit illud in ſindone munda*; tertia ibi, *Altera autem die &c.* Circa primum primo conditio ponitur ſepelientis; ſecundo eius petitio. Conditiones ponuntur quatunr: unde, *Cum ſere factum eſſet* (quia opnrtebat quod remnveretur, ut non in ſabbato remaneret) *venit quidam homo dives ab Arimathaa*. Et deſcribitur ex facultate, quia *dives*. Eccli. xxxi. 8. „ Beatus dives qui inven„ tus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non „ abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris. “

Sed quare dicit eum divitem? Dicendum, quod hoc non dicit propter eius lau⸱em, vel iactantiam; ſed ad hoc quod potuit impetrare a Pilato, quod non potuiſſet unus pauper.

Item deſcribitur a patria, quia *ab Arimathea*, quod idem eſt quod Ramatha, quæ fuit Samuelis. Et ſignat excelſum, & iſte excelſus fuit. Item ex nomine, quia *Ioſeph*, qui accreſcens ſignatur. Item ex religione, quia *& ipſe diſcipulus erat Ieſu*: quia ex fide non exciderat. Ioan. xiii. 31. „ Si vos manſeri„ tis in ſermone men, vere diſcipuli mei eri„ tis. “ Tunc agitur de impetratione: & pri-

(a) *Al.* tertius. (b) *Al.* in cælum. (c) *Al.* dicebant. (d) *Al.* quod mortuo &c. (e) *Al.* deeſt primo.

Digitized by Google

primo ponitur petitio ; ſecundo impetratio . *Hic acceſſit ad Pilatum , & petiit corpus Ieſu* . Et commendatur, quia acceſſit. Sequitur impetratio : *Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus* . Sequitur de ſepultura : *Et accepto corpore , Ioſeph involvit illud in ſindone munda* . Et agitur de cultu , & ſepultura . De cultu , fuit ſimplex cultus, quia ſimplici ſindone: & ideo, ſecundum Hieronymum , vituperatur cultus nimius ſepulturæ. Per iſtam ſindonem ſecundum myſterium tria ſignantur . Primo ſignatur caro Chriſti munda . Fit enim de lino , quod per multam preſſuram dealbatur : ſic caro Chriſti per multam preſſuram ad candorem reſurrectionis pervenit . Luc. ult. 46. „ Sic oportuit Chriſtum pati,& reſurgere a mor„ tuis tertia die. “ Vel ſignat Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam. Et hoc ſignatur per iſtud linteum, quod ex diverſis filis eſt contextum. Item ſignatur munda conſcientia, ubi Chriſtus quieſcit . *Et poſuit eum in monumento ſuo novo* . Et quatuor dicit de iſto monumento. Primo quod erat ſuum. Et ſatis conveniebat quod qui pro peccatis aliorum mortuus erat, quod in monumento aliorum (*a*) ſepeliretur. Item dicit, *novo* , quia ſi alia corpora poſita fuiſſent, neſciretur quis ſurrexiſſet . Item dicit, quod *in petra* , non in monumento ex diverſis lapidibus conſtructo, ut omnis calumnia amoveretur .

Sed quare non ſub terra? Ratio fuit ne crederetur, quod diſcipuli per cavernas terræ extraxiſſent eum . Item dicit, quod *advoluit ſaxum magnum* . Et ideo quia magnum , non poterat a paucis revolvi, & maxime cum eſſent ibi cuſtodes.

Tunc ſequitur devotio mulierum . Unde mulieres, quæ ardentius amabant , ſecutæ ſunt eum uſque ad ſepulcrum : unde dicitur: *Erat ibi Maria Magdalena, & altera Maria*: & non nominatur Maria Zebedæi, quæ non erat ibi , quia non ita ardenter amabat.

Altera autem die &c. Hic agitur de cuſtodia ſepulcri . Et tria facit . Primo ponitur petitio ; ſecundo conceſſio ; tertio executio . Circa primum ponitur tempus, & cauſa, & petitio , & periculum imminens . Tempus : *Altera autem die quæ eſt poſt paraſceven* . Paraſceves præparatio dicitur : unde Iudæi , quia in ſabbato nihil agebant , præparabant in præcedenti die; & ideo (*b*) dicebatur Paraceſves : unde quamvis aliquid ſolemnitatis haberent , tamen maioris obſervationis erat ſabbatum : unde nihil in ſabbato præparabant ex præcepto , Exod. xvi. ubi præcepit Dominus , quod die veneris colligerent de manna ad duos dies . *Tunc convenerunt principes ſacerdotum* : unde multum intenti erant ipſum perſequi , quia non ſufficit perſequi uſque ad mortem , ſed etiam poſt mortem : unde voluerunt impedire reſurrectionem. Sed quare convenerunt? Sequitur cauſa: *Domine, recordati ſumus , quod ſeductor ille* . Seductorem vocant illum : unde Ioan. vii. 12. dicitur , quod „ quidam ex eis dicebant , quia „ bonus eſt; alii autem non, ſed ſeducit tur„ bas. “ *Poſt tres dies reſurgam* . Iſtud habebant ex hoc quod dixerat ſupra cap. xii. 40. quod *ſicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus , & tribus noctibus , ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus , & tribus noctibus* . Et ponitur pars pro toto , ſicut ſupra expoſitum eſt . Item ponitur petitio : *Iube ergo cuſtodiri ſepulcrum* . Ipſum ſtudium Iudæorum prodeſt nobis ad certitudinem: unde quanto magis nocere intendebant, tanto magis proficiebant ad ſalutem credentium. Iob v. 13. „ Appre„ hendit ſapientes in aſtutia eorum : “ quia quod intendunt , Dominus in aliud convertit . Deinde ponitur intentio petitionis : . *Ne forte diſcipuli eius veniant , & furentur eum , & dicant plebi , Reſurrexit a mortuis* . Et in hoc prophetaverunt ; ideo magis peccaverunt, quia mirabilia viderunt , & tamen non crediderunt poſſe reſurgere.

Sequitur conceſſio: *Ait illis Pilatus : Habetis cuſtodiam*; ideſt, habeatis cuſtodiam ; quaſi dicens: In vobis eſt ut cuſtodiatis eum.

Sequitur executio : *Illi autem abeuntes munierunt ſepulcrum, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus*. Unde non ſuffecit quod cuſtodes ponerent, ſed etiam ſigillaverunt. Nec ſuffecit eis quod milites hoc facerent , ſed etiam ipſimet ſigillaverunt . Pſal. xxi. 17. „ Conſilium „ malignantium obſedit me. “

(*a*) *Al.* ſepelitur. (*b*) *Al. deeſt* dicebatur.

CAPUT XXVIII.

Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulcrum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: ſcio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hic, ſurrexit enim ſicut dixit. Venite, & videte locum ubi poſitus erat Dominus. Et cito euntes dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare diſcipulis eius. Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Avete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adoraverunt eum. Tunc ait illis Ieſus: Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cum abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit a Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti. Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos uſque in hodiernum diem. Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi conſtituerat illis Ieſus. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. Et accedens Ieſus, locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.

Poſtquam complevit ſacramenta dominicæ paſſionis, agit Evangeliſta de triumpho dominicæ reſurrectionis. Et dividitur: quia primo oſtenditur quomodo diſcipuli cognoverunt Chriſti reſurrectionem per auditum; ſecundo quomodo per viſum: ut per auditum, & viſum fiat teſtificatio certa. Circa primum primo ponitur quomodo per auditum a mulieribus; ſecundo quomodo a cuſtodibus. Secunda ibi, *Quæ cum* (a) *abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem*. Circa primum duo facit. Primo dicit quomodo mulieres cognoverunt per Angelum; ſecundo per Chriſti viſionem, ibi, *Et exierunt cito de monumento*. Circa primum tria. Primo ponuntur perſonæ quibus facta fuit revelatio; ſecundo Angelus revelans; tertio revelatio. Secunda ibi, *Et ecce terræmotus factus eſt magnus*; tertia ibi, *Reſpondens autem Angelus dixit*. Circa primum tria facit. Primo deſignat tempus; ſecundo perſonas; tertio ſtudium. Tempus, *Veſpere autem ſabbati*.

Et circa hoc duplex eſt dubitatio. Prima de hoc quod dicit, *Veſpere*; ſecunda de hoc quod dicit, *Luceſcit*. Circa primum eſt dubitatio, quia videntur contrariari Matthæus & Ioannes: quia Ioannes dicit (xx. 1.) quod „ adhuc tenebræ erant. “ Quid ergo dicit hic: *Veſpere autem ſabbati*?

Hic eſt triplex ſolutio. Prima Hieronymi, quod venerunt veſpere, & mane. Et quod hic dicit *Veſpere*, ille (b) autem *Mane*, non eſt diſſonantia, ſed ſedulitas ſanctarum mulierum. Beda ſolvit ſic, quod inceperunt venire in veſpere, ſed pervenerunt in mane. Sed numquid erat tantum ſpatium? Dicit quod non; ſed tunc dicitur aliquis facere, quando præparat ſe ad faciendum. Et hoc habetur in Luc. xxiii. 55. quod „ videntes monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius, revertentes paraverunt aromata. “ In paraſceve emerunt aromata, & in ſabbato quieverunt, & in veſpere paraverunt ſe ad eundum. Tertia ſolutio eſt Auguſtini, qui dicit, quod modus conſuetus in ſacra Scriptura eſt

(a) Al. *audiſſent &c.* (b) *Al.* quidem.

Digitized by Google

ra eſt quod ſumitur pars pro toto. Unde intelligitur veſpere pro tota nocte ſabbati: unde: *Veſpere autem ſabbati*, ideſt quæ eſt poſt ſabbatum: unde veſpere quæ eſt initium primæ ſabbati. Simile habetur Geneſ. I. 5. in commemoratione operum Dei: „ Et factum „ eſt veſpere & mane dies unus. “ Unde venerunt veſpere, quia in ultima parte noctis. Et hæc eſt *quæ luceſcit in prima ſabbati*. Veſpere non luceſcit, quia veſpere tenebreſcit. Unde venerunt quando luceſcit, ideſt in prima hora diei. Notate, quod Iudæi omnes ferias incipiunt a ſabbato: unde prima ſabbati dicitur dies dominica. Et ſi quæras ab Auguſtino quare Marcus utitur tali modo loquendi; dicet quod veſpere paraverunt aromata, & mane venerunt, unde reddit in idem quod Beda dicit. Sed ſecundum Hieronymum, quomodo intelligendum quod dicit, *Quæ luceſcit*? quia veſpere tenebreſcit. Sciendum, quod Iudæis dies incipit eſſe a veſpere. Et ratio eſt, quia a luna obſervabant dies: luna autem incipit lucere a ſero; ideo illa dies incipit a veſpere, ſed luceſcit in prima ſabbati. Similis modus loquendi Luc. xxiii. 54. „ Erat „ autem paraſceves, & ſabbatum illuceſce„ bat. “ Et iſte modus loquendi myſterio competit, primo ad ſolemnitatem dominicæ reſurrectionis, quia nox illa fuit lucida. Pſal. cxxxviii. 12. „ Et nox ſicut dies illuminabi„ tur. “ Item competit humanæ reſtaurationi, quæ facta eſt per Chriſtum. In primo enim homine fuit proceſſus a die in noctem, ſcilicet peccati; & mutatus eſt ſtatus, ſcilicet a nocte in diem. Ad Ephe. v. 8. „ Era„ tis aliquando tenebræ, nunc autem lux in „ Domino. “ Item ſignatur quod quicquid erat tenebroſum in lege, & prophetis, totum per reſurrectionem Chriſti luceſcit. „ Tene„ broſa aqua in nubibus aeris: “ Pſal. xvii. 12. Hoc autem in reſurrectione illuminatur, ut habetur Luc. ult. 27. „ Incipiens a Moy„ ſe, & omnibus prophetis interpretabatur „ illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo „ erant. “

Conſequenter agit de perſonis: *Venit Maria Magdalena, & altera Maria*: & intelligitur mater Iacobi; Marcus addit tertiam, Et Salome: unde Salome eſt nomen mulieris. Sed non fuit ſine myſterio, quod duæ eiuſdem nominis venerunt: unde mulieri primo voluit apparere, quia in hoc quodammodo reparatur ſexus mulieris: quia ſicut mulier primo in loco vitæ prius (a) audivit mortem, ſic in loco mortis per ordinationem divinam primo vidit vitam. Eccli. xxv. 33. „ A muliere ini„ tium peccati factum eſt. “ Item eiuſdem nominis, quia per has, unitas ſignatur Eccleſiæ. Primo enim una fuit ex gentibus, una ex Iudæis; ſed modo omnes ſunt una Eccleſia. Cant. vi. 8. „ Una eſt columba mea. “ Item vocantur Mariæ: ſicut enim de utero clauſo Maria ſuſcepit puerum, ſic iſtæ exeuntem de tumulo clauſo meruerunt videre eum: unde iſtæ venerunt videre ſepulcrum; & in hoc ſignatur devotio earum, quia non poterant ſatiari, ideo cum non poſſent eum videre, volebant ſaltem videre ſepulcrum. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum eſt*: ſupra vi. 21.

Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Hic agitur de Angelo revelante: & primo tangitur adventus Angeli; ſecundo opus eius; tertio diſpoſitio; quarto effectus. Secunda ibi, *Et accedens revolvit lapidem*; tertia ibi, *Et ſedebat ſuper eum*; quarta ibi, *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes*. Et circa primum primo præſignatur adventus; ſecundo tangitur adventus cauſa, ibi, *Angelus autem Domini deſcendit de cælo*. Dicit ergo: *Et ecce terræmotus factus eſt magnus*. Hoc congruebat, & habet cauſam litteralem. Una ratio, ſecundum Chryſoſtomum, quia iſtæ de nocte venerant, & ideo eſſe potuit quod dormierunt; ideo ut excitarentur factus eſt terræmotus ad excitandum illas. Hieronymus dicit quod aliquid tactum erat de humanitate, ideo debebat aliquid tangi de divinitate; ideo cum agitur de ſepulcro quod erat humanitatis, fit terræmotus, ut ſignaretur quod talis mortuus non poterat teneri ſub terra: „ fuit enim „ inter mortuos liber: “ Pſal. lxxxvii. 6. Myſtice bis factus eſt terræmotus, ut per unum ſignificetur motus cordium, quia per mortem eius liberati ſumus a peccato; per alium tranſlatio ad gloriam. Rom. iv. 25. „ Traditus eſt propter peccata noſtra, „ & reſurrexit propter iuſtificationem no„ ſtram. “ Et in Pſal. lix. 4. „ Commoviſti „ terram, & conturbaſti eam. “ Item huius reſurrectio eſt quædam præfiguratio reſurrectionis futuræ. In futura autem erit tremor terræ. Pſal. lxxv. 9. „ Terra tremuit, & „ quievit cum exurgeret in iudicio Deus. “ Et quare? Subiungitur: *Angelus Domini deſcendit de cælo*. Si terra non potuit Angelum ſuſtinere, multo minus poterit adventum Chriſti ad iudicium. Et dicit, *Deſcendit*: licet enim Angelus non circumſcribatur loco, tamen diffinitur (b) loco, ſecundum ſuam operationem; ideo aliquis motus ei convenit. Item convenit quod per Angelum denuntietur reſurrectio tum propter gloriam illius per quem

(a) *Al.* auxit. (b) *Al.* in loco.

Digitized by Google

quem ſit, ut dicit Paulus Actor. XIII. 30. „ Deus ſuſcitavit eum a mortuis. “ Eius autem miniſtri ſunt Angeli. Item ad denotandum dignitatem reſurgentis. De iſto dicitur ſupra IV. II. quod *acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Item competit, quia per reſurrectionem cæleſtia terreſtribus coniungebantur. Conſequenter ponitur opus Angeli: *Et accedens revolvit lapidem &c.* Et hoc ſecundum litteram, ut panderet iter mulieribus, quia ſecundum veritatem iam ſurrexerat Chriſtus. Sicut enim de utero clauſo exivit, ita de ſignato ſepulcro: unde hoc factum eſt ad manifeſtandum mulieribus: unde *revolvit*, ideſt iterato volvit, ad ſignandum gloriam reſurgentis; & hæc revolutio ſignificabat manifeſtationem legis, quæ ſcripta erat in tabulis lapideis. Conſequenter ponitur diſpoſitio: & primo quo ad ſitum; ſecundo quantum ad aſpectum; tertio quo ad habitum. Quantum ad ſitum, quia *ſedebat*, non ut ſeſſus, ad ſignandum quod doctor eſſet divinæ reſurrectionis. Item ſedere eſt quieſcentium; & per hoc ſignatur quies quam ex reſurrectione habuit in gloria. Rom. VI. 9. „ Chriſtus re„ſurrexit ex mortuis, iam non moritur, „ mors illi ultra non dominabitur. “ Item ſedere eſt dominantis. Pſalm. CIX. 1. „ Dixit „ Dominus Domino meo: Sede a dextris „ meis. “ Et iſte ſedet *ſuper lapidem*, ſcilicet diabolum, ad ſignandum quod iam dominabatur & mortis, & diaboli. *Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur.* Hic deſcribitur ex aſpectu, & in hoc patet quod apparuit in corpore aſſumpto. Sed quare *ſicut fulgur*? Quia ſicut fulgur claritatem habet, ſic & Angeli cognitionem. Dan. X. 6. „ Et oculi eius quaſi „ lampas. “ Sed Chriſtus eſt qui „ omnem „ venientem in hunc mundum illuminat, “ Ioan. I. 9. Item fulgur habet terrorem, ſic aſpectus Angeli: unde Luc. I. dicitur quod territus fuit Zacharias ad vocem Angeli. Item deſcribitur ex habitu: *Veſtimenta eius ſicut nix*, per quod candor iuſtorum. Myſtice autem ſignatur gloria reſurrectionis. Apoc. III. 5. „ Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis. “ Item claritas vitæ. Eccle. IX. 8. „ O„mni tempore veſtimenta tua ſint can„dida. “ Item nota quod dicit quod *aſpectus eius erat ſicut fulgur, & veſtimenta eius ſicut nix:* quia in iudicio erit terribilis malis, & demulcebit bonos. Ioan. XVI. 22. „ Videbo „ vos, & gaudebit cor veſtrum. “ *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes.* Hic ponitur effectus apparitionis, quia in eorum cordibus extitit timor; & merito, quia ex mala conſcientia ſervabant eum; & „ ſemper timida „ eſt nequitia, “ Sapien. XVII. 10. *Et facti ſunt quaſi mortui*, qui Chriſtum in morte quantum in ipſis fuit voluerunt detinere. Eſa. XXXIII. 3. „ A voce Angeli fugerunt populi. “

Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus &c. (a) Hic ſequitur denuntiatio reſurrectionis. Et primo mulieres confortat; ſecundo ſtudium commendat; tertio gaudium indicat; quarto officium iniungit denuntiandi. Dicit ergo: *Reſpondens autem Angelus &c.* Sed ad quid reſpondet? Intentioni mulierum. Non legitur eas aliquid fuiſſe locutas præ timore: ſemper enim ita eſt quod homo ſemper turbatur in apparitione Angeli, ſive bonus, ſive malus appareat Angelus: quia natura humana fragilis eſt. Sed, ſicut dicit B. Antonius, ſi bonus eſt Angelus, ſemper dimittit conſolatum, ut patet in apparitione Zachariæ, & Virginis Mariæ: utrique dictum eſt: „ Ne timeas &c. “ Luc. I. Sic & iſtas confortat. Et ſi dimittat deſolatum hominem, conſtat quod non fuit bonus Angelus. Ideo dixit, *Nolite timere vos*; quaſi dicens: Veſtrum non eſt timere, quia amatis Chriſtum. „ Non enim accepiſtis ſpiri„tum ſervitutis in timore: “ Roman. VIII. 15. Non enim confortavit cuſtodes, quia non digni erant. Tunc commendat ſtudium: *Scio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis.*

Sed numquid Angeli cognoſcunt cogitationes? Videtur quod non. Hier. XVII. 9. „ Pra„vum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis „ cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor„da, & probans renes. “ Dicendum eſt, quod non, niſi per revelationem divinam, vel per ſignum, quia frequenter per geſtus corporis (b) habentur indicia voluntatis.

Ieſum quæritis. Nominat eum ut ſignificet eumdem eſſe. Item crucifixum. Et in hoc innuit parvam fidem earum, quia quærebant eum in loco mortis, & credebant eum morte poſſe teneri.

Tunc annuntiat reſurrectionem: *Surrexit*, ſcilicet propria virtute. Pſal. III. 6. „ Ego „ dormivi, & ſomnum cepi, & exurrexi, „ quia Dominus ſuſcepit me. “ Et probat hoc per recordationem verbi Dei: (c) *Sicut dixit:* quia ſupra cap. XX. 19. dixerat: *Et tertia die reſurget.* Verbum enim Domini non poteſt deficere. Item indicat ex viſu: *Venite, & videte locum ubi poſitus erat Dominus.* Unde viderunt lapidem revolutum, & non viderunt Chriſtum, quia ſurrexit clauſo tumulo. Tunc indicit eis officium denuntiationis: *Et cito euntes dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit.* Et tria indicit. Primo quia denuntient reſurrectionem;

(a) Al. Hic denuntiatio. (b) Al. habet. (c) Al. quia ipſe elegit.

Digitized by Google

nem; ſecundo quia locum; tertio quia viſionem eis promittat. Et ſicut prima mulier primo locuta eſt diabolo, ſic cum bono Angelo prima locuta eſt, ut omnia reſtaurarentur. Secundo innuitur locus: *Et precedet vos in Galilæam*.

Et quare primo in Galilæam? Non enim prius viſus eſt in Galilæa, ſed in Hieruſalem. Sed quare magis nominat Galilæam? Ad ſignandum quod ipſe idem eſt qui ſolebat converſari in Galilæa. Item ut a timore liberarentur, quia ſecurius habitabant in Galilæa quam in Iudæa. Vel myſtice dicitur Galilæa transmigratio, & poteſt ſignare tranſitum ad gentes: unde videbitis in Galilæa; ideſt, nuntiabitis nomen meum gentibus. Hoc autem non facerent, niſi præcederet eos.

Ibi eum videbitis, ſicut prædixit vobis. Unde verbum Domini tantæ poteſtatis eſt quod non poterit aliter eſſe.

Sed hic eſt quæſtio litteralis: quia hic dicitur quod viderunt eum ſedentem ſuper lapidem, in alio Evangeliſta (Marc. xvi. 5.) quod „ introeuntes in monumentum viderunt „ iuvenem ſedentem in dextris. “ Solvit Auguſtinus, quod bis viderunt viſionem Angelorum: unde poſſibile fuit quod unum viderunt extra, alium intra. Vel poteſt dici, quod ſepulcrum (*a*) non ſolum dicitur lapis excisus, ſed erat ibi aliqua materies ubi includebatur monumentum, (*b*) unde quod Marcus dicit (loc. cit.) „ Introeuntes in monumentum, „ non eſt intelligendum de lapide illo, ſed de ſpatio in quo includebatur: & hoc patet, quia dicitur hic quod *exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio &c.*

Supra nuntiata eſt reſurrectio mulieribus; hic certificantur de ipſa per Chriſtum. Et tria facit Evangeliſta. Primo deſcribuntur mulieres; ſecundo Chriſti occurſus; tertio iniungitur denuntiationis officium. Secunda ibi, *Et ecce Ieſus occurrit illis*; tertia ibi, *Nolite timere &c.* In prima tria notabilia eſt conſiderare. Primo mulierum ſtatum; ſecundo affectum; tertio propoſitum. Status tangitur cum dicitur: *Exierunt cito de monumento*. Quantum ad litteram, monumentum non dicitur lapis excisus, ſed illud ſpatium quod aliquo munimine erat firmum: ſecundum myſterium monumentum eſt locus mortuorum; & per hoc ſignatur ſtatus peccati. Pſal. lxxxvii. 6. „ Sicut vulnerati dormientes in ſepulcris. “ Unde exire de monumento eſt exire de peccato. II. ad Corinth. vi. 17. „ Propter hoc exite de „ medio eorum &c. “ Et notate, quod dicit, *Cito*, quia de peccato eſt cito exeundum. Eccli. v. 8. „ Non tardes converti ad Dominum, „ & ne differas de die in diem. “ Item tangitur affectus duplex, ſcilicet timoris, & gaudii. Timor de Angeli viſione, gaudium de reſurrectione; timor ex fragilitate humana, gaudium a viſione divina. Pſal. xxix. 6. „ Ad „ veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. “ Sic peccator debet timere. Eccli. v. 5. „ De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. “ Sed gaudere debet de ſpe reſurrectionis. Pſal. ii. 11. „ Servite Domino „ in timore, & exultate ei cum tremore. “ Tunc tangit propoſitum: *Currentes nuntiate diſcipulis &c.* Et iſtud penitentibus competit, quia currere debent, & feſtinare ut proficiant in bonis. I. ad Cor. ix. 24. „ Sic currite ut „ comprehendatis. “ Et ad Heb. iv. 11. „ Feſtinemus ingredi in illam requiem. “ Item tangit bonum propoſitum, quia voluit ut quod acceperant, aliis communicarent. I. Petr. iv. 10. „ Unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum adminiſtrantes. “

Et ecce Ieſus occurrit illis. Hic ponitur occurſus Chriſti: & primo ponitur occurſus; ſecundo ſalutatio; tertio mulierum reverentia. Dicit ergo: *Et ecce Ieſus occurrit illis*. Et recte dicit quod occurrit, quia ex inſperato occurrit, dando gratiam. Sap. vi. 14. „ Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe „ prior oſtendat. “ Eſa. lxiv. 5. „ Occurriſti „ lætanti, & facienti iuſtitiam. “ Item ſalutavit eas, dicens, *Avete*. Avete in Græco gaudium ſignat: unde dictum eſt ſupra, quod cum gaudio ibant. Unde ſpirituale gaudium ſemper augetur in iuſtis, & hoc per ſpiritualem loquelam. Pſal. lxxxiv. 5. „ Audiam quid lo„ quatur in me Deus. “ Et hæc erant verba conſolatoria: quia ſicut prima mulier audivit maledictionem, ſic iſtæ mulieres audierunt benedictionem; & maledictioni benedictio reſpondet. Et tunc *illæ acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adoraverunt eum*. Unde accedunt, tenent pedes, adorant. Sic anima peccatoris non debet gratiam Dei recipere in vanum. Et hoc ſignatur, quia *acceſſerunt*. Pſal. xxxiii. 6. „ Accedite ad eum, & illuminamini. “ Item debent firmiter adhærere, & hoc ſignatur in hoc quod *tenuerunt pedes eius*. Deut. xxxiii. 3. „ Qui appropinquant pedibus eius, accipient „ de doctrina illius. “ Item tangit reverentiam in hoc quod dicit, *Et adoraverunt eum*: quia ipſum Deum recognoverunt. Pſal. cxxxi. 7. „ Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes „ eius. “

Sed poteſt eſſe quæſtio: quia Ioan. ult. 17. dicitur ei, „ Noli me tangere: “ hic autem di-

(a) *Al.* non dicitur. (b) *Al.* unde Marcus dicit, quod introeuntes &c.

Digitized by Google

dicitur quod *tenuerunt pedes eius*. Ideo intelligendum quod bis viderunt; & ſemel viderunt unum Angelum,ut dicit Auguſtinus,& alia vice duos, ſed etiam bis Chriſtum. Primo vidit Maria Magdalena plorans, ut habetur Ioan. xx. Sed poſt aliis ſupervenientibus occurrit eis; & tunc tenuerunt pedes eius; ſed Maria Magdalena primo non potuit tenere eum: & hoc, ſecundum Auguſtinum, quia primo dubitavit, & ideo digna non fuit; ſed iam certificata, digna eſt effecta tangere Chriſtum, ut tactus exterior concordaret interiori.

Conſequenter iniungit officium denuntiandi: & ubi hoc facit, primo excutit timorem; ſecundo officium iniungit, ibi, *Ite*, *nuntiate fratribus meis*. Dicit ergo: *Tunc ait Ieſus eis*, *Nolite timere*. Et (*a*) hoc factum eſt conveniențer: quia qui ad officium prædicationis ponuntur, non debent timere: unde Dominus mittens diſcipulos ſuos, dixit, *Nolite timere*. Timor autem eſt duplex, ſcilicet ſervilis, & initialis, & hic eſt bonus. Pſal. cxvIII. 120. „ Confige timore tuo carnes meas. „ Unde dixit, *Avete*, ut augeret caritatem in eis. Sed quia „ perfecta caritas foras mittit timo„ rem: " I. Ioan. IV. 18. ideo dicit, *Nolite timere*. Et primo dat annuntiandi officium; ſecundo perfectam caritatem ad ſuos oſtendit. Iniungitur autem annuntiandi officium mulieribus, ut ſicut mulier tulit verba mortis ad virum, ſic e contrario congruebat mulieri, ut eſſet nuntia ſalutis. Et primo tangitur denuntiatio; ſecundo locus apparitionis. Dicit ergo: *Ite*, *nuntiate fratribus meis &c.*

Et quare dicit *meis*? Ad comprobandum veritatem naturæ: quia enim exierat de ſepulcro, & apparebat glorioſus, poſſet aliquis credere quod veram carnem non cepiſſet: ideo dicit, *Fratribus meis*. Item propter ſimilitudinem gratiæ: quia frater noſter fieri voluit propter iuſtificationem noſtram. Ad Rom. VIII. 29. „ Ut ſit ipſe primogenitus in mul„ tis fratribus. " Item fratres, ideſt coheredes. „ Heredes quidem Dei, coheredes au„ tem Chriſti: " Rom. VIII. 17. Unde iam acquiſita hereditate vocat fratres.

Ut eant in Galilæam. Hæc verba videntur ſonare quod primo apparuit in Galilæa. Iſte non facit mentionem de aliis apparitionibus; ſed Beda dicit, quod decem vicibus apparuit. Quinquies ipſo die reſurrectionis. Primo Mariæ Magdalenæ, ut Ioan. xx. Secundo his duabus de quibus tangit hic Matthæus. Tertio apparuit Petro; qualiter tamen, & quando, non dicitur, ſed quod ſit factum, non tacetur in Luca. Quarto duobus diſcipulis euntibus in Emaus. Quinto quando omnibus diſcipulis apparuit, excepto Thoma. Verum poſt iſtas leguntur quinque aliæ. Prima poſt alias fuit quando die octava omnibus diſcipulis apparuit, & Thomæ. Secundo quando apparuit in piſcatione, quando Petrus dixit, „ Vado „ piſcari, " Ioan. ult. 3. Alia, quæ hic dicitur. Alia quando exprobravit incredulitatem. Ultima quando in monte Oliveti, cum aſcendit in cælum: Marc. ult. Tamen aliæ fuerunt, ſicut dicit Paulus I. Cor. xv.

Sed quid eſt quod dicunt & Angelus, & Chriſtus, quod præcedet vos in Galilæam? Chryſoſtomus dicit, quod hoc propter hoc dicit quia ſolebant ibi converſari. Item ut ſecuri eſſent ibi, & ſecure eum expectarent. Tamen Auguſtinus ſecundum myſterium dicit, quod Galilæa (*b*) tranſmigratio dicitur: unde ſignat tranſmigrationem ad gentes, vel huius mundi in gloriam. Apoſtolus II. Corint. v. 6. „ Dum ſumus in hoc corpore, peregrina„ mur a Domino. "

Quæ cum abiiſſent, *ecce quidam &c.* Hic agitur de denuntiatione quæ facta eſt per cuſtodes. Et primo ponit denuntiationem; ſecundo impedimentum, ibi, *Et congregati cum ſenioribus &c.* Dicit ergo: *Et cum abiiſſent &c.* Et quare tantum expectaverunt? Dicendum, quod dictum eſt, quod *præ timore exterriti ſunt cuſtodes*. Et forte hoc fecit Dominus, ne moleſtiam mulieribus inferrent. *Ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem*, *& nuntiaverunt principibus ſacerdotum*. Et quare principibus? Quia habebant familiaritatem: item quia ab eis acceperant pretium. Nihilominus nuntiaverunt Pilato: unde in quadam epiſtola quam miſit Pilatus ad Tiberium ſcriptum eſt, quomodo cuſtodes nuntiaverunt Pilato &c. *Et nuntiaverunt*. Iam ſignabatur quod per ora gentilium erat manifeſtanda Chriſti reſurrectio.

Tunc ponitur malitia impedientium. Et primo tangitur malitia principum; ſecundo corruptio cuſtodum; tertio plebis. Circa primum concurrunt quatuor ad exaggerandum malitiam iſtorum. Primo ponitur congregatio: unde dicit: *Et congregati cum ſenioribus &c.* quia non unus tantum. Daniel. XIII. 5. „ Egreſſa eſt iniquitas a ſenioribus populi. " Item exaggeratur malitia, quia hoc non fecerunt ex infirmitate, ſed ex malitia, ſive ex maligno conſilio; & hoc eſt conſilium impiorum, de quo Pſal. I. 1. „ Beatus vir qui non „ abiit in conſilio impiorum. " Item fraudem fecerunt, quia oblatam pecuniam expenderunt in uſum mendacii: unde ſciebant illud Eccle. x. 19. quod „ pecuniæ obediunt omnia. " Sicut

(*a*) *Al.* de hoc. (*b*) *Al.* transfiguratio.

Digitized by Google

ut dicit Hieronymus, ſimiles ſunt (*a*) iſtis qui bona eccleſiaſtica expendunt ad faciendam voluptatem. Item in hoc quod ſuaderunt mendacium. Et primo ſuadent; ſecundo impunitatem promittunt. Suadent mendacium: *Dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum*. Hier. IX. 5. „ Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium. " In Pſal. XXVI. 12. „ Mentita eſt iniquitas ſibi. " Et vere, ut ait Hieronymus, mendacium, quia diſcipuli ita ſtupefacti erant quod non auſi fuiſſent accedere. Item ſi debuiſſent accedere, acceſſiſſent primo die quando non aderant cuſtodes. Item hoc patet, quia remanſerunt linteamina, unde ſi tuliſſent eum, non dimiſiſſent. Item conſtat quod cum aromatibus ſepultus eſt, unde linteamina adhærebant ut colla: unde vix potuiſſent amoviſſe. Item lapis erat magnus: unde non potuiſſent ſine magno adiutorio, & ſine ſtrepitu multo ſolviſſe. Item arguit ſic Auguſtinus. Aut venerunt vobis vigilantibus, aut dormientibus. Si vigilantibus, quare non eieciſtis? Si dormientibus, quomodo vidiſtis? Et ſic apparet quod mendacium fuit. Deinde impunitatem promittunt: unde poſſent dicere: Erimus puniti, ſi præſes audiret: unde dicit: *Si hoc auditum fuerit a præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus*. Et quomodo potuerunt illud facere? Dicendum, quod præſes non multum curabat. Item ſciebant quod non puniret eos niſi ad petitionem eorum; ideo ſciebant quod &c. In hoc ſignatur cautela diaboli. *At illi, accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti*. Non eſt mirum ſi milites corrupti fuerunt pro pecunia, quia & unus de diſcipulis eius corruptus erat. Eccli. X. 9. „ Avaro nihil eſt ſceleſtius. " *Et divulgatum eſt*: & non ſolum uſquequo fuit ſcriptum hoc, ſed etiam uſque nunc.

Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilaeam &c. Supra auditum eſt quomodo notitia reſurrectionis pervenit ad diſcipulos ex revelatione mulierum; hic quomodo ex eius viſione. Et dividitur: quia primo ponitur Chriſti apparitio; ſecundo apparentis inſtructio. Secunda ibi, *Et accedens Ieſus locutus eſt eis*. Circa primum tria facit. Primo deſcribitur locus viſionis; ſecundo viſio; tertio officium. Dicit ergo: *Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilaeam*: quia obedientes Chriſto abierunt in Galilæam. Quod dicit, *Undecim*, intelligendum quod Iudas abierat. Ioan. VI. 71. „Duodecim elegi vos, & unus ex vobis diabolus eſt. " Sed duo ſunt notanda, quod Chriſtus videtur in Galilæa, & quod in monte. Galilæa interpretatur tranſmigratio. Per hoc ſignatur quod nullus poteſt videre Deum, niſi ex duplici tranſmigratione transferatur, ſcilicet a vitio ad virtutem: ſupra v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: item, a mortalitate ad immortalitatem: unde dicit Apoſtolus, Philip. I. 23. „ Coarctor autem e duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. " Item viſus eſt in monte, ad ſignandum quod qui vult videre Deum, oportet quod tendat ad celſitudinem iuſtitiæ. Pſal. LXXXIII. 3. „ Ibunt de virtute in virtutem. " Item quod in monte, ſignificat excellentiam illam, ad quam exaltatus eſt per reſurrectionem: quia dum fuit in mundo, fuit in valle mortalitatis, & aſcendit in montem immortalitatis per reſurrectionem. Eſa. II. 2. „ Elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. "

Et notate, quod apparet eis *in loco ubi conſtituerat*, in quo ſignatur obedientia, quia ſoli obedientes veniunt ad viſionem divinam, In Ioan. XIV. 15. „ Si diligitis me, mandata mea ſervate. " Et ſequitur (verſ. 21.) „ Et ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. " Pſal. CXVIII. 104. „ A mandatis tuis intellexi; " ideſt, ab obſervatione mandatorum: unde in veteri lege nemo poterat aſcendere in montem: nova lex ſupplet. Et neceſſarium fuit quod eis apparuerit, quia teſtes debebant ad tantum opus dari. Sed ipſe dedit teſtes non ſolum de auditu, ſed etiam de viſu. I. Ioan. I. 2. „ Quod vidimus, & audivimus... hoc teſtamur. "

Sed quæſtio eſt quando fuit facta hæc apparitio: & ſecundum quod Auguſtinus dicit, in prima die reſurrectionis (*b*) non, quia in ſero fuit viſio, ubi Thomas non erat. Item nec infra octavam, aut in octava die, quia in Hieruſalem fuerunt octo diebus. Nec poſſumus dicere, quod ſtatim poſt octo dies: quia contradiceremus Ioanni, qui dicit, quod quando manifeſtavit ſe ad mare Tiberiadis, iam tertio manifeſtatus eſt Ieſus; & hæc hic non eſt tertia, ſed poſt hanc tertiam facta eſt.

Et videntes. Notandum, quod conſiderantium Dei magnalia duo ſunt genera: quia quidam habent illa in reverentia: unde Abraham dixit, Gen. XVIII. 27. „ Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis, & cinis. " Et Iob IX. 14. „ Quantus ſum ego ut reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? " Et ſequitur: „ Ideo me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere. " Item hæc reverentia reperitur in Angelis. Apocalyp. VII. 11. (*c*) „ Omnes Angeli ceciderunt in con„ ſpe-

(*a*) *Al.* iſti. (*b*) *Al.* non fuit. (*c*) *Al.* quod omnes Angeli.

„ ſpectu throni in ſacies ſuas, & adoraverunt Deum. “ Et hoc eſt, quia quanto magis aliquis eum cognoſcit, eo magis reveretur eum. Sed aliqui in infidelitatem vertuntur: volunt enim omnia adæquare ſuo intellectui: unde quæcumque non intelligunt, blaſphemant. Sic ſuit de diſcipulis: quia *& videntes eum adoraverunt*: Pſal. cxxxi. 7. „ Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius: “ *quidam autem dubitaverunt*: ideo Dominus tradidit ſe palpandum, ut dicitur Lucæ xxiv.

Et accedens Ieſus locutus eſt eis. Hic ponitur inſtructio ſacta a Chriſto. Et tria ſunt conſideranda. Primo poteſtatem denuntiat; ſecundo officium iniungit; tertio auxilium futurum promittit. Secunda ibi, *Euntes ergo docete omnes gentes*; tertia ibi, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*. Dicit ergo: *Et accedens Ieſus locutus eſt eis*. Diſcipuli diſpartiti erant: quia quidam eum in reverentiam habebant, quidam autem dubitabant; ideo indigebant utroque, ſcilicet quod maniſeſtaret ſe, & quod conſortaret eos. Sic acceſſit ad totum populum. Eſa. ix. 2. „ Populus (gentium) qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. “ Item nuntiavit poteſtatem: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Et, ſicut dicit Hieronymus, data eſt poteſtas ei qui a populo ante crucifixus eſt. Potentia Dei nihil aliud eſt quam omnipotentia; & hæc data non eſt Chriſto, quia non convenit Chriſto ſecundum humanitatem. Convenit autem ei aliquid & ſecundum quod homo, & ſecundum quod Deus: unde in Chriſto ſecundum quod homo, eſt ſcientia, voluntas, & liberum arbitrium, & ſimiliter ſecundum quod Deus. Duplex ergo in Chriſto eſt voluntas, ſcilicet creata, & increata. Poteſt ergo argui, quod duplex eſt potentia, & duplex ſcientia &c.

Eſt ergo quæſtio quare ſicut communicatur ei omnis ſcientia, quare non omnipotentia. Ratio eſt iſta. Scientia, & cognitio eſt ſecundum aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, quia ſufficit quod ſpecies cognitorum ſint in cognoſcente aliquo modo, vel ita quod per eſſentiam cognoſcat, vel quod ſint inditæ, vel ita quod accipiantur a rebus: qualitercumque ſint, ſufficit ad cognitionem: ideo non oportet quod eſſentia ſit omnium, ſed quod ſit capax omnium. Hoc autem eſt eſſe receptionis infinitæ, ſicut materia prima. Sed potentia activa ſequitur actum, quia quantum eſt actu, tantum habet agere; ideo qui habet omnipotentiam activam, habet potentiam ad actum omnium. Hoc autem non eſt niſi quia habeat potentiam infinitam: quod non convenit Chriſto inquantum homo, ſed ſolum inquantum Deus.

Quid ergo dicit quod *mihi eſt data omnis poteſtas in cælo, & in terra*? Notandum, ſecundum Hilarium, quod datio poteſt intelligi ſive quantum ad divinitatem, quia Pater ab æterno ſuam eſſentiam communicavit Filio; & quia ſua eſſentia eſt ſua potentia, ideo ab æterno dedit ſuam potentiam: vel poteſt etiam referri ad Chriſtum, ſecundum humanitatem. Sed intelligendum, quod humanitas Chriſti aliquid accepit gratia unionis, & hæc ſunt omnia quæ ſunt Deo propria; aliquid autem accepit conſequens unionem, ut plenitudinem gratiæ, & huiuſmodi, (*a*) & eſt quaſi effectus unionis. Ioan. i. 14. „ Vidimus eum quaſi unigenitum a Patre plenum gratiæ, & veritatis. “ In omnibus ergo his quæ inſunt Chriſto gratia unionis, non oportet quod omnia dicantur ſecundum duplicitatem, ſed in aliis quæ conſequuntur. Unde dico, quod potentia eſt data, non quia alia potentia ſit data, ſed data eſt ſecundum quod eſt unita Verbo, ut Filio Dei per naturam, ſed Chriſto per gratiam unionis.

Sed quare magis dicit poſt reſurrectionem, *Data eſt mihi omnis poteſtas*, quam ante reſurrectionem? Dicendum, quod in Scriptura dicitur aliquid fieri quando primo innoteſcit: ſic ergo ante reſurrectionem non ſuit ita maniſeſtata omnipotentia, licet eam habuerit; ſed tunc ſuit maxime maniſeſtata, quando potuit totum mundum convertere. Poſſumus & aliter dicere, quod poteſtas ſignificat quemdam honorem præſidentiæ, ſicut dicimus homines in potentatibus; & ſic accipitur hic poteſtas. Conſtat autem quod Chriſtus qui ab æterno habebat regnum mundi, ut Dei Filius, executionem accepit ex reſurrectione; quaſi dicat: Iam ſum in poſſeſſione. De iſta habetur Daniel. vii. 26. „ Iudicium ſedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat uſque in finem. Regnum autem, & poteſtas, & magnitudo regni detur populo ſanctorum Altiſſimi, cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſervient ei, & obedient. “ Unde intelligitur quædam præſidentia actualis: ſicut ſi exaltaretur Filius ad exercitium poteſtatis quam naturaliter habebat. Apocalyp. v. 12. „ Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem. “

Euntes ergo docete omnes gentes. Hic iniungit officium; & triplex iniungit officium,

(a) *Al.* & hæc eſt.

ficium. Primo docendi; ſecundo baptizandi; tertio officium informandi quantum ad mores. Dicit ergo: *Euntes ergo docete omnes gentes*. Et hoc ſic ſequitur, quaſi dicat: Data eſt mihi omnis poteſtas a Deo, quod non ſolum Iudæi, ſed etiam gentes convertantur ad me; ideo quia tempus eſt, *euntes docete omnes gentes*. Ioan. xx. 21. „ Sicut miſit me Pater, & „ ego mitto vos. “ Et Luc. xxii. 29. „ Ego „ diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater „ meus regnum. “ Et dicit, *Euntes ergo docete*: quia hoc eſt primum in quo debemus inſtrui, ſcilicet in fide: quia „ ſine fide impoſ„ ſibile eſt placere Deo: “ ad Hebr. xi. 6. Et ex hoc inolevit in Eccleſia quod primo catechizat baptizandos, ideſt inſtruit in fide. Et poteſtate accepta, mittit ad omnes gentes; & hoc eſt quod dicit: *Docete omnes gentes*. Eſa. xlix. 6. „ Dedi te in lucem gen„ tium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum „ terræ. “ Et poſtquam docti ſunt de fide, dat officium baptizandi: *Baptizantes eos &c.* quaſi diceret: Qui ad dignitatem promovetur, oportet quod primo notificetur ei dignitas, ut ei poſt (*a*) reverentia habeatur. Ad Galat. iii. 27. „ Quicumque in Chriſto „ baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. “ Sed quæ eſt forma baptiſmi? *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. In Chriſto duo ſunt, humanitas, & divinitas. Humanitas eſt via, non finis. Ioan. xiv. 6. „ Ego ſum via, ve„ ritas, & vita: “ veritas, tamquam finis contemplativæ, vita, tamquam finis activæ. Non volo quod in via, ſcilicet in humanitate, maneatis, ſed ulterius tranſeatis ad divinitatem; ideo (*b*) oportebat quod duo ſignarentur, humanitas, & divinitas. Per baptiſmum humanitas: ad Rom. vi. 4. „ Conſepul„ ti enim ſumus cum illo per baptiſmum in „ mortem? “ & per formam verborum, divinitas; ita quod ſanctificatio eſt per divinitatem; & ideo dicit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Et ratio eſt, quia per baptiſmum fit regeneratio, & in regeneratione tria requiruntur. Primo cui fiat; ſecundo per quem; tertio quo. Cui, ſcilicet Deo Patri, ut dicit Apoſtolus Roman. viii. 29. „ Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit con„ formes fieri imaginis Filii ſui. “ Et Ioan. i. 12. „ Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri „ his qui credunt in nomine eius. “ Per quem, quia per Filium. Galat. iv. 4. „ Mi„ ſit Deus Filium ſuum .... ut adoptionem „ filiorum reciperemus: “ quia per adoptionem ad naturalem filium ſumus filii. Item quo, quia accepimus donum Spiritus ſancti. Ad Roman. viii. 15. „ Non accepiſtis ſpiritum „ ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis „ ſpiritum adoptionis filiorum Dei. “ Ideo oportuit fieri mentionem de Patre, Filio, & Spiritu ſancto. Et iſta in baptiſmo Chriſti fuerunt: quia fuit Filius per quem, Pater a quo, & Spiritus ſanctus in columba. Et dicitur, *In nomine*, ideſt in invocatione nominis, vel in virtute nominis, quia virtutem habet. Hierem. xiv. 9. „ Tu autem in no„ bis es Domine, & nomen tuum invoca„ tum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos. “ Item dicit, *In nomine*, non in nominibus, & confunduntur hæreſes, quæ non ponunt diſtinctionem, in hoc quod dicit, *In nomine Patris, & Filii*. Sed confunditur Arrius per hoc quod in ſingulari dicit, *In nomine*.

Notandum, quod in primitiva Eccleſia baptizabatur in nomine Chriſti, & hoc ut redderetur nomen venerabile. Sed numquid modo ſufficeret? Credo quod non, quia expreſſa requiritur invocatio Trinitatis. In Chriſto continetur implicite Trinitas: ſic ergo inducit ut eos inſtrueret ad baptiſmum. Sed contra Apoſtolus dicit, quod non miſit eum Deus baptizare, ſed evangelizare, ſed baptizare per alios, ſicut Chriſtus non baptizabat, ſed diſcipuli eius.

Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Sed numquid ſufficit ad ſalutem credere, & baptizari? Non; immo etiam requiritur inſtructio morum; ideo dicit: *Docentes ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*. Pſal. cxviii. 4. „ Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri ni„ mis. “ Et dicit, *Quæ mandavi*, non quæ conſului. Unde infra x. 27. (*c*) *Quæ vobis dico, omnibus dico*.

Tunc ponit tertium: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Hic promittit auxilium; quare reſpondet dicentibus: Tu mandas quod doceamus omnes, non ſumus ſufficientes. Non timeatis, quia *ego vobiſcum ſum*. Et notate quod ſicut mandatum ponitur tranſire in omnes, ſic & auxilium: quia promittit Apoſtolis, & aliis ſimile exequentibus: unde ipſe ad Patrem orans dicit (Ioan. xvii. 20.) „ Non „ pro eis autem rogo tantum (ſcilicet diſci„ pulis) ſed & pro his qui credituri ſunt per „ verbum eorum in me. “ Unde omnibus communiter promittit. Ioan. xiv. 12. „ Qui „ credit in me, opera quæ ego facio, & „ ipſe faciet, & maiora horum faciet. “

(a) *Al.* in reverentia. (b) oportet quod ſignarentur & humanitas, & divinitas. (c) Ibi: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine &c.*

Digitized by Google

Item per omne tempus: unde dicit: *Omnibus diebus uſque ad conſummationem ſaeculi*. Non ſic dicit, ut quaſi poſt non ſit nobiſcum, niſi uſque ad conſummationem ſæculi, ſed quia tunc erimus per conſummationem in gloria. Apocalyp. xxi. 3. ,, Ecce tabernaculum Dei cum ,, hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi ,, populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis ,, erit eorum Deus. " Unde etiam Eſaiæ vii. dicitur, quod vocabitur nomen eius Emmanuel; quod interpretatur Nobiſcum Deus. *Uſque ad conſummationem ſaeculi*; quaſi dicat: Generatio fidelium fortior eſt quam mundus. Non enim peribit mundus, donec omnia fiant, ideſt Eccleſia fidelium conſummetur, & compleatur numerus electorum a Deo in vitam æternam, cui eſt honor, & poteſtas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

DIVI THOMAE AQUINATIS
DOCTORIS ANGELICI
IN EVANGELIUM B. IOANNIS
EXPOSITIO.

PROLOGUS S. THOMAE.

Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum; & plena erat omnis terra maieſtate eius; & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. Eſa. VI. 1.

VERBA propoſita ſunt contemplantis; & ſi capiantur quaſi ex ore Ioannis Evangeliſtæ prolata, ſatis pertinent ad declarationem huius Evangelii. Ut enim dicit Auguſtinus in Lib. de Conſenſu Evangeliſt. ceteri Evangeliſtæ informant nos in eorum Evangeliis, quantum ad vitam activam; ſed Ioannes in ſuo Evangelio informat nos etiam quantum ad vitam contemplativam. In verbis autem propoſitis deſcribitur contemplatio Ioannis tripliciter, ſecundum quod Dominum Ieſum eſt tripliciter contemplatus. Deſcribitur autem alta, ampla, & perfecta. Alta quidem: quia *vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum*: ampla quidem: quia *plena eſt omnis terra maieſtate eius*: perfecta: quia *ea quæ ſub ipſo erant replebant templum*. Circa primum ſciendum, quod altitudo, & ſublimitas contemplationis conſiſtit maxime in contemplatione, & cognitione Dei. Eſa. XL. 26. „ Levate in excelſo oculos veſtros, & videte „ quis fecit hæc. “ Tunc ergn homo oculos contemplationis in excelſo elevat, quando videt, & contemplatur ipſum rerum omnium creatorem. Quia ergo Ioannes tranſcendit quicquid creatum eſt, ſcilicet ipſos montes, ipſos cælos, ipſos Angelos; & pervenit ad ipſum creatorem omnium, ut dicit Auguſtinus, manifeſtum eſt quod contemplatio ſua altiſſima fuit; & ideo dicit, *Vidi Dominum*. Et quia, ſicut ipſe Ioannes dicit (infra XII. 41.) *Hæc dixit Eſaias, quando vidit gloriam eius*, ſcilicet Chriſti, *& locutus eſt de eo*: ideo Dominus ſedens ſuper ſolium excelſum, & elevatum, Chriſtus eſt. In hac autem contemplatione Ioannis circa Verbum incarnatum quadruplex altitudo deſignatur. Auctoritatis, unde dicit, *Vidi Dominum*; æternitatis, cum dicit, *Sedentem*; dignitatis, ſeu nobilitatis naturæ, unde dicit, *Super ſolium excelſum*; & incomprehenſibilis veritatis, cum dicit, *Et elevatum*. Iſtis enim quatuor modis antiqui Philoſophi ad Dei cognitionem pervenerunt. Quidam enim per auctoritatem Dei in ipſius cognitionem pervenerunt; & hæc eſt via efficaciſſima. (a)Videmus enim ea quæ ſunt in rebus naturalibus, propter finem agere, & cnnſequi utiles & certos fines; & cum intellectu careant, ſe ipſa dirigere non poſſunt, niſi ab aliquo dirigente per intellectum dirigantur, & moveantur: & hinc eſt quod ipſe motus rerum naturalium in finem certum, indicat eſſe aliquod altius, quo naturales res diriguntur in finem, & gubernantur. Et ideo, cum totus curſus naturæ ordinate in finem procedat, & dirigatur,

(a) *Al.* Videmus enim ea quæ ſunt in rebus naturalibus propter finem, & agere, & conſequi &c.

Digitized by Google

gatur, de neceſſitate oportet nos ponere aliquod altius, quod dirigat iſta; & ſicut Dominus gubernat, (*a*) hic eſt Deus: & hæc gubernandi auctoritas in Verbo Dei (*b*) demonſtratur, cum dicit, *Dominum*. Unde in Pſal. lxxxviii. 10. dicitur: „ Tu dominaris poteſtati maris; „ motum autem fluctuum eius tu mitigas; “ quaſi dicat: Tu es Dominus, & univerſa gubernas. Hanc cognitionem manifeſtat Ioannes ſe habere de Verbo, cum dicit (infra 1. 11.) *In propria venit*, ſcilicet in mundum: quia totus mundus eſt ſuus proprius. Alii vero venerunt in cognitionem Dei ex eius æternitate: viderunt enim quod quicquid eſt in rebus, eſt mutabile. (*c*) & quanto aliquid eſt nobilius in gradibus rerum, tanto minus habet de mutabilitate. Puta, inferiora corpora ſunt ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum locum mutabilia; corpora vero cæleſtia, quæ nobiliora ſunt, ſecundum ſubſtantiam immutabilia ſunt; ſecundum autem locum tantum moventur. Secundum hoc ergo evidenter colligi poteſt, quod primum principium omnium rerum, & ſupremum, & nobilius, ſit immobile, & æternum. Et hanc æternitatem Verbi Propheta inſinuat, cum dicit, *Sedentem*; ideſt, abſque omni mutabilitate, & æternitate præſidentem. Pſal. xliv. 7. „ Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi. “ Heb. ult. 8. „ Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula. “ Hanc æternitatem Ioannes oſtendit dicens: *In principio erat Verbum*. Quidam autem venerunt in cognitionem Dei, ex dignitate ipſius Dei; & iſti fuerunt Platonici. Conſideraverunt enim, quod omne illud quod eſt ſecundum participationem, (*d*) reducitur ad aliquid quod ſit illud per ſuam eſſentiam, ſicut ad primum, & ad ſummum; ſicut omnia ignita per participationem, reducuntur ad ignem, qui eſt per eſſentiam ſuam talis. Cum ergo omnia quæ ſunt, participent eſſe, & ſint per participationem entia, neceſſe eſt eſſe aliquid in cacumine omnium rerum, quod ſit ipſum eſſe per ſuam eſſentiam, ideſt quod ſua eſſentia ſit ſuum eſſe; & hoc eſt Deus, qui eſt ſufficientiſſima, & digniſſima, & perfectiſſima cauſa totius eſſe; a quo omnia quæ ſunt, participant eſſe: & huius dignitatis oſtenditur, cum dicitur, *Super ſolium excelſum*, quod, ſecundum Dionyſium, ad divinam naturam refertur. Pſal. cxii. 4. „ Excelſus ſuper omnes gentes Dominus. “ Hanc dignitatem oſtendit nobis Ioannes, cum dicit (infra 1. 1.) *Et Deus erat Verbum*; quaſi, Verbum erat Deus, ut ly *Verbum* ponatur ex parte ſuppoſiti, & *Deus* ex parte appoſiti. Quidam autem venerunt in cognitionem Dei, ex incomprehenſibilitate veritatis. Omnis enim veritas quam intellectus noſter capere poteſt, finita eſt: quia, ſecundum Auguſtinum, omne quod ſcitur, ſcientis comprehenſione finitur: & ſi finitur, eſt determinatum, & particularizatum; & ideo neceſſe eſt primam, & ſummam veritatem, quæ ſuperat omnem intellectum, incomprehenſibilem, & infinitam eſſe; & hoc eſt Deus: unde in Pſal. viii. 2. dicitur: „ Elevata eſt magnificentia tua ſuper „ cælos; “ ideſt, ſuper omnem intellectum creatum, angelicum, & humanum. Et hoc ideo, quia, ut dicit Apoſtolus (I. Tim. vi. 16.) „ lucem habitat inacceſſibilem. “ Huius autem incomprehenſibilitas veritatis oſtenditur nobis, cum dicit, *Et elevatum*, ſcilicet ſuper omnem cognitionem intellectus creati. Et hanc incomprehenſibilitatem inſinuat nobis Ioannes, cum dicit (infra 1. 18.) *Deum nemo vidit umquam*. Sic ergo contemplatio Ioannis alta fuit & quantum ad auctoritatem, & quantum ad æternitatem, & quantum ad dignitatem, & quantum ad Verbi incomprehenſibilitatem, quam nobis in ſuo Evangelio tradidit Ioannes. Fuit etiam ampla: tunc enim contemplatio ampla eſt, quando in eam poteſt aliquis conſiderare omnes effectus ipſius cauſæ; quando ſcilicet non ſolum eſſentiam cauſæ, ſed etiam virtutem eius ſecundum quam ſe ad multa diffundit, cognoſcit. De qua diffuſione dicitur Eccli. xxiv. 35. „ Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & quaſi Tigris in diebus novorum. “ Pſal. lxiv. 10. „ Flumen Dei repletum eſt aquis. “ Quia divina ſapientia altitudinem habet quantum ad cognitionem omnium rerum. Sap. ix. 9. „ Ab initio eſt tecum ſapientia, „ quæ novit opera tua. “ Quia ergo Ioannes Evangeliſta elevatus in contemplationem naturæ divini Verbi & eſſentiæ eſt, cum dicit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*: ſtatim virtutem ipſius Verbi, ſecundum quod diffundit ſe ad omnia, nobis inſinuat cum dicit: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Ideo contemplatio ſua ampla fuit; & ideo in auctoritate præmiſſa, poſtquam dixerat Propheta, *Vidi Dominum ſedentem*, ſubiungit (*e*) de virtute eius: *Et plena erat omnis terra maieſtate eius*; ideſt, tota plenitudo rerum, & univerſi eſt a maieſtate eius, & virtute Dei, per quem omnia facta ſunt, & cuius lumine omnes homines venientes in hunc mundum illuminantur. Pſal. xxiii. 1. „ Domini eſt terra, & plenitudo eius. “ Fuit etiam contemplatio eius perfecta: tunc enim (*f*) contempla-

(a) *Al.* & hic eſt &c. (b) *Al.* demonſtravit. (c) *Al.* & quando aliquis eſt nobilis in gradibus rerum, minus habet de mutabilitate. (d) *Al.* reducatur. (e) *Al.* de veritate. (f) *Al.* contemplatio eius perfecta eſt.

platio perfecta eſt , quando contemplans perducitur , & elevatur ad altitudinem rei contemplatæ . Si enim remaneret in infimis , quantumcumque alta ipſe contemplaretur , non eſſet contemplatio perfecta . Ad hoc ergo quod ſit perfecta , oportet quod aſcendat , & conſequatur ipſum finem rei conremplatæ , inhærendo , & aſſentiendo per affectum , & intellectum veritati contemplatæ . Iob XXXVII. 16. „ Numquid noſti ſemitas nubium (ideſt „ contemplationes prædicantium) quod perfectæ ſint ? “ inquantum firmiter per affectum , & intellectum inhærent ſummæ veritati contemplatæ . Quia ergo Ioannes non ſolum docuit quomodo Chriſtus Ieſus, Verbum Dei , eſt Deus ſuper omnia elevatus, & quomodo omnia. per ipſum facta ſunt ; ſed etiam quod per ipſum ſanctificamur , & ei per gratiam quam nobis infundit , inhæremus: dicit (infra 1. 16.) *De plenitudine eius omnes accepimus , gratiam pro gratia* . Ideo apparet quod ſua contemplatio perfecta fuit ; & hæc perfectio oſtenditur cum ſubdit: *Et ea qua ſub ipſo erant replebant templum*: nam, ſicut dicitur I. Corinth. XI. 3. „ caput Chriſti Deus . “ Quæ ergo ſub Chriſto ſunt , ſacramenta ſunt humanitatis , per quæ fideles replentur plenitudine gratiæ . Sic ergo *ea qua ſub ipſo erant , replebant templum* , ideſt fideles , qui ſunt templum Dei ſanctum , ſicut dicitur I. Corinth. III. inquantum (*a*) per ipſius ſacramenta humanitatis , fideles Chriſti omnes de plenitudine gratiæ ipſius accipiunt. Fuit ergo Ioannis contemplatio ampla , alta , & perfecta . Sed notandum , quod diverſimode diverſæ ſcientiæ iſtos tres modos contemplationis ſortiuntur. Perfectionem namque contemplationis habet ſcientia moralis , quæ eſt de ultimo fine ; plenitudinem autem ſcientia naturalis , quæ res a Deo procedentes conſiderat ; altitudinem vero contemplationis inter ſcientias phyſicas habet Metaphyſica . Sed Evangelium Ioannis , (*b*) quod diviſim ſcientiæ prædictæ habent , totum ſimul continet , & ideo eſt perfectiſſimum. Sic ergo ex præmiſſis colligitur materia huius Evangelii : quia cum Evangeliſtæ alii tractent principaliter myſteria humanitatis Chriſti , Ioannes ſpecialiter , & præcipue divinitatem Chriſti in Evangelio ſuo inſinuat , ut ſupra dictum eſt ; nec tamen prætermiſit myſteria humanitatis : quod ideo factum eſt , quia poſtquam alii Evangeliſtæ ſua Evangelia ſcripſerunt , inſurrexerunt hæreſes circa divinitatem Chriſti ; quæ erant , quod Chriſtus erat purus homo, ſicut Ebion, & Cerintus falſo opinabantur. Et ideo Ioannes Evangeliſta , qui veritatem divinitatis Verbi ab ipſo fonte divini pectoris hauſerat , ad preces fidelium , Evangelium iſtud ſcripſit , in quo doctrinam de Chriſti divinitate nobis tradidit , & omnes hæreſes confutavit. Patet ergo ordo iſtius Evangelii ex verbis præmiſſis . Primo enim inſinuat nobis *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum , & elevatum* , in prima parte , cum dicit (infra 1. 1.) *In principio erat Verbum* . In ſecunda vero parte inſinuat quomodo *omnis terra plena eſt maieſtate eius* , cum dicit (ibid. 3.) *Omnia per ipſum facta ſunt* . In tertia parte manifeſtat quomodo *ea qua ſub ipſo erant replebant templum* , cum ipſe dicit (ibid. 14.) *Verbum caro factum eſt* . Patet etiam finis huius Evangelii , qui eſt ut fideles templum Dei efficiantur, & repleantur a maieſtate Dei . Unde & ipſe Ioannes infra XX. 31. *Hac autem ſcripta ſunt , ut credatis quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei* . Patet etiam materia huius Evangelii , quod eſt cognitio divinitatis Verbi , patet ordo , patet & finis.

Sequitur conditio Auctoris , qui quidem deſcribitur in præmiſſis quantum ad quatuor : quantum ad nomen, quantum ad virtutem , quantum ad figuram , & quantum ad privilegium. Quantum ad nomen , quia Ioannes, qui huius Evangelii auctor fuit ; Ioannes autem interpretatur In quo eſt gratia : quia ſecreta divinitatis videre non poſſunt niſi qui gratiam Dei in ſe habent: (*c*) unde I. Corinth. II. 11. dicitur : „ Quæ ſunt Dei nemo cognovit niſi ſpiritus Dei . “ Ioannes ergo vidit Dominum ſedentem , quantum ad virtutem , quia fuit virgo: talibus enim competit videre Dominum. Matth. V. 8. „ Beati mundo corde . “ Quantum ad figuram, quia Ioannes figuratur per aquilam : & hoc , quia , cum aliis tres Evangeliſtæ circa ea quæ Chriſtus in carne eſt operatus , occupati , deſignentur per animalia quæ gradiuntur in terra , ſcilicet per hominem , vitulum , & leonem ; Ioannes vero ſupra nebulam infirmitatis humanæ ſicut aquila volans , lucem incommutabilis veritatis, altiſſimis, atque firmiſſimis oculis cordis intuetur , atque ipſam Deitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti , qua Patri æqualis eſt , intendens , eam in ſuo Evangelio, quantum inter omnes ſufficere credidit, ſtuduit præcipue commendare : & de hoc volatu Ioannis dicitur Iob XXXIX. 27. „ Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila ? “ ideſt (*d*) Ioannes. Et infra (ibid.) „ Oculi eius de longe proſpiciunt: “ (*e*) quia ſcilicet ipſum Ver-

(a) *Al.* per ipſum. (b) *Al.* quæ. (c) *Al. deeſt* unde. (d) *Al.* Ioannis. (e) *Al.* quaſi.

Digitized by Google

Verbum Dei in ſinu Patris, oculo mentis intuetur. Quantum ad privilegium: quia inter ceteros diſcipulos Domini, Ioannes magis fuit dilectus a Chriſto. *Iſte eſt enim diſcipulus ille quem diligebat Ieſus*: ſicut ipſemet non exprimens nomen ſuum (infra ult. 24.) dixit; & ideo, quia amicis revelantur ſecreta, ut dicitur ibid. xv. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*: ſecreta ſua huic diſcipulo ſpecialiter dilecto ſpecialiter commendavit. Unde Iob xxxvi. 32. dicitur: „ Immanibus (ideſt ſuperbis) abſcondit lucem (Chriſtus ſcilicet divinitatis ſuæ veritatem) & annuntiat de ea „ amico ſuo (ſcilicet Ioanni) quod poſſeſſio eius ſit &c. " quia ipſe eſt, qui lucem Verbi incarnati excellentius videns, ipſam nobis inſinuat, dicens, (infra 1. 9.) *Erat lux vera &c.* Patet ergo materia, ordo, finis, & auctor huius Evangelii Beati Ioann s quod præ manibus habemus.

PROLOGUS DIVI HIERONYMI

IN EVANGELIUM IOANNIS.

(a) HIc eſt Ioannes Evangeliſta, unus ex diſcipulis Domini, qui virgo a Deo electus eſt, quem de nuptiis, volentem nubere, vocavit Deus.

(b) Cui virginitatis in hoc duplex teſtimonium datur in Evangelio: & quod præ ceteris dilectus a Deo dicitur; & huic matrem ſuam pendens in cruce commendavit Dominus, ut virginem virgo ſervaret.

(c) Denique manifeſtans in Evangelio, quod erat ipſe incorruptibilis Verbi opus inchoans, ſolus Verbum carnem factum eſſe, nec lumen a tenebris comprehenſum fuiſſe, teſtatur, primum ſignum ponens quod in nuptiis fecit Dominus: oſtendens, quod ipſe erat: ut legentibus demonſtraret, quod ubi Dominus invitatus ſit, deficere nuptiarum vinum debeat; & veteribus immutatis nova omnia, quæ a Chriſto inſtituuntur, appareant. Hoc autem Evangelium ſcripſit in Aſia, poſteaquam in Pathmos inſula Apocalypſim ſcripſerat: ut cui in principio Canonis incorruptibile principium prænotatur in Geneſi, ei etiam incorruptibilis finis per virginem in Apocalypſi redderetur: dicente Chriſto: Ego ſum alpha, & omega.

(d) Et hic eſt Ioannes, qui ſciens ſuperveniſſe diem receſſus ſui, convocatis diſcipulis ſuis in Epheſo, per multa ſignorum experimenta promens Chriſtum, deſcendens in defoſſum ſepulturæ ſuæ locum, facta oratione poſitus eſt ad patres ſuos: tam extraneus a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus.

(e) Tamen poſt omnes Evangelium ſcripſit; & hoc virgini debebatur. Quorum tamen vel ſcriptorum temporis diſpoſitio, vel librorum ordinatio ideo a nobis per ſingula non exponitur, ut ſciendi deſiderio collato, & quærentibus fructus laboris, & Deo magiſterii doctrina ſervetur.

DIVI THOMAE IN HUNC PROLOGUM

EXPOSITIO.

(a) IN quo (a) duo intendit Hieronymus exprimere, ſcilicet auctorem Evangelii, & oſtendere quod ei ſcribere hoc Evangelium competebat. Dividitur ergo in duas partes. Primo ergo deſcribit Ioannem quantum ad vitam; ſecundo quantum ad mortem, ibi, *Et hic eſt Ioannes*. Circa primum duo facit. Primo deſcribit auctorem operis, quantum ad dona in vita ſibi collata; ſecundo ex illis oſtendit idoneitatem ad Evangelium conſcribendum, ibi, *Denique manifeſtans in Evangelio*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit præconia auctoris; ſecundo probat, ibi, *Cui virginitatis in hoc duplex teſtimonium datur in Evan-*

(a) *Al. deeſt* duo.

Digitized by Google

vangelio. Deſcribit enim auctorem, quantum ad nomen, dicens: *Hic eſt Ioannes*, in quo gratia. I. Corinth. xv. 10. „ Gratia Dei ſum id „ quod ſum. “ Secundo quantum ad officium, cum dicit, *Evangeliſta*. Eſai. xli. 27. „ Primus „ ad Sion dicet: Ecce adſum, & Hieruſalem „ Evangeliſtam dabo. “ Tertio quantum ad dignitatem, cum dicit, *Ex diſcipulis Domini*. Eſa. liv. 13. „ Ponam univerſos filios tuos do„ ctos a Domino. “ Quarto quantum ad caſtitatis virtutem, cum dicit, *Qui virgo*. Quinto ab electione: *Eſt electus a Domino*. Infra xv. 16. *Non vos me elegiſtis*. Sexto a modo vocationis, cum dicit, quod *de nuptiis vocavit*, ab illis ſcilicet nuptiis ad quas eſt invitatus Ieſus cum diſcipulis ſuis, ubi mutavit aquam in vinum.

Sed contra eſt quod dicitur Matth. xiv. (*a*) quod vocatus eſt cum Iacobo fratre ſuo de navi, non autem de nuptiis. Ad quod dicendum eſt, quod diverſæ fuerunt vocationes Apoſtolorum. Primo enim vocati fuerunt ad familiaritatem Chriſti; ſed ultimo vocati ad diſcipulatum, quando ſcilicet relictis omnibus, ſecuti ſunt Ieſum. Quod ergo Hieronymus dicit, intelligendum eſt de prima vocatione, qua Ioannes ad familiaritatem Chriſti de nuptiis eſt vocatus; quod vero Matthæus dicit, intelligendum eſt de ultima vocatione, qua de navi vocavit cum Iacobo fratre ſuo, quando ſcilicet relictis omnibus, ſecutus eſt Chriſtum.

(b) Conſequenter cum dicit, *Cui virginitatis in hoc duplex teſtimonium datur*, probat præconium virginitatis Ioannis duplici ſigno. Primo ſigno maioris dilectionis, & quantum ad hoc dicit: *Cui*, ſcilicet Ioanni, *in hoc*, ſcilicet Evangelio, *duplex teſtimonium virginitatis datur in Evangelio*, ideſt ex verbis Evangelii, ſive quæ continentur in Evangelio, *quod & præ ceteris diſcipulis a Deo dilectus dicitur*. Infra xxi. 24. *Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc*. Cauſa autem huius ſpecialis dilectionis fuit munditia, quæ ad dilectionem provocat, ut dicitur Prov. xxii. 11. „ Qui diligit cordis munditiam, pro„ pter gratiam labiorum, habebit amicum Re„ gem. “ Secundo probat idem ſigno commendationis matris, cum dicit: *Et huic*, ſcilicet Ioanni, (*b*) *Dominus*, ſcilicet in cruce pendens, *matrem commendavit*, ut dicitur Ioan. xix. *ut virgo*, ſcilicet Ioannes, *virginem* matrem congrue *ſervaret*.

(c) Deinde cum dicit, *Denique manifeſtans in Evangelio &c.* oſtendit quod Ioanni competebat Evangelium ſcribere; & hoc quantum ad quatuor. Primo quantum ad principium Evangelii, quod incipiat a Verbo incorruptibili, de quo non niſi incorruptum tractare oportuit; & quantum ad hoc dicit: *Denique manifeſtans*, ſcilicet Ioannes, *in Evangelio*, (*c*) *quod ipſe erat incorruptibilis Verbi opus inchoans, ſolus Verbum carnem factum eſſe, nec lumen a tenebris comprehenſum fuiſſe teſtatur*. Secundo quantum ad miraculorum exordium: incipit enim miraculorum ordinem texere a miraculo quod Deus in nuptiis oſtendit, quando ſcilicet aquam mutavit in vinum, ut patet Ioan. ii. in quibus vinum nuptiarum defecit, vino novo, ſcilicet virginitatis, reſtituto. Et quantum ad hoc dicit: *Primum ſignum*, ideſt miraculum, *quod in nuptiis fecit Dominus, ponens*, ſcilicet in principio aliorum miraculorum, *oſtendens quod ipſe erat*, ſcilicet virgo, *ut legentibus demonſtraret, quod ubi Dominus invitatus ſit, deficere vinum nuptiarum*, ideſt coniugii delectatio, *debeat*; *& veteribus immutatis*, ideſt antiqua aqua in novum vinum, *nova omnia quæ a Chriſto inſtituuntur, appareant*: quia ſcilicet homines converſi ad Chriſtum, debent exuere veterem, & induere novum hominem; ut dicitur Col. iii. 10. & Apocal. xxi. 5. „ Dicit „ qui ſedebat in throno: Ecce nova facio o„ mnia. “

Sed contra. Videtur per hoc quod dicit, quod *ubi Dominus invitatus eſt, debeat deficere vinum nuptiarum*, quod quicumque Deum amat, & diligit, debet ceſſare a coniugio: non ergo licet uxorem ducere.

Reſpondeo dicendum, quod homo invitatur a Deo dupliciter: quantum ad communem gratiam, & ſic non eſt neceſſe deficere vinum nuptiarum; & quantum ad ſpeciale contemplationis faſtigium, & ſic oportet deficere vinum nuptiarum. Cuius rationem Apoſtolus aſſignat I. Corinth. vii. 34. „ Quia mulier, quæ „ nupta eſt, cogitat quomodo placeat viro: “ & ideo oportet quod ab actu contemplationis impediatur: „ quæ autem nupta non eſt, „ cogitat quomodo placeat Chriſto. “ Vel dicendum, quod diligentibus Deum, & habentibus ipſum per gratiam, deficere debet vinum nuptiarum ab effectu vini, ut ſcilicet non inebrietur delectatione carnali, quæ tanta poſſet eſſe, & cum tanta libidine exerceri, quod etiam in coniugatis eſſet peccatum mortale.

Tertio quantum ad ordinem deſcriptionis libri: nam poſt omnes alios libros ſacræ Scripturæ hoc Evangelium eſt ſcriptum. Cum enim canonica Scriptura incipiat a Libro Geneſis, & terminetur in Apocalypſim; Evangelium iſtud conſcriptum fuit, poſtquam Ioannes revocatus eſt a Pathmos inſula Aſiæ, ubi ad pre-

(a) *Al.* qui. (b) Al. *Deus*. (c) Al. *quod ipſe erat virgo incorruptibilis fuiſſe teſtatur*.

ces Epiſcoporum Aſiæ hoc ſcripſit Evangelium. Non tamen ordinatur ultimo, licet ultimo ſcripſerit: ex quo congruentia ſcribendi Evangelium (*a*) oſtenditur. *Ut cui in principio canonis*, ideſt ſacræ Scripturæ, ubi dicitur: „ In „ principio creavit Deus cælum & terram: “ *incorruptibile principium prænotatur in Geneſi*, *ei etiam incorruptibilis finis per virginem in Apocalypſi redderetur*: quantum ad ordinem librorum, non quantum ad ordinem Scripturæ.

(d) Deinde cum dicit, *Et hic eſt Ioannes*, deſcribit auctorem: & circa hoc duo facit. Primo ponit præconia ſuæ laudis quantum ad mortem; ſecundo concludit ex his congruentiam ordinis huius Evangelii, ibi, *Tamen poſt omnes Evangelium ſcripſit*. Privilegium autem mortis admirabile, & ſpeciale eſt, quia nullum dolorem ſenſit in morte; & hoc Deo faciente, ut qui a corruptione carnis extitit penitus alienus, eſſet a dolore mortis extraneus.

(e) Congruentiam auctoris (*b*) ad finem oſtendit, dicens: *Tamen poſt omnes Evangelium ſcripſit*. In Libris ſacræ Scripturæ duplex ordo conſideratur, unus ſcilicet temporis quo ſcripti fuerunt, & alius diſpoſitionis quo in Biblia ordinantur.

(a) *Al.* oſtendit. (b) *Al.* ad fidem.

SAN-

SANCTUM
IESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM.

CAPITIS PRIMI

LECTIO I.

(a) IN principio erat Verbum, (b) & Verbum erat apud Deum, (c) & Deus erat Verbum. (d) Hoc erat in principio apud Deum.

(a) EVangeliſta Ioannes, ſicut dictum eſt, intendit principaliter oſtendere divinitatem Verbi incarnati; & ideo dividitur iſtud Evangelium in partes duas. Primo enim inſinuat Chriſti divinitatem; ſecundo manifeſtat eam per eam quæ Chriſtus in carne fecit, & boc 11. cap. *Et die tertia*. Circa primum duo facit. Primo proponit Chriſti divinitatem; ſecundo ponit modum quo Chriſti divinitas nobis innotuit, ibi, *Et vidimus gloriam eius &c.* Circa primum duo facit. Primo agit de divinitate Chriſti; ſecundo de Verbi Dei incarnatione, ibi, *Fuit homo miſſus a Deo*. Quia vero in unaquaque re ſunt conſideranda duo, ſcilicet eſſe, & operatio, ſive virtus ipſius; ideo primo agit de eſſe Verbi quantum ad naturam divinam; ſecundo de virtute, ſeu operatione ipſius, ibi, *Omnia per ipſum facta ſunt*. Circa primum quatuor facit. Primo oſtendit quando erat Verbum, quia *in principio erat Verbum*; ſecundo ubi erat, quia *apud Deum*, unde dicit, *Et Verbum erat apud Deum*; tertio quid erat, quia Deus, unde ſubiungit, *Et Deus erat Verbum*; quarto quomodo erat, quia *hoc erat in principio apud Deum*. Prima duo pertinent ad quæſtionem an eſt; ſecunda vero duo pertinent ad quæſtionem quid eſt. Circa primum autem videndum eſt quid ſit hoc quod dicitur, *In principio erat Verbum*: ubi tria diligenter inquirenda concurrunt, ſecundum tres dictiones huius orationis. Et primo quid ſit hoc quod dicitur *Verbum*; ſecundo quid ſit hoc quod dicitur *In principio*; tertio quid ſit hoc quod dicitur, *Verbum erat in principio*. Ad intellectum autem huius nominis *Verbum*, ſciendum eſt, quod ſecundum Philoſophum (I. Perh. lect. 11.) ea quæ ſunt in voce, ſunt ſigna earum quæ ſunt in anima paſſionum. Conſuetum eſt autem in Scriptura, quod ſignificata nominantur nominationibus ſignorum; ſicut illud I.Corinth. x. 1. „ Petra autem erat „ Chriſtus. " De neceſſitate autem oportet quod illud intrinſecum animæ noſtræ, quod (*a*) ſignificatur exteriori verbo noſtro, verbum vocetur. Utrum autem per prius conveniat nomen verbi rei exteriori voce prolatæ, vel ipſi conceptioni mentis, nihil refert ad præſens. Planum eſt tamen quod illud quod voce ſignificatur, interius exiſtens in anima, prius eſt quam ipſum verbum exteriori voce prolatum, utpote cauſa eius exiſtens. Si ergo volumus ſcire quod eſt interius verbum mentis, videamus quid ſignificat quod exteriori voce profertur. In intellectu autem noſtro ſunt tria: ſcilicet ipſa potentia intellectus; ſpecies rei intellectæ, quæ eſt forma eius, ſe habens ad ipſum intellectum, ſicut ſpecies coloris ad pupillam; & tertio ipſa operatio intellectus, quæ eſt intelligere. Nullum autem iſtorum ſignificatur verbo exteriori voce prolato: nam hoc nomen lapis non ſignificat ſubſtantiam intellectus, quia hoc non intendit dicere nominans; nec ſignificat ſpeciem, quæ eſt (*b*) qua intellectus intelligit, cum etiam hoc non ſit intentio nominantis; non ſignificat etiam ipſum intelligere, cum intelligere non ſit actio exterius progrediens ab (*c*) intelligente, ſed in ipſo manens. Illud ergo proprie dicitur verbum interius quod intelligens intelligendo format. Intellectus autem duo format, ſecundum duas eius operationes: nam ſecundum operationem ſuam quæ dicitur indiviſibilium intelligentia, format diffinitionem; ſecundum vero operationem ſuam qua componit, & dividit, format enuntiationem, vel aliquid huiuſmodi: & ideo illud ſic formatum, & expreſ-

(a) *Al.* ſignificat. (b) *Al.* quo. (c) *Al.* ab intelligere.

preſſum per operationem intellectus, vel diffinientis, vel enuntiantis, exteriori voce ſignificatur. Unde dicit Philoſophus, quod ratio quam ſignificat nomen, eſt diffinitio. Iſtud ergo ſic expreſſum, ſcilicet formatum in anima, dicitur verbum interius; & ideo comparatur ad intellectum non ſicut quo intellectus intelligit, ſed ſicut in quo intelligit: quia in ipſo expreſſo, & formato videt naturam rei intellectæ. Sic ergo habemus ſignificationem huius nominis *Verbum*. Secundo ex his quæ dicta ſunt concipere poſſumus, quod verbum ſemper eſt (a) aliquid procedens ab intellectu in actu exiſtente. Iterum quod verbum ſemper eſt ratio, & ſimilitudo rei intellectæ. Et ſi quidem eadem res ſit intelligens, & intellecta, tunc verbum eſt ratio, & ſimilitudo intellectus, a quo procedit; ſi autem ſit aliud intelligens, & intellectum, tunc verbum non eſt ſimilitudo, & ratio intelligentis, ſed rei intellectæ; ſicut conceptio quam aliquis habet de lapide, eſt ſimilitudo lapidis tantum. Sed quando intellectus intelligit ſe, tunc huiuſmodi verbum eſt ſimilitudo, & ratio intellectus. Et ideo Auguſtinus (de Trin. Lib. IX. cap. V.) ponit ſimilitudinem Trinitatis in anima, ſecundum quod mens intelligit ſeipſam, non autem ſecundum quod intelligit alia. Patet ergo quod in qualibet natura intellectuali neceſſe eſt ponere verbum: quia de ratione intelligendi eſt quod intellectus intelligendo aliquid formet; huius autem formatio dicitur verbum; & ideo in omni intelligente oportet ponere verbum. Natura autem intellectualis eſt triplex, ſcilicet humana, angelica, & divina; & ideo triplex eſt verbum. Scilicet humanum, de quo in Pſal. XIII. 1. „ Dixit inſipiens in corde ſuo: Non „ eſt Deus. “ Eſt & angelicum, de quo Zac. 1. 9. & in multis locis ſacræ Scripturæ dicitur: „ Dixit Angelus ad me &c “ Tertium eſt verbum divinum, de quo Geneſ. 1. 5. „ Di„ xit Deus, Fiat lux &c. “ Cum ergo Evangeliſta dicit: *In principio erat Verbum*, non intelligi poteſt de humano, vel angelico verbo: quia utrumque iſtorum verborum eſt factum, cum homo, & Angelus habeant ſui eſſe, & operationis principium, & cauſam; verbum autem hominis, vel Angeli, non poteſt præexiſtere eis. De quo autem verbo intellexerit Evangeliſta, declarat per hoc quod dicit, hoc verbum non eſſe factum, cum omnia ſint facta per ipſum; hoc autem eſt Verbum Dei, de quo Ioannes hic loquitur.

Sciendum eſt autem, quod hoc Verbum differt a noſtro verbo in tribus. Prima differentia eſt, ſecundum Auguſtinum, quia verbum noſtrum prius eſt (b) formabile, quam formatum: nam cum volo concipere rationem lapidis, oportet quod ad ipſam ratiocinando perveniam; & ſic eſt in omnibus aliis quæ a nobis intelliguntur; niſi forte in primis principiis, quæ cum ſint ſimpliciter nota, abſque diſcurſu rationis ſtatim ſciuntur: quamdiu ergo ſic ratiocinando intellectus iactatur hac atque illac, nec dum formatio perfecta eſt, niſi quando ipſam rationem rei perfecte conceperit; & tunc primo habet rationem rei perfecte, & tunc primo habet rationem verbi. Et inde eſt quod in anima noſtra eſt cogitatio, per quam ſignificatur ipſe diſcurſus inquiſitionis, & verbum, quod eſt iam formatum ſecundum perfectam contemplationem veritatis. Sic ergo verbum noſtrum primo eſt in potentia quam in actu. Sed Verbum Dei ſemper eſt in actu; & ideo nomen cogitationis Verbo Dei proprie non convenit. Dicit enim Auguſtinus XV. de Trin. cap. XIV. „ Ita dicitur Verbum Dei, ut cogitatio „ non dicatur, ne qnid quaſi volubile cre„ datur in Deo. “ Id autem quod Anſelmus dicit, ſcilicet: „ Dicere ſummo ſpiritui ni„ hil aliud eſt quam cogitando intueri: “ improprie dictum eſt. Secunda vero differentia verbi noſtri ad Verbum divinum eſt, quia verbum noſtrum eſt imperfectum; ſed Verbum divinum eſt perfectiſſimum: quia enim nos non poſſumus omnes noſtras conceptiones uno verbo exprimere, ideo oportet quod plura verba imperfecta (c) formemus, per quæ diviſim exprimamus omnia quæ in ſcientia noſtra ſunt. In Deo autem non eſt ſic: cum enim intelligat & ſeipſum etiam, & quicquid intelligit per eſſentiam ſuam uno actu, unicum Verbum divinum eſt expreſſivum totius quod in Deo eſt, non ſolum perſonarum, ſed etiam creaturarum: alias eſſet imperfectum. Unde dicit Auguſtinus: „ Si quid minus eſſet in Verbo, quam „ in dicentis ſcientia continetur, Verbum „ imperfectum eſſet; ſed conſtat quod eſt per„ fectiſſimum: ergo eſt tantum unum. “ Iob III. 14. „ Semel loquitur Deus. “ Tertia differentia eſt quod verbum noſtrum non eſt eiuſdem naturæ nobiſcum; ſed Verbum divinum eſt eiuſdem naturæ cum Deo; & ideo eſt aliquid ſubſiſtens in natura divina. Nam ratio intellecta, quam intellectus videtur de aliqua re formare, habet eſſe intelligibile tantum in anima noſtra; intelligere autem in anima noſtra non eſt idem quod eſt (d) natura

natura

(a) *Al.* aliud. (b) *Al.* formale. (c) *Al. deeſt* formemus. (d) *Al.* naturale.

Digitized by Google

tura animæ, quia anima non eſt ſua operatio; & ideo verbum quod format intellectus noſter, non eſt de eſſentia animæ, ſed eſt accidens ei. In Deo autem idem eſt intelligere, & eſſe; & ideo Verbum intellectus divini, non eſt aliquid accidens, ſed pertinens ad naturam eius. Unde oportet quod ſit ſubſiſtens, quia quicquid eſt in natura Dei, eſt Deus. Unde dicit Damaſcenus, quod Deus Verbum ſubſtantiale eſt, & in hypoſtaſi ens, reliqua vero, verba noſtra ſcilicet, virtutes ſunt animæ.

Ex præmiſſis etiam patet quod Verbum, proprie loquendo, ſemper perſonaliter accipitur in divinis, cum non (a) importet niſi quid expreſſum ab intelligente. Item quod Verbum in divinis ſit ſimilitudo eius a quo procedit; & quod ſit coæternum ei a quo procedit, cum non prius fuerit (b) formabile quam formatum, ſed ſemper in actu; & quod ſit æquale Patri, cum ſit perfectum, & totius eſſe Patris expreſſivum; & quod (c) ſit coeſſentiale, & conſubſtantiale Patri, cum ſit ſubſtantia eius. Patet etiam quod, cum in qualibet natura illud quod procedit, habens ſimilitudinem naturæ eius a quo procedit, vocetur filius; & hoc Verbum procedat in ſimilitudine, & identitate naturæ eius a quo procedit; convenienter & proprie dicitur Filius; & productio eius dicitur generatio. Sic ergo patet primum, ſcilicet quod ſit hoc quod dicitur *Verbum*.

Circa hoc autem quatuor quæſtiones occurrunt. Duæ ſunt Chryſoſtomi. Prima eſt cur Ioannes Evangeliſta Patrem dimittens, confeſtim incepit a Filio, dicens: *In principio erat Verbum*. Ad hoc autem eſt duplex reſponſio. Una eſt, quia Pater omnibus innotuerat in veteri teſtamento, quamvis non in ratione Patris, ſed ut Deus; Filius autem ignorabatur: & ideo in novo teſtamento, in quo agitur de cognitione Verbi, incipit a Verbo, ſive Filio. Alia eſt, quia per Filium ducimur in notitiam Patris. Infra XVII. 16. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi.* Volens ergo fideles in notitiam Patris ducere Evangeliſta, decenter incepit a Filio, ſtatim ſubiungens de Patre, cum dicit: *Et Verbum erat apud Deum*.

Secunda quæſtio eſt etiam Chryſoſtomi: cum enim, ſicut dictum eſt, Verbum procedat ut Filius, quare dicitur *Verbum*, & non Filius? Ad hoc etiam dupliciter reſpondetur. Primo quia Filius dicit aliquid genitum, & cum audimus generationem Filii, poſſet quis cogitare generationem illam talem eſſe qualem comprehendere poteſt, ſcilicet materialem, & paſſibilem: ideo ergo non dixit Filius, ſed *Verbum*, quod importat intelligibilem proceſſum, ut non intelligatur materialem, & paſſibilem generationem illam fuiſſe. Oſtendens igitur Filium ex Deo impaſſibiliter naſci, deſtruit vitioſam ſuſpicionem per Verbi nuncupationem. Aliter poteſt dici ſic. Evangeliſta tractaturus erat de Verbo, inquantum venerat ad manifeſtandum Patrem. Unde cum ratio manifeſtationis magis importetur in nomine Verbi, (d) quam in nomine Filii, ideo magis eſt uſus nomine Verbi.

Tertia quæſtio eſt Auguſtini in Lib. LXXXIII. Quæſt. quæſt. LXIII. quæ talis eſt. In Græco, ubi nos habemus *Verbum*, habetur *Logos*: cum ergo *Logos* ſignificet in Latino rationem, & verbum, quare translatores tranſtulerunt verbum, & non rationem, cum ratio ſit quid intrinſecum, quemadmodum etiam verbum? Reſpondeo dicendum, quod ratio proprie nominat conceptum mentis, (e) ſecundum quod in mente eſt, etſi nihil per illam exterius fiat; per verbum vero ſignificatur reſpectus ad exteriora: & ideo, quia Evangeliſta per hoc quod dixit *Logos*, non ſolum intendebat ſignificare reſpectum ad exiſtentiam Filii in Patre, ſed etiam operativam potentiam Filii, (f) qua per ipſum facta ſunt omnia, magis antiqui (g) tranſtulerunt verbum, quod importat reſpectum ad exteriora, quam ratio, quæ tantum conceptum mentis (h) inſinuat.

Quarta quæſtio eſt Origenis, quæ talis eſt. Scriptura in pluribus locis, loquens de Verbo Dei, nominat ipſum non abſolute Verbum, ſed cum additione, ſcilicet Dei, cum dicit Verbum Dei, vel Domini. Eccli. I. 5. „ Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis. “ Et Apocal. XIX. 13. „ Et nomen eius Verbum Dei. “ Quare ergo Evangeliſta, cum loqueretur hic de Verbo Dei, non dixit: *In principio erat Verbum Dei*; ſed dixit tantummodo, *Verbum*? Reſpondeo dicendum, quod licet ſint multæ veritates participatæ, eſt tamen una veritas abſoluta, quæ per ſuam eſſentiam eſt veritas, ſcilicet ipſum eſſe divinum: qua veritate omnia verba ſunt verba. Eodem modo eſt una ſapientia abſoluta ſupra omnia elevata, ſcilicet ſapientia divina, per cuius participationem omnes ſapientes ſunt ſapientes; (i) & etiam unum Verbum abſolutum, cuius participatione omnes habentes verbum, dicuntur dicentes. Hoc autem eſt Verbum divinum, quod per ſeipſum eſt Verbum ſuper omnia verba elevatum. Ut ergo Evangeliſta hanc ſupereminentiam divini Verbi

(a) *Al.* oportet. (b) *Al.* formale. (c) *Al.* poteſt. (d) *Al.* quam Filii. (e) *Al.* ſed. (f) *Al.* quia. (g) *Al.* tranſtulerunt per verbum. (h) *Al.* innuat. (i) *Al.* & etiam eſt unum verbum.

Digitized by Google

bi ſignificaret, ipſum Verbum abſque illa additione nobis abſolute propoſuit: & quia Græci, quando volunt ſignificare aliquid ſegregatum, & elevatum ab omnibus aliis, conſueverunt apponere articulum nomini per quod illud ſignificatur; ſicut Platonici, volentes ſignificare ſubſtantias ſeparatas, puta bonum ſeparatum, vel hominem ſeparatum, vocabant illud ly per ſe bonum, vel ly per ſe hominem: ideo Evangeliſta volens ſignificare ſegregationem, & elevationem iſtius Verbi ſuper omnia, appoſuit articulum ad hoc nomen *Logos*, (*a*) ut ſi dicatur in Latino, ly *Verbum*.

Secundo conſiderandum eſt quid ſignificet hoc quod dicit, *In principio*. Sciendum eſt autem, quod principium, ſecundum Origenem, multis modis dicitur. Cum enim principium importet ordinem quemdam ad alia, neceſſe eſt invenire principium in omnibus in quibus eſt ordo. Invenitur autem ordo in quantitatibus; & ſecundum hoc dicitur principium in numeris, & longitudine, puta lineæ. Invenitur etiam ordo in tempore; & ſecundum hoc dicitur principium temporis, vel durationis. Invenitur ordo in diſciplinis; & hic eſt duplex, ſecundum naturam, & quo ad nos, & utroque modo dicitur principium. Heb. v. 12. „ Deberetis eſſe magiſtri (*b*) propter tempus. “ Et hoc modo, ſecundum naturam quidem, in diſciplina chriſtiana initium & principium ſapientiæ noſtræ eſt Chriſtus, inquantum eſt ſapientia, & Verbum Dei, ideſt ſecundum divinitatem. Quo ad nos vero, principium eſt ipſe Chriſtus, inquantum Verbum caro factum eſt, ideſt ſecundum eius incarnationem. Invenitur etiam ordo in productione rei; & ſecundum hoc, principium dicitur ex parte generati, ſcilicet ipſa prima pars generati, ſeu facti; ſicut fundamentum dicitur principium domus. Vel ex parte facientis; & ſic eſt triplex principium; ſcilicet intentionis, quod eſt finis, quod movet agentem; rationis, quod eſt ipſa forma in mente artificis; & executionis, quod eſt potentia operans. His igitur modis de principio inquirendum eſt, quomodo ſumatur hic principium, cum dicit: *In principio erat Verbum*.

Dicendum eſt igitur, quod poteſt ſumi tripliciter. Uno modo ſecundum quod principium ſupponit pro perſona Filii, quod principium eſt creaturarum ſecundum rationem virtutis activæ, & per modum ſapientiæ, quæ eſt ratio eorum quæ fiunt. Unde dicitur I. Cor. I. 24. „ Chriſtum Dei virtutem, „ & Dei ſapientiam. “ Unde & Dominus de ſe dicit infra VIII. 25. *Ego principium, qui & loquor vobis*. Sic ergo accipiendo principium, intelligendum eſt quod dicitur, *In principio erat Verbum*, ac ſi diceret: In Filio erat Verbum: ut ſit ſenſus, ipſum Verbum eſt principium, ex modo loquendi, quo dicitur vita eſſe in Deo, quæ tamen non eſt aliud quam ipſe Deus: & hæc eſt expoſitio Origenis. Dicit ergo hic Evangeliſta, (*c*) *In principio*, ut ſtatim in principio divinitatem Verbi oſtenderet, ut Chryſoſtomus dicit, dum aſſerit ipſum eſſe principium: quia ſecundum determinationem omnium, principium eſt honoratiſſimum. Secundo modo poteſt accipi principium, prout ſupponit pro perſona Patris, quod eſt principium non ſolum creaturarum, ſed omnis divini proceſſus. Et ſic accipitur in Pſal. CIX. 3. „ Tecum principium in die „ virtutis tuæ. “ Secundum hoc ergo dicitur: *In principio erat Verbum*; ac ſi diceretur: In Patre erat Filius. Et hæc eſt expoſitio Auguſtini, & etiam Origenis. Dicitur autem Filius eſſe in Patre, quia eiuſdem eſſentiæ eſt cum Patre. Cum enim Filius ſit ſui eſſentia, in quocumque eſt eſſentia Filii, eſt Filius: quia ergo in Patre eſt eſſentia Filii per conſubſtantialitatem, conveniens eſt quod Filius ſit in Patre. Unde infra XIV. 10. dicitur: *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Tertio modo poteſt accipi principium pro principio durationis, ut ſit ſenſus: *In principio erat Verbum*; ideſt, Verbum erat ante omnia, ut Auguſtinus exponit, & deſignatur per hoc Verbi æternitas, ſecundum Baſilium, & Hilarium: per hoc enim quod dicitur, *In principio erat Verbum*, oſtenditur quod quodcumque principium durationis accipiatur, ſive rerum temporalium, quod eſt tempus, ſive (*d*) æviternarum, quod eſt ævum, ſive totius mundi, ſive quodcumque imaginatum extenſum per multa ſæcula; in illo principio iam erat Verbum. Unde Hilarius dicit VII. de Trin. „ Tranſeuntur tempora, tranſcenduntur ſæcula, „ tolluntur ætates: pone aliquid, quod vo„ les tuæ opinionis (*e*) principium; Verbum „ iam erat, unde tractatur. “ Et hoc eſt, quod dicitur Prov. VIII. 22. „ Dominus poſ„ ſedit me in initio viarum ſuarum, ante quam „ quicquam faceret a principio. “ Quod autem eſt ante durationis principium, eſt æternum. Sic igitur ſecundum primam expoſitionem, aſſeritur Verbi cauſalitas; ſecundum autem ſecundam, Verbi conſubſtantialitas ad Patrem, qui Verbum loquitur; ſecundum vero tertiam, Verbi coæternitas.

Conſiderandum eſt etiam hic, quod dicitur *Ver-*

(a) *Al.* ut ſic dicatur. (b) *Al.* per. (c) Al. omittitur *in principio*. (d) *Al.* æternitatum. (e) *Al.* princicipium iam erat.

Verbum erat, quod eſt temporis præteriti imperfecti; (*a*) & hoc maxime videtur competere ad deſignandum æterna, ſi attendamus naturam temporis, & eorum quæ ſunt in tempore. Quod futurum eſt, nondum eſt actu; præſens autem actu eſt, & per hoc quod eſt actu præſens, non deſignatur fuiſſe; præteritum autem perfectum deſignat aliquid extitiſſe, & eſſe iam determinatum, & iam deſuiſſe: ſed præteritum imperfectum ſignificat aliqnid ſuiſſe, & non eſſe adhuc determinatum, nec deſuiſſe, ſed adhuc remanere: ideo ſignanter Ioannes, ubicumque ponit aliquid æternum, dicit *erat*; ubi vero dicit aliquid temporale, dicit *fuit*, ut inſra patebit. Sed quantum ad rationem præſentis competit maxime ad deſignandum ęternitatem præſens tempus, quod ſignat aliquid eſſe in actu, quod ſemper convenit æternis: & ideo dicitur Exod. III. 14. „ Ego ſum qui ſum; “ & Auguſtinus dicit, quod „ ille ſolus vere eſt, „ cuius eſſe non novit præteritum, & ſutu- „ rum. “

Eſt etiam conſiderandum, quod hoc verbum *erat*, ſecundum Gloſſam, non ſumitur hic inquantum ſignificat temporales motus, more aliorum verborum, ſed ſecundum quod ſignat rei exiſtentiam: unde & verbum ſubſtantivum dicitur.

Sed poteſt aliquis quærere, cum Verbum ſit genitum a Patre, quomodo poſſit eſſe Patri coæternum: homo enim filius a patre homine genitus, eſt eo poſterior. Ad quod dicendum eſt, quod principium originis invenitur eſſe prius duratione eo quod eſt ex principio, propter tria. Primo quidem quia principium originis alicuius rei, præcedit tempore actionem (*b*) qua producit rem cuius eſt principinm; ſicut non ſtatim quando homo eſt, incipit ſcribere, & ideo tempore præcedit ſcripturam. Secundo per hoc quod actio ſucceſſionem habet, & ideo etiam ſi ſimul cum agente incipiat, tamen terminus actionis eſt poſt agentem; ſicut ſimul cum generatus eſt ignis in iſtis inferioribus, incipit ſurſum tendere; prius tamen eſt ignis quam ſit ſurſum, quia motus quo ſurſum tendit, quodam tempore menſuratur. Tertio modo eo quod ex voluntate principii determinatur initinm durationis eius quod eſt in principio, ſicut ex volnntate Dei determinatur initium durationis creaturæ: unde prius fuit Deus quam creatura. Nihil autem horum trium in generatione divini Verbi invenitur: non enim Deus primo fuit quam (*c*) inceperit generare Verbum. Cum enim generatio Verbi nihil aliud ſit quam intelligibilis conceptio, ſequeretur quod Deus eſſet prius intelligens in potentia quam in actu, qnod eſt impoſſibile. Similiter non poteſt eſſe quod ipſa Verbi generatio ſit ſucceſſiva: ſic enim divinum Verbum prius eſſet informe, quam ſormatum, ſicut accidit in nobis, qui cogitando verba ſormamus; quod eſt falſum, ut iam dictum eſt. Similiter non poteſt dici, quod Pater ſua voluntate initium durationis Filio ſuo præſtiterit, quia Deus Pater non generat Filium voluntate, ut Arriani dixerunt, ſed naturaliter: Dens enim Pater ſeipſum intelligendo, Verbum concipit, & ideo non ante ſuit Deus Pater, quam Filius. Huius aliqualis ſimilitudo apparet in igne, & in ſplendore procedente ab igne: procedit enim ſplendor naturaliter, & ſine ſucceſſione. Item ſi ignis eſſet æternus, ſplendor eius coæternus eſſet, propter quod Filius dicitur ſplendor Patris. Heb. I. 3. „ Qui „ cum ſit ſplendor gloriæ &c. “ Sed in hac ſimilitudine deficit connaturalitas, & ideo nominamus eum Filium, cum tamen in humana filiatione deficiat coæternitas: oportet enim ex multis ſimilitudinibus ſenſibilium in divinam cognitionem pervenire, quia una non ſufficit; & hoc eſt quod dicitur in Lib. Epheſini Concili, (*d*) conſiſtere ſemper Patri Filium: ſplendor enim (*e*) denuntiat impaſſibilitatem, nativitas oſtendit Verbum, conſnbſtantialitatem vero, Filii nomen inſinuet. Nominamus ergo Filium diverſis nominibus, ad exprimendum perfectionem eius, (*f*) quæ uno nomine non poteſt exprimi: nt enim oſtendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; ut oſtendatur in nullo diſſimilis, dicitur imago; ut oſtendatur (*g*) coæternus, dicitur ſplendor; ut oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum.

(b) Deinde (*h*) dicit: *Et Verbum erat apud Deum*. Hic ponitur ſecunda clauſula, quam Evangeliſta ponit in ſua narratione: ubi prius conſideranda eſt ſignificatio duorum verborum, quę in prima clauſula poſita non ſuerunt, ſcilicet *Deum*, & *apud*. Quid enim ſit Verbum: & quid principium, iam expoſitum eſt. Hæc ergo quæ in hac ſecunda clauſula ponuntur de novo, ſcilicet *Deum*, & *apud*, inveſtigantes diligentius proſequamur. Et ut melius expoſitionem huius ſecundæ clauſulæ intelligamus, dicendum eſt aliquid de ſignificatione utriuſque, quantum pertinet ad propoſitum. Sciendum eſt ergo in primis, quod hoc nomen *Deus* ſignificat divinitatem, ſed in ſuppoſito, & concrete;

(a) *Al deeſt* & hoc. (b) *Al.* quia. (c) *Al.* inceperat. (d) *Al.* conſiſtere ergo ſemper. (e) *Al* denunciat impaſſibilitatem nativitatis. (f) *Al.* quæ nomine. (g) *Al.* coæternus Patri. (h) *Al.* Deinde cum dicit.

Digitized by Google

crete; hoc vero nomen deitas ſignificat deitatem in abſtracto, & abſolute. & inde eſt quod non poteſt ſupponere pro perſona, ex naturali virtute, & ex modo ſignificandi; ſed ſupponit ſolummodo pro natura. Hoc vero nomen *Deus* habet naturaliter ex modo ſignificandi quod ſupponat pro aliqua perſonarum: ſicut hoc nomen homo ſupponit pro ſuppoſito humanitatis; & ideo quandocumque ſveritas locutionis, vel ipſum prædicatum exigit ut hoc nomen *Deus* ſupponat pro perſona, tunc ſupponit pro perſona, ut cum dicimus, Deus generat Deum; & ita cum hic dicitur, *Apud Deum*, neceſſe eſt quod *Deus* pro perſona Patris ſupponat, quia hæc præpoſitio *apud* diſtinctionem ſignificat Verbi, quod eſſe dicitur *apud Deum*; & licet ſignificet diſtinctionem in perſona, non tamen in natura, cum eadem ſit natura Patris & Filii. Evangeliſta igitur ſignificare voluit Patris perſonam, per hoc quod dixit, *Deum*.

Sciendum eſt autem circa hoc, quod hæc præpoſitio *apud* quamdam coniunctionem rei ſignificatæ per rectum, ad rem ſignificatam per obliquum, importat, ſicut hæc præpoſitio *in*; ſed differenter, quia hæc præpoſitio *in* ſignificat quamdam coniunctionem intrinſecam; hæc vero præpoſitio *apud* quodammodo extrinſecam coniunctionem importat: & utrumque dicimus in divinis, ſcilicet Filium eſſe in Patre, & eſſe apud Patrem: & intrinſecum quidem ad conſubſtantialitatem pertinet, (*a*) extrinſecum vero (ut ſic loqui liceat, cum improprie in divinis dicatur extrinſecum) non niſi ad diſtinctionem perſonalem refertur, cum Filius a Patre ſolum per originem diſtinguatur; & ideo per utrumque iſtorum, & conſubſtantialitas in natura deſignatur, & diſtinctio in perſonis: conſubſtantialitas quidem, inquantum coniunctionem quamdam importat; diſtinctio vero, inquantum diſtinctionem quamdam ſignificat, ut ſuperius dictum eſt. Et quia hæc præpoſitio *In*, ut dictum eſt, principaliter conſubſtantialitatem deſignat, inquantum importat coniunctionem intrinſecam, & ex conſequenti diſtinctionem perſonarum, inquantum omnis præpoſitio eſt tranſitiva; hæc autem præpoſitio *apud* diſtinctionem perſonalem ſignificat principaliter, conſubſtantialitatem vero, inquantum quamdam coniunctionem ſignificat, quaſi extrinſecam: ideo Evangeliſta in hoc loco ſpecialiter iſta præpoſitione *apud* uſus eſt, ut diſtinctionem perſonæ Filii a Patre inſinuaret, cum dixit: *Et Verbum erat apud Deum*; ideſt, Filius apud Patrem, ut alia perſona apud aliam.

Sciendum eſt autem, quod per hanc præpoſitionem *apud* quatuor ſignificantur, per quæ obiectiones quatuor contrariæ excluduntur. Significat enim hæc præpoſitio *apud* (*b*) primo ſubſiſtentiam in recto: quia ea quæ ſubſiſtentiam per ſe non habent, non dicuntur proprie eſſe apud aliquid; ſicut non dicimus albedinem eſſe apud corpus, & ſimiliter de aliis quæ per ſe non ſubſiſtunt: ea autem quæ per ſe ſubſiſtunt, dicuntur proprie eſſe unum apud aliud; ſicut dicimus hominem eſſe apud hominem, & lapidem apud lapidem. Secundo ſignificat auctoritatem in obliquo: non enim proprie dicitur Rex eſſe apud militem, ſed proprie dicitur miles apud Regem. Tertio dicit diſtinctionem: non enim proprie dicitur aliquis eſſe apud ſeipſum, ſed unus homo eſt apud alium. Quarto ſignificat coniunctionem, & ſocietatem quamdam: cum enim dicitur aliquis eſſe apud alium, inſinuatur nobis inter eos quædam ſocialis coniunctio. Secundum autem iſtas conditiones (*c*) importatas in ſignificatione huius præpoſitionis *apud*, convenienter Evangeliſta hanc clauſulam, ſcilicet *Verbum erat apud Deum*, ſubiungit primæ clauſulę, ſcilicet *In principium erat Verbum*. Prætermiſſa namque una illarum trium expoſitionum huius quod eſt, *In principio erat Verbum*, illa ſcilicet ſecundum quam principium ponitur pro Filio, ad quamlibet aliarum expoſitionum, ſcilicet ad illam quæ principium dicit idem quod ante omnia, & ad illam ſecundum quam principium ſumitur pro Patre, duplex obiectio ſit ad hæreticis; & ſic ſunt quatuor obiectiones, quas per quatuor conditiones huius præpoſitionis *apud* ſupra poſitas excludere poſſumus.

Quarum prima talis eſt. Tu dicis, quod Verbum erat in principio, ideſt ante omnia, ſed ante omnia nihil erat: ubi ergo erat Verbum, ſi ante omnia nihil erat? Hæc autem obiectio procedit ſecundum imaginationem eorum qui ponunt, omne quod eſt, eſſe alicubi, & in loco. Quæ quidem excluditur a Ioanne, cum dicit, *Apud Deum*; & deſignat coniunctionem ſecundum ultimam dictarum conditionum, ut ſit ſenſus, ſecundum Baſilium: Ubi ergo erat Verbum? Reſpondet, *Apud Deum*: non in aliquo loco, cum incircumſcriptibile ſit, ſed apud Patrem, qui nullo comprehenditur loco.

Secunda quæſtio ad idem, eſt talis. Tu dicis, quod Verbum erat in principio, ideſt ante omnia; ſed ea quæ ſunt ante omnia, a nullo videntur procedere; cum illud a quo procedit aliquid, prius eſſe videatur eo quod pro-

(*a*) *Al.* extrinſecum non. (*b*) *Al. omittitur* primo. (*c*) *Al.* importantes.

Digitized by Google

procedit ab ipſo : ergo Verbum non eſt procedens ab alio. Hæc autem obiectio excluditur, cum dicit:. *Verbum erat apud Deum* , ut ly *apud* accipiatur ſecundum ſecundam conditionem, ſecundum quam importat auctoritatem in cauſali, & ſit ſenſus ſecundum Hilarium (Lib. II. de Trin.) A quo eſt Verbum, ſi eſt ante omnia ? Evangeliſta reſpondet : *Verbum erat apud Deum*; quaſi dicat: Licet Verbum careat initio durationis, non tamen caret principio, vel auctore : erat enim apud (*a*) Deum, ut apud auctorem.

Tertia quæſtio eſt, ad aliam expoſitionem, ſecundum qnam principium ſupponit pro Patre; quæ talis eſt. (*b*) Tu dicis: *In principio erat Verbum*; ideſt , Filius erat in Patre ; ſed illud quod eſt in aliquo , non videtur eſſe ſubſiſtens, ut hypoſtaſis ; ſicut albedo quæ eſt in corpore , non ſubſiſtit . Sed hæc obiectio ſolvitur per hoc quod dicit: *Verbum erat apud Deum*: ut ly *apud* ſumatur ſecundum primam conditionem, per quam importat ſubſiſtentiam in recto; & ſic, ſecundum Chryſoſtomum, eſt ſenſus: *Verbum erat in principio* , non ut accidens; ſed *erat apud Deum* , ut ſubſiſtens , & hypoſtaſis divina.

Quarta quæſtio ad idem eſt talis. Tu dicis quod Verbum erat in principio , ideſt in Patre; quod autem eſt in aliquo, non eſt diſtinctum ab eo : ergo Filius non eſt diſtinctus a Patre. Sed hęc obiectio excluditur (*c*) per hoc quod dicit: *Et Verbum erat apud Deum*:ut ly *apud* ſumatur ſecundum tertiam conditionem,ſecundum quam ſignificat diſtinctionem: ut ſit ſenſus , ſecundum Alcuinum, & Bedam : *Verbum erat apud Deum* ; & ſic erat in Patre per conſubſtantialitatem naturæ, quod tamen eſt apud ipſum per diſtinctionem perſonæ. Sic ergo per hanc clauſulam, *Et Verbum erat apud Deum* , oſtenditur coniunctio Verbi ad Patrem in natura, ſecundum Baſilium (*homil. I. in Ioan.) diſtinctio autem in perſona , ſecundum Alcuinum, & Bedam; ſubſiſtentia Verbi in natura divina, ſecundum Chryſoſtomum (Homil. II. in Ioan.) auctoritas Patris ad Verbum , ſecundum Hilarium.

Notandum autem , ſecundum Origenem , quod per hoc quod dicit , *Verbum erat apud Deum*, oſtendit Filium ſemper fuiſſe apud Patrem. In veteri enim teſtamento dicitur, factum eſse verbum Domini ad Hieremiam, vel quemcumque alium , ut patet in multis Scripturæ locis; non autem dicitur: Verbum Domini erar apud Hieremiam , vel apud alium: quia ad illos fit verbum, qui incipiunt habere verbum , poſtquam non habuerunt : unde Evangeliſta non dixit , Verbum factum eſſe apud Patrem, ſed *erat apud Patrem*: quia ex quo Pater erat, Verbum apud eum erat.

(c) Deinde (*d*) dicit : *Et Deus erat Verbum* . Hæc eſt tertia clauſula narrationis Ioannis, quæ quidem ſecundum ordinem doctrinæ congruentiſſime ſequitur. Quia enim Ioannes dixerat de Verbo, quando erat , & ubi erat; reſtabat quærere , quid erat Verbum : ideſt *Verbum erat Deus* , ut ly *Verbum* ponatur ex parte (*e*) ſubiecti, & ly *Deus* ex parte prædicati.

Sed cum prius quærendum ſit de re quid eſt, quam ubi , & quando ſit , videtur quod Ioannes hunc ordinem pervertat , inſinuans primo de Verbo ubi, & quando ſit. Ad hanc autem quæſtionem reſpondet Origenes , dicens , quod aliter dicitur eſse Verbum Dei apud hominem, & aliter apud Deum . Nam apud hominem eſt ut perficiens ipſum: quia per illud homo efficitur ſapiens , & bonus . Sap. VII. 27. „ Amicos Dei , & Prophetas „ conſtituit . " Apud Deum vero non ita dicitur eſse Verbum , quaſi Pater perficiatur per Verbum, & illuſtretur ab ipſo ; ſed ſic eſt apud Deum, qnod accipiat naturalem divinitatem ab ipſo , qui Verbum loquitur, a quo habet ut ſit idem Deus cum eo . Ex eo ergo quod eſt per originem apud Deum, neceſſe fuit primum oſtendere , quod Verbum erat in Patre , & apud Patrem , quam quod Verbum erat Deus.

Sciendum eſt autem, quod per hanc clauſulam , *Deus erat Verbum* , reſponderi poteſt duabus obiectionibus , quæ ex præcedentibus inſurgunt . Quarum una inſurgit ex nomine Verbi; & eſt talis . Tu dicis , quod *Verbum erat in principio* , *&* *apud Deum* : conſtat autem quod verbum ſecundum communem uſum loquendi ſignificat vocem aliquam , & enuntiationem neceſſariorum , manifeſtationem cogitationum; ſed iſta tranſeunt , & non ſubſiſtunt: poſſet ergo credi , quod de tali verbo Evangeliſta loqueretur. Sed iſta quæſtio ſatis per prædicta excluditur, ſecundum Hilarium, & Auguſtinum, hom.I. ſuper Ioannem,qui dicit, manifeſtum eſse , verbum in hoc loco non poſse (*f*) pro locutionem accipi : quia cum locutio ſit in motu , & tranſeat , non poſset dici , quod *in principio erat Verbum* , ſi verbum eſset quid tranſiens, & in motu . Item cum dicit , *Et Verbum erat apud Deum* , datur idem intelligi: ſatis enim patet quod aliud eſt ineſſe , & aliud eſt adeſse . Verbum enim noſtrum, cum non ſubſiſtat, non adeſt, ſed in-

(a) *Al.* eum. (b) *Al.* Unde dicit. (c) *Al. deeſt* per hoc quod dicit . (d) *Al.* Deinde cum dicit ; *& ſic deinceps*. (e) ſuppoſiti. (f) *Al.* per locutionem. * *Vel* Hom. XVI. in illud, *In principio erat Verbum*.

Digitized by Google

eſt; Verbum autem Dei eſt ſubſiſtens, & ideo adeſt; & idcirco Evangeliſta ſignanter dixit: *Verbum erat apud Deum*. Sed tamen ut obiectionis cauſa tollatur totaliter, naturam, & eſse Verbi ſubdit, dicens: *Et Verbum erat Deus*.

Alia quæſtio inſurgit ex hoc quod dixerat, *Apud Deum*. Cum enim ly *apud* dicat diſtinctionem, poſset credi, quod *Verbum erat apud Deum*, ſcilicet Patrem, ab ipſo in natura diſtinctum. Et ideo ad hoc excludendum ſtatim ſubdit conſubſtantialitatem Verbi ad Patrem dicens: *Et Verbum erat Deus*; quaſi dicat, non ſeparatus a Patre per diverſitatem naturæ, quia ipſum Verbum eſt Deus.

Nota etiam ſpecialem modum ſignificandi, quia dicit: *Verbum erat Deus*, abſolute ponendo Deum: ut oſtendat non eo modo Deum eſse quo nomen deitatis (*a*) attribui dicitur in ſacra Scriptura: quia cum additione aliqua aliquando hoc nomen creatura participat; ſicut illud Exo. VII. 1. „ Ego conſtitui te Deum „ Pharaonis: “ ad deſignandum quod non erat Deus ſimpliciter, nec per naturam, quia conſtituebatur Deus alicuius determinate. Et illud Pſal. lxxxi. 6. „ Ego dixi, Dii eſtis; “ quaſi dicat, per meam reputationem, non ſecundum rei veritatem, Dii eſtis. Aliud enim eſt Deum reputari, & aliud eſse Deum. Unde Verbum abſolute dicitur Deus, quia eſt ſecundum eſsentiam ſuam Deus, & non participative, ſicut homines, & Angeli.

Sciendum eſt etiam, quod circa hanc clauſulam Origenes turpiter erravit, ex modo loquendi, qui in Græco habetur, ſumens occaſionem ſui erroris. Conſuetudo enim eſt apud Græcos quod cuilibet nomini apponunt articulum, ad deſignandum diſcretionem quamdam: quia ergo in Evangelio Ioannis in Græco, huic nomini quod eſt Verbum, cum dicitur, *In principio erat Verbum*; & ſimiliter huic nomini quod eſt *Deus*, cum dicitur, *Et Verbum erat apud Deum*, apponitur articulus, ut dicatur ly *Verbum*, & ly *Deus*, ad deſignandum eminentiam, & diſcretionem Verbi ad alia verba, & principalitatem Patris in divinitate: ideo, cum in hoc quod dicitur, *Verbum erat Deus*, non apponatur articulus huic nomini *Deus*, quod ſupponit pro perſona Filii, blaſphemavit Origenes, quod Verbum non eſset Deus per eſsentiam, licet ſit eſsentialiter Verbum; ſed dicitur per participationem Deus; ſolus vero Pater eſt Deus per ſuam eſsentiam: & ſic ponebat Filium Patre minorem.

Quod autem non ſit verum, probat Chryſoſtomus per hoc quod ſi articulus poſitus huic nomini *Deus* importaret maioritatem in Patre reſpectu Filii, numquam apponeretur huic nomini *Deus*, cum de alio prædicatur, ſed ſolum quando prædicatur de Patre, & ſemper cum dicitur de Patre, apponeretur articulus. Invenimus autem contrarium per duas auctoritates Apoſtoli, qui notat Chriſtum Deum, cum appoſitione articuli, dicens in Epiſtola ad Titum II. 13. „ Expectantes beatam ſpem, „ & adventum gloriæ magni Dei. “ Ibi enim *Deus* ſupponit pro Filio, & apponitur ei articulus in Græco: ergo Chriſtus eſt Deus magnus. Item idem Apoſtolus, Rom. IX. 5. dicit: „ Ex quibus Chriſtus, qui eſt ſuper o„ mnia Deus benedictus in ſæcula. “ Ibi ſimiliter ad ly *Deus* ponitur in Græco articulus. Præterea I. Ioan. ult. XX. dicitur; „ Ut „ ſimus in vero Filio eius Chriſto Ieſu: hic „ eſt verus Deus, & vita æterna. “ Chriſtus ergo non eſt (*b*) Deus per participationem, ſed verus. Patet igitur eſse falſum quod Origenes finxit.

Ratio autem quare Evangeliſta non appoſuit articulum huic nomini *Deus* aſſignatur a Chryſoſtomo: ſcilicet quia iam bis nominaverat Deum cum appoſitione articuli, & ideo non oportebat reiterare tertio, ſed ſubintelligitur. Vel dicendum, & melius, quod Deus ponitur hic in prædicato, & tenetur formaliter: conſuetum (*c*) eſt autem quod nominibus in prædicato poſitis non ponitur articulus, cum diſcretionem importet. Si vero Deus poneretur hic ex parte ſubiecti, pro quacumque perſona ſupponeret, ſive pro Filio, (*d*) ſive pro Spiritu ſancto: & tunc non eſt dubium quod in Græco ibi apponeretur articulus.

(d) Deinde dicit: *Hoc erat in principio apud Deum*. Hic ponitur quarta clauſula, quæ introducitur propter clauſulam præcedentem. Ex hoc enim quod Evangeliſta dixerat, quod *Verbum erat Deus*, duplex falſus intellectus accipi poterat a non recte ſentientibus. Unus a Gentilibus, qui ponunt pluralitatem, & diverſitatem deorum, & eorum contrarias dicunt eſse voluntates; ſicut illi qui fabulantur, Iovem pugnaſse cum Saturno; & ſicut Manichæi, qui ponunt duo contraria principia naturæ. Contra hunc errorem Dominus dixit Deut. VI. 4. „ Audi Iſrael, Dominus Deus „ tuus, Deus unus eſt. “ Quia ergo Evangeliſta dixerat: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: poſsent iſti in fulcimentum ſui erroris, iſtud adducere, intelligentes alium eſse Deum, apud quem eſt Verbum, & alium ipſum

(a) *Al.* attribuitur dicere. (b) *Al.* deeſt Deus. (c) *Al.* erat. (d) *Al.* ſive pro Spiritu ſancto, non eſt dubium &c.

Digitized by Google

ipſum Verbum, & cum hoc alterius, ſive contrariæ voluntatis; quod eſt contra legem Evangelii. Ad hoc ergo excludendum dicit: *Hoc erat in principio apud Deum*; quaſi dicat, ſecundum Hilarium: Ita dico, quod Verbum eſt Deus, quod tamen non eſt habens diviſam divinitatem, ſed eſt apud Deum, ſcilicet in una natura & eadem in qua ipſe eſt. Item per hoc quod dicit, *Verbum erat Deus*, ne intelligeretur, quod haberet contrariam voluntatem, (*a*) addidit hoc, quod ſcilicet *Verbum erat in principio apud Deum*, ſcilicet Patrem non (*b*) diviſum ab ipſo, (*c*) non contrarium, ſed habens cum eo identitatem naturæ, & concordiam voluntatis: quæ quidem unio fit per communionem divinæ naturæ in tribus perſonis, (*d*) & per nexum naturalis Amoris Patris & Filii.

Alius error poterat ex præmiſſis verbis elici ab Arrianis, qui ponunt Filium minorem eſſe quam Pater, propter hoc quod dicitur *Pater maior me eſt* (infra XIV. 28.) Dicunt enim Patrem maiorem Filio & quantum ad æternitatem, & quantum ad naturæ divinitatem. Ut ergo Evangeliſta excluderet, addidit: *Hoc erat in principio apud Deum*. Arrius enim primam clauſulam, ſcilicet *In principio erat Verbum*, admittit; non tamen vult quod ibi principium accipiatur (*e*) pro Patre, ſed pro principio creaturarum: unde dicit, quod *Verbum erat in principio* creaturarum, & ideo nequaquam Patri eſt coæternus. Sed hoc excluditur, ſecundum Chryſoſtomum, per illam clauſulam, *Hoc erat in principio*, non quidem creaturarum, ſed *in principio apud Deum*; ideſt, ex quo Deus fuit: numquam enim Pater ſolitarius fuit a Filio, ſive Verbo, ſed ſemper hoc, ſcilicet Verbum, apud Deum erat.

Item Arrius confitetur, quod Verbum erat Deus, ſed tamen minor Patre. Sed hoc excluditur per ea quæ ſequuntur. Duo enim ſunt propria magni Dei, quæ Arrius Deo Patri ſingulariter attribuebat, ſcilicet æternitas, & omnipotentia. In quocumque ergo iſta duo inveniuntur, ille eſt magnus Deus, quo nullus eſt maior; ſed hæc duo Evangeliſta Verbo attribuit: ergo Verbum eſt magnus Deus, & non minor. AEternitatem quidem dicit eſſe in Verbo per hoc quod dicit: *Hoc erat in principio apud Deum*; ideſt, Verbum ab æterno, non ſolum in principio creaturarum (ut Arrius intellexit) erat, ſed apud Deum, accipiens eſſe, & divinitatem ab eo. Omnipotentiam vero attribuit Verbo per hoc quod ſubdit: *Omnia per ipſum facta ſunt*.

Origenes vero hanc eamdem clauſulam ſatis pulchre exponens (*f*) dicit, ipſam non eſſe aliam a tribus primis; ſed ipſam eſſe quemdam epilogum præmiſſorum. Evangeliſta enim poſtquam inſinuaverat veritatem eſſe Filii, tranſiturus ad eius inſinuandum virtutem (*f*) recolligit quaſi in ſumma epilogando in quarta clauſula quod in primis tribus prædixerat. Primo enim per hoc quod dicit, *Hoc*, intelligit tertiam clauſulam; per hoc vero quod dicit, *Erat in principio*, recolligit primam; per hoc vero quod ſubdit, *Erat apud Deum*, recolligit ſecundam: ut ſic non intelligas aliud Verbum quod erat in principio, & quod erat Deus; ſed hoc Verbum, quod erat Deus, *erat in principio apud Deum*.

Si quis ergo recte conſideret has quatuor propoſitiones, inveniet evidenter per eas deſtrui omnes hæreticorum, & Philoſophorum errores. Quidam enim hæretici, ſicut Ebion, & Cerintus, dixerunt, Chriſtum non præextitiſſe Beatæ Virgini; ſed ab ea ſumpſiſſe eſſendi, & durationis principium: ponentes, eum fuiſſe hominem purum, ſed meruiſſe divinitatem per bona merita: quod etiam Photinus, & Paulus Samoſatenus eos ſecuti dixerunt. Horum errorem Evangeliſta excludit, dicens: *In principio erat Verbum*; ideſt, ante omnia, & in Patre ab æterno: ergo non ſumpſit initium ex Virgine. Sabellius vero, licet fateretur, quod Deus qui carnem ſuſcepit, ex Virgine non ſumpſit initium, ſed fuit ab æterno; tamen dicebat, quod non erat alia perſona Patris, qui fuit ab æterno, & Filii, qui carnem aſſumpſit ex Virgine, ſed idem erat Pater, & Filius perſonaliter; Trinitatem perſonarum in divinis confundens. Contra hunc errorem dicit Evangeliſta: *Et Verbum erat apud Deum*, ſcilicet Filius apud Patrem, (*g*) ut alius apud alium. Eunomius vero poſuit, Filium omnino diſſimilem eſſe Patri; & hoc conſequenter Evangeliſta excludit, dicens: *Et Deus erat Verbum*. Arrius vero dicebat Filium Patre minorem; ſed hoc excludit Evangeliſta, cum dicit: *Hoc erat in principio apud Deum*: quod ſupra fuit expoſitum.

Per hoc etiam excluduntur errores Philoſophorum. Quidam enim Philoſophorum antiqui, ſcilicet naturales, ponebant, mundum non ex aliquo intellectu, neque per aliquam rationem, ſed a caſu fuiſſe; & ideo a principio rationem non poſuerunt, ſeu intellectum aliquam cauſam rerum, ſed ſolam materiam fluitantem, utpote athomos, ſicut Democritus poſuit, & alia huiuſmodi principia mate-

(a) *Al.* addit. (b) *Al.* diviſim. (c) *Al.* non enim contrarium. (d) *Al.* & per nexum naturalis amoris, & Filii. (e) *Al.* pro Patre principio creaturarum, dicit quod &c. (f) *Al.* dicit ipſe. (g) *Al.* præcellit. (h) *Al.* ut aliud.

Digitized by Google

rialia, ut alil poſuerunt. Contra hos eſt quod Evangeliſta dicit: *In principio erat Verbum*, a quo res ſcilicet principium ſumpſerunt, & non a caſu. Plato autem poſuit rationes omnium rerum factarum ſubſiſtentes ſeparatas in propriis naturis, per quarum participationem res materiales eſsent: puta, per rationem hominis ſeparatam, quam dicebat per ſe hominem, haberent quod ſint homines. (*a*) Sic ergo ne hanc rationem, per quam omnia facta ſunt, intelligas rationes ſeparatas a Deo, ut Plato ponebat; addit Evangeliſta: *Et Verbum erat apud Deum*. Alii etiam Platonici, ut Chryſoſtomus refert, ponebant Deum Patrem eminentiſſimnm, & primum, ſub quo ponebant mentem quamdam, in qua dicebant eſse ſimilitudines, & ideas omnium rerum. Ne ergo ſic intelligas, quod Verbum erat apud Patrem quaſi ſub eo, & minor eo; addit Evangeliſta: *Et Verbum erat Deus*. Ariſtoteles vero poſuit in Deo rationes omnium rerum, & quod idem eſt in Deo intellectus, & intelligens, & intellectum; tamen poſuit mundum coæternum ſibi fuiſse. Et contra hoc eſt quod Evangeliſta dicit: *Hoc*, ſcilicet Verbum ſolum, *erat in principio apud Deum*: ita quod ly *hoc* non excludit aliam perſonam; ſed aliam naturam coæternam.

Nota (*b*) etiam in prædictis differentiam Ioannis ab aliis Evangeliſtis, quomodo ſcilicet dignius Evangelium ſuum incepit quam alii. Ipſi enim annuntiaverunt Chriſtum Filium Dei ex tempore natum. Matth. II. 1. „ Cum natus eſset Ieſus in Bethlehem. “ Ioannes vero dicit, eum ab æterno fuiſse: *In principio*, inquit, *erat Verbum*. Ipſi etiam dicunt, eum ſubito inter homines apparuiſse. Luc. II. 29. „ Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti „ ante faciem omnium populorum, lumen ad „ revelationem gentium, & gloriam plebis „ tuæ Iſrael. “ Ioannes vero dicit, eum apud Patrem ſemper fuiſse: *Et verbum*, inquit, *erat apud Deum*. Alii vero ipſum hominem. Matth. IX. 8. „ Glorificabant Deum, qui poteſtatem talem hominibus dedit. “ Ioannes vero dicit ipſum eſse Deum: *Et Verbum*, inquit, *erat Deus*. Alii dixernnt eum fuiſse cum hominibus converſatum. Matth. XVII. 21. „ Converſantibus autem illis in Galilæa, dixit „ illis Ieſus &c. “ Sed Ioannes dicit eum apud Patrem ſemper fuiſse: *Hoc*, inquit, *erat in principio apud Deum*.

Nota etiam, quod Evangeliſta ſignanter recitat hoc verbum *erat*, ut oſtendat Verbum Dei omnia tempora, ſcilicet præſens, præteritum, & futurum excedere; quaſi dicat, erat ultra tempus præſens, præteritum, & futurum, ſecundum quod tangitur in Gloſsa.

L E C T I O II.

(a) OMnia per ipſum facta ſunt, (b) & ſine ipſo factum eſt nihil. (c) Quod factum eſt, in ipſo vita erat.

(a) POſtquam Evangeliſta eſse, & naturam divini Verbi, quantum dici poteſt ab homine, inſinuaverat; conſequenter manifeſtat eius virtutem: & primo oſtendit eius virtutem quantum ad omnia quæ in eſse procedunt; ſecundo ſpecialiter quantum ad homines, ibi, *Erat vita lux hominum*. Circa primum ponit tres clauſulas, quas non diſtinguimus ad præſens: quia ſecundum diverſas expoſitiones Sanctorum, ſunt diverſimode diſtinguendæ. Prima ergo clauſula eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt*: quæ inducitur ad oſtendendum tria de Verbo. Et primo, ſecundum Chryſoſtomum (homil. IV.) ad oſtendendum æqualitatem Verbi ad Patrem: ſicut enim dictum eſt ſupra, Evangeliſta excluſerat errorem Arrii, oſtendens coæternitatem Filii ad Patrem per hoc quod dixerat: *Hoc erat in principio apud Deum*: hic vero eumdem errorem excludit, oſtendendo omnipotentiam Filii, dicens: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Eſse enim principium omnium factorum, proprium eſt Dei magni omnipotentis, iuxta illud Pſal. CXXXIV. 6. „ Omnia quæcumque „ Dominus voluit, fecit in cælo, & in terra. “ Verbum ergo per quod facta ſunt omnia, eſt Deus magnus, & coæqualis Patri. Secundo ad oſtendendum coæternitatem Verbi ad Patrem, ſecundum Hilarium (II. de Trin. circa med.) Quia enim per hoc quod dixerat, *In principio erat Verbum*, poſset aliquis intelligere, hoc dictum fuiſse de principio creaturarum,
ideſt

(a) *Al.* Sic ergo hanc rationem per quam omnia facta ſunt intelligas ſeparatas a Deo &c. (b) *Al.* Non eſt in dictis differentia.

Digitized by Google

ideſt fuiſſe aliquod tempus ante omnem creaturam, in quo Verbum non erat; ideo hoc excludens Evangeliſta, dixit: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Si enim omnia ſuot facta per Verbum, ergo & ipſum tempus. Ex quo ſic argumentatur. Si omoe tempus ab ipſo factum eſt, ergo nullum tempus ſuit aote ipſum, nec cum ipſo: quia ante omnia erat, ergo ſunt ab æterno coæterni. Tertio, ſecundum Auguſtinum (I. de Trin. cap. VI.) ad oſteodendam conſubſtantialitatem Verbi ad Patrem. Si enim facta (*a*) omnia ſunt per Verbum, ergo ipſum Verbum noo poteſt dici factum: quia ſi eſt factum, eſt factum per aliquod Verbum, quia omnia per Verbum facta ſunt. Oportet ergo eſſe aliud Verbum, per quod Verbum, de quo hic loquitur Evangeliſta, ſit factum, & illud Verbum dicimus Uoigeoitum Dei, per quem facta ſunt omnia: quia nec factum eſt, oec creatura eſt; & ſi non eſt creatura, neceſſe eſt dicere, ipſum eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, cum omnis ſubſtaotia præter eſſeotiam divinam facta ſit. Subſtantia autem quæ creatura non eſt, Deus eſt. Verbum ergo, per quod omnia facta ſunt, conſubſtantiale eſt Patri, cum nec factum, oec creatura ſit. Sic ergo habes Verbi æqualitatem ad Patrem, ſecundum Chryſoſtomum; coæternitatem, ſecundum Hilarium; & conſubſtantialitatem, ſecundum Auguſtinum, per hoc quod dicit: *Omnia per ipſum facta ſunt*.

Cavendi ſunt autem hic tres errores. Et primo error Valentini: ipſe enim intellexit per hoc quod dicitur, *Omnia per ipſum facta ſunt*, quod Verbum dederit cauſam creatori, quod mundum crearet, ut dicantur omnia ſic per Verbum facta, quaſi ex Verbo proceſſerit quod Pater mundum creavit; & hoc videtur ducere (*b*) in poſitionem illorum qui dicebant, Deum mundum feciſſe propter aliquam exteriorem cauſam; quod eſt contra illud Prov. XVI. 4. „ Univerſa propter „ ſemetipſum operatus eſt Dominus. " Sed hoc eſt falſum: quia, ſicut Origenes dicit, ſi Verbum fuiſſet cauſa creatori præſtans ei materiam ad faciendum, non dixiſſet: *Omnia per ipſum facta ſunt*; ſed e converſo: Omnia facta ſunt per creatorem a Verbo. Secundo vitandus eſt error Origenis, qui dicit, Spiritum ſanctum inter omnia factum eſſe per Verbum, ex quo ſequitur ipſum eſſe creaturam: & hoc poſuit Origenes. Hoc autem eſt hæreticum, & blaſphemum; cum Spiritus ſanctus eiuſdem ſit gloriæ, & ſubſtantiæ, & digoitatis cum Patre, & Filio, iuxta illud Matth. ult. 19. „ Docete omnes gentes, baptizantes eos io nomine Patris, & Filii, & „ Spiritus ſancti: " & iuxta illud I. Ioan. V. 7. „ Tres ſunt qui teſtimonium dant in cæ„ lo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; „ & hi tres unum ſunt. " Cum ergo dicit Evaogeliſta, *Omnia per ipſum facta ſunt*, oon eſt intelligendum ſimpliciter facta omnia, ſed io genere creaturarum, & rerum factarum; quaſi dicat: Omnia quæ facta ſunt, (*c*) per ipſum facta ſunt: alias ſi ſimpliciter intelligatur, ſequeretur, Patrem, & Spiritum ſanctum factos per ipſum: quod eſt blaſphemum: igitur oec Pater, (*d*) oec aliquid ſubſtantiale Patri, per Verbum factum eſt. Tertio vitandus eſt alius error ipſius Origenis. Ipſe eoim ſic omnia facta eſſe per Verbum dixit, ſicut aliquid fit a maiori per minorem; quaſi minor ſit Filius, & ut organum Patris. Sed quod per hanc præpoſitionem *per* oon ſignificetur miooritas in obliquo, ſcilicet Filio, ſeu Verbo, patet ex pluribus Scripturæ locis. Dicit enim Apoſtol. I. Corinth. 1. 9. loquens de Patre: „ Fidelis Deus, per quem vocati eſtis „ io ſocietatem Filii eius. " (*e*) Si ille per quem fit aliquid, habet ſuperiorem, ergo & Pater ſuperiorem habebit; hoc autem eſt falſum: ergo per præpoſitionem *per* oon ſignificatur minoritas in Filio, cum (*f*) dicuntur omnia facta per ipſum.

Ad maiorem autem (*g*) evidentiam huius ſciendum eſt, quod quando dicitur aliquid per aliquem fieri, hæc præpoſitio *per* denotat cauſalitatem in obliquo, reſpectu operationis aliquo modo, ſed diverſimode. Cum enim operatio, ſecundum modum ſignificandi, conſideretur media inter operantem & operatum, poteſt conſiderari ipſa operatio dupliciter. Uoo modo ſecundum quod exit ab operante, qui eſt cauſa ipſius actionis; alio modo ſecundum quod terminatur ad operatum. Quandoque ergo præpoſitio *per* ſignificat cauſam operationis, ſecundum quod exit ab operante; quandoque autem, ſecundum quod terminatur ad operatum. Cauſam autem operationis, ſecundum quod exit ab operante, ſignificat, quando illud quod ſignificatur per obliquum, eſt cauſa operanti quod operetur, vel efficiens, vel formalis. Formalis quidem, ſicut ignis calefacit per calorem: eſt enim calor cauſa formalis calefactionis ignis. Cauſa vero moveos, ſeu efficiens, ut ſecunda agentia operantur per prima; ut ſi dicam, quod (*h*) balivus operatur per Regem, quia Rex eſt cauſa efficiens balivo quod ope-

(a) *Al. deeſt* omnia. (b) *Al.* in oppoſitionem. (c) *Al.* per Chriſtum. (d) Al. *omittitur* nec. (e) *Al.* Et ille. (f) *Al.* videtur. (g) *Al.* evidentiam ſciendum eſt. (h) *Al.* baiulus, *& ſic infra* baiulo.

Digitized by Google

operetur: & hoc modo intellexit Valentinus, omnia facta eſſe per Verbum, ac ſi Verbum eſſet cauſa conditori ut omnia faceret. Cauſalitatem vero operationis, ſecundum quod terminatur ad operatum, importat hæc præpoſitio *per*, quando illud quod ſignificatur per ipſam cauſalitatem, non eſt cauſa ipſa quod operetur, ſed eſt cauſa operationis, ſecundum quod terminatur ad operatum. Sicut cum dico, Carpentarius facit ſcamnum per ſecurim; quæ non eſt cauſa carpentario quod operetur, ſed ponimus eſſe cauſam quod ſcamnum fiat ab operante. Sic ergo cum dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*: ſi ly *per* denotet efficientem cauſam, ſeu moventem Patrem ad operandum, dicendum eſt, quod Pater nihil operatur per Filium, ſed per ſeipſum omnia operatur, ut dictum eſt. Si vero ly *per* denotet cauſam formalem, ſic cum Pater operetur per ſapientiam ſuam, quæ eſt ſua eſſentia, operatur per ſuam ſapientiam, ſicut operatur per ſuam eſſentiam; & quia ſapientia, & virtus Patris attribuitur Filio, I. Corinth. 1. dicimus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: ideo appropriate dicimus, quod Pater omnia operatur per Filium, ideſt per ſapientiam ſuam. Et ideo dicit Auguſtinus, quod hoc quod dicitur, Ex quo omnia, appropriatur Patri; per quem omnia, Filio; in quo omnia, Spiritui ſancto. Si vero ly *per* denotet cauſalitatem ex parte operati, tunc hoc quod dicimus, Patrem omnia operari per Filium, non eſt appropriatum Verbo, ſed proprium eius, quia hoc quod eſt cauſa creaturarum, habet ab alio, ſcilicet a Patre, a quo habet eſſe: nec tamen propter hoc ſequitur ipſum eſſe inſtrumentum Patris, licet omne quod movetur ab alio ad aliquid operandum, rationem inſtrumenti habeat. Cum autem dico aliquem operari per virtutem receptam ab alio, poteſt dupliciter intelligi. Uno modo quod eadem numero ſit virtus & dantis, & accipientis; & hoc modo qui operatur per virtutem acceptam ab alio, non eſt minor, ſed æqualis ei a quo accipit. Quia ergo Pater eamdem virtutem quam habet, dat Filio, per quam Filius operatur, cum dicitur Pater operari per Filium, propter hoc Filius non eſt dicendus minor Patre, neque inſtrumentum eius. Sed hoc ſequitur in illis qui non eamdem virtutem accipiunt ab aliquo, ſed aliam, & creatam. Sic ergo patet, (a) quod nec Spiritus ſanctus, nec Filius, eſt cauſa Patri quod operetur, neque Patris miniſter, ſeu inſtrumentum, ut (b) deliravit Origenes. Si autem recte conſiderentur verba prædicta, *Omnia per ipſum facta ſunt*, evidenter apparet, Evangeliſtam propriiſſime fuiſſe locutum. Quicumque enim aliquid facit, oportet quod illud præconcipiat in ſua ſapientia, quæ eſt forma, & ratio rei factæ, ſicut forma in mente artificis præconcepta eſt ratio arcæ faciendæ. Sic ergo Deus nihil facit niſi per conceptum ſui intellectus, qui eſt ſapientia ab æterno concepta, ſcilicet Dei Verbum, & Dei Filius; & ideo impoſſibile eſt quod aliquid faciat niſi per filium. Unde Auguſtinus de Trin. dicit, quod Verbum eſt ars plena omnium rationum viventium; & ſic patet quod omnia quæ Pater facit, facit per ipſum.

Notandum autem, ſecundum Chryſoſtomum, quod omnia quæ Moyſes per multa enumerat in productione rerum a Deo, dicens (Gen. 1.) „ Dixit Dominus, Fiat lux, &, Fiat firmamentum &c. " hæc omnia Evangeliſta excedens, uno verbo comprehendit, dicens: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Cuius ratio eſt, quia Moyſes tradere volebat emanationem creaturarum a Deo, & ideo ſigillatim enumerat; Ioannes vero ad altiorem feſtinans materiam, in hoc libro intendit nos inducere ſpecialiter in cognitionem ipſius creatoris.

(b) Deinde dicit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil*. Hæc eſt ſecunda clauſula, quam quidam perverſe intellexerunt, ut dicit Auguſtinus in Lib. de Nat. boni. Nam ex hoc modo loquendi, quo Ioannes hic utitur, ponens hoc quod dicitur *nihil*, in fine orationis, crediderunt, ipſum *nihil* teneri affirmative, quaſi *nihil* ſit aliquid quod ſine Verbo factum ſit: unde voluerunt, quod hæc clauſula poſita ſit ab Evangeliſta ad excludendum aliquid quod a Verbo non ſit factum: unde dicunt, quod poſtquam Evangeliſta dixerat, *Omnia per ipſum facta ſunt*, conſequenter adiungit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil*; quaſi dicat: Ita dico omnia per ipſum facta eſſe, quod tamen ſine ipſo factum eſt aliquid, ſcilicet ipſum nihil.

Ex hoc autem proceſſit triplex hæreſis. Scilicet Valentini, qui, ut dicit Origenes, ponit multa principia, & ex illis principiis dicit procedere triginta ſæcula. Prima tamen principia quæ ponit, ſunt duo; ſcilicet Profundum, quod vocat Deum Patrem, & Silentium. Ex his duobus dicit proceſſiſſe decem ſæcula. Ex Profundo autem, & Silentio dicit eſſe alia duo principia, ſcilicet Intellectum, & Veritatem, ex quibus proceſſerunt octo ſæcula. Ex Intellectu autem, & Veritate

(a) *Al.* quod Spiritus ſanctus. (b) *Al.* deliberavit.

tate dicit eſſe alia duo principia, ſcilicet Verbum, & Vitam, ex quibus procedunt duodecim ſæcula, & ſic ſunt triginta. Ex Verbo autem, & Vita, ſecundum ævum, proceſſit homo Chriſtus, & Eccleſia. Sic ergo Valentinus ponebat prolationem Verbi multa ſæcula (a) præceſſiſſe; & ideo dicit, quod quia Evangeliſta dixerat, *Omnia per ipſum facta ſunt*, ne aliquis intelligeret illa ſæcula præcedentia eſſe perfecta per Verbum: (b) conſequenter adiunxit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil*, ideſt omnia ſæcula præexiſtentia, & quæ in eis fuerunt; quæ ideo Ioannes vocat *nihil*, quia humanam rationem excedunt, nec poſſunt capi per intellectum. Secundus error ex hoc procedens fuit Manichæi, qui ponebat duo contraria principia. Unum ſcilicet rerum incorruptibilium, & aliud corruptibilium. Dicit ergo, quod poſtquam Ioannes dixerat, *Omnia per ipſum facta ſunt*, ne crederetur, Verbum eſſe corruptibilium rerum cauſam, ſtatim ſubiunxit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil*; ideſt, corruptioni ſubiecta, quæ nihil eſſe dicuntur, quia eorum eſſe eſt continue tranſmutari in nihil. Tertius error eſt eorum qui volunt, quod per *nihil* intelligatur diabolus; iuxta illud Iob XVIII. 15. „Habitent in tabernaculo eius „ ſocii eius qui non eſt.“ Dicunt ergo, omnia eſſe facta per Verbum, præter diabolum. Et ideo exponunt: *Sine ipſo factum eſt nihil*, ideſt diabolus.

Sed omnes iſti tres errores ex uno fonte procedentes, ſcilicet ex hoc quod ipſum *nihil* volunt affirmative accipi, excluduntur per hoc quod *nihil* non ponitur hic affirmative, ſed negative tantum, ut ſit ſenſus: ita facta ſunt omnia per Verbum quod nihil eſt participans eſſe quod non ſit factum per ipſum.

Sed inſtabit forſitan aliquis, dicens, hanc clauſulam ſuperflue fuiſſe appoſitam, ſi intelligatur negative, eo quod Evangeliſta dicens, *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſufficienter videtur dixiſſe non eſſe aliquid quod non ſit factum per Verbum. Ad quod dicendum, quod ſecundum multos introducta eſt hæc particula multipliciter, ex multis de cauſis. Quarum una cauſa eſt, ſecundum Chryſoſtomum, ne aliquis legens in veteri teſtamento, & inveniens ſolum viſibilia enumerata a Moyſe in creatione rerum, crederet illa tantum facta eſſe per Verbum: ideo Evangeliſta, dum dixiſſet, *Omnia per ipſum facta ſunt*, quæ ſcilicet enumerat Moyſes, (c) conſequenter adiunxit: *Sine ipſo factum eſt nihil*; quaſi dicat: Nihil eorum quæ ſunt, ſive viſibile, ſive inviſibile, eſt factum ſine Verbo. Et hoc modo loquitur Apoſt. Col. I. dicens, omnia condita eſſe in Chriſto, ſive viſibilia, ſive inviſibilia. Ubi Apoſtolus ſpecialiter mentionem facit de inviſibilibus, quia de eis Moyſes aperte mentionem non ſecerat, propter ruditatem illius populi, qui ſupra ſenſibilia elevari non poterat. Introducitur etiam, ſecundum Chryſoſtomum, alio modo ſic. Poſſet enim aliquis legens Evangelium, multa ſigna, & miracula facta per Chriſtum, ſicut illud Matth. XI. 5. „Cæci vident, claudi ambulant, leproſi „ mundantur &c.“ credere per hoc quod dicit Ioannes, *Omnia per ipſum facta ſunt*, debere intelligi omnia illa tantum quæ in illis Evangeliis continentur, & nihil aliud factum per ipſum; & ideo (d) ne hoc ſuſpicetur quis, conſequenter Evangeliſta inducit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil*; quaſi dicat: Non ſolum ea quæ in Evangeliis continentur, ſunt facta per ipſum, ſed nihil eorum quæ facta ſunt, eſt factum ſine ipſo. Et ſic, ſecundum Chryſoſtomum, hæc particula introducitur ad oſtendendum totalem cauſalitatem, & eſt quaſi completiva præmiſſæ. Secundum Hilarium vero, introducitur hæc particula ad oſtendendum quod Verbum habet virtutem operativam ab alio: quia enim Evangeliſta dixerat, *Omnia per ipſum facta ſunt*, poſſet intelligi Patrem excludi ab omni cauſalitate; ideo conſequenter (e) addit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil*; quaſi dicat: Sic per eum facta ſunt omnia ut tamen Pater cum eo omnia fecerit. Nam tantum valet *ſine eo* ac ſi dicatur non ſolus; ut ſit ſenſus: non ipſe ſolus eſt per quem facta ſunt omnia, ſed ipſe eſt alius, ſine quo factum eſt nihil; quaſi dicat: *Sine ipſo*, cum alio operante, ſcilicet Patre, *factum eſt nihil*: iuxta illud Prov. VIII. 30. „Cum eo eram cuncta componens.“

In quadam autem Homilia, quæ incipit, „Vox ſpiritualis aquilæ,“ & attribuitur Origeni, invenitur alia expoſitio ſatis pulchra. Dicitur enim ibi, quod in Græco eſt *thoris*, ubi in Latino habemus *ſine*; *thoris* autem idem eſt quod foris, vel extra; quaſi dicat: Ita *omnia per ipſum facta ſunt*, quod extra ipſum factum eſt nihil; & ideo hoc dicit ut oſtendat, per Verbum, & in Verbo omnia conſervari: iuxta illud Hebr. I. 13. „Portans o„mnia Verbo virtutis ſuæ.“ Quædam enim ſunt quæ non indigent operante, niſi quantum ad fieri, cum poſſint ſubſiſtere poſtquam fuerunt facta, abſque agentis influxu; ſicut domus indiget quidem artifice quantum ad ſuum fieri, ſed tamen perſiſtit in ſuo eſſe abſque artificis influentia. Ne ergo credat aliquis,

(a) *Al.* proceſſiſſe. (b) *Al.* ideo conſequenter. (c) *Al.* ideo conſequenter. (d) *Al.* ne ſuſpicetur quis. (e) *Al.* addidit.

Digitized by Google

quis, omnia per Verbum ſic facta eſſe quod ſit cauſa eorum quantum ad fieri ſolum, & non quantum ad conſervationem in eſſe, ideo conſequenter Evangeliſta ſubiunxit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil*; hoc eſt, nihil factum eſt extra ipſum: quia ipſe ambit omnia, conſervans ea.

Exponitur autem hæc particula ſecundum Auguſtinum, & Origenem (in expoſitione) & plures alios ſic ut per nihil intelligatur peccatum. Quia ergo cum diceret, *Omnia per ipſum facta ſunt*, poſſet intelligi, malum, & peccatum per ipſum fieri, ideo conſequenter adiunxit: *Et nihil*, ideſt peccatum, *eſt factum ſine ipſo*. Nam ſicut ars non eſt principium, ſeu cauſa alicuius defectus in artificiatis, ſed per ſe eſt cauſa perfectionis ipſorum, & formæ; ita & Verbum, quod eſt ars Patris plena rationum viventium, non eſt cauſa alicuius mali, vel inordinationis in rebus, & præcipue mali culpæ, quod habet perfectam rationem mali; ſed huius mali cauſa per ſe eſt voluntas creaturæ, ſive hominis, ſive Angeli, libere declinans a fine, ad quem naturaliter ordinatur. Operans ſecundum artem, voluntarie errans, eſt cauſa defectuum incidentium in artificiatis, non per artem, ſed per voluntatem: unde in talibus ars non eſt principium, ſeu cauſa defectuum, ſed voluntas; & ideo malum eſt defectus voluntatis, & non artis alicuius; & ideo inquantum tale, nihil eſt.

Sic ergo iſta particula additur ad oſtendendum ipſius Verbi univerſalem cauſalitatem, ſecundum Chryſoſtomum; ſocietatem ad Patrem, ſecundum Hilarium; & virtutem Verbi in conſervando, ſecundum Origenem. Item puritatem cauſalitatis: quia ſic eſt cauſa bonorum quod non eſt cauſa peccati, ſecundum Auguſtinum, & Origenem, & plures alios.

(c) Deinde dicit: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*. Hic ponitur tertia particula, ubi cavendus eſt falſus intellectus Manichæi, qui ex hoc verbo motus eſt ad dicendum, quod omnia quæ ſunt, vivunt, puta lapis, lignum, & homo, & quicquid aliud eſt in mundo: & punctabat ſic: *Quod factum eſt in ipſo*, diſtingue, *erat vita*; ſed non erat vita, niſi viveret: ergo quicquid factum eſt in ipſo, vivit. Vult etiam quod *in ipſo* idem ſit ac ſi diceretur per ipſum, cum communiter in Scriptura (a) in ipſo, vel per ipſum accipiatur: ſicut illud Col. 1. 16. „ In ipſo, & per ipſum „ condita ſunt omnia. " Sed hunc intellectum (b) experientia oſtendit eſſe falſum.

Poteſt tamen ſine errore multipliciter exponi. Nam in illa homilia, „ Vox ſpiritua„ lis, " exponitur ſic: *Quod factum eſt in ipſo*, ideſt per ipſum, (c) hoc vita erat non in ſe ipſo, ſed in ſua cauſa. In omnibus enim cauſatis hoc commune eſt, quod effectus ſive per naturam, ſive per voluntatem producti, ſunt in ſuis cauſis non ſecundum proprium eſſe, ſed ſecundum virtutem propriæ ſuæ cauſæ; ſicut effectus inferiores ſunt in ſole ut in cauſa, non ſecundum eorum eſſe, ſed ſecundum virtutem ſolis. Quia ergo cauſa omnium effectuum productorum a Deo, eſt vita quædam, & ars plena rationum viventium, ideo omne quod factum eſt in ipſo, ideſt per ipſum, vita erat in ſua cauſa, ſcilicet in ipſo Deo. Auguſtinus (d) autem (in expoſitione) aliter legit, ſic punctando: *Quod factum eſt*, diſtingue, *in ipſo vita erat*. Res enim dupliciter conſiderari poſſunt, ſecundum ſcilicet quod ſunt in ſeipſis, & ſecundum quod ſunt in Verbo. Si conſiderentur ſecundum quod ſunt in ſeipſis, ſic non omnes res ſunt vita, nec etiam viventes; ſed aliquæ carent vita, aliquæ vivunt; ſicut facta eſt terra, facta ſunt etiam metalla, quæ nec vita ſunt, nec vivunt; facta ſunt animalia, facti ſunt homines, quæ ſecundum quod ſunt in ſeipſis, non ſunt vita, ſed vivunt ſolum. Si vero conſiderentur ſecundum quod ſunt in Verbo, non ſolum ſunt viventes, ſed etiam vita: nam rationes in ſapientia Dei ſpiritualiter exiſtentes, quibus res factæ ſunt ab ipſo Verbo, ſunt vita; ſicut arca facta per artificem, in ſe quidem nec vivit, nec vita eſt; ratio vero arcæ, quæ præceſſit in mente artificis, vivit quodammodo, inquantum habet eſſe intelligibile in mente artificis, non tamen eſt vita, quia per ipſum intelligere artificis non eſt in ſua eſſentia; neque ſuum eſſe. In Deo autem ſuum intelligere eſt ſua vita, & ſua eſſentia; & ideo quicquid eſt in Deo, non ſolum vivit, ſed eſt ipſa vita, quia quicquid eſt in Deo, eſt ſua eſſentia: unde creatura in Deo eſt creatrix eſſentia. Si ergo conſiderentur res ſecundum quod in Verbo ſunt, vita ſunt. Hanc expoſitionem habes alibi. Origenes vero ſuper Ioannem legit hoc aliter, punctando ſic: *Quod factum eſt in ipſo*, diſtingue, *vita erat*.

Ubi notandum eſt, quod de Filio Dei dicitur aliquid, ſecundum ſe, ſicut dicitur Deus omnipotens, & huiuſmodi; aliquid vero dicitur de eo per comparationem ad nos, ſicut Salvator, & Redemptor; aliquid vero utroque modo, ſicut Sapientia, & Iuſtitia. In omni-

(a) *Al.* *deeſt* in. (b) *Al.* iſta expoſitio. (c) *Al.* hæc vita. (d) *Al.* *deeſt* autem.

omnibus autem quæ abſolute, & ſecundum ſe de Filio dicuntur, non dicitur quod ſit factus, ſicut non dicitur Filius factus Deus, neque omnipotens; ſed in illis quæ dicuntur in comparatione ad nos, ſeu utroque modo, poteſt addi adiunctio facti, ut dicatur ſecundum illud I. Corinth. I. 30. „ Qui factus eſt nobis a „ Deo ſapientia, & iuſtificatio, & ſanctificatio, & redemptio. " Et ſic, licet ſemper fuerit in ſeipſo ſapientia, & iuſtitia, tamen poteſt dici quod de novo factus eſt nobis iuſtitia, & ſapientia. Secundum hoc ergo, Origenes exponens dicit, quod quamvis in ſeipſo ſit vita, tamen nobis factus eſt vita per hoc quod nos vivificavit: iuxta illud I. Corinth. xv. 22. „ Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in ipſo omnes vivificabuntur. " Et ideo dicit quod Verbum *quod factum eſt*, nobis vita, *in ipſo vita erat*, ut quandoque nobis fieret vita; & ideo ſtatim ſubdit: *Et vita erat lux hominum*. Hilarius enim ſic punctat: *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo*; & poſtea dicatur, *vita erat*: quia (ipſe dicit in II. de Trin.) cum dicit Evangeliſta, *Et ſine ipſo factum eſt nihil*, poſſet eſſe ambiguum an quædam alia adhuc quæ per ipſum facta ſunt, fuerunt facta non per ipſum, non tamen ſine ipſo; ſed in eis aſſociavit facientem: & hanc clauſulam eſſe additam ad correptionem præcedentis. Ne ergo hoc intelligeretur, ideo Evangeliſta, cum dixiſſet, *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſubiungit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil*: quod tamen factum eſt, *in ipſo*, ideſt per ipſum: & ratio huius eſt, quia *vita erat*. Manifeſtum eſt enim quod hoc modo omnia dicuntur per Verbum facta, inquantum Verbum ex Patre procedens eſt Deus. Ponamus autem quod aliquis pater filium habeat qui non ſit perfecte habens operationes hominis, ſed paulatim ad hoc perveniat; manifeſtum eſt quod multa faciet non per ipſum filium, licet non ſine eo. Quia ergo Filius Dei eamdem vitam habuit ab æterno quam & Pater, ſecundum illud infra v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*: ideo non poteſt dici quod Deus Pater, etſi nihil fecerit ſine Filio, tamen fecit aliqua non per ipſum, quia vita erat. In viventibus enim quæ vitam participant, poteſt contingere quod vita imperfecta præcedat vitam perfectam; ſed in per ſe vita, quæ non participat vitam, ſed eſt abſolute & ſimpliciter vita, nullo modo poteſt imperfectio aliqua eſſe. Quia ergo Verbum eſt per ſe vita, numquam fuit in eo vita imperfecta; ſed ſemper perfecta: & ideo ita *nihil factum eſt* (a) *ſine eo*, quod tamen non ſit factum *in ipſo*, ideſt per ipſum. Chryſoſtomus autem alium modum legendi habet; & punctat ſic: *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*. Et ratio huius eſt, quia aliquis poſſet credere quod Spiritus ſanctus eſſet factus per Verbum; & ideo Evangeliſta hoc volens excludere dicit, *Quod factum eſt*: quia Spiritus ſanctus non eſt quid factum: & poſtea ſequitur: *In ipſo vita erat*: quod introducitur propter duo. Unum eſt ut poſt productionem omnium rerum oſtendatur (b) indeficientia cauſalitatis ad res non ſolum productas, ſed etiam producendas; quaſi dicat: *In ipſo vita erat*, (c) qua ſcilicet non ſolum omnia producere potuit, ſed etiam quæ habet indeficientem fluxum, & cauſalitatem abſque mutationis diſpendio ad res continue producendas, utpote (d) fons vivus, qui non minoratur ex fluxu continuo; aqua vero collecta, & non viva, cum defluit, minoratur, & deficit. Unde dicitur in Pſal. xxxv. 10. „ Apud „ te eſt fons vitæ. " Secundum eſt ut oſtendatur gubernatio rerum eſſe per Verbum: quia enim *in ipſo vita erat*, oſtenditur quod non produxit res per neceſſitatem naturæ, ſed per voluntatem, & intellectum, & quod res productas gubernat. Hebr. IV. 12. „ Vivus „ eſt ſermo Dei &c. " Et quia apud Græcos Chryſoſtomus eſt tantæ auctoritatis in ſuis expoſitionibus, quod ubi ipſe aliquid expoſuit in ſacra Scriptura, nullam aliam expoſitionem admittant; ideo in omnibus libris Græcis invenitur ſic punctatum ſicut punctat Chryſoſtomus, ſcilicet hoc modo: *Sine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*.

(a) Al. *ſine ipſo*, eo quod tamen &c. (b) Al. deficientia. (c) Al. quaſi non ſolum. (d) Al. fons vivus non minoratur.

Digitized by Google

LECTIO III.

(a) ET vita erat lux hominum. (b) Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

(a) EVangeliſta ſupra inſinuavit virtutem Verbi, ſecundum quam omnia produxit in eſſe; hic vero inſinuat eius virtutem, ſecundum quam ſe habet ad homines, dicens, hoc Verbum eſſe lucem hominum: ubi primo introducit nobis lucem quamdam, cum dicit, *Et vita erat lux hominum*; ſecundo lucis irradiationem, cum dicit, *Et lux in tenebris lucet*; tertio lucis participationem, cum dicit, *Et tenebræ eam non comprehenderunt*. Poteſt autem totum dupliciter exponi. Uno modo ſecundum influxum cognitionis naturalis; alio modo ſecundum communicationem gratiæ. Dicit ergo quantum ad primum, quod *vita erat lux hominum*. Ubi primo conſiderandum eſt, quod, ſecundum Auguſtinum, & plures alios, nomen lucis magis proprie dicitur in ſpiritualibus, quam in ſenſibilibus. Ambroſius tamen vult, quod ſplendor metaphorice dicatur de Deo. Sed in hoc non eſt magna vis facienda: nam de quocumque nomen lucis dicatur, ad manifeſtationem refertur, ſive illa manifeſtatio ſit in intelligibilibus, ſive in ſenſibilibus. Si ergo comparentur manifeſtatio intelligibilis, & ſenſibilis, ſecundum naturam prius invenitur lux in ſpiritualibus; ſed quo ad nos, qui nomina rebus imponimus (a) ex earum proprietatibus nobis notis, prius invenitur in ſenſibilibus, quia prius impoſitum eſt a nobis hoc nomen ad ſignificandum lucem ſenſibilem, quam intelligibilem; quamvis ſecundum virtutem prius, & verius conveniat ſpiritualibus quam ſenſibilibus.

Ad evidentiam autem eius quod dicitur, *Et vita erat lux hominum*, ſciendum eſt, quod multipliciter eſt gradus vitæ. Quædam namque vivunt, ſed abſque luce, quia nullam cognitionem habent, ſicut ſunt plantæ: unde vita earum non eſt lux. Quædam vero vivunt, & cognoſcunt; ſed tamen eorum cognitio, cum ſit ſenſus tantum, non eſt niſi particularium, & materialium, ſicut eſt in brutis; & ideo hæc (b) & vitam hab nt, & lucem quamdam, ſed non lucem ...inum, qui vivunt, & cognoſcunt no olum ipſa vera, ſed ipſius veritatis ratione , ſicut ſunt creaturæ rationales, quibus non ſolum manifeſtatur hoc, vel illud, ſed ipſa veritas, quæ manifeſtabilis eſt, & manifeſtativa omnium. Et ideo Evangeliſta loquens de Verbo, dicit, non ſolum eſſe vitam, ſed etiam eſſe lucem, ne intelligas vitam ſine agnitione: hominum autem, ne tantum cognitionem ſenſibilem ſuſpiceris, qualis eſt in brutis.

Sed quare dixit hominum, cum etiam ſit lux Angelorum? Ad hoc eſt duplex reſponſio. Chryſoſtomus enim dicit, quod Evangeliſta intendebat in iſto Evangelio tradere nobis cognitionem de Verbo, ſecundum quod ad ſalutem hominum ordinatur; & ideo magis refert ſecundum ſuam intentionem ad homines, quam ad Angelos. Origenes vero dicit, quod participatio huius lucis pertinet ad homines, inquantum ſunt rationalis naturæ; & ideo Evangeliſta dicens, *Erat lux hominum*, voluit intelligi omnis rationalis naturæ.

In hoc etiam oſtenditur perfectio, & dignitas huius vitæ, quia eſt intellectualis, ſeu rationalis. Cum enim illa dicantur viventia quæ ſe aliquo modo movent, illa dicuntur vitam habere perfectam quæ perfecte ſeipſa movent: movere autem ſeipſum perfecte, & proprie in inferioribus creaturis ſoli homini convenit. Nam etſi alia ex ſeipſis ab aliquo principio intrinſeco moveantur, non tamen illud principium ſe habet ad oppoſita; & ideo ex neceſſitate moventur, & non libere: mota igitur a tali principio magis aguntur quam agunt. Homo vero, cum ſit dominus ſui actus, libere ſe movet ad omnia quæ vult; & ideo homo habet vitam perfectam, & ſimiliter quælibet intellectualis natura. Vita ergo Verbi, quæ eſt lux hominum, eſt vita perfecta. Attenditur etiam in præmiſſis verbis congruus ordo: nam in naturali rerum ordine, primo invenitur eſſe, & hoc primo Evangeliſta inſinuavit, dicens, *In principio erat Verbum*; ſecundo vivere, & hoc eſt quod ſequitur, *In ipſo vita erat*; tertio intelligere, & hoc conſequenter adiunxit: *Vita erat lux hominum*. Unde, ſecundum Origenem, convenienter vitæ attribuit lucem, quia lux non niſi viventi attribui poteſt.

Eſt tamen notandum, quod lux ad viventem dupliciter comparari poteſt, vel ut obiectum, vel ut participata, ut patet in viſu exteriori. Oculus enim lucem exteriorem cogno-

(a) *Al.* ex earum proprietatibus notis. (b) *Al.* ut.

gnoſcit tamquam obiectum, ſed oportet ad hoc quod eam videat, quod participet aliquam lucem interiorem, per quam aptetur, & diſponatur oculus ad lucem exteriorem videndam. Sic ergo quod hic dicit, *Et vita erat lux hominum*, dupliciter poteſt intelligi, ut dicatur lux hominum per modum obiecti quaſi a ſolis hominibus conſpicabilis: quia ipſam ſola rationalis creatura conſpicere poteſt, cum ipſa ſola divinæ viſionis ſit capax. Iob xxxv. 11. „ Docet nos ſuper iumenta terræ, „ & ſuper volucres cæli erudit nos: “ quia licet alia animalia cognoſcant aliqua quod vera ſunt, ſolus tamen homo ipſam rationem veritatis cognoſcit. Poteſt etiam dici lux hominum participata. Numquam enim ipſum Verbum, & ipſam lucem conſpicere poſſemus, niſi per participationem eius quæ in ipſo homine eſt, quæ eſt ſuperior pars animæ noſtræ, ſcilicet lux intellectiva, de qua dicitur in Pſal. iv. 7. „ Signatum eſt ſuper nos „ lumen vultus tui, “ ideſt Filii tui, qui eſt facies tua qua manifeſtaris.

(b) Introduxit ſupra Evangeliſta lucem quamdam; nunc vero agit de ipſius lucis irradiatione, cum dicit: *Et lux in tenebris lucet*. Quod quidem dupliciter poteſt exponi, ſecundum duplicem acceptionem tenebrarum. Primo vero accipiamus tenebras naturalem defectum, ac creatæ mentis: nam ita ſe habet mens ad lucem iſtam de qua hic loquitur Evangeliſta, ſicut ſe habet aer ad lucem ſolis: quia licet aer capax ſit lucis ſolis, tamen in ſe conſideratus tenebra eſt; & ſecundum hoc ſenſus eſt: *Lux*, ideſt vita illa quod eſt lux hominum, *in tenebris lucet*, ſcilicet in animabus, & mentibus creatis, irradiando ſemper omnes. Iob iii. 23. „ Viro „ cui abſcondita eſt lux. “ Sed *tenebra eam non comprehenderunt*; ideſt, inducere non potuerunt. Illud enim dicitur comprehendi cuius fines concluduntur, & conſpiciuntur. Quia, ſicut dicit Auguſtinus (de Verb. Domini ſerm. xxxviii.) attingere Deum mente, magna beatitudo eſt, comprehendere vero impoſſibile eſt. *Tenebra* ergo *eam non comprehenderunt*. Iob xxxvi. 26. „ Ecce Deus magnus „ vincens ſcientiam noſtram. “ Hier. xxxii. 19. „ Magnus conſilio, & incomprehenſibilis (*a*) „ cogitatu. “ Et hæc expoſitio habetur in illa homilia, quæ incipit, „ Vox ſpiritualis a- „ quilæ. “ Alio modo poteſt exponi accipiendo tenebras, ſecundum Auguſtinum, pro naturali inſipientia hominum, quæ tenebra dicitur. Eccle. ii. 13. „ Vidi quia tantum præ- „ cederet ſapientia ſtultitiam, quantum diſ- „ fert lux a tenebris. “ Ex eo ergo aliquis inſipiens eſt quod privatur lumine ſapientiæ divinæ. Sicut ergo mentes ſapientum participatione iſtius divinæ lucis, & ſapientiæ, lucidæ ſunt, ita eius privatione tenebræ ſunt. Quod ergo quidam tenebroſi ſint, non eſt ex defectu iſtius lucis, quia inquantum eſt de ſe, in tenebris lucet, & omnes irradiat; ſed ideo inſipientes privati ſunt ea luce, quia *tenebra eam non comprehenderunt*; ideſt, non apprehenderunt, ad ipſius participationem, eorum inſipientia pertingere non valentes, ut poſt elati non durantes. Iob xxxvi. 32. „ In „ manibus (ideſt ſuperbis) abſcondit lu- „ cem (ideſt lumen ſapientiæ) & annun- „ tiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio eius „ ſit, & ad eam poſſit aſcendere. “ Baruch iii. 23. „ Viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque „ commemorati ſunt ſemitas eius. “ Licet autem aliquæ mentes ſint tenebroſæ, ideſt ſapida, & lucida ſapientia privatæ, nulla tamen (*b*) adeo tenebroſa eſt quin aliquid lucis divinæ participet: quia quicquid veritatis a quocumque cognoſcitur, totum eſt participatione iſtius lucis, quæ in tenebris lucet, quia omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu ſancto eſt; & tamen tenebræ, ideſt homines tenebroſi, *eam non comprehenderunt*, ſecundum veritatem. Sic ergo exponitur iſta clauſula, ſecundum naturalem influxum, (*c*) ſecundum Origenem, & ſecundum Auguſtinum. Alio modo ab illo loco, *Et vita erat lux hominum*, exponitur ſecundum fluxum gratiæ, qua irradiamur per Chriſtum; & continuatur ſic ad præcedentia. Supra egit Evangeliſta de creatione rerum per Verbum; hic vero tractat de reſtauratione rationalis creaturæ facta per Chriſtum, dicens: *Et vita*, Verbi, *erat lux hominum*, communiter, & non Iudæorum tantum: quia Filius Dei carnem aſſumere venit in mundum, ut illuminaret gratia, & veritate omnes homines. Infra xviii. 37. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni ut teſtimonium perhibeam veritati*. Item infra ix. 5. (*d*) *Quamdiu in mundo ſum, lux ſum mundi*. Et ideo non dicit, Lux Iudæorum: quia licet olim tantum in Iudæa notus eſſet, tamen poſtea toti mundo innotuit. Eſa. xlix. 6. „ Dedi te in lucem „ gentibus, ut ſis ſalus mundo uſque ad ex- „ tremum terræ. “ Congrue etiam coniungit lucem, & vitam, dicens: *Et vita erat lux hominum*: ut oſtendat iſta duo, lucem ſcilicet, & vitam, nobis proveniſſe per Chriſtum. Vitam quidem per participationem gratiæ: infra (hoc cap.) *Gratia, & veritas per Ie-*

(a) *Al.* cognitu. (b) *Al.* a Deo. (c) *Al.* ſecundum Origenem, Auguſtinum. (d) Al. *Quamdiu in mundo ſum lux mundi.*

Ieſum Chriſtum facta eſt : lucem vero per cognitionem veritatis, & ſapientiæ. Hoc autem quod dicit, *Lux in tenebris lucet*, poteſt ſecundum haoc expoſitionem exponi tripliciter, ſecuodum quod tripliciter poſſumus accipere tenebras. Uno modo pro pœna : nam quælibet triſtitia, & afflictio cordis, teoebra quædam dici poteſt, ſicut quodlibet gaudium lux. Mich. ult. 8. „ Cum ſedero in tenebris, „ & io afflictionibus, Dominus lux mea eſt, “ ideſt gaudium, & conſolatio. Dicit ergo Origenes: Secundum hoc lux in tenebris lucet, ideſt Chriſtus in mundum veniens, & corpus paſſibile, & abſque peccato habens in ſimilitudinem carnis, ſecundum quod dicitur Rom. VIII. Lux in carne : quæ ſcilicet caro Chriſti, ſecundum quod in ſe babet „ ſimilitudi„nem carnis peccati, “ tenebra dicitur; quaſi dicat: Lux, ideſt Verbum Dei circumvelatum tenebris carnis, luxit in mundum, ſecundum illud Ezech. XXXII. 7. „ Solem nu„be tegam. “ Secundo accipiendo per tenebras dæmones, iuxra illud Epheſ. ult. 12. „ Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem „ & ſanguinem tantum, ſed adverſus princi„pes, & poteſtates, adverſus mundi recto„res tenebrarum harum. “ Secundum hoc dicit : *Lux*, ideſt Filius Dei, *in tenebris lucet*; ideſt, in mundum deſcendit, ubi tenebræ, ideſt dæmones, dominabantur: infra XII. 31. „ Princeps huius mundi eiicietur foras : “ *& tenebræ*, ideſt dæmones, *eum non comprehenderunt*; ideſt, eum obſcurare non potuerunt tentando, ut patet Matth. IV. Tertio accipiendo tenebras errores, ſive ignorantias, quibus totus mundus ante adventom Chriſti plenus erat, ſecundum quod dicit Apoſtolus (Epheſ. V. 8.) „ Eratis aliquando tenebræ. “ Dicit ergo, quod *lux*, ideſt Verbum Dei incarnatum, *in tenebris lucet*, ideſt hominibus mundi, erroris, & ignorantiæ teoebris obſcuratis. Luc. I. 79. „ Illuminare his qui in „ tenebris, & in umbra mortis ſedent. “ Et Eſa. IX. 2. „ Populus, qui ſedebat in tene„bris, vidit lucem magnam. *Et tenebræ eum non comprehenderunt*, ideſt non vicerunt: quia quantumcumq e homines peccatis obſcurati, invidia excæcati, ſuperbia tenebroſi, contra Chriſtum pugnaverint, ut patet ex Evangelio, exprobrando ſcilicet, ioiurias, & contumelias inſerendo, & tandem occidendo; non tamen *eum comprehenderunt*; ideſt, non viceruot eum obſcurando, (a) quin eius claritas per totum mundum fulgeret. Sap. VII. 30. „ Luci comparata invenitur prior, illi „ enim ſuccedit, nox; ſapientiam autem (id„eſt Filium Dei incarnatum) noo vincit „ malitia, “ Iudæorum ſcilicet, & hæreticorum: quia, ut dicitur Sapien. X. 12. „ Cer„tamen forte dedit illi, ut vinceret, & „ ſciret quoniam omnium potentior eſt ſa„pientia. “

L E C T I O IV.

FUit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Ioannes : hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.

SUpra Evaogeliſta egit de Verbi divinitate; in parte vero iſta incipit agere de Verbi incarnatione: & circa hoc duo facit. Primo agit de teſte Verbi incarnati (b) ſeu præcurſore; ſecundo de adventu Verbi, ibi, *Erat lux vera*. Circa primum duo facit. Primo deſcribit præcurſorem in teſtimooium venientem; ſecundo oſtendit eum ad ſalvandum ioſufficientem, ibi, *Non erat ille lux*. Præcurſorem autem deſcribit quadrupliciter. Primo a oaturæ conditione, cum dicit, *Fuit homo*; ſecundo ab auctoritate, cum dicit, *Miſſus a Deo*; tertio ab officii idooeitate, cum dicit, *Cui nomen erat Ioannes*; quarto ab officii dignitate, ibi, *Hic venit*. Conſiderandum autem eſt circa primum, quod ſtatim cum Evangeliſta (c) incipit loqui de aliquo temporali, mutat modum loquendi. Cum enim ſupra loqueretur de æternis, utebatur hoc verbo *Erat*, quod eſt præteriti imperfecti, oſtendens per hoc, æterna interminata eſſe; nunc vero, cum loquitur de temporalibus, utitur hoc verbo *Fuit*, ad oſtendendum quod temporalia ſic præterierunt quod tamen terminantur. Dicit ergo, *Fuit homo* : per quod in principio excludit perverſam opinionem hæreticorum, contra conditionem, ſeu naturam Ioaonis, qui propter id quod Dominus, Matth. XI. 10. dicit de Ioanne : „ Hic eſt de quo ſcriptum eſt : Ecce „ mitto Angelum meum aote faciem meam : “ & etiam Marc. I. dicitur de ipſo : opioati ſunt, quod Ioannes fuiſſet natura Angelus : quod excludens Evangeliſta dicit, *Fuit homo*, natura, non Angelus. Eccle. VI. 10. „ Scitur

„ quod

(a) *Al.* quin potius. (b) *Al.* ſuo. (c) *Al.* incepit de aliquo &c.

Digitized by Google

„ quod ſit homo, & quod non poſſit contra „ fortiorem ſe in iudicio contendere.“ Convenienter autem homo ad homines mittitur, per quem homines magis alliciuntur, utpote per ſibi ſimilem: unde dicitur Hebr. VII. 28. „ Lex „ enim homines conſtituit ſacerdotes infirmita- „ tem habentes.“ Poterat enim Deus homines gubernare per Angelos; ſed maluit per homines, ut ipſorum exemplo magis inſtruerentur. Et ideo Ioannes homo fuit, & non Angelus. Ex auctoritate quidem deſcribitur, cum dicit, *Miſſus a Deo*. Equidem, licet Ioannes natura non fuerit Angelus, fuit tamen officio, quia *miſſus a Deo*: proprium enim Angelorum officium eſt, quod a Deo mittantur, & ſint nuntii Dei. Hebr. I. 14. „ Omnes ſunt admini- „ ſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi.“ Unde Angelus, nuntius interpretatur. Poſſunt ergo homines qui a Deo ad aliquid annuntiandum mittuntur, Angeli dici, iuxta illud Aggæi I. 13. „ Dixit Aggæus: Nuntius Domi- „ ni ex nuntiis Domini.“ Requiritur autem ad hoc quod aliquis teſtimonium de Deo perhibeat quod ſit a Deo miſſus: iuxta illud Rom. X. 15. „ Quomodo prædicabunt niſi mit- „ tantur?“ Et quia cum a Deo mittuntur, non ſua quærunt, ſed quæ Ieſu Chriſti: II. Corinth. IV. 5. „ Non enim prædicamus noſ- „ metipſos, ſed Ieſum Chriſtum:“ qui vero mittitur a ſeipſo, non a Deo, ſua quærit, vel quæ ſunt hominis, non autem quæ Chriſti: ideo hic dicitur: *Fuit homo miſſus a Deo*: ut intelligas quia non annuntiavit niſi (*a*) divinum, non humanum.

Nota autem, quod tripliciter invenimus aliquos miſſos a Deo. Scilicet per internam inſpirationem, ſicut Eſai. XLVIII. 16. „ Et „ nunc (*b*) miſit me Dominus, & ſpiritus „ eius;“ quaſi dicat: Per interiorem ſpiritus inſpirationem ſum a Deo miſſus. Item per expreſſam & apertam iuſſionem ſive corporalem, ſive imaginariam. Et ſic iterum miſſus eſt Eſaias: unde dicit ibid. VI. 8. „ Audivi „ vocem Domini dicentis: Quem mittam, & „ quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte „ me.“ Item per prælati iniunctionem, qui gerit in hoc perſonam Dei. II. Cor. II. 10. „ Nam & ego, ſi quid donavi propter vos in „ perſona Chriſti.“ Et inde eſt quod qui mittuntur a prælato, mittuntur a Deo, ſicut miſſi fuerunt ab Apoſtolo Barnabas, & Timotheus.

Cum autem dicitur hic, *Fuit homo miſſus a Deo*, intelligendum eſt per interiorem inſpirationem, vel etiam forte per exteriorem iuſſionem a Deo cum miſſum fuiſſe. Infra (hoc cap.) *Qui miſit me, ipſe dixit: Super quem videris* (*c*) *ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*.

Per hoc etiam quod dixit, *Fuit homo miſſus a Deo*, non eſt intelligendum ſicut quidam hæretici ponebant, credentes, animas hominum ante corpus fuiſſe cum Angelis ab initio creatas, & mitti animam cuiuſcumque, quando naſcitur, ad corpus; & quod Ioannes ſit miſſus ad vitam, ideſt eius anima ad corpus; ſed quod fuit miſſus a Deo ad officium baptizandi, & prædicandi.

Ex idoneitate vero commendatur, cum dicit: *Cui nomen erat Ioannes*. Ad officium namque teſtimonii requiritur idoneitas: nam niſi teſtis ſit idoneus, qualitercumque mittatur ab alio, non eſt ſufficiens teſtimonium eius. Homo (*d*) autem efficitur idoneus ex gratia Dei. I. Corinth. XV. 10. „ Gratia Dei ſum id quod „ ſum.“ II. Corinth. III. 6. „ Qui idoneos „ nos fecit miniſtros novi teſtamenti.“ Satis ergo congrue Evangeliſta idoneitatem præcurſoris inſinuat ex eius nomine, dicens: *Cui nomen erat Ioannes*: quod interpretatur, in quo eſt gratia: quod quidem nomen non fuit fruſtra ſibi impoſitum, ſed ex divina præordinatione, & antequam naſceretur, ut patet Luc. I. 13. „ Et vocabis nomen eius Ioannem:“ dixit Angelus ad Zachariam. Unde poteſt dicere illud Eſa. XLIX. 1. „ Dominus ab ute- „ ro vocavit me:“ & Eccli. VI. 10. „ Qui „ futurus eſt, iam vocatum eſt nomen eius.“ Quod etiam oſtendit Evangeliſta ex modo loquendi, cum dicit, *Erat*, quantum ad Dei præordinationem.

Ex officii etiam dignitate deſcribitur, cum dicit: *Hic venit in teſtimonium*: ubi primo ponitur officium; ſecundo ratio officii, ibi, *Ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Officium autem huius eſt teſtificandi: unde dicit: *Hic venit in teſtimonium*.

Ubi notandum eſt, quod Deus & homines, & omnia quæ facit, propter ſe operatur. Prov. XVI. 4. „ Univerſa propter ſemetipſum „ operatus eſt Dominus.“ Non quidem ut aliquid ei accreſcat, quia bonorum noſtrorum non eget; ſed ut eius bonitas manifeſtetur in omnibus a ſe factis, inquantum „ per ea „ quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur ſem- „ piterna eius virtus, & divinitas:“ Rom. I. 20. Fit ergo quælibet creatura in teſtimonium Dei, inquantum quælibet creatura eſt teſtimonium quoddam divinæ bonitatis. Et quidem magnitudo creaturæ teſtimonium quoddam eſt divinæ virtutis, & omnipotentiæ; pul-

(*a*) *Al.* Dominum. (*b*) *Al.* dimiſit. (*c*) Al. *Spiritum Dei*. (*d*) *Al.* enim.

Digitized by Google

pulchritudo vero divinæ ſapientiæ. Speciali vero modo ordinantur a Deo quidam homines; & non ſolum naturaliter inquantum ſunt, ſed etiam ſpiritualiter per ſua bona opera Deo teſtimonium ferunt. Unde omnes ſancti viri, teſtes ſunt Dei, inquantum propter eorum bona opera Deus glorioſus apud homines efficitur. Matth. v. 16. „ Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. “ Sed tamen illi qui participant non ſolum dona Dei in ſeipſis per gratiam Dei bene operando, ſed etiam diffundunt ad alios dicendo, (a) monendo, & exhortando, ſpecialius ſunt teſtes Dei. Eſai. xliii. 7. „ Omnem qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum. “ Ioannes ergo venit in teſtimonium ad hoc ut in alios diffunderet dona Dei, & annuntiaret laudem. Hoc autem officium Ioannis, ſcilicet teſtificandi, eſt valde magnum, quia nullus poteſt de aliquo teſtificari, niſi eo modo quo illud participat. Infra iii. 11. *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*. Unde teſtimonium perhibere divinæ veritati, indicium eſt cognitionis ipſius veritatis. Et inde eſt quod etiam Chriſtus hoc officium habuit. Infra xviii. 37. *Ad hoc veni, & in hoc natus ſum ut teſtimonium perhibeam veritati*. Sed aliter Chriſtus, & aliter Ioannes: Chriſtus enim ut ipſum lumen comprehendens, immo ipſum lumen exiſtens; Ioannes vero ut ipſum lumen participans tantum. Et ideo Chriſtus perfecte teſtimonium perhibet, & perfecte manifeſtat veritatem; Ioannes vero, & alii ſancti, inquantum ipſam veritatem divinam participant. Eſt ergo magnum officium Ioannis & ex participatione divini luminis, & ex ſimilitudine ad Chriſtum, qui hoc officio uſus fuit. Eſai. lv. 4. „ Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus. “

Ratio autem huius officii ponitur, cum dicit: *Ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Ubi ſciendum eſt, quod alicui rei teſtimonium perhibetur duplici de cauſa. Una cauſa poteſt eſſe ex parte rei, cui teſtimonium adhibetur, puta ſi eſt dubia, vel incerta; alia cauſa eſt ex parte audientium, ſi ſunt duri, & tardi corde ad credendum. Ioannes vero in teſtimonium quidem venit non propter ipſam rem cui teſtimonium perhibebat, quia lumen erat: unde dicit: *Ut teſtimonium perhiberet de lumine*, non de re obſcura, ſed de re manifeſta: venit ergo in teſtimonium propter ipſos quibus teſtificabatur: *Ut omnes crederent per eum*, ſcilicet Ioannem. Nam ſicut lumen non ſolum in ſeipſo, & per ſe viſibile eſt, ſed etiam omnia alia per ipſum videri poſſunt; ita Verbum Dei non ſolum in ſe lumen eſt, ſed etiam eſt omnia manifeſtans quæ manifeſtantur. Cum enim unumquodque manifeſtetur per ſuam formam, & cognoſcatur; omnes autem formæ ſint per Verbum, quod eſt ars plena rationum viventium: (b) eſt Verbum lumen, non ſolum in ſe, ſed omnia manifeſtans. Eph. v. 3. „ Omne quod manifeſtatur, lumen eſt. “ Congrue autem Evangeliſta Filium (c) dicit lumen: „ quia venit lumen ad revelationem gentium: “ Luc. ii. 32. Supra autem dixit Filium Dei Verbum, quo Pater dicit ſe, & omnem creaturam. Unde cum proprie ſit lux hominum, & hic Evangeliſta de eo agat ſecundum quod venit ad ſalutem hominum procurandam, congrue intermittit hoc nomen Verbum, cum loquitur de Filio, & dicit illud lumen.

Sed ſi iſtud lumen ſufficiens eſt per ſe omnia manifeſtare, non ſolum ſeipſum, quid ergo indigebat ut teſtificaretur? Non ergo neceſſaria ſunt teſtimonia Ioannis, & Prophetarum de Chriſto. Reſpondeo dicendum, quod hæc obiectio eſt Manichæorum, qui volunt deſtruere vetus Teſtamentum. Unde a Sanctis contra hos multiplex ratio aſſignatur quare Chriſtus teſtimonium Prophetarum voluit habere. Origenes quidem aſſignat tres rationes ad hoc. Primo quidem, quod Deus vult aliquos teſtes habere, (d) non quod ipſe eorum teſtimonio indigeat, ſed ut eos nobilitet quos conſtituit teſtes; ſicut videmus etiam in ordine univerſi, quod Deus producit aliquos effectus per cauſas medias, non quia ipſe impotens ſit ad eos immediate producendos, ſed quia ad nobilitandas ipſas cauſas medias eis cauſalitatis dignitatem communicare dignatur. Sic ergo etſi Deus potuerit omnes homines illuminare per ſe, & in cognitionem ſuam adducere; ut tamen debitus ordo ſervaretur in rebus, & ut aliquos homines nobilitaret, voluit divinam cognitionem ad homines per aliquos homines devenire. Eſai. xliii. 10. „ Vere vos teſtes mei eſtis, dicit Dominus. “ Secunda ratio eſt, quia Chriſtus illuxit mundo per miracula: quæ quidem, quia in tempore facta erant, temporaliter tranſierunt, neque pervenerunt ad omnes. Verba vero Prophetarum commendata ſcripturæ, poterant non ſolum ad præſentes, ſed etiam ad poſteros pervenire. Voluit ergo Dominus homines ad cognitionem Verbi venire per teſtimonia Prophetarum, ut non ſolum præſentes, ſed etiam futuri de ipſo illuminarentur; &

(a) *Al.* movendo. (b) *Al.* eſt ergo. (c) *Al.* fecit. (d) *Al.* non ut.

Digitized by Google

& ideo ſignanter dicit: *Ut omnes crederent per illum*, non ſolum præſentes, ſed etiam futuri. Tertia ratio eſt, quia homines ſunt diverſæ conditionis, & diverſimode ad veritatis cognitionem perducti, & diſpoſiti. Quidam namque ad veritatis cognitionem magis perducuntur per ſigna, & miracula; quidam vero magis per ſapientiam. Unde I. Cor. I. 22. „ Iudæi „ ſigna petunt, & Græci ſapientiam quæ„ runt. “ Ut ergo Dominus omnibus oſtenderet viam ſalutis, utramque viam pandere voluit, ſcilicet ſignorum, & ſapientiæ, ut qui non perducerentur ad viam ſalutis per miracula in veteri, & novo Teſtamento facta, ſaltem per viam ſapientiæ, ut in Prophetis, & aliis ſacræ Scripturæ libris, ad veritatis cognitionem perveniant. Quarta ratio eſt Chryſoſtomi, quia ſcilicet homines infirmi intellectus, veritatem, & cognitionem Dei ſeipſa capere non poſſunt: (*a*) unde voluit Deus eis condeſcendere, & illuminare quoſdam homines de divinis præ aliis, ut ab eis bumano modo cognitionem de divinis acciperent, quorum cognitionem in ſeipſis attingere non valebant; & ideo dicit: *Ut omnes crederent per illum*; quaſi dicat: *Venit in teſtimonium*, non propter ipſum lumen, ſed propter ipſos homines, ut ſcilicet *crederent per illum*. Sic ergo patet idonea eſſe, & congruentia teſtimonia Prophetarum, & ideo recipienda utpote nobis neceſſaria ad veritatis cognitionem.

Dicit autem *crederent*, quia eſt duplex participatio divini luminis. Una ſcilicet perfecta, quæ eſt in gloria: Pſal. XXXV. 10. „ In „ lumine tuo videbimus lumen: “ alia eſt imperfecta, quæ ſcilicet babetur per fidem: *quia venit in teſtimonium*. De iſtis duobus modis dicitur I. Cor. XIII. 12. „ Videmus nunc per „ ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad „ faciem. “ Et ibidem dicitur: „ Nunc co„ gnoſco ex parte; tunc autem cognoſcam ſic„ ut & cognitus ſum. “ Iſtorum autem modorum prior eſt modus participationis per fidem, quia per ipſam pervenitur (*b*) ad ſpeciem. Unde Eſai. VII. 9. ſecundum aliam litteram: „ Niſi credideritis non intelligetis: “ ubi noſtra habet: „ Si non credideritis non „ permanebitis. “ II. Cor. III. 18. „ Nos au„ tem omnes revelata facie gloriam Domini „ ſpeculantes, in eamdem imaginem (ſcili„ cet quam perdidimus) transformamur a cla„ ritate in claritatem: “ Gloſſa: „ A claritate „ fidei, in claritatem ſpeciei. “ Dicit ergo: *Ut omnes crederent per illum*: non ut omnes viderent illum perfecte ſtatim, ſed ut primo per fidem credendo, & poſtea (*c*) per ſpeciem in patria perfruendo. Dicit autem, *Per eum*, ut oſtendat differentiam eius ad Chriſtum. Chriſtus enim venit ut omnes crederent in eum. Infra VII. 38. „ *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ*. Ioannes vero *ut omnes crederent*, non quidem in eum, ſed in Chriſtum per eum.

Sed contra. Non omnes crediderunt per illum: ſi ergo venit ut omnes crederent per illum, fruſtra venit. Reſpondeo dicendum, (*d*) quod quantum eſt ex parte Dei mittentis, & ex parte Ioannis venientis, ſufficiens modus adhibitus eſt omnibus perveniendi ad fidem; ſed ex parte eorum qui „ oculos ſuos ſtatue„ runt declinare in terram, “ (Pſal. XVI. 11.) & noluerunt videre ipſum lumen, defectus fuit, quia non omnes crediderunt. Licet autem Ioannes, de quo tot dicta ſunt, & quod miſſus a Deo, magnus ſit, nihilominus tamen eius adventus non eſt ſufficiens hominibus ad ſalutem: quia ſalus hominis in hoc conſiſtit quod participet ipſam lucem: unde, etſi Ioannes lux fuiſſet, ſuffeciſſet hominibus ad ſalutem eius adventus; ſed ipſe non erat lux: unde dicit: *Non erat ille lux*. Et ideo neceſſaria erat lux, quæ ſufficeret hominibus ad ſalntem. Vel aliter. Ioannes venit ut teſtimonium perhiberet de lumine. Conſuetum eſt autem teſtificantem eſſe maioris auctoritatis quam ille cui perhibet teſtimonium: ne ergo credatur Ioannes eſſe maioris auctoritatis, quam Chriſtus, dicit Evangeliſta: *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Teſtatur enim non quia maior, ſed quia notior, etiamſi ſit minor.

Sed quæritur de hoc quod dicit, *Non erat ille lux*. (*e*) Contra dicitur Epheſ. V. 8. „ Eratis „ aliquando tenebræ, nunc autem lux in Do„ mino. “ Et Matth. V. 14. „ Vos eſtis lux „ mundi. “ Sunt ergo Ioannes, & Apoſtoli, & omnes boni, lux.

Reſpondeo. Quidam dicunt, quod Ioannes non erat lux cum articulo, quia hoc eſt ſolius Dei proprium; ſed ſi lux ponatur ſine articulo, erant Ioannes, & omnes ſancti, facti lux: quod eſt dictu: Filius Dei eſt lux per eſſentiam; Ioannes vero, & omnes ſancti per participationem. Et ideo quia Ioannes participabat verum lumen, congruenter teſtimonium perhibebat de lumine. Ignis enim convenientius manifeſtatur per aliquod ignitum, quam per aliquid aliud; & color per coloratum.

(a) *Al. deeſt* unde. (b) *Al.* ad ſpem. (c) *Al.* per ſpem. (d) *Al. omittitur* quod. (e) *Al.* Conſequenter.

LECTIO V.

(a) ERat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt; (b) & mundus eum non cognovit.

(a) SUperius egit Evangeliſta de præcurſore, & teſte Verbi incarnati; in parte vero iſta agit de ipſo Verbo incarnato: & circa hoc tria facit. Primo oſtendit adventus Verbi neceſſitatem; ſecundo ex adventu Verbi collatam nobis utilitatem, ibi, *In propria venit*; tertio veniendi modum, ibi, *Et Verbum caro factum eſt &c.* Neceſſitas autem adventus Verbi videtur eſſe defectus divinæ cognitionis, quæ in mundo erat. Unde hanc neceſſitatem ſui adventus aſſignat, dicens infra XVIII. 37. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni*. Ad inſinuandum ergo hunc divinæ cognitionis defectum, duo facit Evangeliſta. Primo oſtendit quod iſte defectus non eſt ex parte Dei, neque ex defectu Verbi; ſecundo oſtendit quod eſt ex parte hominum, ibi, *Et mundus eum non cognovit*. Quod autem non fuerit defectus ex parte Dei, & Verbi, quin homines Deum cognoſcerent, & illuminarentur a Verbo, oſtendit ex tribus. Primo ex ipſius divinæ lucis efficacia: quia *erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ſecundo ex ipſius divinæ lucis præſentia: quia *in mundo erat*; tertio ex eius evidentia: quia *mundus per ipſum factus eſt*. Non fuit ergo defectus divinæ cognitionis in mundo ex parte Verbi, quia efficax eſt: unde primo oſtendit rationem huius efficaciæ: quia *erat lux vera*; ſecundo ipſam eius efficaciam: quia *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Eſt enim efficax divinum Verbum ad illuminandum: quia *erat lux vera*. Quomodo autem Verbum ſit lux, & quomodo ſit lux hominum, quia ſupra ſatis explanatum eſt, ſuperfluum eſt ad præſens reiterare. Iſtud tamen ad præſens eſt dicendum, quomodo ſit *lux vera*. Notandum eſt ergo ad huiuſmodi evidentiam, quod verum in Scriptura tribus opponitur. Aliquando enim dividitur contra falſum, ſicut illud Epheſ. IV. 25. „ Deponentes mendacium, loquimini veritatem. “ Aliquando autem dividitur contra figurale, ſicut illud infra I. 17. *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: quia (a) veritas figurarum legis facta eſt per Chriſtum. Aliquando vero dividitur contra participans, ſicut illud I. Ioan. ult. 20. „ Ut ſimus in vero Filio eius; “ qui ſcilicet non eſt filius per participationem. Fuit autem ante adventum Verbi in mundo quædam lux, quam ſcilicet Philoſophi ſe habere iactabant; ſed hæc quidem falſa fuit: quia, ut dicitur Rom. I. 21. „ evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. “ Hier. X. 14. „ Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia ſua. “ Fuit etiam quædam alia lux, quam gloriabantur ſe habere Iudæi ex doctrina legis; ſed hæc quidem lux erat lux figuralis. Heb. X. 1. „ Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. “ Erat etiam in Angelis, & in ſanctis hominibus lux quædam, inquantum ſpecialiori modo per gratiam Deum cognoſcebant; ſed hæc lux participata erat. Iob XXV. 3. „ Super quem non reſplendet lumen illius? “ quaſi dicat: Quicumque lucidi ſunt, intantum lucent inquantum participant lumen illius, ideſt Dei. Sed Verbum Dei non erat lux falſa, non figuralis, non participata; ſed *lux vera*, ideſt per eſſentiam ſuam: & ideo dicit, *Erat lux vera*: in quo quidem verbo excluditur duplex error, ſcilicet Photini, qui Chriſtum opinatus eſt ex Virgine initium ſumpſiſſe: & ideo ne aliquis hoc ſuſpicari poſſet, Evangeliſta loquens de incarnatione Verbi, dicit, *Erat lux vera*, ſcilicet ab æterno, non ſolum ante Virginem, ſed ante omnem creaturam. Excluditur etiam error Arrii, & Origenis dicentium, Chriſtum non fuiſſe verum Deum, ſed per participationem tantum. Quod ſi verum eſſet, non eſſet lux vera, ut Evangeliſta dicit. Sicut enim dicitur I. Ioan. I. 4. „ Deus lux eſt, “ non per participationem, ſed lux vera. Si ergo Verbum erat lux vera, manifeſtum eſt illud eſſe Deum verum. Patet ergo ratio efficaciæ divini Verbi ad divinam cognitionem cauſandam. Efficacia autem ipſius Verbi eſt, quia *illuminat omnem hominem venientem*. Omne enim quod eſt per participationem, derivatur ab eo quod eſt per eſſentiam ſuam tale; ut omne ignitum eſt hoc per participationem ignis, qui eſt ignis per ſuam naturam. Quia ergo Verbum eſt lux vera per ſuam naturam, oportet quod omne lucens luceat per ipſum, inquantum ipſum participat. Ipſe ergo *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

Sciendum eſt autem ad horum intellectum, quod

(a) *Al.* neceſſitas.

quod mundus in Scriptura accipitur tribus modis. Aliquando enim ratione ſuæ creationis, (*a*) ſicut hic inferius ait Evangeliſta : *Mundus per ipſum factus eſt*. Aliquando autem ratione ſuæ perfectionis, ad quam per Chriſtum pertingit, ſicut illud II. Corinth. v. 19. „ Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians „ ſibi. " Aliquando ratione ſuæ perverſitatis, ſicut illud I. Ioan. v. 19. „ Totus mundus in „ maligno poſitus eſt. " Illuminatio ſeu illuminari per Verbum, intelligitur dupliciter. Scilicet de lumine naturalis cognitionis, de quo dicitur in Pſal. iv. 7. „ Signatum eſt ſu„ per nos lumen vultus tui, Domine. " Item de lumine gratiæ, de quo dicitur Eſai. lx. 1. „ Illuminare Hieruſalem." His duabus diſtinctionibus ſuppoſitis, facile ſolvitur dubitatio quæ ex iſtis oritur. Cum enim dicit Evangeliſta, *Illuminat omnem hominem*, videtur ſubeſſe falſum, cum adhuc multi ſint in mundo tenebroſi. Si ergo nos memores dictarum diſtinctionum, accipiamus mundum, ſecundum quod ponitur ratione ſuæ creationis; & illuminare, ſecundum quod accipitur pro lumine naturalis rationis: verbum Evangeliſtæ nullam habet calumniam: quia homines omnes venientes in hunc mundum ſenſibilem, illuminantur lumine naturalis cognitionis ex participatione huius veræ lucis, a qua derivatur quicquid de lumine naturalis cognitionis participatur ab hominibus. Utitur autem Evangeliſta hoc modo loquendi, ut dicat, *Venientem in hunc mundum*, non quod homines vixiſſent aliquo temporis ſpatio extra mundum, & poſtea venirent in mundum, cum hoc ſit contra ſententiam Apoſtoli, Rom. ix. 11. „ Cum enim non„ dum nati eſſent, aut aliquid egiſſent boni, „ aut mali (ut ſecundum electionem propo„ ſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed „ ex vocante dictum eſt &c. " Unde cum non egiſſent aliquid antequam nati eſſent, manifeſtum eſt quod anima non eſt antequam corpori coniungatur. Dicit ergo, *Venientem in hunc mundum*, ut oſtendat quod homines illuminantur a Deo, ſecundum hoc ſcilicet quod veniunt in mundum, ideſt ſecundum intellectum, qui eſt ab extrinſeco: homo enim ex duplici natura conſtituitur, corporali ſcilicet, & intellectuali: & ſecundum corporalem quidem naturam, ſeu ſenſibilem, illuminatur homo lumine corporeo, & ſenſibili; ſecundum animam vero, & intellectualem naturam, illuminatur lumine intellectuali, & ſpirituali. Cum ergo homo ſecundum naturam corporalem non veniat in hunc mundum, ſed ſit ex mundo; ſed ſecundum intellectualem naturam, quæ eſt ab extrinſeco, ut dictum eſt, (*b*) ſit a Deo per creationem: unde dicitur Eccle. xii. 7. „ Donec omnis caro in ſuam rever„ tatur originem, & ſpiritus dirigatur ad „ Deum qui fecit illum: " oſtendit Evangeliſta quod hæc illuminatio eſt ſecundum illud quod eſt (*c*) ab extrinſeco, ſcilicet ſecundum intellectum, cum dicit: *Venientem in hunc mundum*. Si vero accipiatur illuminari pro lumine gratiæ, ſic hoc quod dicitur, *Illuminat omnem hominem*, poteſt tripliciter exponi. Uno modo, ſecundum Origenem in illa hom. „ Aqui„ la grandis, " exponitur hoc modo, ut accipiamus mundum ratione ſuæ perfectionis, ad quam perducitur homo reconciliatus per Chriſtum; & tunc dicitur: *Illuminat omnem hominem venientem*, per fidem, *in hunc mundum*, ſpiritualem, ſcilicet Eccleſiam illuminatam lumine gratiæ. Alio modo, ſecundum Chryſoſtomum, exponitur, accipiendo mundum ratione ſuæ creationis; & talis eſt ſenſus: *Illuminat*, ſcilicet Verbum, quantum de ſe eſt, quia ex parte ſua nulli deeſt, immo „ vult „ omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veri„ tatis venire, " ut dicitur I. Tim. ii. 4. *omnem hominem venientem*, ideſt qui naſcitur in hunc mundum ſenſibilem. Quod ſi aliquis non illuminatur, ex parte hominis eſt, avertentis ſe a lumine illuminante. Tertio modo, ſecundum Auguſtinum, exponitur, ut ly *omnem* ſit diſtributio accommoda, ut ſit ſenſus: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non ſimpliciter, ſed *omnem hominem*, qui illuminatur, ſcilicet quia nullus illuminatur niſi a Verbo. Dicit ergo, ſecundum Auguſtinum, *Venientem*, ut aſſignet rationem quare homo indiget illuminari; accipiendo tamen mundum ratione ſuæ perverſitatis, & defectus; quaſi dicat: Ideo indiget illuminari, quia venit in hunc mundum, perverſitate, & defectibus tenebroſum, & ignorantia plenum. De mundo ſpirituali primi hominis Luc. i. 79. „ Illumi„ nare his qui in tenebris, & in umbra mor„ tis ſedent. "

Deſtruitur autem per verba prædicta error Manichæi ponentis, homines. (*d*) a principio contrario, ideſt diabolo, in mundo creatos fuiſſe: quia ſi homo fuiſſet creatura diaboli, veniens in mundum, non illuminaretur a Deo, ſive a Verbo: quia „ Chriſtus ve„ nit in mundum, ut diſſolvat opera diabo„ li: " I. Ioan. iii. 8.

Sic ergo patet ex efficacia divini Verbi, quod defectus cognitionis in hominibus non eſt ex parte ipſius Verbi: quia ad omnes illuminandos efficax eſt, cum ſit *lux vera quæ illuminat*

(a) *Al.* ſicut Ioan. i. (b) *Al.* ſcilicet. (c) *Al.* ab intrinſeco. (d) *Al.* homines, & mundum a principio &c.

omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed ne credas defectum ipſum eſſe ex remotione, ſeu abſentia veræ lucis, hoc excludens Evangeliſta, ſubdit, *In mundo erat*. Simile huic habetur Act. XVII. 28. „ Non longe eſt ab „ unoquoque noſtrum (ſcilicet Deus) in ipſo „ enim vivimus, & movemur, & ſumus . “ Quaſi dicat Evangeliſta: Verbum divinum efficax eſt, & præſens eſt ad illuminandum.

Notandum vero, quod in mundo dicitur aliquid eſſe tripliciter . Uno modo per continentiam, ſicut locatum in loco . Infra XVII. 11. *Hi in mundo ſunt*. Alio modo ſicut pars in toto: nam pars mundi dicitur eſſe in mundo, etiamſi non ſit locata; ſicut ſubſtantiæ ſupernaturales, licet localiter non ſint in mundo, tamen ſunt ut partes . Pſal. CXLV. 6. „ Qui „ fecit cælum, & terram, mare , & omnia „ quæ in eis ſunt . “ Neutro autem iſtorum modorum lux vera in mundo erat, quia nec localis eſt, nec pars univerſi; immo quodammodo (ut ita liceat loqui) totum univerſum eſt pars, bonitatem eius partialiter participans. Erat ergo in mundo tertio modo, ſicut cauſa efficiens, & conſervans . Hier XXIII. 24. „ Cælum, & terram ego impleo . “ Sed tamen aliter eſt de Verbo agente, & cauſante omnia, & aliter de aliis agentibus. Nam alia agentia operantur ut extrinſecus exiſtentia : cum enim non agant niſi movendo, & alterando aliquo modo quantum ad ea quæ ſunt extrinſeca rei, ut extrinſeca operantur. Deus vero operatur in omnibus ut interius agens , quia agit creando. Creare autem, eſt dare eſſe rei creatæ. Cum ergo eſſe ſit intimum cuilibet rei, Deus, qui operando dat eſſe , operatur in rebus ut intimus agens. In mundo ergo erat ut dans eſſe mundo.

Conſuetum eſt autem dici, Deum eſſe in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Ad cuius intellectum, ſciendum eſt, quod per potentiam dicitur eſſe aliquis in omnibus quæ ſubduntur potentiæ eius; ſicut Rex dicitur eſſe in toto regno ſibi ſubiecto, per ſuam potentiam; non tamen ibi eſt per præſentiam, neque per eſſentiam. Per præſentiam dicitur eſſe in omnibus quæ ſunt in conſpectu eius , ſicut Rex dicitur eſſe per præſentiam in domo ſua. Per eſſentiam vero dicitur eſſe in illis rebus in quibus eſt ſua ſubſtantia, ſicut eſt Rex in uno loco determinato. Dicimus enim Deum eſſe ubique per potentiam, quia omnia eius poteſtati ſubduntur. Pſal. CXXXVIII. 8. „ Si a„ ſcendero in cælum, tu illic es ... ſi ſumpſero „ pennas meas diluculo, & habitavero in extre„ mis maris: etenim illuc manus tua deducet „ me, & tenebit me dextera tua.“ Per præſentiam vero, quia „ omnia nuda , & aperta „ ſunt oculis eius, “ quæ ſunt in mundo, ut habetur Hebr. IV. 13. Per eſſentiam autem , quia eſſentia ſua intima eſt omnibus rebus: oportet enim de neceſſitate omne agens , inquantum agens , immediate coniungi ſuo effectui ; cum movens , & motum oporteat ſimul eſſe. Deus autem actor eſt, & conſervator omnium, ſecundum eſſe uniuſcuiuſque rei. Unde, cum eſſe rei ſit intimum in qualibet re, manifeſtum eſt quod Deus per eſſentiam ſuam, per quam omnia creat , ſit in omnibus rebus.

Notandum autem, quod Evangeliſta ſignanter utitur hoc verbo *erat*, cum dicit, *In mundo erat*, oſtendens ab initio creaturæ ſemper ipſum fuiſſe in mundo, cauſans, & conſervans omnia: quia ſi ad momentum ſubtraheret Deus virtutem ſuam a rebus conditis, omnia in nihilum redigerentur, & eſſe deſinerent. Unde Origenes ſatis ad hoc congruo exemplo utitur, dicens , quod ſicut ſe habet vox humana ad verbum humanum in mente conceptum , ſic ſe habet creatura ad Verbum divinum : nam ſicut vox noſtra eſt effectus verbi concepti in mente noſtra, ita & creatura eſt effectus Verbi in divina mente concepti. „ Dixit enim & „ facta ſunt : “ Pſal. CXLVIII. 5. Unde ſicut videmus quod ſtatim, deficiente verbo noſtro, vox ſenſibilis deficit, ita ſi virtus Verbi divini ſubtraheretur a rebus , ſtatim res omnes in ipſo momento deficerent; & hoc , quia „ eſt „ portans omnia verbo virtutis ſuæ : “ Hebr. I. 3. Sic ergo patet quod defectus divinæ cognitionis non eſt in hominibus ex Verbi abſentia: quia *in mundo erat* . Non eſt etiam ex Verbi inviſibilitate, ſeu occultatione: quia fecit opus, in quo ſimilitudo evidenter relucet, ſcilicet mundum. Sap. XIII. 5. „ A magnitu„ dine ſpeciei , & creaturæ cognoſcibiliter „ (*a*) poterit eorum creator videri. “ Rom. I. 20. „ Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, „ intellecta conſpiciuntur “ . Et ideo ſtatim Evangeliſta ſubiungit: *Et mundus per ipſum factus eſt* : ut ſcilicet in ipſo lux ipſa manifeſtaretur . Sicut in artificio manifeſtatur ars artificis, ita totus mundus nihil aliud eſt quam quædam repræſentatio divinæ ſapientiæ in mente Patris conceptæ. Eccli. I. 10. „ Sparſit il„ lam ſuper omnia opera ſua. “ Sic ergo patet quod defectus divinæ cognitionis non eſt ex parte Verbi , quia efficax eſt , cum ſit *lux vera*; præſens eſt , quia *in mundo erat* ; evidens eſt, quia *mundus per ipſum factus eſt*.

(b) Unde autem ſit huius defectus , oſtendit

(a) *Al.* poterat.

Digitized by Google

dit Evangeliſta conſequenter, cum dicit : *Et mundus eum non cognovit*; quaſi dicat : Non eſt ex parte ipſius, ſed ex parte mundi, qui *eum non cognovit* . Dicit autem *eum* in ſingulari, quia ſupra Verbum dixerat non ſolum lucem hominum, ſed Deum : unde cum dicit *eum*, intelligit Deum . Ponitur autem hic mundus pro homine: Angeli namque cognoverunt eum intelligendo, elementa cognoverunt eum obediendo; ſed *mundus*, ideſt homo habitator mundi, *eum non cognovit* . Et poſſumus hunc defectum cognitionis divinæ referre vel ad naturam hominis, vel ad culpam. Ad naturam quidem, quia licet omnia hæc prædicta auxilia data ſint homini ut ducatur in cognitionem Dei, tamen ratio humana in ſe deficiens eſt ab hac cognitione. Iob XXXVI. 25. „ Unuſquiſque in„ tuetur eum procul. " Et iterum ibi (ver. 26.) „ Ecce Deus magnus vincens ſcientiam „ noſtram. " Sed ſi aliqui eum cognoverunt, hoc fuit non inquantum fuerunt in mundo, ſed inquantum fuerunt ſupra mundum, & tales quibus dignus non erat mundus: quia *mundus eum non cognovit* : Et eſt quaſi ratio quare ab hominibus Deus non cognoſcitur ; & ſic mundus accipitur pro inordinato mundi amore, quaſi dicat : *Mundus eum non cognovit* : unde ſi aliquid æternum in mente perceperunt, hoc fuit inquantum non erant de hoc mundo. Si vero referatur ad culpam hominis, tunc hoc quod dixit, *Mundus eum non cognovit*, eſt quaſi ratio quare ab hominibus Deus non cognoſcitur; & ſic accipitur mundus pro inordinato mundi amatore; quaſi dicat: *Mundus eum non cognovit*, quia ſunt mundi amatores : amor enim mundi, ut dicit Auguſtinus, maxime retrahit a Dei cognitione : quia „ amor „ mundi inimicum Dei conſtituit : " Iac. IV. 4. Qui autem non diligit Deum, non poteſt eum cognoſcere . I. Cor. II. 14. „ Animalis „ homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus „ Dei. "

Notandum autem, quod ex hoc ſolvitur quæſtio Gentilium, qui vane quærunt: Si a paucis temporibus Filius Dei pro ſalute humana mundo innotuit, videtur quod ante tempus illud naturam humanam deſpiceret. Quibus dicendum eſt, quod non deſpexit, ſed ſemper fuit in mundo; & quantum in ſe eſt, cognoſcibilis eſt ab hominibus: ſed quod aliqui eum non cognoverunt, fuit eorum culpa, quia mundi amatores erant.

Notandum etiam, quod Evangeliſta loquitur de incarnatione Verbi, ut oſtendat idem eſſe Verbum incarnatum, & quod *erat in principio apud Deum*, *& Deus* . Reſumit quæ de ipſo ſupra dixerat: ibi enim dixerat, quod *Verbum erat lux hominum*; hic vero dicit quod *erat lux vera*. Ibi (*a*) quod *omnia per ipſum facta ſunt*; hic vero: *Et mundus per ipſum factus eſt*. Supra vero dixit, quod *ſine ipſo factum eſt nihil*; ideſt, ſecundum unam expoſitionem, omnia (*b*) conſervans; hic vero dicit, *In mundo erat*, mundum, & omnia creans, & conſervans. Ibi dixit: *Et tenebræ eam non comprehenderunt* ; hic vero : *Et mundus eum non cognovit*. Et ideo totum hoc quod ſequitur ab illo loco, *Erat lux vera*, videtur quædam explicatio ſuperiorum.

Poſſumus etiam ex prædictis accipere triplicem rationem quare Deus voluit incarnari. Una eſt perverſitas humanæ naturæ, quæ ex ſui malitia iam obtenebrata erat vitiorum, & ignorantiæ obſcuritate. Unde ſupra dixerat, quod *tenebræ eam non comprehenderunt*. Venit ergo in carnem Deus, ut tenebræ poſſent apprehendere lucem, ideſt ad cognitionem eius pertingere. Eſai. IX. 2. „ Populus, qui ambula„ bat in tenebris, vidit lucem magnam. " Secunda propter inſufficientiam prophetici teſtimonii. Venerunt enim Prophetæ, venerat Ioannes; ſed ſufficienter illuminare non poterant, quia *non erat ille lux*. Unde neceſſarium erat ut poſt Prophetarum vaticinia, poſt Ioannis adventum, lux ipſa veniret, & ſui cognitionem mundo traderet ; & hoc eſt quod Apoſtolus dicit, Hebr. I. 1. „ Multiſarie, „ multiſque modis olim Deus loquens patri„ bus in Prophetis, noviſſime locutus eſt no„ bis in Filio. " Et II. Pet. I. 19. (*c*) „ Ha„ betis propheticum ſermonem, cui bene fa„ citis attendentes, donec dies illuceſcat. " Tertia propter creaturarum defectum : nam creaturæ inſufficientes erant ad ducendum in cognitionem creatoris: unde *mundus per ipſum factus eſt*, & *ipſum non cognovit*. Unde neceſſarium erat ut ipſe creator per carnem in mundum veniret, & per ſeipſum cognoſceretur ; & hoc eſt quod Apoſtolus dicit, I. Cor. I. 21. (*d*) „ Nam quia in Dei ſapientia mundus non „ cognovit per ſapientiam Deum, placuit Deo „ per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere „ credentes. "

(a) *Al. deeſt* quod. (b) *Al.* obſervat. (c) *Al.* „ Habetis firmiorem propheticum ſermonem : benefacietis „ attendentes &c. " (d) *Al.* Namque.

LECTIO VI.

(a) IN propria venit; (b) & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, (c) dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, (d) his qui credunt in nomine eius: (e) qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

(a) ASſignata neceſſitate incarnationis Verbi, conſequenter Evangeliſta manifeſtat utilitatem ex ipſa incarnatione ab hominibus conſecutam: & primo inſinuat lucis adventum, quia *in propria venit*; ſecundo hominum occurſum, ibi, *Et ſui eum non receperunt*; tertio fructum ex adventu lucis allatum, ibi, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Oſtendit ergo quod lux, quæ erat præſens in mundo, & evidens ſeu manifeſta per effectum, non tamen cognoſcebatur a mundo; & ideo *venit in propria*, ut cognoſceretur. Sed ne, cum dicit, *Venit*, intelligeres motum localem (*a*) hoc modo, ut ſcilicet venerit quaſi deſinens eſſe ubi prius erat, & denuo incipiens eſſe ubi prius non erat; dicit Evangeliſta, *In propria*; ideſt, in ea quæ erant ſua, quæ ipſe (*b*) fecit; & venit ipſe ubi erat. Infra XVI. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum. Venit* (inquam) *in propria*, ideſt in Iudæam, ſecundum quoſdam, quæ quidem ſpeciali modo ſua erat. Pſal. LXXV. 2. „ Notus in Iudæa Deus. “ Eſa. V. 7. „ Vinea „ Domini exercituum domus Iſrael eſt. “ Sed melius eſt, ut dicatur, *propria*, ideſt in mundum ab eo creatum. Pſal. XXIII. 1. „ Domi„ ni eſt terra. “

Sed ſi prius erat in mundo, quomodo venit in mundum? Reſpondeo dicendum, quod venire in aliquem locum, dicitur dupliciter: ſcilicet vel quod aliquis veniat ubi nullo modo prius fuerat; vel quod ubi aliquo modo prius fuerat, (*c*) incipiat eſſe quodam novo modo; ſicut Rex, qui prius erat in civitate aliqua ſui regni per potentiam, ad illam poſtmodum veniens perſonaliter, dicitur venire ubi prius erat: venit enim per ſuam ſubſtantiam ubi prius erat ſolum per ſuam potentiam. Sic ergo Filius Dei venit in mundum, & tamen in mundo erat. Erat quidem per eſſentiam, potentiam, & præſentiam; ſed venit per carnis aſſumptionem; erat inviſibilis, venit ut eſſet viſibilis.

(b) Deinde cum dicit, *Et ſui eum non receperunt*, ſequitur hominum occurſus, qui differenter ſe habuerunt ad venientem: quia quidam eum receperunt, non ſui: unde dicitur: *Et ſui eum non receperunt*. Sui ſunt homines, quia ab eo formati. Geneſ. II. 7. „ Formavit Deus hominem. “ Pſal. XCIX. 3. „ Scitote, quoniam Dominus ipſe fecit nos: “ quia ad eius imaginem facti. Geneſ. I. 26. „ Fa„ ciamus hominem. “ Sed melius eſt ut dicamus: *Sui*, ideſt Iudæi, *eum non receperunt*, per fidem credendo, & honorando. Infra V. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me*: & infra VIII. 49. *Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me*. Sunt quidem Iudæi ſui, quia ab ipſo in populum peculiarem electi. Deut. XXVI. 18. „ Elegit te „ Dominus in populum peculiarem. “ Sui ſecundum carnem coniuncti. Rom. IX. 3. „ Ex „ quibus Chriſtus, ſecundum carnem. “ Item ſui, ab eo beneficiis promoti. Eſa. I. 2. „ Fi„ lios enutrivi, & exaltavi. “ Sed licet ſui, Iudæi eum non receperunt; non (*d*) defuerunt tamen qui eum receperunt: unde ſubdit: *Quotquot autem receperunt*. Utitur Evangeliſta hoc modo loquendi, dicens, *Quotquot*, ut oſtendat ampliorem eſſe factam ſolutionem quam fuerit (*e*) promiſſio, quæ facta fuit ſolum ſuis, ſcilicet Iudæis. Eſa. XXXIII. 22. „ Do„ minus legifer noſter Dominus Rex noſter: ipſe „ ſalvabit nos. “ Sed ſolutio non ſolum fuit facta ſuis, ſed *quotquot receperunt eum*, ideſt omnibus in eum credentibus. Rom. XV. 8. „ Dico autem, Chriſtum miniſtrum fuiſſe cir„ cumciſionis, propter veritatem Dei, ad con„ firmandas promiſſiones patrum, “ ideſt patribus factas. Gentes autem ſuper miſericordia, quia miſericorditer ſunt recepti. Dicit, *Quotquot*, ut oſtendat, quod gratia Dei indifferenter datur omnibus recipientibus Chriſtum. Actor. X. 45. „ Ergo in nationes gratia Spiri„ tus ſancti effuſa eſt. “ Et non ſolum liberis, ſed etiam ſervis, non ſolum maſculis, ſed etiam feminis. Galat. III. 28. „ In Chri„ ſto Ieſu non eſt maſculus, nec femina, „ Gentilis, vel Iudæus, circumciſio, & præ„ putium &c. “

(c) Deinde cum dicit, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, ſequitur fructus eius adventus:

(a) *Al.* in hoc modo, ſcilicet venerit quaſi deſinens eſſe Verbi prius erat, at denuo incipiens eſſe Verbi &c. (b) *Al.* fecerit. (c) *Al.* incipiebat. (d) *Al.* defecerunt. (e) *Al.* pro minimo.

Digitized by Google

tus: ubi primo ponitur fructus magnificentiam, quia *dedit eis poteſtatem*; ſecundo oſtendit quibus datur, quia *his qui credunt*; tertio inſinuat modum dandi, quia *non ex ſanguinibus*. Eſt ergo fructus adventus Filii Dei magnus, quia homines fiunt per hoc filii Dei. Gal. IV. 5. „ Miſit Deus Filium ſuum factum „ ex muliere, ut adoptionem filiorum reci„ peremus. “ Et hoc congrue, ut qui ſumus filii Dei per hoc quod aſſimilamur Filio, reformemur per Filium. Dicit ergo: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*.

Ad cuius evidentiam ſciendum eſt, quod homines fiunt filii Dei per aſſimilationem ad Deum; & ideo ſecundum triplicem aſſimilationem hominum ad Deum, homines ſunt filii Dei. Primo enim per gratiæ infuſionem: unde quicumque habet gratiam gratum facientem, efficitur filius Dei. Rom. VIII. 15 „ Non „ enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis &c. “ Gal. IV. 6. „ Quoniam eſtis filii Dei, miſit „ Deus ſpiritum Filii ſui. “ Secundo aſſimilamur Deo per operum perfectionem, quia qui facit opera iuſtitiæ, eſt filius. Matth. V. 44. „ Diligite inimicos veſtros. “ Tertio aſſimi„ lamur Deo per gloriæ adeptionem, & quantum ad animam per lumen gloriæ: I. Ioan. III. 2. „ Cum apparuerit, ſimiles ei erimus: “ & quantum ad corpus. Phil. III. 21. „ Re„ formabit corpus humilitatis noſtræ. “ Unde de iſtis duobus dicitur Rom. VIII. 23. „ Adoptionem filiorum Dei expectantes. “ Si ergo accipiamus poteſtatem filios Dei fieri, quantum ad operum perfectionem, & gloriæ adeptionem, nullam difficultatem habebit ſermo: quia cum dicit, *Dedit eis poteſtatem*, intelligitur de poteſtate gratiæ, qua habita, poteſt homo facere opera perfectionis, & adipiſci gloriam: quia, ut dicitur Rom. VI. 23. „ gratia Dei, vita æterna. “ Et ſecundum hunc modum dicitur (*a*) *Dedit eis*, qui eum receperunt, *poteſtatem*, ideſt infuſionem (*b*) gratiæ, *filios Dei fieri*, bene operando, & gloriam acquirendo. Si vero intelligatur de gratiæ infuſione, tunc dubitationem habet hoc quod dicitur, *Dedit eis poteſtatem*: quia non eſt in poteſtate noſtra fieri filios Dei, cum non ſit in poteſtate noſtra gratiam habere. Hoc ergo quod dicit, *Dedit eis poteſtatem*, aut intelligitur de poteſtate naturæ; & hoc non videtur eſſe verum, quia infuſio gratiæ eſt ſupra naturam noſtram: aut intelligitur de poteſtate gratiæ, & tunc hoc ipſum eſt gratiam habere quod habere *poteſtatem filios Dei fieri*; & ſic non dedit poteſtatem filios Dei fieri, ſed filios Dei eſſe. Ad quod dicendum, quod in datione gratiæ, requiritur in homine adulto ad iuſtificationem ſuam conſenſus per motum liberi arbitrii: unde quia in poteſtate hominis eſt ut conſentiat, & non conſentiat, *dedit eis poteſtatem*. Dedit autem hanc poteſtatem ſuſcipiendi gratiam dupliciter. Præparando, & hominibus proponendo. Sicut enim qui facit librum, & proponit homini ad legendum, dicitur dare poteſtatem legendi; ita Chriſtus, per quem gratia facta eſt, ut dicitur infra, & „ qui operatus eſt ſalutem in medio terræ, “ ut dicitur in Pſal. LXXIII. 12. *dedit* nobis *poteſtatem filios Dei fieri*, per gratiæ ſuſceptionem. Secundo quia hoc non ſufficit, cum etiam liberum arbitrium indigeat, ad hoc quod moveatur ad gratiæ ſuſceptionem, auxilio gratiæ divinæ, non quidem habitualis, ſed moventis; ideo dat poteſtatem movendo liberum arbitrium hominis, ut conſentiat ad ſuſceptionem gratiæ: iuxta illud Thren. ult. 21. „ Converte nos Domine ad te (movendo „ voluntatem noſtram ad amorem tuum) & „ convertemur. “ Et hoc modo vocatur interior vocatio, de qua dicitur Rom. VIII. 30. „ Quos vocavit (interius voluntatem inſti„ gando ad conſentiendum gratiæ) hos iu„ ſtificavit, “ gratiam infundendo. Quia vero per hanc gratiam habet homo hanc poteſtatem conſervandi ſe in divina filiatione, poteſt & aliter dici: *Dedit eis*, ideſt eum recipientibus, *poteſtatem filios Dei fieri*, ideſt gratiam, per quam potentes ſunt in divina filiatione conſervari. I. Ioan. ult. 18. „ Omnis qui „ natus eſt ex Deo, non peccat, ſed gratia „ Dei (per quam regeneramur in filios Dei) „ conſervat eum. “ Sic ergo *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, per gratiam gratum facientem, per operum perfectionem, per gloriæ adeptionem; & hæc præparando, movendo, & conſervando gratiam.

(d) Deinde cum dicit, *His qui credunt in nomine eius*, oſtenditur quibus conferatur fructus eius adventus. Et hoc quidem poteſt accipi dupliciter, vel ut ſit expoſitivum ſuperiorum, vel determinativum. Expoſitivum quidem, quia Evangeliſta dixerat: *Quotquot autem receperunt eum*. Ut ergo oſtendat quid eſt recipere eum, quaſi exponendo, conſequenter ſubiungit: *His qui credunt in nomine eius*; quaſi dicat: Hoc eſt recipere eum, in eum credere, quia per fidem Chriſtus habitat in cordibus noſtris, iuxta illud Epheſ. III. 17. „ Habitare Chriſtum per fidem in cor„ dibus veſtris. “ Illi ergo *receperunt eum*, *qui credunt in nomine eius*. Ut determinati-

vum

(a) *Al.* omittitur *Dedit*. (b) *Al.* deeſt gratiæ.

rum vero ponitur ab Origene in homilia, quæ incipit, „ Vox ſpiritualis. “ Hoc modo multi recipiunt Chriſtum, dicentes ſe eſſe Chriſtianos, qui tamen non fiunt filii Dei, quia non vere credunt in nomine eius, falſa dogmata de Chriſto ſuggerendo, ſubtrahendo ſcilicet aliquid ſibi de divinitate, vel de humanitate, iuxta illud, I. Ioan. IV. 3. „ Omnis „ ſpiritus qui ſolvit Chriſtum, ex Deo non „ eſt. “ Et ideo Evangeliſta quaſi determinando, dicit, *Dedit eis*, ſcilicet recipientibus eum per fidem, *poteſtatem filios Dei fieri*, illis tantum, *qui credunt in nomine eius*; ideſt, qui nomen Chriſti integrum ſervant, ut nihil de divinitate, vel humanitate Chriſti diminuant. Poteſt etiam hoc referri ad formationem fidei, ut dicatur, *Hic* ſcilicet *dedit poteſtatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius*; ideſt, per fidem caritate formatam, opera ſalutis faciunt: illi enim qui habent ſolum fidem informem, non credunt in nomine eius, quia non operantur ad ſalutem. Sed prima expoſitio, qua accipitur ut expoſitivum præmiſſorum, melior eſt.

(e) Deinde cum dicit, *Qui non ex ſanguinibus &c.* oſtenditur qualiter conferatur hominibus tam magnificus fructus: quia enim dixerat, quod fructus advenientis lucis eſt poteſtas fieri filios Dei hominibus data: filius autem dicitur aliquis, ex eo quod naſcitur: ne æſtimes eos materiali generatione naſci, dicit, *Non ex ſanguinibus*. Et licet hoc nomen *ſanguis* in Latino non habeat plurale, quia tamen in Græco habet, ideo translator regulam grammaticæ ſervare non curavit, ut veritatem perfecte doceret. Unde non dicit, Ex ſanguine, ſecundum Latinos, ſed *Ex ſanguinibus*: per quod intelligitur quicquid ex ſanguine generatur, concurrens ut materia ad carnalem generationem. Semen autem, ſecundum Philoſophum (de Gen. animal. cap. XVIII.) eſt ultimi ſuperfluitas cibi ſanguinei: unde ſive ſemen viri, ſive menſtruum mulieris intelligitur per ſanguinem. Cauſa vero motiva ad actum carnalem eſt voluntas ſe commiſcentium, ſcilicet maris & feminæ: quia licet actus virtutis generativæ, ſecundum quod huiuſmodi, non ſit ſubiectus voluntati, præambula tamen ad ipſum voluntati ſubiiciuntur: & ideo dicit: *Neque ex voluntate carnis*, pro perſona mulieris, *neque ex voluntate viri*, ut ex cauſa efficiente, *ſed ex Deo nati ſunt*; quaſi dicat: Non carnaliter, ſed ſpiritualiter filii Dei fiunt. Accipitur autem hic caro, ſecundum Auguſtinum, pro muliere, quia ſicut caro obedit ſpiritui, ſic mulier debet obedire viro. Gen. II. 23. dixit Adam de muliere: „ Hoc nunc os ex oſſibus „ meis. “ Et attendendum, ſecundum Auguſtinum, quod ſicut diſſipatur poſſeſſio domus, in qua principatur mulier, & ſubiicitur vir, ita diſſipatur homo, cum caro dominatur ſpiritui. Propter quod dicit Apoſtolus, Rom. VIII. 12. „ Debitores ſumus non car„ ni, ut ſecundum carnem vivamus. “ De modo autem dictæ generationis carnalis dicitur Sap. VII. 1. „ In ventre matris figuratus „ ſum caro. “ Vel poſſumus dicere, quod motivum ad carnalem generationem eſt (a) duplex. Unum ſcilicet ex parte appetitus intelligitur, quæ eſt voluntas; aliud a parte ſenſitivi, quod eſt concupiſcentia. Ad deſignandum ergo materialem cauſam, dixit, *Non ex ſanguinibus*; ſed ad deſignandum cauſam efficientem quantum ad concupiſcentiam, dicit, *Neque ex voluntate carnis*; quamvis improprie voluntas dicatur concupiſcentia carnis; quo tamen modo dicitur Gal. V. 17. „ Ca„ ro concupiſcit adverſus ſpiritum &c. “ Ad deſignandum vero appetitum intellectivum, dicit: *Non ex voluntate viri*. Sic ergo generatio filiorum Dei non eſt carnalis, ſed eſt ſpiritualis, quia *ex Deo nati ſunt*. I. Ioan. V. 4. „ Omne quod natum eſt ex Deo, vincit „ mundum. “

Nota autem, quod hæc præpoſitio *de* ſemper denotat materialem cauſam, & efficientem, & etiam conſubſtantialem. Dicimus enim quod faber facit cultellum de ferro, & pater generat filium ſuum de ſeipſo, quia aliquid ſui (b) concurrit aliquo modo ad generationem. Hæc vero præpoſitio *a* ſemper denotat cauſam moventem. Hæc vero præpoſitio *ex* (c) accipitur ut communis, quia importat cauſam materialem, & efficientem, non tamen conſubſtantialem. Unde quia ſolus Filius Dei, qui eſt Verbum, eſt de ſubſtantia Patris, immo cum Patre eſt una ſubſtantia, alii vero ſancti, qui (d) ſunt filii adoptivi, non ſunt de eius ſubſtantia; ideo Evangeliſta utitur hac præpoſitione *ex*, dicens de aliis: *Ex Deo nati ſunt*; de Filio vero naturali, quod de Patre eſt natus.

Notandum eſt etiam, quod ſecundum ultimam expoſitionem carnalis generationis, poſſumus accipere differentiam carnalis generationis ad ſpiritualem. Quia enim illa eſt ex ſanguinibus, ideo carnalis; iſta vero, quia non eſt ex ſanguinibus, ideo ſpiritualis. Infra III. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*. Item quia materialis generatio eſt ex voluntate carnis,

(a) *Al.* dupliciter. (b) *Al.* occurrit. (c) *Al.* accipitur communius. (d) *Al.* ſunt adoptivi.

Digitized by Google

nis, ideſt ex concupiſcentia, ideo eſt immunda, & generat filios peccatores. Epheſ. II. 3. „ Eramus natura filii iræ. “ Item quia illa eſt *ex voluntate viri*, ideſt hominis, facit filios hominum; hæc vero, quia eſt ex Deo, facit filios Dei. Si vero hoc quod dicit, *Dedit eis poteſtatem*, voluit referre ad baptiſmum, propter quod in filios Dei regeneramur, poſſumus videre in hoc ordinem baptiſmi: ut ſcilicet primo requiratur fides, quod ſit in catechumenis, qui debent primo inſtrui de fide, ut ſcilicet credant in nomine eius, & deinde regenerentur per baptiſmum, noo quidem ex ſanguinibus carnaliter, ſed ex Deo ſpiritualiter.

LECTIO VII.

(a) ET Verbum caro factum eſt, (b) & habitavit in nobis.

(a) POſita neceſſitate adventus Verbi in carnem, & etiam ntilitate, conſequenter Evangeliſta modum veniendi manifeſtat, dicens: *Et Verbum caro factum eſt*. Et ſecundum hoc continuatur ad hoc quod dixerat, *In propria venit*; quaſi dicat: Verbum Dei in propria venit. Sed ne credas ipſum veniſſe, locum mutando, oſtendit modum quo venit, ſcilicet per incarnationem: eo enim modo venit quo miſſus eſt a Patre, a qno miſſus eſt, inquantum factus eſt caro. Galat. IV. 4. „ Miſit Deus Filium ſuum, factum „ ex muliere &c. “ ubi dicit Auguſtinus: „ Eo miſſum quo factum. “ Secundum Chryſoſtomum autem, continuatur ad illud, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; quaſi dicat: Si quæris unde potuit dare hanc poteſtatem hominibus ut filii Dei fierent; reſpondet Evangeliſta: Quia *Verbum caro factum eſt*, dedit nobis quod poſſemus filii Dei fieri. Gal. IV. 5. „ Miſit Deus Filium ſuum, ut adoptionem „ filiorum Dei reciperemus. “ Secundum vero Auguſtinum, continuatur ſic ad hoc quod dixerat, *Sed ex Deo nati ſunt*: quaſi enim dure videbatur ut homines ex Deo naſcerentur; ideo quaſi in argumentum huius dicti, ut ſcilicet Verbum eſſe credatur, ſubdit Evangeliſta illud de qno minus videtur, ſcilicet quod *Verbum caro factum eſt*; quaſi dicat: Ne mireris ſi homines ex Deo ſunt nati, quia (a) *Verbum caro factum eſt*; ideſt, Deus factus eſt homo.

Notandum, quod hoc quod dicitur, *Verbum caro factum eſt*, quidam male intelligentes, ſumpſerunt occaſionem erroris. Quidam namque poſuerunt, Verbum ita carnem factum eſſe, ac ſi ipſum, vel aliquid eius ſit in carnem converſnm, ſicut cum farina fit panis, & aer ignis; & hic fuit Eutiches, qui poſuit commixtionem naturarum in Chriſto, dicens, in eo eamdem fuiſſe Dei, & hominis naturam. Sed huius opinionis falſitas manifeſte apparet: quia, ſicut eſt dictum ſupra, *Verbum erat Deus*. Deus autem immutabilis eſt, ut dicitur Malach. III. 6. „ Ego Deus, & non „ mutor: “ unde nullo modo poteſt eſſe quod io aliam naturam convertatur. Eſt ergo dicendum contra Eutichem: *Verbum caro factum eſt*: Verbum carnem aſſumpſit, non quod ipſum Verbum ſit ipſa caro: ſicut ſi dicamus, Homo factus eſt albus, non quod ipſe ſit ipſa albedo, ſed quod albedinem aſſumpſit. Fuerunt etiam alii qui, licet crederent Verbum noo in carnem mutatum, ſed quod eam aſſumpſit, tamen dixerunt ipſum aſſumpſiſſe carnem ſine anima: nam ſi carnem animatam aſſumpſiſſet, dixiſſet Evangeliſta: *Verbum caro* cum anima *factum eſt*. Et hic fuit error Arrii, qui dixit, quod in Chriſto non erat anima, ſed Verbum Dei (*b*) erat ibi loco animæ. Et huius poſitionis falſitas apparet: tum quia repugnat ſacræ Scripturæ, quæ in pluribus locis mentionem facit de anima Chriſti, ſicut illud Matth. XXVI. 38. „ Triſtis eſt ani- „ ma mea uſque ad mortem; “ tum etiam quia quædam paſſiones animæ recitantur de Chriſto, quæ in Verbo Dei nullo modo eſſe poſſuut, nec etiam in carne ſola, ſicut illud Matth. XXVI. 17. „ Cœpit Ieſus tædere, & „ mæſtus eſſe: “ tum etiam quia Deos non poteſt eſſe forma alicuius corporis; nec etiam Angelus corpori uniri poteſt per modum formæ, cum ſecundum naturam a corpore ſit ſeparatus; anima autem unitur corpori ſicut forma. Non igitur Verbum Dei corporis forma eſſe poteſt. Præterea conſtat quod caro non ſortitur ſpeciem carnis niſi per animam: quod patet, quia recedente anima a corpore hominis, ſeu bovis, caro hominis, vel bovis non dicitur caro niſi æquivoce. Si ergo Verbum non aſſumpſit carnem aoimatam, manifeſtum eſt quod non aſſumpſit carnem; ſed *Verbum caro factum eſt*: ergo carnem animatam aſſumpſit. Fuerunt autem alii qui ex hoc moti,

(a) *Al.* Verbum caro Deus factus eſt homo. (b) *Al. deeſt* erat.

ti, dixerunt, Verbum carnem quidem animatam aſſumpſiſſe, ſed anima ſenſitiva tantum, non intellectiva; loco cuius, in corpore Chriſti dixerunt Verbum eſſe. Et hic fuit error Apollinaris, qui quandoque Arrium ſecutus eſt, tandem propter auctoritates prædictas coactus fuit ponere aliquam animam in Chriſto, quæ poſſet harum paſſionum eſſe ſubiectum; ita tamen quod ratione, & intellectu careret; ſed loco horum, Verbum eſſet in homine Chriſto. Sed hoc manifeſte apparet eſſe falſum, quia repugnat auctoritati ſacræ Scripturę, in qua quædam dicuntur de Chriſto quæ nec in divinitate, nec in anima ſenſitiva, nec in carne inveniri poſſunt: ſicut illud quod admiratus eſt, ut dicitur Matth. VIII. admiratio autem eſt paſſio animæ rationalis, & intellectivæ, cum ſit deſiderium cognoſcendi cauſam occultam effectus viſi. Sic igitur ſicut triſtitia cogit in Chriſto ponere partem animæ ſenſitivam, contra Arrium; ita admiratio cogit ponere in ipſo partem animæ intellectivam, contra Apollinarem. Idem etiam apparet per rationem: ſicut enim non eſt caro ſine anima, ita non eſt vera caro humana ſine anima humana, quæ eſt anima intellectiva. Si ergo Verbum aſſumpſit carnem animatam anima ſenſitiva tantum, & non rationali, non aſſumpſit carnem humanam; & ita non poterit dici: Deus factus eſt homo. Præterea ad hoc Verbum humanam naturam aſſumpſit ut eam repararet: ergo id reparavit quod aſſumpſit. Si ergo non aſſumpſit animam rationalem, non reparaſſet eam; & ſic nullus fructus proveniret nobis ex Verbi incarnatione: quod (a) falſum eſt. *Verbum* ergo *caro factum eſt*; ideſt, carnem animatam anima rationali aſſumpſit.

Sed forte dicis: Si Verbum carnem ſic animatam aſſumpſit, quare Evangeliſta de anima rationali mentionem non fecit, ſed de carne ſolum, dicens: *Verbum caro factum eſt*? Reſpondeo dicendum, quod propter quatuor rationes Evangeliſta hoc fecit. Primo ad oſtendendum veritatem incarnationis contra Manichæos, qui dicebant, Verbum non aſſumpſiſſe veram carnem, ſed phantaſticam tantum, cum non eſſet conveniens ut boni Dei Verbum aſſumeret carnem, quam ipſi dicebant diaboli creaturam. Et ideo Evangeliſta, ut hoc excluderet, fecit de carne ſpecialiter mentionem, ſicut & Chriſtus, Luc. XXIV. 39. exiſtimantibus diſcipulis eum eſſe phantaſma, veritatem reſurrectionis oſtendit, dicens: „Spi„ritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me „videtis habere.“ Secundo ad demonſtrandam Dei erga nos magnitudinem benignitatis. Conſtat enim quod anima rationalis magis conformis eſt Deo quam caro; & quidem magnum pietatis ſacramentum fuiſſet, ſi Verbum aſſumpſiſſet animam humanam, utpote ſibi conformem. Sed aſſumere etiam carnem elongatam a ſimplicitate ſuæ naturæ, fuit multo amplioris, immo inæſtimabilis pietatis indicium: ſecundum quod Apoſtolus dicit I. ad Tim. III. 16. „Et manifeſte magnum eſt „pietatis ſacramentum quod (b) manifeſtatum „eſt in carne.“ Et ideo ut hoc oſtenderet Evangeliſta, ſolum de carne mentionem fecit. Tertio ad demonſtrandam veritatem, & ſingularitatem unionis in Chriſto: aliis enim hominibus ſanctis unitur quidem Deus, quantum ad animam ſolum. Unde dicitur Sapien. VII. 27. „Per nationes in animas ſanctas ſe „transfert, amicos Dei, & Prophetas conſti„tuens.“ Sed quod Verbum Dei uniretur carni, hoc eſt ſingulare in Chriſto, ſecundum illud in Pſal. CXL. 10. „Singulariter ſum ego „donec tranſeam.“ Iob XXVIII. 17. „Non „adæquabitur ei aurum.“ Hanc ergo ſingularitatem unionis in Chriſto oſtendere volens Evangeliſta, de carne ſolum mentionem fecit, dicens: *Verbum caro factum eſt*. Quarto ad inſinuandam congruitatem humanæ reparationis: homo enim per carnem infirmabatur: & ideo Evangeliſta volens inſinuare adventum Verbi congruum eſſe noſtræ reparationi, mentionem de carne ſpecialiter fecit, ut oſtenderet quod caro infirma, per carnem Verbi reparata fuit; & hoc eſt quod Apoſtolus dicit, Rom. VIII. 3. „Nam quod impoſſibile „erat legi, in quo infirmabatur per carnem, „Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem „carnis peccati, & de peccato damnavit pec„catum in carne.“

Sed quæritur quare Evangeliſta non dixit: Verbum carnem aſſumpſit; ſed potius, *Verbum caro factum eſt*. Reſpondeo dicendum, quod hoc ideo fecit ut excluderet errorem Neſtorii, qui dixit, in Chriſto fuiſſe duas perſonas, & duos filios, & alium eſſe filium Virginis: unde non concedebat quod Beata Virgo eſſet mater Dei. Sed ſecundum hoc Deus non eſſet factus homo: quia impoſſibile eſt quod duorum ſingularium, quæ diverſa ſunt ſecundum ſuppoſitum, unum prædicetur de alio. Unde ſi alia eſt perſona Verbi, ſeu ſuppoſitum, & alia perſona hominis, ſeu ſuppoſitum in Chriſto; tunc non erit verum quod dicit Evangeliſta: *Verbum caro factum eſt*: ad hoc enim ſit aliquid ut ſit. Si ergo Verbum non eſſet homo, non poſſet dici, quod Verbum

(a) *Al.* factum eſt. (b) *Al.* manifeſtum.

Digitized by Google

bum ſit factum homo. Et ideo ſignanter Evangeliſta dixit, *Factum eſt*; & non dixit, Aſſumpſit, ut oſtendat quod unio Verbi ad carnem non eſt talis qualis eſt aſſumptio Prophetarum, qui non aſſumebantur in unitatem ſuppoſiti, ſed ad actum propheticum; ſed eſt talis quod Deum vere faceret hominem, & hominem Deum, ideſt quod Deus eſſet homo.

Fuerunt & alii, qui non intelligentes modum incarnationis, poſuerunt quidem aſſumptionem prædictam eſſe terminatam ad veritatem perſonæ, confitentes in Deo unam perſonam Dei & hominis; ſed tamen dicunt, in ipſo fuiſse duas hypoſtaſes, ſive duo ſuppoſita, unum naturæ humanæ creatum, & temporale, aliud divinæ increatum, & æternum. Et talis eſt prima opinio quæ ponitur in III. Sent. diſt. vi. Sed ſecundum hanc opinionem non habet veritatem iſta propoſitio: Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus. Et ideo hæc opinio damnata eſt tamquam hæretica in quinto Concilio, ubi dicitur: „ Si quis „ in Domino Ieſu Chriſto unam perſonam, „ & duas hypoſtaſes dixerit; anathema ſit. “ Et ideo Evangeliſta ut omnem aſſumptionem excluderet quæ non terminatur ad unitatem perſonæ, utitur hoc verbo, *Factum eſt*.

Si vero quæris quomodo Verbum eſt homo? Dicendum, quod eo modo eſt homo quo quicumque alius eſt homo, ſcilicet habens humanam naturam, non quod Verbum ſit ipſa humana natura, ſed eſt divinum ſuppoſitum unitum humanæ naturæ. Hoc autem quod dicitur, *Verbum caro factum eſt*, non aliquam mutationem in Verbo, ſed ſolum in natura aſſumpta de novo in unitatem perſonæ divinæ dicit: *Et Verbum caro factum eſt*, per unionem ad carnem: unio autem relatio quædam eſt; relationes autem de novo dictæ de Deo in reſpectu ad creaturas, non important mutationem ex parte Dei, ſed ex parte creaturæ novo modo ſe habentis ad Deum.

(b) Sequitur: *Et habitavit in nobis*: quod quidem dupliciter diſtinguitur a præmiſſis. Primo ut dicatur quod ſupra Evangeliſta egit de Verbi incarnatione, dicens: *Verbum caro factum eſt*: hic vero modum incarnationis inſinuat, dicens, *Et habitavit in nobis*. Secundum enim Chryſoſtomum, & Hilarium, per hoc quod Evangeliſta dicit, *Verbum caro factum eſt*, poſſet aliquis intelligere quod ſit converſum in carnem, & non ſint in Chriſto duæ naturæ diſtinctæ, ſed una tantum natura, ex humana & divina commixta. Ideo Evangeliſta hoc excludens ſubiunxit: *Et habitavit in nobis*, ideſt in noſtra natura, ut tamen in ſua maneret diſtinctum. Illud enim quod in aliquid convertitur, non manet ab eo (a) in quod convertitur, ſecundum naturam diſtinctum. Quod autem ab aliquo non diſtinguitur, non inhabitat illud: quia habitare, diſtinctionem inhabitantis, & in quo habitat importat; ſed Verbum habitavit in noſtra natura: ergo naturaliter eſt ab ipſa diſtinctum: & ideo inquantum humana natura a natura Verbi fuit in Chriſto diſtincta, dicitur habitaculum divinitatis, & templum, iuxta illud infra II. 21. *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui*. Et quidem quamvis a prædictis Sanctis hoc ſane dicatur, cavenda eſt tamen calumnia quam aliqui ex hoc incurrunt. Nam antiqui Doctores, & Sancti, emergentes errores circa fidem (b) ita perſequebantur ut interdum viderentur in errores labi contrarios; ſicut Auguſtinus contra Manichæos, qui deſtruebant libertatem arbitrii, taliter diſputat quod videtur in hæreſim Pelagii incidiſse. Hoc igitur modo Evangeliſta Ioannes, ne per hoc quod dixerat, *Verbum caro factum eſt*, intelligeretur in Chriſto confuſio, vel tranſmutatio naturarum, ſubiunxit: *Et habitavit in nobis*: ex quo verbo Neſtorius occaſionem ſumens erroris, dixit, Filium Dei ſic eſſe unitum homini ut tamen Dei & hominis non eſſet una perſona: voluit enim quod Verbum per ſolam inhabitationem per gratiam fuerit humanæ naturæ unitum. Ex hoc autem ſequitur, quod Filius Dei non ſit homo.

Ad quorum evidentiam ſciendum eſt, quod in Chriſto duo conſiderare poſſumus, ſcilicet naturam, & perſonam. Secundum naturam autem attenditur in Chriſto diſtinctio, non ſecundum perſonam, quæ una & eadem eſt in duabus naturis: quia humana natura in Chriſto fuit aſſumpta in unitatem perſonæ. Inhabitatio ergo quam ponunt Sancti, referenda eſt ad naturam, ut dicatur, quod *habitavit in nobis*; ideſt, natura Verbi inhabitavit naturam noſtram; non ſecundum hypoſtaſim, ſeu perſonam, quæ eſt eadem utriuſque naturæ in Chriſto.

Quod autem blaſphemat Neſtorius, auctoritate ſacræ Scripturæ evidenter refellitur. Apoſtolus enim Phil. II. 6. unionem Dei, & hominis exinanitionem vocat, dicens de Filio (c) Dei: „ Qui cum in forma Dei eſ„ ſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æ„ qualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit for„ mam ſervi accipiens. “ Non autem dicitur Deus exinaniri ex eo quod creaturam rationa-

(a) *Al.* in quantum. (b) *Al. omittitur* ita. (c) *Al. deeſt* Dei.

lem per gratiam inhabitet: quia ſic Pater, & Spiritus ſanctns exinanirentur, cum & ipſi inhabitare hominem dicuntur per gratiam. Dicit enim Chriſtus de ſe, & de Patre loquens, infra XIV. 23. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. De Spiritu autem ſancto dicit Apoſtolus, I. Cor. III. 16. „ Spiritus „ Dei habitat in nobis. “ Præterea ſi Chriſtus perſonaliter Deus non eſſet, præſumptuoſiſſime dixiſſet (inſra x. 30.) *Ego & Pater unum ſumus*: & (ibid. VIII. 58.) *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Ego autem perſonam loquentis demonſtrat; homo autem erat, qui loquebatur: unum cum Patre præexiſtebat Abrahæ.

Poteſt etiam aliter continuari, ut dicatur, quod ſupra egit de Verbi incarnatione; nunc autem agit de Verbi incarnati converſatione, dicens: *Et habitavit in nobis*; ideſt, inter nos Apoſtolos converſatus eſt familiariter: ſecundum quod dicit Petrus, Act. I. 21. „ In omni tempore quo intravit, & exivit inter „ nos Dominus Ieſus. “ Baruch. IV. 38. „ Poſt „ hæc in terris viſus eſt. “ Hoc autem Evangeliſta addidit propter duo. Primo ut oſtendat mirabilem conformitatem Verbi ad homines, inter quos ſic converſatus eſt ut videretur quaſi unus ex eis. Non ſolum enim in natura voluit aſſimilari hominibus, ſed etiam in convictu, & familiari converſatione abſque peccato, cum eis voluit eſſe ſimul, ut ſic homines ſuæ converſationis dulcedine allectos traheret ad ſeipſum. Secundo ut oſtendat ſui teſtimonii veritatem. Evangeliſta enim ſupra (a) de Verbo magna quædam dixerat, & adhuc multa de eo mirabilia dicturus erat; & ideo ut eius teſtimonium credibilius fieret, accepit quaſi in veritatis argumentum, ſe cum Chriſto converſatum fuiſſe, dicens: *Et habitavit in nobis*; quaſi dicat: Bene poſſum teſtimonium perhibere de ipſo, quia cum ipſo converſatus ſum. I. Ioan. I. I. „ Quod fuit „ ab initio, quod audivimus, quod vidimus „ oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus „ noſtrę contrectaverunt de Verbo vitæ &c. “ Et Act. X. 40. „ Dedit eum manifeſtum fieri „ non omni populo, ſed teſtibus præordinatis „ a Deo (ideſt) nobis, qui manducavimus, „ & bibimus cum illo. “

L E C T I O VIII.

(a) ET vidimus gloriam eius, (b) gloriam quaſi Unigeniti a Patre, (c) plenum gratiæ, & veritatis.

(a) POſita Verbi incarnatione, hic conſequenter Evangeliſta inſinuat Verbi incarnati evidentiam: & circa hoc duo facit: primo enim oſtendit modum manifeſtationis Verbi incarnati; ſecundo utrumque modum exponit, ibi, *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Innotuit autem Apoſtolis Verbum incarnatum dupliciter. Primo quidem per viſum acceperunt de eo notitiam; ſecundo per auditum ex teſtimonio Ioannis Baptiſtæ. Primo ergo manifeſtat quid de Verbo viderint; ſecundo quid a Ioanne audierint, ibi, *Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo*. Dicit autem tria de Verbo. Primo eius gloriæ manifeſtationem: unde dicit, *Et vidimus gloriam eius*; ſecundo eius gloriæ ſingularitatem, cum ſubdit, *Quaſi Unigeniti*; tertio huius gloriæ determinarionem: quia *plenum gratia, & veritatis*. Hoc autem quod dicit, *Vidimus gloriam eius*, poteſt continuari ad præcedentia tripliter. Primo ut ſit argumentum eius quod dixerat: *Verbum caro factum eſt*; quaſi dicat: Ex hoc habeo, & ſcio quod Verbum Dei eſt incarnatum, quia ego, & alii Apoſtoli vidimus gloriam eius. Inſra III. II. *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*. Et I. Ioan. I. I. „ Quod fuit ab initio, quod audivimus, „ quod vidimus oculis noſtris &c. “ Secundo continuatur, ſecundum Chryſoſtomum, ut ſit expreſſivum multiplicis beneficii; quaſi dicat: Non ſolum hoc beneficium collatum eſt nobis per incarnationem Verbi, ſcilicet quod efficiamur filii Dei, ſed etiam quod videamus gloriam. Oculi enim debiles, & infirmi lucem ſolis non poſſunt videre; ſed tunc eam videre poſſunt, cum in nube, vel in aliquo corpore opaco reſplendet. Ante incarnationem enim Verbi, mentes humanæ erant invalidæ ad videndum in ſeipſa lucem divinam, quæ illuminat omnem rationalem naturam; & ideo ut a nobis facilius cerni, contemplarique poſſet, nube noſtræ carnis ſe texit, iuxta illud Exo. XVI. 10. „ Reſpexerunt ad ſolitu- „ dinem, & viderunt gloriam Domini in nube; “ ideſt, Verbum Dei in carne. Secundum Auguſtinum autem continuatur ſic quod referatur ad beneficium gratiæ. Spirituales enim oculi hominum non ſolum naturaliter deficiebant

(a) *Al.* in Verbo.

bant a contemplatione divinæ lucis, ſed etiam ex defectu peccati: ſecundum illud Pſal. lvii. 9. „ Supercecidit ignis (ſcilicet concupiſcentiæ) & non viderunt ſolem, “ ſcilicet iuſtitiæ. Ut ergo ipſa divina lux poſſet a nobis videri, ſanavit oculos hominum, faciens de carne ſua ſalutare collirium, ut ſic oculos ex concupiſcentia carnis corruptos, Verbum collirio ſuæ carnis curaret. Et inde eſt quod ſtatim cum Verbum factum eſt caro, dixerunt: *Et vidimus gloriam eius*. Ad hoc ſignificandum fecit Dominus lutum ex ſputo, & linivit oculos cæci nati: infra vi. Lutum quidem de terra eſt, ſputum autem a capite derivatur: ita in perſona Chriſti, natura quidem humana aſſumpta de terra eſt; Verbum vero incarnatum a capite eſt, ſcilicet a Deo Patre. Hoc ergo lutum ſtatim cum appoſitum fuit oculis hominum, *vidimus gloriam eius*. Hanc autem Verbi gloriam Moyſes videre optavit, dicens (Exod. xxxiii. 18.) „ Oſtende mihi gloriam tuam. “ Sed eam videre non meruit; immo dictum eſt ei a Domino (ibid. 23.) „ Poſteriora mea videbis, “ ideſt umbras, & figuras. Apoſtoli vero ipſam (a) claritatem viderunt. II. Cor. iii. 18. „ Nos autem revelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur de claritate in claritatem. “ Moyſes enim, & alii Prophetæ Verbi gloriam manifeſtandam mundo in fine temporum ſpeculabantur in ænigmatibus, & figuris. Unde dicit Apoſtolus (infra xii. 41.) *Hæc dixit Eſaias, quando vidit gloriam eius*. Apoſtoli autem ipſam Verbi claritatem per præſentiam corporalem viderunt. II.Cor.iii.18. „ Nos autem revelata facie &c. “ Et Luc. x. 23. „ Beati oculi qui vident quæ vos videtis. „ Multi enim Reges, & Prophetæ voluerunt „ videre quæ vos videtis, & non viderunt. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Gloriam quaſi Unigeniti*, oſtendit gloriæ eius ſingularitatem. Cum enim de quibuſdam hominibus inveniatur quod fuerunt glorioſi, ſicut (b) de Moyſe legitur Exo. xxxiv. 29. „ Et facies eius „ facta eſt ſplendida, “ (vel cornuta, ſecundum aliam litteram) poſſet aliquis dicere, quod ex hoc quod viderunt eum glorioſum, non debet dici quod Verbum Dei ſit factum caro. Sed hoc Evangeliſta excludit, dicens: *Gloriam quaſi Unigeniti a Patre*; quaſi dicat: Gloria eius non eſt ſicut gloria Angeli, vel Moyſis, & Eliæ, vel Eliſæi, vel cuiuſque alterius; ſed *quaſi Unigeniti*: quia, ut dicitur Heb. iii. 3. „ Ampliori gloria iſte præ Moy„ ſe dignus eſt habitus. “ Pſal. lxxxviii. 7. „ Quis ſimilis Deo in filiis Dei? “ Hoc autem quod dicit, *Quaſi*, eſt expreſſivum veritatis, ſecundum Gregorium; & eſt modus, ut Chryſoſtomus dicit, ſicut ſi aliquis vidiſſet Regem multiplici gloria incedentem, & interrogatus ab aliquo, qualiter Regem vidiſſet, volens ſe expedire, illam multiplicem gloriam uno verbo exprimeret, dicens, quod ipſe incedebat ſicut Rex; ideſt, ſicut Regem decebat. Ita hic Evangeliſta, quaſi interrogaretur ab aliquo, qualis eſſet gloria Verbi quam viderat, non valens eam plene exprimere, dicit, eam eſſe *quaſi Unigeniti a Patre*, ideſt talem qualem decebat Unigenitum Dei.

Attenditur autem ſingularitas gloriæ Verbi quantum ad quatuor. Primo quantum ad Patris teſtimonium, quod Filio reddidit: quia Ioannes fuit unus de tribus qui viderunt Chriſtum transfiguratum in monte, & audierunt vocem Patris dicentis (Matth. xvii. 5.) „ Hic „ eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene „ complacui. “ Et de iſta gloria dicitur II. Petr. i. 17. „ Accepit a Deo Patre honorem, „ & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſ„ cemodi a magnifica gloria: Hic eſt Filius „ meus dilectus. “ Secundo quantum ad Angelorum miniſterium: nam ante incarnationem Chriſti homines erant Angelis ſubiecti; poſtmodum vero, Chriſto ſubiecti miniſtraverunt. Matth. iv. 11. „ Tunc acceſſerunt „ Angeli, & miniſtrabant ei. “ Tertio vero quantum ad naturæ obſequium: tota enim natura Chriſto obediens ei obſequebatur ad nutum, utpote ab ipſo inſtituta: quia *omnia per ipſum facta ſunt*. Quod quidem nec Angelis, nec alicui alii creaturæ conceſſum eſt, niſi ſoli Verbo incarnato; & hoc eſt quod dicitur Matth. viii. 27. „ Qualis eſt iſte, quia „ mare, & venti obediunt ei? “ Quarto quantum ad docendi, ſeu operandi modum. Moyſes enim, & alii Prophetæ non propria auctoritate præcepta dabant, & homines inſtruebant, ſed Dei: unde dicebant: „ Hæc dicit „ Dominus &c.“ & „ Locutus eſt Dominus ad „ Moyſen &c. “ Chriſtus vero loquitur tamquam Dominus, & poteſtatem habens, ideſt propria virtute. Unde dicebat, Matth. v. 22. „ Ego dico vobis &c. “ propter quod in fine ſermonis eius in monte dicitur, quod erat docens quaſi poteſtatem habens &c. Item alii Sancti operabantur miracula virtute non ſua, Chriſtus vero virtute propria. Unde dicitur Marc. i. 17. „ Quænam eſt hęc nova doctri„ na, quia in poteſtate etiam ſpiritibus im„ mundis imperat, & obediunt ei? “ Sic ergo ſingularis eſt gloria Verbi.

Nota autem, quod aliquando dicimus in Scriptura Chriſtum unigenitum, ſicut hic, & infra:

(a) *Al.* caritatem. (b) *Al.* & Moyſes.

Digitized by Google

infra: *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Aliquando vero dicimus ipſum primogenitum. Heb. I. 6. „ Et cum iterum in„ troducit primogenitum in orbem terræ, di„ cit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. “ Quod ideo eſt, quod ſicut totius ſanctæ Trinitatis proprium eſt eſſe Deum, ita Verbo Dei proprium eſt quod ſit Deus genitus. Et quandoque quidem nominamus Deum, ſecundum quod eſt in ſe; & ſic ipſe ſolus ſingulariter eſt Deus per eſſentiam ſuam. Unde hoc modo dicimus quod eſt tantum unus Deus, ſecundum illud Exo. VI. 4. „ Audi Iſrael, „ Dominus Deus tuus unus eſt. “ Quandoque nomen deitatis derivamus etiam ad alios, ſecundum quod aliqua ſimilitudo divinitatis ad homines derivatur; & ſic dicimus multos deos, ſecundum illud I. Cor. VIII. 5. „ Siqui„ dem ſunt dii multi, & domini multi. “ Eodem modo ergo, ſi conſideremus proprietatem Filii, qua genitus eſt, quantum ad modum quo ſibi iſta filiatio attribuitur, ſcilicet per naturam, dicimus ipſum Unigenitum Dei: quia cum ipſe ſolus ſit naturaliter genitus a Patre, unus tantum eſt genitus Dei. Si vero conſideremus ipſum Filium, ſecundum quod per ſimilitudinem ad ipſum, filiatio derivatur ad alios, ſic ſunt multi filii Dei per participationem. Et quia per eius ſimilitudinem dicuntur filii Dei, ideo ipſe dicitur primogenitus omnium. Rom. VIII. 29. „ Quos præſcivit „ conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe „ primogenitus in multis fratribus. “ Sic ergo Chriſtus dicitur Unigenitus Dei per naturam, primogenitus vero inquantum ab eius naturali filiatione per quamdam ſimilitudinem, & participationem filiatio ad multos derivatur.

(c) Conſequenter cum dicit, *Plenum gratiæ, & veritatis*, ipſam gloriam Verbi determinat; quaſi dicat: Talis eſt eius gloria quod plenus eſt gratia, & divinitate. Poſſunt autem hæc verba exponi de Chriſto tripliciter. Primo ſecundum unionem: ad hoc enim alicui datur gratia ut per ipſam uniatur Deo. Ille ergo gratia plenus eſt qui perfectiſſime Deo unitur. Et alii quidem coniunguntur Deo per participationem ſimilitudinis naturalis. Gen. I. 26. „ Faciamus hominem ad imaginem & „ ſimilitudinem noſtram. “ Alii per fidem. Eph. III. 17. „ Habitare per fidem Chriſtum „ in nobis. “ Alii per caritatem: quia, „ qui „ manet in caritate, in Deo manet: “ ut dicitur I. Ioan. IV. 16. Sed omnes iſti modi particulares ſunt: quia neque per participationem naturalis ſimilitudinis perfecte aliquis Deo coniungitur, neque videtur Deus per fidem ſicuti eſt, neque per caritatem diligitur quantum diligibilis eſt: quia enim ipſe eſt infinitum bonum, ideo ſua amabilitas eſt infinita, ad quam infinite amandam non poteſt pertingere alicuius creaturæ amor; & ideo non poteſt eſſe plena coniunctio. In Chriſto autem, in quo humana natura eſt unita divinitati in unitate ſuppoſiti, eſt invenire plenam, & perfectam coniunctionem ad Deum: quia talis fuit illa unio ut omnes actus tam divinæ quam humanæ naturæ eſſent actus ſuppoſiti. Fuit ergo plenus gratia, inquantum non accepit a Deo aliquod donum gratuitum ſpeciale, ſed quod eſſet ipſe Deus. Phil. II. 9. „ Dedit illi nomen (ſcilicet Deus Pater Fi„ lio) quod eſt ſuper omne nomen. Rom. I. 4. „ Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in vir„ tute. “ Fuit etiam plenus veritatis, quia humana natura in Chriſto pervenit ad ipſam veritatem divinam, ſcilicet quod ille homo eſſet ipſa divina veritas. In aliis enim hominibus ſunt multæ veritates participatæ ſecundum quod ipſa veritas prima per multas ſimilitudines in mentibus eorum relucet; ſed Chriſtus eſt ipſa veritas: unde dicitur Coloſſ. II. 3. quod „ in ipſo ſunt abſconditi omnes the„ ſauri ſapientiæ. “ Secundo poſſunt exponi ſecundum animæ perfectionem, ſecundum quam dicitur plenus gratiæ, & veritatis, ſecundum quod in anima eius fuit plenitudo omnium gratiarum abſque menſura aliqua. Infra III. 34. *Non enim datus eſt ſpiritus ad menſuram*; qui tamen menſurate datus eſt omnibus creaturis rationalibus, tam Angelis, quam hominibus: nam, ſecundum Auguſtinum, ſicut in ſingulis membris corporis eſt unus ſenſus communis, ſcilicet ſenſus tactus, in capite vero ſunt ſenſus omnes; ita in Chriſto, qui eſt caput omnis rationalis naturæ, & ſpecialiter Sanctorum, qui ei uniuntur per fidem, & caritatem, ſuperabundanter omnes virtutes, & gratiæ, & dona inveniuntur; in aliis vero Sanctis participationes ſunt donorum & gratiarum, quamvis commune donum omnium Sanctorum ſit caritas. De plenitudine gratiæ Chriſti dicitur Eſa. XI. I. „ Egre„ dietur virga de radice Ieſſe, & flos de ra„ dice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum „ Spiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ, & in„ tellectus, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, „ ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit „ eum ſpiritus timoris Domini. “ Fuit etiam Chriſtus veritate plenus, quia eius pretioſa, & beata anima omnem veritatem tam divinam quam humanam ab inſtanti conceptionis cognovit. Unde dicit ei Petrus (infra ult. XVII.) *Tu omnia ſcis*. Et in Pſal. LXXXVIII. 25. „ Veritas mea (ideſt cognitio omnis ve„ ritatis) & miſericordia mea (ideſt omnium

„ gra-

Digitized by Google

„ gratiarum plenitudo) cum ipſo. “ Tertio modo poſſunt exponi ſecundum capitis dignitatem, ſcilicet inquantum Chriſtus eſt caput Eccleſiæ; & ſic ſibi competit gratiam communicare aliis, tam in mentibus hominum operando virtutem per gratiæ infuſionem, quam merendo per doctrinam, & opera, & paſſiones mortis ſuperabundantem gratiam infinitis mundis, ſi eſſent. Inquantum igitur nobis largitus eſt perfectam iuſtitiam, quam non poteramus habere per legem, quæ infirmabatur, quæ nullum iuſtificare poſſet, neque ad perfectum adducere, intantum gratia plenus eſt, ut dicitur Rom. VIII. 3. „ Quod impoſ-„ ſibile erat legi, in quo infirmabatur per „ carnem, Deus Filium ſuum mittens in ſi-„ militudinem carnis peccati, de peccato da-„ mnavit peccatum in carne. “ Item fuit veritate plenus, inquantum figuras veteris legis, & promiſſiones factas patribus adimplevit. Rom. XV. 8. „ Dico Chriſtum Ieſum mini-„ ſtrum fuiſſe circumciſionis (a) ad confir-„ mandas promiſſiones patrum. “ II. Cor. I. 20. „ Quotquot promiſſiones Dei ſunt in il-„ lo Eſt. “ Item dicitur plenus gratia, quia eius doctrina, & converſatio gratioſiſſima fuit. Pſal. XLIV. 3. „ Diffuſa eſt gratia in labiis „ tuis. “ Unde dicitur Luc. XXI. 3. quod „ omnes (b) mane ibant; “ ideſt, mane ire ſtudebant. Sed plenus veritate: quia non docebat in ænigmatibus, & figuris, nec palpabat vitia hominum, ſed veritatem omnibus aperte, ſine ulla (c) fraude prædicabat. Infra XVI. 29. *Ecce palam loqueris &c.*

L E C T I O IX.

(a) IOannes teſtimonium perhibet de ipſo, (b) & clamat dicens: (c) Hic erat quem dixi: (d) Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat.

(a) POſita evidentia Verbi, qua ipſis Apoſtolis innotuit per viſum, conſequenter Evangeliſta ponit eius evidentiam, ſecundum quod aliis quam Apoſtolis innotuit per auditum, per teſtimonium ipſius Ioannis &c. & circa hoc tria facit: primo enim teſtis introducitur; ſecundo teſtificandi modus innuitur, ibi, *Et clamat*; tertio teſtimonium ponitur, ibi, *Hic erat quem dixi &c.* Dicit ergo: Nos quidem gloriam eius vidimus, ſicut Unigeniti a Patre, ſed hoc nobis non creditur, quia forte habemur ſuſpecti: accedat illius teſtis, ſcilicet Ioannes Baptiſta, qui teſtimonium Chriſto perhibuit: eſt enim teſtis fidelis, qui non mentietur. Prov. XIV. 5. Teſtis fidelis „ non mentietur &c. Infra V. 33. *Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati.* Hic enim Ioannes teſtimonium perhibet; quaſi dicat, perſeveranter ſuum officium implet: quia ipſe venit in teſtimonium. Prov. XII. 19. „ Labium veritatis firmum erit in perpe-„ tuum. “

(b) Deinde cum dicit, *Et clamat dicens*, ponitur modum teſtificandi, qui fit cum clamore; & ideo dicit, *Clamat*, inquantum libere ſine timore. Eſa. XL. 9. „ Exalta in for-„ titudine vocem tuam... Ecce Deus noſter. “ Ardenter, & ex magno fervore: quia, ut dicitur Eccli. XLVIII. 1. „ verbum eius ut fa-„ cula ardebat. “ Eſa. VI. 3. „ Seraphim cla-„ mabant alter ad alterum: “ per quod intimior ardor mentis exprimitur. Per manifeſtationem etiam clamoris oſtenditur, quod non ſub figuris, neque occulte ad paucos ſermo teſtificantis dirigitur; ſed aperte, & oſtenſive declaratur, & denuntiatur veritas iam non paucis, ſed multis. Eſa. LVIII. 1. „ Cla-„ ma, ne ceſſes. “

(c) Deinde cum dicit, *Hic erat quem dixi*, quid ſit teſtificatus, ſubiungit: ubi duo facit: primo enim deſcribit continuitatem ſui teſtimonii; ſecundo deſcribit eum cui teſtimonium perhibet, ibi, *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*. Fuit ergo teſtimonium Baptiſtæ continuum: quia non ſemel tantum, ſed multoties; & etiam antequam Chriſtus ad ipſum veniſſet, Ioannes teſtimonium ei perhibuit: & ideo dixit: *Hic erat quem dixi*; ideſt, antequam vidiſſem eum corporaliter, teſtimonium ei perhibui. Luc. I. 76. „ Tu puer „ Propheta Altiſſimi vocaberis. “ Et hoc ideo, quia præſentem, & futurum oſtendit. Eſt etiam eius teſtimonium certum, quia non ſolum futurum eſſe prædixit, ſed præſentem digito demonſtravit, dicens: *Ecce agnus Dei*: ex quo inſinuatur, quod Chriſtus corporaliter præſens erat Ioanni: nam ſolitus erat ſæpe ad Ioannem venire, antequam baptizatus fuiſſet.

(d) Deſcribit autem conſequenter eum cui teſtimonium perhibet, dicens: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*. Ubi notandum

(a) *Al.* ad evacuandas. (b) *Al.* manicabant. (c) *Al.* laude.

dum eſt, quod Ioannes non ſtatim prædicat diſcipulis, Chriſtum eſſe Filium Dei, ſed paulatim eos ad altiora provehit: primo præferens eum ſibi, qui tamen tantæ famæ, & auctoritatis erat ut crederetur eſſe Chriſtus, vel aliquis de magnis Prophetis. Comparat autem Chriſtum ſibi primo quantum ad ordinem prædicationis; ſecundo quantum ad ordinem dignitatis; tertio quantum ad ordinem durationis. Quantum ad ordinem prædicationis, Ioannes præceſſit Chriſtum ſicut famulus dominum, & ſicut miles Regem, & ſicut lucifer ſolem. Malach. III. 1. „ Ecce ego mit„ to Angelum meum, & præparabit viam „ ante faciem meam. " *Qui igitur poſt me venit*, ſcilicet in notitiam hominum prædicando. Et notandum, quod ly *venit* eſt temporis præſentis, quia in Græco ponitur participium præſentis temporis. Præceſſit autem Ioannes Chriſtum duplici ratione. Primo, ſecundum Chryſoſtomum, quia Ioannes erat conſanguineus Chriſti ſecundum carnem. Luc. I. 36. „ Et ecce Eliſabeth cognata tua &c. " Si ergo teſtimonium perhibuiſſet Chriſto poſtquam eum cognoverat, potuiſſet ſuum teſtimonium ſuſpectum habere, & ideo Ioannes venit ad prædicandum, nondum habens familiaritatem cum Chriſto, ut eius teſtimonium efficacius eſſet. Unde dicebat infra (hoc cap.) *Ego neſciebam eum; ſed ut manifeſtetur in Iſrael propterea veni ego, in aqua baptizans*. Secundo quia in bis quæ de potentia procedunt ad actum, imperfectum naturaliter præcedit perfectum: unde dicitur I. Cor. XV. 46. „ Non „ prius quod ſpirituale eſt, ſed quod anima„ le. " Et ideo perfectam Chriſti doctrinam debuit præcedere imperfectior doctrina Ioannis, quæ quodam modo fuit media inter doctrinam Legis, & Prophetarum, quæ annuntiabat de longinquo Chriſtum futurum; & doctrinam Chriſti, quæ manifeſta erat, & Chriſtum manifeſte annuntiabat. Comparat ſibi quantum ad ordinem dignitatis, cum dicit: *Ante me factus eſt*. Unde ſciendum eſt, quod ex hoc Arriani ſumpſerunt occaſionem erroris. Dicebant enim quod hoc quod dixit, *Poſt me venit*, intelligitur de Chriſto ſecundum carnem aſſumptam, ſed hoc quod addit, *Ante me factus eſt*, non poteſt intelligi niſi de Verbo Dei, (a) quod carni præexiſtebat; & propterea Chriſtum inquantum eſt Verbum, factum eſſe, & non eſſe Patri coæternum. Sed, ſecundum Chryſoſtomum, hæc expoſitio ſtulta eſt: quia ſi hoc eſſet verum, non dixiſſet Baptiſta: *Ante me factus eſt, quia prior me erat*: cum nullus ignoret, quod ſi prior eo erat, ante eum factus eſt; ſed potius e converſo dixiſſet: Prior me erat, quia factus eſt ante me. Et ideo, ſecundum Chryſoſtomum, intelligendum eſt de prioritate dignitatis, ideſt mihi prælatus eſt, & antepoſitus; quaſi dicat: Quamvis Ieſus poſt me ad prædicandum venerit, tamen factus eſt ante me, ideſt dignior, & ſuperior auctoritate, & hominum reputatione. Iob XXVIII. 17. „ Non adæquabitur ei aurum &c. " Vel *ante me factus eſt*, ideſt coram me, ut habetur in Gloſſa; & littera in Græco hoc ſonat; quaſi dicat, *Coram me*, ideſt in conſpectu meo, quia mihi apparuit, & innotuit. Item comparat eum ſibi quantum ad ordinem durationis, dicens: *Quia prior me erat*; quaſi dicat: Ipſe eſt ab æterno Deus, ego ex tempore homo fragilis; & ideo, licet eum prædicando præceſſerim, tamen rationabiliter prælatus eſt mihi in fama, & opinione hominum, qui ſua æternitate præcedit omnia. Heb. ult. 8. „ Ieſus Chriſtus heri, & hodie, „ ipſe & in ſæcula. " Et infra VIII. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Poteſt etiam exponi quod dictum eſt, *Ante me factus eſt*, ut referatur ad ordinem temporis ſecundum carnem: Chriſtus enim in inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfectus Deus, & perfectus homo, habens rationalem animam perfectam virtutibus, & corpus omnibus lineamentis diſtinctum, non tamen ſecundum quantitatem perfectam. Hier. XXXI. 22. „ Mulier „ circumdabit virum, " ſcilicet perfectum. Conſtat autem quod Chriſtus ante fuit conceptus quam Ioannes eſſet natus, & perfectus homo; & ideo dicit: *Ante me factus eſt*: quia ipſe prius fuit homo perfectus, quam natus fuiſſet ex utero. Sequitur

(a) *al.* quod carni præexiſtebat Chriſtum, inquantum &c.

LE-

Digitized by Google

LECTIO X.

(a) **E**T de plenitudine eius nos omnes accepimus, (b) & gratiam pro gratia. (c) Quia lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

(a) **V**Erba iſta uſque ad locum illum, *Et hoc eſt teſtimonium Ioannis*, dupliciter inſeruntur. Nam, ſecundum Origenem, (*a*) ſunt verba prolata a Ioanne Baptiſta, & ſubduntur ab eo (*b*) quaſi in argumentum præmiſſorum; quaſi dicat: Vere *prior me erat*: quia *de plenitudine eius*, ſcilicet gratiarum, non ſolum ego, ſed etiam *omnes*, Prophetæ, & patres, *accepimus*: quia omnes gratiam quam habuerunt, habuerunt per fidem incarnati Verbi. Et ſecundum hoc, ab illo loco, *Ioannes teſtimonium perhibet &c.* incepit texere exordium ſuæ incarnationis. Secundum Auguſtinum autem, & Chryſoſtomum, ſunt verba Ioannis Evangeliſtæ (*c*) ab hoc quod dicitur, *Ioannes teſtimonium perhibet*; & tunc continuatur ad hoc quod dixerat: *Plenum gratiæ, & veritatis*: ut dicatur ſic. Supra Evangeliſta oſtendit evidentiam Verbi, quæ innotuit & per viſum, & per auditum; hic vero utrumque explicat: & primo quomodo Apoſtolis innotuit viſu, quaſi a Chriſto accipientibus; ſecundo quomodo Ioannes teſtificatus eſt de eo, ibi, (*d*) *Et hoc eſt teſtimonium Ioannis*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit (*e*) Chriſtum eſſe fontalem originem omnis ſpiritualis gratiæ; ſecundo oſtendit derivatam in nos gratiam per ipſum, & ab ipſo, ibi, *Et gratiam pro gratia*. Dicit ergo primo: Experimento patet, quod vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis: quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Eſt autem plenitudo ſufficientiæ, qua aliquis eſt ſufficiens ad actus meritorios, & excellentes faciendos, ſicut in Stephano. Item (*f*) eſt plenitudo redundantiæ, qua Beata Virgo excellit omnibus Sanctis, propter eminentiam, & abundantiam meritorum. (*g*) Eſt etiam plenitudo efficientiæ, & effluentiæ, quæ ſoli homini Chriſto competit, (*h*) quaſi auctori gratiæ. Sic enim Beata Virgo redundavit (*i*) gratiam in nos, ut tamen auctrix gratiæ nequaquam eſſet, ſed ab anima eius gratia redundavit in carnem: nam per Spiritus ſancti gratiam, non ſolum mens Virginis fuit Deo per amorem perfecte unita, (*k*) ſed eius uterus a Spiritu ſancto eſt ſupernaturaliter imprægnatus. Et ideo ſtatim cum dixiſſet Gabriel, Ave gratia plena, ſubiunxit de plenitudine ventris, dicens, Dominus tecum. Ut ergo Evangeliſta hanc (*l*) ſingularem plenitudinem redundantiæ, & efficientiæ de Chriſto oſtenderet, dixit: *De plenitudine eius omnes accepimus*, ſcilicet omnes Apoſtoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & iuſti, qui fuerunt, ſunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.

Nota, quod hæc præpoſitio *de* aliquando quidem denotat efficientiam, ſeu originalem cauſam, ſicut cum dicitur, Radius eſt, vel procedit de Sole; & hoc modo denotat in Chriſto efficientiam gratiæ, ſeu auctoritatem, quia plenitudo gratiæ quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis. Eccli. xxiv. 26. „ Venite ad me omnes qui concupiſcitis me, „ & a generationibus meis (quæ ſcilicet „ de me procedunt) adimplemini, " participatione ſufficientis plenitudinis. Aliquando autem hæc præpoſitio *de* denotat conſubſtantialitatem, ut cum dicitur, Filius eſt de patre; & ſecundum hoc plenitudo Chriſti eſt Spiritus ſanctus, qui procedit ab eo conſubſtantialis ei in natura, in virtute, & maieſtate. Quamvis enim dona habitualia alia ſint in anima Chriſti quam ea quæ ſunt in nobis, tamen Spiritus ſanctus, qui eſt in ipſo, unus & idem replet omnes ſanctificandos. I. Cor. xii. 11. „ Hæc omnia operatur unus atque idem „ ſpiritus. " Ioel. ii. 28. „ Effundam de ſpi„ ritu meo ſuper omnem carnem. " Rom. viii. 9. „ Si quis ſpiritum Chriſti non habet, „ hic non eſt eius. " Nam unitas Spiritus ſancti facit in Eccleſia unitatem. Sap. i. 7. „ Spi„ ritus Domini replevit orbem terrarum. " Tertio modo hæc præpoſitio *de* denotat partialitatem, ſicut cum dicimus, Accipe de hoc pane, vel vino, ideſt partem accipe, & non totum; & hoc modo accipiendo, notat in accipientibus partem de plenitudine derivari. Ipſe enim accepit omnia dona Spiritus ſancti ſine menſura, ſecundum plenitudinem perfectam; ſed nos de plenitudine eius partem aliquam participamus per ipſum; & hoc ſecundum menſuram, quam unicuique Deus diviſit.

(a) *Al.* ſicut. (b) *Al.* qui. (c) *Al.* deeſt ab. (d) Al. *Et hoc teſtimonium*. (e) *Al.* gratiam eſſe &c. (f) *Al.* oſtenditur plenitudo &c. (g) *Al.* Sed eſt plenitudo &c. (h) *Al.* quaſi auctor eſt gratiæ. (i) *Al.* gloriam. (k) *Al.* ſed eius virtus per Spiritum ſanctum eſt ſupernaturaliter imprægnata. (l) *Al.* ſingulariter.

Digitized by Google

viſit. Epheſ. IV. 7. „ Unicuique autem noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram „ donationis Chriſti. “

(b) Deinde cum dicit, *Et gratiam pro gratia*, oſtendit derivationem gratiarum in nos per Chriſtum: ubi duo facit. Primo oſtendit quod accepimus gratiam a Chriſto, eo auctore; ſecundo accepimus ab eo ſapientiam, ibi, *Deum nemo vidit umquam*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit quod de plenitudine eius accepimus; ſecundo neceſſitatem accipiendi oſtendit, ibi, *Quia lex per Moyſen data eſt &c.* Dicit autem primo quod accepimus de plenitudine Chriſti hoc quod dico, *Et gratiam pro gratia:* Sed per hoc quod ponitur, cogimur intelligere quod de plenitudine eius accepimus gratiam, & pro illa gratia accepimus aliam; & ideo videndum eſt quæ ſit (*a*) prima gratia, pro qua ſecundam accepimus, & quæ ipſa ſecunda. Secundum Chryſoſtomum autem, prima gratia, quam totum genus humanum accepit, fuit gratia veteris teſtamenti accepta in lege, quæ quidem magna fuit, iuxta illud Prov. IV. 2. „ Donum bonum tribuam vobis „ &c. “ Magnum enim fuit quod hominibus idolatris data ſunt præcepta a Deo, & unius veri Dei vera cognitio. Rom. III. 1. „ Quid „ amplius (*b*) Iudæo, aut quæ utilitas cir„ cumciſionis? Multum quidem per omnem „ modum. Primum quidem quia (*c*) credita „ ſunt eis eloquia Dei. “ Pro gratia ergo iſta, quæ prima fuit, ſecundam longe meliorem accepimus. Zach. IV. 7. „ Exæquabit gra„ tiam gratiæ. “

Sed numquid non ſufficiebat prima gratia? Reſpondeo dicendum, quod non, quia per legem ſolum cognitio peccati datur, non ablatio. „ Neminem enim ad perfectum adduxit „ lex: “ Hebr. VII. 19. Et ideo erat neceſſe quod alia gratia peccata auferens, & reconcilians Deo, veniret; & ideo dicit: *Quia lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum.*

(c) Ubi Evangeliſta præfert Chriſtum legislatori Moyſi, quem Baptiſta ſibi prætulerat. Moyſes autem reputabatur maximus Prophetarum. Deuter. ult. 10. „ Non ſurrexit „ ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes. “ Præfert autem eum Moyſi, quantum ad excellentiam, & dignitatem operum: *quia per Moyſen lex data eſt;* & horum duorum, tantum unum excellit alium, quantum figuratum excellit figuram, & veritas ipſam umbram. „ Umbram enim habuit lex futurorum bonorum „ &c. “ Heb. X. 1. Item excellit quantum ad modum operandi, quia lex data eſt per Moyſen, ſicut per (*d*) proponentem, non per facientem, quia, „ ſolus Dominus eſt legifer no„ ſter: “ Eſai. XXXIII. 22. *Gratia autem, & veritas facta eſt per Chriſtum*, ſicut per dominum, & auctorem veritatis, & gratiæ, ut ſupra expoſitum eſt. Secundum Auguſtinum vero, prima eſt iuſtificans, & præveniens, quæ non datur nobis ex operibus. Rom. XI. 6. „ Si autem gratia, iam non ex operibus. “ Pro iſta ergo gratia, ſcilicet imperfecta, accepimus aliam gratiam conſummatam, ſcilicet æternæ vitæ: & quamvis æterna vita aliquo modo meritis acquiratur, tamen quia principium merendi in omnibus eſt gratia præveniens, ideo vita æterna dicitur gratia. Rom. VI. 23. „ Gratia Dei vita æterna. “ Et, ut breviter concludatur, quicquid prævenienti gratiæ de gratia additur, totum gratia pro gratia dicitur. Neceſſitas autem ſecundæ gratiæ eſt ex inſufficientia legis, quæ oſtendebat quid faciendum, & quid cavendum erat; ſed ad implendum ea quæ præcipiebat, non præbebat auxilium; (*e*) immo per occaſionem operabatur mortem, quæ tamen videbatur fuiſſe ad vitam. Apoſtolus Rom. VII. & II. Corinth. III. 9. dicit, legem miniſtram fuiſſe mortis: „ Nam ſi miniſtratio damnationis in glo„ ria eſt, multo magis abundat miniſterium „ iuſtitiæ in gloria. “ Item promittebat auxilium gratiæ, ſed non ſolvebat, quia, „ neminem „ ad perfectum adduxit lex: “ ut dicitur Heb. VII. 19. Item per ſacrificia, & cæremonias veritatem novæ gratiæ figurabat, ipſo ſuo ritu clamans eam figuram; & ideo neceſſe fuit quod Chriſtus veniret, qui per mortem propriam alienas mortes perimeret, & conferret auxilium novæ gratiæ, ut faciliter, & delectabiliter adimpleremus præcepta, & moreremur tranſgreſſioni, & converſationi antiquæ. Rom. VI. 6. „ Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt &c. “ Item ut manifeſtaretur veritas figurarum contentarum in lege, & ut promiſſiones factæ patribus ſolverentur: II. Corinth. I. Vel aliter. *Veritas per Chriſtum facta eſt*, quantum ad ſapientiam, & veritatem occultam a ſæculis, quam veniens in mundum aperte docuit. Infra XVIII. 37. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum ut teſtimonium perhibeam veritati.*

Sed ſi ipſe Chriſtus eſt veritas, ut infra XIV. dicitur, quomodo per ipſum facta eſt veritas, cum nihil poſſit fieri a ſeipſo? Reſpondeo: Dicendum eſt, quod ipſe eſt per ſuam eſſentiam veritas increata, quæ æterna eſt, & non

(a) *Al.* propria. (b) *Al.* video. (c) *Al.* tradita. (d) promittentem. (e) *Al.* unde.

Digitized by Google

& non facta, ſed a Patre eſt genita; ſed per ipſum factæ ſunt omnes veritates creatæ, quæ ſunt quædam participationes, & refulgentiæ primæ veritatis, quæ in animabus ſanctis relucent.

LECTIO XI.

(a) DEum nemo vidit umquam. (b) Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, (c) ipſe enarravit.

(a) SUpra Evangeliſta oſtendit quomodo gratiam Apoſtoli acceperunt a Chriſto, eo faciente; hic oſtendit quomodo acceperunt ab ipſo eam docente: & circa hoc tria facit. Primo oſtendit huius doctrinæ neceſſitatem, dicens: *Deum nemo vidit umquam*; ſecundo doctoris ad docendum eam, facultatem, ibi, *Unigenitus qui eſt in ſinu Patris*; tertio ipſam doctrinam declarat, ibi, *Enarravit*. Neceſſitas autem huius doctrinæ erat defectus ſapientiæ in hominibus: quem quidem defectum Evangeiiſta inſinuabat per ignorantiam Dei, quæ in hominibus abundabat, dicens: *Deum nemo vidit umquam*. Et hoc facit congrue: nam ſapientia proprie in cognitione Dei, & divinorum conſiſtit. Unde Auguſtinus dicit, quod ſapientia eſt divinarum rerum cognitio, ſicut & ſcientia humanarum.

Quod autem hic dicit Evangeliſta, *Deum nemo vidit umquam*, contrariari videtur pluribus auctoritatibus divinæ Scripturæ. Dicitur enim Eſai. VI. 1. „ Vidi Dominum ſedentem „ ſuper ſolium excelſum, & elevatum. “ II. Reg. VI. 2. fere idem habetur „ Nomen Do„ mini ſedentis ſuper Cherubim &c. “ Matth. V. 8. dicit Dominus: „ Beati mundo corde, „ quoniam ipſi Deum videbunt. “ Sed ſi aliquis reſponderet ad hoc ultimum, dicens, verum eſſe quod in præterito nullus vidit; ſed in futuro videbit, ſicut Dominus promittit; Apoſtolus hoc excludit, dicens (I. Tim. ult. 16.) „ Lucem habitat inacceſſibilem, „ quam nullus hominum vidit, ſed nec vide„ re poteſt. “ Sed quia Apoſtolus dicit, Nullus hominum vidit, poſſet aliquis dicere, quod ſi non ab hominibus videri poſſit, ſaltem videtur ab Angelis; præſertim cum Deus dicat (Matth. XVIII. 10.) „ Angeli eorum in cæ„ lis ſemper vident faciem Patris. “ Sed nec iſto modo dici poteſt: quia, ut dicitur Matth. XXII. 30. „ Filii reſurrectionis erunt ſicut An„ geli Dei in cælo. “ Si ergo Angeli vident Deum in cælo, manifeſtum eſt etiam quod & filii reſurrectionis eum vident. I. Ioan. III. 2. „ Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, & „ videbimus eum ſicuti eſt. “ Quomodo ergo intelligendum eſt hoc quod dicit Evangeliſta: *Deum nemo vidit umquam*?

Ad huius ergo intellectum ſciendum eſt, quod Deus dicitur videri tripliciter. Uno quidem modo per ſubiectam creaturam, viſui corporali propoſitam; ſicut creditur Abraham vidiſſe Deum, quando tres vidit, & unum adoravit: Gen. XVIII. unum quidem adoravit, quia tres, quos prius homines reputaverat, & poſtmodum Angelos credidit, recognovit (a) myſterium Trinitatis. (b) Alio modo per repræſentatam imaginationem; & ſic Eſaias vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum. Plures viſiones huic ſimiles in Scripturis reperiuntur. Alio vero modo videtur per aliquam ſpeciem intelligibilem a ſenſibilibus abſtractam, ab his qui per conſiderationem magnitudinis creaturarum, intellectu intuentur magnitudinem creatoris, ut dicitur Sap. XIII. 5. „ A ma„ gnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibi„ liter poterit creator horum videri. “ Rom. I. 20. „ Inviſibilia Dei a creatura mundi per „ ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciun„ tur. “ Alio modo per aliquod ſpirituale lumen a Deo infuſum ſpiritualibus mentibus in contemplatione; & hoc modo vidit Iacob Deum facie ad faciem. Gen. XXXII. quæ viſio, ſecundum Gregorium, facta eſt per altam contemplationem. Sed per nullam iſtarum viſionum, ad viſionem divinæ eſſentiæ pervenitur: nulla enim ſpecies facta, ſive qua informatur ſenſus exterior, ſive qua informatur imaginatio, ſive qua informatur intellectus, eſt repræſentativa divinæ eſſentiæ ſicut eſt. Illud autem homo per eſſentiam cognoſcit quod ſpecies quam habet in intellectu, repræſentat ut eſt: per nullam ergo ſpeciem ad viſionem divinæ eſſentiæ pervenitur. Quod autem nulla creata ſpecies divinam eſſentiam repræſentet, patet: quia nullum finitum poteſt repræſentare infinitum, ut eſt; omnis autem ſpecies creata eſt finita: ergo &c. Præterea Deus eſt ſuum eſſe; (c) & ideo eius ſapientia, & bonitas, & quæcumque alia, idem ſunt; per unum autem crea-

(a) *Al.* miniſterium. (b) *Al.* Aliquo modo. (c) *Al.* & ideo eſt ſapientia &c.

Digitized by Google

tum non poſſent omnia iſta repræſentari: ergo cognitio qua Deus per creaturas videtur, non eſt ipſius eſſentia, ſed ænigmatica, & ſpecularis, & a remotis. Iob XXXVI. 25. „ Omnes „ homines vident eum (aliquo dictorum mo- „ dorum) ſed unuſquiſque intuetur procul:“ quia per omnes illas cognitiones non ſcitur de Deo quid eſt, ſed quid non eſt, vel an eſt. Unde dicit Dionyſius Lib. myſticæ Theologiæ, quod perfectus modus, quo Deus in vita præſenti cognoſcitur, eſt per privationem omnium creaturarum, & intellectorum a nobis.

Fuerunt autem aliqui dicentes, quod divina eſſentia numquam videbitur ab aliquo intellectu creato; & quod nec ab Angelis, vel beatis videtur. Sed hæc poſitio oſtenditur eſſe falſa, & hæretica tripliciter. Primo quidem, quia contrariatur auctoritati divinæ Scripturæ. I. Ioan. III. 2. „ Videbimus eum ſicuti „ eſt.“ Et infra XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Secundo quia claritas Dei non eſt aliud quam eius ſubſtantia: non enim eſt lucens per participationem luminis, ſed per ſeipſam. Tertio quia impoſſibile eſt quod aliquis perfectam beatitudinem conſequatur, niſi in viſione divinæ eſſentiæ: quia naturale deſiderium intellectus eſt ſcire, & cognoſcere cauſas omnium effectuum cognitorum ab eo; quod non poteſt impleri niſi ſcita & cognita prima univerſali omnium cauſa, quæ non eſt compoſita ex effectu, & cauſa, ſicut cauſæ ſecundæ. & ideo auferre poſſibilitatem viſionis divinæ eſſentiæ ab hominibus, eſt auferre ipſam beatitudinem. Neceſſe eſt ergo ad beatitudinem intellectus creati, ut divina eſſentia videatur. Matth. V. 8. „ Beati mundo corde: quoniam „ ipſi Deum videbunt.“

Quo ad viſionem autem divinæ eſſentiæ, oportet tria attendere. Primo quia numquam videbitur oculo corporali, vel aliquo ſenſu, vel imaginatione, cum per ſenſus non percipiantur niſi ſenſata corporea; Deus autem incorporeus eſt. Infra IV. 24. *Deus ſpiritus eſt*. Secundo quia intellectus humanus quamdiu corpori eſt coniunctus, Deum videre non poteſt, (*a*) quia aggravatur a corruptibili corpore, ne poſſit ad ſummum contemplationis pertingere: & inde eſt quod anima quanto magis eſt a paſſionibus libera, & purgata ab affectibus terrenorum, tanto amplius in contemplationem veritatis aſcendit, & guſtat quam ſuavis eſt Dominus. Summus gradus autem contemplationis eſt videre Deum per eſſentiam; & ideo quamdiu homo in corpore ſubiecto ex neceſſitate paſſionibus multis vivit, Deum non poteſt per eſſentiam videre. Exod. XXXIII. 20. „ Non videbit me homo, & vivet.“ Ad hoc ergo quod intellectus humanus divinam eſſentiam videat, neceſſe eſt ut totaliter deſerat corpus (*b*) vel per mortem; ſicut Apoſtolus dicit II Cor. V. 8. „ Audemus, & bonam vo- „ luntatem habemus magis peregrinari a corpo- „ re, & præſentes eſſe ad Dominum:“ vel quod totaliter abſtrahatur per raptum a corporis (*c*) ſenſibus, ſicut de Paulo legitur II. Cor. IX. Tertio modo quod nullus intellectus creatus quantumcumque abſtractus, ſive per mortem, vel a corpore ſeparatus videns divinam eſſentiam, ipſam nullo modo comprehendere poteſt. Et ideo communiter dicitur, quod licet divina eſſentia tota videatur a beatis, cum ſit ſimpliciſſima, & partibus carens; tamen non videtur totaliter, quia hoc eſſet eam comprehendere. Hoc enim quod dico totaliter, dicit modum quemdam; quilibet autem modus Dei eſt divina eſſentia: unde qui non videt eum totaliter, non (*d*) comprehendit eum. Comprehendere autem proprie dicitur aliquis aliquam rem cognoſcendo qui cognoſcit rem illam quantum in ſe cognoſcibilis eſt: alias quamvis cognoſcat eam, non tamen non comprehendit: ſicut qui cognoſcit hanc propoſitionem, Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, ſyllogiſmo dialectico, non cognoſcit eam quantum cognoſcibilis eſt, & ideo non cognoſcit totaliter; ſed qui cognoſcit eam ſyllogiſmo demonſtrativo, totaliter ſcit eam. Unumquodque enim tantum cognoſcibile eſt quantum habet de ente, & veritate; ſed ipſe cognoſcens tantum cognoſcit quantum habet de virtute cognoſcitiva: omnis autem ſubſtantia intellectualis creata eſt finita: ergo finite cognoſcit. Cum ergo Deus ſit infinitæ virtutis, & entitatis, & per conſequens infinite cognoſcibilis, a nullo intellectu creato cognoſci poteſt quantum eſt cognoſcibilis; & ideo omni intellectui creato remanet incomprehenſibilis. Iob XXXVI. 26. „ Ecce Deus magnus „ vincens ſcientiam noſtram.“ Solus autem ipſe comprehendendo contemplatur ſeipſum, quia tanta eſt eius virtus in cognoſcendo quanta eſt eius entitas in eſſendo. Hier. XXXII. 18. „ Fortiſſime, magne, potens, Dominus „ exercituum nomen tibi, magnus conſilio, „ incomprehenſibilis cogitatu.“

Sic ergo ſecundum præmiſſa intelligitur *Deum nemo vidit umquam*. Primo ſic. *Nemo*, ideſt nullus hominum, *vidit Deum*, ideſt eſſentiam divinam, oculo corporali, & imaginario. Secundo *nemo*, in hac mortali vita vivens, vidit divinam eſſentiam in ſeipſa. Tertio

(a) *Al.* & aggravatur. (b) *Al. deeſt* vel. (c) *Al.* ſenſibilibus. (d) *Al.* apprehendit.

Digitized by Google

tio *nemo*, homo, vel Angelus, *vidit Deum*, viſione comprehenſionis. Quod autem de aliquibus dicitur, quod Deum viderunt oculo, ſeu viventes in corpore, intelligitur non per eſſentiam, ſed per ſubiectam creaturam, ut dictum eſt. Sic ergo neceſſarium erat quod? reciperemus ſapientiam, quia *Deum nemo vidit umquam*.

(b) Huius autem ſapientiæ ſufficiens doctor nobis proponitur ab Evangeliſta, cum ſubdit: *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris*: in quo oſtendit nobis doctoris ipſius facultatem per tria; ſcilicet per naturalem ſimilitudinem, & per ſingularem excellentiam, & perfectiſſimam conſubſtantialitatem. Per naturalem ſimilitudinem, quia filius naturaliter ſimilitudinem patris habet. Et inde eſt etiam quod iotantum aliquis dicitur filius Dei, inquantum ſimilitudinem filii naturalis participat; & intantum cognoſcit, inquantum de ſimilitudine eius habet: quia cognitio fit per aſſimilationem. I. Ioan. III. 2. „ Nunc filii Dei ſu„ mus: “ & ſequitur: „ cum apparuerit, ſi„ miles ei erimus, & videbimus eum ſicuti „ eſt. “ Et ideo in hoc quod Evangeliſta dicit, *Filius*, importatur ſimilitudo, & aptitudo ad cognoſcendum Deum. Sed quia iſte doctor ſpecialius quam alii filii Deum cognoſcit, ideo Evangeliſta hoc inſinuat per excellentiam ſingularem, cum dicit, *Unigenitus*; quaſi dicat: Iſte cognoſcit Deum præ aliis filiis; ideo dicitur, *Unigenitus*, quia eſt Filius naturalis, eamdem habens cum Patre naturam, & cognitionem. Pſal. II. 7. „ Dominus dixit ad me: „ Filius meus es tu. “ Quamvis autem ſingulariter cognoſceret, poſſet tamen ſibi deeſſe facultas docendi, ſi non cognoſceret totaliter: & ideo addit tertium, ſcilicet conſubſtantialitatem eius ad Patrem, cum dicit, *In ſinu Patris*, ut non accipiatur ſinus, prout (a) in hominibus veſte præcinctis dici conſuevit, ſed pro Patris occulto. Illud enim in occulto gerimus, quod in ſinu portamus; occultum autem Patris eſt, quia ſuperexcedit omnem virtutem, & cognitionem, cum divina eſſentia ſit infinita. In illo ergo ſinu, ideſt in occultiſſimo paternæ naturæ & eſſentiæ, quæ excedit omnem virtutem creaturæ, eſt unigenitus Filius, & ideo conſubſtantialis eſt Patri. Et quod Evangeliſta hic ſignificavit per ſinum, hoc David expreſſit per uterum, dicens, Pſal. CIX. 3. „ Ex utero ante luciferum, “ ideſt ex intimo, & occulto meæ eſſentiæ, incomprehenſibili omni intellectui creato, „ genui te, “ & conſubſtantialem mihi, & eiuſdem naturæ, & virtutis, & poteſtatis, & cognitionis. I. Cor. II. 11. „ Quæ ſunt hominis nemo novit „ niſi ſpiritus hominis .... & quæ ſunt Dei, „ nemo novit, niſi (b) ſpiritus Dei. “ Comprehendit ergo divinam eſſentiam, quæ ſua eſt. Anima autem Chriſti Deum cognoſcendo non comprehendit, quia hoc non dicitur, niſi de Unigenito, qui eſt in ſinu Patris. Unde & Dominus dicit, Matth. XI. 27. „ Nemo no„ vit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Fi„ lius revelare: “ ut utrumque intelligatur de notitia comprehenſionis, de qua (c) hic videtur loqui Evangeliſta. Nullus enim divinam comprehendit eſſentiam, niſi ſolus Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Sic ergo patet facultas doctoris ad docendum.

Notandum etiam, quod per hoc quod dicit, *Qui eſt in ſinu Patris*, excluditur error quorumdam dicentium, Patrem inviſibilem eſſe, Filium vero viſibilem, & non viſum fuiſſe in veteri teſtamento: nam ex hoc quod eſt in abſcondito Patris, manifeſtum eſt quod naturaliter inviſibilis eſt, ſicut Pater: & propter hoc dicebat de ipſo Eſai. XLV. 15. „ Tu es ve„ re Deus abſconditus. “ Et ideo in Scriptura divina fit mentio de (d) incomprehenſibilitate Filii. Matth. II. 27. „ Nemo novit Filium niſi Pa„ ter, neque Patrem quis novit niſi Filius. “ Prov. XXX. 4. „ Quod nomen Filii eius, ſi „ noſti? “

(c) Conſequenter Evangeliſta modum tradendi ipſam doctrinam inſinuat, cum dicit: *Ipſe enarravit*. Olim enim unigenitus Filius manifeſtavit Dei cognitionem per Prophetas, qui eam intantum annuntiaverunt inquantum æterni Verbi fuerunt participes. Unde dicebant: „ Factum eſt Verbum Domini &c. “ Sed nunc *ipſe unigenitus* Filius *enarravit* fidelibus. Eſai. LII. 6. „ Ego ipſe qui loquebar, „ ecce adſum. “ Heb. I. 1. „ Multifariam, „ multiſque modis olim Deus loquens patri„ bus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis lo„ cutus eſt nobis in Filio. “ Et hæc doctrina ideo omnibus aliis doctrinis ſupereminet dignitate, auctoritate, & utilitate, quia ab unigenito Filio, qui eſt prima ſapientia, immediate eſt tradita. Heb. II. 3. „ Quæ cum „ initium accepiſſet enarrari per Dominum, „ ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt. “

Sed quid narravit niſi unum Deum? Hoc ipſum & Moyſes enarravit. Deut. VI. 4. „ Au„ di Iſrael, Dominus Deus tuus Dominus u„ nus eſt. “ Quid ergo amplius Moyſe? Multum per omnem modum, quia myſterium Trinitatis, & multa alia, quæ nec Moyſes, nec aliquis Prophetarum narravit.

(a) *Al.* In hominibus veſtitis, & præcinctis. (b) *Al.* Chriſtus Dei. (c) *Al.* hoc. (d) *Al.* comprehenſibilitate.

Digitized by Google

LECTIO XII.

(a) ET hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes, & levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, Non.

(b) Dixerunt ergo ei: Quis es? ut reſponſum demus his qui miſerunt nos. Quid dicis de teipſo?

(c) Ait: Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini: ſicut dicit Eſaias Propheta.

(a) SUpra oſtendit Evangeliſta quomodo Chriſtus innotuit teſtimonio Ioannis ipſis Apoſtolis; hic plenius explicat ipſum teſtimonium: & primo ponit teſtimonium Ioannis ad turbas; ſecundo vero teſtimonium quod perhibuit de Chriſto diſcipulis ſuis, ibi, *Altera die iterum ſtabat*. Si autem bene conſiderentur quæ dicta ſunt, duplex teſtimonium Ioannis ad Chriſtum invenitur. Unum quod tulit Chriſto in eius præſentia, aliud in eius abſentia: niſi enim in eius præſentia teſtimonium Ioannes tuliſſet, non dixiſſet, *Hic erat*; & niſi in eius abſentia, non diceret, *Quem dixi vobis*. Primo ergo Evangeliſta explicat teſtimonium Ioannis quod tulit de Chriſto in eius abſentia; ſecundo quod tulit in eius præſentia, ibi, *Altera die vidit*. Differunt autem hæc duo teſtimonia, quia primum (a) tulit interrogatus, alterum ſpontaneus; & ideo in primo teſtimonio non ſolum ponitur teſtimonium quod tulit, ſed etiam ipſa interrogatio. Primo autem fuit interrogatus de perſona; ſecundo de officio, ibi, *Et qui miſſi fuerant*. Oſtenditur ergo primo quomodo Ioannes confeſſus eſt ſe non eſſe quod non erat; ſecundo quomodo non negavit ſe eſſe quod erat, ibi, *Dixerunt ergo ei, Quis es*? Circa primum ponuntur tres interrogationes, & tres reſponſiones, ſicut patet in littera. In prima autem interrogatione eſt magna Iudæorum reverentia ad Ioannem, qui mittunt ad eum, eius teſtimonium inquirentes: ubi magnitudo reverentiæ ex quatuor colligitur. Primo ex mittentium dignitate: non enim Galilæi miſerunt, ſed illi qui præcipui fuerunt in populo Iſrael, ſcilicet Iudæi, qui ſunt de tribu Iuda, habitantes iuxta Hieruſalem. I. Paral. v. de Iuda elegit Dominus principes populi. Infra IV. 22. *Salus ex Iudæis eſt*. Secundo ex loci præeminentia, quia ab Hieruſalem, quæ eſt civitas ſacerdotalis, & divino cultui mancipata. Infra IV. 20. *Vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus ubi adorare oportet*. (b) Eſai. XIX. 21. „Et colent eum in hoſtiis, & in munerib„bus. " Tertio ex nuntiorum auctoritate, qui ſolemnes erant, & ſanctiores in populo, quia ſacerdotes, & levitæ. Eſa. LXI. 6. „ Vos „ ſacerdotes Domini vocabimini. " Quarto ex hoc quod miſerunt, ut Ioannes de ſe teſtimonium perhiberet, quaſi tantam fidem habentes dictis ſuis, ut crederent Ioanni de ſeipſo etiam teſtimonium perhibenti. Unde dicitur: *Ut interrogarent eum, Tu quis es*? quod Chriſto non faciebant, immo dicebant ei, Ioan. VIII. 13. *Tu teſtimonium perhibes de teipſo &c.* Conſequenter cum dicit, *Et confeſſus eſt, & non negavit*, ponitur Ioannis reſponſio. Ideo autem Evangeliſta ingeminat hoc quod dicit, *Et confeſſus eſt*, ut oſtendat humilitatem Ioannis: quia licet eſſet tantæ auctoritatis apud Iudæos ut eum crederent Chriſtum, non tamen honorem ſibi non debitum uſurpabat; immo *confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus*.

Sed quid eſt hoc quod dicit: *Confeſſus eſt, & non negavit*? Videtur autem quod negavit, quia dicit ſe non eſſe Chriſtum. Sed dicendum eſt, quod ideo non negavit veritatem, quia dixit ſe non eſſe Chriſtum: alias negaſſet veritatem. Iob XXXI. 26. „ Si vidi ſolem „ cum fulgeret, & lunam incedentem clare; „ & lætatum eſt cor meum in abſcondito, „ & oſculatus ſum manum meam ore meo: „ quæ eſt iniquitas maxima, & negatio con„ tra Deum altiſſimum. " Non negavit ergo veritatem, quia quantumcumque haberetur magnus, non eſt elatus in ſuperbiam, uſurpans ſibi honorem alienum: *Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus*: quia vere non erat. Supra (hoc cap.) *Non erat ille lux &c.*

Sed cum hi qui miſſi erant non quærerent, an eſſet Chriſtus, ſed quis eſſet; quare Ioannes

(a) *Al.* attulit. (b) *Al.* Eſai. 53. Ante altare hoſt. &c.

nes reſpondit: *Non ſum ego Chriſtus*? Sed dicendum, quod magis reſpondet ad mentem quærentium, quam ad quæſtionem; & hoc poteſt accipi dupliciter. Secundum Origenem enim intelligendum eſt, quod ſacerdotes, & levitæ bona intentione venerant ad ipſum. Cognoverant enim ex Scripturis, & præcipue ex prophetia Danielis, quia iam venerat tempus adventus Chriſti. Unde videntes ſanctitatem Ioannis ſuſpicabantur eum eſſe Chriſtum: unde miſerunt ad Ioannem, quaſi ſcire volentes per hoc quod dicunt ei, *Tu quis es*? an ipſe ſe Chriſtum fateretur. Et ideo eorum reſpondit menti: *Non ſum ego Chriſtus*. Chryſoſtomus vero dicit, quod iſti fraudulenter interrogabant: nam Ioannes cognatus erat ſacerdotum, utpote principis ſacerdotum filius, erat etiam ſanctus; & tamen teſtimonium perhibebat Chriſto, cuius genus humile videbatur. Unde & dicebant (Matth. XIII. 55.) „ Nonne iſte eſt fabri filius? “ & ignotus erat eis: & ideo cupientes magis habere magiſtrum Ioannem, quam Chriſtum, mittunt ad eum volentes eum per blanditias allicere, (a) & inducere ut ſibi honorem hunc attribuens, confiteatur ſe eſſe Chriſtum. Quam quidem malitiam videns Ioannes, dicit: *Non ſum ego Chriſtus*.

Secunda interrogatio ponitur conſequenter, cum dicitur: *Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu*? Sciendum eſt autem, quod a populo Iudæorum ſicut expectabatur Dominus venturus, ita expectabatur Elias Chriſtum præeeſſurus. Mal. ult. 5. „ Mittam vobis E„ liam &c.“ Et ideo videntes qui miſſi erant, quod Ioannes non confitebatur ſe eſſe Chriſtum, inſtant quod ſaltem confiteatur ſi eſt Elias. Et hoc eſt quod dicunt: *Quid ergo? Elias es tu*?

Quidam autem hæretici dicunt, quod anima de corpore tranſmittitur in corpus; & hoc dogma tunc temporis erat in auctoritate apud Iudæos: unde credebant quod propter ſimilitudinem operum Ioannis ad Eliam, anima Eliæ eſſet in corpore Ioannis: & dicunt, quod quærebant iſti a Ioanne, an eſſet Elias; ideſt, an anima Eliæ eſſet in Ioanne: & adducunt pro eis, quod dicit Dominus (Matth. XI. 14.) de Ioanne: „ Si vultis (b) „ ſcire, ipſe eſt Elias. “ Sed (c) tamen contrariatur eis reſponſio Ioannis dicentis: *Non ſum Elias*.

Ad quod ipſi reſpondent, quod Ioannes ex ignorantia reſpondit, neſciens, an anima ſua eſſet anima Eliæ. Sed contra hoc dicit Origenes, quod valde irrationabile videtur, quod Ioannes tamquam Propheta a ſpiritu illuminatus, & de (d) Dei Unigenito tanta narrans, ignoraret de ſeipſo, an numquam eius anima fuerit in Elia.

Non hac ergo intentione quærebant: *Elias es tu*? ſed quia habentes ex Scripturis IV. Reg. II. quod Elias non fuit mortuus, ſed vivus raptus eſt per turbinem in cælum, (e) credebant eum ſubito inter eos appararuiſſe.

Sed contra hoc eſt quod Ioannes ex notis parentibus natus erat, & nativitas eius omnibus nota erat. Unde dicitur Luc. I. 63. quod „ mi„ rati ſunt univerſi, & ponebant in corde „ ſuo, dicentes: Quiſputas puer iſte erit? “ Ad quod poteſt dici, quod non eſt incredibile quod ita æſtimarent de Ioanne, ſicut dictum eſt: quia & ſimile habetur Mar. XIV. quod Herodes credebat de Chriſto quod eſſet Ioannes, quem ipſe decollaverat, & tamen diu antequam Ioannes decollatus eſſet, Chriſtus prædicaverat, & notus fuerat; & ideo ex ſimili amentia, & craſſitudine, Iudæi quærebant a Ioanne an ipſe eſſet Elias.

Sed quid eſt hoc quod dicit Ioannes, *Non ſum*, ſcilicet Elias? cum Chriſtus dixerit (Matth. XI. 14.) „ Ipſe eſt Elias. “ Hanc autem quæſtionem ſolvit Angelus, Luc. I. 17. „ Ipſe præcedet ante eum in ſpiritu, & vir„ tute Eliæ; “ in ſuis ſcilicet operibus. Non fuit ergo Elias in perſona, ſed in ſpiritu, & virtute: quia ſcilicet ſimilitudinem Eliæ in ſuis operibus oſtendebat. Poteſt autem attendi ſimilitudo quantum ad tria. Primo quantum ad officium: quia ſicut Elias ſecundum Domini adventum præveniet, ita iſte præceſſit primum &c. Unde & Angelus dixit: „ Ipſe præcedet ante ipſum &c. “ Secundo quantum ad vivendi modum: quia Elias in deſertis morabatur, parco utebatur cibo, & duris veſtibus operiebatur, ut dicitur III. Reg. XIX. & IV. Reg. I. Et Ioannes in deſertis erat, cibus eius locuſtæ, & mel ſilveſtre, & zona eius de pilis camelorum. Tertio quantum ad zelum: quia Elias maximi zeli fuit: unde dicebat III. Reg. XIX. 10. „ Zelo zelatus ſum pro „ Domino. “ Sic & Ioannes zelo veritatis mortuus eſt, ut patet Matth. XIV.

Conſequenter cum dicit, *Propheta es tu*? ponitur tertia quæſtio: ubi primo quæritur, cum dicatur Luc. I. 76. „ Tu puer Propheta „ Altiſſimi vocaberis &c. “ quid eſt quod Ioannes interrogatus ſi eſſet Propheta, reſpondit ſe non eſſe Prophetam? Ad quod tripliciter reſpondetur. Uno modo quod Ioannes non eſt Propheta ſimpliciter, ſed pluſquam Propheta: alii namque Prophetæ ſolum futura prædicebant

(a) *Al. deeſt* & inducere. (b) *Al.* credere. (c) *Al.* ſtatim. (d) *Al.* Deo. (e) *Al.* unde credebant.

bant a remotis: Habac. II. 3. „ Si moram fe„ cerit, expecta illum: “ Ioannes vero Chriſtum præſentem annuntiavit, quaſi digito oſtendens. Infra (hoc cap.) *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ideo Matth. XI. Dominus dicit eum eſſe plus quam Prophetam. Item alio modo, ſecundum Origenem, quia Iudæi ex malo intellectu tres excellentes perſonas futuras credebant circa adventum Chriſti, ſcilicet ipſum Chriſtum, Eliam, & quemdam alium maximum Prophetam: de quo Deut. XVIII. 15. „ Prophetam ſuſcitabit „ nobis Dominus &c. “ Et licet hic maximus Propheta, ſecundum veritatem, non ſit alius quam Chriſtus, tamen ſecundum Iudæos alius eſt a Chriſto; & ideo non quærunt ſimpliciter utrum ſit Propheta, ſed an ſit ille Propheta maximus: quod quidem ex ordine quæſtionis apparet: nam primo quærunt an ſit Chriſtus; ſecundo an ſit Elias; tertio an ſit Propheta ille. Et ideo in Græco ponitur hic articulus, ut dicatur ly Propheta, quaſi anthonomaſice dictum. Tertio modo quia phariſæi movebantur contra Ioannem, quod ſibi baptizandi officium præter ordinem legis, & traditionem eorum aſſumpſiſſet. De tribus autem habetur in veteri teſtamento, quibus competere poterat baptizare, ſcilicet de Chriſto. Ezech. XXXVI. 25. ex perſona Chriſti dicitur: „ Effundam ſuper vos aquam mun„ dam &c. “ Item de Elia, de quo dicitur IV. Reg. II. quod diviſit aquas Iordanis, & tranſiens raptus eſt. Item de Eliſeo, qui Naaman Syrum lavari fecit ſepties in Iordane, ut lavaretur a lepra: ut dicitur IV. Reg. IV. Videntes ergo Iudæi Ioannem baptizare, credebant eum aliquem iſtorum eſſe, ſcilicet Chriſtum, vel Eliam, vel Eliſeum; & ideo cum dicunt hic, *Propheta es tu?* interrogant an ſit Eliſeus. Et dicitur ſingulariter, *Propheta*, propter multa miracula quæ fecerat: unde & ipſe dicit IV. Reg. V. 8. (*a*) „ Sciat „ Prophetam eſſe in Iſrael. “ Et ſecundum hoc reſpondet, *Non ſum*, ſcilicet Eliſeus.

(b) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt ergo ei, Quis es?* oſtendit quomodo confeſſus eſt ſe eſſe quod erat. Et primo ponitur interrogatio nuntiorum; ſecundo reſponſio, ibi, *Ego vox clamantis in deſerto*. Dixerunt ergo: *Quis es tu? ut reſponſum demus his qui miſerunt nos*; quaſi dicant: Ad hoc miſſi ſumus, ut ſciamus quis es; ideo dicas nobis: *Quid dicis de te ipſo?* Sed attende Ioannis devotionem: iam implevit quod Apoſtolus dicit, Gal. II. 20. „ Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me „ Chriſtus. “ Et ideo non reſpondet: Ego ſum filius Zachariæ, vel talis, & talis; ſed ſolum illud in quo Chriſtum ſequebatur.

(c) Unde dicit: *Ego vox clamantis in deſerto*. Dicit autem ſe vocem eſſe, quia vox origine poſterior eſt verbo, ſed notitia prior. Nam verbum in corde conceptum, per vocem prolatam cognoſcimus, cum ſit ſignum eius. Deus autem Pater præcurſorem miſit Ioannem in tempore factum, ut Verbum ſuum ab æterno conceptum annuntiaretur; & ideo congrue dicit, *Ego vox*. Quod autem addit, *Clamantis*, poteſt intelligi dupliciter, ut ſcilicet ſit vel Ioannis in deſerto clamantis, & prædicantis, vel Chriſti clamantis in ipſo, ſecundum illud II. Corinth. ult. 3. „ An expe„ rimentum eius quæritis qui in me loqui„ tur Chriſtus? “ Clamat autem propter quatuor. Primo namque clamor manifeſtationem importat; & ideo ut oſtendat quod Chriſtus in Ioanne, & in ſe manifeſte loquebatur, clamat. Infra VII. 37. *In noviſſimo die magno feſtivitatis ſtabat Ieſus, & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*. In Prophetis autem non clamavit, quia prophetiæ in ænigmate, & figuris datæ ſunt: unde in Pſal. XVII. 12. dicitur: „ Tenebroſa aqua in nubibus „ aeris. “ Secundo quia clamor fit ad diſtantes; Iudæi autem elongati erant a Deo; ideo neceſſe erat quod clamaret. Pſal. lxxxvII. 19. „ Elongaſti a me amicum, & proximum. “ Tertio clamat, quia ſurdi erant. Eſa. XLII. 19. „ Quis ſurdus, niſi ſervus meus? “ Quarto clamat, quia cum indignatione loquitur, (*b*) quia ipſi iram Dei meruerunt. Pſal. II. 5. „ Loquetur ad eos in ira ſua &c. “ Sed attende quod clamat *in deſerto*: quia Luc. III. 2. „ Factum eſt verbum Domini ſuper Ioan„ nem Zachariæ filium in deſerto. “ Et poteſt eſſe huiuſmodi ratio & litteralis, & myſtica. Litteralis quidem, ut in deſerto manens, immunis eſſet ab omni peccato, ut ſic dignior eſſet Chriſto teſtimonium ferre; & ex vita ſua teſtimonium ſuum credibilius eſſet hominibus. Myſtica autem cauſa duplex eſt: nam per deſertum gentilitas deſignatur, iuxta illud Eſai. LIV. 1. „ Multi filii deſertæ, „ magis quam eius quæ habet virum. “ Ut ergo oſtenderet quod doctrina Dei de cetero non debet eſſe in Hieruſalem tantum, ſed in gentibus; clamavit in deſerto. Matth. XXI. 43. „ Auferetur a vobis regnum Dei, & da„ bitur genti facienti fructus eius. “ Item per deſertum intelligitur Iudæa, quæ iam deſerta erat. Matth. XXIII. 38. „ Ecce relinque„ tur vobis domus veſtra deſerta. “ Clamavit ergo *in deſerto*, idest in Iudæa, ut per hoc

(a) *Al.* Ut autem ſciat. (b) *Al.* quaſi iram Dei &c.

Digitized by Google

hoc daretur intelligi, quod populus cui prædicabat, iam deſertus erat a Deo. Pſal. lxii. 3. „ In terra deſerta, & invia, & inaquoſa „ ſic in ſancto apparui tibi. " Sed quid clamat? *Dirigite viam Domini*: quia ad hoc miſſus fuit. Luc. 1.76. „ Tu puer Propheta Altiſſi„ mi vocaberis, præibis enim ante faciem „ Domini parare vias eius. " Via autem ad recipiendum Deum parata & recta, eſt via iuſtitiæ, ſecundum illud Eſai. xxvi. 7. „ Semita iuſti recta eſt &c." Tunc enim ſemita iuſti eſt recta quando homo totus ſubiicitur Deo, ut ſcilicet intellectus per fidem, voluntas per amorem, operatio per obedientiam Deo ſubdantur: & hoc *ſicut dicit Eſaias Propheta*; ideſt, ſicut prædixit; quaſi dicat: Ego ſum ille in quo iſta complentur.

L E C T I O XIII.

(a) ET qui miſſi fuerant, erant ex phariſæis; & interrogaveruut eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua:
(b) Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis:
(c) Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt:
(d) Cuius ego non ſum dignus ut ſolvam eius corrigiam calceamenti.
(e) Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

(a) SUpra Ioannes interrogatus perhibuit teſtimonium Chriſto de ſeipſo quantum ad perſonam; hic vero quantum ad officium. Et circa hoc ponuntur quatuor. Primo interrogantes; ſecundo interrogatio, ibi, *Et interrogaverunt eum*; tertio reſponſio, in qua teſtimonium perhibuit, ibi, *Reſpondit eis Ioannes &c.* quarto locus ubi hæc facta ſunt, ibi, *Hæc in Bethania facta ſunt &c.* Interrogantes autem ſunt phariſæi: unde dicit: *Et qui miſſi fuerant, erant ex phariſæis*. Et quidem, ſecundum Origenem, quod dicitur ex hoc loco, ad aliud teſtimonium pertinet: & iſti qui miſſi ſunt ex phariſæis, non ſunt iidem cum ſacerdotibus, & levitis, qui miſſi ſunt a Iudæorum univerſitate; ſed alii ſpecialiter miſſi a phariſæis; & ſecundum hoc dicitur, *Et qui miſſi ſunt*, non a Iudæis ſcilicet, ſicut fuerunt ſacerdotes, & levitæ, ſed alii *erant ex phariſæis*: & ideo dicit, quod quia ſacerdotes, & levitæ diſciplinati erant, & reverentes, humiliter, & cum reverentia Ioannem interrogant de eius dignitate, utrum ſcilicet Chriſtus eſſet, an Elias, an Propheta; iſti vero, qui ex phariſæis erant, ſecundum nomen ſuum diviſi, & importuni, contumelioſas voces prætendunt Baptiſtæ: unde *dixerunt ei*: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Secundum alios vero, Gregorium ſcilicet, Chryſoſtomum, & Auguſtinum, iſti qui ex phariſæis, ſunt illi iidem qui miſſi fuerant a Iudæis ſacerdotes, & levitæ. Quædam enim ſecta erat inter Iudæos, qui propter exteriorem cultum diviſi erant ab aliis: unde & phariſæi, ideſt diviſi vocabantur: in qua quidem erant aliqui de ſacerdotibus, & levitis, & aliqui de populo. Ut ergo nuntii maioris auctoritatis eſſent, miſerunt ſacerdotes, & levitas, qui erant ex phariſæis, ut eis nec ſacerdotalis ordinis dignitas, nec religionis deeſſet auctoritas. Ideo autem Evangeliſta addit hoc quod dicitur, *Et qui miſſi fuerant, erant ex phariſæis*, ut primo quidem rationem quæſtionis baptiſmi Ioannis, pro qua miſſi non fuerunt, aſſignet; quaſi dicat: Miſſi fuerunt, ut interrogarent a Ioanne quis eſſet. Sed quod quærunt, *Quid ergo baptizas?* fecerunt, quia erant ex phariſæis, quibus eorum religio auſum præbebat. Secundo, ut dicit Gregorius, ut oſtendat qua intentione quæſierunt a Ioanne, *Tu quis es?* Phariſæi enim inter omnes alios inſidioſe, & calumnioſe ſe habebant ad Chriſtum. Unde ipſi dixerunt ei (Matth. xii. 24.) „ In Beelzebub principe dæmoniorum dæmo„ nia eiicit. " Ipſi etiam „ inierunt cum he„ rodianis conſilium, ut caperent Ieſum in „ ſermone: " Matth. xxii. 15. Et ideo per hoc quod dicit, *Qui miſſi fuerant, erant ex phariſæis*, oſtendit, quod calumnioſe ſe habebant, & ex invidia eum interrogaverunt. Interrogatio autem eſt de officio baptizandi: unde dicitur: *Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei*: *Quid ergo baptizas? &c.* Unde notandum eſt, quod non quærunt, ut ſciant, ſed ut impediant: quia enim videbant multitudinem populi ad Ioannem currere, propter novum ritum baptizandi, & extraneum a ritu phariſæorum, & legis, invidebant Ioanni, & conabantur pro poſſe, impedire baptiſmum eius: & ideo ſe continere non valentes, ſuam manifeſtant invidiam, & dicunt: *Quid ergo baptizas*

ptizas , ſi tu non es Chriſtus , neque Elias , neque Propheta? quaſi dicant : Non debes baptizare , ex quo negas te eſſe aliquem illorum trium in quibus præfiguratus eſt baptiſmus , ut dictum eſt ſupra ; ſcilicet , *ſi tu non es Chriſtus* , qui habiturus eſt fontem in ablutionem peccati ; & ſi non es Elias , ſive Propheta , ideſt Eliſeus , qui (*a*) ſicco veſtigio Iordanem tranſiverunt , ut dicitur IV. Reg. II. quomodo audes baptizare ? Similes iſtis ſunt invidi , animarum profectum impedientes : „ qui dicunt videntibus , Nolite videre &c. “ Eſa. xxx. 10. Reſponſio autem eſt vera : unde dicit : *Reſpondit eis Ioannes , dicens : Ego baptizo in aqua* ; quaſi dicat : Non debetis mirari , ſi ego , qui non ſum Chriſtus , nec Elias , nec Propheta baptizo : quia baptiſmus meus non eſt completivus , ſed imperfectus . Nam ad perfectionem baptiſmi exigitur lotio corporis , & animæ , & corpus quidem ſecundum naturam lavatur aqua , anima vero non niſi ſpiritu : unde *Ego baptizo in aqua* ; ideſt , corpore lavo corpus . Veniet autem alius , qui perfecte baptizabit , ſcilicet in aqua , & Spiritu ſancto , Deus & homo , qui & corpus aqua , & ſpiritum ſpiritu lavabit , ita quod ſanctificatio ſpiritus derivabitur ad corpus . Actor. I. 5. „ Ioannes quidem baptizavit aqua , „ vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non „ poſt multos hos dies . “

(b) Teſtimonium autem perhibet de Chriſto , cum dicit : *Medius autem veſtrum ſtetit &c.* & primo per comparationem ad Iudæos ; ſecundo per comparationem ad ſeipſum , ibi , *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt* . Ad Iudæos autem comparat eum , dicens : *Medius autem veſtrum ſtetit* ; quaſi dicat : Ego imperfectum opus feci ; ſed eſt alius qui perficiet opus meum , qui *medius veſtrum* (*b*) *ſtetit* : quod quidem exponitur multipliciter . Uno ſiquidem modo , ſecundum Gregorium , Chryſoſtomum , & Auguſtinum , ut referatur ad communem Chriſti converſationem inter homines : quia ſecundum naturam humanam aliis hominibus ſimilis apparuit . Phil. II. 6. „ Qui cum in forma Dei eſſet , non rapinam „ arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo ; ſed „ ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens , in ſimilitudinem hominum factus , „ & habitu inventus ut homo . “ Et ſecundum hoc dicit : *Medius veſtrum ſtetit* ; ideſt , multoties converſatus eſt quaſi unus ex vobis . Luc. XXII. 27. „ Ego in medio veſtrum „ ſum . “ *Quem vos neſcitis* , ideſt , hoc quod Deus factus eſt homo , capere non poteſtis . Item neſcitis quam magnus ſit ſecundum naturam divinam , quæ in eo latebat . Iob XXXVI. 26. „ Ecce Dominus magnus vincens ſcientiam „ veſtram . “ Et ideo , ut Auguſtinus dicit , „ accenſa eſt lucerna (ſcilicet Ioannes) ut „ inveniatur Chriſtus . “ Pſal. XIII. 17. „ Paravi lucernam Chriſto meo . “ Alio modo exponitur , ſecundum Origenem , & hoc dupliciter . Primo ut referatur ad Chriſti divinitatem ; & ſecundum hoc , *medius veſtrum* , ideſt in medio omnium rerum , *ſtetit* , ſcilicet Chriſtus : quia ipſe ſecundum quod Verbum a principio creaturæ implevit univerſam creaturam . Hier. XXIII. 24. „ Cælum , & terram „ ego impleo . “ *Quem tamen vos neſcitis* : quia ut dicitur ſupra : *In mundo erat ... & mundus eum non cognovit* . Alio modo ut referatur ad cauſalitatem humanæ ſapientiæ , & dicatur : *Medius veſtrum ſtetit* ; ideſt , in intellectu omnium relucet : quia quicquid lucis & ſapientiæ eſt in hominibus , provenit eis ex participatione Verbi . Et dicit , *In medio* , quia in medio hominis corporaliter eſt cor , cui attribuitur quædam ſapientia , & intellectus : unde licet intellectus non habeat organum corporale , tamen quia cor eſt principale organum , conſuevit accipi pro intellectu : unde in medio ſtare dicitur ſecundum hanc ſimilitudinem , inquantum *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : *quem* tamen *vos neſcitis* : quia , ut dicitur ſupra , *lux in tenebris lucet , & tenebræ eam non comprehenderunt* . Quarto modo exponitur ut referatur ad propheticam Chriſti prænuntiationem , ut ſic reſpondeatur principaliter phariſæis , qui continue Scripturas veteris teſtamenti , in quibus prænuntiabatur Chriſtus , inquirebant , & tamen eum non cognoſcebant ; & ſecundum hoc dicitur : *Medius veſtrum ſtetit* ; ideſt , in ſacra Scriptura , quam vos ſemper revolvitis . Infra v. 39. *Scrutamini ſcripturas* . *Quem* tamen *vos neſcitis* : quia cor veſtrum induratum eſt , propter infidelitatem , & oculi veſtri excæcati ſunt , ut non agnoſcatis præſentem , quem creditis futurum .

(c) Comparat autem Chriſtum ad ſe Ioannes , cum dicit : *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt* : ubi primo ponit excellentiam Chriſti ad ſeipſum ; ſecundo vero excellentiæ immenſitatem oſtendit , ibi , *Cuius non ſum dignus ut ſolvam corrigiam calceamenti* . Excellentiam autem Chriſti ad ſeipſum oſtendit & quantum ad ordinem prædicationis , & quantum ad ordinem dignitatis . Quantum quidem ad ordinem prædicationis , (*c*) Ioannes primo innotuit ; & ideo dicit : *Ipſe eſt qui poſt me venit* , ad prædicandum , baptizandum , & moriendum ,

(a) *Al.* ſuo veſtigio . (b) Al. *ſteterit* . (c) *Al.* Ioanni .

Digitized by Google

dum: quia, ut dicitur Luc. I. 76. „ præibis „ ante faciem Domini, parare vias eius. “ Sed Ioannes quidem præceſſit Chriſtum, ſicut imperfectum perfectum, & ſicut diſpoſitio formam; ſicut dicitur I. Corinth. xv. 46. „ Non „ prius quod ſpirituale, ſed quod animale. “ Nam tota vita Ioannis fuit quoddam præparatorium ad Chriſtum: unde dixit ſupra: *Ego vox clamantis in deſerto*. Sed Chriſtus præceſſit Ioannem, & nos omnes, ſicut perfectum imperfectum, & ſicut exemplar exemplatum. Matth. xvi. 24. „ Si quis vult venire poſt me, „ abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, „ & ſequatur me. “ I. Pet. II. 21. „ Chriſtus „ paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens ex- „ emplum. “ Quantum vero ad ordinem dignitatis, cum dicit: *Qui ante me factus eſt*; ideſt, mihi prælatus eſt, & dignitate præpoſitus: quia, ut dicit infra III. 30. *Me oportet minui, illum autem creſcere*.

(d) Immenſitatem autem excellentiæ aſſignat cum dicit: *Cuius ego non ſum dignus ut ſolvam eius corrigiam calceamenti*; quaſi dicat: Non intelligatis ipſum mihi in dignitate præpoſitum, ſicut unus homo præfertur alteri; ſed tam excellenter quod nihil ſum in comparatione ad ipſum. Et hoc patet: quia *non ſum dignus ut ſolvam corrigiam calceamenti eius*: quod eſt minimum obſequium quod hominibus fieri poteſt. Ex quo patet quod Ioannes multum acceſſerat ad Dei cognitionem, inquantum ex conſideratione infinitæ magnitudinis (a) Dei ſe totaliter vilipendebat, & nihil ſe eſſe dicebat. Sicut Abraham, cum Deum cognoviſſet, dicebat, Gen. XVIII. 27. „ Lo- „ quar ad Dominum meum, cum ſim pulvis „ & cinis. “ Sic Iob XLII. 7. cum Dominum vidiſſet, dixit: „ Nunc oculus meus videt te; „ idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœ- „ nitentiam in favilla & cinere. “ Sic Eſa. xl. 17. poſtquam vidit gloriam Dei dixit: „ Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt co- „ ram eo. “ Et hæc quidem expoſitio eſt litteralis. Exponitur autem & myſtice. Uno modo ſecundum Gregorium, ut per calceamentum, quod fit de pellibus mortuorum animalium, intelligatur humana natura mortalis, quam Chriſtus aſſumpſit. Pſal. lix. 10. „ In Idumæa extendam calceamentum meum „ &c. “ Corrigia autem calceamenti eius, eſt ipſa unio divinitatis & humanitatis: quam nec Ioannes, nec aliquis poteſt ſolvere; nec potuit plene inveſtigare; cum talis eſſet quod hominem faceret Deum, & Deum hominem: & ideo dicit: *Cuius non ſum dignus ut ſolvam corrigiam calceamenti*; ideſt, ut explicem myſterium incarnationis &c. Intelligendum eſt plene & perfecte: nam quoquo modo & Ioannes, & alii prædicatores, licet imperfecte, ſolvunt corrigiam calceamenti. Alio modo exponitur, quia in veteri lege præceptum erat Deut. xxv. quod quando aliquis moriebatur ſine liberis, frater defuncti uxorem defuncti recipere tenebatur, & ex ea ſemen fratri ſuo ſuſcitare: quod ſi nollet eam in uxorem recipere, tunc aliquis propinquus defuncti eam recipere volens, debebat eum diſcalceare in ſignum huius ceſſionis, & illam in uxorem recipere, & domus eius debebat vocari domus diſcalceati. Secundum hoc ergo dicit: *Cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere*; ideſt, non ſum dignus habere ſponſam, quæ ſibi debetur, Eccleſiam; quaſi dicat: Non ſum dignus ut vocer ſponſus Eccleſiæ, quæ conſecratur Chriſto in baptiſmo ſpiritus; ego autem baptizo in aqua tantum. Infra III. 29. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt &c.*

(e) Locus autem ubi prædicta facta ſunt, ſubditur conſequenter, cum dicit: *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem*. Sed circa hoc primo conſurgit quæſtio. Cum Bethania ſit in monte Oliveti quod eſt iuxta Hieruſalem, ſicut dicitur Ioan. XI. & Matth. XVI. quomodo dicit quod facta ſunt trans Iordanem, qui multum diſtabat ab Hieruſalem? Sed dicendum, ſecundum Origenem, & Chryſoſtomum, quod non debet dici Bethania, ſed Bethabora, quæ eſt quædam villa ultra Iordanem: & hoc quod dicit Bethania corruptum eſt vitio ſcriptorum. Sed quia tam libri Græci quam Latini habent Bethania, ideo dicendum eſt aliter, quod eſt duplex Bethania: una quæ eſt prope Hieruſalem in latere montis Oliveti, alia trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans. Quod autem mentionem facit de loco, habet rationem litteralem, & myſticam. Litteralem quidem ſecundum Chryſoſtomum, quia Ioannes ſcribebat Evangelium iſtud viventibus forte aliquibus qui & tempus quo iſta facta ſunt, & locum viderunt, & ideo quaſi ad maiorem certitudinem illos teſtes facit illorum quæ viderant. Myſticam vero, quia hæc loca conveniunt baptiſmo: nam ſi dicatur Bethania, quæ domus obedientiæ interpretatur, ſignificat quod neceſſe eſt per obedientiam fidei ad baptiſmum pervenire. Rom. I. 5. „ Ad obediendum fidei in „ omnibus gentibus. “ Si vero dicatur Bethabora, quæ interpretatur domus præparationis, ſignificat quod per baptiſmum præparatur homo ad vitam æternam. Nec vacat my-

(a) *Al. omittitur* Dei.

myſterio quod trans Iordanem ſit: Iordanis enim interpretatur deſcenſus eorum, &, ſecundum Origenem, ſignificat Chriſtum, qui deſcendit de cælis, ut dicit ipſe (infra vi. 38.) *Deſcendi de cælo, ut facerem voluntatem Patris mei*. Unde dicitur Eccli. xxiv. 41. „ Ego quaſi fluvius Dorix. " Per ipſum autem omnes ingredientes in hunc mundum, mundari convenit, ſecundum illud Apocal. i. 5. „ Lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. " Convenienter etiam Iordanis baptiſmum ſignificat: ipſe enim confinium eſt inter illos qui acceperunt ſortes hereditatis a Moyſe ex una parte Iordanis, & illos qui acceperunt a Ioſue ex alia; & ita baptiſmus quaſi quoddam confinium eſt inter Iudæos & Gentiles, qui proficiſcuntur illuc, ut ſe lavent ad Chriſtum venientes, ut opprobrium peccati deponant: (a) ſicut enim filios Iſrael terram promiſſionis intrantes oportuit tranſire Iordanem, ita & per baptiſmum oportet patriam cæleſtem intrare. Dicit autem, *Trans Iordanem*, ut inſinuet quod etiam tranſgreſſoribus, & peccatoribus baptiſmum pœnitentiæ prædicabat Ioannes: unde & Dominus, Matth. ix. 13. „ Non veni vocare iuſtos, ſed „ peccatores. "

L E C T I O XIV.

(a) ALtera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

(b) Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir qui ante me factus eſt, quia prior me erat.

(c) Et ego neſciebam eum. Sed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.

(d) Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum.

(e) Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.

(a) SUpra Ioannes perhibuit teſtimonium Chriſto interrogatus; hic vero perhibet aliud teſtimonium Chriſto ſpontaneus: & primo quidem fert ipſum teſtimonium; ſecundo teſtimonium latum confirmat, ibi, *Et teſtimonium perhibuit Ioannes*. Circa primum autem primo quidem deſcribuntur circumſtantiæ teſtimonii; ſecundo ponitur ipſum teſtimonium, ibi, *Ecce agnus Dei*; tertio excluditur ſuſpicio teſtis, ibi, *Et ego neſciebam eum*. Deſcribuntur autem circumſtantiæ. Una quidem ex parte temporis: unde dicit, *Altera die*: in quo quidem commendatur Ioannis conſtantia: quia non uno die, non ſemel tantum; ſed pluribus diebus, & multoties Chriſto teſtimonium perhibebat. Pſal. cxliv. 2. „ Per ſingulos dies benedicam tibi. " Commendatur etiam eius profectus: quia non debet nobis ſuccedere una dies ſicut alia; ſed quæ ſuccedit debet eſſe altera, ideſt melior: iuxta illud Pſal. lxxxiii. 8. „ Ibunt de virtute in virtutem. " Alia circumſtantia ponitur ex parte modi teſtificandi: quia *vidit Ioannes Ieſum*: in quo inſinuatur certitudo: nam teſtimonium de viſu certiſſimum eſt. Alia vero circumſtantia ponitur ex parte eius cui teſtimonium perhibetur: unde dicit: *Ieſum ad ſe venientem*, ſcilicet de Galilæa, ut dicitur Matth. iii. 13. „ Venit Ieſus a Galilæa. " Nec tamen intelligendum eſt de adventu quo venit ad baptiſmum, de quo ibi loquitur Matthæus; ſed de alio adventu quo iam baptizatus, & circa Iordanem aliquandiu commoratus, venit ad Ioannem: alias non dixiſſet: *Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi &c.* Iam ergo viderat eum, & ſpiritum ſuper eum deſcendentem quaſi columbam &c. ut infra dicit. Huius autem Chriſti ad Ioannem adventus poſt baptiſmum una cauſa fuit ut teſtimonium Ioannis certificaretur: dixerat enim Ioannes de Chriſto: *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt*: nam aliquis poſſet errare in cognitione venturi, cum adeſſet, venit ad Ioannem, ab eo digito oſtendendus, dicente Ioanne: *Ecce agnus Dei &c.* Alia ratio ut excluderet errorem. Poſſet enim aliquis credere quod

(a) *Al.* ſicut etiam.

quod Chriſtus prima vice, cum venit ad baptiſmum, venerit ad Ioannem ſicut a peccatis purgandus. (a) Chriſtus ergo, ut hoc excluderet. Venit etiam ad eum poſt baptiſmum: unde ſignanter dicit Ioannes: *Ecce qui tollit*. Peccatum nullum fecit, ſed venit peccatum tollere: Venit etiam ut præberet humilitatis exemplum: quia, ut dicitur Eccli. III. 20. „ Quanto maior es, humilia te in omnibus. “ Et advertendum, quod ſicut Chriſto iam concepto, quando Virgo mater aſcendit in montana cum feſtinatione, Eliſabeth matrem Ioannis viſere, Ioannes in utero matris exiſtens, nec loqui valens, reverentiam Chriſto, & tripudium faciens, exultavit in utero; ita & nunc Chriſto ex humilitate ad eum venienti teſtimonium, & reverentiam præbet, & in vocem prorumpit, dicens: *Ecce agnus Dei &c.* Ubi teſtimonium Ioannis ponitur: in quo quidem oſtendit virtutem Chriſti, & dignitatem eius, ibi, *Hic eſt de quo dixi*. Virtutem quidem oſtendit dupliciter. Primo proponendo figuram; ſecundo exponendo eam, ibi, *Ecce qui tollit peccata mundi*. Circa primum ſciendum eſt, quod, ſicut dicit Origenes, in veteri lege conſueverunt quinque animalia offerri in templo: tria de terreſtribus, ſcilicet vitulus, capra, & ovis; ſed ovium quidem aries, ovis, & agnus: de volatilibus vero duo, turtur ſcilicet, & columba: quæ quidem omnia (b) præfigurativa fuerunt veri ſacrificii, quod eſt Chriſtus, qui „ ſemetipſum obtulit oblationem Deo: “ ut dicitur Ephe. v. 2. Quare ergo Baptiſta Chriſto teſtimonium perhibens, agnum ſpecialiter nominavit? Huius ratio eſt, quia, ſicut dicitur Numer. XXIV. licet alia fierent ſacrificia in templo ceteris temporibus, unum tamen erat quotidianum, in quo iugiter unus agnus mane, & alius veſpere offerebatur; nec hoc mutabatur umquam, ſed tamquam principale obſervabatur; alia vero ex adiuncto: & ideo per agnum, qui erat principale ſacrificium, ſignificatur Chriſtus, qui eſt principale ſacrificium: nam licet omnes ſancti, qui pro fide Chriſti paſſi ſunt, proſint ad ſalutem fidelium, hoc tamen non habent niſi inquantum ſuper oblationem agni, quaſi oblatio adiuncta principali ſacrificio, immolantur. Offertur quidem mane & veſpere, quia per Chriſtum patet aditus ad intelligibilia divinorum contemplanda, & fruenda, quod pertinet ad cognitionem matutinam; & inſtruimur quomodo utamur terrenis abſque inquinamento, quod pertinet ad veſpertinam: & ideo dicit: *Ecce agnus Dei &c.* ideſt per agnum ſignificatus. Dicit autem, *Dei*, quia in Chriſto ſunt duæ naturæ, humana ſcilicet, & divina. Et quod hoc ſacrificium eſſet virtuoſum ad purgandum, & ſanctificandum a peccatis, habet ex virtute divinitatis, inquantum ſcilicet „ Deus „ erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi: “ II. Corinth. v. 19. Vel dicitur *Agnus Dei*, quaſi oblatus a Deo, ſcilicet ab ipſo Chriſto, qui eſt Deus; ſicut dicitur oblatio hominis, quam homo offert. Vel dicitur *agnus Dei*, ſcilicet Patris: quia ipſe providit homini oblationem ad offerendum pro peccatis ſufficientem, quod homo per ſe habere non poteſt. Unde Gen. XXII. 7. cum Iſaac quæreret ab Abraham: „ Ubi eſt victima holocauſti? “ reſpondit: „ Deus providebit ſibi victimam „ holocauſti. “ Rom. VIII. 32. „ Proprio Filio „ ſuo non pepercit Deus; ſed pro nobis o„ mnibus tradidit illum. “ Dicitur autem Chriſtus *agnus* primo propter puritatem. Exo. XII. 5. „ Erit agnus anniculus &c. “ I. Pet. I. 18. „ Non corruptibilibus auro vel ar„ gento redempti eſtis. “ Secundo propter manſuetudinem. Eſa. LIII. 7. „ Quaſi agnus „ coram tondente ſe obmutuit. “ Tertio propter fructum. Prov. XXVII. 26. „ Agni ſunt „ tibi ad veſtimentum tuum. “ Et hoc quantum ad indumentum, iuxta illud Rom. XIII. 14. „ Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. “ Et quantum ad cibum, infra VI. 51. *Caro mea eſt pro mundi vita*. Et ideo dicebat Eſa. XVI. 1. „ Emitte agnum, Domine, dominato„ rem terræ. “

Conſequenter propoſitam figuram exponit cum dicit: *Qui tollit peccata mundi*, ideſt aufert; quod in lege nec per agnum, nec per alia ſacrificia auferri poterat: quia, ut dicitur Heb. x. 6. „ impoſſibile eſt per ſanguinem „ taurorum, & hircorum auferri peccata. “ Sanguis iſte *tollit*, ideſt aufert, *peccata mundi*. Oſeæ ult. 3. „ Omnem aufert iniquitatem. “ Vel *tollit*, ideſt in ſe accipit, *peccata* totius *mundi*: quia ut dicitur I. Pet. II. 14. „ Qui pecca„ ta noſtra pertulit in corpore ſuo. “ Eſa. LIII. 4. „ Dolores noſtros (c) ipſe tulit, & „ languores noſtros ipſe portavit. “ Dicit autem, ſecundum Gloſſam, *Peccatum*, & non peccata, ut oſtendat in univerſali, quod abſtulit totum genus peccati. I. Ioan. II. 2. „ Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. “ Vel quia pro uno peccato, ſcilicet originali, mortuus. Rom. v. 12. „ Per unum hominem „ peccatum intravit in mundum. “

(b) Supra perhibuit Baptiſta teſtimonium Chriſto quantum ad eius virtutem; hic vero perhibet (d) teſtimonium quantum ad eius di-

(a) *Al.* Ioannes. (b) *Al.* præfigurata. (c) *Al.* in ſe. (d) *Al.* ſcilicet teſtimonium.

Digitized by Google

dignitatem, comparans eum ſibi tripliciter. Et primo quantum ad officium, & ordinem prædicationis: unde dicit: *Hic*, ſcilicet agnus, digito eum demonſtrans, *eſt ille de quo dixi*, ſcilicet in eius abſentia: *Poſt me venit vir*, ad prædicandum, & baptizandum, qui poſt me venit naſcendo. Dicitur autem vir Chriſtus ratione perſectæ ætatis: quia quando incepit docere poſt baptiſmum, iam erat in ætate perſecta. Luc. III. 23. „ Ieſus erat incipiens „ quaſi annorum triginta. “ Item ratione perfectionis omnium virtutum, quæ in eo fuerunt. Eſa. IV. 1. „ Apprehendent ſeptem „ mulieres (ideſt virtutes) virum unum, “ ſcilicet Chriſtum perſectum. Zach. VI. 12. „ Ecce vir, oriens nomen eius: “ quia ipſe eſt origo omnium virtutum in aliis. Item ratione deſponſationis, quia ipſe ſponſus eſt Eccleſiæ. Oſeæ II. 16. „ Vocabis me virum „ &c. “ II. Cor. XI. 2. „ Deſpondi vos uni „ viro. “ Secundo quantum ad ordinem dignitatis, cum dicit: *Qui ante me factus eſt*; quaſi dicat: Licet poſt me venerit ad prædicandum, tamen *ante me* (a) *factus eſt*; ideſt, prælatus eſt mihi dignitate. Cant. II. 8. „ Ecce iſte venit (b) ſaliens in montibus, „ tranſiliens colles. “ Collis unus fuit Ioannes Baptiſta, quem Chriſtus tranſivit: quia, ut dicitur infra III. 30. *Me oportet minui, illum autem creſcere*. Tertio quantum ad ordinem durationis, cum dicit: *Quia prior me erat*; quaſi dicat: Non mirum ſi præfertur mihi dignitate, quia etſi poſterior ſit tempore, eſt tamen prior æternitate: *quia prior me erat*.

Ex hoc autem duplex error deſtruitur. Error Arrii: quia non dicit, prior me factus eſt, ut ſit creatura, ſed *prior me erat*, ab æterno ante omnem creaturam. Prover. VIII. 25. „ Ante „ omnes colles generavit me Dominus. “ Item error Pauli Samoſateni: quia dixit, *Prior me erat*, ut oſtendat, quod non ex Maria ſumpſerat exordium: nam, ſi eſſendi principium ſumpſiſſet ex Virgine, non extitiſſet utique prior præcurſore, qui Chriſtum in ſex menſibus ſecundum generationem præcedebat humanam.

(c) Conſequenter cum dicit, *Et ego neſciebam eum*, excludit falſam ſuſpicione a ſuo teſtimonio. Poſſet enim aliquis dicere, Ioannem teſtimonium perhibuiſſe Chriſto propter affectionem ſpecialis familiaritatis quam ad ipſum habebat; & ideo hoc excludens Ioannes, dicit: *Ego neſciebam eum*: nam Ioannes in deſerto a pueritia ſua converſatus eſt. Licet autem miracula multa ſacta ſint in nativitate Chriſti, puta de Magis, & de ſtella, & huiuſmodi, tamen non erant nota Ioanni: tum quia inſans erat ſecundum ætatem, tum quia ad deſertum ſecedens, Chriſti familiaritatem non habuit: medio vero tempore a nativitate uſque ad baptiſmum nullum miraculum Chriſtus operatus eſt; ſed conformis converſatione aliis erat, & ſua virtus ignota omnibus exiſtebat. Quod autem medio tempore non fuerit miracula operatus uſque ad triginta annos, patet per hoc quod dicitur infra II. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus &c.* Ex quo apparet falſitas Libri de infantia Salvatoris. Ideo autem non fecit miracula medio tempore, ut non putaretur myſterium circumciſionis, & incarnationis phantaſma eſſe, ſi non ſe habuiſſet ætate ſicut alii infantes. Et ideo demonſtrationem ſcientiæ, & virtutis ſuæ in aliud diſtulit tempus, in quo alii homines ſcientia, & virtute vigere conſueverunt: iuxta quod dicitur Luc. II. 52. „ Puer „ autem proficiebat gratia, & ſapientia: “ non quod ipſe virtutem, & ſapientiam ante non habitam ſuſciperet, cum in eis fuerit ab inſtanti ſuæ conceptionis perfectus; ſed quia virtus eius, & ſapientia magis innoteſcebat hominibus. Eſa. XLV. 15. „ Vere tu es Deus „ abſconditus. “ Ideo ergo Ioannes neſciebat eum, quia nulla ſigna adhuc de eo viderat, neque aliis per ſigna innotuerat: unde ſubdit: *Sed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea ego veni in aqua baptizans*; quaſi dicat: Totum miniſterium meum eſt ad manifeſtationem. Supra: *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Dicit autem, *Ven. in aquam baptizans*, ad differentiam baptiſmi Chriſti: quia Chriſtus non in aqua ſolum baptizavit, ſed in ſpiritu, conſerens gratiam: unde & baptiſmus Ioannis fuit ſignificativum tantum, non effectivum. Manifeſtavit autem baptiſmus Ioannis Chriſtum tripliciter. Primo ſcilicet per Ioannis prædicationem: licet enim Ioannes etiam ſine baptiſmo potuiſſet prædicando parare viam Domino, & inducere turbas ad Chriſtum, tamen propter novitatem officii plures ad eum concurrebant quam ſi ſine baptiſmo prædicatio facta eſſet. Secundo profuit baptiſmus Ioannis propter Chriſti humilitatem, quam demonſtravit, baptizari volens a Ioanne. Matth. III. 13. „ Venit Chriſtus ad Ioan- „ nem ut baptizaretur ab eo. “ In quo quidem exemplum humilitatis præbuit, ut ſcilicet nullus, quantumcumque magnus, dedignetur a quocumque ad hoc ordinato, ſacramenta ſuſcipere. Tertio quia Chriſto baptizato a Ioanne, affuit virtus Patris in voce, & Spiritus ſanctus in columba, per quam virtus Chri-

(a) *Al.* tamen ante me, ideſt prælatus mihi factus eſt dignitate. (b) *Al.* tranſiens montes.

Digitized by Google

Chriſti, & dignitas magis manifeſtata fuit. Luc. III. 22. „ Et vox Patris intonuit: Hic „ eſt Filius meus dilectus. “

(d) Conſequenter cum dicit, *Et teſtimonium perhibuit Ioannes*, ipſe magna quæ teſtatus eſt de Chriſto, quod totius orbis terrarum ſolus peccata tolleret, confirmat auctoritate Dei: & circa hoc tria facit. Primo proponit viſionem; ſecundo præbet de intellectu viſionis inſtructionem, ibi, *Et ego neſciebam eum*; tertio ſuam ex ipſa viſione conceptionem oſtendit, ibi, *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui*. Viſionem quidem proponit cum dicit: *Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo*. Quod quidem quando factum fuerit, Ioannes Evangeliſta non refert; ſed Matthæus, & Lucas dicunt hoc factum fuiſſe quando Chriſtus baptizatus eſt a Ioanne. Et quidem congruebat quod Spiritus ſanctus adeſſet baptizato, & baptiſmo. Baptizato namque congruebat: quia ſicut Filius exiſtens a Patre, manifeſtat Patrem: infra XVII. 6. *Pater, manifeſtavi nomen tuum &c.* ita & Spiritus ſanctus a Filio exiſtens, Filium manifeſtat. Infra XVI. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet &c.* Baptiſmo autem congruit: quia baptiſma Chriſti eſt inchoativum, & conſecrativum noſtri baptiſmatis. Noſtrum autem baptiſma conſecratur per invocationem ſanctæ Trinitatis. Matth. ult. 19. „ Baptizantes eos in nomine Patris, & „ Filii, & Spiritus ſancti &c. “ Quod ergo nos invocamus in baptiſmo noſtro, affuit baptiſmo Chriſti, ſcilicet Pater in voce, Spiritus ſanctus in columba, Filius in humana natura. Dicit autem, *Deſcendentem*, quia cum deſcenſus duos terminos habeat, ſcilicet principium ſurſum, & terminum deorſum, quantum ad utrumque convenit baptiſmo. Eſt enim duplex ſpiritus, unus mundi, & alius Dei: & ſpiritus quidem mundi eſt amor mundi, qui non eſt deſurſum, ſed ab inferiori aſcendit in hominem, & eum deſcendere facit; ſpiritus autem Dei, ſcilicet Dei amor, deſurſum deſcendit ad hominem, & eum aſcendere facit. I. Cor. II. 12. „ Nos autem „ non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed „ ſpiritum Dei. “ Quia ergo ille ſpiritus de ſupernis eſt, ideo dicit, *Deſcendentem*. Similiter etiam, quia impoſſibile eſt creaturam recipere Dei bonitatem in tanta plenitudine, ſecundum quod convenit Deo, ideo bonitatis ipſius ad nos derivatio, eſt quaſi quidam deſcenſus. Iac. I. 17. „ Omne datum optimum, „ & omne donum perfectum deſurſum eſt, de- „ ſcendens a Patre luminum. “ Sed quia Spiritus ſanctus in ſua natura videri non poteſt, ut dicitur infra III. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat, & neſcis unde veniat, aut quo vadat*: ſpiritus etiam non eſt deſcendere, ſed aſcendere: Ezech. VIII. 3. „ Elevavit me ſpiritus &c. “ ideo conſequenter Evangeliſta modum viſionis, & deſcenſus exponit, dicens, hic non fuiſſe in ſpiritu, ideſt natura, ſed in ſpecie columbæ, in qua apparuit: unde dicit, *Quaſi columbam*; & hoc quidem congrue, ut ſcilicet Filius Dei per carnem mundo viſibilis factus, manifeſtaretur per Spiritum ſanctum viſibili ſpecie columbæ: quæ quidem columba non eſt aſſumpta a Spiritu ſancto in unitatem perſonæ, ſicut humana natura aſſumpta eſt a Filio Dei. Cuius ratio eſt, quia Filius apparuit non ſolum ut manifeſtator, ſed ut ſalvator. Et ideo, ſecundum quod dicit Leo Papa, oportuit quod eſſet Deus, & homo: Deus quidem, ut afferret remedium, homo vero, ut præberet exemplum. Spiritus vero ſanctus apparuit ſolum ad manifeſtandum, ad quod ſufficiebat ſpeciem corporalem aſſumere ſolum ad ſignificationem quamdam.

Utrum autem columba illa fuerit verum animal, & utrum præexiſtens apparitioni: ſciendum, quod rationabiliter dicitur illa fuiſſe vera columba: venit enim Spiritus ſanctus ad manifeſtandum Chriſtum, qui cum ſit veritas, non niſi per veritatem manifeſtandus erat. Quantum vero ad ſecundum dicendum, quod non præextitit apparitioni; ſed tunc virtute divina abſque commixtione maris & feminæ formata fuit, ſicut & corpus Chriſti virtute Spiritus ſancti conceptum, non ex virili ſemine: & tamen fuit vera columba, quia, ut Auguſtinus dicit in Lib. de Agone Chriſtiano, „ omnipotenti Deo, qui univer- „ ſam creaturam ex nihilo fabricavit, non „ erat difficile verum corpus columbæ ſine „ aliarum columbarum miniſterio figurare, „ ſicut non fuit difficile verum corpus in ute- „ ro B. Virginis ſine naturali ſemine ſabrica- „ re. “ Cyprianus in Libro de Unitate Eccleſiæ: „ Idcirco & in columba dicitur Spiri- „ tus ſanctus (a) apparuiſſe, quia columba „ ſimplex animal & innocens eſt, non felle „ amarum, non morſibus ferum, non un- „ guium laceratione violentum: hoſpitia hu- „ mana diligere, unius domus conſortium „ noſſe, cum generat ſimul filios edere, cum „ conveniat volantibus, invicem cohærere, „ communi converſatione vitam ſuam dege- „ re, oris oſculo concordiam pacis agnoſce- „ re, legem circa omnia unanimitatis imple- „ re. “

Quare autem potius in columba, quam in

alia

(a) *Al. deeſt* apparuiſſe.

Digitized by Google

alia ſpecie apparuit, multipliciter ratio aſſignatur. Primo quidem propter columbæ ſimplicitatem: nam columba ſimplex eſt. Matth. x. 16. „ Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & „ ſimplices ſicut columbæ. " Spiritus autem ſanctus, quia facit reſpicere unum, ſcilicet Deum, ſimplices facit; & ideo in ſpecie columbæ (a) apparet. Et quidem, ſecundum Auguſtinum apparuit etiam ſuper diſcipulos congregatos per ignem, quia quidam ſunt ſimplices, ſed tepidi; quidam autem ferventes, ſed malitioſi. Ut ergo Spiritu ſanctificati dolo careant, Spiritus in columbæ ſpecie demonſtratur; & ne ſimplicitas (b) frigiditate tepeſcat, demonſtratur in igne. Secundo propter caritatis unitatem: nam columba amore multum fervet. Cant. vi. 8. „ Una eſt co„ lumba mea. " Ut ergo oſtendat Eccleſiæ unitatem, in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus (c) apparet. Nec te moveat quod diſcipulis diſpartitæ linguæ apparuerunt, quando ſedit ſupra ſingulos eorum Spiritus ſanctus, qui & diſpartitus apparet, ſecundum diverſa donorum officia, & tamen unit per caritatem; & ſic propter primum apparuit in diſpartitis linguis, ut dicitur I. Cor. xii. 4. „ Diviſiones „ gratiarum ſunt: " in columbæ ſpecie propter ſecundum. Tertio propter gemitum: columba enim habet gemitum pro cantu; ſic Spiritus ſanctus „ poſtulat pro nobis gemiti„ bus inenarrabilibus: " ut dicitur Rom. viii. 26. & Nahum ii. 7. „ Ancillæ eius mirabantur. " Quarto propter fecunditatem: (d) columba enim animal fecundiſſimum eſt, idcirco ad deſignandum fecunditatem gratiæ ſpiritualis in Eccleſia, in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus apparuit. Hinc eſt quod Levit. v. Dominus pullos columbarum offerre præcepit. Quinto propter columbæ cautelam: ſedet enim ſuper rivos aquarum, in quibus reſpiciens, falconem volitantem conſpicit, & ſibi ab eo cavet. Cant. v. 12. „ Oculi tui ſicut columbæ &c. " Unde quia in baptiſmo eſt noſtra tutela & defenſio, congrue in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus apparuit. Reſpondet igitur figuræ veteris teſtamenti: ſicut enim columba deferens ramum virentis olivæ, oſtendit ſignum clementiæ Dei his qui reſidui fuerant ex aquis diluvii; ita & in baptiſmo veniens Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie, oſtendit ſignum divinæ clementiæ, quæ baptizatis & peccata remittit, & gratiam confert.

Dicit autem: *Manentem ſuper eum*: quia in manſione quies deſignatur. Et quod Spiritus ſanctus in aliquo non quieſcat, duplici de cauſa contingit. Una eſt ex peccato: omnes enim alii homines, præter Chriſtum, vel ſauciantur vulnere peccati mortalis, per quod effugatur Spiritus ſanctus, vel obfuſcantur macula veniali, per quam aliqua operatio Spiritus ſancti impeditur. In Chriſto autem neque mortale, nec veniale, nec originale peccatum fuit: unde nec in eo fuit Spiritus ſanctus inquietatus; ſed ſuper eum manſit, ideſt quievit. Alia cauſa quia quantum ad gratias gratis datas, non ſemper adeſt aliis ſanctis poteſtas operandi; ſicut non ſemper adeſt ſanctis poteſtas operandi miracula, nec Prophetis ſpiritus prophetiæ. Chriſtus vero ſemper habuit poteſtatem ad omnem operationem virtutum, & gratiarum: & ideo ad hoc deſignandum, *ſuper eum manſit*. Unde hoc proprium ſignum fuit agnoſcendi Chriſtum, ut dicitur in Gloſſa Eſa. xi. 2. „ Requieſcet „ ſuper eum (e) Spiritus Domini. " Quod intelligendum eſt de Chriſto, inquantum eſt homo, ſecundum quod eſt minor Patre, & Spiritu ſancto.

(c) Conſequenter cum dicit, *Et ego neſciebam eum*, inſtruit de intellectu viſionis prædictæ. Quidam enim hæretici, ſcilicet Ebionitæ, dicebant, Chriſtum a principio nativitatis ſuæ, neque Chriſtum fuiſſe, nec Filium Dei; ſed ex tunc Filius Dei & Chriſtus eſſe incepit quando in baptiſmo oleo Spiritus ſancti unctus fuit. Sed hoc eſt falſum, quia in ipſa hora nativitatis Angelus dixit paſtoribus, Luc. ii. 11. „ Natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt „ Chriſtus Dominus in civitate David. " Ne ergo aliquis crederet, Spiritum ſanctum in baptiſmo ſupra Chriſtum deſcendiſſe, quaſi de novo Chriſtus indigeret Spiritu ad ſui ſanctificationem; ideo cauſam ſui deſcenſus Baptiſta oſtendit dicens, quod non deſcendit propter ſui neceſſitatem, ſed propter nos, ut ſcilicet gratia eius nobis manifeſtaretur: & ideo dicit: *Ego neſciebam eum. Sed ut manifeſtaretur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.*

Sed hic oritur quæſtio: dicit enim: *Qui miſit me baptizare &c.* Si dicatur quod Pater miſit eum, verum eſt. Similiter ſi dicatur quod Filius, manifeſtius, cum dicatur quod & Pater, & Filius miſit eum, quia Ioannes non eſt de illis de quibus dicitur Hier. xxiii. 21. „ Non mittebam eos, & ipſi currebant. " Quomodo ergo dicit: *Ego neſciebam eum*, ſi Filius miſit eum? Si dicatur, quod licet cognoſceret eum ſecundum divinitatem, non tamen cognoſcebat eum ſecundum humanitatem, niſi poſtquam vidit Spiritum deſcendentem

(a) *Al.* apparuit. (b) *Al.* frigiditatis. (c) *Al.* apparuit. (d) *Al.* hæc enim columba. (e) *Al.* Spiritus ſanctus Domini.

tem ſuper eum; contra: Spiritus enim ſanctus deſcendit ſuper Chriſtum quando baptizatus eſt. Ioannes autem cognovit Chriſtum antequam baptizaretur: alias non dixiſſet: *Ego debeo a te baptizari, & tu venis ad me?*

Eſt ergo dicendum, quod tripliciter poteſt ad hanc quæſtionem reſponderi. Uno modo, ſecundum Chryſoſtomum, ut referatur ad cognitionem familiaritatis, ut ſit ſenſus: *Ego neſciebam eum*, ſcilicet familiariter. Et ſi obiiciatur, quod dicit Ioannes: *Ego a te debeo baptizari &c.* dicitur quod iſta duo ſunt ad diverſa tempora referenda, ut (a) hoc quod dicit, *Ego neſciebam eum*, referatur ad tempus diu ante baptiſmum, in quo nondum Chriſto familiaris erat; hoc vero quod dicit, *Ego a te debeo baptizari*, referatur ad tempus illud in quo baptizatus eſt Chriſtus, quando iam propter frequentem viſitationem eius, Chriſtus familiaris erat. Alio modo, ſecundum Hieronymum, dicendum, quod erat Chriſtus Filius Dei, & ſalvator mundi, & hoc quidem ſciebat Ioannes; ſed neſciebat eum per baptiſmum mundi ſalvatorem: & ideo hoc quod neſcivit addidit, ſcilicet quod *hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*. Sed melius dicendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod aliquid ſcivit, & aliquid neſcivit, & hoc quod neſcivit addidit, ſcilicet quod poteſtatem baptizandi, quam potuit fidelibus ſuis communicare, ſibi ſoli retinuit. Et hoc eſt quod dicit: *Qui miſit me baptizare in aqua .... hic eſt*, ſingulariter ſcilicet, & ſolus, *qui baptizat in Spiritu ſancto*, & nullus alius: quia hanc poteſtatem ſibi ſoli retinuit.

Notandum autem, quod triplex poteſtas Chriſti attenditur in baptiſmo. Una eſt efficientiæ, qua mundat interius animam a macula peccati; quam quidem poteſtatem habet Chriſtus inquantum eſt Deus, non autem inquantum homo; & hæc poteſtas nulli alii poteſt communicari. Alia poteſtas eſt miniſterii, quam quidem communicavit fidelibus. Matth. ult. 19. „ Baptizantes eos in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. “ Et ideo ſacerdotes, ut miniſtri, poteſtatem habent baptizandi; Chriſtus autem, inquantum homo, miniſter dicitur, ut Apoſtolus dicit; ſed tamen caput eſt omnium miniſtrorum Eccleſiæ; & quantum ad hoc habet ſingulariter poteſtatem excellentiæ in ſacramentis: quæ quidem excellentia apparet in quatuor. Primo in ſacramentorum inſtitutione: (b) quia nullus homo purus, nec etiam tota Eccleſia poſſet ſacramenta inſtituere, vel ſacramenta mutare, aut a ſacramentis abſolvere; nam ſacramenta inviſibilem gratiam conferunt ex eorum inſtitutione; conferre autem gratiam ſolius Dei eſt: & ideo ſolus qui eſt verus Deus poteſt ſacramenta inſtituere. Secundum eſt quantum ad meriti Chriſti efficaciam: nam ex merito paſſionis Chriſti ſacramenta virtutem habent. Rom. VI. 3. „ Quicumque baptizati ſumus „ in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſu„ mus. “ Tertium eſt quia Chriſtus poteſt conferre effectum baptiſmi ſine ſacramento: quod ſolius Chriſti eſt. Quarto quia aliquo tempore baptiſmus conferebatur ad invocationem nominis Chriſti; ſed modo non ita fit. Quæ quidem quatuor nulli hominum communicavit; licet aliquid eorum communicare potuiſſet, puta quod in nomine Petri, vel alicuius alterius conferretur baptiſmus, & forte (c) aliquod aliorum. Sed hoc ideo non fuit factum ne fieret ſchiſma in Eccleſia, ſi baptizati ſpem ſuam ponerent in illis in quorum nominationem baptizarentur: (d) & ideo didicit Ioannes per hoc quod Spiritus ſanctus deſcendit ſuper eum, quod Chriſtus (e) ſolus eſt qui ſua virtute interius baptizat. Et forte poſſet dici, quod cum dixit, *Ego a te debeo baptizari &c.* (f) cognovit eum per internam revelationem; ſed cum vidit Spiritum ſanctum deſcendentem ſuper eum, cognovit eum per exterioris ſigni manifeſtationem: & ideo utrumque modum cognitionis tangit. Primum, cum dicit: *Qui me miſit baptizare, ille mihi dixit*; ideſt, interius revelavit. Secundum, quando addidit: *Super quem videris Spiritum deſcendentem .... hic eſt qui baptizat*.

Conſequenter oſtendit quid Baptiſta ex hac viſione intellexit, ſcilicet quod Chriſtus eſſet Filius Dei; & hoc eſt quod dicit, *Et ego vidi*, ſcilicet Spiritum deſcendentem ſuper eum, *& teſtimonium perhibui, quia hic*, ſcilicet Chriſtus, *eſt Filius Dei*, ſcilicet verus & naturalis. Filii enim adoptivi Patris fuerunt ad ſimilitudinem Filii Dei naturalis. Rom. VIII. 29. „ Quos præſcivit conformes fieri imaginis „ Filii ſui. “ Ille ergo debet filios Dei facere qui baptizat in Spiritu ſancto, per quem filii adoptantur. Rom. VIII. 15. „ Non enim „ accepiſtis ſpiritum ſervitutis .... ſed ſpiri„ tum adoptionis &c. “ Quia ergo iſte, ſcilicet Chriſtus, eſt qui baptizat in Spiritu ſancto, ideo recte concludit Baptiſta, quod eſt Filius Dei verus & purus. I. Ioan. ult. 20. „ Ut ſimus in vero Filio eius &c. “

Sed ſi alii viderunt Spiritum ſanctum deſcendentem ſuper eum, quare non crediderunt? Reſpondeo. quia non erant diſpoſiti ad hoc, vel forte quia ſoli Baptiſtæ viſio illa demonſtrata eſt.

L E-

(a) *Al.* in hoc. (b) *Al.* quod nullus homo purus, nec etiam poſſet ſacramenta inſtituere &c. (c) *Al.* aliquem aliorum. (d) *Al.* hoc ideo. (e) *Al.* ſolus interius eſt qui ſua virtute baptizat. (f) *Al.* cognoſcebat.

Digitized by Google

LECTIO XV.

(a) Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei.

(b) Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.

(c) Converſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis, Quid quæritis?

(d) Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum magiſter) ubi habitas?

(e) Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi decima.

(f) Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant a Ioanne, & ſecuti fuerant eum.

(g) Invenit hic primum fratem ſuum Simonem, & dicit ei: Invenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus) & adduxit eum ad Ieſum.

(h) Intuitus autem eum Ieſus dixit: Tu es Simon filius Ioanna: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

(a) SUpra Evangeliſta poſuit teſtimonia Baptiſtæ ad turbas; hic conſequenter ponit eius teſtimonia ad diſcipulos Ioannis. Et primo ponitur teſtimonium; ſecundo oſtenditur teſtimonii fructus, ibi, *Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem &c.* Circa primum tria facit. Primo deſcribitur teſtis; ſecundo aſſignatur modus teſtificandi; tertio ponitur eius teſtimonium. Sed teſtis deſcribitur, cum dicit: *Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo.*

In hoc autem quod dicit, *Stabat*, tria notantur circa Ioannem. Scilicet doctrinæ ipſius modus, qui differens fuit a modo doctrinæ Chriſti, & diſcipulorum eius. Chriſtus enim circumeundo docebar: unde dicitur, Matth. IV. 23. quod „ circuibat Ieſus totam Gali„ læam &c. " Similiter & Apoſtoli diſcurrendo per mundum, docebant. Matth. ult. 13. „ Euntes in mundum univerſum, prædi„ cate Evangelium omni creaturæ. " Sed Ioannes ſtando docebat: unde dicitur: *Stabat Ioannes*, ſcilicet in uno loco trans Iordanem, & inſtruebat de Chriſto omnes ad eum venientes. Ratio autem quare Chriſtus, & eius diſcipuli diſcurrendo docebant, eſt quia prædicatio Chriſti facta erat credibilis per miracula, & ideo circuibant diverſa loca, ut miracula, & virtutes Chriſti innoteſcerent. Prædicatio vero Ioannis non eſt confirmata miraculis: unde dicitur infra X. 41. *Ioannes ſignum fecit nullum*: ſed merito, & ſanctitate vitæ; & ideo *ſtabat* in loco uno, ut diverſi ad eum confluerent, & per eius ſanctitatem ducerentur ad Chriſtum. Similiter etiam ſi Ioannes ſine miraculis diſcurriſſet ad prænuntiandum Chriſtum, eius teſtimonium incredibilius redderetur, cum videretur importune, & quaſi ingerendo ſe hoc facere. Secundo notatur Ioannis conſtantia in veritate: quia Ioannes non fuit arundo vento agitata, ſed firmus in fide: ſecundum illud I. Cor. X. 12. „ Qui „ ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat. " Habac. II. 1. „ Super cuſtodiam meam ſtabo. " Tertio allegorice notatur, quod ſtare allegorice idem eſt quod deficere. IV. Reg. VI. 4. „ Ste„ titque oleum, " ideſt defecit. Stabat ergo Ioannes veniente Chriſto, quia cum venit veritas, defecit figura. Ioannes ſtat, quia lex tranſit. Modus autem teſtificandi ponitur certus, quia cum aſpectu: unde dicit: *Et reſpiciens Ieſum ambulantem*. Ubi ſciendum eſt, quod Prophetæ perhibuerunt teſtimonium Chriſto. Act. X. 43. „ Huic omnes Prophetæ te„ ſtimonium perhibent. " Similiter & Apoſtoli per mundum diſcurrentes. Act. I. 8. „ Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in o„ mni Iudæa &c. " Sed tamen non per viſum, neque de præſente, ſed de abſente. Prophetæ quidem ut de futuro, Apoſtoli vero ut de præterito; ſed Ioannes, Chriſto ſibi præſente, & a ſe viſo, teſtimonium perhibuit: & ideo dicit, *Et reſpiciens*, oculis corporis, & mentis, iuxta illud Pſal. LXXXIII. 10. „ Reſpice in faciem Chriſti tui. " Eſa. LII. 8. „ Oculo ad oculum videbunt. " Sed dicit *ambulantem*, ut deſignet incarnationis myſterium, per quod Dei Verbum mutabilem naturam aſſumpſit. Infra XVI. 28. (a) *Exivi a Patre, & veni in mundum*.

Con-

(a) Al. *Exivi a Patre in mundum*.

Digitized by Google

Conſequenter ponitur teſtimonium, cum dicit: *Ecce agnus Dei*: quod non ſolum eſt demonſtrativum, ſed admirativum virtutis ipſius. Eſa. IX. 6. „ Vocabitur nomen eius „ admirabilis. “ Et vere admirabilis virtutis eſt iſte agnus, qui occiſus, leonem interfecit: illum, inquam, leonem de quo dicitur I. Petr. ult. 8. „ Adverſarius veſter diabolus, „ tamquam leo rugiens, circuit quærens „ quem devoret. “ Et ideo ipſe agnus leo vocari meruit victor, & glorioſus. Apoc. V. 5. „ Ecce vicit leo de tribu Iuda. “ Breviter autem teſtimonium profert, dicens: *Ecce agnus Dei*: tum quia diſcipuli quibus hoc teſtimonium perhibebat, ex his quæ audierant a Ioanne, iam ſatis inſtructi erant de Chriſto; tum etiam quia per hoc ſatis intelligitur tota intentio Ioannis, quæ ad hoc ſolum erat ut eos ad Chriſtum duceret. Nec dicit, Ite ad eum, ne videantur diſcipuli gratiam præſtare Chriſto, ſi eum ſequerentur; ſed commendat Chriſti gratiam, ut quaſi in beneficium ſibi computent, ſi Chriſtum ſequuntur: & ideo dicit: *Ecce agnus Dei*; ideſt, ecce in quo eſt gratia, & virtus purgativa peccatorum: agnus enim offerebatur pro peccatis, ut dictum eſt.

(b) Conſequenter ponitur fructus teſtimonii, cum dicit: *Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem*: & primo ponitur fructus proveniens ex teſtimonio Ioannis, & diſcipulorum eius; ſecundo vero ponitur fructus proveniens ex prædicatione Chriſti, ibi, *In craſtinum autem voluit exire in Galilæa*. Circa primum primo ponitur fructus proveniens ex teſtimonio Ioannis; ſecundo fructus proveniens ex prædicatione unius diſcipulorum eius, ibi, *Erat autem Andreas frater Simonis Petri &c.* Circa primum duo facit. Primo ponitur inchoatio huius fructus ex teſtimonio Ioannis facta. Secundo ponitur conſummatio facta per Chriſtum, ibi, *Converſus autem Ieſus &c.* Dicit ergo primo: *Et audierunt eum*, ſcilicet Ioannem, *duo diſcipuli*, qui erant cum eo, *loquentem* (*Ecce agnus Dei*) *& ſecuti ſunt Ieſum*; ad litteram, euntes cum eo. Ubi quatuor, ſecundum Chryſoſtomum, conſiderari poſſunt. Primo quia hoc quod Ioannes loquitur, & Chriſtus tacet, & verbo Ioannis diſcipuli congregantur ad Chriſtum, competit myſterio: Chriſtus enim eſt ſponſus Eccleſiæ, Ioannes vero amicus, & paranymphus ſponſi. Officium autem paranymphi eſt, ſponſam tradere ſponſo, & loquendo, pacta tradere; ſponſi autem eſt quaſi præ verecundia tacere, & de ſponſa iam habita pro velle diſponere. Sic ergo diſcipuli traduntur a Ioanne Chriſto quaſi deſponſati per fidem. Ioannes loquitur, Chriſtus tacet; ſed tamen ſuſceptos diligenter inſtruxit. Secundo vero quod cum Ioannes dignitatem Chriſti commendans dixit, *Ante me factus eſt*, & quoniam *non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti eius*, nullus converſus eſt; ſed quando humilia de Chriſto, & incarnationis myſterio locutus eſt, tunc ſecuti ſunt eum diſcipuli: quia humilia, & quæ pro nobis paſſus eſt Chriſtus, magis movent nos: & ideo dicitur Cant. I. 2. „ Oleum effuſum no„ men tuum, “ ideſt miſericordia, qua ſalutem omnium procuraſti; & ideo ſtatim ſequitur: „ Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. “ Tertio quia verbum prædicationis eſt ſicut ſemen cadens in diverſas terras: in una quidem fructificat, in alia non. Ita & Ioannes cum prædicat, non omnes diſcipulos convertit ad Chriſtum, ſed duos tantum, ſcilicet qui bene diſpoſiti erant; alii vero e contrario invidia moventur ad Chriſtum: unde & quæſtionem ei movent, ut dicitur Matth. IX. Quartum eſt quod diſcipuli Ioannis audito eius teſtimonio de Chriſto, non ſtatim ingeſſerunt ſe ad loquendum cum eo ex abrupto, ſed quaſi ſtudioſi cum quadam verecundia ſingulariter loqui cum eo, & in ſecreto loco ſtuduerunt. Eccle. VIII. 6. „ Omni negotio tem„ pus eſt, & opportunitas. “

(c) Conſequenter ponitur conſummatio fructus, cum dicit: *Converſus autem Ieſus*, quod enim Ioannes inchoavit, conſummatur per Chriſtum: quia „ neminem ad perfectum ad„ duxit lex: “ ut habetur Heb. VII. 19. Et circa hoc Chriſtus duo fecit: primo enim examinavit diſcipulos ſequentes; ſecundo eos inſtruxit, ibi, *Dicit eis: Venite, & videte*. Circa primum primo ponitur Chriſti examinantis interrogatio; ſecundo diſcipulorum examinatorum reſponſio, ibi, *Qui dixerunt ei: Rabbi ubi habitas?* Dicit ergo: *Converſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dixit eis*. Et quidem per litteralem ſenſum intelligendum eſt quod Chriſtus eos præibat, & hi duo diſcipuli eum ſequentes, faciem eius minime videbant: & ideo Chriſtus ut daret eis fiduciam, convertit ſe ad eos: in quo datur nobis intelligi, quod omnibus qui Chriſtum ſequi incipiunt puro corde, dat fiduciam vel ſpem miſericordiæ. Sap. VI. 14. „ Præoccupat eos qui ſe con„ cupiſcunt. “ Convertit autem ſe Ieſus ad nos, ut videatur a nobis: hoc erit in illa beata viſione, quando oſtendet nobis faciem ſuam, ut dicitur in Pſal. LXXIX. 4. „ Oſtende nobis „ faciem tuam, & ſalvi erimus. “ Quamdiu enim in mundo iſto ſumus, videmus poſteriora eius, quia per effectus in eius cognitionem venimus: unde dicitur Exod. XXXIII. 23. „ Poſteriora mea videbis. “ Item convertit

ſe ut opem ſuæ miſericordiæ nobis impendat. Hoc petebat Pſal. lxxxix. 13. „ Convertere „ Domine aliquantulum &c.“ Quamdiu enim Chriſtus opem ſuæ miſcrationis non impendit, vidctur a nobis averſus. Converſus eſt ergo Ieſus ad diſcipulos Ioannis eum ſequentes, ut faciem ſuam eis oſtenderet, & gratiam eis infunderet. Examinat autem eos ſpecialiter de intentione: ſequentium namque Chriſtum non eadem intentio eſt: quidam enim eum ſequuntur propter bona temporalia; alii vero propter bona ſpiritualia: & ideo quid iſti intendant, Dominus quærit, dicens: *Quid quaritis?* non quidem ut diſcat, ſed ut rectam intentioncm aperientes, magis familiares faciat, & oſtendat eos auditione dignos.

Notandum autcm, quod hoc eſt primum verbum quod Chriſtus in iſto Evangelio loquitur; & congrue, quia primum quod quærit Deus ab homine, eſt recta intcntio. Et ſecundum Origenem, poſt ſcx verba quæ Ioannes dixerat, Chriſtus ſeptimum locutus eſt. Primum namque Ioannes Baptiſta locutus eſt, quando teſtimonium perhibens de Chriſto, clamabat dicens: *Hic* (*a*) *eſt de quo dixi*. Aliud quando dixit: *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti eius*. Tertium quando dixit: (*b*) *Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis*. Quartum: *Ecce agnus Dei*. Quintum: *Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam &c.* Sextum, cum hic dicit: *Ecce agnus Dei*. Et Chriſtus ſeptimum loquitur, ut intelligas myſtice, quod quies, quæ deſignatur (*c*) per ſeptimum diem, nobis eſt futura per Chriſtum, & quod in ipſo eſt plenitudo ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti.

(d) Conſequenter reſpondent diſcipuli: *Qui dixerunt ei &c.* Et quidcm interrogati de uno, duo reſpondent. Primo quidem quare Chriſtum ſequuntur, ſcilicet ut addiſcant, unde & Magiſtrum eum vocant, *Rabbi* (*quod dicitur interpretatum magiſter*;) quaſi dicerent: Quærimus, ut nos doceas. Iam enim præcognoſcebant, quod dicitur Matth. xxIII. 10. „ Unus eſt magiſter veſter Chriſtus.“ Secundo vcro quod ſequendo quærunt, ſcilicet *Ubi habitas?* (*d*) Et quidem litteraliter dici poteſt quod in veritate domum Chriſti quærebant: propter enim mira, & magna, quæ a Ioanne de eo audierant, nolebant eum perſunctorie interrogare, nec ſemel tantum, ſed frequenter, & ſerioſe; & ideo domum eius ſcire volebant, ut frequenter ad eum accederent, iuxta conſilium Sapientis, Eccli. VI. 36. „ Si videris ſenſatum, evigila ad il„ lum:“ & Prov. VIII. 34. „ Beatus qui „ audit me, & vigilat ad fores meas quo„ tidie.“ Allegorice autem in cælis eſt habitaculum Dei, ſecundum illud Pſal. cxxII. 1. „ Ad te levavi oculos meos qui habitas in „ cælis.“ Quærunt ergo ubi Chriſtus habitet, quia ad hoc (*e*) debemus Chriſtum ſequi ut per eum ducamur ad cælos, ideſt ad gloriam cæleſtem. Moraliter autem interrogant, *Ubi habitas?* quaſi vellent ſcire, quales debent eſſe homines qui digni ſunt quod Chriſtus habitet in eis; de quo habitaculo dicitur Epheſ. II. 22. „ AEdificamini in habitacu„ lum Dei:“ & Cantic. I. 6. „ Indica mi„ hi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi „ cubes in meridie.“

(e) Conſequenter cum dicit, *Venite, & videte*, ponitur inſtructio diſcipulorum a Chriſto: & primo deſcribitur ipſa inſtructio diſcipulorum a Chriſto; ſecundo commendatur diſcipulorum obedientia: *Venerunt, & viderunt*; tertio (*f*) determinatur tempus: quia *hora erat quaſi decima*. Dicit ergo primo: *Venite, & videte*, ſcilicet ubi habitem.

Sed hic eſt quæſtio. Cum Dominus dicat, Matth. VIII. 20. „ Filius hominis non habet „ ubi caput ſuum reclinet:“ quare dicit, *Venite, & videte* ubi habito? Reſpondeo dicendum, ſecundum Chryſoſtomum, quod per hoc quod dixit Dominus: „ Filius hominis non „ habet ubi caput ſuum reclinet:“ demonſtravit quod non habuit proprium habitaculum, non quod in domo alicuius alterius non maneret. Et ad hanc videndum iſtos invitabat, dicens, *Venite, & videte*. Myſtice autem dicit, *Venite, & videte*: quia habitatio Dei, ſive gloriæ, ſive gratiæ, agnoſci non poteſt niſi per experientiam: nam verbis explicari non poteſt. Apoc. II. 17. „ In calculo no„ mcn novum &c.“ Et ideo dicit: *Venite, & videte. Venite*, credendo, & operando, *& videte*, experiendo, & intelligendo.

Notandum autem, quod quatuor modis pervenitur ad hanc cognitionem. Primo per bonorum operum actionem: unde dicit, *Venite*. Pſal. xlI. 3. „ Quando veniam, & apparebo „ ante faciem Domini.“ Secundo per mentis quietem, ſeu vacationem. Pſal. xlv. 11. „ Vacate, & videte.“ Tertio per divinæ dulcedinis guſtationem. Pſal. xxxIII. 9. „ Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Domi„ nus.“ Quarto per operationem devotionis. Thren. III. 41. „ Levemus corda no„ ſtra cum manibus orando &c.“ Et ideo dicit Dominus, Luc. xxIv. 39. „ Palpate, & „ videte &c.“

Con-

(a) Al. *erat*. (b) Al. *Ego autem*. (c) *Al.* per dies. (d) *Al.* quod quidem. (e) *Al.* deberemus. (f) *Al.* determinant.

Conſequenter ponitur diſcipulorum obedientia, quia ſtatim ſequitur, *Venerunt, & viderunt*: quia veniendo viderunt, & videntes non deſeruerunt: unde dicitur: *Et manſerunt ibi die illo*: quia, ut dicitur infra VI. 45. *omnis qui audit a Patre, & didicit, venit ad me*. Qui enim recedunt a Chriſto, non viderunt eum adhuc, ſicut videre oportet. Iſti autem qui perfecte credendo, eum viderunt, manſerunt ibi die illo; audientes, & videntes, beatum diem, beatam noctem duxerunt. III. Reg. X. 8. „Beati viri tui, & beati (*a*) ſer„vi tui, qui ſtant coram te ſemper.“ Et ideo, ut dicit Auguſtinus (de Temp. ſer. CCLV.) „ædificemus & noſmetipſi in corde no„ſtro, & faciamus domum quo veniat ille, „& doceat nos.“ Et dicit, *Die illo*, quia nox eſſe non poteſt ubi eſt lumen Chriſti, ubi eſt ſol iuſtitiæ.

Tempus autem determinatur conſequenter, cum dicit: *Hora autem erat quaſi decima*: quod quidem Evangeliſta determinat, ut ſecundum litteram, inſinuet commendationem Chriſti, & diſcipulorum: hora enim decima eſt in occaſu diei: ex quo & Chriſtus commendatur, qui tam ſtudioſus erat ad docendum, quod nec propter temporis tarditatem eos docere diſtulit, ſed in hora decima docuit eos. Eccle. XI. 6. „Mane ſemina ſemen tuum, & „veſpere ne ceſſet manus tua.“ Similiter etiam commendatur & diſcipulorum temperantia: quia etiam hora decima qua conſueverunt homines comediſſe, & eſſe minus ſobrii ad perceptionem ſapientiæ, ipſi & ſobrii, & apti erant ad ſapientiam audiendam, nec propter cibum, aut vinum impediebantur. Nec mirum, quia diſcipuli eius fuerant, ſcilicet Ioannis, cuius potus erat aqua, eſca autem locuſta, & mel ſilveſtre. Secundum autem Auguſtinum, per horam decimam lex ſignatur, quæ in decem præceptis data eſt. Erat ergo hora decima quando iſti venerunt, & manſerunt cum Chriſto, & ab eo erudiuntur, ut impleretur lex per Chriſtum quæ a Iudæis impleri non poterat. Et ideo etiam in ipſa hora vocatus eſt *Rabbi*, ideſt magiſter.

(f) Conſequenter cum dicit, *Erat autem Andreas frater Simonis Petri &c.* ponitur fructus quem fecit diſcipulus Ioannis converſus ad Chriſtum. Et ſuper hoc primo deſcribitur diſcipulus; ſecundo fructus ab ipſo inchoatus, ibi, *Invenit hic primum fratrem ſuum Simonem*; tertio ponitur conſummatio fructus facta per Chriſtum, ibi, *Intuitus autem eum Ieſus dixit*. Deſcribitur autem diſcipulus primo a nomine, cum dicit, *Erat autem Andreas*, ideſt virilis. Pſal. XXX. 25. „Viriliter agite, & con„fortetur cor veſtrum.“ (*b*) Exprimit autem nomen, ut oſtendatur eius privilegium: tum quia prior converſus eſt ad fidem Chriſti perfecte; tum etiam quia Chriſtum prædicavit: unde ſicut Stephanus fuit primus martyr poſt Chriſtum, ita & Andreas fuit primus Chriſtianus. Secundo deſcribitur a (*c*) cognatione: quia *frater Simonis Petri*: quia iunior erat; & hoc quidem eſt ad commendationem ſuam, ut qui ætate poſterior, fide efficiatur primus. Tertio a diſciplina: quia *unus ex duobus qui audierant a Ioanne*. Et huius quidem nomen deſcribitur ad oſtendendum Andreæ privilegium quod inſignis fuerit. Alterius enim nomen tacetur: aut quia ille alius fuit Ioannes Evangeliſta, cuius conſuetudo eſt in ſuo Evangelio cum de eo agitur, nomen ſuum non exprimere propter humilitatem; aut, ſecundum Chryſoſtomum, non fuit aliquis inſignis, nec fecit aliquid magnum: unde non fuiſſet utilitas nomen eius ponere. Sic enim & Lucas, cap. X. nomina ſeptuagintaduorum diſcipulorum, quos Dominus binos miſit ante faciem ſuam, non poſuit: quia non erant ſolemnes perſonæ, & inſignes, ſicut Apoſtoli fuerunt. Aut, ſecundum Alcuinum, ille diſcipulus fuit Philippus: & hoc patet, quia ſtatim poſtquam Evangeliſta proſecutus eſt de Andrea, proſequitur de Philippo, dicens: *In craſtinum autem voluit exire in Galilaam, & invenit Philippum &c.* Quarto commendatur a devotionis ſtudio: unde dicitur: *Et ſecuti fuerant eum*, ideſt Ieſum. Iob XXIII. 11. „Ve„ſtigia eius ſecutus eſt pes meus.“ Fructus autem inchoatus per Andream ponitur, cum dicit: *Invenit hic primum Simonem fratrem ſuum*. Et primo inſinuat apud quem fructum fecit, ſcilicet apud fratrem ſuum, ut commendet ſuæ converſionis perfectionem: ſicut enim Petrus dicit in Itinerario Clementis, evidens ſignum perfectæ converſionis alicuius eſt, cum converſus, quanto aliquis ſibi eſt magis coniunctus, tanto magis ſatagit eum convertere ad Chriſtum. Et ideo Andreas perfecte converſus non detinuit apud ſeipſum inventum theſaurum; ſed feſtinat & currit cito ad fratrem, traditurus ei bona quæ ſuſcepit.

(g) Et ideo dicit: *Invenit hic*, ſcilicet Andreas, *primum*, ideſt primo adverbialiter, *fratrem ſuum Simonem*, quem quærebat, ut ſicut erat ſanguine, ita faceret eum germanum fide. Prov. XVIII. 19. „Frater qui adiu„vatur a fratre quaſi civitas firma.“ Apoc.

 ult.

(a) *Al.* „Servi tui &c. hi qui ſtant &c.“ (b) *Al.* Imponitur. (c) *Al.* cognitione.

ult. 17. „ Qui audit, dicat, Veni. “ Secundo ponit verba quæ dicit Andreas: *Invenimus Meſſiam* (*quod interpretatur Chriſtus* :) ubi, ſecundum Chryſoſtomum, tacite reſpondet cuidam quæſtioni, ſcilicet ſi quis eum interrogaret, de quo inſtructi fuiſſent a Chriſto, in promptu eſt reſponſio, ſcilicet quod per teſtimonia Scripturæ inſtruxit eum intantum quod cognoſceret eum eſſe Chriſtum: & ideo dicit, *Invenimus*: per quod etiam innuit quod diu cum deſiderio eum quæſierat. Prov. III. 13. „ Beatus homo qui invenit ſapientiam.“ *Meſſiam* Hebraice, quod Græce interpretatum eſt Chriſtus, ideſt unctus Latine: quia ſpecialiter unctus eſt oleo inviſibili, ideſt Spiritus ſancti. Ideo ſignanter nomine iſto manifeſtat eum: unde in Pſal. XLIV. 8. dicitut: „ Unxit te Deus tuns oleo lætitiæ præ conſortibus, “ ideſt præ omnibus ſanctis: nam omnes ſancti iſto oleo unguntur; ſed iſte ſingulariter unctus eſt, & ſingulariter ſanctus: ideo, ſecundum Chryſoſtomum, non dicit *Meſſiam* ſimpliciter, ſed cnm adiectione articuli. Tertio ponit fructum quem fecit: quia *adduxit eum ad Ieſum*, ſcilicet Petrum: in quo Petri obedientia commendatur. Confeſtim enim occurrit, in hoc non tatdans. Et Andreæ devotionem conſidera: quia duxit eum ad Ieſum, non ad ſe (ſciebat enim ſe infirmum:) & ideo eum ad Chriſtum adducit, ut ipſe eum inſtruat, inſtruens ſimul per hoc, quod hic debet eſſe prædicatorum conatus & ſtudium, ut fructus prædicationis & ſtudium non ſibi vendicent, ſeu ad utilitatem, & honorem proprium convertant, ſed ut adducant ad Ieſum, ideſt ad eius gloriam, & honorem referant. II. Corinth. IV. 5. „ Non enim prædicamus noſmetipſos, ſed Ieſum Chriſtum. “

(h) Conſummatio autem huius fructus ponitur cum dicit: *Intuitus autem eum Ieſus dixit &c.* ubi Chriſtus ad fidem divinitatis eum elevare volens, incipit quæ divinitatis ſunt opera facere, occulta prædicans. Et primo quidem quantum ad occulta præſentiæ: unde *intuitus eum*; ideſt, ſtatim cum vidit eum virtute divinitatis, conſideravit, & dixit ei nomen ſuum: unde dicit: *Tu es Simon*. Nec mirum, quia, ut dicitur I. Reg. XVI. 17. „ homines vident ea quæ (*a*) apparent, Deus autem intuetur cor. “ Congruit autem hoc nomen myſterio: nam Simon interpretatur obediens: ut inſinuet quod obedientia neceſſaria eſt ei qui converſus eſt ad Chriſtum per fidem. Act. V. 32. „ Dat Spiritum ſanctum obedientibus ſibi. “ Secundo vero quantum ad occulta præterita: unde dicit, *Filius Ioanna*: quia hoc nomine vocatus eſt pater ſuus: vel, ſecundum Matthæum, Filius Iona, cum dicit, „ Simon Bariona: “ & utrumque congruit myſterio. Ioanna enim interpretatur gratia, ut inſinuet quod homines per gratiam veniunt ad fidem Chriſti: Epheſ. II. 5. „ Gratia ſalvati eſtis &c. “ Iona vero interpretatur columba, ut inſinuet quod per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, firmamnr in amore Dei, ut dicitur Rom. V. 5. „ Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. “ Tertio vero quantum ad occulta futura: unde dicit: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, & in Græco capnt: & congruit myſterio, ut ille qui debet eſſe aliorum caput, & Chriſti vicarius, firmitati inhærerer. Matth. XVI. 18. „ Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. “

Sed hic eſt quæſtio litteralis. Et primo quare Chriſtus impoſuit ei in principio ſuæ converſionis nomen, & non voluit quod a principio nativitatis ſuæ hoc nomine vocaretur? Ad hoc reſpondetur dupliciter, ſecundum Chtyſoſtomum. Primo quidem quia nomina divinitus impoſita aliquam eminentiam gratiæ ſpiritualis deſignant. Quando autem Deus confert (*b*) ſpecialem gratiam alicui, ab ipſa nativitate nomen gratiam illam ſignificans imponitut; ſicut patet de Ioanne Baptiſta, qui ante a Deo eſt nominatus quam natus, quia fuit ſanctificatus in utero matris. Aliquando autem aliter confertur eminentia gratiæ ſpecialis tempore procedenti; & talia nomina divinitus imponuntur non a principio nativitatis, ſed in ipſo proceſſu temporis; ſicut patet de Abraham, & Sara, qnibus nomina mutata ſunt quando promiſſionem multiplicandi germinis acceperunt. Eodem modo & Petrus nominatur divinitus quando ad fidem Chriſti, & gratiam Apoſtolatus vocatur, & ſpecialiter quia conſtitutus eſt Princeps Apoſtolorum totius Eccleſiæ; quod in aliis Apoſtolis non eſt factum. Secundum Auguſtinum autem, quia ſi a principio fuiſſet nominatus Cephas, non apparuiſſet myſterium. Et ideo voluit Dominus quod tunc nomen haberet, ut mutatione nominis, Eccleſiæ myſterium appareret, quæ (*c*) in confeſſione fidei eius fundata erat. Petrus enim a petra dicitur; petra autem erat Chriſtus. In Petri ergo nomine figurata eſt Eccleſia, quæ ſupra firmam petram immobilem, ideſt Chriſtum, ædificata eſt.

Secunda quæſtio eſt utrum hic fuerit impoſitum hoc nomen Simoni, an in Matth.

(XVI.

(a) *Al.* patent. (b) *Al.* ſpiritualem; *ſic etiam infra*. (c) *Al.* in conceſſione.

Digitized by Google

(xvi. 18.) cum dicitur: „ Tu es Petrus. “ Et ad hoc reſpondet Auguſtinus dicens, quod illud nomen hoc loco fuit Simoni impoſitum; ſed quod dicit ei Dominus in Matth. „ Tu es Petrus &c. “ non eſt nominis impoſitio, ſed impoſiti nominis commemoratio, ut quaſi utatur illo nomine tamquam iam impoſito. Alii autem dicunt, quod hoc nomen fuit impoſitum Simoni quando Dominus dixit ei (loc. cit.) „ Tu es Petrus, & ſuper „ hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. “ Hic vero non imponit ei hoc nomen, ſed præſignat quod ſit ei poſtmodum imponendum.

Tertia quæſtio eſt de vocatione Petri, & Andreæ: quia hic dicitur, quod fuerunt vocati iuxta Iordanem, quia fuerunt diſcipuli Ioannis; & Matth. iv. dicitur, quod Chriſtus vocavit eos iuxta mare Galilææ. Et ad hoc dicendum, quod triplex fuit vocatio Apoſtolorum. Prima fuit ad cognitionem, ſeu familiaritatem, & fidem; & de hac dicitur hic. Secunda fuit in officii præſignatione, de qua habetur Luc. v. 10. „ Ex hoc eris homines capiens. “ Tertia fuit ad Apoſtolatum, de qua dicitur Matth. iv. quæ fuit perfecta, quia poſtea non redierunt ad propria.

LECTIO XVI.

(a) IN craſtinum voluit exire in Galilæam; & invenit Philippum: & dicit ei Ieſus, Sequere me. Erat autem Philippus a Bethſaida, civitate Andreæ, & Petri.

(b) Invenit Philippus Nathanaelem, & dixit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetis, invenimus Ieſum filium Ioſeph a Nazareth.

(c) Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dixi ei Philippus: Veni, & vide.

(d) Vidit Ieſus Nathanaelem venientem ad ſe, & dixit de eo: Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt. Dixit ei Nathanael: Unde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te. Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quia dixi tibi, Vidi te ſub ficu, credis: maius his videbis. Et dixit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper Filium hominis.

(a) POſito fructu qui provenit ex prædicatione Ioannis, & eius diſcipuli, conſequenter Evangeliſta manifeſtat fructum qui provenit ex prædicatione Chriſti: & primo agit de converſione unius diſcipuli ad prædicationem Chriſti; ſecundo de converſione aliorum ad prædicationem diſcipuli ad Chriſtum converſi, ibi, *Invenit Philippus Nathanaelem &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur diſcipuli vocandi occaſio; ſecundo ſubditur ipſius diſcipuli vocatio; tertio deſcribitur vocati diſcipuli conditio, ibi, *Erat autem Philippus a Bethſaida*. Occaſio quidem vocationis fuit exitus Ieſu a Iudæa: & ideo dicitur: *In craſtinum* autem *voluit exire*, ſcilicet Ieſus a Iudæa, *in Galilæam*, *& invenit Philippum*. Ratio autem exitus Ieſu in Galilæam aſſignatur triplex: duæ videlicet litterales, quarum una eſt quia poſtquam baptizatus fuerat a Ioanne, volens honorem deferre Baptiſtæ, exivit in Galilæam, a Iudæa recedens, ne ſua præſentia offuſcaret, & minueret Ioannis magiſterium, dum adhuc ſtatum haberet: docens nos honore invicem prævenire, ut dicitur Rom. xii. Secunda ratio eſt, quia in Galilæa non ſunt inſignes perſonæ. Infra vii. 52. *A Galilæa Propheta non ſurgit &c.* & ideo voluit exire illuc Ieſus, & eligere inde principes orbis terræ, qui ſunt Prophetis maiores, ut per hoc ſuam virtutem oſtendat. Pſal. cvi. 35. „ Poſuit deſertum in ſtagna aquarum. “ Tertia ratio eſt myſtica: quia Galilæa interpretatur tranſmigratio. Voluit ergo exire a Iudæa in Galilæam ut inſinuaret quod in craſtinum, ideſt in die gratiæ, ſcilicet Evangelii, exiret a Iudæa in Galilæam, ideſt ad Gentes ſalvandas. Infra vii. 35. *Numquid hic iturus eſt in diſperſionem gentium?* Vocatio ergo diſcipuli eſt ad ſequendum; & ideo dicit: *Invenit Philippum, & dicit ei, Sequere me.*

Et nota, quod aliquando homo invenit Deum, ſed quaſi ignotum. Prov. viii. 35. „ Qui (a) invenerit me, inveniet vitam, & „ hauriet ſalutem a Domino. “ Aliquando Deus invenit hominem, ſed ut eum manifeſtet,

(a) *Al.* invenit.

ſtet, & magnificet. Pſal. lxxxviii. 21. „ Inveni David ſervum meum. " Et ſic Chriſtus invenit Philippum, ut eum ad fidem, & gratiam vocet: & ideo ſtatim dicit, *Sequere me*.

Quæſtio eſt quare Ieſus a principio non vocavit diſcipulos. Ad quod reſpondet Chryſoſtomus, quod noluit a principio aliquem vocare, antequam aliquis ſpontaneus ei adhæreret per prædicationem Ioannis: quia homines magis exemplo trahuntur quam verbis. Exod. xxvi. cortina trahit cortinam.

Quæritur etiam quare Philippus ſtatim ad unum verbum ſecutus eſt Chriſtum, cum Andreas eum ſecutus fuerit, audiens a Ioanne de Chriſto, Petrus autem ab Andrea. Ad hoc eſt triplex reſponſio. Una quia Philippus iam inſtructus erat a Ioanne: quia, ſecundum unam expoſitionem ſupra poſitam, ille alius, qui cum Andrea ſecutus eſt Chriſtum, erat Philippus. Alia ratio eſt quia vox Chriſti virtutem quamdam habebat ut non ſolum exterius, ſed etiam interius cor moveret. Hier. xxiii. 29. „ Verba mea ſunt quaſi ignis. " Non enim vox Chriſti ſolum exterioribus dicebatur, ſed fidelium interiora ad eius inflammabat amorem. Tertio quia forte Philippus iam de Chriſto fuerat inſtructus ab Andrea, & Petro: quia ex eadem villa erant: quod Evangeliſta videtur innuere per hoc quod ſubdit: *Erat autem Philippus a Bethſaida civitate Andreæ, & Petri*: In quo diſcipuli vocati conditio exprimitur: quia erant a Bethſaida. Et ſic congruit myſterio. Bethſaida enim domus venatorum interpretatur: ut oſtendat quales tunc animo erant Philippus, Petrus, & Andreas, & quod de domo venatorum, congrue venatores (a) ad capiendas animas ad vitam vocaret. Hier. xvi. 16. „ Mittam meos venatores &c. "

(b) Conſequenter ponitur fructus diſcipuli ad Chriſtum converſi: & primo ponitur inchoatio fructus facta a diſcipulo; ſecundo conſummatio facta per Chriſtum, ibi, *Vidit Ieſus Nathanaelem &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur annuntiatio Philippi; ſecundo reſponſio Nathanaelis, ibi, *Et dixit Nathanael*; tertio conſequens admonitio Philippi, ibi, *Dicit ei Philippus*. Circa primum attende, quod ſicut Andreas perfecte converſus ſtuduit adducere fratrem ſuum ad Chriſtum, ita & Philippus fratrem ſuum Nathanaelem: & ideo dicit: *Invenit Philippus Nathanaelem*: quem forte quærebat, ſicut Andreas Petrum quæſierat: quod fuit ſignum perfectæ converſionis. *Et dixit ei*. Nathanael interpretatur donum Dei; & quod aliquis ad Chriſtum convertatur, ex dono Dei eſt. Annuntiat autem ei omnes prophetias, & legem complementum habere, & deſideria ſanctorum patrum non eſſe fruſtrata, ſed eſſe verificata, & quod eorum deſideriis erat promiſſum a Deo, iam adimpletum eſſe: *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetis, invenimus Ieſum*: per quod datur intelligi quod Nathanael erat ſatis peritus in lege, & quod etiam Philippus iam inſtructus de Chriſto, voluit Nathanaelem ex ſibi notis, ſcilicet ex lege, & Prophetis, inducere ad Chriſtum: & ideo dicit: *Quem ſcripſit Moyſes &c.* Moyſes enim de Chriſto ſcripſit. Infra v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Similiter Prophetæ de Chriſto ſcripſerunt. Act. x. 43. „ Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. " Etiam attende, quod tria dicit de Chriſto Philippus, legi, & Prophetis conſona. Primo quidem nomen: unde dixit: *Invenimus Ieſum*: & hoc conſonat Prophetis. Eſa. xix. 20. „ Mittam eis ſalvatorem &c. " Habac. ult. 18. „ Exultabo in „ Deo Ieſu meo. " Secundo vero genus, unde duxit originem humanam, cum dicit, *Filium Ioſeph*, ſcilicet qui erat de domo David & familia. Et quamvis ex eo Chriſtus originem non duxerit, tamen ex Virgine duxit, quæ erat de eadem progenie cum Ioſeph. Vocat autem filium Ioſeph, quia eius filius æſtimabatur eſſe, cui ſcilicet deſponſata erat mater eius. Unde dicitur Luc. iii. 23. „ Ut pu„ tabatur filius Ioſeph. " Nec mirum, ſi Philippus vocabat eum filium Ioſeph, cum & mater eius divinæ incarnationis conſcia, ipſum eius filium diceret, Luc. ii. 48. „ Pater tuus, „ & ego dolentes quærebamus te. " Et ſi quidem aliquis filius alicuius vocatur, quia nutritur ab ipſo, Ioſeph multo amplius pater Ieſu dici poterat, licet ſecundum carnem pater non eſſet: quia & eum nutriverat, & ſponſus matris virginis erat. Dicitur autem hic a Philippo non tamquam de commixtione Ioſeph, & Virginis natus eſſet, ſed quia ſciebat Chriſtum de generatione David naſciturum, de cuius domo, & familia erat Ioſeph, cui deſponſata erat Maria. Et hoc etiam conſonat Prophetis. Hier. xxiii. 5. „ Suſcitabo David germen iuſtum &c. " Tertio commemorat patriam, dicens, *A Nazareth*: non quia in ea natus eſſet, immo in Bethlehem, ſed quia in ea erat nutritus: quia enim nativitas eius multis erat incognita, locus autem ubi nutritus erat, cognitus erat multis, ideo Philippus Bethlehem tacuit, & poſuit,

(a) *Al.* ut ad capiendas.

fuit Nazareth ; & hoc quidem conſonat dictis Prophetarum : nam Eſa. xi. 1. „ Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos (ſive Nazaræus , ſecundum aliam litteram) de radice eius aſcendet. “

(c) Conſequenter cum dicit , *Et dixit ei Nathanael &c.* ponitur reſponſio Nathanaelis : quod quidem poteſt legi & aſſertive , & interrogative ; & utroque modo huiuſmodi reſponſio congruit verbis Philippi. Si enim, ſecundum quod Auguſtinus vult , legatur aſſertive , eſt ſenſus : *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*; ideſt , a civitate tanti nominis poteſt eſſe quod aliquid ſummæ gratiæ nobis oriatur, ſeu aliquis Doctor eximius , qui florem virtutum, & munditiam ſanctitatis nobis prædicet. Nazareth enim flos interpretatur. Ex quo datur intelligi quod Nathanael doctiſſimus in lege , ſcrutatus Scripturas , prænoſcem quod de Nazareth expectandus eſſet Salvator, quod non facile alii ſcribæ, & phariſæi noverant ; & ideo , cum Philippus diceret , *Invenimus Ieſum a Nazareth* , erectus in ſpem , reſpondit : Vere a Nazareth poteſt eſſe &c. Si vero legatur , ſecundum Chryſoſtomum , interrogative , tunc eſt ſenſus : *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*? quaſi dicat : Omnia alia quæ dicis credibilia videntur eſſe, quia & nomen, & genus Prophetis conſonat; ſed hoc quod dicis , *A Nazareth*, non videtur poſſibile : Nathanael enim habuerat per Scripturas, quod a Bethlehem oportet Chriſtum venire, ſecundum illud (*a*) Matth. 11.6. „ Et tu Bethlehem terra Iuda , nequaquam minima es in principibus Iuda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſrael . “ Et ideo non inveniens convenire enuntiationem Philippi cum prophetica prædicatione , prudenter , & manſuete de veritate dicti interrogat : *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*?

Conſequenter ponitur admonitio Philippi : *Dixit ei Philippus : Veni, & vide*: quæ quidem admonitio utrique reſponſioni Nathanaelis convenit. Aſſertive quidem, ut dicatur: Tu dicis quod a Nazareth poteſt aliquid boni eſſe, ſed ego dico, quod illud bonum quod tibi annuntio, tantum & tam magnificum eſt quod ego exprimere non valeo ; (*b*) & ideo *veni , & vide*. Interrogative autem legitur ſic. Tu admirando dicis : *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*? reputans hoc eſſe impoſſibile ſecundum Scripturas ; ſed ſi experiri volueris quæ ego expertus ſum , intelliges vera eſſe quæ dico ; & ideo *veni , & vide* . Trahit quidem Philippus Nathanaelem ad Chriſtum, eius interrogationibus non fractus, qui ſcit de reliquo eum non contradicturum , ſi verba , & doctrinam Chriſti guſtaverit : & in hoc Philippus Chriſtum ſecutus eſt, qui ſuperius interrogantibus eum de habitaculo , reſpondit: *Venite, & videte* . Pſal. xxxiii. 6. „ Accedite ad eum, & illuminamini . “

(d) Conſequenter cum dicit , *Vidit Ieſus Nathanaelem*, ponitur conſummatio fructus per Chriſtum . Sciendum autem , quod aliqui dupliciter convertuntur ad Chriſtum : quidam per miracula viſa , & experta in ſe , ſive in aliis ; quidam vero per ſpirationes internas , & per prophetiam , & prænoſcentiam occultorum futurorum . Sed efficacior eſt modus per prophetias, & prænoſcentiam futurorum converti , quam per miracula. Ipſi enim dæmones , & aliqui homines eorum auxilio , aliqua mira prætendere poſſunt ; ſed futura prædicere ſolius divinæ virtutis opus eſt . Eſai. xli. 23. „ Ventura quoque annuntiate , & dicemus quod dii eſtis. “ I. Corinth. xiv. 22. „ Prophetiæ datæ ſunt fidelibus . “ Et inde eſt quod Dominus non per miracula , ſed per prænuntiationem occultorum Nathanaelem ad fidem trahit ; & ideo dicit de eo : *Ecce vere Iſraelita , in quo dolus non eſt*: ubi tria occulta ei inſinuat , ſcilicet occulta præſentia , quæ ſunt in corde , præterita facta , & futura cæleſtia : quæ quidem tria ſcire , divinum eſt , non humanum opus . Occulta quidem præſentia inſinuat ei , cum dicit : *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt*: ubi quidem primo ponitur Chriſti prænuntiatio ; ſecundo vero Nathanaelis inquiſitio, ibi, *Unde me noſti*? Dicit ergo circa primum: *Vidit Ieſus Nathanaelem venientem ad ſe*; quaſi dicat: Antequam ad ipſum perveniret , *dixit de eo : Ecce vere Iſraelita &c.* Dixit autem hoc de eo antequam ad ipſum perveniret, quia ſi dixiſſet hoc poſtquam ad Ieſum perveniſſet , potuiſſet credere Nathanael quod hoc Ieſus audiviſſet a Philippo . Dixit autem : *Ecce vere Iſraelita , in quo dolus non eſt* : Iſrael autem duas interpretationes habet . Uno enim modo interpretatur rectiſſimus. Eſa. xliv. 2. „ Noli timere ſerve meus rectiſſime, quem elegi : “ ubi dicit Gloſsa , quod Iſrael interpretatur rectiſſimus. Alio modo Iſrael interpretatur vir videns Deum . Et ſecundum utrumque , Nathanael eſt vere Iſraelita : quia enim ille dicitur rectus in quo non eſt dolus (*c*) ideo dicitur *vere Iſraelita , in quo dolus non eſt*; quaſi dicat: Vere repræſentas genus tuum , quia tu es rectus , & ſine dolo . (*d*) Quia vero per munditiam , & ſimplicitatem homo

(a) *Al.* Mich. 11. (b) *Al.* & ideo dicit, *Veni &c.* (c) *Al. deeſt* ideo dicitur. (d) *Al.* Quod.

homo Deum videt, ideo dixit: *Vere Iſraelita*; ideſt, tu es vir vere videns Deum, quia tu es ſimplex, & ſine dolo. Dixit autem, *In quo dolus non eſt*, ne credatur quod malitioſe dixerit: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* (*a*) quaſi interrogans. Auguſtinus autem aliter exponit. Manifeſtum eſt enim quod omnes ſub peccato naſcuntur. Illi ergo dicuntur doloſi qui peccatum habentes in corde, exterius fingunt ſe iuſtos; qui vero peccator eſt, & ſe peccatorem confitetur, non eſt doloſus. Dixit ergo: *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt*: non quod peccatum non haberet, non quod illi medicus neceſſarius non eſſet, quia nemo ſic natus eſt ut nullo medico indigeat; ſed in eo confeſſionem peccati laudavit.

Conſequenter cum dicit, *Unde me noſti?* ponitur Nathanaelis inquiſitio. Admirans enim Nathanael virtutem Dei in occultorum manifeſtatione: quia hoc ſolius Dei eſt; Hier. xvii. 9. „ Pravum eſt cor hominis, & in„ ſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego „ Dominus ſcrutans cor, & probans renes: " & I. Reg. xvi. 17. „ Homines vident ea quæ „ parent, Deus autem intuetur cor: " ideo quærit: *Unde me noſti?* in quo commendatur Nathanaelis humilitas: quia licet laudaretur, non eſt elatus; ſed laudem propriam ſuſpectam habuit: contra quod dicitur Eſa. iii. 12. „ Popule meus, qui beatum te di„ cunt, ipſi te decipiunt. " (*b*) Præterita vero abſentia inſinuat, cum dicit: *Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te*: ubi primo ponitur denuntiatio Chriſti; ſecundo confeſſio Nathanaelis, ibi, *Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei*. Circa primum ſciendum eſt, quod Nathanael poſſet habere duplicem ſuſpicionem de Chriſto: unam quod dixiſſet Chriſtus præmiſſa, volens ei blandiri, & ad amicitiam ſuam trahere; aliam quod ea quæ dixit ſupra, ab alio cognoviſſet. Ut ergo ſuſpicionem auferat, & ad altiora erigat, illa occulta manifeſtat quæ nullus niſi divinitus ſcire potuiſſet, ea videlicet quæ ſtatim circa ipſum Nathanaelem contigerant: & hoc eſt quod dicit: *Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te*. Ad litteram enim, ſub arbore fici fuerat Nathanael, cum a Philippo vocaretur: quod Chriſtus virtute divinitatis coniecerat: quia, ut dicitur Eccli. xxiii. 28. „ oculi Domini „ multo lucidiores ſuper ſolem. " Myſtice autem per ficum deſignatur peccatum: tum quia invenimus arborem fici maledictam folia ſola habentem, & non fructum, Matth. xxi. quod factum eſt in figuram peccati; tum quia Adam & Eva cum peccaſſent, de foliis ficus perizomata fecerunt. Dicit ergo: *Cum eſſes ſub ficu*; ideſt, ſub umbra peccati antequam ad gratiam vocatus eſſes; *ego vidi te*, ſcilicet oculo miſericordiæ: nam ipſa Dei prædeſtinatio oculo pietatis reſpicit prædeſtinatos ſub peccatis viventes. Epheſ. i. 4. „ Ele„ git nos ante mundi conſtitutionem &c. " Et de iſto oculo loquitur hic, *Vidi te*, prædeſtinando ſcilicet ab æterno. Vel ſecundum Gregorium: *Cum eſſes ſub ficu*, ideſt ſub umbra legis, *vidi te*, Heb. x. 1. „ Umbram ha„ bens lex futurorum bonorum &c. " Statim autem Nathanael ad hoc converſus, & virtutem divinitatis in Chriſto cognoſcens, in vocem confeſſionis, & laudem prorumpit, dicens: *Rabbi, tu es Filius Dei*: ubi tria conſiderat de Chriſto. Scilicet plenitudinem ſcientiæ, cum dicit, *Rabbi*, quod interpretatur magiſter; ac ſi dicat, perfectus es in ſcientia. Iam præſentiebat quod dicitur Matth. xxiii. 10. „ Magiſter veſter unus eſt Chri„ ſtus. " Secundo excellentiam ſingularis gloriæ, cum dicit, *Tu es Filius Dei*. Nam quod homo ſit filius Dei per adoptionem, non eſt niſi gratiæ; (*c*) & etiam eſſe filium Dei per unionem, quod eſt proprium homini Chriſto, per gratiam eſt; quia non ex aliquibus præcedentibus meritis, ſed per gratiam unionis homo ille eſt filius Dei. Tertio vero immenſitatem potentiæ, cum dicit: *Tu es Rex Iſrael*, ideſt expectatus ab Iſrael in Regem, & defenſorem. Dan. vii. 14. „ Poteſtas eius, „ poteſtas æterna &c. "

Sed circa hoc inſurgit quæſtio, ſecundum Chryſoſtomum. Cum Petrus, qui poſt multa miracula, poſt magnam doctrinam confeſſus fuit quod hic confitetur Nathanael de Chriſto, *Tu es Filius Dei*, meruit beatificari, dicente Domino (Matth. xvi. 17. „ Bea„ tus es Simon Bariona &c. " cur & Nathanael, qui ſimile dixerat ante viſa miracula, & perceptam doctrinam, beatificatus non fuit? Et ad hoc reſpondet Chryſoſtomus, quod huius cauſa eſt, quia licet eadem verba Nathanael, & Petrus protulerint, non tamen fuit eadem intentio utriuſque. (*d*) Petrus quidem confeſſus fuit, Chriſtum eſſe Filium Dei verum per naturam, ut ſcilicet ſic eſſet homo quod tamen eſſet verus Deus; hic autem confeſſus eſt eſſe filium Dei per adoptionem, ſecundum illud Pſal. lxxxi. 6.

„ Ego

(a) *Al.* ſed dubitans de veritate ſolicitus. (b) *Al.* Praterea vero. (c) *Al.* & te eſſe. (d) *Al.* Petrus quidem confeſſus fuit Chriſtum eſſe Filium Dei verum per naturam, non a ſemetipſo loquens, ſed paterna inſpiratus gratia, totus ſpiritualis effectus eſt, ut ſcilicet ſic eſſet homo &c.

„ Ego dixi: Dii eſtis, & filii excelſi omnes. “ Et hoc patet per verba ſequentia. Si enim intellexiſſet eum eſſe Filium Dei per naturam, non (*a*) dixiſſet, *Tu es Rex Iſrael* ſolum, ſed totius mundi. Hoc etiam patet, quia ad fidem Petri Chriſtus (*b*) nihil addidit, quaſi perfectam exiſtentem; ſed Eccleſiam dixit ſe fabricaturum eſſe in confeſſione illius. Sed Nathanaelem, quaſi maiori parte ſuæ confeſſionis deficiente, elevat ad maiora, ſcilicet ad cognitionem divinitatis ſuæ: unde dixit: *Maius his videbis*.

Ubi notatur tertium, ſcilicet inſinuatio futurorum; quaſi dicat: Quia dixi tibi præterita, credis me eſſe Filium Dei per adoptionem, & Regem Iſrael tantum; ſed ducam te ad maiorem cognitionem, ut ſcilicet credas me Filium Dei naturalem, & Regem omnium ſæculorum. Et ideo ſequitur: *Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper Filium hominis*: ubi, ſecundum Chryſoſtomum, vult probare Dominus quod ſit (*c*) verus Dei Filius, & Deus. Angelorum enim eſt proprium miniſtrare, & ſubiici. Pſal. CII. „ Benedicite Domino omnes Angeli eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. “ Cum ergo videbitis, quod Angeli adminiſtrabunt mihi, certum erit vobis quod ſum verus Filius Dei. Heb. I. 6. „ Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. “

Sed quando viderunt hoc Apoſtoli? Viderunt, inquam, in paſſione, quando Angelus affuit illi, conſortans eum, Luc. XXII. Item in reſurrectione, quando Apoſtoli invenerunt duos Angelos ſtantes ſupra ſepulcrum. Similiter in aſcenſione, quando dixerunt Apoſtolis, Act. I. 11. „ Viri Galilæi, quid admiramini aſpicientes in cælum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. “

Et quia de præteritis ei vera iam dixerat, magis ei credibile fuit quod prænuntiat de futuro, cum dicit, *Videbitis*: evidens enim argumentum eſt vera dicere de futuris qui de occultis præteritis manifeſtaverat veritatem. Dicit autem: *Super Filium hominis Angelos aſcendentes, & deſcendentes*: quia ſecundum carnem mortalem paulo minoratus eſt ab Angelis; & intantum Angeli aſcendunt, & deſcendunt ſupereum; ſed ſecundum quod eſt Filius, (*d*) Dei, ipſe ſuper Angelos eſt, ut dictum eſt. Secundum Auguſtinum autem, pulchre in verbis prædictis ſuam divinitatem manifeſtat. Legitur enim Gen. XXVIII. 12. quod „ Iacob vidit ſcalam, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes. “ Et Iacob intelligens quid vidit, ſurgens unxit lapidem oleo, & deinde dixit: „ Vere Dominus eſt in loco iſto. “ Lapis iſte Chriſtus eſt, quem reprobaverunt ædificantes; & eſt unctus oleo inviſibili Spiritus ſancti; ſed erigitur in titulum, quia futurus erat Eccleſiæ fundamentum, ut dicitur I. ad Corinth. III. 11. „ Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt. “ Angeli autem aſcendunt, & deſcendunt, inquantum ei adſunt obſequendo, & miniſtrando. Dixit ergo: *Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum &c.* quaſi dicat: Quia vere Iſraelita es, attende ad id quod Iſrael vidit, ut ſcilicet credas me illum eſſe qui eſt ſignificatus per unctum lapidem a Iacob: nam tu etiam videbis ſuper ipſum Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Vel Angeli ſunt prædicatores, ſecundum Auguſtinum, prædicantes Chriſtum: Eſa. XVIII. 2. „ Ite veloces Angeli ad gentem convulſam, & dilaceratam: “ qui quidem aſcendunt per contemplationem, ſicut Paulus aſcenderat uſque ad tertium cælum, ut dicitur II. Corinth. XII. & deſcendunt per proximorum eruditionem: *ſuper Filium hominis*, ideſt ad honorem Chriſti: quia, ut dicitur II. Corinth. IV. 5. „ Non enim prædicamus nos ipſos, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. “ (*e*) Sed ut aſcendant, & deſcendant, apertum eſt cælum, quia oportet quod gratia cæleſtis detur prædicatoribus, ut aſcendant, & deſcendant. Pſal. LXVII. 9. „ Cæli diſtillaverunt &c. “ Apoc. IV. 1. „ Poſtea vidi cælum apertum &c. “ Ratio autem quare Nathanael non eligitur in Apoſtolum poſt tantam fidei confeſſionem, iſta eſt, quia Chriſtus noluit quod mundi converſio ad fidem, aſcriberetur humanæ ſapientiæ, ſed ſolum potentiæ Dei. Et ideo non voluit Nathanaelem in lege peritiſſimum, in Apoſtolum eligere; ſed ſimplices, & indoctos elegit; ut dicitur I. Corinth. I. 26. „ Non multi ſapientes ... Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus. “

(*a*) *Al.* induxiſſet. (*b*) *Al.* in hoc addidit. (*c*) *Al.* vere. (*d*) *Al.* deeſt Dei. (*e*) *Al.* Sed ut aſcendant apertum eſt cælum.

CAPITIS SECUNDI

LECTIO I.

(a) ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.
(b) Et erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias.
(c) Et deficiente vino, dixit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.
(d) Dixit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi eſt, mulier? Nondum venit hora mea.
(e) Dixit mater eius miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.
(f) Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas.
(g) Dixit eis Ieſus: Implete hydrias aqua; & impleverunt eas uſque ad ſummum.
(h) Et dixit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte architriclino, & tulerunt.
(i) Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet (miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam) vocat ſponſum architriclinus; & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt; tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.
(k) Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam; & crediderunt in eum diſcipuli eius.

(a) SUpra Evangeliſta oſtendit dignitatem Verbi incarnati, & evidentiam eius multipliciter; hic conſequenter incipit determinare de effectibus & operibus quibus manifeſtata eſt mundo divinitas Verbi incarnati. Et primo narrat ea quæ Chriſtus fecit in mundo (a) vivendo, ad manifeſtationem ſuæ divinitatis; ſecundo quomodo Chriſtus ſuam divinitatem monſtravit moriendo; & hoc a XII. cap. & ultra. Circa primum duo facit: primo enim oſtendit Chriſti divinitatem quantum ad dominium quod habuit ſupra naturam; ſecundo quantum ad effectus gratiæ, & hoc in III. cap. ibi, *Erat homo ex phariſæis Nicodemus nomine &c.* Dominium autem Chriſti ſuper naturam proponitur nobis per hoc quod naturam mutavit: quæ quidem mutatio facta eſt a Chriſto in ſignum primo diſcipulis ad confirmandum; ſecundo vero turbis ad credendum, ibi, *Poſt hoc deſcendit Capharnaum*. Mutatio autem naturæ ad confirmandos diſcipulos (b) in nuptiis facta eſt, in quibus convertit aquam in vinum; & hoc eſt quod dicit: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ*: ubi primo deſcribuntur nuptiæ; ſecundo illi qui nuptiis interfuerunt, ibi, *Erat autem mater Ieſu ibi*; tertio deſcribitur ipſum miraculum patratum, ibi, *Et deficiente vino &c.* Deſcribit autem nuptias primo quidem quantum ad tempus: unde dicit: *Et die tertia nuptiæ factæ ſunt*, ſcilicet poſtquam prædicta de vocatione diſcipulorum fecerat. Poſtquam enim manifeſtatus fuerat teſtimonio Ioannis, voluit etiam ſeipſum manifeſtare. Secundo vero, quantum ad locum: unde dicit: *In Cana Galilææ*. Galilæa namque provincia eſt, Cana viculus quidam in ipſa provincia.

Quantum autem ad litteram pertinet, ſciendum eſt, quod circa tempus prædicationis Chriſti eſt duplex opinio. Quidam namque dicunt, quod a baptiſmate Chriſti uſque ad paſſionem eius, fuerint duo anni & dimidius. Et ſecundum hos, hoc quod hic legitur de nuptiis, eodem anno factum eſt quo Chriſtus baptizatus eſt. Sed his contrariatur ſententia, & conſuetudo Eccleſiæ: nam in feſto Epiphaniæ trium miraculorum commemoratio fit: ſcilicet adorationis Magorum, quæ fuit primo anno nativitatis dominicæ; & baptiſmi Chriſti, quo baptizatus eſt eodem die, revolutis triginta annis; & de nuptiis, quæ ſunt factæ eodem die, revoluto anno. Ex quo ſequitur quod ad minus unus (c) annus elapſus fuit a baptiſmo uſque ad nuptias. In quo quidem anno nil aliud legitur Dominus feciſſe niſi quod dicitur Matth. IV. de ieiunio in deſerto, & de tentatione a diabolo, & ea quæ hic Ioannes refert de teſtimonio Baptiſtæ, & converſione diſcipulorum. A nuptiis autem cœpit publice prædicare, & miracu-

(a) *Al.* videndo. (b) *Al.* in quibuſdam nuptiis. (c) *Al. deeſt* annus.

Digitized by Google

racula facere uſque ad paſſionem , ita quod duobus annis cum dimidio publice prædicavit .

Myſtice autem per nuptias intelligitur coniunctio Chriſti & Eccleſiæ : quia, ut dicit Apoſtolus Ephe. v. 32. „ Sacramentum hoc magnum eſt : dico autem in Chriſto , & Eccleſia . " Et illud quidem matrimonium initiatum ſuit in utero virginali , quando Deus Pater Filio humanam naturam univit in unitate perſonæ , unde huius coniunctionis thalamus ſuit uterus virginalis . Pſal. xviii. 6. „ In ſole poſuit tabernaculum ſuum . " De iſtis nuptiis dicitur Matth. xxii. 2. „ Simile eſt regnum cælorum homini regi , qui fecit nuptias filio ſuo: " tunc ſcilicet quando Deus Pater humanam naturam Verbo ſuo copulavit in utero virginali. Publicatum autem ſuit, quando Eccleſia ſibi per fidem coniuncta eſt . Oſeæ ii. 20. „ Sponſabo te mihi in fide &c. " De iſtis nuptiis dicitur Apoc. xix. 9. (a) „Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt . " Conſummatum autem erit , quando ſponſa , ideſt Eccleſia , introducetur in thalamum ſponſi , in cæleſtem ſcilicet gloriam . Nec vacat a myſterio quod die tertio nuptiæ factæ ſunt . Primus namque dies eſt tempus legis naturæ ; ſecundus tempus legis ſcriptæ ; tertius vero dies tempus gratiæ , in quo Dominus incarnatus nuptias celebravit. Oſeæ vi. 3. „ Vivificabit nos poſt duos dies : in die tertia ſuſcitabit nos . " Locus autem congruit myſterio : Cana enim interpretatur zelus ; Galilæa vero tranſmigratio . In zelo ergo tranſmigrationis hæ nuptiæ celebrantur , ut denuntiet eos maxime Chriſti coniunctione dignos exiſtere qui zelo piæ devotionis ferventes tranſmigrant de ſtatu culpæ ad gratiam Eccleſiæ. Eccli. xxiv. 26. „ Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me &c. " Et de morte ad vitam, ideſt de ſtatu mortalitatis , & miſeriæ , ad ſtatum immortalitatis , & gloriæ . Apoc. xxi. 5. „ Ecce nova facio omnia . "

(b) Conſequenter cum dicit , *Erat autem mater Ieſu ibi* , deſcribuntur perſonæ invitatæ: ubi agitur de tribus, ſcilicet de matre , de Ieſu , & de diſcipulis. De matre quidem , cum dicit : *Et erat mater Ieſu ibi* : quæ quidem præmittitur , ut oſtendatur quod Ieſus adhuc ignotus erat , & non vocatus ad nuptias , ſicut inſignis perſona , ſed ex quadam familiaritate, tamquam notus, & unus aliorum: ſicut enim vocaverunt matrem , ita & filium . Vel forte prius invitatur mater, quia ambigebant de Ieſu , an invitatus venturus eſſet ad nuptias propter ſummam religioſitatem, quam videbant in eo , & quia non viderunt eum ſe immiſcuiſſe conviviis: & ideo puto quod primo conſuluerunt matrem , an Ieſus eſſet vocandus . Et ideo ſignanter dixit Evangeliſta primo matrem adeſſe iam in nuptiis , & Ieſum poſtmodum fuiſſe vocatum ; & hoc eſt quod ſequitur , *Vocatus eſt Ieſus* . Voluit autem Chriſtus nuptiis intereſſe primo quidem ut daret nobis humilitatis exemplum: neque enim ad dignitatem ſuam reſpiciebat ; ſed „ quomodo dignatus eſt formam ſervi accipere , ita non dedignatus eſt ad nuptias venire ſervorum: " ut dicit Chryſoſtomus . Et ideo Auguſtinus: „ Erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quoniam factus eſt humilis Deus . " Nam inter cetera humilia quæ fecit Filius Virginis, venit ad nuptias , qui eas, cum eſſet apud Patrem, inſtituit in paradiſo. Et de hoc exemplo dicitur, Matth. xi. 29. „ Diſcite a me quia mitis ſum , & humilis corde . " Secundo vero ut errorem quorumdam excluderet, qui nuptias damnant: quia, ut dicit Beda , „ ſi thoro immaculato, & nuptiis debita caſtitate celebratis, culpa ineſſet, nequaquam Dominus ad has venire voluiſſet . " Quia ergo ad nuptias venit , inſinuat quod ſit damnabilis eorum perfidia qui nuptiis detrahunt . I. Corinth. vii. 36. „ Non peccat mulier , ſi nubat . " De diſcipulis vero agitur , cum dicit, *Et diſcipuli eius*.

Myſtice autem in nuptiis ſpiritualibus eſt mater Ieſu, Virgo ſcilicet Beata , ſicut nuptiarum conſiliatrix, quia per eius interceſſionem coniungitur Chriſto per gratiam. Eccli. xxiv. 25. „ In me omnis ſpes vitæ , & virtutis . " Chriſtus autem , ſicut verus animæ ſponſus , ut dicitur infra iii. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt* . Diſcipuli vero ut paranymphi , quaſi coniungentes Eccleſiam Chriſto , (b) de quo uno dicebatur II. Corinth. xi. 2. „ Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto . "

(c) Et quia in iſtis nuptiis materialibus aliquid de miraculo pertinet ad matrem , aliquid ad Chriſtum , & aliquid ad diſcipulos, ideo conſequenter cum dicit, *Et deficiente vino &c.* oſtendit quid pertineat ad matrem , quid ad Chriſtum , & quid ad diſcipulos. Ad matrem quidem pertinet miraculi procuratio; ad Chriſtum autem miraculi conſummatio , & hoc ibi , *Erant ibi lapideæ hydriæ ſex &c.* ad diſcipulos vero miraculi conteſtatio, ibi, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus* . Geſſit ergo , quantum ad primum , mater Chri-

(a) *Al.* „ Beati qui ad cœnam nuptiarum agni &c. venerunt nuptiæ agni &c. " (b) *Al.* de quibus unus dicebat.

Digitized by Google

Chriſti, mediatricis perſonam; & ideo duo facit: primo enim interpellat ad filium; ſecundo erudit miniſtros, ibi, *Et dicit mater eius miniſtris &c.* Circa primum quidem duo ponuntur. Primo matris interpellatio; ſecundo filii reſponſio, ibi, *Dixit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi eſt, mulier?* In matre autem interpellante, primo quidem nota pietatem, & miſericordiam: ad miſericordiam enim pertinet ut quis defectum alterius reputet quaſi ſuum: miſericors enim dicitur, quaſi miſerum habens (a) cor ſuper miſeria alterius. II. Corinth. xi. 29. „ Quis infirmatur, „ & ego non infirmor? " Quia ergo Virgo Beata miſericordia plena erat, defectus aliorum ſublevare volebat; & ideo dicit: *Deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum.* Secundo reverentiam eius ad Chriſtum: ex reverentia enim quam ad Deum habemus, ſufficit nobis ei tantum defectus noſtros exponere, ſecundum illud Pſal. xxxvii. 10. „ Domine, ante „ te omne deſiderium meum. " Qualiter autem nobis Deus ſubveniat, non eſt noſtrum inquirere: quia, ſicut dicitur Rom. viii. 26. „ Nam quid oremus, ſicut oportet, neſci„ mus. " Et ideo mater eius defectum aliorum ſimpliciter expoſuit, dicens: *Vinum non habent.* Tertio Virginis ſolicitudinem, & diligentiam: quia uſque ad extremam neceſſitatem non diſtulit; ſed *deficiente vino*, ideſt dum eſſet in deficiendo; iuxta illud quod dicitur in Pſal. ix. 10. (b) de Deo: „ Adiutor „ in opportunitatibus, in tribulatione. "

Sed quærit Chryſoſtomus: Quare ante non incitavit Chriſtum ad miracula? nam de virtute eius erat inſtructa per Angelum, & confirmata per multa quæ viderat circa ipſum fieri, quæ omnia conſervabat, conferens in corde ſuo, ut dicitur Luc. ii. Cuius ratio eſt, quia antea ut unus aliorum converſabatur: unde quia non viderat tempus opportunum, hoc facere diſtulit. Nunc vero poſt Ioannis conteſtationem, & poſt diſcipulorum converſionem, confidenter Chriſtum ad miracula facienda provocat, gerens in hoc figuram ſynagogæ, quæ eſt mater Chriſti: nam familiare eſt Iudæis miracula requirere. I. Corinth. i. 12. „ Iudæi ſigna (c) petunt. "

Dicit ergo ei: *Vinum non habent.* Ubi ſciendum eſt, quod ante incarnationem Chriſti, triplex vinum deficiebat, ſcilicet iuſtitiæ, ſapientiæ, & caritatis, ſeu gratiæ. Vinum enim mordicat, & quantum ad hoc iuſtitia dicitur vinum. Luc. x. Samaritanus vinum, & oleum appoſuit vulneribus ſauciati, ideſt cum dulcedine miſericordiæ ſeveritatem iuſtitiæ. Pſal. lix. 5. „ Potaſti nos vino com„ punctionis. " Vinum etiam lætificat cor, iuxta illud Pſal. ciii. 15. „ Vinum lætificat „ cor hominis. " Et quantum ad hoc dicitur vinum (d) ſapientia, cuius meditatio maxime lætificat. Sap. viii. 16. „ Non habet „ amaritudinem convictus illius. " Vinum ſimiliter inebriat. Cant. v. 1. „ Bibite amici, „ & inebriamini cariſſimi: " & ſecundum hoc caritas dicitur vinum. Cant. v. 1. „ Bibi „ vinum meum cum lacte meo. " Et dicitur caritas etiam vinum ratione fervoris. Zach. ix. 17. „ Vinum germinans virgines. " Et quidem iuſtitiæ vinum deficiebat in veteri lege, in qua iuſtitia imperfecta erat. Sed Chriſtus eam perfecit. Matth. v. 20. „ Niſi abunda„ verit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, „ & phariſæorum, non intrabitis in regnum „ cælorum. " Deficiebat etiam vinum ſapientiæ, quæ erat occulta, & figuralis: quia, ut dicitur I. Corinth. x. 11. „ Omnia in fi„ gura contingebant illis. " Sed Chriſtus eam manifeſtavit. Matth. vii. 29. „ Erat enim do„ cens eos, ſicut poteſtatem habens. " Sed & vinum caritatis deficiebat ibi: quia acceperant ſpiritum ſervitutis tantum in timore. Sed Chriſtus aquam timoris convertit in vinum caritatis, quando dedit „ ſpiritum ad„ optionis filiorum, in quo clamamus, Abba „ pater: " ut dicitur Rom. viii. 15. " & quando „ caritas Dei diffuſa eſt in cordi„ bus noſtris: " (e) ut dicitur Rom. v. 5.

(d) Conſequenter cum dicit, *Dixit ei Ieſus &c.* ponitur reſponſio Chriſti: ex qua quidem reſponſione triplicis hæreſis occaſio ſumpta eſt. Manichæi namque (f) dicunt, Chriſtum non habuiſſe verum corpus, ſed phantaſticum. Valentinus (g) aſſerit, Chriſtum attuliſſe corpus cæleſte, dicens, quod quantum ad corpus, Chriſtus nihil pertinet ad Virginem. Et huius erroris fulcimentum ſumit per hoc quod dicit ei Ieſus: *Quid mihi, & tibi eſt, mulier?* quaſi dicat: Nihil a te ſuſcepi. Sed hoc eſt contra auctoritatem ſacræ Scripturæ: (h) dicit enim Apoſtolus, Gal. iv. 4. „ Miſit Deus Filium ſuum, factum ex mu„ liere: " non enim poſſet dici ex ea factus, niſi ex ea aliquid ſumpſiſſet (i) Arguit præterea contra eos Auguſtinus, dicens: „ Quomodo „ ſcis, quod Dominus dixit: *Quid mihi, &* „ *tibi?* Reſpondes, quia Ioannes Evangeliſta „ hoc narrat. Sed ipſe etiam Ioannes Evangeliſta di„ cit de Virgine quod erat mater eius. Si „ ergo credis Evangeliſtæ in eo quod nar„ rat

(a) *Al.* cor ſuum miſeria alterius. (b) *Al.* de eo. (c) *Al.* quærunt. (d) *Al. deeſt* ſapientia. (e) *Al.* ita. (f) *Al.* dicens. (g) *Al.* aſſerens. (h) *Al.* dicitur enim Galat. iv. &c. (i) *Al.* Arguit autem primo contra eos.

Digitized by Google

„ rat Ieſum dixiſſe matri, *Quid mihi, & „ tibi eſt, mulier*? credas etiam in hoc ei „ quod dicit: *Et erat mater Ieſus ibi*. “ Ebion autem dicens ex virili ſemine Chriſtum conceptum, & Elvidius, qui dicit, quod Virgo poſt partum non permanſit virgo; ſumpſerunt erroris fulcimentum ex hoc quod dicit, *Mulier*, quod videtur corruptionem importare. Sed hoc eſt falſum, quia mulier in ſacra Scriptura quandoque importat ſolum ſexum femineum, ſecundum illud Gal. IV. 4. „ Factum ex muliere &c. “ Et hoc patet etiam per hoc quod Adam ad Deum loquens de Eva, dixit: „ Mulier quam dediſti „ mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & co„ medi: “ Gene. III. 12. Conſtat enim tunc Evam adhuc virginem fuiſſe, cum adhuc eſſet in paradiſo, ubi non cognoverat eam. Unde hoc quod hic dicitur, *Mulier*, non importat corruptionem, ſed determinat ſexum. Sumpſerunt etiam Priſcillianiſtæ erroris occaſionem ex hoc quod dixit, *Nondum venit hora mea*, dicentes, omnia ex fato accidere, & facta hominum certis horis eſſe ſubiecta, & etiam Chriſti: unde propter hoc dixit: *Nondum venit hora mea*. Sed hoc eſt falſum de quolibet homine: cum enim homo liberam electionem habeat; libera autem electio competat ei ex hoc quod rationem, & voluntatem habet, quæ quidem ſunt immaterialia: manifeſtum eſt quod homo quantum ad electionem nulli corpori ſubiicitur, ſed potius dominatur: immaterialia enim nobiliora ſunt materialibus: & ideo dicit Philoſophus, quod ſapiens dominatur aſtris. (*a*) Præterea hoc multo minus locum habet in Chriſto, qui eſt dominus, & conditor ſiderum: unde per hoc quod dixit, *Nondum venit hora mea*, intelligitur (*b*) hora paſſionis, ſibi, non ex neceſſitate, ſed ſecundum divinam providentiam determinata. Contra eos etiam eſt quod dicitur Eccli. XXXIII. 7. „ Quare dies diem (*c*) „ ſuperat? “ Reſpondet: „ A Domini ſcien„ tia ſeparati ſunt; “ ideſt, divina providentia diſtincti ſunt adinvicem, non a caſu.

His ergo excluſis inveſtigemus huius dominicæ reſponſionis cauſam. *Quid mihi, & tibi eſt, mulier*? Et quidem, ſecundum Auguſtinum, in ipſo ſunt duæ naturæ, divina ſcilicet, & humana; & quamvis idem Chriſtus ſit in utraque natura, ea tamen quæ conveniunt ei ſecundum humanam naturam, (*d*) diſtincta ſunt ab his quæ conveniunt ei ſecundum divinam. Miracula autem facere competit ei ſecundum divinam naturam, quam accepit a Patre; pati vero ſecundum humanam, quam accepit a matre: & ideo matri exigenti miraculum, reſpondit dicens: *Quid mihi, & tibi eſt, mulier*? ac ſi dicat: Illud quod in me facit miracula, non accepi a te, ſed illud unde patior; ideſt, ſecundum quod competit mihi pati, ſcilicet humanam naturam, a te accepi: & ideo tunc te cognoſcam, cum ipſa infirmitas pendebit in cruce: & ideo ſubdit: *Nondum venit hora mea*; quaſi dicat: Cum venerit hora paſſionis, ibi te matrem recognoſcam. Unde & in cruce pendens matrem diſcipulo commendavit. Secundum Chryſoſtomum vero, aliter exponitur. Dicitur enim quod Beata Virgo fervens zelo honoris filii, voluit quod ſtatim antequam opportunum eſſet, Chriſtus miracula faceret; (*e*) & ideo Chriſtus matre haud dubio ſapientior eam repreſſit. (*f*) Noluit enim prius facere miraculum, quam ſciretur defectus: quia ex hoc (*g*) fuiſſet minus notum, & minus credibile; & ideo dicit: *Nondum venit hora mea*; ideſt, nondum cognitus ſum his qui adſunt. Sed neque defectum vini ſentiunt: ſine ergo primo hoc ſentire: quia cum neceſſitatem cognoverint, maius reputabunt beneficium quod recipient.

(c) Quamvis autem mater repulſa ſit, tamen de filii miſericordia non diffidit; ideo conſequenter monet miniſtros, dicens: *Quodcumque dixerit vobis, facite*: in quo quidem conſiſtit totius iuſtitiæ perfectio. Perfecta namque iuſtitia eſt Chriſto in omnibus obedire. Exod. XXIX. 35. „ Omnia quæ præcepit nobis „ Dominus faciemus. “ Hoc autem verbum, *Omnia quæcumque dixerit vobis facite*, non convenit dici, niſi de ſolo Deo: homo enim aliquando poteſt errare. Unde in talibus quæ ſunt contra Deum, hominibus obedire non tenemur. Act. V. 29. „ Oportet obedire Deo „ magis quam hominibus. “ Deo autem qui non errat, nec falli poteſt, in omnibus obedire debemus.

(f) Conſequenter cum dicit, *Erant autem ibi lapideæ hydriæ*, ponitur conſummatio miraculi per Chriſtum: circa quod primo deſcribuntur vaſa in quibus miraculum patratum eſt; ſecundo deſignatur materia miraculi, ibi, *Dixit eis Ieſus: implete hydrias aqua*; tertio inſinuatur miraculi demonſtratio, & approbatio, ibi, *Dixit eis Ieſus, Haurite nunc*. Vaſa autem in quibus miraculum patratum eſt, ponuntur ſex; & hoc eſt quod dicit: *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex*. Ubi ſciendum eſt, quod ſicut Matth. VII. dicitur, Iudæi obſervabant multas ablutiones corporales, & baptiſ-

(a) *Al.* Sed & præterea. (b) *Al.* hora paſſionis ſuæ, non ex neceſſitate &c. (c) *Al.* ſeparat. (d) *Al.* omittitur diſtincta. (e) *Al.* & ideo Chriſtus matrem hoc dubio ſapientiori cauſa repreſſit. (f) *Al.* Voluit. (g) *Al.* fuiſſet minus credibile.

Digitized by Google

pt iſmata calicum & vaſorum: unde quia erant in Palæſtina, in qua eſt defectus aquarum, habebant vaſa in quibus ſervabatur aqua puriſſima, qua ſe, & vaſa crebro lavarent: & ideo dicit, quod *erant ibi ſex lapideæ hydriæ*, ideſt vaſa ad conſervandum aquam, ab hydros, quod eſt aqua, *poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum*, ideſt ad uſum purificationis, *capientes ſingulæ metretas*, ideſt menſuras, *binas*, *vel ternas*: metros enim Græce, menſura Latine dicitur: &, ut dicit Chryſoſtomus, vaſa iſta deſeruntur ad tollendam miraculi ſuſpicionem: tum propter eorum puritatem, ne poſſet aliquis ſuſpicari quod aqua ſaporem vini ſumpſiſſet ex fæcibus vini prius in eis repoſiti: nam vaſa illa erant *ſecundum purificationem*; & ideo puriſſima oportebat ea eſſe: tum etiam propter vaſorum quantitatem, ut evidenter pateat quod aqua tot vaſorum in vinum mutari non potuiſſet, niſi virtute divina.

Myſtice vero per ſex hydrias ſignificantur ſex ætates veteris teſtamenti, in quibus erant corda hominum receptiva Scripturarum Dei parata, & propoſita in exemplum vivendi, ut dicit Gloſſa. Hoc vero quod dicit *metretas*, ſecundum Auguſtinum, refertur ad Trinitatem perſonarum. Et dicuntur binæ, vel ternæ, quia quandoque in ſacra Scriptura tres perſonæ diſtinctim ponuntur, ſecundum illud Matth. ult. 19. „ Baptizantes eos in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus ſancti. “ Quandoque vero duo tantum, ſcilicet Pater, & Filius, in quibus intelligitur perſona Spiritus ſancti, qui eſt connexio amborum, ſecundum illud infra XIV. 23. *Si quis ſermonem meum ſervabit, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*. Vel binas propter duas conditiones hominum, Iudæorum ſcilicet, & Gentilium, ex quibus propagata eſt Eccleſia. Vel ternas propter tres filios Noe, ex quibus propagatum eſt humanum genus poſt diluvium.

(g) Conſequenter cum dicit, *Dixit eis Ieſus: Implete hydrias aqua*, agitur de miraculi materia.

Sed circa hoc inſurgit quæſtio quare non ex nihilo, ſed ex materia præiacenti hoc miraculum factum eſt: ad quod triplex ratio aſſignatur. Una eſt ſecundum Chryſoſtomum, & litteralis, quia ex nihilo aliquid facere maius eſt & mirabilius, quam facere aliquid ex ſubiecta materia; ſed non eſt ita evidens, & credibile multis. Et ideo volens magis credibile eſſe quod fiebat, ex aqua fecit vinum, capacitati hominum condeſcendens. Alia ratio eſt, ad confutandum perverſa dogmata. Quidam namque ſunt (ut Marcioniſtæ, & Manichæi) qui dixerunt alium eſſe conditorem mundi, quam Deum, & omnia viſibilia ab illo, ideſt diabolo, condita eſſe. Et ideo Dominus plura miracula etiam ex ſubſtantiis creatis, & viſibilibus fecit, ut oſtendat ipſas ſubſtantias bonas eſſe, & a Deo creatas. Tertia ratio eſt myſtica: ideo enim noluit ex nihilo vinum facere, ſed ex aqua vinum fecit, ut oſtenderet ſe non omnino novam doctrinam condere, & veterem reprobare, ſed adimplere: ut dicitur Matth. V. 17. „ Non „ veni ſolvere legem, ſed adimplere: “ dum quod figurabat vetus lex, & promittebat, Chriſtus exhibuit, & aperuit. Luc. ult. 45. „ Aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scri„ pturas. “

Voluit autem per miniſtros hydrias impleri aqua, ut eos, eius quod fiebat, teſtes haberet: unde infra dicitur: *Miniſtri autem ſciebant &c.*

(h) Conſequenter cum dicit, *Et dixit eis Ieſus &c.* ponitur miraculi publicatio: ſtatim enim quod hydriæ impletæ ſunt, aqua in vinum converſa eſt; & ideo ſtatim Dominus miraculum publicat, dicens: *Haurite nunc, & ferte architriclino*: ubi primo ponitur mandatum Chriſti examinatorem eligentis; ſecundo ſententiam architriclini deguſtantis, ibi, *Ut autem guſtavit architriclinus &c.* Dixit ergo eis, ſcilicet miniſtris: *Haurite nunc*, ſcilicet vinum de hydriis, *& ferte architriclino*. Ubi ſciendum eſt, quod triclinium eſt locus ubi ſunt tres ordines menſarum, & dicitur triclinium a triplici ordine lectorum: clinen enim in Græco lectum ſignificat. Nam antiqui in lectis accumbentes conſueverant comedere, ut Maximus Valerius narrat. Et ideo dicunt in Scripturis accumbere, & recumbere. Architriclinus ergo dicitur primus, & princeps inter convivas. Vel aliter, ſecundum Chryſoſtomum, architriclinus erat qui erat ordinator, & diſpenſator totius convivii. Quia vero ſolicitus nondum aliquid guſtaverat, voluit Dominus quod ipſe iudicaret de eo quod factum erat, & non convivæ, ne aliquis poſſet miraculo detrahere, dicens, eos ebrios eſſe, & eorum ſenſus per comeſtionem corruptos, ita quod non poſſent diſcernere, an vinum eſſet, vel aqua. Sed, ſecundum Auguſtinum, architriclinus erat maior inter diſcumbentes, ut dictum eſt; & ideo, ut eius ſententia acceptabilior fieret, voluit in eo quod factum erat habere ſententiam præſidentis.

Myſtice autem, qui hauriunt aquam ſunt prædicatores. Eſa. XII. 3. „ Haurietis aquas „ in gaudio de fontibus Salvatoris. “ Architriclinus autem eſt aliquis legiſperitus, puta Nicodemus, Gamaliel, & Paulus. Dum ergo talibus verbum Evangelii committitur, quod latebat in littera legis, quaſi vinum de aqua fa-

factum architriclino propinatur; qui hoc deguſtans approbat fidem Chriſti.

(i) Conſequenter cum dicit, *Ut autem guſtavit architriclinus*, ponitur examinantis iudicium: ubi primo inquirit veritatem facti; ſecundo profert ſententiam, dicens: *Omnis homo primum bonum vinum ponit*. Dicit ergo: *Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet*: quia ignorabat aquam vinum factam miraculo per Chriſtum: *miniſtri autem ſciebant*: cuius ratio eſt, quia *hauſerant aquam*: *vocat ſponſum architriclinus*: ut veritatem inquirat, & de vino ſententiam proferat: unde ſubdit: *Omnis homo primum bonum vinum ponit &c.* Ubi, ſecundum Chryſoſtomum, hoc conſiderandum eſt in miraculis Chriſti, quod omnia perfectiſſima fuerunt: unde & ſocrui Petri perfectiſſimam ſanitatem reſtituit, ut ſtatim ſurgens miniſtraret, ut dicitur Marc. I. & Matth. IX. Paralyticum etiam ita perfecte ſanitati reſtituit quod ſtatim ſurgens, & ſublato lecto iret in domum ſuam, ut dicitur infra V. Hoc etiam in iſto miraculo apparet: quia non qualecumque vinum de aqua fecit, ſed optimum quod poterat eſſe. Et ideo dicit architriclinus: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt:* quia minus bibunt, & quia vinum bonum in quantitate ſumptum, cum quantitate cibi magis gravat; quaſi dicat: Unde eſt tale vinum, quod tu ſervaſti uſque adhuc? contra conſuetudinem ſcilicet faciens.

Competit autem myſterio: nam aliquis dicitur myſtice primo bonum vinum ponere, qui alios decipere intendens, errorem quem intendit non proponit primo, ſed quæ alliciant auditores, ut poſtquam inebriati, & allecti fuerint ad conſenſum ſuæ intentionis, perfidiam manifeſtet; & de iſto vino dicitur Proverb. XXIII. 31. „ Ingreditur blande, & „ in noviſſimo mordebit ſicut coluber. " Dicitur autem aliquis primo bonum vinum ponere, qui a principio ſuæ converſionis ſancte, & ſpiritualiter vivere incipiens, tandem in vitam carnalem degenerat. Gal. III. 3. „ Sic „ ſtulti facti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, „ nunc carne conſummemini ? " Chriſtus vero non primo vinum bonum ponit: quia a principio amara & dura proponit. Matth. VII. 14. „ Arcta eſt via, quæ ducit ad vi„ tam. " Sed quanto plus homo in eius fide, & doctrina procedit, tanto plus dulcoratur, & maiorem ſuavitatem ſentit. Proverb. IV. II. „ Ducam te per ſemitam æquitatis, quam „ cum ingreſſus fueris non arctabuntur gre„ ſus tui. " Item in mundo iſto amaritudines & tribulationes patiuntur omnes qui pie volunt vivere in Chriſto. Infra XVI. 20. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos &c.* Sed in futuro delectationes, & gaudia ſuſcipient: unde & ſequitur: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Roman. VIII. 18. „ Exi„ ſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones „ huius temporis ad futuram gloriam quæ „ revelabitur in nobis. "

(k) Conſequenter cum dicit, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus*, ponitur miraculi conteſtatio per diſcipulos facta: ex quo habetur, quod falſa eſt Hiſtoria de infantia Salvatoris, in qua recitantur multa miracula facta a Chriſto adhuc puero exiſtente. Si enim hoc verum eſſet, non utique Evangeliſta diceret: *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus*. Et ratio quare non in pueritia miracula fecit, aſſignata eſt ſupra, ne ea ſcilicet homines phantaſtica reputarent: ergo hac de cauſa hoc miraculum, ſcilicet de aqua vinum, fecit in Cana Galilææ Ieſus, quod eſt Initium ſignorum, quæ fecit Ieſus poſtea; *& manifeſtavit gloriam ſuam*, ideſt potentiam qua glorioſus eſt, Pſal. XXIII. 10. „ Dominus virtutum ipſe eſt Rex glo„ riæ. " *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.*

Sed quomodo crediderunt? Iam enim diſcipuli erant, & ante crediderant. Sed dicendum eſt, quod (a) aliquid dicitur eſſe aliquando non ſecundum quod nunc eſt, ſed ſecundum quod futurum eſt; ſicut dicitur quod Paulus Apoſtolus natus eſt Tharſo Ciliciæ: non quod ibi ſit natus Apoſtolus, ſed quod futurus Apoſtolus, ibi natus fuit; ita dicitur hic: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius*, ſcilicet qui erant diſcipuli eius. Vel dicendum, quod ante crediderunt ei ſicut bono viro, iuſta, & recta prædicanti; ſed modo crediderunt in eum tamquam in Deum &c.

(a) *Al.* aliquid dicitur eſſe aliquando non ſed ſecundum quod futurum eſt &c.

Digitized by Google

LECTIO II.

(a) POſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater eius, & fratres eius, & diſcipuli ęius; & ibi manſerunt non multis diebus.

(b) Et prope erat paſcha Iudæorum.

(c) Et aſcendit Ieſus Hieroſolymam.

(d) Et invenit in templo vendentes oves, & boves, & columbas, & nummularios ſedentes.

(e) Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque, & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit.

(f) Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc,

(g) Et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

(h) Recordati ſunt vero diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.

(a) SUpra Evangeliſta poſuit ſignum quod fecit Chriſtus pertinens ad virtutem immutativam naturæ, ad diſcipulorum confirmationem; hic conſequenter agit de ſigno reſurrectionis ad eamdem virtutem pertinente, quod propoſuit Chriſtus ad turbarum converſionem. Circa hoc ergo miraculum duo facit Evangeliſta. Primo ponit miraculi proponendi occaſionem; ſecundo ipſius miraculi prænuntiationem, ibi, *Reſponderunt ergo Iudæi &c.* Circa primum duo facit. Primo deſcribit locum; ſecundo narrat factum, quod fuit occaſio miraculi proponendi, ibi, *Et invenit in templo vendentes oves, & boves*. Locus autem in quo hoc fuit, eſt Hieroſolyma: & ideo Evangeliſta gradatim oſtendit quo ordine Hieruſalem Dominus venerit. Primo ergo oſtendit quomodo in Capharnaum deſcendit; ſecundo vero quomodo Hieroſolymam aſcendit, ibi, *Et prope erat paſcha*. Circa primum tria facit. Primo aſſignat locum quo deſcendit; ſecundo, deſcribit ſocietatem quam habuit; tertio innuit moram quam protraxit. Locus quidem quo deſcendit eſt Capharnaum; & ideo dicit: *Poſt hoc*, ſcilicet miraculum de vino, *deſcendit Capharnaum*.

Videtur, quantum ad hiſtoriam pertinet, huic dicto contrariari quod dicitur Matth. IV. ſcilicet quod Dominus deſcenderit Capharnaum poſt incarcerationem Ioannis. Hoc autem quod hic refert Evangeliſta, totum factum eſt ante incarcerationem Ioannis.

Reſpondeo dicendum, quod ad huius quæſtionis intelligentiam ſciendum eſt, quod ſicut ex eccleſiaſtica Hiſtoria habetur, reliqui Evangeliſtæ, ſcilicet Matthæus, Marcus, & Lucas narrationem evangelicam inceperunt ab eo tempore quo Ioannes fuit incluſus in carcere. Unde ſtatim Matth. IV. 12. poſt baptiſmum, & ieiunium, & tentationem eius, texere incepit ſuam narrationem ante incarcerationem Ioannis, dicens: „Cum audiviſſet Ieſus quod traditus eſſet Ioannes &c.“ & ſimiliter Marcus: unde dicit (1. 14.) „Poſtquam autem traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam &c.“ Ioannes vero Evangeliſta qui ſupervixit aliis, cum trium Evangeliſtarum ad ipſum notitia perveniſſet; dictorum fidem, & veritatem probavit; tamen quia vidit aliqua deeſſe, illa ſcilicet quæ primo prædicationis ſuæ tempore, ante Ioannis incarcerationem, Dominus geſſerat, ideo ad preces fidelium ipſe Evangelium ſuum altius inchoans, ea quæ prætererant, priora, ante traditionem Ioannis, Domini geſta conſcripſit, ſcilicet a primo anno quo baptizatus eſt; ut in eius Evangelii ſerie apparet. Secundum hoc ergo Evangeliſtæ non diſſonant; ſed quia Dominus bis Capharnaum deſcendit, ſemel ante incarcerationem Ioannis, de quo agitur hic, & ſemel poſt incarcerationem eius, de quo agitur Matth. IV. & Luc. IV.

Capharnaum autem interpretatur villa pulcherrima, & ſignificat mundum iſtum, qui habet decorem ex ordine, & diſpoſitione divinæ ſapientiæ. Pſal. XLIX. 11. „Pulchritudo agri mecum eſt.“ Deſcendit ergo Dominus in Capharnaum, ideſt mundum iſtum, cum matre, & fratribus, & diſcipulis: nam in cælis Dominus patrem habet ſine matre, in terris matrem ſine patre: & ideo ſignanter matrem ſolum nominat. In cælis etiam fratres non habet; ſed eſt ipſe *Unigenitus*, *qui eſt in ſinu Patris*: ſupra 1. 18. In terris vero eſt „primogenitus in multis fratribus,“ ut dicitur Rom. VIII. 29. In terris habet diſcipulos quos doceat myſteria divinitatis, quæ ante hominibus (a) ignota fuerant; quia, ut di-

(a) *Al.* non nota fuerint.

Digitized by Google

dicitur Heb. 1. 1. „ Noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio &c. “ Vel Capharnaum interpretatur ager conſolationis : per quod ſignatur omnis homo qui fructum bonum facit. Gen. XXVII. 27. „ Ecce odor filii „ mei ſicut odor agri pleni . “ Et talis homo dicitur ager conſolationis, quia Dominus conſolatur , & gaudet de profectu eius . Eſa. LXII. 5. „ Gaudebit Dominus ſuper te &c.“ quia de eius bono Angeli gaudent . Luc. XV. 10. „ Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno „ peccatore pœnitentiam agente . “ Dicit , *Ipſe , & mater* . Societas eius fuit primo matris: unde dicit, *Et mater eius*: quia enim ad nuptias venerat, & fuerat miraculi procuratrix, reducebat eam Dominus Nazareth, quæ erat villa in Galilæa , in qua Capharnaum Metropolis erat. Secundo fuit fratrum: unde dicit, *Et fratres eius &c.*

Ubi cavendi ſunt duo errores, ſcilicet Elvidii dicentis , quod Beata Virgo poſt Chriſtum alios filios habuit , & hos dicit fratres Domini, quod eſt hæreticum: quia fides noſtra tenet, quod mater Chriſti ſicut fuit virgo ante partum, ita & in partu, & poſt partum virgo permanſit. Item error quorumdam dicentium , Ioſeph ex alia coniuge filios genuiſse , & hos vocari fratres Domini ; quod Eccleſia non tenet. Et ideo (*a*) Hieronymus eos improbat : nam Dominus in cruce pendens Virginem (*b*) matrem virgini diſcipulo cuſtodiendam dimiſit. Cum ergo Ioſeph fuerit ſpecialis cuſtos Virginis , & etiam Salvatoris in pueritia, credibile eſt eum virginem fuiſſe. Et ideo ſane intelligentes, fratres Domini dicimus conſanguineos Virginis matris in quocumque gradu ; vel etiam Ioſeph, qui putabatur pater ; & hoc quidem ſecundum conſuetudinem Scripturæ,quæ communiter conſanguineos fratres appellat. Unde Gen. XIII. 8. „ Ne quæſo ſit iurgium inter me & te: „ fratres enim ſumus : “ dicit Abraham ad Loth; cum tamen eſſet nepos eius. Et attende, quod ſeparatim nominat fratres , & diſcipulos: quia non omnes conſanguinei Chriſti , eius diſcipuli erant. Unde infra VII. 5. dicitur: *Nondum credebant in eum fratres eius*.

Tertio ſocii eius fuerunt diſcipuli ſui: unde dicit, *Et diſcipuli eius*.

Sed ex hoc inſurgit quæſtio , qui fuerint eius diſcipuli. Videtur enim, ſecundum Matthæum,quod primi qui converſi ſunt ad Chriſtum, fuerint Petrus, & Andreas, Ioannes, & Iacobus; ſed hi vocati ſunt a Chriſto poſt incarcerationem Ioannis , ut patet Matth. IV. non videtur ergo quod deſcenderint cum Chriſto in Capharnaum, ut hic habetur, cum hoc fuerit ante Ioannis incarcerationem.

Sed ad hoc duplex eſt reſponſio . Una, ſecundum Auguſtinum de conſenſu Evangeliſtarum , quod Matthæus non ſervat ordinem hiſtoriæ, ſed illud quod prætermiſerat recapitulans , ea narrat poſt Ioannis incarcerationem quæ ante facta fuerant . Unde ſine ulla temporis conſequentis differentia dixit (IV. 18.) „ Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ , vidit „ duos fratres &c. “ non addens, Poſt hoc; vel, In diebus illis. Alia eſt, ſecundum eumdem, quod diſcipuli Domini, (*c*) in Evangelio dicuntur non ſolum illi duodecim quos elegit Dominus, & Apoſtolos nominavit , ut habetur Matth. X. ſed etiam omnes qui in eum credentes, eius magiſterio ad regnum cælorum erudiebantur. Potuit ergo eſſe quod quamvis illi duodecim nondum eum ſecuti fuiſſent, nihilominus tamen aliqui alii qui ſibi adhæſerunt, hic eius diſcipuli nominentur. Sed prima reſponſio melior eſt.

Moram autem contraxit ibi parvam : unde dicit : *Et ibi manſerunt non multis diebus*. (*d*) Huius ratio eſt, quia cives Capharnaum non ſe exhibuerunt devotos ad ſuſcipiendum doctrinam Chriſti, quia erant valde corrupti: unde & Matth. XI. 23. Dominus eos obiurgat, quod nec ad virtutes in eis factas , nec ad doctrinam Chriſti pœnitentiam egerunt , dicens : „ Et tu Capharnaum , numquid ad „ cælum exaltaberis? Uſque in infernum deſcendes: quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent „ uſque in hanc diem. “ Et tamen quamquam mali eſſent, deſcendit illuc , ut deduceret matrem ad cuius conſolationem, & honorem ibidem aliquamdiu moratur.

Myſtice autem ſignatur per hoc quod aliqui multis ſermonibus Chriſti immorari non poſſunt,ſed pauca ad eorum illuminationem de multis ſufficiunt , propter intellectus eorum imbecillitatem. Unde apud tales Chriſtus paucis documentis immoratur , ut Origenes dixit; ſecundum illud infra XVI. 12. *Multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo*.

(b) Conſequenter cum dicit, *Et prope erat paſcha* , manifeſtat locum quo aſcendit : & circa hoc duo facit. Primo innuit occaſionem aſcenſus; ſecundo ponit aſcenſum, ibi, *Et aſcendit Ieſus*. Occaſio autem aſcenſus fuit paſcha Iudæorum . Exod. XXIII. præcipitur, quod ter in anno omne maſculinum præſentetur coram Domino : & inter illos terminos unus erat paſcha Iudæorum . Quia ergo Dominus venit ut doceret omnes humili-

tatis,

(a) *Al.* Hieronymus ſic improbat. (b) *Al.* matrem Domini diſcipulo. (c) *Al.* in Evangelio Domini. (d) *Al.* Huic.

Digitized by Google

gatis, & perfectionis exemplum, voluit legem, quamdiu ſtatum habuit, obſervare: non enim venit legem ſolvere, ſed adimplere, ut ipſe dicit Matth. v. Ex quo, quia paſcha Iudæorum immioebat, Hieruſalem aſcendit. Nos ergo ad eius exemplum deberemus ſolicite divina præcepta ſervare. Si enim ipſe Dei Filius decreta legis a ſe datæ implebat, celebrans ſolemnitates; quanto ſtudio booorum operum deberemus nos eas & prævenire, & celebrare?

Notandum eſt, quod in Evangelio Ioannis in tribus locis fit mentio de paſcha, ſcilicet hic, & infra vi. 4. ubi fecit miraculum de panibus, ubi dicitur: *Erat autem proximum paſcha, dies feſtus Iudæorum*: & infra xiii. 1. ubi dicitur: *Ante diem feſtum paſcha*. Unde ſecundum hoc Evangelium, habemus, quod poſt miraculum de vino Chriſtus prædicavit duobus annis, & quaotum eſt a diebus baptiſmi uſque ad paſcha: nam hoc quod fecit hic, fuit prope paſcha, ut hic dicitur; & poſtea revoluto anno, prope aliud paſcha fecit miraculum de panibus, & tunc Ioannes fuit decollatus. Unde Ioannes circa paſcha decollatus fuit: quia, ut dicitur Matth. xiv. ſtatim poſt decollationem Ioannis, Chriſtus receſſit in deſertum, & ibi fecit miraculum de panibus: quod quidem miraculum fuit factum prope paſcha, ut dicitur infra vi. Sed tamen feſtum huius decollationis celebratur eo die quo caput eius inventum eſt. Poſtea in alio paſcbate paſſus eſt Chriſtus. Secundum opioionem ergo illorum qui dicunt, quod miraculum factum in nuptiis, & ea quæ hic dicuntur, eodem anno geſta ſunt quo baptizatus eſt Chriſtus, a baptiſmo Chriſti uſque ad eius paſſionem fuerunt duo anni & dimidius: & ideo, ſecundum eos, Evangeliſta dicit, *Prope erat paſcha Iudæorum*, ut oſtendat quod aote paucos dies fuerat baptizatus. Sed Eccleſia tenet contrarium. Credimus enim quod eodem die quo Dominus baptizatus eſt, revoluto anno, factum fuerit miraculum de vino; & poſtea revoluto anno, prope paſcha, Ioannes fuerit decollatus; & quod ab iſto paſchate circa quod Ioannes (a) fuit decollatus, fuerit unus annus uſque ad paſcha in quo Chriſtus paſſus eſt: unde oportet aliud paſcha a baptiſmo Chriſti uſque ad miraculum de vino iotermedium eſſe, de quo nullus Evangeliſta facit mentionem: & ſic, ſecundum quod Eccleſia tenet, Chriſtus tribus annis & dimidio prædicavit.

Ait autem, *Iudæorum*, non quod alterius nationis homines paſcha celebrarent; ſed duplici de cauſa. Una quia quando aliqui feſtum aliquod ſancte, & pure celebrant, dicitur illud Domino celebrare; cum vero nec pure, oec ſancte celebrant, non Domino, ſed ſibi ſolemoizant. Eſa. xi. 14. „ Kalendas „ veſtras, & feſtivitates veſtras odivit anima „ mea; " quaſi dicat: Quia vobis, & non mihi celebratis, non placent mihi. Zach. vii. 5. „ Cum „ ieiunaretis, numquid ieiunium ieiunaſtis mihi? " quaſi dicat, oon, ſed vobis. Quia ergo iſti Iudæi depravati erant, & eorum paſcha indebite celebrabant, ideo Evangeliſta non dicit: *Prope erat paſcha* Domini, ſed *Iudæorum*. Vel hoc dicit ad differentiam noſtri paſchæ: nam paſcha Iudæorum erat figurale, utpote immolatione agni figuralis celebratum; ſed noſtrum paſcha verum eſt, in quo recolimus veram paſſionem agni immaculati. I. Cor. v. 7. „ Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. "

(c) Aſcenſus fuit in Hieruſalem; & ideo dicit: *Et aſcendit Ieſus Hieroſolymam*.

Ubi nota, ſecundum ordioem hiſtoriæ, Ieſum bis circa feſtum paſchæ Hieroſolymam aſceodiſſe, & expuliſſe de templo ementes, & vendentes. Semel quidem ante (b) incarcerationem Ioannis, quod hic Evangeliſta commemorat; alia vice, imminente paſchate, & tempore paſſionis, quod narrat Matthæus. Nam frequeoter Dominus ſimilia facta operatus eſt, ſicut patet de duplici illuminatione cæcorum; una Matth. ix. & alia Mar. x. Et ſimiliter bis eiecit ementes, & vendentes de templo.

Myſtice autem *aſcendit Hieroſolymam*, quæ interpretatur viſio pacis; & ſignificat æternam beatitudinem: in quam aſcendit, & ſuos tranſduxit. Sed non vacat a myſterio, quod in Capharnaum deſcendit, & poſtmodum Hieroſolymam aſcendit. Niſi enim deſcendiſſet primum, oon competiſſet ei aſcendere: quia, ut dicitur Epheſ. iv. 10. (c) „ qui deſcen- „ dit, ipſe eſt & qui aſcendit. " Non facit autem meotionem de diſcipulis in aſcenſu ad Hieroſolymam: quia diſcipulorum aſcenſus eſt ex aſcenſu Chriſti. Infra iii. 13. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis*.

(d) Conſequenter cum dicit, *Et invenit in templo vendentes oves, & boves &c.* narrat Evangeliſta factum quod movit Chriſtom ad ſignum reſurrectionis proponendum: & circa hoc duo facit. Primo manifeſtat Iudeorum vitium; ſecundo innuit Chriſti remedium, ibi, *Et cum feciſſet quaſi flagellum &c.* tertio ſubdit prophetiæ oraculum, ibi, *Recordati vero ſunt diſcipuli &c.*

Cir-

(a) *Al.* fuerit decollatus, fuit unus annus &c. (b) *Al.* incarnationem. (c) *Al.* „ Qui aſcendit, ipſe eſt „ & qui deſcendit. "

Digitized by Google

Circa primum ſciendum, quod diabolus inſidiatur his quæ Dei ſunt, & ea nititur corrumpere. Inter cetera autem quibus ſancta corrumpit, præcipuum eſt vitium avaritiæ: unde dicitur Eſa. lvi. 11. „ Paſtores eius neſcierunt intelligenriam, omnes in viam ſuam „ declinaverunr: unuſquiſque ad avaritiam ſuam „ a ſummo uſque ad noviſſimum. “ Quod quidem ab antiquis remporibus diabolus fecit: nam ſacerdores veteris teſtamenti, qui inſtiruti erant ut divinis vacarent, avaritiæ ſtudebant. Præceptum antem erat a Deo in lege, quod in certis ſolemniratibus Domino immolarent aliqua animalia: ad quod quidem præceptum implendum de prope venientes ad templum, ſecum animalia ducebant; illi autem qui a remotis veniebant, non valebant animalia ducere de domibus ſuis. Quia ergo oblationes huiuſmodi cedebant in utilitatem ſacerdotum, ne deeſſenr animalia de remotis venientibus ad offerendum, providerunt ipſi ſacerdotes ut animalia in templo venderentur; & ideo faciebant ea in templo, ideſt in atrio templi, exponi ad vendendum. Et hoc eſt quod dicir: *Et invenit Dominus in templo vendentes oves, & boves, & columbas &c.* Ubi primo facit mentionem de duobus animalibus terreſtribus, quæ ſecundum legem Domino offerri poterant, ſcilicer de bove, & ove. Tertium vero animal terreſtre, quod offerebatur, capra ſcilicet, annumeratur cum ove: ſimiliter eriam turtur annumeratur cum columba. Et quia contingebat aliquando aliquos ad templum venire, qui nec animalia ſecum ducebant, nec pecuniam, unde emere non valebant; ideo ſacerdotes aliam avaritiæ artem adinvenerant, ur ſcilicet in templo conſtituerent nummularios, & campſores, qui prædictis non habentibus pecuniam mutuarent. Et licer uſuram inde non reciperent, quia hoc erat in lege prohibitum, loco tamen eius quædam collibia, ideſt parva munuſcula & vilia recipiebant. Et hæc ipſa in utilitatem ſacerdotum cedebant; & hoc eſt quod dicit, *Et nummularios ſedentes*, ſcilicet in templo, paratos ad pecuniam mutuandam.

Sed boc quidem myſtice rripliciter intelligi poteſt. Primo enim per vendentes, & ementes ſignificantur illi qui eccleſiaſticas res vendunt, vel emunt: nam bona eccleſiaſtica ſpiritualia, & eis annexa ſignificantur per oves, & boves, & columbas. Ipſa conſecrata quidem, & confirmata ſunt ex doctrinis Apoſtolorum, & Doctorum, qui ſignificantur per boves. Prov. xiv. 4. „ Ubi plurimæ ſunt ſegetes, „ ibi manifeſta fortitudo bovis. “ Item ex ſanguine martyrum, qui ſignificantur per oves. Unde in perſona eorum dicitur in Pſal. xliii. &, Rom. viii. 36. „ AEſtimati ſumus ut „ oves occiſionis. “ Item dona Spiritus ſancti, quæ ſignificantur per columbas: quia, ut dicitur ſupra 1. Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ apparuit: omnia ergo hæc vendunr, ſcilicet doctrinam Apoſtolorum, ſanguinem Martyrum, & dona Spiritus ſancti, quicumque bona eccleſiaſtica ſpiritualia, & eis annexa vendere præſumunr. Secundo contingir aliquos prælatos, ſeu Eccleſiarum præpoſitos, etſi non manifeſte per ſimoniam, occulte ramen per negligentiam boves, & oves, & columbas vendere, tunc ſcilicet quando (*a*) tantum inhiant remporalibus lucris, & occupantur in eis, & negligunt ſpiritualem ſalutem ſubditorum: nam per hoc vendunt oves, & boves, & columbas, ideſt tria genera hominum eis ſubditorum. Scilicet prædicatores, & operatores, qui ſignificantur per boves. Eſa. xxxii. 20. „ Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, „ immittentes pedem bovis, & aſini. “ Quia prælati debent ordinare boves, ideſt doctores, & ſapientes cum aſinis, ideſt rudibus & ſimplicibus. Vendunt etiam activos, & miniſteriis vacantes, qui ſignificantur per oves. Infra x. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt &c.* II. Reg. ult. 17. „ Iſti, qui oves ſunt, quid „ fecerunt? “ Vendunr & contemplantes, qui ſignificantur per columbas. Pſ. liv. 7. „ Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & „ volabo. “ Tertio (*b*) per templum Dei poteſt intelligi ſpiritualis anima, ut dicitur I. Cor. iii. 17. “ Templum Dei ſanctum eſt, quod „ eſtis (*c*) vos. “ Tunc ergo homo vendit in templo oves, & boves, & columbas, quando in anima beſtiales motus retinet, pro quibus homo vendit ſe diabolo. Nam per boves, qui agriculturæ deſerviunt, ſignificantur rerrena deſideria; per ovem, quæ eſt animal ſtultum, ſignificatur hominis ſtoliditas; per columbas vero hominis inſtabilitas: quæ quidem Deus de cordibus hominum expellit.

(e) Er ideo ſtatim ponitur Domini remedium, cum dicit: *Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo*: ubi Dominus appoſuit remedium & operis, & verbi: ut doceret eos qui curam habent Eccleſiæ, ſubditos facto, & verbo debere corrigere. Et ideo circa hoc duo facit. Primo ponitur remedium quod adhibuit facto; ſecundo remedium quod adhibuit verbo, ibi, *Et his qui vendebant columbas dixit &c.* Circa primum tria facit. Primo eiecir homines; ſecundo oves, & boves; tertio effudit pecuniam. Eiecit quidem homines

(a) *Al.* iterum. (b) *Al.* quia. (c) *Al.* vos homines.

flagello; & hoc eſt quod dicit: *Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis*: quod quidem non potuit fieri niſi virtute divina: nam & Origenes dicit, quod divina poteſtas Ieſus poterat cum volebat accenſam iracundiam hominum ſuffocare, ſicut ſedare mentium turbines. Pſal. xxxii. 10. „ Dominus diſſipat „ cogitationes hominum. “ Facit autem flagellum de funiculis, quia, ut dicit Auguſtinus, de peccatis noſtris ſumit materiam, unde nos puniat: ipſa enim protelatio peccatorum, ſecundum quod peccata peccatis adduntur, funiculi dicuntur. Prov. v. 22. „ Funi- „ bus peccatorum ſuorum conſtringitur. “ Eſai. v. 18. „ Væ qui trahitis iniquitatem in „ funiculis &c. “ Sicut ergo eiecit de templo negotiatores, ita nummulariorum æs effudit, & menſas ſubvertit. Attende, quod ſi iſta, quæ videbantur aliquo modo licita, quaſi ad cultum Dei ordinata, de templo eiecit; quanto magis ſi inveniſſet aliqua illicita? Ideo autem eos eiecit, quia ſacerdotes in hoc non intendebant honorem Dei, ſed utilitatem propriam. Unde dicitur Ezech. xliv. 8. „ Po- „ ſuiſtis cuſtodes obſervationum mearum in „ ſanctuario meo vobiſmetipſis. “ Oſtendit autem Dominus zelum ad ea quæ ſunt legis, ut ex hoc ipſo confutaret pontifices, & ſacerdotes, qui erant ei de lege calumniam illaturi. Per hoc etiam quod huiuſmodi eiecit de templo, dedit intelligere quod appropinquabat tempus quo ſacrificia legis ceſſare debebant, & verus Dei cultus ad gentes transferri. Matth. xxi. 43. „ Auferetur a vobis regnum „ &c. “ Similiter etiam ut oſtenderet eorum damnationem qui ſpiritualia vendunt. Act. viii. 20. „ Pecunia tua tecum ſit in perdi- „ tione. “

(f) Conſequenter cum dicit, *Et his qui columbas vendebant, dixit &c.* ponit remedium quod adhibuit verbo. Ubi notandum eſt, quod ſimoniaci primo quidem fugandi ſunt de Eccleſia. Sed (a) quia adhuc dum vivunt, per liberum arbitrium poſſunt ſe convertere, & adiuti a Deo ad ſtatum gratiæ redire, non ſunt deſperandi. Si vero non convertuntur, tunc quidem non fugantur, ſed ligantur ab illis, quibus dicitur, Matth. xxii. 13. „ Ligatis ma- „ nibus & pedibus eius, mittite eum in te- „ nebras exteriores. “ Et ideo Dominus hoc attendens, primo quidem admonet; ſecundo rationem admonitionis inducit, ibi, *Et nolite facere &c.* Monet quidem venditores columbarum eos increpando, quia per eos ſignantur illi qui vendunt dona Spiritus ſancti, ſcilicet ſimoniaci.

(g) Rationem huius inducit, cum dicit: *Et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. Eſai. i. 16. „ Auferte malum co- „ gitationum veſtrarum ab oculis meis. “ Attende autem, quod Matth. xxi. 13. dicit: „ Nolite facere domum meam ſpeluncam latro- „ num: “ hic vero dicit, *Domum negotiationis*: quod Dominus ideo fecit ut, ſicut bonus medicus, primo a levioribus incipiens, (b) poſtea dura proponeret. Hoc enim quod hic factum dicitur, primo factum fuit: (c) unde in ipſo principio, non latrones, ſed negotiatores eos vocat. Sed quia ex eorum duritia adhuc a tali negotiatione non ceſſabant, ideo Dominus alia vice eos expellens (de quo agitur in Marc. xi.) durius eos increpat, vocans latrocinium quod primo vocaverat negotiationem. Dicit autem, *Domum Patris mei*, ad excludendum errorem Manichæi, qui dicebat, quod Deus veteris teſtamenti non fuerat pater Chriſti, ſed Deus novi. Sed ſi hoc verum eſſet, cum templum fuiſſet domus veteris teſtamenti, non utique Chriſtus dixiſſet templum domum Patris ſui.

Sed quare non ſunt turbati Iudæi de hoc quod hic vocat (d) Deum patrem ſuum, ſicut dicitur infra 5. quod propter hoc eum perſequerentur? Ad quod dicendum eſt, quod Deus eſt pater aliquorum per adoptionem, puta iuſtorum, & hoc non erat novum apud Iudæos. Hier. iii. 19. „ Patrem vocabis me, „ & poſt me ingredi non ceſſabis. “ Sed per naturam ſolius Chriſti eſt. Pſal. ii. 7. „ Do- „ minus dixit ad me: Filius meus es tu, “ ſcilicet verus, & naturalis; & hoc inauditum erat apud eos. Et ideo quia Chriſtus ſe verum Dei, Filium dicebat, Iudæi perſequebantur ipſum. Infra v. 18. *Propter hoc perſequebantur Iudæi Chriſtum, quia non ſolum ſolvebat ſabbatum; ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe Deo faciens*. Cum autem hic Deum vocat patrem, dicebant de eo quod eſſet per adoptionem.

Quod autem domus Dei non debeat fieri domus negotiationis, habetur Zach. ult. 21. „ Non „ erit ultra mercator in domo Domini exer- „ cituum in die illo. “ Et in Pſal. lxx. 16. ſecundum aliam litteram: „ Quoniam non co- „ gnovi negotiationem, introibo in potentias „ Domini. “

(h) Conſequenter cum dicit, *Recordati ſunt vero diſcipuli eius &c.* ponit Prophetiæ oraculum, quod quidem ſcriptum eſt in Pſal. lxviii. 10. „ Zelus domus tuæ comedit me. “ Ubi ſciendum, quod zelus proprie dicit quamdam (e) intenſionem amoris, qua intenſe diligens, nihil

(a) *Al. deeſt* quia. (b) *Al.* præterea. (c) *Al.* ut. (d) *Al. omittitur* Deum. (e) *Al.* intentionem.

nihil ſuſtinet quod amori ſuo repugnet. Et inde eſt quod viri diligentes intenſe uxores, nec in eis ſuſtinentes aliorum conſortium, utpote amori eorum contrarium, zelotypi dicuntur. Ille igitur proprie zelum Dei habet qui nihil patienter ſuſtinere poteſt contra honorem Dei, quem maxime diligit. III. Reg. xix.10. „ Zelo zelatus ſum pro Domino exercituum &c. " Nos autem debemus diligere domum Domini, ſecundum illud Pſal. xxv. 8. „ Domine dilexi decorem domus „ tuæ. " Et intantum debemus diligere quod zelus eius nos comedat: dum ſi quid contrarium fieri videbimus, ſtudeamus etiam quantumcumque cari noſtri ſint qui hoc faciant, removere, nec timeamus propter hoc aliqua mala perpeti: unde dicitur in Gloſſa: „ Bonus zelus eſt fervor animi, quo quis mortis abiecto timore, pro defenſione veritatis (*a*) accenditur. Eo comeditur, qui quælibet prava quæ viderit, corrigere ſatagit; (*b*) & ſi nequit, tolerat, & gemit. "

L E C T I O III.

(a) Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?

(b) Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

(c) Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc; & tu in tribus diebus excitabis illud?

(d) Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cum ergo reſurrexiſſet a mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Ieſus.

(e) Cum autem eſſet Hieroſolymis in paſcha, in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna quæ faciebat.

(f) Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis:

(g) Eo quod ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.

(a) Poſita occaſione ſigni exhibendi, hic conſequenter Evangeliſta manifeſtat ſignum exhibendum: & primo ponit ſignum quod exhibetur; ſecundo ponit fructum factorum ſignorum, qui ſequitur, ibi, *Cum autem eſſet Hieroſolymis &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur ſigni poſtulatio; ſecundo ſigni exhibitio, ibi, *Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Solvite templum hoc &c.* tertio ſigni exhibiti intellectus, ſeu conceptio, ibi, *Dixerunt ergo ei: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc &c.* Signum autem poſtulatur a Iudæis; & hoc eſt quod dixit: *Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?*

Ubi ſciendum eſt, quod in eiectione negotiatorum de templo per Ieſum, duo conſiderari poterant in Chriſto: rectitudo, & zelus, quæ pertinent ad virtutem; & poteſtas, ſeu auctoritas. Sed de virtute, & zelo Chriſti, quibus prædicta fecerat, non oportebat peti ſignum a Chriſto; cum unicuique liceat operari ſecundum virtutem. De auctoritate tamen eius, (*c*) qua eos de templo expellit, ſignum ab eo quæri poterat; cum hoc non cuilibet liceret facere, ſed auctoritatem habenti.

Prætermiſſo igitur Iudæi zelo, & virtute, ſignum petunt de eius auctoritate; & ideo dicunt: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* ideſt, quare cum tanta poteſtate, & auctoritate nos expellis? Non videtur hoc eſſe tui officii. Simile dicunt, Matth. xxi. 23. „ In qua poteſtate hæc facis? &c. " Signum autem quærunt: quia familiare erat Iudæis, ſignum quærere, utpote per ea ad legem vocati. Deut. ult. 10. „ Non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet „ Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis, atque portentis. " Et. I. Cor. 1. 22. „ Iudæi ſigna quærunt. " Ideo David in perſona Iudæorum conquerituṛ, dicens, Pſal. lxxiii. 9. „ Signa noſtra non vidimus. " Quærebant autem ſignum, non ut crederent, ſed quaſi deſperantes, quod ſignum oſtendere non poſſet; & ſic eum reprimerent, & impedirent. Quia ergo prave quærebant, non dedit eis ſignum apertum, ſed

(a) *Al.* occideretur. (b) *Al.* & ſi nequam tolerat, & gemit &c. nunc & ſemper. (c) *Al.* quia.

ſed occultum in figura, ſcilicet ſignum de reſurrectione.

(b) Unde dicit: *Reſpondit Ieſus, & dixit eis &c.* in quo ponitur ſigni poſtulati exhibitio. Ideo autem dat eis ſignum reſurrectionis futurum, quia in hoc maxime virtus divinitatis eius oſtenditur. Non enim puri hominis eſt ut ſe excitaret a mortuis; ſed ſolum Chriſtus qui fuit inter mortuos liber, hoc virtute ſuæ divinitatis fecit. Simile etiam ſignum oſtendit eis, Matth. XII. 39. „ Generatio (a) prava, & adultera ſignum quærit; ſed ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ. " Et licet utrobique dederit ſignum occultum, & figurale; illud tamen manifeſtius, iſtud vero obſcurius fuit.

Notandum autem, quod ante incarnationem dedit Deus ſignum futuræ incarnationis. Eſai. VII. 14. „ Ipſe Dominus dabit vobis ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium &c. " Similiter & ante reſurrectionem dedit ſignum de reſurrectione futura: quia iſtis duobus maxime virtus divinitatis commendatur in Chriſto: nihil enim mirabilius fieri potuit quam quod Deus factus eſt homo, & quod humanitas in Chriſto, poſt eius reſurrectionem, immortalitatis divinæ particeps effecta eſt. Rom. VI. 9. „ Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur .... quod enim vivit, vivit Deo, " ideſt ad ſimilitudinem Dei.

Sed attendenda ſunt verba ſigni dati: nam Chriſtus corpus ſuum templum dicit: cuius ratio eſt, quia templum dicitur in quo Deus inhabitat &c. ſecundum illud Pſal. X. 5. „ Dominus in templo ſancto ſuo. " Et inde eſt quod anima ſancta, quam Deus inhabitat, dicitur (b) templum Dei. I. Cor. III. 17. „ Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. " Quia ergo in corpore Chriſti (c) divinitas inhabitat, ideo corpus Chriſti eſt templum Dei, non ſolum ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus. Col. II. 9. „ In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. " Et in nobis quidem habitat Deus ſecundum gratiam, ſcilicet ſecundum actum intellectus, & voluntatis, qui non eſt actus corporis, ſed animæ tantum; ſed in Chriſto habitat ſecundum unionem in perſona: quæ quidem unio non ſolum ipſam animam, ſed & corpus includit; & ideo ipſum corpus Chriſti eſt templum Dei.

Ex hoc autem Neſtorius ſui erroris occaſionem ſumens, dicit, Verbum Dei unitum humanæ naturæ ſecundum inhabitationem tantum. Ex quo ſequitur quod alia ſit perſona Dei, alia hominis in Chriſto. Et ideo dicendum eſt, quod inhabitatio Dei in Chriſto refertur ad naturam, quia alia eſt divina natura, alia humana in Chriſto; ſed non ad perſonam, quæ eſt eadem in Chriſto Dei, & hominis, ſcilicet perſona Verbi, ut dictum eſt ſupra.

Hoc igitur ſuppoſito, circa hoc ſignum Dominus duo facit. Primo quidem prænuntiat ſuam mortem futuram; ſecundo vero reſurrectionem. Mortem quidem prænuntiat cum dicit: *Solvite templum hoc*: Chriſtus enim mortuus fuit, & ab aliis occiſus. Matth. XVII. 22. „ Et occident eum: " eo tamen volente: quia, ut dicitur Eſa. LIII. 7. „ oblatus eſt quia ipſe voluit. " Et ideo dicit: *Solvite templum hoc*, ideſt corpus meum. (d) Et non dicit, Solvetur: ne intelligas eum ſeipſum occidiſſe; ſed dicit, *Solvite*, quod non eſt imperantis, ſed prænuntiantis, & permittentis. Prænuntiantis quidem, ut ſit ſenſus: *Solvite templum hoc*, ideſt (e) ſolvetis: permittentis vero, ut ſit ſenſus: *Solvite templum hoc*; ideſt, facite de corpore meo quod vultis, illud vobis expono, ſicut dicit Iudæ, infra XIII. 27. *Quod facis, fac citius*: non quidem imperans ei, ſed eum eius arbitrio derelinquens. Dicit autem, *Solvite*, quia mors Chriſti eſt ſolutio corporis eius; aliter tamen quam aliorum hominum: nam corpora aliorum hominum ſolvuntur per mortem uſque ad incinerationem carnis, & pulverationem: qualis quidem ſolutio non fuit in Chriſto: quia, ut dicitur in Pſal. XV. 10. „ Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. " Fuit ibi tamen ſolutio per mortem, quia anima ſeparata eſt a corpore, ut forma a materia, & quia ſanguis ſeparatus eſt a corpore, & quia corpus eius perforatum eſt clavis, & lancea. Reſurrectionem autem prænuntiat cum dicit: *Et in tribus diebus excitabo illud*, ſcilicet corpus; ideſt, a mortuis ſuſcitabo. Non autem dicit, Excitabitur, nec Excitabit illud Pater; ſed ego *excitabo*: ut oſtendat ſe propria virtute a mortuis reſurgere. Nec tamen negamus quin Pater eum a mortuis ſuſcitaverit: quia, ut dicitur Rom. VIII. 11. „ Qui ſuſcitavit Ieſum a mortuis " Et in Pſal. XL. 11. „ Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me. " Sic ergo Deus Pater Chriſtum ſuſcitavit a mortuis, & Chriſtus propria virtute reſurrexit. Pſal. III. 6. „ Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. " Nec eſt in hoc contrarietas, quia eadem eſt virtus utriuſque: unde *quæcumque Pater facit*, *hæc*

(a) *Al.* mala. (b) *Al.* templum Dei eſt. (c) *Al.* divinitatis. (d) *Al.* Sed. (e) *Al.* ſolvens.

hac ſimiliter & (a) Filius facit: infra v. 19. Nam ſi Pater eum ſuſcitavit, & Filius. I. Corinth. ult. 4. „ Nam ſi crucifixus eſt ex „ infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei. “ Dicit autem, *Et in tribus diebus*; & non (*b*) poſt tres dies: quia non diebus tribus completis in monumento permanſit; ſed, ſicut Auguſtinus dicit, (*c*) eſt ſynecdochica locutio, in qua ponitur pars pro toto. Origenes autem huius locutionis myſticam rationem aſſignat, dicens: Corpus Chriſti verum eſt templum Dei: quod quidem corpus figurat corpus myſticum, ideſt Eccleſiam. I. Corinth. XII. 27. „ Vos eſtis corpus Chriſti, & mem- „ bra de membro. “ Et ſicut in corpore Chriſti habitat divinitas per gratiam unionis, ita & in Eccleſia per gratiam adoptionis. Et quamvis corpus iſtud myſtice diſſolvi videatur adverſitatibus tribulationum, quibus affligitur, tamen ſuſcitatur in tribus diebus, ſcilicet in die legis naturæ, & in die legis ſcriptæ, & in die legis gratiæ: quia, etſi in his diebus, quantum ad aliquos corpus diſſolvatur, quantum ad aliquos tamen vivit. Et ideo dicit, *In tribus diebus*: quia huius reſurrectio ſpiritualis in tribus diebus perficitur. Sed poſt tres dies perfecte reſuſcitabimur, non ſolum quantum ad primam reſurrectionem, ſed etiam quantum ad ſecundam. Apoc. XX. 6. „ Beatus qui habet partem in reſurre- „ ctione ſecunda. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt ergo Iudæi &c.* ponitur ſigni exhibiti intellectus: & primo quidem ponitur intellectus falſus, conceptus a Iudæis; ſecundo vero intellectus verus, conceptus ab Apoſtolis, ibi, *Ille autem dicebat de templo corporis ſui*. Falſus autem intellectus Iudæorum erat: quia credebant quod Chriſtus diceret hoc de templo materiali, in quo tunc erat; & ideo ſecundum hunc intellectum, reſpondent de templo materiali, (*d*) & dicunt: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*, ſcilicet materiale, in quo ſumus; *& in tribus diebus excitabis illud*?

Sed contra hoc eſt obiectio litteralis. Nam templum in Hieruſalem per Salomonem fuit ædificatum, & ut habetur III. Reg. VII. a Salomone fuit conſummatum ſeptem annis. Quid eſt ergo quod hic dicit: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*? Reſpondeo dicendum, ſecundum quoſdam, quod hoc non eſt intelligendum de prima ædificatione templi, quæ completa eſt a Salomone ſeptem annis: nam templum, quod Salomon ædificaverat, deſtructum fuit a Nabuchodonoſor: ſed intelligendum eſt de reædificatione facta ſub Zorobabel, (*e*) poſtquam reverſi fuerunt a captivitate; ſicut legitur in Lib. Eſdræ: quæ quidem multis impugnantibus undique (*f*) inimicis, intantum impedita, & dilata fuit quod non potuit conſummari templum uſque ad quadrageſimum ſextum annum. Vel dicendum, ſecundum Origenem, quod intelligitur de templo Salomonis: (*g*) quod quidem dicitur ædificatum quadraginta & ſex annorum tempore, ut numeretur tempus ab eo die quo David mentionem fecit de ædificatione templi, conſulens ſuper hoc Nathan Prophetam; ut habetur II. Reg. VII. uſque ad conſummationem perfectam per Salomonem: nam ex illo die David incepit præparare materiam, & neceſſaria ad ædificationem templi. Et ſi diligenter dictum tempus conſideretur, aſcendit ad numerum quadraginta ſex annorum. Quamvis autem Iudæi intentionem ſuam referrent ad templum materiale, tamen, ſecundum Auguſtinum, poteſt referri ad templum corporis Chriſti: quia, ſicut ipſe dicit in Lib. LXXXIII. Quæſt. conceptio, & formatio humani corporis perficitur quadraginta quinque diebus hoc modo. Primis enim ſex diebus corporis humani conceptio, quaſi lactis habet ſimilitudinem; novem vero diebus ſequentibus convertitur in ſanguinem; duodecim inde diebus ſolidatur in carnem; ſed decem & octo reliquis diebus formatur uſque ad perfecta lineamenta omnium membrorum. Iſto ergo numero ſex, novem, duodecim, & octodecim in unum coacto, exurgit numerus quadraginta & quinque, cui addito uno propter ſacramentum unitatis, ſunt quadraginta ſex.

Sed (*h*) ex hoc inſurgit quæſtio: quia huius proceſſus formationis non videtur habere locum in corpore Chriſti, quia in ipſo inſtanti conceptionis formatum fuit, & animatum. Sed dicendum, quod licet in corporis Chriſti formatione ſit aliquid ſingulare, quia in ipſo inſtanti corpus Chriſti fuit perfectum quantum ad omnia lineamenta membrorum, non tamen quantum ad debitam corporis quantitatem; & ideo in utero Virginis tamdiu permanſit quouſque ad quantitatem debitam perveniret. Accipiamus autem dictum numerum ſuprapoſitum, ſcilicet ſenarium, qui primus erat, & quadraginta ſex, qui erat ultimus; & ducamus unum in alterum: ex eis ſurgunt ducenta ſeptuaginta ſex. Dividendo ergo tot dies in menſes, dando cuilibet menſi triginta dies, ſunt novem menſes, & ſex dies.

Recte

(a) Al. *alius*. (b) *Al.* poſt multos. (c) *Al.* eſt ſine doctrina locutio. (d) *Al.* ei dicentes. (e) *Al.* poſtquam fuerunt in captivitate. (f) *Al.* minutis. (g) *Al.* quod dicitur ædificatum triginta & ſex annorum tempore. (h) Sed hoc inſurgit.

Digitized by Google

Recte ergo quadraginta & ſex annis templum dicitur ædificatum eſſe, quod ſignificabat corpus Chriſti, ut inſinuet, quod tot anni fuerunt in fabricatione templi quot fuerunt dies in perfectione corporis Chriſti: nam ab octavo kal. aprilis in quo Chriſtus fuit conceptus, & (ut creditur) paſſus, uſque ad octavum kal. ianuarii ſunt tot dies, ſcilicet ducenti ſeptuaginta ſex: quod numerus ſurgit ex ſenario ducto in quadraginta & ſex.

Ex hoc etiam numero Auguſtinus (ut patet per Gloſſam) aliud intelligit myſtice: dicit enim, quod ex litteris nominis Adam multiplicatis, ſecundum numerum quem more Græcorum ipſæ litteræ important, ſurgit numerus quadraginta & ſex. Nam A in Græco ſecundum numerum importat unum, cum ſit prima littera in alphabeto; D vero ſecundum ordinem importat quatuor. Addito ergo uno quod importat A, & quadraginta quod importat M, habemus quadraginta & ſex. In quo ſignificatur quod corpus Chriſti aſſumptum eſt de corpore Adam. Item ſecundum Græcos ex primis litteris acceptis ex rominibus quatuor partium mundi componitur hoc nomen Adam: ſcilicet Anathole, quod eſt oriens; Diſis quod eſt occidens; Arctos, quod eſt ſeptemtrio; Menſembria, quod eſt meridies: in quo ſignificatur quod Chriſtus ex Adam carnem aſſumpſit, ut congreget electos ſuos a quatuor partibus mundi. Matth. XXIV. 31. „Congregabit electos „ſuos a quatuor ventis.“

(d) Conſequenter cum dicit, *Ille autem dicebat de temple corporis ſui*, ponitur intellectus (*a*) ſigni verus, conceptus a diſcipulis: & primo ponitur ipſorum intellectus; ſecundo vero unde Apoſtoli hoc conceperunt, ibi, *Cum ergo ſurrexiſſet &c.* Dicit ergo: Iudæi hoc dixerunt ignorantes, ſed Chriſtus non ſic intelligebat; immo intelligebat de templo corporis ſui; & hoc eſt quod dicit: *Ille autem dicebat de temple corporis ſui*. Qua autem ratione corpus Chriſti dicatur templum, dictum eſt ſupra.

Et ex hoc Apollinaris occaſionem erroris ſumens, dixit, quod caro Chriſti eſſet materia inanimata, quia templum eſt res inanimata. Sed in hoc decipitur: quia cum dicitur quod corpus Chriſti eſt templum, eſt metaphorica locutio: in qua quidem locutione non attenditur ſimilitudo quantum ad omnia, ſed quantum ad aliquid, ſcilicet quantum ad inhabitationem, quod quidem refertur ad naturam, ut dictum eſt ſupra. (*b*) Præterea hoc manifeſte apparet per auctoritatem ſacræ Scripturæ, cum dicit ipſe Chriſtus (infra X. 18.) *Poteſtatem habeo ponendi animam meam*.

Unde autem Apoſtoli hunc verum intellectum conceperunt, oſtendit conſequenter Evangeliſta, cum ſubdit: *Cum ergo ſurrexiſſet a mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius &c.* nam ante reſurrectionem difficile erat hoc intelligere: primo quia per hoc oſtendebatur, quod in corpore Chriſti erat vera divinitas, alias non potuiſſet dici templum; & hoc tunc temporis intelligere, humanam capacitatem excedebat: ſecundo quia in hoc facit mentionem de paſſione, & reſurrectione, cum dicit, *Excitabo illud*: (*c*) quod nullus diſcipulorum adhuc audierat. Unde quando Chriſtus reſurrectionem, & paſſionem ſuam expreſſit Apoſtolis, Petrus hoc audiens, ſcandilazatus eſt, dicens (Matth. XVI. 22.) „Abſit a „te Domine.“ Sed poſt reſurrectionem, quando iam plene (*d*) cognoverant Chriſtum eſſe Deum, per ea quæ circa paſſionem, & reſurrectionem oſtenderat, & quando ſacramentum reſurrectionis ipſius didicerant: *tunc recordati ſunt diſcipuli eius quia hoc dicebat de corpore ſuo, & tunc crediderunt Scripturæ*, ſcilicet Prophetarum. Oſeæ VI. 3. „Vivificabit nos poſt „duos dies, & tertia die ſuſcitabit nos.“ Ionæ II. 1. „Erat Ionas in ventre ceti tri„bus diebus, & tribus noctibus.“ Et inde eſt quod in ipſa die reſurrectionis aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas. *Et ſermoni eius, quem dixit Ieſus*, huic ſcilicet, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*.

Anagogice autem per hoc datur nobis intelligi, ſecundum Origenem, quod in ultima reſurrectione naturæ, erimus Chriſti diſcipuli, quando in magna reſurrectione totum corpus Ieſu, ideſt Eccleſia eius, certificabitur de his quæ nunc per fidem ænigmatice cognoſcimus; & tunc recipiemus fidei complementum, videndo per ſpeciem quod nunc per ſpeculum intuemur.

(e) Conſequenter cum dicit, *Cum autem eſſet Hieroſolymis*, ponit fructum conſecutum ex ſignis, ſcilicet converſionem aliquorum credentium: & circa hoc tria facit. Primo proponit ipſos credentes, propter miracula; ſecundo oſtendit quomodo Chriſtus ſe habuit ad eos, ibi, *Ipſe (e) autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis*. Tertio rationem aſſignat ad hoc, ibi, *Eo quod ipſe noſſet omnes*. Fructus autem qui provenit ex ſignis Ieſu magnus eſt, quia multi crediderunt, & converſi ſunt ad eum; & hoc eſt quod dicit: *Cum autem eſſet Hieroſolymis in paſcha, in die feſto, multi crede-*

dide-

(a) *Al.* ſive. (b) *Al.* Propter hoc. (c) *Al.* quem. (d) *Al.* cognoverunt. (e) Al. *enim*.

Digitized by Google

diderunt in nomine eius, ideſt in eum, *videntes ſigna quæ faciebat*.

Nota autem, quod dupliciter aliqui crediderunt. Quidam namque propter miracula viſa; quidam vero propter occultorum revelationem, & prophetiam. Sed commendabiliores ſunt qui propter doctrinam credunt, quia ſunt magis ſpirituales, quam qui propter ſigna, qui ſunt groſſiores, & magis ſenſibiles. Iſti autem qui converſi ſunt, ſenſibiles oſtenduntur per hoc quod non propter doctrinam, ſicut diſcipuli; ſed *videntes ſigna quæ faciebat, crediderunt in nomine eius*. I. Corinth. XIV. 22. (*a*) „ Prophetiæ datæ ſunt fideli„ bus &c.“

Sed quæritur hic quænam ſigna viderunt facta a Ieſu; cum nullum legamus eum tunc ſignum feciſſe in Hieruſalem. Ad hoc poteſt dupliciter reſponderi, ſecundum Origenem. Uno modo quod multa ſigna facta ſint a Ieſu ibi tunc temporis, quæ hic non habentur: nam Evangeliſtæ ſcienter multa prætermiſerunt de miraculis Chriſti; cum tot fecerit quod non poſſent de facili ſcribi. Infra ult. 25. *Multa quidem alia ſigna fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros*. Et hoc ſignanter Evangeliſta oſtendit cum dicit: *Videntes ſigna quæ faciebat*: quæ iam prætermiſſa ſunt, quia non fuit intentio Evangeliſtarum omnia ſigna Ieſu conſcribere, ſed tot quot neceſſaria erant ad Eccleſiam fidelium inſtruendam. Alio modo, quia inter alia miracula poteſt maximum ſignum (*b*) reputari, quod cum flagello facto ex funibus, hominum multitudinem Ieſus de templo ſolus eiecerit.

(f) Qualiter autem ad credentes ſe habuit, oſtendit dicens: *Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis*, ſcilicet qui crediderant in eum.

Sed quid eſt hoc quod homines credunt Deo, & ipſe Ieſus non credebat ſe eis? Numquid potuiſſent eum occidere, ipſo nolente? Sed dicet aliquis, quod ideo non credebat ſe eis, quia ſciebat eos ficte credere. Sed ſi hoc verum eſſet, non utique diceret Evangeliſta, quod multi crediderant in nomine eius, & tamen non credebat ſe eis. Et ratio eſt, ſecundum Chryſoſtomum, quia iſti crediderunt in eum, ſed imperfecte, quia nondum poterant attingere ad perfecta myſteria Chriſti: & ideo non credebat ſe eis; ideſt, ſecreta ſua myſteria eis nondum revelabat: nam & ipſis Apoſtolis multa non revelavit. Infra XVI. 12. *Multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo*. I. Corinth. III. 1. „ Non potui „ vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi „ carnalibus.“ Et ideo notanter Evangeliſta, ut oſtendat eos imperfecte credere, non dicit, quod credebant in eum, quia nondum credebant eius divinitatem; ſed dicit, *In nomine eius*: illud quod de eo, nomine tenus dicebatur, ſcilicet quod iuſtus, vel huiuſmodi. Vel, ſecundum Auguſtinum, iſti gerunt in Eccleſia typum catechumenorum, (*c*) qui etſi credant in nomine Chriſti, Ieſus tamen non credit ſe illis, quia Eccleſia non dat eis corpus Chriſti: quod quidem corpus, ſicut nullus ſacerdos conficere poteſt niſi in ſacerdotem conſecratus, ita nullus ſumere debet niſi baptizatus.

(g) Ratio autem huius quod non credebat ſe eis, oſtenditur ex perfecta Chriſti cognitione: unde dicit: *Eo quod ipſe noſſet omnes*. Licet autem homo ignorans debeat de quolibet præſumere bonum; tamen poſtquam veritas innoteſcit de aliquibus, debet ſe homo habere ad eos ſecundum eorum conditionem. Et quia Chriſtum nihil latebat eorum quæ ſunt in homine, cum ſciret eos imperfecte credere, non credebat ſe eis. Deſcribitur autem cognitio (*d*) Chriſti univerſalis, quia non ſolum familiares, ſed etiam alios extraneos cognoſcebat; & ideo dicit: *Eo quod ipſe noſſet omnes*; & hoc per potentiam divinitatis. Eccli. XXIII. 28. „ Oculi Domini multo „ plus lucidiores (*e*) ſunt ſuper ſolem.“ Nam homo, etſi cognoſcat alios, non tamen certam cognitionem de eis poteſt habere: quia non videt niſi ea quæ apparent; & ideo opus eſt ei teſtimonio aliorum. Chriſtus autem certiſſime cognoſcit, quia intuetur cor: & ideo *non erat ei opus ut quis teſtimonium perhiberet de homine*; immo ipſe teſtis eſt. Iob XVI. 20. „ Ecce in cælo eſt teſtis meus.“ Perfecta, (*f*) quia non ſolum quantum ad exteriora, ſed etiam quantum ad interiora ſua cognitio ſe extendit; & ideo dicit: *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine*, ideſt occulta cordis. Prov. XV. 11. „ Infernus, & perdi„ tio coram Domino.“

(a) *Ibi*: „ Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus; prophetiæ autem non infidelibus, ſed fi„ delibus.“ (b) *Al.* reputare. (c) *Al.* qui credant. (d) *Al. deeſt* Chriſti. (e) *Al. omittitur* ſunt. (f) *Al.* quia non ſolum quantum ad exteriora ſua cognitio ſe extendit &c.

CAPITIS TERTII

LECTIO I.

(a) **E**Rat autem homo ex phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quia a Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.

(b) Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.

(c) Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?

(d) Reſpondit Ieſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

(e) Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.

(a) **S**Upra oſtendit Evangeliſta virtutem Chriſti quantum ad mutationem naturæ; hic vero oſtendit eam quantum ad reformationem gratiæ, de qua principaliter intendit. Reformatio autem gratiæ fit per ſpiritualem generationem, & per beneficiorum regeneratis collationem. Primo ergo tractat de ſpirituali generatione; ſecundo de beneficiorum ſpiritualium regeneratis divinitus collatione; & hoc in v. cap. ibi, *Poſt hac erat dies feſtus Iudaorum &c.* Circa primum duo facit. Primo agit de ſpirituali regeneratione quantum ad Iudæos; ſecundo de propagatione fructuum huius regenerationis etiam quantum ad externas nationes. Et hoc in IV. cap. ibi, *Ut ergo cognovit Ieſus, quia audierunt phariſai &c.* Circa primum duo facit. Primo manifeſtat ſpiritualem regenerationem verbis; ſecundo implet eam factis, ibi, *Poſt hac venit Ieſus, & diſcipuli eius in terram Iudaam &c* Circa primum tria facit. Primo oſtendit ſpiritualis regenerationis neceſſitatem; ſecundo eius qualitatem, ibi, *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex?* tertio eius modum & rationem, ibi, *Reſpondit ad eum Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hac fieri?* Circa primum duo facit. Primo oſtendit demonſtrandæ neceſſitatis occaſionem; ſecundo neceſſitatem huius regenerationis, ibi, *Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi &c.* Occaſio autem huius neceſſitatis inducitur ex Nicodemo; & ideo dicit: *Erat autem homo ex phariſais, Nicodemus nomine &c.* Quem deſcribit ex perſona, ex tempore, & ex confeſſione ipſius. Ex perſona quidem deſcribitur quantum ad tria. Scilicet quantum ad religionem, quia phariſæus: unde dicit: *Erat homo ex phariſais.* Duplex namque ſecta erat apud Iudæos, ſcilicet phariſæorum, & ſadducæorum. Sed phariſæi magis conveniebant nobiſcum (a) in opinionibus; quia credebant reſurrectionem, & dicebant eſſe creaturas aliquas ſpirituales. Sadducæi vero magis diſcordabant: quia nec reſurrectionem futuram, nec ſpiritum eſſe credebant. Et dicebantur iſti phariſæi, quaſi ab aliis diviſi. Et quia (b) opinio eorum probabilior erat, & magis propinqua veritati, ideo Nicodemus facilius converſus eſt ad Chriſtum. Actor. XXVI. 5. „ Secundum certiſſimam „ ſectam religionis noſtræ &c. “ Item quantum ad nomen, cum dicit, *Nicodemus nomine*; quod interpretatur victor, ſeu victoria populi; per quem ſignificantur illi qui ex Iudæis ad Chriſtum converſi, fide vicerunt mundum. I. Ioan. ult. 4. „ Hæc eſt victoria, „ quæ vincit mundum, fides noſtra. “ Item tertio quantum ad dignitatem: unde dicit, *Princeps Iudaorum.* A principio namque licet Dominus non elegerit ſapientes, potentes, aut nobiles, ne virtus fidei ſapientiæ & potentiæ humanæ attribueretur (ut dicitur I. Corinth. I. 26. „ Non multi ſapientes, ſecundum carnem, „ non multi potentes, non multi nobiles, „ ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus: “) voluit tamen aliquos ſapientes, & potentes a principio ad ſe convertere: ne ſi doctrina ſua ſolum ab ignobilibus, & inſipientibus reciperetur, haberetur contemptui; & ne credentium multitudo potius attribueretur ruſticitati, & inſipientiæ converſorum, quam virtuti fidei. Nihilominus tamen voluit iſtos nobiles, & potentes non multos eſſe ad eum converſos, ne (ut dictum eſt) humanæ potentiæ, aut ſapientiæ aſcriberetur. Et ideo dicitur Ioan. XII. 42. quod *aliqui ex principibus cre-*

(a) *Al.* in oppoſitionibus. (b) *Al.* oppoſitio.

cred'derunt in eum : inter quos fuit iſte Nicodemus . Pſal. xlvi. 10. „ Principes populorum congregati ſunt . " Ex tempore vero deſcribit eum, cum dicit: *Hic venit ad Ieſum nocte &c.* Circa quod ſciendum eſt, quod qualitas temporis conſuevit in Scriptura deſcribi circa aliquos , ad inſinuandam cngnitionem mentis, ſeu conditionem actionis eorum. Deſcribitur autem hic tempus iſtud obſcurum : unde dicit, *Venit nocte*: nox enim obſcura eſt; & competebat qualitati affectus Nicodemi , qui non cum ſecuritate , & libera propalatione , ſed cum timore ad Ieſum veniebat : nam erat (*a*) de illis principibus , de quibus dicitur Ioan. xii. 42. quod *crediderunt in eum ; ſed propter phariſæos non confitebantur , ut de ſynagoga non eiicerentur* . Non enim perfecte diligebant: unde ſubditur : *Dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei* . Competit etiam nox eius ignorantiæ , & imperfectæ cognitioni, quam iſte habebat de Chriſto . Rom. xiii. 12. „ Nox præceſſit &c. " Pſal. lxxxi. 5. „ Neſcierunt , neque intellexerunt , in tenebris ambulant . " Ex confeſſione vero deſcribitur , cum ſubdit : *Et dixit ei : Rabbi, ſcimus quia a Deo veniſti magiſter* . Ubi confitetur Chriſti officium in docendo , cum dicit, *Rabbi, &c.* & eius poteſtatem in agendo , ibi , *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis , niſi fuerit Deus cum eo* . Et quidem in utroque verum dicit , licet parum confeſſus eſt . Verum enim eſt quod vocat eum *Rabbi* , ideſt magiſter : quia , ut dicitur infra xiii. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine , & bene dicitis , ſum etenim* . Legerat enim Nicodemus, quod ſcriptum eſt Ioel. ii. 23. „ Filii Sion exultate , & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem „ iuſtitiæ . " Sed parum dicit , quia dicit eum a Deo veniſſe magiſtrum; ſed tacet eum Deum eſſe : nam venire a Deo magiſter , commune eſt omnibus bonis prælatis . Hier. iii. 15. „ Et dabo vobis paſtores iuxta cor meum; „ & paſceut vos ſcientia , & doctrina . " Unde hoc non eſt ſingulare Chriſto ; quamquam aliter doceant homines , aliter Chriſtus . Alii enim magiſtri docent tantum exterius , ſed Chriſtus etiam interius : quia , ut dicitur ſupra i. 9. *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*: & ideo ipſe ſolus dat ſapientiam. Luc. xxi. 15. „ Ego dabo vobis os , & „ ſapientiam . " Et hoc nullus purns homo dicere poteſt . Poteſtatem vero confitetur ex ſignis viſis ; quaſi dicat : Credo quod a Deo veniſti magiſter: *quia nemo poteſt hæc ſigna facere*. Et verum dicit : quia ſigna quæ Chriſtus fecit, non poſſunt fieri niſi divinitus, & quia Deus cum eo erat . Infra viii. 29. *Qui me miſit , mecum eſt* . Sed parum dixit : quia credebat quod Chriſtus non propria poteſtate ſigna faceret, (*b*) quaſi indigens extranea virtute , ac ſi Deus non eſſet cum eo per unitatem eſſentiæ , ſed per infuſionem gratiæ ſolum . Quod quidem falſum eſt : quia non extranea virtute, ſed propria, ſigna faciebat: nam eadem eſt poteſtas Dei & Chriſti . (*c*) Simile eſt qnod dicit mulier Eliæ, III. Reg. xvii. 24. „ In hoc facto cognovi quoniam vir „ Dei es tu . "

(b) Conſequenter cum dicit , *Reſpondit Ieſus , & dixit ei &c.* ponit neceſſitatem ſpiritualis regenerationis provenientem ex ignorantia Nicodemi. Et ideo dicit , *Amen, amen* .

Ubi notandum eſt, quod hæc dictio *Amen* eſt Hebræa , qua frequenter Chriſtus uſus eſt: unde ob eius reverentiam nullus tranſlator tam Græcnrum, quam Latinorum tranſferre voluit. Et quandoque quidem ſignificat idem quod verum , aut idem quod vere ; quandoque vero idem quod fiat . Unde in Pſal. lxxi. lxxxviii. & cvi. ubi nos habemus, Fiat, in Hebræo eſt, Amen, amen. Sed hanc dictionem ſolus Ioannes Evangeliſta ingeminat inter Evangeliſtas. Cuius ratio eſt , quia alii Evangeliſtæ ea principaliter tradunt quæ ad humanitatem Chriſti pertinent; ad quæ, cum facilius credibilia ſint , minor aſſertio neceſſaria erat : Ioannes vero ea quæ ad divinitatem Chriſti pertinent, principaliter tractat; quæ, cum occulta ſint , & a cognitione hominum remota , maiori aſſertione indigebant.

Deinde attendendum eſt, quod hæc reſpnnſio Chriſti videtur omnino inconſona propoſitis a Nicodemo, niſi diligenter conſideretur. Quomodo namque convenire videtur quod dixit Nicodemus, *Rabbi, ſcimus quia a Deo veniſti* , (*d*) cum hoc quod reſpondit Dominus: *Niſi quis renatus fuerit denuo , non poteſt videre regnum Dei* ? Sed notandum , ſicut iam dictum eſt , quod Nicodemus imperfectam opinionem habens de Chriſto , confitebatur eum magiſtrum, & hæc ſigna facere , tamqnam hominem purum . Vult ergo ei Dominus oſtendere, quomodo ad altiorem cognitionem de ipſo poſſet pervenire. Et quidem poterat de hoc Dominus diſputare; ſed quia hoc fuiſſet verſum in contentionem , cuius contrarium de eo ſcriptum eſt, Eſai. xlii. 2. „ Non con„ tendet : " ideo cum manſuetudine voluit enm ad veram cognitionem perducere ; quaſi diceret : Non mirum ſi me purum hominem cre-

(a) *Al.* de illis. De principibus dicitur Ioan. xii. &c. (b) *Al.* ſed quaſi. (c) *Al.* Similiter. (d) *Al.* *omittit* ut cum.

credis: quia illa ſecreta divinitatis non poteſt aliquis ſcire, niſi adeptus fuerit ſpiritualem regenerationem. Et hoc eſt quod dicit: *Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.*

Ubi ſciendum, quod cum viſio ſit actus vitæ, ſecundum diverſas vitas, diverſæ ſunt viſiones. Nam eſt quædam vita carnalis, qua communiter omnia alia vivunt, & hæc habet carnalem viſionem, ſeu cognitionem. Eſt & vita ſpiritualis, qua homo conformatur Deo, (*a*) & ſpiritibus ſanctis, & hæc habet ſpiritualem viſionem. Secundum carnalem quidem ſpiritualia videri non poſſunt: I. Corinth. II. 14. (*b*) „ Animalis homo non percipit „ ea quæ ſunt ſpiritus Dei: " ſed percipiuntur viſione ſpirituali: unde ibidem ſubditur: „ Quæ „ Dei ſunt, nemo novit niſi ſpiritus Dei. " Spiritus autem eſt qui regenerat: unde Apoſtolus Rom. VIII. 15. „ Non accepiſtis ſpiritum ſer„ vitutis iterum in timore; ſed accepiſtis „ ſpiritum adoptionis. " Et hunc quidem ſpiritum per regenerationem ſpiritualem accipimus. Ad Tit. III. 5. „ Salvos nos fecit „ per lavacrum regenerationis Spiritus ſan„ cti. " Si ergo viſio ſpiritualis non eſt niſi per Spiritum ſanctum, & Spiritus ſanctus infunditur nobis per lavacrum regenerationis ſpiritualis: ergo non poſſumus videre regnum Dei, niſi per lavacrum regenerationis: & ideo dicit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*; quaſi dicat: Non eſt mirum ſi non (*c*) vides regnum Dei, quia nullus illud videre poteſt niſi accipiat Spiritum ſanctum, per quem renaſcitur in filium Dei. Ad regnum autem (*d*) non ſolum pertinet regale ſolium, ſed etiam quæ ſunt ad regni gubernationem, ſcilicet regia dignitas, beneficia gratiarum, & via iuſtitiæ, qua ſolidatur regnum. Et ideo dicit: *Non poteſt videre regnum Dei*, ideſt gloriam, & dignitatem Dei, ideſt myſteria ſalutis æternæ, quæ per fidei iuſtitiam inſpiciuntur. Rom. XIV. 17. „ Regnum Dei „ non eſt eſca, & potus. " In veteri autem lege fuit quædam regeneratio ſpiritualis, ſed imperfecta, & figuralis. I. Corinth. X. 2. „ Omnes (*e*) in Moyſe baptizati ſunt, „ in nube, & in mari; " ideſt, in figura baptiſmum acceperunt. Et ideo myſteria regni Dei videbant quidem, ſed figuraliter tantum. Heb. XI. 13. „ A longe aſpicientes. " In nova vero lege eſt manifeſta regeneratio ſpiritualis, ſed tamen eſt imperfecta: quia renovamur interius tantum per gratiam, ſed non exterius per incorruptionem. II. Corinth. IV. 16. „ Licet is qui foris eſt noſter homo „ corrumpatur, tamen is qui intus eſt renova„ tur de die in diem. " Et ideo videmus regnum Dei, & myſteria ſalutis æternæ, ſed imperfecte: quia, ut dicitur I. Corinth. XIII. 12. „ Videmus nunc per ſpeculum in „ ænigmate &c. " In patria vero eſt perfecta regeneratio: quia renovabuntur interius, & exterius. Et ideo regnum Dei perfectiſſime videbimus: unde I. Corinth. XIII. 12. „ Tunc autem videbimus facie ad faciem. " Et I. Ioan. III. 2. „ Cum apparuerit, ſimiles „ ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. " Patet ergo quod ſicut viſionem corporalem non habet quis niſi natus, ita nec ſpiritualem habere poteſt niſi renatus. Et ſecundum triplicem regenerationem eſt triplex modus viſionis.

Nota autem, quod in Græco non habetur *denuo*, ſed *anothe*, ideſt deſuper, quod Hieronymus tranſtulit *denuo*, ut ſcilicet importet additionem; & ſic Hieronymus intellexit dicens: *Niſi renatus fuerit denuo*; quaſi dicat: Niſi renatus iterato per fraternalem generationem. Chryſoſtomus autem dicit, naſci deſuper, eſſe proprium Filii Dei, quia ipſe ſolus natus eſt deſuper. Infra (hoc cap.) *Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt*. Et dicitur Chriſtus naſci deſuper quantum ad tempus (ut ita liceat loqui) quia ab æterno genitus. Pſal. CIX. 3. „ Ante luciferum genui „ te. " Et quantum ad generationis principium, quia a patre cæleſti. Infra VI. 38. *Deſcendi, non ut faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me*. Quia ergo noſtra regeneratio eſt ad ſimilitudinem Filii Dei, ſecundum illud Rom. VIII. 29. „ Quos præſcivit conformes „ fieri imaginis Filii ſui: " ideo, quia illa generatio ſuperna eſt, & noſtra generatio deſuper eſt, quantum ad tempus, per æternam prædeſtinationem: Eph. I. 4. „ Elegit nos „ in ipſo ante mundi conſtitutionem: " & quantum ad donum Dei: infra VI. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Eph. II. 5. „ Gratia Dei ſalvati „ eſtis &c. "

(c) Conſequenter cum dicit, *Dicit ad eum Nicodemus &c.* ponit modum, & rationem huius ſpiritualis regenerationis: & circa hoc primo ponitur dubitatio Nicodemi; ſecundo reſponſio Chriſti, ibi, *Reſpondit Ieſus: Amen, amen dico tibi &c.* Circa primum ſciendum eſt, quod, ſicut dicitur I. Cor. XXI. 14. „ animalis „ homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus „ Dei. " Et ideo, quia Nicodemus carnalis adhuc, & animalis erat, non potuit quæ dice-

(a) *Al.* & ſpeciebus, (b) *Al.* Animal homo. (c) *Al.* videres. (d) *Al.* *omittitur* non. (e) *Al.* ſub Moyſe.

Digitized by Google

cebantur, niſi carnaliter intelligere. Et ideo ea quæ Dominus dixerat de regeneratione ſpirituali, ipſe de regeneratione carnali intelligebat. Et hoc eſt quod dicit: *Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex?* Ubi, ſecundum Chryſoſtomum, ſciendum eſt, quod Nicodemus voluit obiicere contra verba Salvatoris. Sed tamen obiectio eius deriſibilis eſt, quia Chriſtus loquitur de regeneratione ſpirituali, hic autem obiicit de carnali. Similiter omnes rationes inductæ ad impugnandum ea quæ ſunt fidei, deriſibiles ſunt, quia non ſunt ſecundum intentionem ſacræ Scripturæ. Obiicit autem Nicodemus contra verba Domini dupliciter, ſecundum quod (*a*) dupliciter videbatur dictum Domini impoſſibile, ſcilicet quod homo denuo renaſcatur. Uno modo ſcilicet propter irreverſibilitatem humanæ vitæ: nam a ſenectute non poteſt homo redire ad pueritiam. Unde dicitur Iob XVI. 23. „ Semitam (ſcilicet vitam præſentem) per quam „ non revertar, ambulo." Et ſecundum hoc dicit: *Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex?* quaſi dicat: Numquid iterum efficietur (*b*) puer ut renaſcatur? Iob VII. 10. „ Non revertetur ultra in domum ſuam, neque cognoſcet eum amplius locus eius." Secundo ex modo carnalis generationis: nam homo in principio cum generatur eſt in parva quantitate, ita ut poſſit eum uterus maternus capere; poſtmodum vero, cum iam natus eſt, ad continua crementa paulatim producitur, (*c*) ita ut non poſſit in materno utero contineri. Et ideo dicit: *Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* quaſi dicat, non, quia non capit eum venter. Sed hæc locum non habent in generatione ſpirituali: quia homo quantumcumque per peccatum ſpiritualiter inveteratus, ſecundum illud Pſal. XXXI. 3. „ Quoniam tacui, inveteraverunt omnia oſſa mea:" poteſt per auxilium gratiæ divinæ ad novitatem venire, ſecundum illud Pſal. CII. 5. „ Renovabitur ut aquilæ „ iuventus tua." Poteſt & quantumcumque magnus, in uterum ſpiritualem, ſcilicet Eccleſiæ, per ſacramentum baptiſmi introire. Quis autem ſit uterus ſpiritualis, manifeſtum eſt; alias numquam diceretur (Pſal. CIX. 3.) „ Ex utero ante luciferum genui te." Nihilominus tamen aliqualem ſimilitudinem habet quod dicitur: nam ſicut homo ſemel carnaliter natus, non poteſt iterum naſci, ita & ſemel per baptiſmum ſpiritualiter natus, non poteſt iterum naſci, quia non debet iterum baptizari. Eph. IV. 5. „ Unus Dominus, „ una fides, unum baptiſma."

(d) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus &c.* ponitur reſponſio Chriſti. Et circa hoc tria facit. Primo ſolvit rationes Nicodemi, oſtendendo qualitatem regenerationis; ſecundo manifeſtat ſolutionem per rationem, ibi, *Quod natum eſt ex carne, caro eſt &c.* tertio per exemplum, ibi, *Non mireris &c.* Solvit ergo obiectiones, oſtendens quod regeneratio de qua loquitur, eſt ſpiritualis, & non carnalis: & hoc eſt quod dicit: *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*; quaſi dicat: Tu intelligis de generatione carnali, ſed ego loquor de ſpirituali. Sed attende quod ſupra dixerat: *Non poteſt videre regnum Dei*: hic vero dicit: *Non poteſt introire in regnum Dei*, quod idem eſt: nam quæ regni Dei ſunt, nullus videt, niſi regnum Dei intret; & tantum videt quantum intrat. Apoc. II. 17. „ In calculo nomen novum ſcriptum, „ quod nemo ſcit niſi qui accipit." Quod autem ſpiritualis regeneratio ex ſpiritu fiat, rationem habet: nam oportet generatum generari ad ſimilitudinem generantis; nos autem regeneramur in filios Dei, ad ſimilitudinem veri Filii: oportet ergo quod regeneratio ſpiritualis fiat per id per quod aſſimilamur vero Filio; quod quidem eſt per hoc quod ſpiritum eius habemus. Rom. VIII. 9. „ Si quis „ ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius." I. Ioan. IV. 13. „ In hoc cognoſcimus, quoniam „ in eo manemus, & ipſe in nobis, quia de „ ſpiritu ſuo dedit nobis &c." Oportet ergo quod ſpiritualis regeneratio per Spiritum ſanctum fiat. Rom. VIII. 15. „ Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed „ ſpiritum adoptionis filiorum." Infra VI. 63. *Spiritus eſt qui vivificat &c.* Eſt etiam huic regenerationi neceſſaria aqua propter tria. Primo quidem propter humanæ naturæ conditionem: homo enim ex anima, & corpore conſtat; & ſi in eius regeneratione (*d*) eſſet ſpiritus tantum, ſolum quod ſpirituale eſt hominis, oſtenderetur regenerari. Ut ergo regeneretur etiam caro, oportet quod ſicut eſt ibi ſpiritus, per quem regeneratur anima, ita ſit ibi aliquid corporale, per quod regeneretur corpus; & hoc eſt aqua. Secundo propter humanam cognitionem: nam, ſicut Dionyſius dicit, divina ſapientia ſita omnia ordinat ut unicuique provideat (*e*) ſecundum modum ſuæ conditionis; homo autem eſt naturaliter cognoſcitivus: oportet ergo eo modo dona ſpiritualia hominibus conferri, ut ea cognoſcant. I. Cor. II. 12. „ Ut ſciamus „ quæ a Deo donata ſunt nobis." Naturalis au-

(a) *Al.* duplex. (b) *Al. omittitur* puer. (c) *Al.* ita non poſſet. (d) *Al.* eſt (e) *Al.* ſecundum ſuam conditionem.

autem modus huius cognitionis eſt ut ſpiritualia per ſenſibilia cognoſcat, cum omnis noſtra cognitio a ſenſu incipiat. Oportuit ergo ad hoc quod intelligamus id quod ſpirituale eſt in hac regeneratione, quod eſſet in ea aliquid ſenſibile, & materiale, ſcilicet aqua: per quod intelligamus quod ſicut aqua lavat, & purgat corporaliter exterius, ita & per baptiſmum homo lavatur, & purgatur interius ſpiritualiter. Tertio propter cauſæ congruitatem: nam cauſa noſtræ regenerationis eſt Verbum incarnatum. Supra 1. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Congruit ergo quod in ſacrameotis, quæ efficaciam habent ex virtute Verbi incarnati, ſit aliquid correſpondens Verbo, & aliquid correſpondens carni, ſeu corpori. Et hoc eſt ſpiritualiter aqua in ſacramento baptiſmi,ut ſcilicet per eam configurenur morti Chriſti, dum ſubmergimur in ea, quando baptizamur, ſicut Chtiſtus tribus diebus fuit in ventre terræ. Rom. vi. 4. „Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum.“ Hoc etiam myſterium in prima rerum productione ſignatum eſt, Gen. 1. quando ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Sed per tactum mundiſſimæ carnis Chriſti maior virtus collata eſt aquis: quia in principio producebant aquæ reptile animæ viventis; ſed ex quo Chriſtus baptizatus eſt in Iordane, animas ſpirituales aqua reddit. Per hoc autem quod hic dicit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, manifeſte apparet Spiritum ſanctum eſſe Deum. Supra enim 1. 13. dicit: *Non ex ſanguinibus*, (a) *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*. Ex quo ſic formatur ratio. Ille ex quo ſpiritoaliter renaſcuntur homines, eſt Deus; ſed homines renaſcuntur ſpiritualiter per Spiritum ſanctum, ut hic dicitur: ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

Sed hic eſt duplex quæſtio. Prima eſt. Si nullus intrat regnum Dei, niſi renaſcatur aqua; antiqui autem patres non ſunt renati aqua, quia non baptizabantur: ergo non intraverunt regnum Dei. Alia eſt, quia cum ſit triplex baptiſmus, ſcilicet fluminis, flaminis, & ſanguinis, & multi fuerint baptizati ultimis duobus: quos dicimus intraſſe regnum Dei ſtatim (cum tamen noo fuerint renati aqua) non videtur eſſe verum quod hic dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*.

Dicendum eſt quantum ad primum, quia regeneratio ex aqua, & Spiritu ſancto fit dupliciter, ſcilicet in veritate, & figura. Antiqui autem patres, licet non fuerint regenerati regeneratione vera, fuerunt tamen regenerati regeneratione figurali, quia ſemper (b) habuerunt aliquod ſignum ſenſibile, in quo vera regeneratio præfigurabatur; & ſecundum hoc renati intraverunt regnum Dei, ſoluto pretio. Quaotum ad ſecundum dicendum, quod illi qui renaſcuntur baptiſmo ſanguinis, & flaminis, licet non habeant regenerationem in actu, habent tamen in voto: alias enim neque baptiſmus ſanguinis aliquid valeret; nec eſſe poſſet baptiſmus ſpiritus. Sic ergo ad hoc quod homo intret regnum Dei, oportet quod adſit baptiſmus aquæ in re, ſicut eſt in omnibus baptizatis; vel in voto, ſicut eſt in martyribus & catechumenis, qui morte præveniuntur antequam votum impleant; vel in figura, ſicut in antiquis patribus.

Ex hoc quod dicitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, Pelagiani errantes dixerunt, quod pueri baptizantur, non quidem ut mundentur a peccatis quæ nondum habent, ſed ut poſſint intrare regnum Dei. Sed hoc eſt falſum: (c) quia, ſecundum quod Auguſtinus dicit in Lib. de Baptiſmo parvulorum, inconveniens eſt quod imago Dei, ſcilicet homo, ſubtrahatur a regno Dei, niſi propter aliquod impedimentum; quod eſſe non poteſt, niſi peccatum. Oportet ergo quod in pueris qui ſubtrahuntur a regno, ſit aliquod peccatum, ſcilicet originale.

(e) Conſequenter cum dicit, *Quod natum eſt ex carne, caro eſt &c.* probat per rationem, quod oportet naſci ex aqua, & Spiritu ſancto: & eſt ratio ſua talis. Nullus poteſt pervenire ad regnum, niſi ſpiritualis efficiatur; ſed aliquis non efficitur ſpiritualis niſi per Spiritum ſanctum: ergo nullus poteſt intrare regnum Dei niſi renatus ex Spiritu ſancto. Dicit ergo: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt*; ideſt, nativitas ſecundum carnem, facit naſci in vitam carnalem: I. Cor. xv. 47. „Primus homo de terra terrenus:“ *& quod natum eſt ex ſpiritu*, ideſt ex virtute Spiritus ſancti, *ſpiritus eſt*, ideſt ſpiritualis.

ota autem, quod hæc præpoſitio *ex* (d) quandoque deſignat cauſam materialem; ſicut cum dico, Cultellus eſt ex ferro: quandoque cauſam efficientem; ſicut domus eſt ex ædificatore. Et ſecundum hoc, quod dicitur, *Quod natus eſt ex carne*, poteſt intelligi dupliciter, effective, & materialiter. Effective quidem, quia virtus quæ eſt in carne, eſt effectiva generationis; materialiter vero, quia aliquod carnale in animalibus eſt materia ge-ne-

(a) Al. deeſt *neque ex voluntate carnis*. (b) Al. habebant. (c) Al. quia quod. (d) Al. quamdam.

Digitized by Google

nerati. Sed ex ſpiritu non dicitur aliquid naſci materialiter, cum ſpiritus immutabilis ſit, materia vero ſit ſubiectum tranſmutationis; ſed dicitur effective. Secundum hoc ergo, poſſumus accipere triplicem generationem. Unam quæ eſt ex carne materialiter, & effective, quæ eſt communis omnibus qui carnalem ſtatum habent. Alia eſt ſecundum ſpiritum effective, ſecundum quam regeneramur in filios Dei per gratiam Spiritus ſancti, & efficimur ſpirituales. Tertia eſt media, ſci licet quæ eſt ex carne materialiter ſolum, & ex Spiritu ſancto effective. Et hæc eſt ſingularis, & propria Chriſti: quia materialiter eſt habens carnem ex carne matris natus, & effective eſt ex Spiritu ſancto. Matth. 1. 20. „ Quod enim in ea natum eſt, de Spiri„ tu ſancto eſt. “ Et ideo natus eſt ſanctus. Luc. 1. 35. „ Spiritus ſanctus ſuperveniet in „ te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: id„ eoque quod naſcetur ex te ſanctum, voca„ bitur Filius Dei. “

L E C T I O II.

(a) NOn mireris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuo. Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem eius audis; ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.

(b) Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?

(c) Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur; & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?

(d) Et nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo.

(e) Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

(a) Supra poſuit Dominus rationem ad inſtruendam ſpiritualem generationem; hic ponit exemplum. Datur autem intelligi, quod Nicodemus, audito, *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*, turbationem quamdam dubietatis incurrit; & ideo Dominus dicit ei: *Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuo*. Ubi ſciendum eſt, quod duplex eſt admiratio. Una devotionis, ſecundum quod aliquis magnalia Dei conſiderans, cognoſcit ea ſibi incomprehenſibilia eſſe: unde relinquitur admirationi locus, ſecundum illud Pſal. xcii. 4. „ Mirabilis in altis Dominus: “ & alibi cxviii. 129. „ Mirabilia teſtimonia tua. “ Et ad hanc homines ſunt inducendi, non prohibendi. Alia eſt infidelitatis, dum quis ea quæ dicuntur non credens, miratur. Unde dicitur Matth. xiii. 57. quod „ mirabantur „ in doctrina Chriſti: “ & ſequitur, quod „ ſcandalizabantur in eo. “ Et ab hac admiratione Dominus Nicodemum removet, inducens exemplum, cum dicit: *Spiritus ubi vult ſpirat*. Quod quidem, eadem ſervata ſententia, dupliciter quantum ad litteram exponi poteſt. Uno enim modo, ſecundum Chryſoſtomum, accipitur ſpiritus pro vento, ſicut in Pſal. cxlviii. 8. „ Spiritus procellarum, quæ „ faciunt verbum eius. “ Et ſecundum hoc quatuor dicit de vento. Primo venti poteſtatem, cum dicit: *Spiritus ubi vult ſpirat*; ideſt, ventus quo vult flat. Et ſi dicas, quod ventus non habet voluntatem; dicendum, quod voluntas ſumitur pro appetitu naturali, qui nihil eſt aliud quam naturalis inclinatio, de qua dicitur Iob xxviii. 25. „ Qui creavit „ ventis pondus. “ Secundo ponitur venti indicium, cum dicit: *Et vocem eius audis*: & ſumitur vox pro ſono quem facit ventus ex percuſſione ad aliquod corpus: de quo dicitur in Pſal. lxxvi. 19. „ Vox tonitrui tui in „ rota. “ Tertio ponit venti originem, quæ occulta eſt: unde dicit: *Et neſcis unde veniat*, ideſt ubi oriatur. Pſal. cxxxiv. 7. „ Qui pro„ ducit ventos de theſauris ſuis. “ Quarto ponit venti finem, qui ſimiliter occultus eſt: unde dicit: *Aut quo vadat*; ſupple, neſcis, ideſt ubi perſiſtat. Et hanc quidem ſimilitudinem inducit ad propoſitum, cum dicit: *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu*: quaſi dicat: Si ventus, qui eſt (a) corporeus, habet occultam originem, nec poteſt ſciri eius proceſſus; quomodo miraris, ſi tu non potes ſci-

(a) *Al.* corpus.

Digitized by Google

ſcire proceſſum regenerationis ſpiritualis?

Sed contra hanc expoſitionem obiicit Auguſtinus dicens, quod Dominus non intellexit de vento, cum dixit: *Spiritus ubi vult ſpirat &c.* nam de quolibet vento ſcimus, unde veniat, aut quo vadat: nam auſter venit a meridie, & vadit ad aquilonem; boreas vero e converſo ab aquilone ad meridiem vadit. Quomodo ergo de ſpiritu corporeo dicit Dominus: *Neſcis unde veniat, aut quo vadat?*

Sed ad hoc reſponderi poteſt, quod principium venti poteſt ſciri dupliciter. Uno modo in generali; & hoc modo ſcitur unde veniat, ideſt a qua parte mundi, ſicut ſcitur, quod auſter venit a meridie; & quo vadat, quia ad aquilonem. Alio modo in ſpeciali; & hoc modo neſcitur unde veniat, ideſt in qua plaga determinate incipiat; aut quo vadat, ideſt ubi determinate ceſſet. Et cum Chryſoſtomo ad hanc expoſitionem conveniunt omnes fere Græci Doctores.

Alio modo exponitur de Spiritu ſancto; & ſecundum hoc quatuor ponit de Spiritu ſancto. Primo quidem eius poteſtatem, cum dicit: *Spiritus ubi vult ſpirat*: quia pro libero poteſtatis arbitrio inſpirat ubi vult, & quando vult, corda illuſtrando. I. Cor. XII. 11. „ Hæc omnia operatur unus atque idem ſpi„ ritus, dividens ſingulis prout vult. “ Ex quo confutatur error Macedonii ponentis, Spiritum ſanctum eſſe miniſtrum Patris, & Filii. Non enim ſpiraret ubi ipſe vellet, ſed ubi ei mandaretur. Secundo vero ponit Spiritus ſancti indicium, cum dicit: *Et vocem eius audis*. Pſal. XCIV. 8. „ Hodie ſi vocem „ eius audieritis, nolite obdurare corda ve„ ſtra. “

Sed contra hoc obiicit Chryſoſtomus dicens, quod non poteſt intelligi de Spiritu ſancto. Dominus enim loquebatur Nicodemo, qui adhuc infidelis erat, cui non competebat audire vocem Spiritus ſancti. Sed dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod Spiritus ſancti eſt duplex vox. Una, qua loquitur intus in corde hominis; & hanc audiunt ſolum fideles, & ſancti: de qua dicitur in Pſal. LXXXIV. 9 „ Au„ diam quid loquatur in me Dominus Deus. “ Alia eſt, qua Spiritus ſanctus loquitur in Scripturis, vel per prædicatores, ſecundum quod dicitur Matth. X. 20. „ Non enim vos „ eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus eſt „ qui loquitur in vobis. “ Et hanc audiunt etiam infideles, & peccatores.

Tertio ponit Spiritus ſancti originem, quæ occulta eſt: unde dicit: *Et neſcis unde veniat*; licet vocem eius audias: & hoc ideo quia venit a Patre, & Filio. Infra XV. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Pater autem, & Filius „ lucem „ habitant inacceſſibilem, quam nemo homi„ num vidit, ſed nec videre poteſt: “ ut di„ citur I. Tim. ult. 14. Quarto ponit Spiritus ſancti finem, qui quidem occultus eſt; & ideo dicit, *Aut quo vadat*; ſupple, neſcitis: quia (*a*) perducit ad occultum finem, ſcilicet ad beatitudinem æternam. Unde dicitur pignus hereditatis, Ephe. 1. & I. Cor. II. 9. „ Oculus non vidit, nec auris audivit, „ nec in cor hominis aſcendit, quæ præpa„ ravit Deus iis qui diligunt illum. “ Vel *neſcis unde veniat*, ideſt quomodo hominem introeat, *aut quo vadat*, ideſt ad quam perfectionem illum adducat. Iob IX. II. „ Si ve„ nerit ad me, non videbo eum. “ *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu*; ideſt, ſicut Spiritus ſanctus. Nec mirum: nam, ſicut ſupra dixerat, *quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*: quia in viro ſpirituali ſunt proprietates Spiritus ſancti; ſicut in carbone ſuccenſo ſunt proprietates ignis. Sunt autem in eo qui natus eſt ex Spiritu ſancto prædictæ quatuor proprietates ſpiritus. Primo namque habet libertatem. II. Cor. XXXII. 17. „ Ubi Spiritus Domi„ ni, ibi libertas: “ quia Spiritus Domini ducit ad id quod rectum eſt: Pſal. CXLII. 10. „ Spiritus tuus bonus deducet me in terram „ rectam: “ & liberat a ſervitute peccati, & legis. Rom. VIII. 2. „ Lex ſpiritus vitæ „ in Chriſto liberavit me &c. “ Secundo vero eius indicium ſumis per vocem verborum ſuorum, quam dum audis, cognoſcis eius ſpiritualitatem. Matth. XII. 34. „ Ex abundan„ tia cordis os loquitur. “ Tertio vero habet originem occultam, & finem, quia nullus poteſt ſpiritualem iudicare. I. Cor. II. 15. „ Spi„ ritualis omnia iudicat, & ipſe a nemine iu„ dicatur. “ Vel *neſcis unde veniat*, principium ſpiritualis nativitatis eius, quod eſt gratia baptiſmalis, *aut quo vadat*, ideſt quo dignus efficitur, ideſt vita æterna, quæ tibi adhuc occulta eſt.

(b) Hic ponitur cauſa, & ratio ſpiritualis regenerationis: & primo ponitur interrogatio Nicodemi; ſecundo reſponſio Domini: *Reſpondit Ieſus, & dixit ei &c.* Apparet autem ex primo, quod Nicodemus adhuc rudis, & adhuc Iudæus ſenſibilis exiſtens, myſteria Chriſti, & per ea exempla, & per rationes propoſita intelligere non poterat: & ideo dicit: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Dupliciter namque aliqui inquirunt. Quidam namque ex diffiden-

(a) *Al.* perducit ad occultum Dei.

Digitized by Google

fidentia; ſicut Zacharias, Luc. I. 18. „ Unde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis: “ & ideo punitus fuit. Eſai. xl. 23. „ Qui dat ſcrutatores eius quaſi non ſint. “ Aliqui vero ex ſtudio addiſcendi, ſicut Virgo Beata, cum dixit Angelo, Luc. I. 34. „ Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? “ Et tales inſtruuntur. Quia ergo iſte quæſivit ex ſtudio addiſcendi, ideo meruit inſtrui.

(c) Et hoc eſt quod ſequitur: *Reſpondit Ieſus &c.* ubi primo Dominus arguit eius tarditatem; ſecundo reſpondet ad quæſtionem ipſius, ibi, *Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo*. Tarditatem eius arguit ex tribus: Primo ex conditione perſonæ eius cui loquitur, cum dicit: *Tu es magiſter*: ubi non reprehendit eum Dominus ut inſultaret ei; ſed quia confidebat adhuc de magiſterio ſuo, præſumens de ſua ſcientia, voluit eum humiliando efficere habitaculum Spiritus ſancti. Eſai. ult. 2. „ Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu? “ Et dicit: *Tu es magiſter*: quia ſi aliquis ſimplex non poteſt profunda capere, tolerabile eſt; ſed hoc in magiſtro valde eſt reprehenſibile: & ideo dicit ei: *Tu es magiſter*, ideſt litteræ, quæ occidit, I. Cor. III. *In Iſrael: & hæc*, ſcilicet ſpiritualia, *ignoras*? Hebr. v. 12. „ Etenim cum deberetis eſſe magiſtri propter tempus, rurſus indigetis ut vos doceamini. “

Si dicas, quod Dominus iuſte argueret Nicodemum, ſi dixiſſet ei aliquid de veteri lege, & ipſe non intellexiſſet; ſed dixit ei de nova lege: dicendum, quod ea quæ Dominus dicit de ſpirituali generatione, continentur in lege veteri; ſed ſub figura, ſecundum quod habetur I. Corinth. x. 2. „ Omnes (a) in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari. “ Et Prophetæ etiam hoc dixerunt. Ezech. XXXVI. 25. „ Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. “

Secundo vero arguit eius tarditatem ex conditione dicentis. Quod enim non acquieſcatur dictis alicuius hominis rudis, tolerari poteſt; ſed repugnare dictis hominis ſapientis, & magnæ auctoritatis, reprehenſibile eſt: & ideo dicit: *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*. Requiritur enim ad idoneitatem teſtis ut perbibeat teſtimonium de auditu, vel viſu. I. Ioan. I. 3. „ Quod vidimus, & audivimus. “ Et ideo Dominus utrumque dicit: *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*. Scit autem Dominus, ſecundum quod homo, omnia. Infra ult. XVII. *Domine tu omnia noſti*. II. Machab. VI. 30. „ Domine, qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſte tu ſcis. “ Sed & videt omnia cognitione divinitatis. Infra VIII. 38. *Ego quæ vidi apud Patrem meum, hæc facio*. Dicit autem pluraliter, *Scimus, & vidimus*, ut inſinuet myſterium Trinitatis. Ideo *Pater in me manens, ipſe facit opera*: infra XIV. 10. Vel *quod ſcimus*, ego, & alii ſpirituales effecti: quia, ut dicitur Matth. XI. 26. „ Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare: “ *& tamen teſtimonium*, ita probatum, ita firmum, *non accipitis*. Infra eodem: *Et teſtimonium eius nemo accipit*. Tertio arguit eius tarditatem ex conditione eorum quæ dicuntur. Quod enim aliqua difficilia non capiantur ab aliquo, non eſt mirum; ſed quod facilia quis non capiat, reprehenſibilis eſt: & ideo dicit: *Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis*? quaſi dicat: Si hæc quæ ſunt levia, non capis: quomodo capere poteris proceſſum Spiritus ſancti? Sap. IX. 16. „ Quæ in terris ſunt, difficile invenimus, & quæ in cælis ſunt quis inveſtigabit? “

Sed contra. Non invenitur ex præmiſſis quod Dominus dixerit Nicodemo aliqua terrena. Et dicendum, ſecundum Chryſoſtomum hic: quod dicit Dominus, *Si terrena dixi vobis &c.* intelligitur de exemplo venti. Ventus enim cum ſit generabilis, & corruptibilis, numeratur inter res terrenas. Vel poteſt dici, ſecundum eumdem, quod ſpiritualis generatio, quæ eſt in baptiſmo, cæleſtis quidem eſt quantum ad principium, quod ſanctificat, & regenerat, ſed terrena quantum ad ſubiectum: quod enim regeneratur, ſcilicet homo, terrenus eſt. Vel dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod intelligendum eſt de eo quod ſupra (II. 19.) dixerat: *Solvite templum hoc &c.* quod ideo terrenum eſt, quia hoc dixit de templo corporis ſui, quod de terra acceperat. *Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis*? quaſi dicat: Si non creditis generationem ſpiritualem temporalem, quomodo credetis æternam Filii generationem? Vel ſi non creditis quæ dico de poteſtate corporis mei, quomodo credetis de poteſtate divinitatis meæ, & de poteſtate Spiritus ſancti?

(d) Hic reſpondet quæſtioni: & primo ponit cauſas ſpiritualis regenerationis; ſecundo manifeſtat quod dicit, ibi, *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret*.

(a) *Al.* ſub Moyſe.

ret. Cauſa autem ſpiritualis regenerationis eſt duplex, ſcilicet myſterium incarnationis Chriſti, & paſſionis eius: & ideo primo agit de incarnatione; ſecundo de paſſione, ibi, *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem &c.* Eſt autem conſiderandum primo, quomodo iſta reſponſio Chriſti quæſtioni Nicodemi ſatisfaciat. Dixerat enim ſupra Dominus, de ſpiritu loquens, quod *neſcis unde veniat, aut quo vadat*: per quod dabatur intelligi, quod ſpiritualis regeneratio haberet occultum principium, & occultum finem. Occulta autem nobis ſunt quæ in cælis ſunt, ſecundum illud Sap. ix. 16. „ Quæ in cælis ſunt, quis inveſtigabit?" Quæſtio ergo Nicodemi: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* ſic debet intelligi: quomodo poſſit aliquid de occulto cælorum venire, aut ad occultum cælorum ire? Unde antequam quæſtioni ſatisfaceret, hunc intellectum quæſtionis explicavit, dicens: *Quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* Et ſtatim incipit oſtendere, cuius ſit in cælum aſcendere proprium: quia omnis qui de cælo deſcendit, ſecundum illud Epheſ. iv. 10. „ Qui deſcendit ipſe eſt & qui a- „ ſcendit." Hoc enim & in rebus naturalibus invenitur quod unumquodque corpus tendit in locum, ſecundum ſuam originem, vel naturam. Unde hoc modo poteſt fieri ut aliquis per ſpiritum vadat ad locum quem carnales neſciunt, aſcendendo in cælum, ſi hoc fiat per virtutem eius qui deſcendit de cælo: quia ad hoc deſcendit, ut aſcendens, nobis viam aperiret. Mich. ii. 13. „ Aſcendit „ pandens iter ante eos."

Sed quia dicit: *Qui deſcendit de cælo Filius hominis*: quidam errandi ſumpſerunt occaſionem. Cum enim Filius hominis deſignet humanam naturam, quæ componitur ex anima, & corpore; per hoc quod dicit, quod Filius deſcendit de cælo, Valentinus accipere voluit, quod etiam corpus de cælo detuliſſet, & tranſiſſet per Virginem, nihil ex ea accipiens, ſicut aqua per fiſtulam: ergo non de terrena ſubſtantia, nec ſumptum de Virgine: quod eſt contra Apoſtolum, Rom. i. 3. „ Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecun- „ dum carnem." Origenes vero dixit, quod deſcendit de cælo ſecundum animam, quam dicit ab initio fuiſſe creatam cum Angelis, & Verbo unitam, & poſtmodum de cælo deſcendiſſe aſſumendo carnem de Virgine. Sed & hoc repugnat catholicæ fidei, quæ animas dicit ante corpora non extitiſſe. Non ergo intelligendum eſt quod Filius hominis ſecundum humanam naturam de cælo deſcenderit, (*a*) ſed ſecundum divinam. Cum enim in Chriſto ſit unum ſuppoſitum, vel hypoſtaſis, vel perſona duarum naturarum, divinæ ſcilicet, & humanæ; ex quacumque earum hoc ſuppoſitum nominetur, poſſunt ei attribui & divina, & humana. Poſſumus enim dicere, quod Filius hominis creavit ſtellas, & quod Filius Dei crucifixus eſt. Sed Filius Dei crucifixus eſt, non ſecundum divinam naturam, ſed ſecundum humanam; Filius autem hominis creavit ſtellas ſecundum divinam naturam. (*b*) Ita in his quæ de Chriſto dicuntur, non eſt attendenda diſtinctio quantum ad id de quo dicuntur, quia indifferenter & divina, & humana dicuntur de Deo & homine; ſed eſt attendenda diſtinctio quantum ad id ſecundum quod dicuntur, quia divina dicuntur de Chriſto ſecundum divinam naturam, humana vero ſecundum humanam. Deſcendere ergo de cælis dicitur de Filio hominis, non ſecundum humanam naturam, ſed ſecundum divinam, ſecundum quam convenit ei ante incarnationem de cælo fuiſſe, ſecundum illud Pſal. cxiii. 16. „ Cælum cæli Domino."

Dicitur autem deſcendiſſe, non motu locali, quia ſic non remaneret in cælo: nihil enim localiter motum manet unde deſcendit. Et ideo ad excludendum motum localem, ſubdit: *Qui eſt in cælo*; quaſi dicat: Sic deſcendit de cælo, quod tamen eſt in cælo: deſcendit enim de cælo, non quidem deſinens eſſe ſurſum, ſed aſſumens naturam quæ eſt deorſum: qui, quia non includitur, vel comprehenditur, corpore eius exiſtente in terra, ipſe ſecundum divinitatem erat in cælis, & ubique: & ideo ad deſignandum, quod hoc modo dicitur deſcendiſſe, quia aſſumpſit naturam, dixit, quod *deſcendit Filius hominis*; ideſt, inquantum factus (*c*) eſt Filius hominis. Vel poteſt dici etiam, quod (*d*) quantum ad corpus deſcendit de cælo, ut Hilarius dicit: non quod materia corporis Chriſti deſcenderit de cælo, ſed quod virtus formativa eius de cælo fuit.

Sed quid eſt quod dicit: *Nemo aſcendit in cælum, niſi Filius hominis, qui eſt in cælo?* Nonne Paulus, & Petrus, & alii ſancti aſcenderunt, ſecundum illud II.Corinth.v.1.„Domum „ habemus, non manufactam in cælis &c." Reſpondeo dicendum, quod nemo aſcendit in cælum niſi Chriſtus, & membra ſua, ideſt iuſti fideles: propterea Filius Dei de cælis deſcendit, ut nos faciendo membra ſua ad aſcenſum cælorum præpararet; nunc quidem in ſpe, tandem vero in re. Epheſ. ii.6. „ Qui „ reſuſcitavit nos, & conſedere nos fecit in „ cæleſtibus in Chriſto Ieſu."

(*c*) Hic

(a) *Al.* ſecundum ſuam divinam. (b) *Al.* Ita ut. (c) *Al.* omittitur eſt. (d) *Al.* inquantum corpus.

Digitized by Google

(e) Hic ponit myſterium paſſionis, cuius virture baptiſmus efficaciam habet. Rom. VI. 3. „ Quicumque baptizati (a) ſumus in Chriſto „ Ieſu, in morte ipſius baptizat iſumus. “ Et circa hoc tria facit: primo namque proponit paſſionis figuram; ſecundo paſſionis modum; tertio paſſionis fructum. Figuram quidem aſſumit de veteri lege, ut reducat ad intellectum Nicodemum: (b) unde dicit: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto &c.* quod quidem habetur Num. XXI. 5. quoniam Dominus populo Iudæorum dicenti: „ Nauſeat anima „ noſtra ſuper hoc cibo leviſſimo:“ in ultionem miſit ſerpentes, & poſtea concurrente populo ad Moyſen, & ipſo clamante ad Dominum, mandavit Dominus in remedium fieri ſerpentem æneum, qui quidem fuit & in remedium contra illos ſerpentes, & in figuram paſſionis dominicæ. Unde & dicitur (ibid. 9.) „ In ſignum poſuit eum. “ Proprium autem ſerpentis eſt habere venenum; ſed ſerpens æneus venenum non habuit, ſed figura fuit ſerpentis venenoſi. Sic & Chriſtus non habuit peccatum, quod eſt (c) venenum: quia „ cum „ conſummatum fuerit, generat mortem:“ ut dicitur Iacob. I. 15. ſed habuit ſimilitudinem peccati. Rom. VIII. 3. „ Miſit Deus Filium ſuum „ in ſimilitudinem carnis peccati. “ Ideo Chriſtus habuit effectum ſerpentis contra motum concupiſcentiarum ignitarum. Modum autem paſſionis oſtendit, cum dicit: *Sic exaltari oportet Filium hominis*: quod intelligitur de exaltatione crucis. Unde infra XII. 34. cum diceret: *Oportet exaltari Filium hominis &c.* ſequitur: *Hoc dicebat ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum*. Voluit autem mori exaltatus, primo ut purgaret cæleſtia: iam enim per ſanctitatem ſuæ converſationis purgaverat terram, reſtabat per mortem purgare aerea. Coloſ. I. 20. „ Pacificans „ per ſanguinem ſuum quæ in cælis, & quæ „ in terris. “ Secundo ut triumpharet de dæmonibus, qui in aere bellum præparant. Eph. II. 2. „ Secundum (d) principem poteſtatis aeris &c. “ Tertio ut corda noſtra ad ſe traheret. Infra XII. 32. *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. Quarto quia in morte crucis fuit exaltatus, inquantum ibi de inimicis triumphavit: unde mors non vocatur, ſed exaltatio. Pſal. 109. „ De torrente in via bibet, propterea „ exaltabit caput &c. “ Quinto quia crux fuit cauſa exaltationis eius. Phil. II. 8. „ Factus „ eſt obediens Patri uſque ad mortem, mortem „ autem crucis: propter quod & Deus exaltavit „ illum.“ Fructus autem paſſionis Chriſti eſt vita æterna: unde dicit: *Ut omnis qui credit in ipſum*, bene operando, *non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Et reſpondet hic fructus fructui figuralis ſerpentis. Quicumque enim reſpiciebant ſerpentem æneum, liberabantur a veneno, & præſervabantur vitæ. Ille autem reſpicit Filium hominis exaltatum qui credit Chriſto crucifixo; & ſic liberatur a veneno, & a peccato: infra XI. 26. *Qui credit in me, non morietur in æternum*: & præſervatur ad vitam æternam: infra XX. 31. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius*.

LECTIO III.

(a) SIc enim Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

(b) Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.

(c) Qui credit in eum, non iudicatur.

(d) Qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

(e) Hoc eſt autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera.

(f) Omnis enim qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius.

(g) Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.

(a) SUpra Dominus aſſignavit (e) cauſam ſpiritualis regenerationis quantum ad deſcenſum Filii, & exaltationem Filii hominis, & poſuit fructum, ſcilicet vitam æternam:

(a) *Al.* ſunt. (b) *Al.* cum. (c) *Al.* venenoſum. (d) *Al.* Secundum principem aeris.
(e) *Al.* cauſam ſpiritualem huius generationis.

nam: qui quidem fructus incredibilis videbatur hominibus habentibus neceſſitatem moriendi: & ideo Dominus hoc manifeſtat: & primo probat magnitudinem fructus ex magnitudine divini amoris; ſecundo excludit quamdam reſponſionem, ibi, *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum*. Notandum eſt autem, quod omnium bonorum noſtrorum cauſa eſt Dominus, & divinus amor. Amare (*a*) enim proprie eſt velle alicui bonum. Cum ergo voluntas Dei ſit cauſa rerum, ex hoc provenit nobis bonum, quia Deus amat nos. Et quidem amor Dei eſt cauſa boni naturæ. Sap. xi. 25. „ Diligis omnia „ quæ ſunt &c. “ Item eſt cauſa boni gratiæ. Hier. xxxi. 3. „ In caritate perpetua „ dilexi te, ideo attraxi te, “ ſcilicet per gratiam. Sed quod ſit etiam dator boni gloriæ, procedit ex magna caritate; & ideo oſtendit hic, hanc Dei caritatem eſſe maximam ex quatuor. Primo namque ex perſona amantis, quia Deus eſt qui diligit, (*b*) & immenſe: & ideo dicit: *Sic Deus dilexit*. Deut. xxxiii. 3. „ Dilexit populos: omnes „ ſancti in manu illius ſunt. “ Secundo ex conditione amati, quia homo eſt qui diligitur, mundanus ſcilicet, corporeus, ideſt in peccatis exiſtens. Rom. v. 10. „ Commendat „ Deus ſuam caritatem in nobis: (*c*) quoniam „ cum adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſu„ mus Deo per mortem Filii eius. “ Et ideo dicit, *Mundum*. Tertio ex magnitudine munerum: nam dilectio oſtenditur per donum: quia, ut dicit Gregorius „ probatio dilectio„ nis, exhibitio operis eſt. “ Deus autem maximum donum nobis dedit, quia Filium ſuum unigenitum: & ideo dicit: *Ut Filium ſuum unigenitum daret*. Roman. viii. 32. „ Pro„ prio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis „ omnibus tradidit illum. “ Et dicit *ſuum*, ideſt Filium naturalem, ſibi (*d*) conſubſtantialem, non adoptivum: de quibus in Pſal. lxxxi. 6. „ Ego dixi, Dii eſtis. “ Et per hoc patet falſitas Arrii: quia ſi Filius Dei eſſet creatura, ut ipſe dicebat, non poſſet in eo oſtendi immenſitas divini amoris, per ſuſceptionem infinitæ bonitatis, quam nulla creatura recipere poteſt. Dicit etiam, *Unigenitum*, ut oſtendat Deum non diviſum amorem habere ad plures filios, ſed totum in Filio, quem dedit ad comprobandum immenſitatem ſui amoris. Infra v. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei*. Quarto ex fructus magnitudine, quia per eum habemus vitam æternam: unde dicit: *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*: quam acquiſivit nobis per mortem crucis.

Sed numquid ad hoc dedit eum ut moreretur in cruce? Dedit quidem eum ad mortem crucis, inquantum dedit voluntatem patiendi in ea: & hoc dupliciter. Primo quia inquantum Filius Dei, ab æterno habuit voluntatem aſſumendi carnem, & patiendi pro nobis, & hanc voluntatem habuit a Patre; ſecundo vero quia animæ Chriſti inſpirata eſt a Deo voluntas patiendi.

Nota autem, quod Dominus ſupra, loquens de deſcenſu qui competit Chriſto ſecundum divinitatem, nominavit eum Filium Dei; & hoc eſt ratione unius ſuppoſiti in duabus naturis, ſicut ſupra dictum eſt. Et ideo divina poſſunt prædicari de ſuppoſito humanæ naturæ, & humana de ſuppoſito divinæ; non tamen ſecundum eamdem naturam; ſed divina ſecundum divinam naturam, & humana ſecundum humanam. Specialis autem cauſa quare hic nominavit eum Filium Dei (*e*) eſt quia ipſe propoſuit donum iſtud in ſignum divini amoris, per quem provenit nobis fructus vitæ æternæ. Tali ergo nomine nominandus erat, cui competeret (*f*) indicare virtutem factivam vitæ æternæ, quæ non eſt in Chriſto inquantum Filius hominis, ſed inquantum Filius Dei. Ioan. ult. 20. *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*. Supra 1. 4. *In ipſo vita erat*.

Sed nota, quod dicit, *Non pereat*. Perire namque dicitur aliquid quod impeditur ne perveniat ad finem ad quem ordinatur. Homo autem ordinatur ad finem, qui eſt vita æterna; & quamdiu peccat, avertit ſe ab ipſo fine. Et licet dum vivit, omnino non pereat, ita quod non poſſit reſtaurari, tamen quando moritur in peccato, tunc perit omnino. Pſal. 1. 7. „ Iter impiorum peribit. “ In hoc autem quod dicit, *Habeat vitam æternam*, indicatur divini amoris immenſitas: nam dando vitam æternam, dat ſeipſum. Nam vita æterna nihil aliud eſt quam frui Deo. Dare autem ſeipſum, magni amoris eſt indicium. Epheſ. ii. 5. „ Deus autem, qui dives eſt „ in miſericordia, convivificavit nos in Chri„ ſto; “ ideſt, fecit nos habere vitam æternam.

(b) Hic excludit Dominus obiectionem quæ poſſet fieri. In veteri enim lege promittebatur, quod Dominus eſſet venturus ad iudicandum. Eſai. 14. „ Dominus ad iudicium „ veniet &c. “ Unde poſſet aliquis dicere, quod non venerat Filius Dei, ut det vitam æternam, ſed ut iudicet mundum: & ideo

hoc

(a) *Al.* deeſt enim. (b) *Al.* & immenſus. (c) *Al.* ſi enim adhuc. (d) *Al.* perconſubſtantialem. (e) *Al.* eſſe. (f) *Al.* iudicare.

Digitized by Google

hoc exeludens Dominus, primo oſtendit ſe non veniſſe ad iudicandum; ſecundo probat, ibi, *Qui eredit in eum, non iudicatur*. Dicit ergo: Non enim venit Filius Dei ad iudicandum: quia *non miſit Deus Filium ſuum*, ſcilicet quantum ad primum adventum, *ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus.* Simile habetur inſra xii. 47. *Non enim veni ut iudicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum*. Salus autem hominis eſt ut perveniat ad Deum. Pſal. lxi. 8. „ In Deo ſalutare meum. “ Pervenire autem ad Deum eſt conſequi vitam æternam: unde idem eſt ſalvari quod habere vitam æternam. Nec debent homines eſſe pigri, & abutentes Dei miſericordia, propter hoc quod dicit: *Non veni ut iudicem mundum* licentiam ſibi indulgere peccandi: quia etſi in primo adventu non venerit ad iudicandum, ſed ad dimittendum; in ſecundo tamen veniet ad iudicandum, ſed non ad dimittendum, ut Chryſoſtomus dicit. Pſal. lxxiv. 3. „ Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. “

Contra eſt quod dicitur infra ix. *In iudicium ego veni*. Sed dicendum eſt, quod duplex eſt iudicium. Unum eſt diſcretionis; & ad hoc venit Filius Dei in primo adventu: quia eo veniente homines diſcreti ſunt, quidam per cæcitatem, quidam per lumen gratiæ. Aliud eſt condemnationis; & in hoc quantum de ſe non venit.

(c) Hic probat quæ dixerat, quaſi per locum a diviſione, hoc modo. Quicumque iudicabitur, aut erit fidelis, aut infidelis; ſed non veni ad iudicandum infideles, quia iam iudicati ſunt: ergo a principio non miſit Deus Filium ſuum, ut iudicet mundum. Primo ergo oſtendit, quod fideles non iudicantur; ſecundo quod nec infideles, ibi, *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt*. Dicit ergo: Non veni ut iudicem mundum: quia non venit ad iudicandum fideles: quia *qui credit in eum, non iudicatur*, ſcilicet iudicio condemnationis, quo nullus credens in eum fide formata iudicatur: infra v. 24. *In iudicium non venit, ſed tranſit a morte in vitam*: ſed iudicabitur iudicio præmiationis, & approbationis: de quo dicit Apoſtolus I. Cor. iv. 4. „ Qui autem iudicat me, Dominus eſt. “

Sed numquid multi fideles peccatores non damnabuntur? Reſpondeo dicendum, quod quidam hæretici dixerunt, quod nullus fidelis, quantumcumque peccator, damnabitur; ſed ſalvabitur merito fundamenti, ſcilicet fidei, licet aliquam pœnam patiatur. Et erroris ſui fundamentum ſumunt ex hoc quod dicit Apoſtolus I. Cor. iii. 11. „ Fundamentum aliud nemo poteſt ponere: “ & inſra (ibid. 15.) „ Si cuiuſquam opus arſerit, ipſe tamen ſalvus erit, quaſi per ignem. “ Sed hoc manifeſte eſt contra Apoſtolum ad Gal. v. 19. „ Manifeſta ſunt opera carnis, „ quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia &c..... Qui talia agunt, regnum Dei „ non poſſidebunt. “ Dicendum eſt ergo; quod fundamentum non eſt fides informis, ſed formata, quæ per caritatem operatur. Et ideo ſignanter non dicit Dominus, Qui credit ei; ſed *qui credit in eum*; ideſt, qui credendo in eum, per caritatem tendit, *non iudicatur*; & hoc, quia non peccat mortaliter, per quod tollitur fundamentum. Vel, ſecundum Chryſoſtomum, omnis qui male agit, non eredit: ad Tit. i. 16. „ Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: “ ſed qui bene agit: Iacob. ii. 18. „ Oſtende „ mihi ex operibus fidem tuam: “ & talis non iudicatur, & non condemnatur propter infidelitatem.

(d) Hic oſtendit quod infideles non iudicantur. Et primo ponit ſuam ſententiam; ſecundo manifeſtat (*a*) eam, ibi, *Hoc autem eſt iudicium &c.* Sciendum eſt autem circa primum, ſecundum Auguſtinum, quod non dicit (*b*) Chriſtus: Qui non credit, (*c*) iudicatur; ſed dicit, Non iudicatur: quod poteſt tripliciter exponi. Secundum Auguſtinum enim qui non credit, non iudicatur, quia iam iudicatus eſt, non in re, ſed in Dei præſcientia; ideſt, iam præcognitus eſt apud Deum condemnandus. II. Tim. ii. 19. „ Novit Domi„nus qui ſunt eius. “ Alio modo, ſecundum Chryſoſtomum, *qui non credit iam iudicatus eſt*; ideſt, hoc ipſum quod non credit, eſt ſibi ad condemnationem: non credere enim, eſt non adhærere lumini, quod eſt eſſe in tenebris; & hæc eſt magna condemnatio. Sap. xvii. 17. „ Una catena tenebrarum „ omnes erant colligati. “ Tob. v. 12. „ Quale gaudium mihi erit qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? “ Tertio modo ſecundum eumdem, *qui non credit*, non iudicatur; ideſt, iam condemnatus eſt; ideſt, iam manifeſtam cauſam condemnationis habet. Et ſimile eſt ac ſi diceretur de aliquo qui manifeſtam cauſam mortis habet, ante etiam quam feratur ſententia mortis contra eum, quia iam mortuus eſt. Unde Gregorius dicit quod in iudicio duplex eſt ordo. Quidam etenim iudicabuntur iudicio diſcuſſionis, illi videlicet qui habent aliquid condemnatio-

ni

(a) *Al.* eſſe. (b) *Al.* Dominus. (c) *Al.* iudicatur, quia iam iudicatus eſt; ſed dicit &c. (d) *Al.* fidelis peccatoris.

ni repugnans, ſcilicet bonum fidei, ſcilicet (*d*) fideles ſpeccatores. Sed infideles, quorum damuatio eſt manifeſta, abſque diſcuſſione damnantur: & de iſtis dicitur: *Qui non credit, iam iudicatus eſt*. Pſal. I. 6. „ Non (*a*) „ reſurgent impii in iudicio, “ ſcilicet diſcuſſionis.

Sciendum eſt autem, quod iudicari idem eſt quod condemnari; condemnari autem eſt a ſalute excidere, ad quam una ſola via pervenitur, ſcilicet per nomen Filii Dei. Act. IV. 12. „ Non eſt aliud uomen datum ſub cælo, „ in quo oporteat nos ſalvos fieri. “ Et in Pſal. LIII. 3. „ Deus in nomine tuo ſalvum „ me fac. “ Qui ergo non credunt in Filium Dei, excidunt a ſalute, & manifeſta eſt iu eis cauſa damnationis.

(e) Hic manifeſtat Dominus ſuam ſententiam, ſcilicet qnod cauſa condemuationis manifeſta eſt in infidelibus: & primo ponit manifeſtans ſignum; ſecunduo oſtendit ſigni convenientiam, ibi, *Omnis enim qui male agit, odit lucem*. In ſigno autem propoſito tria facit: primo enim proponit Dei beneficium; ſecundo perverſitatem mentis infidelium; tertio perverſitatis cauſam. Dicit ergo: Manifeſte apparet quod qui non credit, iam iudicatus eſt: quod apparet ex Dei beneficio: quia *lux venit in mundum*. Homines enim erant in tenebris ignorantiæ: quas quidem tenebras Deus deſtruxit, mittens lucem iu mundum, ut homines cognoſcerent veritatem. Infra VIII. 12. *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vita*. Luc. I. 78. „ Viſitavit nos oriens ex alto. „ Illuminare his qui in tenebris, & in umbsa mortis ſedent. “ Sed iſta venit in mundum, ſcilicet lux, quia homo ad eam accedere non poteras: nam „ lucem habitat in„ acceſſibilem, quam nemo hominum vidit; ſed „ nec videre poteſt: “ I. Tim. VI. 16. Apparet etiam ex perverſitate mentis infidelium, qui *dilexerunt magis tenebras quam lucem*; ideſt, magis voluerunt eſſe in tenebris ignorantiæ quam inſtrui per Chriſtum. Iob XXIV. 13. „ Ipſi fuerunt rebelles lumini. “ Eſa. V. 20. „ Væ qui ponunt lucem tenebras &c. “ Cuius quidem perverſitatis cauſa eſt quia *erant* (*b*) *eorum mala opera*: quæ a luce diſſonant, & tenebras quærunt. Rom. XIII. 12. „ Abiiciamus opera tenebrarum, “ ideſt peccata, quæ tenebras quærunt. I. Theſſal. ult. 7. „ Qui dormiunt, (*c*) nocte dormiunt. “ Iob XXIV. 15. „ Oculus adulteri obſervat cali„ ginem. “ Ex hoc autem aliquis non credit luci, quod ei repugnat diſcedendo.

Sed uumquid omnes infideles habent mala opera? Videtur quod non: nam multi gentiles ſecundum virtutem operati ſunt; puta Cato, & alii plures. Sed dicendum, ſecundnm Chryſoſtomum, quod aliud eſt bene operari ex virtute, aliud ex aptitudine, & diſpoſitione naturali. Nam aliqui ex diſpoſitione naturali bene operantur, quia ex eorum diſpoſitione non inclinantur ad contrarinm; & hoc modo etiam infideles potueruut bene operari: ſicut quod aliquis caſte vixit, quia non impugnabatur a concupiſcentia; & ſic de aliis. Illi autem ex virtute bene operantur, (*d*) qui, etſi inclinentur ad vitium contrarium, tamen ex rectitudine rationis, & bonitate voluntatis a virtute non declinant; & hoc eſt proprium fidelium. Vel dicendum, quod licet infideles bona facerent, uon tamen faciebant propter amorem virtutis, ſed propter inanem gloriam. Nec etiam omnia bene operabantur, quia Deo cultum debitum uon reddebant.

(f) Conſequenter cum dicit, *Omnis enim qui male agit, odit lucem*, oſtendit propoſiti ſigni convenientiam: & primo quidem quantum ad malos; ſecundo quantum ad bonos, ibi, *Qui autem facit veritatem venit ad lucem*. Dicit ergo: Ideo non dilexerunt lucem, quia erant eorum mala opera. Et hoc patet, quia *omnis qui male agit, odit lucem*. Non autem dicit, Egit, ſed *agit*: quia ſi quis male egit, tamen pœnitens, & videns ſe male feciſſe, dolet, non odit lucem, ſed ad lucem venit. Sed *omnis qui male agit*, ideſt in malo perſeverat, nou dolet, nec ad lucem venit, ſed eam odit: nou inquantum veritatis quidem eſt manifeſtativa, ſed inquantum per eam peccatum hominis manifeſtatur. Diligit euim malus homo cognoſcere lucem, & veritatem; ſed odit per eam manifeſtari. Iob XXIV. 17. „ Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur „ umbram mortis. “ Et ideo *non venit ad lucem*; & hoc *ut non arguantur opera eius*: nullus enim homo, qui non vult malum deſerere, vult reprehendi; ſed fugit, & odit. Amos V. 10. „ Odio habuerunt corripientem „ in porta. “ Prov. XV. 12. „ Nou amat peſtilens eum qui ſe corripit. “

(g) Hic oſtendit idem quantum ad bonos facientes veritatem, ideſt bona opera. Veritas enim non ſolum in cogitatione, & dictis conſiſtit, ſed & in factis. *Venit ad lucem*.

Sed numquid aliquis ante Chriſtum fecit ita? Videtur quod uou. Ille enim facit verita-

(a) *Al.* reſurgunt. (b) Al. *erant enim eorum &c.* (c) *Al.* morte. (d) *Al.* quia.

Digitized by Google

tatem, qui non peccat; ſed „ ante Chriſtum „ omnes peccaverunt : “ ut dicitur Rom. III. 23. Reſpondeo dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod ille facit veritatem in ſeipſo, cui diſplicet malum quod fecit; & relictis tenebris, obſervat ſe a peccatis, & de præteritis pœnitens *venit ad lucem*, ad hoc ut ſpecialiter *manifeſtentur opera eius*.

Sed contra eſt, quod nullus debet publicare bona quæ facit : unde phariſæi de hoc a Domino reprehenduntur. Dicendum eſt, quod licitum eſt velle manifeſtare opera ſua coram Deo, ut approbentur, ſecundum quod dicitur II. Corinth. x. 18. „ Non enim qui ſeipſum „ commendat, ille probatus eſt, ſed quem „ Deus commendat. “ Et Iob XVI. 20. „ Ecce in cælo eſt teſtis meus. “ Velle etiam manifeſtari in ſua conſcientia ut gaudeat : ſecundum quod dicitur II. Corinth. I. 12. „ Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ „ noſtræ “ Velle autem manifeſtari hominibus ad laudem, vel gloriam propriam, reprehenſibile eſt. Nihilominus tamen ſancti viri bona quæ faciunt, manifeſtari deſiderant hominibus propter honorem Dei, & propter utilitatem fidei. Matth. v. 16. „ Sic luceat lux „ veſtra coram hominibus ut videant opera „ veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum „ qui in cælis eſt. “ Sed veniunt ad lucem, ut manifeſtentur opera eorum, *quoniam in Deo ſunt facta*, ideſt ſecundum mandatum Dei, vel per gratiam Dei. Quicquid enim boni facimus, ſive vitando peccatum, ſeu pœnitendo de commiſſis, ſive bona operando, totum eſt a Deo, iuxta illud Eſa. XXVI. 12. „ Omnia opera noſtra operatus es in nobis. “

L E C T I O IV.

(a) Poſt hæc venit Ieſus, & diſcipuli eius in terram Iudæam; & illic morabatur cum eis, & baptizabat.

(b) Erat autem & Ioannes baptizans in AEnnon iuxta Salim : quia aquæ multæ erant illic; & veniebant, & baptizabantur. Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem.

(c) Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione.

(d) Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.

(a) Supra Dominus tradidit doctrinam de ſpirituali regeneratione per verba; hic vero doctrinam illam implet per opera, baptizando. Et primo inducitur duplex baptiſmus; ſecundo movetur quæſtio de comparatione eorum, ibi, *Facta eſt ergo quæſtio &c.* Circa primum duo facit. Primo inducitur baptiſmus Chriſti; ſecundo baptiſmus Ioannis, ibi, *Erat autem Ioannes baptizans &c.* Dicit ergo primo : *Poſt hæc*, ſcilicet quæ de doctrina ſpiritualis regenerationis præmiſſa ſunt, *venit Ieſus, & diſcipuli eius in terram Iudæam*.

Sed hic eſt quæſtio litteralis : nam ſupra dixerat Evangeliſta, quod Dominus de Galilæa venerat in Hieruſalem, quæ eſt Iudæa terra, ubi inſtruxerat Nicodemum. Quomodo ergo poſt inſtructionem Nicodemi, venit in Iudæam, cum iam eſſet ibi? Ad quod eſt duplex reſponſio : nam ſecundum Bedam, Chriſtus poſt verba Nicodemi, ivit in Galilæam, & ibi aliquamdiu moratus rediit in Iudæam: & ideo cum dicitur, *Poſt hæc venit Ieſus*, non eſt intelligendum quod immediate venerit in Iudæam poſt verba Nicodemi. Alio modo, ſecundum Chryſoſtomum, intelligendum eſt quod poſt hæc immediate venerit in terram Iudæam. Chriſtus enim volebat prædicare ubi multitudo conveniebat, ut multi converterentur. Pſal. XXXIX. 10. „ Annuntiavi „ iuſtitiam tuam in eccleſia magna. “ Et infra XVIII. 20. *Ego palam locutus ſum &c.* Duo autem loca erant in Iudæa, ad quæ confluebat multitudo Iudæorum, ſcilicet Hieruſalem, ad quam ibant ad feſta, & Iordanis, ad quem concurrebant propter prædicationem, & baptiſmum Ioannis. Et ideo Dominus iſta duo loca frequentans, ſtatim completis diebus feſtis in Hieruſalem, quæ eſt in una parte Iudææ, venit in aliam partem Iudææ, ubi Ioannes baptizabat, ſcilicet in Iordanem.

Moraliter autem Iudæa interpretatur confeſſio, ad quam venit Ieſus, quia Chriſtus confitentes ſua peccata, vel divinam laudem, viſitat. Pſal. CXIII. 2. „ Facta eſt Iudæa „ ſanctificatio eius. “ Et illic moratur, quia tales non tranſitorie viſitat, Infra XIV. 23. *Ad*

enim

eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Et illic baptizat, ideſt purgat a peccatis: quia niſi quis peccata ſua confiteatur, remiſſionem non conſequitur. Prov. XXVIII. 13. „ Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirige- „ tur. “

(b) Deinde cum dicit, *Erat autem & Ioannes baptizans in AEnnon*, introducit Evangeliſta baptiſma Ioannis: & circa hoc quatuor facit. Primo enim ponit perſonam baptizantis; ſecundo locum baptiſmi; tertio fructum; quarto tempus. Perſona baptizans eſt Ioannes; & ideo dicit: *Erat autem Ioannes baptizans*.

Sed hic eſt quæſtio: quia cum baptiſma Ioannis ordinaretur ad baptiſmum Chriſti, videtur quod, veniente baptiſmate Chriſti, Ioannes ceſſare debuerit a baptizando, ſicut veniente veritate, ceſſat figura. Ad hoc eſt triplex reſponſio. Una, quantum ad perſonam Chriſti: nam Ioannes baptizavit ut Chriſtus baptizaretur ab eo: nec oportebat quod ſolus Chriſtus ab eo baptizaretur, ne baptiſmus Ioannis ex huius ſingularitate, melior Chriſti baptiſmate videretur: & ideo expediens fuit ut alii ante Chriſtum baptizarentur a Ioanne: quia antequam Chriſti doctrina publicata eſſet, neceſſarium erat homines præparari ad Chriſtum baptiſmo Ioannis. Unde ſecundum hoc, ita ſe habet baptiſmus Ioannis ad baptiſmum Chriſti ſicut catechiſmus, in quo baptizandi inſtruuntur de fide, & præparantur ad baptiſmum, ſe habet ad verum baptiſma. Neceſſarium etiam fuit ut poſtquam Chriſtus baptizatus fuerat a Ioanne, alii baptizarentur ab eo, ne Ioannis baptiſma reprobandum videretur; ſicut etiam non ſtatim veniente veritate ceſſavit uſus legalium, ſed, ſecundum Auguſtinum, licuit Iudæis determinato tempore legalia ſervare. Alio modo quantum ad perſonam Ioannis: nam ſi Ioannes ſtatim cum Chriſtus baptizare cœpit, deſtitiſſet a baptiſmo, potuiſſet credi, quod hoc feciſſet ex invidia, vel ira. Et quia, ut dicitur Rom. XII. 17. „ providere „ debemus bona non ſolum coram Deo, ſed et- „ iam coram (a) omnibus hominibus: “ ideo Ioannes non ſtatim ceſſavit. Alio modo quantum ad diſcipulos Ioannis, (b) qui iam incipiebant ſe zelotypos habere ad Chriſtum, & ad diſcipulos eius, quia baptizabant. Unde ſi ſtatim Ioannes totaliter baptizare ceſſaſſet, dimiſiſſet diſcipulos ſuos in maiori zelo, & controverſia contra Chriſtum, & diſcipulos eius. Iam enim etiam Ioanne baptizante, ipſi ægre ferebant baptiſmum Chriſti: quod patet ex ſequentibus. Et ideo non ſtatim ceſſavit. I. Corinth. VIII. 9. „ Videte (c) ne „ forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat „ infirmis. “

Locus autem baptiſmi erat *in AEnnon iuxta Salim: quia aqua multa erant ibi*. (d) Salim alio nomine dicitur Salem quæ eſt villa, unde Melchiſedech Rex fuit. Et dicitur hic *Salim*, quia apud Iudæos, lector pro voluntate uti poteſt vocalibus litteris in medio dictionum: unde, ſive dicatur Salim, ſive Salem, non refert apud Iudæos. Hoc autem quod addit, *Quia aqua multa erant ibi*, ponit ad exponendum hoc nomen loci, ſcilicet *AEnnon*, quod idem eſt quod aqua. Fructus autem baptiſmi eſt remiſſio peccatorum; & ideo dicit: *Et veniebant, & baptizabantur*, ideſt mundabantur: quia, (e) ut dicitur Matth. III. & Luc. III. multitudo magna ibat ad Ioannem. Tempus ponitur ibi *Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem*: quod ideo dicit, ut det intelligere quod ipſe incepit narrationem de factis Chriſti ante alios Evangeliſtas. Alii namque inceperunt narrare opera Chriſti ſolum a tempore incarcerationis Ioannis. Unde dicitur Matth. IV. 12. „ Cum audiſſet Ieſus, quia Ioannes traditus „ eſſet, ſeceſſit in Galilæam. “ Et ideo, quia omnia facta Chriſti ante Ioannis incarcerationem prætererant, Ioannes, qui ultimo Evangelium ſcripſit, defectum hunc ſupplevit; & hoc inſinuat, cum dicit: *Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem*.

Sed nota, quod diſpenſatione divina factum eſt ut Ioannes, Chriſto baptizante, non diu baptizaret, & prædicaret, ne ex hoc fieret ſchiſma in populo; quamquam hoc ei aliquo tempore permiſſum fuerit, ne reprobandus videretur, ut ſupra dictum eſt. Sic etiam diſpenſatione factum eſt ut poſt prædicationem fidei, & converſionem fidelium, templum totaliter deſtrueretur, ut videlicet tota devotio, & ſpes fidelium traheretur ad Chriſtum.

(c) Deinde cum dicit, *Facta eſt autem quæſtio &c.* inducitur quæſtio baptiſmatum: & primo proponitur ipſa quæſtio; ſecundo relatio quæſtionis ad Ioannem, ibi, *Et venerunt ad Ioannem*; tertio ponitur quæſtionis determinatio, ibi, *Reſpondit Ioannes, & dixit eis &c.* Quia ergo duo baptizabant, ut dictum eſt, ſcilicet Chriſtus, & Ioannes, diſcipuli ipſius Ioannis pro magiſtro ſuo zelantes, occaſionem diſſidii ſumpſerunt: & hoc eſt quod di-

(a) *Al. deeſt* omnibus. (b) *Al.* qui non incipiebant. (c) *Al.* ne hæc licentia noſtra. (d) *Al.* Salim enim. (e) *Al.* hoc dicitur.

Digitized by Google

dicit: *Facta eſt quæſtio*, ideſt controverſia, *ex diſcipulis Ioannis*, ipſis ſcilicet primo moventibus hanc quæſtionem, *cum Iudæis*: quos reprehendebaot diſcipuli Ioanois, eo quod ad Chriſtum magis currerent propter miracula quæ faciebat, quam ad Ioannem, qui miraculum nullum faciebat. Et quæſtio iſta facta eſt *de purificatione*, ideſt de baptiſmo. Cauſam autem unde invidebant diſcipuli Ioannis, & controverſiam movebant, ſumpſerunt ex eo quod Ioannes illos quos baptizabat, mittebat ad Chriſtum; Chriſtus vero quos baptizabat oon mittebat ad Ioannem. Ex quo videbatur, & forte Iudæi dicebant, Chriſtum maiorem eſſe Ioanne: & ideo iſti nondom ſpirituales, (*a*) de baptiſmo contendunt cum Iudæis. I. Corioth. III. 3. „Cum enim „ſit inter vos zelus, & conteotio, noone „carnales eſtis?“

(d) Sed motam quæſtionem referunt ad Ioannem; & ideo dicit: *Et venerunt ad Ioannem*. Et ſi attenditur diligenter, conati ſunt commovere Ioannem contra Chriſtum. Similes iſti ſunt bilinguibus, & ſuſurronibus. Eccli. XXVIII. 15. „Suſurro, & bilinguis ma„ledictus: multos enim turbabit pacem ha„bentes.“ Propoount autem quatuor, quæ commotionem in animo Ioannis contra Chriſtum cauſarent. Primo enim commemorant humilitatem ſtatus Chriſti præteriti; ſecundo beneficium a Ioanne impenſum; tertio officium aſſumptum a Chriſto; quarto (*b*) detrimentum quod provenit Ioanni ex Chriſti officio. Humilitatem autem ſtatus commemorant, cum dicunt, *Qui erat tecum*, quaſi unus de diſcipulis; non autem tu cum illo, ſicut cum magiſtro: nam ſi alicui maiori honor exhibeator, non eſt tanta cauſa invidiæ; ſed tunc quis invidet, quando minori ſe magis honor exhibetur. Eccle. X. 7. „Vidi ſervos io equis „ſedentes, & principes ambulantes ſuper ter„ram quaſi ſervos.“ Iob XIX. 16. „Servum „meum vocavi, & non reſpondit.“ Quia plus turbatur dominus aliquis de rebellione ſervi & ſubditi, quam alicuius alterius. Secundo commemorantes beneficium impenſum a Ioanne, (*c*) non dicunt, Quem tu baptizaſti: quia in hoc confeſſi fuiſſent magnificentiam Chriſti, quæ in baptiſmo demonſtrata eſt, & deſcenſum Spiritus ſaocti ſuper eum in ſpecie columbæ, & vocem Patris ſibi factam; ſed dicunt: *Cui tu teſtimonium perhibuiſti*; ideſt, quem tu clarum, & circumſpectum feciſti, talia tibi rependere audet, quod multum concitat exacerbationem. Pſal. XL. 10. „Qui edebat panes meos, magnificavit „ſuper me ſupplantationem.“ Sed quia quærentes propriam gloriam, & intendentes lucrum proprium in ſuo officio, dolent ſi alius officium illud aſſumat; ideo tertio iſti addunt etiam, quod Chriſtus Ioannis officium ſibi aſſumpſit, cum dicunt: *Ecce hic baptizat*; ideſt, officium tuum exercet: quod multum concitat ad turbationem: nam communiter videmus (*d*) hic homines eiuſdem artis inſidioſe, & invide ſe habere ad invicem. Figulus figulo invidet, non autem fabro. Sic etiam doctores proprium honorem quærentes, dolent ſi alius veritatem docet: contra quos dicit Gregorius: „Mens pii paſtoris optat „ut veritatem, quam ſolus docere non ſuf„ficit, alii doceaot.“ Sic & Moyſes, Num. XI. 29. „Quis det ut omnis hic populus pro„phetet?“ Sed noo ſolum ſufficiebat iſtis concitare Ioannem; ſed quod magis movet, referuot, ſcilicet detrimentum quod Ioanni ex aſſumpto officio a Chriſto provenire videbatur: quod quarto exponunt, cum dicunt: *Et omnes veniunt ad eum*, qui ſcilicet ad te venire ſolebant: (*e*) quia te dimiſſo, & contempto, omnes ad baptiſmum eius corrunt. Quod aotem ante conſueverant ire ad Ioannem patet ex teſtimonio Matth. XI. 7. „Quid „exiſtis in deſertum videre? &c.“ Tali invidia movebantur phariſæi contra Chriſtum: onde dicebant infra XII. 19. *Ecce totus mundus poſt eum vadit*. Sed ex his Ioannes non fuit motus contra Chriſtum: non enim erat arundo vento agitata, ut dicitur Matth. XI. Et hoc patet ex reſponſione Ioannis, qoæ ſequitur in determinatione quæſtioois ſibi delatæ.

(a) *Al.* de hoc. (b) *Al.* decrementum. (c) *Al.* ideo dicunt. (d) *Al.* hoc. (e) *Al.* quod.

LECTIO V.

(a) Reſpondit Ioannes, & dixit: Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo.

(b) Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim: Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum.

(c) Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.

(d) Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.

(e) In hoc ergo gaudium meum impletum eſt.

(f) Illum oportet creſcere, me autem minui.

(g) Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt.

(h) Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur.

(i) Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt; & quod vidit, & audivit, hoc teſtatur.

(a) HIc ponitur reſponſio Ioannis ſuper quæſtione ſibi delata a diſcipulis: quæ quidem quæſtio duo continebat, ſcilicet querimoniam de officio aſſumpto; unde dicebant: *Ecce hic baptizat:* & de Chriſti profectu in fama, & opinione hominum: unde dicebant: *Et omnes veniunt ad eum*. Et ideo Ioannes dirigit reſponſionem ſuam ad hæc duo: & primo reſpondet ad querimoniam de officio aſſumpto; ſecundo vero ad querimoniam de profectu Chriſti, ibi, *Illum oportet creſcere, me autem minui*. Circa primum tria facit. Primo oſtendit officiorum Chriſti, & ſui originem; ſecundo ipſorum diſtinctionem, ibi, *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis*; tertio oſtendit habitudinem Chriſti, & ſuam ad dicta officia, ibi, *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt*.

Circa primum autem nota, quod diſcipuli Ioannis licet malitioſe Ioanni quæſtionem proponant, & ex hoc ſint reprehenſione digni, Ioannes tamen non eos vehementer increpat; & hoc propter imperfectionem: timebat enim ne commoti ex reprehenſione, recederent ab eo, & iungentes ſe phariſæis, Chriſto publice inſidiarentur; implens in hoc quod de Domino dicitur, Eſa. xlii. 3. „ Calamum quaſſatum non confringet &c. " Similiter advertendum, quod a principio ſuæ reſponſionis non ardua, & præclara de Chriſto aſſerit, ſed humilia, & plana propter ipſorum invidiam. Cum enim excellentia ſit alterius invidiæ provocativa, ſi Ioannes ſtatim Chriſti excellentiam eis propoſuiſſet, illorum invidiæ fomentum præſtitiſſet; & ideo humilia proponens, dicit: *Non poteſt homo a ſe accipere quicquam*: intendens in hoc eis terrorem incutere; quaſi dicat: Hoc quod omnes ad eum currunt, non eſt niſi a Deo: quia *non poteſt homo accipere quicquam*, ſcilicet perfectionis, & boni, *niſi fuerit ei datum de cælo*: (*a*) & ideo ſi vos contradicitis, contradicitis Deo. Actor. v. 38. „ Si ex hominibus eſt „ (*b*) conſilium hoc, aut opus iſtud, diſſolvetur. " Et ſic exponit Chryſoſtomus, referens hoc ad Chriſtum. Auguſtinus autem refert ad ipſum Ioannem, & melius. *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo*; quaſi dicat: Vos zelatis pro me, & vultis quod ego maior ſim quam Chriſtus; ſed hoc non eſt mihi datum, nec ego volo mihi uſurpare: ſecundum illud Hebr. v. 4. „ Nemo aſſumit ſibi honorem &c. " Sic ergo patet officiorum origo.

(b) Sequitur officiorum diſtinctio, cum dicit: *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis*; quaſi dicat: Ex teſtimonio meo, quod ſibi perhibui, poteſtis ſcire officium mihi commiſſum a Chriſto: nam *ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis*, ideſt perhibere poteſtis, *quod dixerim: Non ſum ego Chriſtus*. Supra 1. 20. *Confeſſus eſt, & non negavit*. Sed hoc dixi, *quia miſſus ſum ante illum*, ſicut præco ante iudicem. Sic ergo ex teſtimonio meo ſcire poteſtis officium meum, quod eſt præcedere Chriſtum, & præparare ſibi viam. Supra 1. 6. *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Ioannes*. Sed officium Chriſti eſt iudicare, & præeſſe. Et ſi bene attenditur, Ioannes more providi reſpondentis, proponentes ex verbis eorum arguit, ſecundum illud Luc. xix. 22. „ Ex ore tuo te iudico. "

(c) Qualiter autem Ioannes ſe habet ad officium ſuum, oſtendit cum ſubdit: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt*: & primo ponit quamdam ſimilitudinem; ſecundo adaptat eam ad propoſitum, ibi, *In hoc autem gaudium meum imple-*

(a) *Al.* & ideo ſic vos contradicitis Deo. (b) *Al. deeſt* conſilium hoc.

impletum eſt . Circa primum duo facit . Primo ponit ſimilitudinem quantum ad id quod pertinet ad Chriſtum ; ſecundo quantum ad id quod pertinet ad ſeipſum, ibi, *Amicus autem ſponſi &c.* Circa primum notandum eſt , quod in rebus humanis diſponere , & dominari, & habere ſibi ſponſam , pertinet ad ſponſum tantum ; & ideo dicit : *Qui habet ſponſam*, ideſt ad quem pertinet habere ſponſam , *ſponſus eſt* . Iſte autem ſponſus eſt Chriſtus . Pſal. XVIII. 6. „ Tamquam ſponſus procedens „ de thalamo ſuo . “ Sponſa ſua eſt Eccleſia , quæ coniungitur ei per fidem . Oſeæ II. 20. „ Sponſabo te mihi in fide . “ Et in huius figuram dixit Sephora ad Moyſen , Exod. IV. 25. „ Sponſus ſanguinum tu mihi es . “ Et de iſtis nuptiis dicitur Apoc. XIX. 7. „ Venerunt nuptiæ agni . “ (*a*) Sic ergo quia Chriſtus ſponſus eſt, etiam ad eum pertinet habere ſponſam , ſcilicet Eccleſiam ; ſed ad me non pertinet niſi gaudere, (*b*) quod ſponſam habet.

(d) Unde dicit: *Amicus autem ſponſi ... gaudio gaudet* . Et licet ſupra dixerit, quod non erat dignus ſolvere corrigiam calceamentorum Ieſu, hic tamen vocat ſe eius amicum , ut inſinuet caritatis (*c*) ſuæ fidelitatem ad Chriſtum . Nam ſervus ad ea quæ domini ſui ſunt , non movetur affectu caritatis , ſed ſpiritu ſervitutis ; amicus vero ex amore , quæ amici ſunt procurat , & fideliter . Unde ſervus fidelis eſt ſicut amicus domini ſui . Eccli. XXXIII. 31. „ Si eſt tibi ſervus fidelis , „ ſit tibi quaſi anima tua . “ Et ex hoc patet fidelitas ſervi , quando gaudet de bonis domini, & quando non ſibi, ſed domino ſuo bona procurat . Sic ergo, quia Ioannes ſponſam ſibi creditam, non ſibi, ſed ſponſo reſervavit, ſervus fidelis fuit , & amicus ſponſi . Et ideo ad hoc inſinuandum, ſe amicum ſponſi dicit . Simile debent facere homines amici veritatis , ut ſponſam eis ad cuſtodiendum commiſſam non ad propriam utilitatem , & gloriam convertant, ſed ad honorem, & gloriam ſponſi honorifice præſervent : alias non eſſent amici ſponſi, ſed potius adulteri. Unde Gregorius dicit, quod „ adulterinæ cogi- „ tationis (*d*) puer reus eſt, ſi placere ocu- „ lis ſponſæ deſiderat, per quem (*e*) ſponſus „ dona tranſmittit. “ Quod non faciebat Apoſtolus II. Corinth. XI. 2. „ Deſpondi enim „ vos uni viro virginem caſtam exhibere Chri- „ ſto . “ Simile & Ioannes faciebat , quia ſponſam , ſcilicet populum fidelem , non ſibi retinuit, ſed ad ſponſum , ſcilicet Chriſtum, duxit . Sic ergo inſinuat caritatis ſuæ fidelitatem per hoc quod dicit, *Amicus ſponſi*. Item permanentia , cum dicit , *Stat* , firmus in amicitia , & fidelitate , non elevans ſe ſupra ſe . Habac. II. 58. „ Super cuſtodiam meam „ ſtabo. “ I. Corinth. XV. 58. „ Eſtote ſtabi- „ les, & immobiles. “ Eccli. VI. 11. „ Ami- „ cus , ſi permaneat fixus, erit tibi quaſi coæ- „ qualis . “ Item attentionem , cum dicit , *Et audit eum* ; ideſt , attente conſiderat modum quo ſponſus ſponſæ coniungitur . In quo, ſecundum Chryſoſtomum , explicat modum iſtorum ſponſalium: nam per fidem celebrantur: „ fides autem eſt ex auditu , “ Rom. X. 17. Vel *audit*, ideſt reverenter obedit, diſponendo de ſponſa ſecundum imperium ſponſi : Eſa. L. 4. „ Audiam eum quaſi magiſtrum : “ quod eſt contra malos prælatos , qui non ſecundum Chriſti mandatum diſponunt Eccleſiam . Item inſinuat ſpiritualem iucunditatem , cum dicit: *Et gaudio gaudet propter vocem ſponſi*; ſcilicet , cum ſponſus ſponſam ſuam alloquitur . Et dicit , *Gaudio gaudet* , ut oſtendat veritatem , & perfectionem ſui gaudii . Qui enim non gaudet de bono , non vero gaudio gaudet . Et ideo , ſi ego dolerem ex hoc quod Chriſtus, qui eſt verus ſponſus, (*f*) ſponſæ, ideſt Eccleſiæ , prædicat ; non eſſem amicus ſponſi: ſed ego non doleo.

(e) Immo *in hoc gaudium meum impletum eſt* , ſcilicet quod video quod diu deſideravi , ſponſum videlicet ſponſam alloquentem . Vel *in hoc gaudium meum impletum eſt*; ideſt, ad perfectam, & debitam menſuram pervenit , quando ſponſa iam coniungitur ſponſo : quia iam habeo gratiam meam, & officium meum perfeci. Habac. III. 18. „ Ego autem in Domi- „ no gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo . “

(f) Conſequenter cum dicit , *Illum oportet creſcere, me autem minui* , ſolvit quæſtionem quantum ad querimoniam de profectu gratiæ Chriſti . Et primo ponit huius profectus convenientiam ; ſecundo rationem aſſignat, ibi , *Qui de ſurſum eſt* , *ſuper omnes eſt*. Dicit ergo: Vos dicitis, quod omnes currunt ad eum, ideſt ad Chriſtum; & ſic proficit in honore, & fama populi: ſed ego dico, quod hoc non eſt inconveniens : quia *illum oportet creſcere* , non in ſe , ſed quantum ad alios , inquantum eius virtus magis ac magis innoteſcit ; ſed *me oportet minui* , in reverentia , & fama quoad populum : nam honor & reverentia non debetur mihi ſicut principali , ſed Chriſto : & ideo ipſo veniente , ceſſat exhibitio reverentiæ quantum ad me; ſed creſcit quantum ad Chriſtum: ſicut veniente principe, ceſſat officium legati . I. Corinth. XIII.

(a) *Al.* Sic ergo quia ſponſus, etiam ad eum pertinet &c. (b) *Al.* quod ſponſus ſponſam habet. (c) *Al.* *omittitur* ſuæ. (d) *Al.* pure. (e) *Al.* ſponſa. (f) *Al.* *deeſt* ſponſæ.

Digitized by Google

10. „ Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. “ Et ſicut in cælo lucifer præcedit ſolem ad illuminandum, quo veniente, ceſſat eius lux: ita Ioannes præceſſit Chriſtum: unde lucifero comparatur, Iob XXXVIII. 32. „ Numquid produces luciferum? “ Significatur hoc etiam in nativitate Ioannis, & in morte eius. In nativitate quidem, quia natus eſt Ioannes eo tempore quo dies decreſcere incipiunt; Chriſtus vero quando dies creſcere incipiunt, ſcilicet octavo kalendas ianuarii. Quantum ad mortem vero, quia Ioannes mortuus minoratus per capitis abſciſſionem; Chriſtus vero ſublimatus per crucis exaltationem.

Moraliter autem hoc debet eſſe in unoquoque noſtrum. *Oportet illum*, ideſt Chriſtum, in te *creſcere*, ut ſcilicet in cognitinne, & amore eius proficias: quia inquantum magis eum potes cognoſcendo, & amando percipere, tanto magis Chriſtus creſcit in te; ſicut qui magis proficit in (*a*) videndo unam & eamdem lucem, reputat lucem magis creſcere. Et ex hoc oportet homines ſic proficientes minui in ſua reputatione: quia quanto plus cognoſcit quis de altitudine divina, tanto minorem reputat parvitatem humanam: unde Prov. XXX. 2. dicitur: „ Viſio quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus: “ & ſequitur: „ Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. “ Et Iob ult. 5. „ Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te: idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere. “

(g) Conſequenter cum dicit, *Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt*, aſſignat rationem dictorum: & hoc dupliciter. Primo ex origine; ſecundo ex doctrina, ibi, *Qui de terra eſt, de terra loquitur*. Circa primum ſciendum eſt, quod in rebus (*b*) unumquodque ad hoc quod ſit perfectum, oportet venire ad terminum ſibi debitum ex ſua origine: ſicut ſi aliquis ex Rege oritur, oportet eum tamdiu creſcere quouſque fiat Rex. Chriſtus autem habet originem excellentiſſimam, & æternam; & ideo oportet illum creſcere per manifeſtationem ſuæ virtutis, quantum ad alios, quouſque innoteſcat, eum ſuper omnes eſſe: & ideo dicit: *Qui deſurſum eſt*, ſcilicet Chriſtus ſecundum divinitatem. Supra (hoc cap.) *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo*. Infra VIII. 23. *Vos de deorſum eſtis, ego autem deſuperius ſum*. Vel deſurſum venit ſecundum humanam naturam, ideſt de altitudine humanæ naturæ, aſſumendo eam in altitudine ſua ſecundum quod fuit (*c*) in quolibet ſtatu. Conſideratur enim ſecundum triplicem ſtatum. Primus enim ſtatus humanæ naturæ eſt ante peccatum; & de hoc (*d*) aſſumpſit puritatem, aſſumendo carnem non (*e*) inquinatam contagio culpæ originalis. Exod. XII. 5. „ Erit agnus anniculus abſque macula. “ Secundus ſtatus eſt poſt peccatum; & de hoc aſſumpſit paſſibilitatem, & mortem, aſſumendo ſimilitudinem carnis peccati, quantum ad pœnam, non ipſum peccatum quantum ad culpam, ſecundum illud Rom. VIII. 3. „ Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. “ Tertius eſt ſtatus reſurrectionis, & gloriæ; & de hoc aſſumpſit impoſſibilitatem peccandi, & fruitionem animæ.

Sed cavendus eſt hic error quorumdam dicentium, in Adam remanſiſſe aliquod materialiter non inquinatum macula originali, & traductum in poſteros, puta uſque ad Beatam Virginem; & de hoc corpus Chriſti fuiſſe formatum: quod quidem hæreticum eſt: quia quicquid in Adam materialiter fuit, macula originalis peccati inquinatum eſt. Materia vero, de qua formatum eſt corpus Chriſti, depurata fuit virtute Spiritus ſancti, Beatam Virginem ſanctificantis.

Iſte, inquam, *qui deſurſum venit* ſecundum divinitatem, & ſecundum humanam naturam, *ſuper omnes eſt*, & per eminentiam gradus, ſecundum illud Pſal. CXII. 4. „ Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: “ & per auctoritatem, (*f*) & poteſtatem. Epheſ. I. 22. „ Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. “

(h) Hic oſtendit rationem quantum ad doctrinam: & primo oſtendit modum doctrinæ Chriſti, & eius altitudinem; ſecundo diverſitatem recipientium, vel non recipientium ipſam doctrinam, ibi, *Et teſtimonium eius nemo accipit &c.* Circa primum duo facit. Primo proponit conditionem doctrinæ Ioannis; ſecundo conditionem (*g*) doctrinæ Chriſti, ibi, *Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt*. Circa primum ſciendum eſt, quod homo per loquelam ſuam maxime cognoſcitur. Matth. XXVI. 73. „ Loquela tua manifeſtum te facit: “ & ibid. XII. 34. „ Ex abundantia cordis os loquitur. “ Et inde eſt quod conditio doctrinæ attenditur ſecundum conditionem ſuæ originis. Sic ergo ad cognoſcendum conditionem doctrinæ Ioannis, conſideremus primo conditionem ſuæ originis: unde dicit: *Qui eſt de terra*, ſcilicet Ioannes, non ſolum materialiter, ſed etiam active: quia corpus

eius

(a) *Al.* utendo. (b) *Al.* unumquemque. (c) *Al.* in primo ſtatu. (d) *Al.* aſſumit. (e) *Al.* inquantum; *ſic & infra*. (f) *Al.* deeſt & poteſtatem. (g) *Al. emittitur* doctrinæ.

Digitized by Google

eius virtute creata formatum fuit. Iob IV. 19. „ Qui habitant domos luteas, & terre„num habent fundamentum. “ Secundo conſideremus eius conditionem, quæ terrena eſt: unde dicit, *De terra eſt*, ideſt terrenus Et ideo tertio doctrina eius deſcribitur: unde dicit: *De terra loquitur*, ideſt de terrenis. Eſa. XXIX. 4. „ De terra loqueris, & de humo „ audietur eloquium tuum. “

Sed quomodo de terra loquitur qui fuit Spiritu ſancto repletus adhuc ex utero matris ſuæ? Reſpondeo, ſecundum Chryſoſtomum, dicendum, quod Ioannes de terra ſe loqui dicit in comparatione ad Chriſti doctrinam; quaſi dicat: Ea quæ loquitur, parva, & humilia ſunt, qualia decens eſt ſuſcipere terreſtrem naturam, in comparatione ad illum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, ut dicitur Coloſſen. II. Eſa. LV. 9. „ Sicut exaltantur cæli a „ terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ a viis „ veſtris. “ Vel dicendum, ſecundum Auguſtinum, & melius, quod conſiderandum eſt in quolibet homine quid habeat ex ſe, & quid ex alio. Ioannes autem, & quilibet homo purus ex ſe habet quod ſit de terra. Et ideo quantum ad ipſum pertinet, non habet quod loquatur niſi de terra; & ſi aliqua divina loquitur, hoc habet ex divina illuminatione. Eccli. XXXIV. 6. „ Cor tuum quaſi phan„taſias patitur, niſi ab omnipotente fuerit „ (*a*) emiſſa viſitatio. “ Unde & Apoſtolus dicit. I. Corinth. XV. 10. „ Non autem ego, „ ſed gratia Dei mecum. “ Matth. X. 20. „ Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpi„ritus. Patris veſtri, qui loquitur in vobis. “ Sic ergo quantum ad Ioannem pertinet, *de terra eſt*, *&* *de terra loquitur*. (*b*) Si quid autem divinum in eo fuit, non recipientis, ſed illuminantis eſt.

(i) Hic proponit conditionem doctrinæ Chriſti; & circa hoc tria facit. Primo enim oſtendit conditionem originis quæ cæleſtis eſt: unde dicit: *Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt*. Licet enim corpus Chriſti materialiter de terra ſuerit, active tamen de cælo venit, inquantum virtute divina corpus eius formatum fuit. Venit etiam de cælo, quia perſona æterna & increata Filii de cælo venit per carnis aſſumptionem. Supra eodem: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo Filius hominis, qui eſt in cælo*. Secundo oſtendit dignitatem ſuæ conditionis, quæ altiſſima eſt: unde dicit: *Super omnes eſt*: (*c*) & hoc expoſitum eſt ſupra. Tertio concludit dignitatem doctrinæ ſuæ, quæ certiſſima eſt: quia *quod vidit*, *&* *audivit*, *hoc teſtatur*. Chriſtus enim, inquantum eſt Deus, eſt ipſa veritas, ſed inquantum homo, eſt teſtis veritatis. Infra XVIII. 37. *In hoc natus ſum*, *&* *ad hoc veni, ut teſtimonium perhibeam veritati*. Ideo teſtimonium perhibet de ſeipſo. (*d*) Infra VII. 13. *Teſtimonium perhibes de teipſo*. Sed teſtatur certa, (*e*) quia quæ audivit apud Patrem. Infra VIII. 26. *Ego quæ audivi a Patre meo, hæc loquor in mundo*. I. Ioan. I. 13. „ Quod vidimus, & audivimus. “

Sed nota, quod aliter habetur cognitio rei per viſum, & aliter per auditum: nam per viſum habetur cognitio rei per ipſam rem viſam; ſed per auditum non cognoſcitur res per ipſam vocem auditam, ſed per intellectum loquentis. Quia ergo Dominus habet ſcientiam acceptam a Patre, ideo dicitur, *Quod vidit*, inquantum procedit de eſſentia Patris, *&* *audivit*, inquantum procedit ut Verbum intellectus paterni. Sed quia in rebus intelligentibus aliud eſt eorum eſſe, & aliud eorum intelligere; ideo aliter accipitur ab eis cognitio per viſum, & aliter per auditum. Sed in Deo Patre idem eſt eſſe, & intelligere; ideo in Filio idem eſt videre, & audire. Similiter etiam quia in vidente non eſt ipſa eſſentia rei in ſe, ſed ſimilitudo eius, ſimiliter & in audiente non eſt ipſa conceptio loquentis, ſed ſignum ipſius; ideo videns non eſt ipſa eſſentia rei in ſe, nec audiens eſt ipſum verbum. In Filio autem eſt ipſa eſſentia Parris accepta per generationem, & eſt ipſum Verbum; & ideo in ipſo idem eſt videre, & audire.

Et hoc ſic concludit Ioannes, quod ex quo doctrina Chriſti altior, & certior eſt quam mea, ideo magis audiendus eſt Chriſtus quam ego.

(a) *Al.* evulſa. (b) *Al.* Si quidem. (c) *Al.* Et hoc expoſitum eſt, quia &c. (d) *Al.* Infra VII. teſtimonium perhibet de ſeipſo. (e) *Al.* quia quæ audivit. Infra VIII. *Ego quæ vidi apud Patrem, & quæ audivi*. Infra VIII. *Ego quæ audivi a Patre meo &c.*

Digitized by Google

LECTIO VI.

(a) ET teſtimonium eius nemo accipit. (b) Qui autem acceperit eius teſtimonium, ſignavit, quia Deus verax eſt.
(c) Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur:
(d) Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.
(e) Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.
(f) Qui credit in Filium, habet vitam æternam.
(g) Qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.

(a) SUpra Ioannes Baptiſta commendavit Chriſti doctrinam; hic vero agit de diverſitate recipientium: unde tractat de fide adhibenda ipſi doctrinæ; & circa hoc tria facit. Primo oſtendit raritatem credentium; ſecundo credendi debitum, ibi, *Qui autem acceperit eius teſtimonium &c.* tertio fidei præmium, ibi, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Dicit ergo: Dico quod Chriſtus (a) certam ſcientiam habet, & vera loquitur. Tamen licet pauci teſtimonium eius accipiant, non propter hoc doctrinæ ipſius derogatur: quia hoc non eſt ex parte eius, ſed ex parte eorum, qui non recipiunt, ſcilieet diſcipulorum Ioannis, qui nondum credebant, & phariſæorum, qui ipſius doctrinæ detrahebant. Et ideo dieit: *Et teſtimonium eius nemo accipit*. Hoc autem quod dieit, *Nemo*, poteſt dupliciter exponi. Uno modo, *nemo*, ideſt pauci, etſi aliqui accipiant. Et quod aliqui accipiant, oſtendit ſubdens: *Qui autem acceperit eius teſtimonium &c.* Hoc modo loquendi uſus eſt Evangeliſta cum dixit ſupra I. II. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*: quia pauci eum receperunt. Alio modo, quia accipere eius teſtimonium eſt credere in Deum; ſed nullus poteſt credere ex ſeipſo, ſed ex Deo. Epheſ. II. 8. „ Gratia ſalvati eſtis. " Et ideo dicit: *Nemo accipit*, ſcilicet ex ſe, niſi donetur ſibi a Deo. Vel aliter conſuetum eſt in Scriptura divina populo loqui de duobus. Quia quamdiu ſumus in hoc mundo, mali ſunt permixti bonis; & ideo Scriptura aliquando loquitur de populo, referendo intentionem ſuam ad malos, aliquando ad bonos. Et hic modus loquendi habetur Hier. XXVI. nam primo dicit: Omnis populus, & ſacerdotes quærebant oceidere Hieremiam: referens intentionem ſuam ad malos, & poſtea ſtatim dieit, quod omnis populus quærebat eum liberare, loquens de bonis. Eodem modo & Ioannes Baptiſta habens oculos ſuos ad ſiniſtram, ideſt ad malos, dicit: *Et teſtimonium eius nemo accipit*: & ex alia referens ad dexteram, ideſt ad bonos, dicit: *Qui autem acceperit eius teſtimonium &c.* ubi oſtendit debitum fidei, quod eſt ſupponere ſe veritati divinæ.

(b) Et circa hoc quatuor facit. Primo proponit divinam veritatem; ſecundo ſubdit divinæ veritatis denuntiationem, ibi, *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur*; tertio inſinuat denuntiandi facultatem, ibi, *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum*; quarto aſſignat facultatis rationem, ibi, *Pater diligit Filium &c.* Debitum autem fidei eſt ut homo veritati divinæ ſe ſupponat; & ideo dicit, quod ſi pauci teſtimonium eius accipiunt, tamen aliqui aecipiunt: unde dieit: *Qui autem acceperit eius teſtimonium*, ideſt quicumque ſit ille, *ſignavit*, ideſt ſignum quoddam in corde ſuo ponere debet, ſeu poſuit, quod ipſe Chriſtus eſt Deus, & eſt verax: quia ipſe dicebat ſe eſſe Deum: quod ſi non eſſet, non eſſet verax, eum tamen ſcriptum ſit, Rom. III. 4. „ Eſt autem Deus verax &c." De iſto ſignaeulo dicitur Cant. VIII. 6. „ Pone me ut „ ſignaculum ſuper cor tuum. " Et II. Tim. II. 9. „ Firmum ſundamentum Dei ſtat, ha- „ bens ſignaeulum &c. " Vel, ſecundum Chryſoſtomum, *ſignavit*, ideſt monſtravit, *quia Deus*, ſcilieet Pater, *verax eſt*: quia ſcilicet miſit Filium ſuum, quem promiſit mittendum. Quod ideo dicit Evangeliſta ut oſtendat, eos qui non credunt Chriſto, veritatem Patris negare.

(c) Et ideo ſtatim ſubdit divinæ veritatis commendationem, dieens: *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur*; quaſi dicat: Hoc ſignavit, quod Chriſtus, cuius teſtimonium accipit, *quem Deus miſit, verba Dei loquitur*: & ideo qui credit ei, credit Patri. Infra VIII. 26. *Ego quæ audivi a Patre loquor in mundo*. Unde non loquebatur niſi Patrem, & ver-
ba

(a) *Al.* etiam.

ba Patris: quia miſſus erat a Patre, & quia ipſe eſt Verbum Patris: unde etiam (*a*) ſe loqui Patrem dicit. Vel ſi hoc quod dicit, *quod Deus verax eſt*, referatur ad Chriſtum, datur intelligi diſtinctio perſonarum: cum enim Pater ſit Deus verax, & Chriſtus eſt verax Deus; ſequitur, quod verus Deus miſit Deum verum, diſtinctum ab eo in perſona, non in natura.

(d) Denuntiandi autem facultas ſubeſt Chriſto maxima, quia non ad menſuram recipit ſpiritum: & ideo dicit: *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum*. Poſſes enim dicere, quod licer miſerit eum Deus, tamen non omnia a Deo loquitur, ſed aliqua: nam & Prophetæ aliquando quidem locuti ſunt ex ſpiritu ſuo, aliquando vero ex ſpiritu Dei. Sicut II. Reg. VII. legitur de Nathan Propheta, quod ex ſpiritu ſuo loquens, conſulnit David, quod ædificaret templum; quod quidem poſtmodum ex ſpiritu, & nutu divino retractavit. Sed hoc oſtendir Baptiſta locum non habere in Chriſto: quia Prophetæ quidem accipiunt ſpiritum Dei menſurate, ſcilicet quantum ad aliquid, non quantum ad omnia; & ideo non quantum ad omnia verba Dei loquuntur: Chriſtus autem, qui abſque menſura, & quantum ad omnia ſpiritum recepit, ideo quantum ad omnia, verba Dei loquitur.

Sed quomodo Spiritus ſanctus (*b*) datur ad menſuram, cum ſit immenſus, ſecundum Athanaſium in ſuo ſymbolo: „Immenſus Pater, „ immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus?“ Reſponſio. Dicendum, quod Spiritus ſanctus datur ad menſuram, non quantum ad eſſentiam ſuam, & virtutem eius, ſecundum quod eſt infinitus, ſed quantum ad dona, quæ dantur menſurate. Epheſ. IV. 7. „ Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſu- „ ram.“

Notandum autem, quod hoc quod dicitur hic de Chriſto quod non ad menſuram dedir ei Deus Pater ſpiritum, poteſt dupliciter intelligi. Uno modo inrelligitur de Chriſto ſecundum quod Deus; alio modo ſecundum quod homo. Ad hoc enim datur alicui aliqnid ut habear illud: habere autem Spiritum ſanctum, convenit Chriſto & inquantum Deus, & inquantum homo: & ſic ſecundum utrumque habet Spiritum ſanctum, (*c*) ſed inquantum homo, habet Spiritum ſanctum ut ſanctificantem: Eſa. LXI. 1. „ Spiritus Domini ſuper „ me, eo quod unxerit me,“ ſcilicet hominem: inquantum vero Deus haber Spiritum ſanctum ut manifeſtantem tantum, ſecundum quod ab eo procedit. Ioan. XVI. 14. *Ille me clarificabit*, ideſt manifeſtabit, *quia de meo accipiet*. Sic ergo ntroque modo, ſcilicet inquantum Deus, & inquantum homo, Chriſtus habet Spiritum ſanctum non ad menſuram: nam Chriſto, inquantum Deus, dicirur Deus Pater dare Spiritum ſanctum, non ad menſuram, quia dat ei virtutem, & poteſtatem ſpirandi Spiritum ſanctum: qui cum ſit infinitus, in infinitum dat ei Pater: quem quidem Pater dat ei ſicut ipſe haber, ut ſcilicet ſicut ab eo procedir, ita & a Filio: & hoc dedit ei per æternam generationem. Similiter & Chriſtus, inquantum homo, non ad menſuram habuir Spiritum: nam hominibus datur Spiritus ſanctus ad menſuram, quia gratia eius ad menſuram eis datur; ſed Chriſtus inquantum homo non ad menſuram recepir gratiam: & ideo non ad menſuram recepit Spiritum ſanctum.

Sed notandum, quod in Chriſto eſt triplex gratia, ſcilicet unionis, ſingularis perſonæ, quæ eſt habitualis, & capitis quæ eſt influentiæ: & quamliber iſtarum recepit Chriſtus non ad menſuram. Nam gratia unionis, quæ non eſt habitualis, ſed quoddam gratuitum donum, datur Chriſto, (*d*) ut ſcilicet in humana natura ſir verus Filius Dei non per participationem, ſed per naturam, inquantum ſcilicet humana natura Chriſti unita Filio Dei in perſona ſit: quæ quidem unio gratia dicitur, quia nullis præcedentibus meritis hoc habuit. (*e*) Natura autem divina infinita eſt: unde ex ipſa unione accepit donum infinitum. Sic ergo non ad menſuram (*f*) recepir Spiritum ſanctum, ideſt donum, & gratiam unionis, quæ Spiritui ſancto artribuitur inquantum gratuita. Gratia autem habitualis dicitur, ſecundum quod anima Chriſti plena fuit gratia, & ſapientia, ſecundum quod dicitur ſupra I. 14. *Vidimus eum quaſi Unigenitum a Patre, plenum gratia &c.* De qua quidem gratia dubium eſſe poteſt, an receperit eam non ad menſuram. Cum enim huiuſmodi gratia (*g*) ſit donum creatum, confiteri oportet quod habeat eſſentiam finitam: quod quidem quantum ad eſſentiam, ſecundum quod quid creatum eſt, ipſa gratia habitualis finita fuit. Sed ramen Chriſtus dicitur eam recepiſſe non ad menſuram triplici ratione. Primo quidem ex parte recipientis. Manifeſtum eſt enim uniuſcuiuſque naturæ capacitatem eſſe finitam: quia, etſi infinitum bonum recipere poſſit cognoſcendo, & amando

(a) *Al.* cum ſe. (b) *Al.* datus ad menſuram eſt, ſic immenſus ſecundum illud cant. Athanaſii &c.
(c) *Al.* ſcilicet inquantum. (d) *Al.* ut ſcilicet humana natura Chriſti unita ſit Filio Dei in perſona &c.
(e) *Al.* Naturalis autem divinitas. (f) *Al.* recipit. (g) *Al.* ſit donum tantum.

do, & fruendo, tamen ipſum recipit fruendo finite. Eſt autem cuiuslibet creaturæ, ſecundum ſuam ſpeciem, & naturam, determinata capacitatis menſura; quæ tamen divinæ poteſtati non præiudicat quin poſſet aliam creaturam facere maioris capacitatis; ſed iam non eſſet eiuſdem naturæ ſecundum ſpeciem; ſicut ſi ternario addatur unitas, erit alia ſpecies numeri. Quando igitur alicui naturæ non datur de bonitate divina, quanta eſt capacitas naturalis ſpeciei ſuæ, videtur ei ſecundum aliquam menſuram donatum; quando vero tota naturalis capacitas (*a*) impletur, non videtur ei ſecundum menſuram donatum: quia etſi ſit menſura ex parte (*b*) recipientis, non eſt tamen menſura ex parte dantis, qui totum paratus eſt dare: ſicut aliquis vas ad fluvium deferens, abſque menſura invenit ibi aquam paratam, quamvis ipſe cum menſura accipiat, propter vaſis determinatam quantitatem. Sic igitur gratia Chriſti habitualis, finita quidem eſt ſecundum eſſentiam, ſed infinite, & non ſecundum menſuram dicitur dari, quia tantum ei datur quantum natura creata capere poteſt. Secundo vero ex parte doni recepti: nam omnis forma, ſeu actus ſecundum rationem ſuam conſideratus, non eſt finitus eo modo quo finitur per ſubiectum in quo recipitur; ſed nihil prohibet illum ſecundum ſuam eſſentiam finitum eſſe, inquantum eſſe ſuum eſt in aliquo receptum. Illud enim ſecundum eſſentiam ſuam infinitum eſt, quod habet totam plenitudinem eſſendi: quod quidem ſoli Dei convenit, qui eſt ſumum eſſe. Si autem ponatur aliqua forma ſpiritualis eſſe non in ſubiecto exiſtens, puta albedo, vel color, non quidem haberet eſſentiam infinitam, quia eſſentia eius eſſet determinata ad genus, vel ſpeciem; nihilominus tamen totam plenitudinem illius ſpeciei poſſideret: unde ſecundum rationem ſpeciei abſque, termino, vel menſura eſſet, habens quicquid ad illam ſpeciem pertinere poteſt. Si autem in aliquo ſubiecto recipiatur albedo, vel color, non habet ſemper totum quicquid pertinet ad rationem formæ huius de neceſſitate, & ſemper, ſed ſolum quando ſic habetur ſicut perfecte haberi poteſt; ita ſcilicet quod modus habendi adæquet rei habitæ poteſtatem. Sic igitur gratia Chriſti habitualis, finita quidem uit ſecundum eſſentiam, ſed tamen dicitur abſque termino & menſura fuiſſe, quia quicquid ad rationem gratiæ poterat pertinere, totum Chriſtus accepit. Alii autem non totum accipiunt; ſed unus ſic, & alius ſic. „ Diviſiones enim gratiarum ſunt: “ I. Corint. XII. 4. Tertio autem ex parte cauſæ. In cauſa enim quodammodo habetur effectus. Cuicumque ergo adeſt cauſa infinitæ virtutis ad influendum, dicitur habere illud quod influitur, abſque menſura, & aliquo modo infinite. Puta, ſi quis haberet fontem, qui aquam infinitam poſſet (*c*) effluere, infinite diceretur, & abſque menſura aquam habere. Sic anima Chriſti, infinitam, & abſque menſura gratiam habet, ex hoc ipſo quod habet Verbum ſibi unitum, quod eſt totius emanationis creaturarum infinitum, & indeficiens principium. Patet autem ex his quæ dicta ſunt, quod gratia ipſius Chriſti, quæ dicitur capitis, ſecundum quod Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, eſt infinita quantum ad influentiam. Ex hoc enim quod (*d*) habuit unde effunderet abſque menſura Spiritus dona, accepit virtutem effundendi ipſa abſque menſura, ut ſcilicet gratia Chriſti non ſolum ſufficiat ad ſalutem hominum aliquorum, ſed hominum totius mundi, ſecundum illud I. Ioan. II. 2. „ Ipſe „ eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non „ pro noſtris tantum, ſed etiam totius mun„ di; “ ac etiam plurium mundorum, ſi eſſent.

(*e*) Habet etiam Chriſtus denuntiandi veritatem divinam opportunam facultatem, quia omnia ſunt in poteſtate eius: unde dicit: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius*: quod quidem poteſt referri ad Chriſtum ſecundum quod homo, & ſecundum quod Deus; ſed aliter, & aliter. Si enim referatur ad Chriſtum, ſecundum naturam divinam, tunc *diligit* non deſignat principium, ſed ſignum: non enim poſſumus dicere quod Pater omnia Filio dat, quia diligit eum, propter duo. Primo quia diligere eſt actus voluntatis; dare autem naturam Filio, eſt generare ipſum. Si ergo Pater daret voluntate naturam Filio, voluntas Patris eſſet principium generationis Filii; & ſic ſequeretur quod Pater generaret Filium voluntate, & non natura: quod eſt hæreſis Arriana. Secundo autem quia dilectio Patris ad Filium eſt Spiritus ſanctus. Si ergo dilectio Patris ad Filium eſſet ratio quare dedit omnia Pater in manu Filii, ſequeretur quod Spiritus ſanctus eſſet principium generationis Filii: quod eſt inconveniens. Dicendum eſt ergo, quod ly *diligit* importat ſignum tantum, ut dicatur, quod dilectio perfecta, qua *Pater diligit Filium*, eſt ſignum quod Pater *dedit omnia in manu eius*, quæ ſcilicet Pater habet. Matth. XI. 27. „ Omnia mihi tradita ſunt a Patre „ meo. “

(*a*) *Al.* non impletur. (*b*) *Al.* capacitatis. (*c*) *Al.* extrahere. (*d*) *Al.* habet.

„ meo. “ Infra XIII. 3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*. Si referatur autem ad Chriſtum, ſecundum quod homo, ſic ly *diligit* dicit ratiooem principii, ut dicatur Pater omnia in manu Filii tradidiſſe, ſcilicet quæ in cælis, & quæ in terris ſunt, ſecundum illud Matth. ult. 18. „ Data eſt mi- „ hi omnis poteſtas in cælo, & in terra. “ Heb. I. 2. „ Quem conſtituit heredem uni- „ verſorum. “ Et huius traditionis ratio eſt, quia diligit eum: unde dicit: *Pater diligit Filium*: dilectio enim Patris ratio eſt creandi quamlibet creaturam. Sap. XI. 25. „ Diligis „ omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ „ feciſti. “ De dilectione autem Filii habetur Luc. III. & Matth. III. 17. „ Hic eſt „ Filius meus dilectus, in quo complacui mi- „ hi. “ Et Coloſ. I. 13. (a) „ Tranſtulit „ nos in regnum Filii dilectionis ſuæ, “ ideſt Filii ſui dilecti.

(f) Conſequenter cum dicit, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, oſtendit fructum fidei: & primo ponit fidei præmium; ſecundo infidelitatis ſupplicium, ibi, *Qui autem incredulus eſt &c.* Sed præmium fidei eſt ioeſtimabile, quia vita æterna; & ideo dicit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Et hoc ex præmiſſis oſtenditur. Si Pater omnia dedit Filio, ſcilicet quæ habet, & ipſe habet vitam æternam: ergo & Filio dedit ut ſit vita æterna. Infra V. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*: quod quidem competit Chriſto inquantum eſt verus, & naturalis Dei Filius. I. Ioan. ult. 20. „ Ut ſitis in vero Fi- „ lio eius Ieſu Chriſto: hic eſt verus Deus, „ & vita æterna. “ Qui credit in eum, habet illud in quod tendit, ſcilicet ipſum Filium in quem credit; ſed ipſe eſt vita æterna: ergo qui credit in eum, habet vitam æternam. Infra X. 17. *Oves meæ vocem meam audiunt .... & ego vitam æternam do eis*.

(g) Supplicium autem infidelitatis eſt intolerabile & quantum ad pęnam damni, & quaotum ad pœnam ſenſus. Quantum quidem ad pęnam damni, quia privatur vita: unde dicit: *Qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam*. Non autem dicit, Non habebit; ſed *non videbit*: quia vita æteroa in viſione veræ vitæ conſiſtit. Infra XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: quam quidem viſionem, & cognitionem increduli non habebunt. Iob XX. 17. „ Non videat rivulos la- „ ctis &c. “ ideſt dulcedinem vitæ æternæ. Dicit autem, *Non videbit*, quia videre vitam ipſam, eſt proprium præmium fidei formatæ. Quantum vero ad pęnam ſenſus, quia graviter punitur: unde dicit: *Sed ira Dei manet ſuper eum*. Ira enim in Scripturis pro afflictione, qua Deus malos punit, accipitur: unde cum dicit, *Ira Dei* Patris *manet ſuper eum*, idem eſt ac ſi dicat: Sentiet pœnam a Deo Patre. Et licet Pater omne iudicium dederit Filio, ut dicitur infra V. tamen Baptiſta refert hoc ad Patrem, intendens per hoc Iudæos reducere ad credendum Filio. Et de iſto iudicio dicitur Heb. X. 31. „ Hor- „ rendum eſt incidere in manus Dei viven- „ tis. “ Dicit autem, *Manet ſuper eum*, quia iſta pęna oumquam ab incredulis deſiſtet, & quia omoes qui naſcuntur in iſta vita mortali, habent ſecum iram Dei, quam accepit primus Adam. Eph. II. 3. „ Eramus natura „ (ideſt per nativitatem) filii iræ. “ Ab hac autem ira non liberamur, oiſi per fidem Chriſti; & ideo qui non credunt in Chriſtum Filium Dei, maoet in eis ira Dei.

CAPITIS QUARTI

LECTIO I.

(a) UT ergo cognovit Ieſus quia audierunt phariſæi quod Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat quam Ioannes:

(b) Quamquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius:

(c) Reliquit Iudæam,

(d) Et abiit iterum in Galilæam.

(e) Oportebat autem eum tranſire per Samariam.

(f) Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob filio ſuo Ioſeph

(a) *Al.* „ Tranſtulit nos in regnum caritatis ſuæ. “

(g) Erat autem ibi fons Iacob.
(h) Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.
(i) Hora autem erat quaſi ſexta.
(k) Venit mulier de Samaria haurire aquam.
(l) Dixit ei Ieſus: Da mihi bibere.
(m) Diſcipuli enim eius abierant in civitatem ut cibos emerent.
(n) Dixit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?
(o) Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

(a) POſita doctrina Chriſti de ſpirituali regeneratione, & quod Chriſtus gratiam ſpiritualis regenerationis Iudæis communicaverat, hic conſequenter oſtendit quomodo ipſa gratia etiam ad gentes derivata eſt per Chriſtum. Salutaris autem gratia Chriſti derivata eſt dupliciter in gentibus: per doctrinam, & per miracula. Marc. ult. 20. „ Illi autem profecti prædicaverunt ubiqne „ (ecce doctrina) Domino cooperante, ſe„ quentibus ſignis: " ecce miracula. Primo ergo oſtendit futuram gentium converſionem per doctrinam; ſecundo futuram gentium converſionem per miracula, ibi, *Poſt duos autem dies exiit inde*. Circa primum duo facit, Primo præmittit quædam præambula ad doctrinam; ſecundo proponit doctrinam, & eius effectum, ibi, *Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei &c.* Quantum ad primum tria præambula præmittit. (a) Primum ex parte ipſius docentis; ſecundum ex parte eius de quo doctrina erat, ibi, *Erat autem ibi fons Iacob*; tertium ex parte perſonæ audientis, ibi, *Venit mulier de Samaria &c.* Ex parte autem docentis, præambulum eſt eius acceſſus ad locum doctrinæ; & ideo dicit: *Ut ergo cognovit Ieſus &c.* Ubi tria facit. Primo innuit terminum a quo recedit, quia a Iudæa; ſecundo terminum ad quem accedit, in Galilæam; tertio inſinuat medium per quod tranſit, quia per Samariam. Quantum ad primum ponit primo cauſam receſſus de loco in quo erat; ſecundo exponit quædam dicta in cauſa aſſignata, ibi, *Quamquam Ieſus non baptizaret &c.* tertio deſcribit receſſum Chriſti a Iudæa, ibi, *Reliquit Iudæam &c.* Dicit ergo: *Ut cognovit Ieſus quod audierunt phariſæi &c.* volens oſtendere Evangeliſta, quod poſtquam Baptiſta repreſſit diſcipulorum ſuorum invidiam, Chriſtus declinavit phariſæorum malitiam.

Sed cum dicatur Eccli. XXIII. 29. „ Domino Deo noſtro nota ſunt omnia antequam fiant: " & Heb. IV. 13. „ Omnia „ nuda & aperta ſunt oculis eius: " quærendum videtur quomodo Ieſus dicitur aliquid de novo cognoſcere. Ad quod dicendum eſt, quod Ieſus virtute divinitatis ſuæ ab æterno cognovit omnia præterita, præſentia, & futura, ut prædictæ auctoritates oſtendunt; ſed inquantum homo aliqua de novo cognovit, ſcientia experimentali; & de hac dicitur hic: *Ut cognovit Ieſus*, poſtquam fuit ei nuntiatum, *quia audierunt phariſæi &c.* & hanc cognitionem Chriſtus de novo accipere voluit diſpenſative, ad oſtendendum veritatem humanæ naturæ; ſicut & multa alia humanæ naturæ propria voluit facere, & pati.

Sed quid eſt hoc quod dicit: *Quia audierunt phariſæi, quod Chriſtus plures diſcipulos facit, & baptizat quam Ioannes*: cum ad eos non pertineat? Nam ipſi Ioannem perſecuti ſunt, nec ei credebant: quia, ut dicitur Matth. XXI. 26. cum Dominus quæreret baptiſmum Ioannis unde eſſet, dicebant intra ſe: „ Si dixeri„ mus de cælo, dicet nobis: Quare ergo non „ credidiſtis? " Non ergo crediderunt Ioanni. Sed ad hoc eſt duplex reſponſio. Una quod ipſi diſcipuli Ioannis, qui ſupra quæſtionem concitaverant contra Chriſtum, erant phariſæi, vel phariſæis conſęderati: unde Matth. IX. dicitur, quod phariſæi ſimul cum diſcipulis Ioannis propoſuerunt quæſtiones contra diſcipulos Chriſti: & ſecundum hoc concludit Evangeliſta: *Ut ergo cognovit Ieſus quia audierunt &c.* ideſt, poſtquam intellexit quæſtionem, & commotionem diſcipulorum Ioannis, qui erant phariſæi, vel phariſæis conſęderati, ſuper baptiſmo ſuo, & diſcipulorum eius: *reliquit Iudæam*. Vel dicendum, quod phariſæi propter invidiam turbati ſunt de prædicatione Ioannis: unde ſuaſerunt Herodi ut caperet eum: & hoc patet Matth. XVII. 12. ubi cum Chriſtus loqueretur de Ioanne dicit: „ Elias iam venit, & fecerunt in eum „ quæcumque voluerunt: " & poſtea ſubdit: „ Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis: " ubi Gloſſa dicit, quod phariſæi incitaverunt Herodem ad incarcerationem Ioannis, & mortem. Videtur ergo probabile quod ſimiliter mo-

(a) *Al.* Unum.

moverentur contra Chriſtum, ex hoc quod prædicabat. Et hoc eſt quod dicitur, *Audierunt*, ſcilicet ad petſequendum phariſæi invidi, & perſecutores Chriſti, *quia Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat quam Ioannes*. De iſtn auditu dicitur Iob xxviii. 22. „ Perditio, & mors dixerunt: Auribus noſtris audivimus facta eius. “ Sed boni audiunt ad obediendum. Pſal. cxxxi. 6. „ Ecce audivimus eum in Ephrata: “ & poſtea ſequitur: „ Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius. “ Audierunt, inquam, duo: ſcilicet quod plures diſcipulos faceret quam Ioannes; quod quidem iuſtum erat, & rationabile: quia, ut dicitur ſupra iii. Chriſtum oportet creſcere, & Ioannem minui: aliud quod baptizabat; & hoc merito, quia ipſe mundat. Pſal. l. 4. „ Lava me Domine ab iniuſtitia mea. “ Et alibi, Pſal. vii. 7. „ Exurge Domine “ „ (ſcilicet baptizando) in præcepto quod mandaſti (ſcilicet de baptiſmo) & ſynagoga (a) populorum (per baptiſmum congregatorum) circumdabit te. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Quamquam Ieſus non baptizaret &c.* exponit quod ſupra dixerat de baptiſmo Chriſti, *quod audierunt phariſæi &c.*

Sed Auguſtinus dicit, hic apparere inconveniens: nam ſupra dixerat, *Et baptizat*, hic vero quaſi corrigens id, utpote falſum, dicit: *Quamquam Ieſus non baptizaret*. Et ad hoc eſt duplex reſponſio. Una Chryſoſtomi, quod hoc qund Evangeliſta dicit, verum eſt, qund Chriſtus non baptizavit aliquem; illud autem quod ſupra dictum eſt, ſcilicet *baptizat*, intelligendum eſt ſecundum famam currentem ad phariſæos, quod Chriſtus baptizaret, quod aliqui venientes ad ipſos phariſæos dicerent: Vos invidebatis Ioanni quod diſcipulos habebat, & baptizabat; ſed ecce quod hic, ſcilicet Ieſus, plures diſcipulos facit quam Ioannes, & baptizat. Quare ergo ſuſtinetis eum? Et ideo non dicit Evangeliſta ex ſe, quod baptizat, ſed quod audierunt phariſæi: & ideo falſum rumnrem populi Evangeliſta corrigere volens, dicit: Verum eſt quod audierunt phariſæi, quod Chriſtus baptizat, ſed eſt falſum: (*b*) unde ſubdit: *Quamquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius*. Ideo autem, ſecundum Chryſoſtomum, Chriſtus non baptizavit, quia in omni baptiſmate, quo Ioannes, & diſcipuli baptizaverunt per totum tempus ante Chriſti paſſionem, non dabatur Spiritus ſanctus; ſed ad hoc erat ut aſſueſcerent homines ad baptiſmum Chriſti, & congregarentur ad prædicationem, ut ipſe dicit. Inconveniens (*c*) autem eſſet quod Chriſtus baptizaret, ſi non daretur in illo baptiſmo Spiritus ſanctus, quod non dabatur ante Chriſti paſſionem: quia, ut dicitur infra vii. 39. *nondum erat Spiritus datus, quia nondum Ieſus erat glorificatus*. Sed, ſecundum Auguſtinum, dicendum eſt, & verius, quod diſcipuli baptizabant baptiſmo Chriſti, aqua ſcilicet, & ſpititu, qui in ipſo baptiſmo dabatur: & etiam ipſe Chriſtus baptizabat, & non baptizabat. Baptizabat quidem quia ipſe mundabat interius; ſed non baptizabar, quia ipſe non tingebat aqua exterius: nam diſcipuli præbebant miniſterium per ablutionem corporis; Chriſtus vero præbebat ſpiritum interius mundantem. Unde ipſe proprie baptizabat. Supra i. 33. *Supra quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat*. Ad hoc ergo quod Chryſoſtomus dicit, quod nondum erat Spiritus datus &c. dicendum, quod non erat datus viſibilibus ſignis, ſicut poſt reſurrectionem Chriſti datus eſt diſcipulis; ſed tamen datus eſt, & dabatur, per internam ſanctificationem, credentibus. Per hoc autem quod Chriſtus non ſemper baptizavit, dat nobis exemplum, quod maiores Eccleſiarum prælati in his quæ per alios fieri poſſunt, non occupentur, ſed ea minoribus ſacienda relinquant. I. Cor. i. 17. „ Non enim me miſit Chriſtus baptizare, ſed evangelizare. “

Si autem quæritur an diſcipuli Chriſti baptizati fuerint; dicendum, ſecundum Auguſtinum ad Steleutium, quod baptizati fuerunt baptiſmo Ioannis, quia aliqui ex diſcipulis Chriſti fuerant diſcipuli Ioannis: ſive (quod magis credibile eſt) baptiſmo Chriſti: neque enim miniſterio baptizandi defuiſſe creditur, ut haberet baptizatos ſervos, per quos ceteros baptizaret. Et hoc intelligendum eſt per hoc quod dicitur Ioan. xiii. 10. *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet*. Et poſtea ſequitur: *Et ideo vos mundi eſtis, ſed non omnes*.

(c) Conſequenter Chriſti receſſum ponit, dicens: *Reliquit Iudæam*: & hoc triplici de cauſa. Una ut ſubtraheret ſe invidiæ phariſæorum, qui ex his quæ audierant de Chriſto, turbabantur, & perſecutionem parabant; dans nobis exemplum, ut per manſuetudinem malis cedamus ad tempus. Eccli. viii. 4. „ Nec ſtrues ligna in ignem illius. “ Alia de cauſa, ut oſtenderet non eſſe peccatum perſecutores fugere. Matth. x. 23. „ Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. “ Tertia cauſa eſt, quia nnndum venerat tempus ſuæ paſſionis. Infra vii. 6. *Tempus meum nondum advenit &c.* Eſt

(a) *Al. omittitur* populorum. (b) *Al.* tamen. (c) *Al. deeſt* autem.

autem & alia cauſa, propter myſterium: nam per huiuſmodi receſſum ſignificavit quod diſcipuli propter perſecutionem relicturi erant Iudæos, & ituri ad Gentes.

(d) Conſequenter cum dicit, *Et abiit iterum in Galilæam*, oſtendit locum ad quem acceſſit. Dicit autem, *Iterum*, quia ſupra II. fecerat mentionem de quodam alio deſcenſu Chriſti in Galilæam, quo poſt miraculum nuptiarum deſcendit Capharnaum. Quia ergo alii tres Evangeliſtæ non faciunt mentionem de illo deſcenſu primo, ideo Evangeliſta, ut det intelligere quod alii Evangeliſtæ omnia quæ dixerant uſque ad iſtud capitulum, dimiſerunt, & ex hoc loco ipſe hiſtoriam eis contemporaneam texere incepit, dicit, *Iterum*. Per Galilæam enim, ſecundum unam interpreationem, intelligitur gentilitas, ad quam Chriſtus a Iudæis vadit: interpretatur enim Galilæa tranſmigratio. Secundum aliam interpretationem, per Galilæam intelligitur cæleſtis gloria: nam Galilæa revelatio interpretatur.

(e) Conſequenter cum dicit, *Oportebat autem eum tranſire per Samariam*, deſcribit medium per quod tranſit: & primo in generali; ſecundo in ſpeciali, ibi, *Venit ergo in civitatem Samaria, qua dicitur Sichar*. Medium autem quod tranſit abiens in Galilæam, eſt Samaria; & ideo dicit: *Oportebat eum tranſire per Samariam*. Dicit autem, *Oportebat*, ne videatur contrarius ſuæ doctrinæ: nam Matth. x. 5. præcepit diſcipulis, dicens: „ In viam „ gentium ne abieritis. " Quia ergo Samaria terra gentium erat, ideo oſtendit quod non ex propoſito, ſed ex neceſſitate illuc ivit. Dicit, *Oportebat*: & ratio huius neceſſitatis erat, quia Samaria erat ſita media inter Iudæam, & Galilæam. De iſta Samaria ſciendum eſt, (*a*) quod Amri Rex Iſrael, montem a quodam Somer emit, ut habetur III. Reg. XVI. civitatemque quam in montis vertice conſtruxerat, a vendentis nomine Samariam nuncupavit: hac deinde Reges Iſraelitarum pro regia uſi ſunt, & tota regio ab hac civitate Samaria vocabatur. Unde hoc quod dicitur hic, *Oportebat eum tranſire per Samariam*, non eſt intelligendum per civitatem (*b*) illam tranſitum eſſe facturum, ſed per regionem.

(f) Et ideo ſpeciale medium deſcribens, ſubdit: *Venit ergo in civitatem Samaria*, ideſt regionis Samariæ, *qua dicitur Sichar*: Sichar enim idem eſt, quod Sichem, ſecundum aliud nomen: de qua civitate habetur Gen. XXXIV. quod Iacob iuxta eam tetendit tentoria ſua, & propter raptum Dinæ filiæ ſuæ a filio Regis Sichem, duo filii Iacob indignati, occiderunt homines civitatis illius; & ſic ceſſit in poſſeſſionem Iacob, & habitavit ibi fodiens in ea puteos. Poſtmodum vero circa mortem ſuam, dedit eam Ioſeph filio ſuo, ſecundum quod legitur Gen. XLVIII. 22. „ Do „ tibi partem unam extra fratres tuos. " Et hoc eſt quod dicit: *Iuxta prædium*, ideſt agrum, *quod dedit Iacob filio ſuo*. Ideo autem hæc omnia diligenter Evangeliſta narrat, ut oſtendat quod omnia quæ contigerunt circa Patriarchas, fuerunt ducentia ad Chriſtum, & quod Chriſtus ſignatus eſt per eos, & ab eis ſecundum carnem deſcendit.

(g) Conſequenter cum dicit, *Erat autem ibi fons Iacob*, ponit præambulum doctrinæ ex parte rei de qua doctrina tradenda erat; & hoc congruenter: nam doctrina futura erat de aqua, & fonte ſpirituali; & ideo fit hic mentio (*c*) de fonte materiali, ex quo ſumitur occaſio diſputandi de fonte ſpirituali qui eſt Chriſtus. Pſal. XXXV. 10. „ Apud te eſt „ fons vitæ, " ſcilicet Spiritus ſanctus, qui eſt ſpiritus vitæ. Item fons eſt baptiſmus, de quo dicitur Zach. XIII. 1. „ Erit fons pa„ tens domui Iacob in ablutionem pecca„ toris, & menſtruatæ. " Circa hoc tria facit. Primo deſcribit ipſum fontem; ſecundo ſeſſionem Chriſti ſuper eum; & tertio ſeſſionis tempus deſignat. Fontem quidem deſcribit cum dicit: *Erat autem ibi fons Iacob*.

Sed contra. Inferius dicitur: *Puteus altus eſt*: non ergo erat fons. Sed dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod fons erat, & puteus: omnis enim puteus fons eſt, ſed non convertitur: nam ubi aqua de terra ſcaturit, fons eſt: & ſi quidem aqua in ſuperficie terræ ſcaturit, fons tantum dicitur; ſi vero in alto, & in profundo ſcaturit, ita puteus vocatur ut nomen fontis non amittat. Dicitur autem fons Iacob, quia ipſe puteum illum foderat in terra illa propter defectum aquæ, ut dicitur Gen. XXXIV.

(h) Seſſio autem Chriſti innuitur cum ſubdit: *Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem*. Oſtendit infirmitatem, quamquam eſſet virtutis immenſæ, non propter defectum virtutis, ſed ut oſtenderet veritatem naturæ aſſumptæ. Nam, ſecundum Auguſtinum, Ieſus fortis eſt, quia (ſupra I. I.) *in principio erat Verbum*; ſed infirmus eſt, quia (ibid. XIV.) *Verbum caro factum eſt*. Chriſtus ergo volens oſtendere veritatem humanæ naturæ, permittebat eam agere, & pati quæ

ſunt

(a) *Al.* quod ſummus Rex &c. (b) *Al.* illum. (c) *Al.* de fonte materiali, qui eſt Chriſtus.

ſunt propria homini: volens etiam oſtendere in ſe veritatem divinæ naturæ, faciebat,& operabatur propria Dei. Unde quando retrahebat influxum virtutis divinæ a corpore, eſuriebat, & fatigabatur; quando vero ipſam virtutem divinam corpori exhibebat, ſine cibo non eſuriebat, & in laboribus non fatigabatur. Matth. IV. 2. (a) „ Ieiunavit quadra„ginta diebus, & quadraginta noctibus, & „ poſtea eſuriit." Ex hoc autem quod Ieſus fatigatus eſt ex itinere, datur nobis exemplum non refugiendi laborem propter ſalutem aliorum. Pſal. LXXXVII. 16. „ Pauper ſum ego, „ & in laboribus a iuventute mea." Similiter etiam datur exemplum paupertatis, quia *ſedebat ſic*, ideſt ſuper nudam terram. Myſtice autem ſeſſio humilitatem paſſionis Chriſti ſignificat. Pſal. CXXXVIII. 2. (b) „ Tu co„gnoviſti ſeſſionem meam (ideſt paſſionem) „ & reſurrectionem meam." Item ſignificat auctoritatem docendi, quia loquitur tamquam poteſtatem habens: unde dicitur Matth. V. quod ſedens docebat eos.

(i) Tempus autem determinatur, cum ſubdit: *Hora autem erat quaſi ſexta*. Et ratio huius determinationis aſſignatur litteralis, & myſtica. Litteralis quidem, ut oſtendat cauſam fatigationis: nam in calore, & ſexta hora diei, homines magis fatigantur ex labore. Item ut oſtendat cauſam ſeſſionis: libenter enim homines in æſtu, & calore diei, iuxta aquas quieſcunt. Myſtica autem cauſa aſſignatur triplex. Una quia Chriſtus in ſexta ætate ſæculi in mundum venit, carnem aſſumens. Alia quia ſexto die homo factus eſt, & in ſexto menſe conceptus eſt Chriſtus. Tertia quia in ſexta hora ſol in alto exiſtit, & non reſtat niſi ut declinet. Sol autem quantum ad hoc pertinet, temporalem proſperitatem ſignificat, ſecundum illud Iob XXVI. 26. „ Si vidi ſolem cum ſulgeret &c." Tunc ergo Chriſtus venit quando proſperitas mundi in alto erat; ideſt, in cordibus hominum per amorem florebat; ſed per eum amor a cordibus hominum declinare debebat.

(k) Conſequenter cum dicit, *Venit mulier de Samaria*, ponitur præambulum ex parte audientis: & circa hoc (c) duo facit. Primo ponitur perſona cui exhibetur doctrina; ſecundo innuitur præparatio eius ad doctrinam, ibi, *Dixit ergo ei mulier illa Samaritana*. Perſona autem cui exhibetur doctrina, eſt mulier Samaritana: unde dicit: *Venit mulier de Samaria haurire aquam*. Mulier iſta ſignificat Eccleſiam gentium nondum iuſtificatam, quæ idolatria detinebatur; ſed tamen per Chriſtum iuſtificandam. Venit autem ab alienigenis, ſcilicet a Samaritanis, qui alienigenæ fuerant, licet vicinas terras incolerent: quia Eccleſia de gentibus, aliena a genere Iudæorum, ventura erat ad Chriſtum. Matth. VIII. 11. „ Multi venient ab oriente & „ occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, „ & Iacob in regno cælorum."

(l) Hæc autem mulier præparatur ad doctrinam per Chriſtum, cum dicit: *Da mihi bibere*. Et primo dat ei occaſionem quærendi; ſecundo Evangeliſta interponit quærendi opportunitatem, ibi, *Diſcipuli autem eius abierant*. Occaſio autem, & præparatio mulieris fuit petitio Chriſti: unde dicit: *Da mihi bibere*. Petit namque potum, & quia ſitiebat aquam propter æſtum diei, (d) & quia ſitiebat ſalutem hominis propter amorem eius: unde in cruce pendens dixit, Sitio.

(m) Opportunitatem autem quærendi a muliere habuit Chriſtus, quia non erant ibi diſcipuli eius, a quibus quæreret aquam: & ideo dicit Evangeliſta: *Diſcipuli enim eius abierant in civitatem*. Ubi tria de Chriſto nota: ſcilicet eius humilitatem, in eo quod ſolus relinquebatur: dabat enim in hoc exemplum diſcipulis ſuis omnem ſuperbiam conculcare.

Sed quæreret fortaſſe aliquis, quę neceſſitas fuerat aſſueſcere diſcipulos ad humilitatem, quia piſcatores, & humiles extiterant, & tabernaculorum factores. Sed advertere debent qui talia dicunt, quod repente piſcatores huiuſmodi facti ſunt reverentiores omnibus Regibus, facundiores Philoſophis, & Rhetoribus, & familiares Domini orbis terrarum: & tales ſic repente promoti conſueverunt ſuperbire, utpote inexpertes ad tantum honorem.

Secundo nota Chriſti parſimoniam: nam ita parum curabat de cibis quod nihil comeſtibile ſecum ferebat. Tertio etiam nota, quod dimiſerunt eum ſolum in cruce, Eſa. LXIII. 2. „ Torcular calcavi ſolus, & de gentibus „ non eſt vir mecum."

(n) Præparavit Dominus mulierem ad recipiendum ſpiritualem doctrinam, dando ei occaſionem quærendi; hic conſequenter ponitur quæſtio; ſecundo aſſignatur ratio quæſtionis, ibi, *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. Sciendum eſt autem, quod Dominus petierat a muliere potum, intendens magis de ſpirituali quam de corporali potu; mulier vero, potum ſpiritualem nondum capiens, intendebat ſolum de corporali: & ideo reſpondet: *Quomodo tu, Iudæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Chriſtus

Iu-

(a) *Al.* quod ieiunavit. (b) *Al.* Tu vero cognoviſti. (c) *Al.* tria. (d) *Al.* & ſitiebat.

Iudæus erat: quia & de Iuda promiſſus: Gen. xlix. 10. „ Non auferetur ſceptrum de „ Iuda, & dux de femore eius, donec ve- „ niat qui mittendus eſt: “ & de Iuda natus. Heb. vii. 14. „ Manifeſtum eſt quod „ ex Iuda ortus ſit Dominus noſter. “ Cognoſcebat autem mulier Chriſtum eſſe Iudæum ex habitu: nam, ſicut dicitur Num. xv. Dominus præcepit quod Iudæi portarent fimbrias hyacinthinas in quatuor angulis veſtium ſuarum, ut per eas diſcernerentur ab aliis populis.

(o) Conſequenter aſſignatur ratio quæſtionis, ſive ab Evangeliſta, ſecundum Gloſſam, ſive a muliere, ſecundum Chryſoſtomum, cum dicit: *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. Sciendum eſt autem circa hoc, quod ſicut dicitur IV. Reg. xvii. propter peccata populi Iſrael, ſcilicet decem tribuum, qui colebant idola, ducti ſunt in captivitatem a Rege Aſſyriorum in Babylonem: & ne Samaria abſque habitatoribus remaneret, fecit ibi gentes ex diverſis locis ductas habitare: & cum ibi eſſent, volens Dominus oſtendere, quod non propter imbecillitatem ſuæ virtutis; ſed propter Iudæorum malitiam tradidit eos, immiſit ipſis gentibus leones, & ſævas beſtias, quæ eos lædebant. Quæ ubi nuntiata ſunt Regi Aſſyriorum, habito ex conſilio, quod hoc ideo eis contingeret, quia non ſervabant legitima Dei terræ, miſit ad eos ſacerdotem quemdam ex Iudæis, traditurum eis Dei legem, ſecundum legem Moyſi. Unde & iſti licet non eſſent ex populo Iudæorum, ſervabant tamen legem Moyſi; ſed cum Deo vero, colebant idola, nec Prophetis attendebant, & vocabant ſe Samaritanos, a civitate Samariæ, quæ erat ſita in monte Somer: III. Reg. xvi. Revertentibus ergo Iudæis ex captivitate in Hieruſalem, ſemper infeſti fuerunt & contrarii, &, ſicut dicitur in Eſdra, impediebant eos ædificare templum, & civitatem. Et licet Iudæi vitarent omnes alias nationes, ſpecialiter tamen vitabant iſtos, nec in aliquo coutebantur eis; & hoc eſt quod dicit: *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. Non dicit, quod Samaritani non coutantur Iudæis, quia libenter voluiſſent adiungi, & couti Iudæis; ſed Iudæi eos repellebant, ſecundum illud Deut. vii. 2. „ Non inibis cum eis fœdus &c. “

Sed ſi non erat fas Iudæis couti Samaritanis, quare Deus petebat a Samaritana potum? Ad quod, ſecundum quod dicit Chryſoſtomus, poſſet aliquis reſpondere, quod Dominus ſciebat eam non ſibi tradituram potum, ideo petivit. Sed hoc non ſufficit, quia petens quod non licet, a peccato non eſt immunis, quantum in ſe eſt, quin ſcandalizet, etſi non detur ei quod ipſe petit. Et ideo dicendum eſt, quod, ſicut dicitur Matth. xii. 8. „ Filius hominis eſt dominus etiam „ ſabbati. “ Unde tamquam dominus legis poterat uti, & non uti lege, & obſervantiis, & legalibus, ſecundum quod ſibi expediens videbatur. Et quia imminebat tempus quo gentes vocarentur ad fidem, ipſis gentibus (a) coutebatur.

LECTIO II.

(a) Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.

(b) Dixit ei mulier: Domine, neque in quo haurias, habes, & puteus altus eſt. Unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filii eius, & pecora eius?

(c) Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.

(d) Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

(e) Dixit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neque veniam huc haurire.

(f) Dixit ei Ieſus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

(g) Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum.

(h) Dixit ei Ieſus: Bene dixiſti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir: hoc vere dixiſti.

(i) Dixit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus ubi adorare oportet.

(k) Di-

(a) *Al.* convertebatur.

Digitized by Google

(k) Dixit ei Ieſus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem.
(l) Vos adoratis quod neſcitis; nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Iudæis eſt.
(m) Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.
(n) Nam & Pater tales quærit qui adorent eum.
(o) Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.
(p) Dixit ei mulier: Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus.
(q) Cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia.
(r) Dixit ei Ieſus: Ego ſum qui loquor tecum.

(a) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus, & dixit ei &c.* narrat Evangeliſta ipſam doctrinam ſpiritualem. Et primo ponitur ipſa doctrina; ſecundo effectus doctrinæ, ibi, *Et continuo venerunt diſcipuli eius*. Circa primum duo facit. Primo ponit ſummarie totam doctrinam; ſecundo explicat eam per partes, ibi, *Dixit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt*. Dixit ergo: Tu miraris quod ego Iudæus potum petii a te Samaritana; ſed non debes mirari, quia ad hoc veni ut etiam gentibus potum darem. Et ideo dixit: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forſitan petiſſes ab eo*. Et, ut incipiamus ab ultimo, requirendum eſt quid intelligatur per aquam. Et dicendum, quod per aquam intelligitur gratia Spiritus ſancti: quæ quidem quandoque dicitur ignis, quandoque aqua, ut oſtendatur quod nec hoc, nec illud dicitur ſecundum ſubſtantiæ proprietatem, ſed ſecundum ſimilitudinem actionis. Nam ignis dicitur, quia elevat cor per fervorem & calorem: Rom. XII. 6. „Spiritu ferventes &c." & quia conſumit peccata: Cant. VIII. „Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum." Aqua vero dicitur propter purgationem: Ezech. XXXVI. 25. „Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris:" & propter refrigerationem ab æſtibus tentationum: Eccli. III. 33. „Ignem ardentem extinguit aqua:" & propter ſatietatem contra ſitim terrenorum, & quorumcumque temporalium: Eſa. LV. 1. „Omnes ſitientes venite ad aquas." Eſt autem duplex aqua, ſcilicet viva, & non viva. Non viva quidem eſt quæ non continuatur ſuo principio unde ſcaturit; ſed collecta de pluvia, ſeu aliunde, in lacunas, & ciſternas a ſuo principio ſeparata ſervatur. Viva autem aqua eſt, quæ ſuo principio continuatur, & effluit. Secundum hoc ergo gratia Spiritus ſancti recte dicitur aqua viva, quia ita ipſa gratia Spiritus ſancti datur homini quod tamen ipſe fons gratiæ datur, ſcilicet Spiritus ſanctus; immo per ipſum datur gratia. Rom. V. 5. „Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis." Nam ipſe Spiritus ſanctus eſt fons indeficiens, a quo omnia dona gratiarum effluunt. I. Corinth. XIII. 11. „Hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus &c." Et inde eſt quod ſi aliquis donum Spiritus ſancti habeat, & non Spiritum, aqua non continuatur ſuo principio, & ideo eſt mortua, & non viva. Iac. II. 20. „Fides ſine operibus mortua eſt." Sic ergo patet quid per aquam intelligatur. Sed conſequenter oſtenditur, quod ad habendum aquam vivam, ideſt gratiam, in adultis per deſiderium pervenitur, ideſt per petitionem. Pſal. IX. 17. „Deſiderium pauperum exaudivit Dominus:" quia abſque petitione, & deſiderio non datur (*a*) alicui gratia. Unde dicimus quod in iuſtificatione impii requiritur liberum arbitrium ad deteſtandum peccata, & ad deſiderandum gratiam, ſecundum illud Matth. VII. 7. „Petite, & accipietis." Intantum enim requiritur deſiderium, quod etiam ipſe Filius ad petendum inducitur. Pſal. II. 8. „Poſtula a me, & dabo tibi." Unde nec aliquis contradicens gratiæ eam recipit, niſi prius reducatur ad deſiderium gratiæ; ſicut patet in Paulo, qui antequam gratiam reciperet, reductus eſt ad deſiderium gratiæ, dicens (Actor. IX. 6.) „Domine, quid me vis facere?" Et inde eſt quod ſignanter dicitur: *Tu forſitan petiſſes ab eo*. Et dicit *forſitan*, propter liberum arbitrium, quo homo aliquando deſiderat, & petit gratiam, aliquando non. Sed ad petendum gratiam incitatur deſiderium hominis ex duobus, ſcilicet ex cognitione deſiderandi boni, & ex cognitione datoris: & ideo duo cognoſcenda propo-

(a) *Al.* aliter.

Digitized by Google

ponit. Primo ſcilicet ipſum donum: unde dicit: *Si ſcires donum Dei*, quod eſt omne bonum deſiderabile, quod eſt a Spiritu ſancto. Sapien. VIII. 21. „ Scio quod non poſſum eſſe „ continens niſi Deus det. “ Et hoc donum Dei eſt &c. Secundo proponit ipſum datorem: unde dicit: *Et quis eſt qui dicit tibi &c.* ſcilicet, ſi ſcires eum qui dare poteſt, qui ſum ego. Infra XV. 26. *Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre .... ille teſtimonium perhibebit de me*. Pſal. LXVII. 19. „ Dedit dona hominibus. “ Ergo (*a*) hæc doctrina eſt de tribus, ſcilicet de dono aquæ vivæ, de petitione ipſius doni, & de datore ejus.

(b) Et ideo cum dicit, *Dixit ei mulier &c.* de ipſa doctrina tractat explicite quantum ad hæc tria: & primo quantum ad donum; ſecundo quantum ad petitionem, ibi, *Dicit ei mulier: Domine, ut video, Propheta es tu*; tertio quantum ad datorem, ibi, *Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit &c.* Circa primum duo facit. Primo explicat donum, oſtendendo eius virtutem; ſecundo agit de perfectione ipſius doni, ibi, *Dicit ei mulier: Domine da mihi hanc aquam &c.* Circa primum duo facit. Primo ponitur inquiſitio mulieris; ſecundo reſponſio Chriſti, ibi, *Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum*. Circa primum ſciendum eſt, quod mulier iſta Samaritana, verba quæ Dominus ſpiritualiter intelligebat, carnaliter accipiebat: quia erat animalis. I. Corinth. II. 14. „ Animalis homo non percipit ea quæ ſunt „ ſpiritus Dei. “ Et ideo verba quæ (*b*) Dominus dicebat, quaſi inconvenientia, & impoſſibilia, argumento quodam utens, infringere conabatur, hoc modo: Tu promittis mihi aquam vivam: aut ergo de iſto puteo, aut de alio; ſed non de iſto, quia *nec in quo haurias habes, & puteus altus eſt*: de alio autem non videtur credibile quod dare poſſis, quia non *maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum*. Primo ergo proſequens primum, videamus hoc quod dicit: *Domine neque in quo haurias habes*; ideſt, hauritorio eares, quo aquam de puteo extrahere poſſis: *& puteus altus eſt*, ſcilicet ut abſque hauritorio manu non poſſis attingere. (*c*) Per altitudinem, ſeu profunditatem putei, intelligitur ſacræ Scripturæ profunditas, & ſapientiæ divinæ. Eccle. VII. 25. „ Alta profunditas, & quis inveniet „ eam? “ Hauritorium autem quo aqua ſapientiæ ſalutaris hauritur, eſt oratio. Iac. I. 5. „ Si quis indiget ſapientia, poſtulet a Deo. “ Secundum oſtendit, cum dicit: *Numquid tu es maior patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum? &c.* quaſi dicat: Numquid meliorem aquam habes ad dandum nobis quam Iacob? Dicit autem patrem ſuum Iacob, non quod Samaritani de generatione ſint Iacob, ut ex ſupradictis apparet; ſed quia legem Moyſi habebant, & quia intraverunt terram ſemini Iacob repromiſſam. Commendat autem mulier iſta puteum iſtum ex tribus. Primo ex auctoritate dantis: unde dicit: *Patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum*. Secundo ex ſuavitate aquæ, & dicit, quod *ipſe* Iacob *ex eo bibit, & filii eius*: niſi enim fuiſſet ſuavis, non ipſi bibiſſent, ſed pecoribus eam tradidiſſent. Tertio ex ubertate, cum dicit, *Et pecora eius*: quia enim erat ſuavis, niſi fuiſſet uberrima, non dediſſent eam pecoribus. Sic & ſacra Scriptura magna eſt auctoritate, quia a Spiritu ſancto eſt data; delectabilis eſt ſuavitate: Pſal. CXVIII. 103. „ Quam dulcia „ ſunt ſaucibus meis eloquia tua! “ iterum fecunda eſt ubertate, quia non ſolum ſapientibus, ſed etiam inſipientibus communicatur.

(*c*) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus &c.* ponitur reſponſio Domini, ubi explicat virtutem ſuæ doctrinæ: & primo quantum ad hoc quod dixerat eam eſſe aquam; ſecundo quantum ad hoc quod dixerat, eam eſſe aquam vivam, ibi, *Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Oſtendit autem, quod doctrina ſua ſit optima aqua, ex hoc quod habet aquæ effectum, ſcilicet quod auferat ſitim multo amplius quam aqua iſta corporalis; oſtendens ſe in hoc eſſe maiorem quam Iacob. Et ideo dicit: *Reſpondit Ieſus, & dixit ei*; quaſi dicat: Tu dicis, quod Iacob dedit vobis puteum; ſed ego dabo aquam meliorem, quia *omnis qui biberit ex hac aqua*, ſcilicet corporali, vel carnalis cupiditatis, & concupiſcentiæ, licet ad horam ſedetur appetitus, tamen *ſitiet iterum*, quia inſatiabilis eſt delectationis appetitus. Prov. XXIII. 35. „ Quando evigilabo, & rurſus vina reperiam? “ Sed *qui biberit ex hac aqua*, ſcilicet ſpirituali, *quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*. Eſa. penul. 13. „ Servi mei bibent, & vos ſitietis. “

Sed contra. Eccli. XXIV. 29. dicitur: „ Qui bibunt me, adhuc ſitient. “ Quomodo ergo non ſitiet in æternum qui biberit ex hac aqua, ſcilicet divina ſapientia, cum ipſa ſapientia dicat: „ Qui bibunt me, adhuc ſitient? “ Sed dicendum, quod utrumque verum eſt: quia qui bibit ex aqua quam Chriſtus dat, & ſitit adhuc, & non ſitit; ſed qui bibit

(a) *Al. omittitur* hæc. (b) *Al. deeſt* Dominus. (c) *Al.* propter.

bibit ex aqua (*a*) corporali, ſitiet iterum: & hoc propter duo. Primo quia aqua materialis & carnalis non eſt perpetua, nec cauſam perpetuam habet, ſed deficientem: unde & effectus oportet quod ceſſet. Sap. v. 9. „ Tranſierunt hæc omnia quaſi umbra &c. “ Aqua vero ſpiritualis cauſam perpetuam habet, ſcilicet Spiritum ſanctum, qui eſt ſons vitæ, numquam deficiens: & ideo qui ex ea bibit, non ſitiet in æternum; ſicut qui haberet in ventre ſontem aquæ vivæ, non ſitiret umquam. Alia ratio (*b*) eſt, quia differentia eſt inter rem ſpiritualem & temporalem: licet enim utraque generet ſitim, tamen aliter, & aliter: quia res temporalis habita, cauſat quidem ſitim non ſui ipſius, ſed alterius rei; ſpiritualis vero tollit ſitim alterius rei, & cauſat ſui ipſius ſitim. Cuius ratio eſt, quia res temporalis antequam habeatur, æſtimatur magni pretii, & ſufficiens; ſed poſtquam habetur, quia nec tanta, nec ſufficiens ad quietandum deſiderium invenitur, ideo non ſatiat deſiderium, quin ad aliud habendum moveatur. Res vero ſpiritualis non cognoſcitur, niſi cum habetur. Apocal. 11. 17. „ Nemo novit niſi qui accipit. “ Et ideo non habita, non movet deſiderium; ſed cum habetur, & cognoſcitur, tunc delectat affectum, & movet deſiderium, non quidem ad aliud habendum, ſed quia imperfecte percipitur propter recipientis imperfectionem, movet ut ipſa perfecte habeatur. Et de hac ſiti dicitur in Pſal. xli. 3. „ Sitivit anima mea ad „ Deum ſontem vivum. “ Sed hæc ſitis in mundo iſto uſquequaque non tollitur, quia bona ſpiritualia in vita iſta percipere non poſſumus; & ideo qui biberit ex hac aqua, adhuc quidem ſitiet eius perfectionem, ſed non ſitiet in æternum, quaſi ipſa aqua deficiat: quia, ut dicitur in Pſal. xxxv. 9. „ Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. “ In vita autem gloriæ, ubi beati perfecte bibunt aquam divinæ gratiæ, non ſitient in æternum. Matth. v. 6. „ Beati qui eſuriunt, & „ ſitiunt iuſtitiam (ſcilicet in mundo iſto) „ quia ſaturabuntur, “ in vita gloriæ.

(d) Conſequenter cum dicit, *Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, oſtendit doctrinam ſuam eſſe aquam vivam ex motu ipſius aquæ: unde dicit, quod eſt fons decurrens. Pſal. xlv. 5. „ Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. “ Sed alius eſt curſus aquæ materialis, ſcilicet deorſum, alius iſtius ſpiritualis, quia ducit ſurſum: & ideo dicit: Dico, quod talis eſt aqua materialis quod non tollit ſitim; ſed aqua quam ego do, non ſolum ſitim aufert, ſed eſt viva: quia eſt coniuncta fonti: unde dicit, quod *fiet in eo fons*: fons, inquam, perducens per bona opera ad vitam æternam. Ideo dicit, *Aquæ ſalientis*, ideſt ſalire facientis, *in vitam æternam*, ubi non eſt ſitis. Infra VII. 38. *Qui credit in me*, (*c*) *flumina*, ſcilicet bonorum deſideriorum, *de ventre eius fluent aquæ vivæ*. Pſal. xxxv. 10. „ Apud te eſt „ fons vitæ. “

(e) Conſequenter cum dicit, *Dixit ad eum mulier*, agitur de petitione doni: & primo ponitur modus percipiendi ipſum donum; ſecundo convincitur mulier, ibi, *Dixit ei Ieſus: Bene dixiſti &c.* Modus percipiendi, ut dictum eſt, eſt per orationem, & petitionem: & ideo primo ponitur petitio mulieris; ſecundo reſponſio Chriſti, ibi, *Dixit ei Ieſus, Vade &c.* Quantum ad primum notandum, quod mulier iſta in exordio collationis mutuæ, Chriſtum non vocavit Dominum, ſed ſimpliciter Iudæum, dicens: *Quomodo tu, Iudæus cum ſis, bibere a me poſcis?* hic vero ſtatim cum audit eum fore ſibi utilem, & aquam dare poſſe, Dominum eum vocat: unde *dixit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam*. Quia enim hoc carnaliter intelligebat, & duplici corporali neceſſitate tenebatur, ſcilicet ſitis, & laboris, veniendo ad puteum, & portando; ideo aquam petens, hæc duo allegat, dicens quo ad primum, *Ut non ſitiam*; & quo ad ſecundum, *Neque veniam huc haurire*. Naturaliter enim homo laborem refugit. Pſal. lxxii. 5. „ In labore hominum non „ ſunt. “

(f) Hic ponitur reſponſio Domini. Sed ſciendum eſt, quod Dominus reſpondebat ſpiritualiter; ſed mulier intellexit carnaliter: & ideo poteſt hoc dupliciter exponi. Uno modo ſecundum Chryſoſtomum, qui dicit, quod Dominus volebat dare aquam ſpiritualis doctrinæ non ſibi ſoli, ſed ſpecialiter viro ſuo: quia, ut dicitur I. Corinth. xi. 3. „ caput mulieris vir: “ & ideo voluit ut præcepta Dei ad mulieres per virum devenirent. I. Corin. xiv. 35. dicitur, quod „ ſi mu„ lier aliquid addiſcere vult, domi virum in„ terroget. “ Et ideo dicit: *Vade, voca virum tuum, & veni huc*; & tunc cum eo, & per eum dabo tibi. Alio modo, ſecundum Auguſtinum, exponitur myſtice. Nam ſicut de aqua Dominus figurative loquebatur, ita de viro. Vir autem iſte, ſecundum Auguſtinum, eſt intellectus: nam voluntas parit, & concipit a vi apprehenſiva movente eam: unde voluntas eſt ſicut mulier; ratio vero movens

(a) *Al.* cæli. (b) *Al. omittitur* eſt. (c) Al. *flumina de ventre eius*, ſcilicet bonorum deſideriorum, *de ventre eius*.

vens, voluntatem eſt vir eius. Quia ergo mulier, ideſt voluntas, prompta erat ad recipiendum, ſed non movebatur ab intellectu, & ratione, ut ſpecialiter hoc intelligeret, ſed adhuc ſub ſenſu detinebatur; ideo Dominus dixit ei: *Vade*, tu ſenſualis, *voca virum tuum*; ideſt, rationabilem intellectum advoca, quo ſpiritualiter & intelligibiliter intelligas quod modo carnaliter ſapis; *& veni huc*, intelligendo ducta ratione.

(g) Hic convincitur a Chriſto mulier. Et primo ponitur eius reſponſio; ſecundo conteſtatio qua convincitur a Chriſto, ibi, *Bene dixiſti*. Circa primum ſciendum eſt, quod mulier turpitudinem ſuam occultare volens, & Chriſtum ſicut purum hominem credens, licet verum reſponderit Chriſto, tamen ficte, & occulte dedecus ſuum tacebat: (*a*) quia, ſecundum quod dicitur Eccli. IX. 10. „ Mulier „ fornicaria quaſi ſtercus in via conculca„ bitur. " Et ideo *reſpondit & dixit*: *Virum non habeo*: & verum erat: quia licet ante plures habuerit, ſcilicet quinque, nunc vero (*b*) non legitimum habebat virum, ſed cuidam adhæſerat; & ideo convincitur a Domino.

(h) Unde dicit: *Dixit ei Ieſus: Bene dixiſti, quia non habes virum*, ſcilicet legitimum: *quinque enim viros habuiſti*, ante ipſum; *& nunc quem habes*, ideſt hoc modo uteris ut viro, *non eſt tuus vir: hoc vero dixiſti*: quia virum non habes. Ideo autem dixit ei Dominus ea quæ ab ea non didicerat, & occulta ſibi videbantur, ut mulierem ad ſpiritualem intelligentiam reducat, & credat, in Chriſto aliquid divinum eſſe.

Myſtice autem quinque viri ſunt quinque libri Moyſi, quia Samaritani, ut dictum eſt, eos recipiebant; & ideo dicit: *Quinque enim viros habuiſti*; *& nunc quem habes*, ideſt quem audis, ſcilicet Chriſtum, *non eſt tuus vir*, quia non credis. Sed, ut dicit Auguſtinus, hæc expoſitio non eſt bona, quia mulier iſta dimiſſis quinque viris, venit ad hunc quem habebat; ſed iſti qui veniunt ad Chriſtum, non dimiſerunt quinque libros Moyſi. Et ideo aliter dicendum, quod *quinque viros habuiſti*, ideſt quinque ſenſus, quibus uſque modo utebaris; ſed hunc quem habes, ſcilicet rationem errantem, qua ſpiritualiter dicta adhuc carnaliter intelligis, *non eſt tuus vir*, legitimus, ſed adulter, & ideo tolle (*c*) iſtum adulterum errorem, qui te corrumpit, & *voca virum tuum*, ideſt intellectum, ut intelligas me.

(i) Hic agitur de petitione qua donum acquiritur, quæ eſt oratio. Et primo ponitur quæſtio mulieris de oratione; ſecundo reſponſio Chriſti, ibi, *Dixit ei Ieſus*: *Mulier crede mihi*. Circa primum duo facit mulier. Primo confitetur idoneitatem Chriſti ad reſpondendum quæſtioni; ſecundo quæſtionem proponit, ibi, *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt &c.* Mulier autem iſta auditis quæ Chriſtus de occultis ei manifeſtaverat, quem uſque modo purum hominem credidit, nunc Prophetam confitetur, idoneum ad ſatisfaciendum de dubiis. Hoc eſt proprium Prophetarum, ut abſentia, & incognita annuntient. I. Reg. IX. 9. „ Qui olim dicebatur (*d*) Vi„ dens, nunc dicitur Propheta. " Et ideo dicit: *Domine, ut video, Propheta es tu*; quaſi dicat: In hoc quod occulta mihi dicis, oſtenderis Propheta. In quo, ſecundum Auguſtinum, patet quod cœpit ad eam venire vir, ſed non plene venit: quia Dominum Prophetam putabat: licet enim Propheta eſſet, Matth. XIII. 57. „ Non eſt Propheta ſine ho„ nore niſi in patria ſua: " tamen erat pluſquam Propheta, quia Prophetas ipſe conſtituit. Sap. VII. 27. „ In animas ſanctas per na„ tiones ſe transfert, amicos Dei, & Pro„ phetas conſtituit. " Conſequenter ponit quæſtionem de oratione, dicens: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt*; *& vos dicitis quia Hieroſolymis eſt locus ubi adorare oportet*. In quo admiranda eſt mulieris diligentia, quia mulieres, utpote curioſæ, & infructuoſæ, & non ſolum infructuoſæ, ſed & otioſæ, I. Tim. V. non de mundanis, non de futuris eum interrogabat, ſed de his quæ Dei ſunt; ſecundum illud Matth. VI. 33. „ Primum quæ„ rite regnum Dei. " Et movet primo quæſtionem de his quæ in terra illa homines movere conſueverant, ſcilicet de loco orationis, de quo quæſtio vertebatur inter Iudæos & Samaritanos; & hoc eſt quod dicit: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis &c.*

Circa quod ſciendum eſt, quod Samaritani (ſecundum legis mandata) Deum colentes, fecerunt templum, in quo eum adorarent, non euntes in Hieruſalem propter Iudæos eis infeſtos: quod quidem templum fecerunt in monte Garizim, Iudæi vero in monte Sion. Unde quæſtio vertebatur inter eos quis iſtorum montium eſſet convenientior locus orationi; & utrique adducebant rationes pro parte ſua. Samaritani quidem dicebant magis in monte Garizim eſſe adorandum, quia antiqui patres adoraverunt ibi Dominum; & ideo dicit: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt*.

Sed

(a) *Al.* quia hoc illud quod dicitur in Prov. (b) *Al. omittitur* non. (c) *Al.* iuſtum. (d) *Al.* Iudæus

Sed quomodo dicit mulier, *Patres noſtri*, cum Samaritani non eſſent ex ſemine Iſrael? Ad hoc eſt reſponſio, ſecundum Chryſoſtomum, quod aliqui dicunt Abraham in monte illo filium obtuliſſe; alii autem in monte Sion, ut habetur Gen. XXII. Vel poteſt dici, quod *patres noſtri* intelligantur Iacob, & filii eius, qui, ut habetur Gen. XXXIII. & dictum eſt ſupra, habitavit in Sichem, quæ eſt ſita iuxta montem Garizim, & forte ibi adoraverunt in monte Dominum. Vel poteſt dici, quod filii Iſrael adoraverunt in monte hoc, quando Moyſes præcepit ut aſcenderent in montem Garizim, ad benedicendum ſervantibus mandata Domini, ut dicitur Deut. VI.

Et vocat iſtos patres ſuos, vel propter legem datam filiis Iſrael, quam ſervabant Samaritani, vel propter terram eorum quam inhabitabant, ut dictum eſt ſupra. Iudæi autem dicunt orandum eſſe in Hieruſalem auctoritate Domini, qui præcepit Deut. XII. 13. „ Cave ne offeras holocauſta tua in omni „ loco quem videris, ſed in loco quem ele- „ gerit Dominus Deus tuus: “ qui quidem orationis locus primo fuit in Silo, poſtea vero auctoritate Salomonis, & Nathan Prophetæ, arca Dei portata eſt de Silo in Hieruſalem, & ibi factum eſt templum, ſecundum illud Pſal. LXXVII. 60. „ Repulit tabernaculum „ Silo. “ Et poſtea ſequitur: „ Sed elegit „ tribum Iuda, (a) montem Sion, quem di- „ lexit. “ Sic ergo Samaritani adducebant pro ſe auctoritatem patrum, Iudæi vero auctoritatem Prophetarum, quos Samaritani non recipiebant. (b) Hanc ergo quæſtionem mulier proponit: nec eſt mirandum a quo docta fuerit, quia communiter contingit ut in terris in quibus diverſa ſunt dogmata, etiam ſimplices in eis ſint inſtructi. Unde quia Samaritani fuerant in continuo iurgio cum Iudæis, ideo mulieres, & ſimplices in materia iſta edocti erant.

(k) Conſequenter cum dicit, *Dixit ei Ieſus &c.* ponitur reſponſio Chriſti. Et primo diſtinguit trinam orationem; ſecundo comparat eas adinvicem, ibi, *Vos adoratis quod neſcitis*. Circa primum reddit primo mulierem attentam, utpote grandia locuturus, dicens, *Crede mihi*, & fidem adhibe, quia ubique opus eſt fide. Heb. XI. 6. „ Accedentem ad „ Deum oportet credere. “ Eſai. VII. 9. „ Ni- „ ſi credideritis, non intelligetis. “ Secundo proponit trinam adorationem, quarum duæ iam erant, alia vero expectabatur futura. Duarum autem quæ erant, una erat Samaritanorum, qua orabant in monte Garizim; & hanc exprimit dicens: *Venit hora quando neque in monte hoc*, ſcilicet Garizim, *adorabitis*. Alia eſt Iudæorum qua orabant in monte Sion, ſcilicet in Hieruſalem; & hanc exprimit dicens, *Neque in Hieruſalem*. Tertia eſt futura, quæ expectatur, quæ eſt alia ab iſtis; & hanc inſinuat excipiendo utramque adorationem: nam ſi veniat hora quando adorabunt, non tamen in monte Garizim, neque in Hieruſalem, manifeſtum eſt quod erit tertia adoratio Chriſti, evacuans utrorumque adorationem. Nam ſi aliquis vellet duos populos in unum coniungere, oportet in utroque removeri illud in quo abinvicem diſſiderent, & aliquid eis commune in quo conveniant, concedere. Chriſtus ergo volens coniungere Iudæos, & Gentiles, removit a Iudæis cæremonias, & a Gentibus idolatriam, quæ duo erant ſicut paries unus, in quo uterque adinvicem diſſidebant, & fecit ex utroque populo unum populum, ſecundum illud Epheſ. II. 14. „ Ipſe eſt pax noſtra, qui fe- „ cit utraque unum. “ Sic ergo ceſſavit cæremonialis cultus, & idolatria gentium; & ſic introductus eſt verus Dei cultus a Chriſto.

Myſtice autem, (c) ſecundum Origenem, per tres adorationes intelliguntur divinæ ſapientiæ tres participationes. Quidam namque participant eam obnubilantes tenebris erroris; & iſti adorant in monte: quia omnis error ex ſuperbia cauſatur. Hier. LI. 25. „ Ec- „ ce ego ad te mons peſtifer. “ Quidam vero participant ipſam divinam ſapientiam ſine errore, ſed imperfecte, quia in ſpeculo, & ænigmate; & iſti adorant in Hieruſalem, quæ ſignificat præſentem Eccleſiam. Pſal. CXLVI. 2. „ Ædificans Hieruſalem Dominus „ &c. “ Beati vero, & ſancti participant illam ſine errore perfecte, quia vident Deum ſicuti eſt, ut dicitur I. Ioan. III. Et ideo dicit, *Venit hora*, ideſt expectabitur, quando neque in erroribus, neque per ſpeculum, & in ænigmate participabitis divinam ſapientiam; ſed ſicuti eſt.

(l) Conſequenter cum dicit, *Vos adoratis quod neſcitis*, comparat prædictas adorationes adinvicem: & primo comparat ſecundam ad primam; ſecundo tertiam ad primam, & ſecundam, ibi, *Sed venit hora*. Circa primum tria facit. Primo oſtendit defectum primæ adorationis; ſecundo veritatem ſecundæ; tertio rationem utriuſque aſſignat. Quantum ad primum dicit: *Vos adoratis quod neſcitis*.

Sed (d) videtur alicui quod Dominus explicare debuiſſet veritatem quæſtionis, & rationem mulieris exſolvere. Sed Dominus de

(a) *Al.* in montem. (b) *Al.* Nunc. (c) *Al. omittitur* ſecundum Origenem. (d) *Al.* videretur.

hoc non curat, quia utraque adoratio ceſſare debebat.

Quantum autem ad hoc quod dicit, *Vos adoratis*, ſciendum eſt, quod Philoſophus dicit: (*a*) Aliter eſt cognitio in rebus compoſitis, & aliter in ſimplicibus: nam compoſita quidem poſſunt quantum ad aliquid cognoſci, ita ut quantum ad aliquid in eis remaneant incognita: unde poteſt de his haberi falſa cognitio: ſicut ſi aliquis habens veram cognitionem de animali quantum ad eius ſubſtantiam, tamen poteſt errare circa cognitionem accidentis, utrum ſcilicet ſit album, vel nigrum; & differentiæ, utrum ſcilicet ſit alatum, vel quadrupes. In ſimplicibus autem nullo modo poteſt eſſe falſa cognitio: quia aut perfecte cognoſcuntur, inquantum ſcitur eorum quidditas; aut nullo modo cognoſcuntur, ſi non poſſit ad eam attingi. Cum ergo Deus ſit omnino ſimplex, non poteſt de eo haberi falſa cognitio per hoc quod aliquid de eo ſciatur, & aliquid neſciatur, ſed per hoc (*b*) quod non attingitur. Unde quicumque credit Deum eſſe aliquid quod non eſt, puta corpus, vel aliquid huiuſmodi, non adorat Deum, quia neſcit eum, ſed aliquid aliud. Samaritani autem falſam opinionem habebant de Deo dupliciter. Primo quia æſtimabant eum eſſe corporeum, unde & credebant ipſum in uno loco corporeo tantum determinate ibidem adorari oportere. Deinde quia non credebant eum eſſe ſuper omnia, ſed æqualem aliquibus creaturis: unde ſimul cum eo & idola adorabant, quaſi ſibi æqualia. Et ideo neſciebant eum, quia non attingebant ad veram cognitionem eius: & ideo dicit Dominus: *Vos adoratis quod neſcitis*, ideſt, non adoratis Deum, quia neſcitis ipſum; ſed phantaſiam veſtram, qua aliquid apprehenditis ut Deum. Epheſ. IV. 17. „ Sicut & gentes am„ bulant in vanitate ſenſus ſui &c.“

Quantum vero ad ſecundum, ſcilicet quantum ad diverſitatem adorationis Iudæorum, dicit: *Nos adoramus quod ſcimus*. Et connumerat ſe Iudæis, quia & Iudæus erat ſecundum gentem, & etiam mulier opinabatur eum & Prophetam, & Iudæum eſſe. *Nos adoramus quod ſcimus*: quia Iudæi per legem, & Prophetas veram cognitionem, ſeu æſtimationem de Deo habebant, in hoc quod non credebant ipſum eſſe corporeum, nec in uno loco determinato eſſe; quaſi eius maieſtas a loco capi poſſit. III. Reg. VIII. 27. „ Si enim cæli „ cælorum te capere non poſſunt, quanto magis „ domus hæc quam ædificavi? “ Nec etiam idola colebant; & ideo in Pſal. LXXV. 2. dicitur: „ Notus in Iudæa Deus. “ Rationem autem huius aſſignat cum dicit: *Quia ſalus ex Iudæis eſt*; quaſi dicat: Ideo vera notitia de Deo habebatur ſolum a Iudæis, quia futurum erat quod ſalus ex Iudæis proveniret: & ſicut principium ſanitatis debet eſſe ſanum, ita principium ſalutis, quæ habetur per Dei veram cognitionem, & verum cultum, oportet veram cognitionem de Deo habere: & ideo quia ex eis principium ſalutis, & cauſa, ſcilicet Chriſtus, provenire debebat, ſecundum illud Gen. XXII. 18. „ In „ ſemine tuo benedicentur omnes gentes: “ oportet Deum notum eſſe in Iudæa. Provenit autem ex Iudæis ſalus tripliciter. Primo quantum ad doctrinam veritatis, quia omnes gentes erant in erroribus; Iudæi autem in veritate permanebant. Rom. III. 2. „ Quid „ amplius eſt Iudæo? ... Quia tradita ſunt eis „ eloquia Dei. “ Secundo quantum ad ſpiritualia dicta: nam prophetia, & alia dona Spiritus ſancti, prius eis data fuerunt, & ex eis devenerunt ad alios. Rom. XI. 17. „ Tu (ſcilicet gentilis) cum eſſes oleaſter, „ inſertus es in illis, “ ſcilicet Iudæis. Rom. XV. 27. „ Nam ſi ſpiritualium eorum (ſcilicet „ Iudæorum) participes facti ſunt gentiles, „ debent & in carnalibus miniſtrare illis. “ Tertio quantum ad ipſum ſalutis auctorem, quia ex eis proceſſit ſecundum carnem. Rom. IX. 5. „ Ex quibus Chriſtus eſt ſecundum car„ nem. “

(*m*) Conſequenter cum dicit, *Sed venit hora &c.* comparat aliam adorationem duabus primis: & primo ponit eminentiam eius ad alias; ſecundo præeminentiæ convenientiam, ibi, *Nam & Pater tales quærit*. Sed attendendum eſt circa primum, ſecundum Origenem, quod ſupra loquens de tertia adoratione, cum dixit, *Venit hora quando non in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem*, non addidit Dominus, *Et nunc eſt*; hic vero de ipſa loquens, dicit, *Venit hora, & nunc eſt*: quia tunc locutus eſt de adoratione in patria, ſecundum quam perfectam Dei cognitionem participabimus, quæ nondum viventibus in hac carne mortali venit; hic vero loquitur de ea quæ eſt in vita iſta, quæ iam venit per Chriſtum: & ideo dicit: *Venit hora, & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*. Quod poteſt legi primo quidem, ſecundum Chryſoſtomum, ut per hoc totum oſtendatur eminentia iſtius adorationis ad adorationem Iudæorum, ut ſit ſenſus: ſicut adoratio Iudæorum præeminet adorationi Samaritanorum, ita adoratio Chriſtianorum præ-

(*a*) *Al.* Alia. (*b*) *Al.* quod non attingitur, neſcitur.

Digitized by Google

præeminet ei quæ eſt Iudæorum; & hoc in duobus. Primo quia illa eſt ſecundum carnales cæremonias: Hebr. ix. 10. „ In iuſtitiis carnis uſque ad „ tempus correctionis impoſitis: " hæc vero eſt ſecundum ſpiritum. Secundo vero quia illa eſt ſecundum figuras: nam Deo illæ victimæ, ſecundum quod ſunt res quædam, non placebant: unde in Pſal. xlix. 13. dicitur: „ Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? " Et alibi, Pſal. l. 18. „ Sacrificium dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis, " inquantum ſcilicet ſunt res quædam; ſed delectabatur in eis inquantum erant figura veræ victimæ, & (a) veri ſacrificii. Hebr. x. 1. „ Umbram habet lex „ futurorum bonorum, non rerum ipſam imaginem &c. " Hæc autem adoratio eſt in veritate, qnia ipſa ſecundum ſe Deo placet. Supra 1. 17. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Et ideo quantum ad primum dicit, quod *veri adoratores adorabunt in ſpiritu*, non in cæremoniis carnalibus; qnantum ad ſecundum dicit, *In veritate*, non in figura. Secundo poteſt legi quod Dominus per hæc duo quæ dicit, ſcilicet *In ſpiritu, & veritate*, vult oſtendere differentiam huius adorationis, non tantum ad illam Iudæorum, verum etiam ad eam quæ erat Samaritanorum. Ad illam quidem Iudæorum, per hoc quod dicitur, *Et veritate*: nam illa, ut dictum eſt, cum errore erat, quia adorabant quod neſciebant; iſta vero eſt cum vera Dei cognitione. Tertio modo legitur ut per hoc quod dicit, *In ſpiritu, & veritate*, oſtendatur conditio veræ adorationis. Ad hoc enim qnod adoratio vera ſit, duo requiruntur. Unum quod ſit ſpiritualis: unde dicit in ſpiritu, id eſt in fervore ſpiritus. I. Corinth. xiv. 15. „ Orabo ſpiritu, orabo & mente. " Epheſ. v. 19. „ Pſallentes in cordibus veſtris Deo. " Aliud quod ſit in veritate. Primo quidem fidei, quia nullus fervor ſpiritualis deſiderii eſt ad merendum idoneus, niſi adſit veritas fidei. Iac. 1. 6. „ Poſtulet autem in fide nihil „ hæſitans. " Secundo vero *in veritate*, id eſt ſine fictione, & ſimulatione: contra quod dicitur Matth. vi. 5. „ Amant in angulis orare, ut videantur ab hominibus. " Sic ergo ad ipſam orationem requiritur fervor caritatis quantum ad primum, & veritas fidei quantum ad ſecundum, & rectitudo intentionis quantum ad tertium. Sed dicit *Patrem*, quia adoratio legis non erat Patris, ſed Domini. Nos adoramus ut filii per amorem, illi vero adorabant ut ſervi per timorem. Sic ergo hoc quod dicit *veri*, opponitur contra tria, ſecundum dictas expoſitiones. Primo contra falſum adorationis ritum Samaritanorum. Epheſ. iv. 25. „ Deponentes „ mendacium, loquimini veritatem. " Secundo contra vanum, & tranſitorium qnod erat in cæremoniis carnalibus. Pſal. iv. 3. „ Ut quid „ diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? " Tertio contra figurale. Supra 1. 17. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*.

(n) Conſequenter cum dicit, *Nam & Pater tales quærit*, oſtendit convenientiam tertiæ adorationis ex duobus. Primo ex voluntate, & acceptione eius qui adoratur; ſecundo ex ipſius natura, ibi, *Spiritus eſt Deus*. Circa primum ſciendum eſt, qund ad hoc quod homo mereatur quod petit accipere, ea debet petere quæ non ſint contra voluntatem dantis, & eo modo quo acceptum eſt danti; & ideo cum oramus Deum, eſſe debemus quales Deus quærit; Deus autem tales quærit qui ſcilicet eum adorent in ſpiritu, & veritate, & in fervore caritatis, & veritate fidei. Deut. x. 12. „ Et nunc, Iſrael, „ quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi „ ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, „ ut bene ſit tibi? " Mich. vi. 8. „ Indicabo „ tibi, o homo, quid ſit bonum, & quid „ Deus requirat a te: utique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambnlare cum Deo tuo. "

(o) Hoc autem oſtendit ex natura ipſius, dicens: *Spiritus eſt Deus*: nam, ſicut dicitur Eccli. xiii. 19. „ omne animal diligit ſibi „ ſimile. " Ergo Deus intantum diligit nos, inquantum ei aſſimilamur; ſed non aſſimilamur ei ſecundum carnalia, quia eſt incorporeus, ſed ſecundum ſpiritualia, quia *Deus ſpiritus eſt*. Epheſ. iv. 23. „ Renovamini ſpiritu mentis veſtræ. " Hoc autem quod dicit, *Spiritus eſt Deus*, denotat in Deo incorporeitatem. Luc. ult. 39. „ Spiritus carnem, „ & oſſa non habet. " Item vivificationem, quia tota vita noſtra eſt a Deo, ut a principio effectivo. Eſt etiam Deus veritas. Infra xiv. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*: & ideo in ſpiritu, & veritate oportet adorare eum.

(p) Conſequenter cum dicit, *Dixit ei mulier &c.* agitur hic de datore doni: quod reſpondet ei quod Dominus dixerat: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibe-*

(a) *Al.* veteris.

Digitized by Google

bibere, petiſſes utique. Primo ponitur confeſſio mulieris; ſecundo doctrina Chriſti, ibi, *Ego ſum qui loquor tecum*. Circa primum duo facit: primo enim profitetur mulier fidem Chriſti venturi; ſecundo perfectionem doctrinæ eius, ibi, *Cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia*. Sciendum eſt ergo, quod mulier eorum quæ dicta ſunt altitudine fatigata, obſtupuit, ea capere non valens. Dicit: *Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus*; quaſi dicat: Iſta verba non capio; ſed veniet tempus quando veniet Meſſias, & tunc ſciemus omnia iſta: Meſſias enim Hebraice, unctus Latine, Græce Chriſtus eſt. Sciebat autem mulier iſta Meſſiam venturum, edocta per libros Moyſi, ubi Chriſti adventus prænuntiatus eſt. Gen. penult. 10. „ Non auferetur ſceptrum „ de Iuda, & dux de femore eius, donec ve„ niat (*a*) qui mitendus eſt. " Sicut autem Auguſtinus dicit, hæc eſt prima locutio mulieris in qua nominat Chriſtum: ut det intelligere, quod poſt quinque ſenſus corporeos, iam inciperet redire ad virum legitimum.

(q) Hic autem Meſſias cum venerit, perfectam doctrinam proponet, cum dicit: *Cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis*. Et hoc prædixerat Moyſes, Deut. XVIII. 18. „ Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, „ ſimilem eis; & ponam verba mea in ore eius, „ loqueturque ad eos omnia quæ præcepero „ illi. " Et quia iam advocaverat mulier iſta virum ſuum, intellectum ſcilicet, & rationem, ideo Dominus aquam doctrinæ ſpiritualis ei propinat, optime manifeſtando ſe ei.

(r) Et ideo dicitur: *Dixit ei Ieſus: Ego ſum qui loquor tecum*, ſcilicet Chriſtus. Sap. VI. 14. „ Præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, ut il„ lis ſe prior oſtendat. " Infra XIV. 21. *Ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*. Non autem Deus manifeſtavit ſe mulieri a principio: quia forte crediſiſſet, & viſum fuiſſet ſibi ex vanitate loqui. Nunc autem paulatim in cognitionem Chriſti eam reducens, opportune revelavit ſe ipſum. Prov. XXV. 11. „ Ma„ la aurea in lectis argenteis, qui loquitur „ verbum in tempore ſuo. " Et quidem interrogatur a phariſæis, utrum eſſet Chriſtus, infra X. 24. *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*: & tamen eis non ſe manifeſte revelavit, quia non ad diſcendum quærebant, ſed ad tentandum. Hæc vero ſimplici mente loquebatur.

LECTIO III.

(a) ET continuo venerunt diſcipuli eius; & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civitatem.

(b) Et dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. Numquid ipſe eſt Chriſtus? Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.

(c) Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi, manduca.

(d) Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis.

(e) Dicebant ergo diſcipuli adinvicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

(a) POſita doctrina de aqua ſpirituali, hic agit de effectu ipſius doctrinæ: & primo proponit ipſum effectum; ſecundo ipſum effectum manifeſtat, ibi, *Interea rogabant eum diſcipuli eius*. Effectus autem huius doctrinæ eſt fructus proveniens ex parte fidelium: & ideo primo ponitur fructus proveniens ex parte diſcipulorum admirantium; ſecundo fructus proveniens ex parte mulieris virtutem Chriſti annuntiantis, ibi, *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier*. Tria autem ponuntur quantum ad diſcipulos: ſcilicet eorum reditus ad Chriſtum: unde dicit: *Et continuo venerunt diſcipuli eius*: &, ut dicit Chryſoſtomus, ſatis opportune, poſtquam ſe Chriſtus mulieri manifeſtavit, diſcipuli occurrerunt: ut (*b*) oſtendatur, omnia tempora, divina providentia diſpenſari. Sap. VI. 8. „ Unumquodque fecit Deus, quia puſillum, „ & magnum; & æqualiter eſt ei cura de „ omnibus .... & in omni providentia oc„ curret illis. " Eccle. VIII. 6. „ Omni ne„ gotio tempus eſt, & opportunitas. " Secundo ponitur eorum admiratio de Chriſto: unde dicit: *Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur*. Mirabantur quidem bonum; ſed non ſuſpicabantur malum, ut Auguſtinus dicit. Mirabantur autem duo. Primo quidem ſuperabundantem Chriſti manſuetudinem, & humilitatem: quia Dominus orbis terrarum di-

(a) *Al.* qui mittitur. (b) *Al.* oſtendatur.

dignatus eſt cum inope muliere loqui, & diu, dans in hoc nobis exemplum humilitatis. Eccli. IV. 7. „ Congregationi pauperum affabilem te facito. “ Secundo quia cum Samaritana, & alienigena loquebatur, neſcientes myſterium, quod mulier typum Eccleſiæ gentium gereret, quam quærebat, qui venit „ quærere, & ſalvum facere, quod perierat: “ Luc. XIX. 10. Tertio ponitur eorum reverentia ad Chriſtum, quæ oſtenditur ex taciturnitate eorum. In hoc enim oſtendimus reverentiam ad Deum quando facta eius diſcutere non audemus. Prov. XXV. 2. „ Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria Regum inveſtigare ſermonem. “ Et ideo dicit, quod licet mirareotur, *nemo tamen dixit: Quid quaris, aut quid loqueris cum ea?* Eccli. XXXII. 9. „ Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia. “ Sed tamen ſic eruditi erant diſcipuli ordinem ſervare, ex reverentia, & timore filiali ad Chriſtum, (*a*) ut aliquando quidem confidenter eum interrogent de his quæ ad eos pertinebant, ſcilicet quando Chriſtus aliqua proponebat ad eos pertinentia, quæ eorum capacitatem tranſcendebant: Eccli. XXXII. 10. „ Adoleſcens vix loquere in cauſa tua: “ aliquando vero eum non (*b*) interrogent, in his ſcilicet quæ ad eos non pertinebant, ſicut hic.

Conſequenter cum dicit, *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civitatem*, ponitur fructus proveniens ex parte mulieris, officium Apoſtolorum anountiando aſſumentis: & ponuntur tria, quæ colligi poſſunt ex dictis, & factis eius: ſcilicet devotionis affectus; ſecundo prædicationis modus, ibi, *Dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quacumque feci*: tertio prædicationis effectus ibi, *Et exierunt de civitate, & veniebant ad eum*. Affectus autem mulieris apparet ex duobus. Primo ex hoc quod præ magnitudine devotionis, illud pro quo ſpecialiter venerat ad fontem, quaſi oblita, dereliquit aquam, (*c*) & hydriam: unde dicit, quod *reliquit mulier hydriam ſuam, & abiit in civitatem*, annuntiare ſcilicet magnalia de Chriſto, non curans de corporeo commodo propter utilitatem aliorum: in quo ſequitur Apoſtolorum exemplum, qui, ut dicitur Matth. IV. 20. „ relictis retibus, ſecuti ſunt Dominum. “ Per hydriam autem intelligitur cupiditas ſæculi, per quam de profundo tenebrarum, cuius imaginem puteus gerit, ideſt de terrena converſatione, homines hauriunt voluptates. Qui ergo cupiditates ſæculi propter Deum derelinquunt, hydriam derelinquunt. II. Tim. II. 4. „ Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus. “ Secundo vero apparet ex multitudine eorum quibus annuntiat: quia non uni tantum, nec duobus, vel tribus, ſed toti civitati: unde *abiit in civitatem*: in quo ſignificatur Apoſtolorum officium, quibus committit Dominus, Matth. ult. 19. „ Euntes docete omnes gentes. “ Infra XV. 16. *Poſui vos ut eatis, & fructum afferatis*.

(b) Prædicationis autem modus innuitur cum dicit: *Et dicit illis hominibus &c.* ubi primo invitat ad Chriſti viſionem cum dicit; *Venite, & videte hominem*. Audierat enim mulier iſta a Chriſto, quod ego ſum Chriſtus; ſed non ſtatim dixit, quod venirent ad Chriſtum, ſeu crederent, ne daret occaſionem blaſphemandi; & ideo a principio dixit ea de Chriſto quæ credibilia erant, & in propatulo, ſcilicet quod eſſet homo. Phil. II. 7. „ In ſimilitudinem hominum factus. “ Nec dixit, Credite; ſed *venite, & videte*: quia manifeſte noverat, quod ſi guſtarent de illo fonte, eum videndo, eadem paterentur quæ & ipſa. Pſal. LXV. 16. „ Venite, & narrabo quanta fecit animæ meæ. “ Nihilominus tamen io hoc veri prædicatoris imitatur exemplum, non ad ſe homines, ſed ad Chriſtum vocando. II. Cor. IV. 5. „ Non enim prædicamus noſmetipſos, ſed Chriſtum. “ Secundo ponit divinitatis Chriſti indicium, cum dicit: *Qui dixit mihi omnia quacumque feci*, ſcilicet quot viros habuerat. Hoc enim eſt divinitatis officium, & indicium, quod occulta & ſecreta cordium manifeſtet: & licet illa quæ fecerat, ad confuſionem ſuam pertinereot, nihilominus tamen non eſt verecuodata referre: nam, ut Chryſoſtomus dicit, „ anima cum ignita fuerit igne divino, ad nihil eorum quæ ſunt in terra de reliquo reſpicit, neque ad gloriam, nec ad verecundiam; ſed ad illam ſolam, quæ detinet eam, flammam. Tertio autem concludit Chriſti maieſtatem, dicens: *Numquid non ipſe eſt Chriſtus?* Non eſt auſa aſſerendo oſtendere quod eſſet Chriſtus, ne videretur alios velle docere; & ipſi ex hoc irati exire ad eum nollent. Neque tamen totaliter hoc ſiluit; ſed ſub quæſtione, quaſi hoc eorum iudicio committens, propoſuit dicens: *Numquid non ipſe eſt Chriſtus?* Hic enim facilior modus eſt ſuadendi.

Per hanc autem mulierem, quæ infimæ conditionis eſt, ſignatur Apoſtolorum prædicantium modus: quia, ut dicitur I. Corinth. I. 26. „ noo multi ſapientes, non multi pot-

„ en-

(a) *Al.* aliquando quidem confidenter eum interrogant, ideſt de his &c. (b) *Al.* interrogare. (c) *Al.* deeſt & hydriam.

„ entes ſecundum carnem ... ſed quæ ſtul-
„ ta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat
„ ſapientes. “ Unde Proverb. IX. 3. ipſi Apoſtoli ancillæ dicuntur: „ Miſit (inquit, ſa-
„ pientia divina, ſcilicet Filius Dei) ancillas
„ ſuas (ſcilicet Apoſtolos) vocare ad arcem. “ Fructus autem prædicationis ponitur ibi, *Et exierunt de civitate*, ad quam iverat mulier, *& veniebant ad ipſum*, ſcilicet Chriſtum: in quo datur intelligi, quod ſi ad Chriſtum ire volumus, oportet nos exire de civitate; idest, amorem carnalis cupiditatis deponere. Hebr. XIII. 13. „ Exeamus ad eum ex-
„ tra, caſtra, improperium eius portantes. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Interea rogabant eum diſcipuli &c.* manifeſtatur effectus ſpiritualis doctrinæ: & primo per doctrinam Chriſti ad diſcipulos; ſecundo per effectum operis in alios, ibi, *Ex civitate autem illa multi crediderunt*. Circa primum duo facit. Primo ponitur occaſio manifeſtationis huius fructus; ſecundo ponitur ipſa manifeſtatio, ibi, *Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis*. Occaſio autem manifeſtationis ſumitur ex inſtantia diſcipulorum, ad hoc ut Chriſtus manducaret: & ideo dicit: *Interea*; idest, inter mulieris verba, & locutionem Chriſti cum ea, & inter tempus adventus Samaritanorum: *rogabant eum*, ſcilicet Chriſtum, *diſcipuli eius*, *dicentes*: *Rabbi*, *manduca*: arbitrantes hoc tempus fore aptum ad prandium, antequam multitudo eorum concurreret. Non enim coram aliquo advena ſibi eſcas propinabant: unde dicitur Matth. VI. quod tanta multitudo confluebat ad eum, quod non habebat tempus manducandi.

(d) Hunc autem fructum manifeſtat, data ſibi occaſione dicens: *Ille autem dixit eis &c.* ubi primo ponit fructum (*a*) figurata locutione; ſecundo innuitur tarditas diſcipulorum ad intelligendum, ibi, *Dicebant ergo diſcipuli eius*; tertio exponit Dominus quæ dixerat, ibi, *Dixit eis Ieſus*: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem eius qui miſit me*. Fructus autem ſpiritualis doctrinæ proponitur ſub figura cibi & refectionis; & ideo dicit: *Ego cibum habeo manducare*. Et ſciendum, quod ſicut refectio corporalis non eſt perfecta niſi cibo iungatur potus, & e converſo; ita etiam ad ſpiritualem refectionem utrumque haberi debet. Eccli. XV. 3. „ Cibavit illum Dominus pane vi-
„ tæ, & intellectus (ecce cibus) & aqua ſa-
„ pientiæ ſalutaris (ecce potus) potavit il-
„ lum. “ Ideo congrue poſt poculi negotium, quo Samaritana potata fuerat, conveniens erat & de cibo diſceptare: & ſicut per aquam intelligitur ſapientia ſalutaris, ita per cibum intelligitur operatio bona. Cibus autem iſte quem Chriſtus manducare habebat, eſt ſalus hominum, quam quærebat: oſtendens per hoc quod dicit ſe cibum habere manducare, quantum deſiderium habet ſalutis noſtræ: ſicut enim nobis cum eſurimus, concupiſcibile eſt manducare, ita ei ſalvare nos. Prover. VIII. 31. „ Deliciæ meæ ſunt eſſe cum filiis homi-
„ num. “ Et ideo dicit: *Cibum*, (*b*) idest converſionem gentium, *habeo manducare quem vos neſcitis*: quia non poterant adhuc præcognoſcere converſionem gentium. Vel aliter, ſecundum Origenem, contingit ſicut de cibo corporali, ita & de ſpirituali: non enim eadem quantitas omnibus ſufficit, ſed uni quidem maior quantitas neceſſaria eſt, alteri minor; & uni quidem ſanum eſt quod alteri nocet: eodem modo in ſpirituali refectione: non enim eadem qualitas, ſeu quantitas doctrinæ ſpiritualis adhibenda eſt ſingulis, ſed ſecundum diſpoſitionis congruitatem, & capacitatem hominum. Nam, ſecundum Apoſtolum (I. Pet. II. 2.) „ nuper geniti in-
„ fantes rationabiles lac appetunt. “ Perfectorum autem eſt ſolidus cibus: unde Origenes dicit, quod ille qui eſt altioris doctrinæ, & aliis in ſpiritualibus præeſt, poteſt hoc verbum dicere infirmis, & debilioris intellectus exiſtentibus: & ſic Apoſtolus loquitur, I. Cor. III. 1. „ Tanquam parvulis in Chriſto,
„ lac vobis potum dedi, non eſcam. “ Et hoc multo amplius veridicus Ieſus dicere poteſt: *Cibum habeo manducare*. Infra XVI. 12. *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*. Tarditas autem intellectus diſcipulorum innuitur ex hoc quod ea quæ dixit Dominus de cibo ſpirituali, intelligebant de corporali: adhuc enim & ipſi ſine intellectu erant, ſecundum illud Matth. XV.

(e) Et ideo *dicebant diſcipuli ad invicem &c.* Non eſt ergo mirum, ſi mulier illa Samaritana ſpiritualem aquam non intelligebat: ecce enim quod diſcipuli Iudæi ſpiritualem non intelligunt eſcam. In hoc autem quod dicunt adinvicem: *Numquid aliquis attulit ei?* conſuetudinem Chriſti debemus attendere: quia cibos ab aliis oblatos ſolebat accipere: non quod bonis noſtris indigeret, quia „ bonorum noſtrorum non in-
„ diget: “ ut dicitur in Pſal. XV. 2. nec eſca hominum, quia dat eſcam omni carni.

Sed quare quærebat, & ab aliis accipiebat? Propter duo. Primo ut dantes, & afferentes, meritum conſequerentur: ſecundo, ut da-

(a) *Al.* ſignata. (b) *Al.* ideſt gentium.

Digitized by Google

daret Chriſtus exemplum, quod vacantes ſpiritualibus non erubeſcant paupertatem, nec grave putent ab aliis nutriri. Proprium eſt enim doctoribus alios habere procuratores ciborum, ut ipſi de nullo curantes, verbi miniſtrationem ſolicite procurent, ut dicit Chryſoſtomus. Et hoc idem habetur in Gloſſa. I. Tim. v. 17. „ Qui bene præſunt presbyteri, „ duplici honore digni habeantur, maxime „ qui laborant in verbo, & doctrina. “

LECTIO IV.

(a) Dicit eis Ieſus: Meus cibus eſt ut faciam voluntatem eius qui miſit me, ut perficiam opus eius.

(b) Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.

(c) Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit.

(d) In hoc enim eſt verbum verum, quia alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit.

(e) Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis.

(f) Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.

(a) Poſita tarditate intellectus diſcipulorum circa figuratam locutionem, hic conſequenter (a) Dominus explanat eam: & primo ponit explanationem figuratæ locutionis; ſecundo adhibet ſimilitudinem, ibi, *Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Circa primum ſciendum eſt, quod ſicut Chriſtus ſupra explanavit mulieri, quod figuraliter ei propoſuit de aqua, ſic & Apoſtolis explanat, quod figuraliter eis de cibo propoſuit; ſed aliter, & aliter: nam Apoſtolis tamquam capacioribus abſque verborum involucione expoſitionem ſtatim proponit; mulierem autem, utpote minus capacem, per multa verha ad veritatis cognitionem perducit. Hoc autem quod dicit, *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem eius qui miſit me, ut perficiam eius opus*, ſatis rationabilem habet cauſam. Cum enim cibus corporalis ſuſtentet hominem, & perficiat ipſum, ille eſt ſpiritualis cibus animæ, & creaturæ rationalis, quo ſuſtentatur, & perficitur. Hoc autem eſt ut coniungatur ſuo fini, & ut ſequatur regulam ſuperiorem: quod (b) David intelligens dicebat, Pſal. lxxii. 27. „ Mihi autem „ adhærere Deo bonum eſt. “ Et ideo Chriſtus, ſecundum quod homo, convenienter ſuum cibum eſſe dicit, ut Dei faciat voluntatem, & ut perficiat opus. Et hæc quidem duo poſſunt intelligi ut unum; ita tamen quod ſecundum ſit expoſitio primi. Vel poſſunt intelligi ut aliud & aliud. Si autem intelligantur ut unum, tunc eſt ſenſus: *Meus cibus eſt*; ideſt, in hoc eſt firmitas, & ſuſtentatio mea *ut faciam voluntatem eius qui miſit me*, ſecundum illud Pſal. xxxix. 9. „ Facere „ voluntatem tuam Deus meus volui, & le- „ gem tuam in medio cordis mei. “ Infra vi. 38. *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.* Sed quia facere voluntatem alicuius intelligitur dupliciter: uno modo ut faciat (d) eum velle; alio modo ut opere compleat illud quod ſcit eum velle: ideo Dominus exponens quid ſit facere voluntatem eius qui miſit eum, dicit: Hoc ſcilicet (e) eſt *ut perficiam opus eius*; ideſt, ut compleam opera quæ ſcio eum velle. Infra ix. 4. *Me oportet operari opera eius qui miſit me donec dies eſt*. Si autem intelligatur ut aliud & aliud; ſic ſciendum eſt, quod Chriſtus duo fecit in mundo iſto. Primo docuit veritatem, invitando, & vocando ad fidem; & in hoc complevit voluntatem Patris. Infra vi. 40. *Hæc eſt voluntas Patris qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Secundo conſummavit ipſam veritatem, aperiendo per paſſionem ſuam in nobis ianuam vitæ, dando poteſtatem perveniendi ad conſummatam veritatem. Infra xvii. 4. *Opus conſummavi quod dediſti ut faciam.* Sic ergo dicit: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem eius qui miſit me*, vocando homines ad fidem, *ut perficiam opus eius*, perducendo eos ad perfectum. Vel, ſecundum Origenem, omnis homo qui bene operatur, ad duo debet dirigere ſuam intentionem, ſcilicet ad honorem Dei, & ad utilitatem proximi: quia, ſicut dicitur I. Tim. i. 5. „ finis præcepti eſt ca- „ ri-

(a) *Al.* dicens. (b) *Al.* de Deo. (c) *Al.* deeſt eius. (d) *Al.* eius velle. (e) *Al.* eſſe.

Digitized by Google

„ ritas: “ quæ continet amorem, Dei & proximi. Et ſic quando aliquid facimus propter Deum, finis præcepti eſt Deus; quando vero propter utilitatem proximi, finis præcepti eſt proximus. Secundum hoc ergo dicit Chriſtus: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem Dei*, ideſt ut intentionem meam dirigam, & regulem in his quæ ſunt ad honorem Dei, *ut perficiam opus eius*; ideſt, ea faciam quæ ſunt ad utilitatem, & perfectionem hominis.

Sed contra. Dei perfecta ſunt opera: non ergo convenienter dicitur opera perfici Dei. Reſpondeo dicendum, quod inter ceteras creaturas inferiores homo eſt ſpeciale opus Dei, quia ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit illum, Gen. I. Et hoc opus in principio quidem perfectum fuit, quia Deus fecit hominem rectum, ut dicitur Eccli. VII. Poſtmodum vero per peccatum hanc perfectionem amiſit, & a rectitudine receſſit. Et ideo ut hoc opus Domini perfectum eſſet, reparari indigebat: quod quidem perfectum eſt per Chriſtum: quia dicitur Rom. V. 19. „ Sicut enim per unius „ hominis inobedientiam peccatores conſtituti „ ſunt multi, ita per unius obedientiam iuſti „ conſtituentur multi. “ Sic Chriſtus dicit: *Ut perficiam opus eius*; ideſt, ut hominem ad perfectum deducam.

(b) Conſequenter cum dicit, *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? &c.* ponit ſimilitudinem. Sed attende, quod Chriſtus a muliere potum petivit, dicens: *Da mihi bibere*: & ideo occaſione huius petitionis introduxit ſimilitudinem de aqua. Hic vero diſcipuli inducunt Dominum ad manducandum: unde & occaſione huius introducit Dominus ſimilitudinem de cibo ſpirituali: quia idem intelligitur per cibum, & potum. Sic ergo ſunt quidam a quibus Deus petit potum, ſicut a muliere; quidam vero Deo offerunt potum. Sed cibum nullus Deo offert niſi prius petierit ab eo Deus: tunc enim Deo cibum ſpiritualem offerimus quando ab eo poſcimus ſalutem noſtram, cum ſcilicet petimus (Matth. VI. 10.) „ Fiat volun„ tas tua ſicut in cælo, & in terra. “ Salutem ex nobis ipſis conſequi non poſſumus niſi præventi a gratia præveniente, ſecundum illum Thren. ult. 21. „ Converte nos Domi„ ne (*a*) ad te, & convertemur. “ Ipſe ergo prius (*b*) petit qui per prævenientem gratiam nos petere facit. In hac autem ſimilitudine primo agit de meſſe; ſecundo de meſſoribus, ibi, *Et qui metit, mercedem accipit*. Circa primum duo facit. Primo ponit ſimilitudinem de meſſe corporali; ſecundo de meſſe ſpirituali, ibi, *Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros &c.* Per hoc autem quod dicit, *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* datur intelligi quod Chriſtus ſtatim poſt captionem Ioannis de Iudæa receſſit, ſicut dicitur Matth. IV. & tranſivit per Samariam; & quod hoc fuit in hieme; & Ioannes ſimiliter captus. (*c*) Unde quia ibi tempeſtivius meſſes perficiuntur, quatuor menſes erant ab illo tempore uſque ad meſſem. Dicit ergo: *Nonne vos dicitis*, loquendo de meſſe corporali, *quod adhuc quatuor menſes ſunt*, qui extant futuri, *& meſſis venit?* ideſt, tempus collectionis meſſium. Sed *ecce dico vobis*, de ſpirituali meſſe loquens: *Levate oculos veſtros, & videte regiones, quæ alba ſunt iam ad meſſem*. Ubi ſciendum eſt, quod tempus meſſium dicitur tempus collectionis fructuum: & ideo omnis collectio fructuum comparatur tempori meſſium. Tempus autem collectionis fructuum duplex eſt. Nihil enim prohibet in temporalibus, & in ſpiritualibus, quin illud quod eſt fructus reſpectu præcedentium, ſit etiam ſemen reſpectu ſequentium: nam bona opera ſunt fructus ſpiritualis doctrinæ, ſicut fides, & huiuſmodi; quæ tamen ſunt ſemina vitæ æternæ, quia per ea ad vitam æternam pervenitur. Eccli. XXIV. 23. dicit ſapientia: „ Flores mei (reſpectu „ fructus ſequentis) ſunt fructus honoris, & „ honeſtatis „ reſpectu præcedentium. Secundum hoc ergo una eſt collectio meſſis ſpiritualis reſpectu fructuum æternorum, ſcilicet congregatio fidelium in vitam æternam: de qua dicitur Matth. XIII. 39. „ Meſſis eſt „ conſummatio ſæculi. “ Et de iſta non agitur hic. Alia eſt in præſenti. Et hoc poteſt intelligi dupliciter. Uno modo collectio fructuum, ſcilicet fidelium in Eccleſia congregandorum converſio; alio modo ipſa cognitio veritatis, qua aliquis fructum veritatis in anima ſua congregat: & de utraque ſecundum diverſas expoſitiones hic agitur. De prima, ſecundum Auguſtinum, & Chryſoſtomum, hoc modo. Vos dicitis, quoniam adhuc non eſt tempus corporalis meſſis; ſed non ſic eſt de meſſe ſpirituali; immo *ecce dico vobis: Levate oculos veſtros*, ſcilicet mentis per conſiderationem, vel oculos etiam corporis, *& videte regiones, quoniam alba ſunt iam ad meſſem*: quia ſcilicet tota regio plena erat Samaritanis ad Chriſtum exeuntibus. Hoc autem quod dicit, *Alba ſunt*, metaphoricum eſt: cum enim ſegetes dealbatæ ſunt, ſignum eſt quod ſunt præparatæ ad meſſem. Nihil aliud per

hoc

(a) *Al. omittitur* ad te. (b) *Al. deeſt* petit. (c) *Al.* Unde quia ibi inalbeſcere meſſes proſpiciuntur.

hoc ſignificare voluit, quam quod homines ad ſalutem, & ſuſceptionem verbi parati erant ei. Unde dicit: *Videte regiones*, quia non ſolum Iudæi, ſed etiam Gentiles parati ſunt ad fidem. Matth. IX. 37. ,, Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. " Et ſicut meſſes dealbantur propter præſentiam ſolis æſtivo tempore magis ferventis, ita & homines per adventum ſolis iuſtitiæ, ſcilicet Chriſti, & prædicationem, atque virtutem ſuam, præparabantur ad ſalutem. Et de iſto ſole dicitur Malach. IV. 2. ,, Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ. " Et inde eſt quod tempus adventus eius dicitur tempus plenitudinis. Gal. IV. 4. ,, Cum ergo venit plenitudo tempis, miſit Deus Filium ſuum. " De ſecunda autem collectione meſſis, ideſt veritatis in anima, exponit Origenes, qui dicit, quod tot fructus veritatis colligit in meſſe quot quis veritates cognoſcit. Er vult, quod totum hoc quod dicitur: *Nonne vos dicitis, quoniam adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* & *ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte regiones, quæ albæ ſunt iam ad meſſem*: intelligatur parabolice dictum. Et ſecundum hoc duo facit Dominus in verbis iſtis. Primo ponit falſam opinionem quorumdam; ſecuodo excludit eam, ibi, *Ego dico vobis*. Opinio namque quorumdam erat quod nulla veritas alicuius rei haberi poſſit ab homine: & ex hoc derivata eſt hæreſis Academicorum dicentium, nihil pro certo ſciri poſſe in vita iſta: iuxta quod dicitur Eccle. VII. 24. (*a*) ,, Cuncta tentavi in ſapientia; dixi, Sapiens efficiar. Illa autem receſſit a me multo magis quam fuerat. " Hanc ergo opinionem tangit Dominus, dicens: *Nonne vos dicitis, quoniam adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* ideſt, tota vita præſens, in qua homo quatuor elementis deſervit, finiri oportet, ut poſt eam collectio veritatis habeatur in alia vita. Sed hanc opinionem conſequenter excludit cum dicit: Non eſt ita; ſed *ecce dico vobis: Levate oculos veſtros*. Hoc enim (*b*) in ſacra Scriptura dici conſuevit, quandocumque aliquod ſubtile & altum conſiderandum præcipitur. Eſa. XL. 26. ,, Levate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creavit hæc. " Nam oculi quando non ſunt elevati a terrenis, vel a concupiſcentia carnali, non ſunt idonei ad cognitionem ſpiritualis fructus: nam quandoque deprimuntur ad terrena, retracti a conſideratione divinorum, ſecundum illud Pſal. XVI. 11. ,, Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram: " quandoque excæcantur per concupiſcentiam. Dan. XIII. 9. ,, Et declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cælum, neqne recordarentur iudiciorum Dei. " Dicit ergo: *Levate oculos veſtros, & videte regiones, quoniam albæ ſunt iam ad meſſem*: ideſt, ita diſpoſitæ, quod ex eis veritas ſciri poteſt: nam per regiones (*c*) ſpecialiter intelliguotur omnia ex quibus veritas accipi poteſt. (*d*) Et hæ ſpecialiter ſunt Scripturæ, Infra v. 39. *Scrutamini Scripturas ..... quia ipſa teſtimonium perhibent de me*. Et hæ regiones eraot quidem in veteri teſtamento; ſed non erant albæ ad meſſem, quia homioes non poterant ex eis ſpiritualem fructum accipere quouſque Chriſtus venit, qui eas dealbavit, aperiendo eorum intellectum. Luc. ult. 45. ,, Aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. " Item creaturæ ſunt meſſes, ex quibus colligitur fructus veritatis. Rom. I. 20. ,, Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. " Sed tamen gentiles qui earum cognitioni inſiſtebant, erroris potius, quam veritatis fructus ex eis colligebant: quia, ut ibidem dicitur (verſ. 25.) ,, Servierunt creaturæ potius quam creatori. " Et ideo nondum albæ erant, ſed Chriſto veniente, albæ factæ ſunt ad meſſem.

(c) Conſequenter cum dicit, *Et qui metit, mercedem accipit*, agit de meſſoribus: & circa hoc primo ponit meſſorum præmium; ſecundo inducit proverbium, ibi, *In hoc enim eſt verbum verum*; tertio exponit, ideſt adaptat ipſum, ibi, *Ego miſi vos metere*. Quaotum ad primum notaodum eſt, quod Dominus exponens ſupra quod de aqua dixerat ſpirituali, propoſuit conditionem, per quam aqua ſpiritualis differt a corporali: quia ſcilicet qui biberit ex aqua corporali, ſitiet iterum; qui vero biberit ex aqua ſpirituali, non ſitiet in æternum. Eodem modo etiam hic exponens quod dicit de meſſe, proponit quod diſſimile eſt inter meſſem corporalem & ſpiritualem: unde tria proponit. Unum quidem ſecundum quod attenditur ſimilitudo utriuſque meſſis, ſcilicet quod qni metit tam in corporali meſſe, quam in ſpirituali, mercedem accipit. Ille autem metit ſpiritualiter, qni congregat fideles in Eccleſia, vel qni colligit fructus veritatis in anima ſua. Et uterque mercedem accipit, ſecundum illud I. Corioth. III. 8. ,, Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecuudum ſuum laborem. " Duo alia proponit ſecundum quæ attenditur diſſimilitudo. Primo quidem quia fructus meſſoris, qui metit meſſem corporalem, pertinet

(a) *Al.* Cunctatus ſum omnia in ſapientia &c. (b) *Al. deeſt* in. (c) *Al.* ſpiritualiter. (d) *Al.* Et hæc ſpecialiter duo, ſcilicet Scriptura. *Item*: Et hæ ſpecialiter duæ ſunt Scripturæ.

net ad vitam corporalem ; ſed fructus eius qui metit meſſem ſpiritualem , pertinet ad vitam æternam . Et ideo dicit : *Et congregat*, ille ſcilicet qui metit ſpiritualiter , *fructum in vitam æternam*; ſcilicet fideles qui ad vitam æternam pervenerint . Rom. vi. 22. „ Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem , „ finem vero vitam æternam . " Vel ipſam cognitionem , & expoſitionem veritatis , per quam homo acquirit vitam æternam . Eccli. xxiv. 31. „ Qui elucidant me , vitam æternam habebunt . " Secundo vero attenditur diſſimilitudo : quia in meſſe corporali ad miſeriam reputatur quod unus ſeminet , & alius metat : unde qui ſeminat triſtatur de hoc quod alius metit : ſed in ſemine ſpirituali aliter eſt : quia *qui ſeminat ſimul gaudet , & qui metit*. Et quidem , ſecundum Chryſoſtomum , & Auguſtinum , ſeminantes ſemen ſpirituale ſunt patres veteris teſtamenti , & Prophetæ : nam , ut dicitur Luc. viii. 11. „ ſemen eſt „ verbum Dei : " quod Moyſes , & Prophetæ ſeminaverunt in Iudæa ; ſed Apoſtoli meſſuerunt , quia ipſi quod intendebant , ſcilicet homines adducere ad Chriſtum , efficere non potuerunt ; quod tamen Apoſtoli fecerunt . Et ideo utrique ſimul gaudent , ſcilicet Apoſtoli , & Prophetæ , in una manſione gloriæ , de converſione fidelium . Eſa. li. 3. (a) „ Gaudium , & lætitia invenietur in ea , gratiarum actio , & vox laudis . " Et per hoc confutatur hæreſis Manichæorum damnantium patres veteris teſtamenti ; cum tamen , ut hic Dominus dicit , ſimul gaudebunt cum Apoſtolis . Secundum Origenem vero , ſeminantes in qualibet facultate dicuntur illi qui (b) quælibet illius facultatis principia tradunt ; metentes vero qui ex illis procedunt ulterius : & hoc multo magis in iſta , quæ eſt omnium ſcientiarum ſcientia . Prophetæ ſeminantes ſunt , quia multa de divinis tradiderunt ; meſſores vero ſunt Apoſtoli , qui ea quæ non manifeſtaverunt Prophetæ hominibus , prædicando , & docendo revelaverunt . Epheſ. iii. 5. „ Quod aliis generationibus non eſt agnitum ... ſicut nunc revelatum eſt ſanctis „ Apoſtolis eius . "

(d) Conſequenter cum dicit , *In hoc enim eſt verbum verum &c.* inducitur proverbium ; quaſi dicat , quod *in hoc*, ideſt in iſto facto, *verum eſt verbum*, ideſt impletur vulgare proverbium , quod erat apud Iudæos ; ſcilicet , unus ſeminat , & alius metit . Quod proverbium derivari videtur ex eo quod dicitur Levit. xxvi. 16. „ Seretis fruſtra ſegetem , „ quæ ab hoſtibus devorabitur . " Ex quo conſueverunt Iudæi , quando aliquis in reáliqua laborabat , & alius inde gaudebat , huiuſmodi proverbium proferre . Hoc eſt ergo quod Dominus dicit : In hoc quod Prophetæ ſeminaverunt , & laboraverunt , & vos metitis , & gaudetis , impletur proverbium . Vel aliter . *In hoc verbum verum eſt* , ſcilicet quod ego dico , *quod alius eſt qui ſeminat , & alius qui metit*; quia vos metetis fructus ex laboribus Prophetarum . Sed Prophetæ quidem , & Apoſtoli (c) alii ſunt , non in fide : quia & illi , & iſti fidem habuerunt . Rom. iii. 21. „ Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt , teſtificata a Lege , & Prophetis . " Sunt tamen alii in converſatione : quia Prophetæ vivebant ſub cæremoniis legalibus , a quibus Chriſtiani , & Apoſtoli liberi ſunt . Gal. iv. 3. „ Et cum eſſemus parvuli , ſub „ elementis huius mundi eramus ſervientes . „ At ubi venit plenitudo temporis , miſit Deus „ Filium ſuum factum ex muliere , factum „ ſub lege , ut eos qui ſub lege erant redimeret , ut adoptionem filiorum reciperemus . " Et licet diſparis temporis labores habuerint Apoſtoli , & Prophetæ , tamen gaudio pariter perfruentur , & mercedem accipient *in vitam æternam* : *ut ſimul gaudeat qui ſeminat , & qui metit*. Et hoc præfiguratum fuit in transfiguratione Chriſti : ubi omnes gloriam ſuam habuerunt , & patres veteris teſtamenti , ſcilicet Moyſes , & Elias , & patres novi teſtamenti , ſcilicet Petrus , Ioannes , & Iacobus : dans per hoc intelligere , quod in illa futura gloria ſimul gaudent novi , & veteris teſtamenti iuſti .

(e) Conſequenter cum dicit , *Ego miſi vos metere quod non laboraſtis* , adaptat proverbium ad propoſitum : & primo (d) dicit Apoſtolos eſſe meſſores ; ſecundo oſtendit eſſe laboratores , ibi , *Alii laboraverunt , & vos in labores eorum introiſtis* . Quantum ad primum dicit : Dico quod alius eſt qui metit , quia vos eſtis meſſores ; alius eſt qui ſeminat , quia *Ego miſi vos metere quod non laboraſtis* . Non autem dicit , Mittam , ſed *miſi* , quia bis miſit eos . Semel ante paſſionem ſuam ad Iudæos , cum dixit eis : „ In viam gentium ne abieritis .... „ ſed ite potius ad oves quæ perierunt domus Iſrael : " ut dicitur Matth. x. 5. Et quantum ad hanc miſſionem , miſſi fuerunt metere quod non laboraverunt , ſcilicet ipſos Iudæos convertere , in quibus Prophetæ laboraverunt . Miſit autem eos poſt reſurrectionem ad gentes , dicens eis , Mar. ult. 15. „ Euntes in mundum univerſum prædicate „ Evangelium omni creaturæ . " In hac miſſione

(a) *Al.* „ Gaudium , & lætitiam obtinebunt . " (b) *Al. deeſt* qualibet. (c) *Al.* alii ſunt in fide , & alii non . (d) *Al.* ponit.

ſione miſſi ſunt de novo ſeminare: unde Apoſtolus, Rom. xv. 20. & 21. „ Sic autem prædicavi Evangelium, ubi non nominatus eſt „ Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum „ ædificarem; ſed, ſicut ſcriptum eſt: Quibus „ non eſt annuntiatum de eo, videbunt, & „ qui non audierunt, intelligent. “ Et ideo dicit, *Miſi*, habens reſpectum ad primam miſſionem. Sic ergo Apoſtoli ſunt meſſores, ſed alii, ſcilicet Prophetæ, ſunt ſeminatores.

(f) Unde dicit: *Alii laboraverunt*, ſeminando primordia doctrinæ Chriſti, *& vos in labores eorum introiſtis*, ad colligendum fructus. Sap. III. 15. „ Bonorum laborum glorioſus eſt „ fructus. “ Laboraverunt, inquam, Prophetæ, ut adducerent homines ad Chriſtum. Infra v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: (a) de me enim ille ſcripſit*. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? Sed non ipſi fructum meſſuerunt. Unde ſecundum hoc dicebat Eſa. XLIX. 4. „ In „ vacuum laboravi, & ſine cauſa: vane fortitudinem meam conſumpſi. “

LECTIO V.

(a) EX civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Cum veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et manſit ibi duos dies.

(b) Et multo plures crediderunt in eum propter ſermonem eius: & mulieri dicebant: Quia non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus quia hic eſt vere Salvator mundi.

(a) SUpra Dominus prænuntiavit Apoſtolis fructum qui (b) Samaritanis provenerat ex prædicatione mulieris; hic autem Evangeliſta agit de iſto fructu: & primo ponitur fructus proveniens ex prædicatione mulieris; ſecundo inſinuatur augmentatio ipſius (c) fructus facta per Chriſtum, ibi, *Et multo plures crediderunt in eum propter ſermonem eius*. Fructus autem ex prædicatione mulieris proveniens oſtenditur quantum ad tria. Primo quantum ad fidem, quia in Chriſtum crediderunt: unde dicit: *Ex civitate autem illa*, ad quam ſcilicet abierat mulier, *multi* homines *crediderunt in eum Samaritanorum*; & hoc *propter verbum mulieris*, a qua Chriſtus aquam petierat, *teſtimonium perhibentis*, hoc ſcilicet: *Quia dixit mihi omnia quæcumque feci*: quod quidem teſtimonium ſatis inducens erat ad credendum Chriſto. (d) Cum enim quæ Chriſtus dixerat pertinerent ad defectuum ſuorum manifeſtationem, niſi ipſa commota fuiſſet ad credendum, talia non referret: & ideo ſtatim ad auditum verborum ſuorum crediderunt. In quo (e) ſignificatur quod fides eſt ex auditu. Secundo oſtenditur fructus quantum ad eorum acceſſum ad Chriſtum: nam ex fide ſequitur deſiderium rei creditæ: & ideo poſtquam crediderunt, accedunt ad Chriſtum, ut perficiantur per eum: unde dicit: *Cum veniſſent ad illum Samaritani*. Pſal. XXXIII. 6. „ Accedite ad eum, & illuminamini. “ Matth. XI. 28. „ Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam „ vos. “ Tertio quantum ad deſiderium: nam credenti non ſolum eſt neceſſarium venire ad Chriſtum, ſed quod habeat eum ſecum: unde dicit, quod *rogaverunt eum ut ibi maneret. Et manſit ibi duos dies*. Manet autem Dominus nobiſcum per caritatem. Infra XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*: & paulo poſt: *Et manſionem apud eum faciemus*. Sed manet duos dies, quia duo ſunt præcepta caritatis, ſcilicet dilectionis Dei, & proximi: in quibus „ Lex pendet, & Prophetæ, “ ut dicitur Matth. XXII. 40. Tertia autem dies, eſt dies gloriæ. Oſeæ VI. 3. „ Vivificabit nos poſt „ duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos. “ Et in hac die non manſit ibi, quia Samaritani non erant adhuc capaces gloriæ.

(b) Conſequenter cum dicit, *Et multo plures crediderunt in eum propter ſermonem eius*, ponit Evangeliſta, quod fructus proveniens ex prædicatione mulieris, augmentatus eſt ex præſentia Chriſti; & hoc tripliciter. Primo ex multitudine credentium; ſecundo ex modo credendi; tertio ex veritate fidei. Ex multitudine credentium augmentatus eſt, quia propter mulierem multi crediderunt in eum; ſed *multo plures crediderunt propter ſermonem eius*, ſcilicet Chriſti: in quo ſignatur, quod licet multi crediderint per Prophetas, tamen multo plures converſi ſunt ad fidem veniente Chriſto, ſecundum illud Pſal. VII. 8. „ Exurge Domine in præcepto quod man- „ da-

(a) *Al.* divine. (b) *Al.* pro Samaritanis venerat. (c) *Al. emittitur* fructus. (d) *Al.* Cum ea.
(e) *Al.* ſignificabatur.

„ daſti, & ſynagoga populorum circumdabit „ te. “ Secundo augmentatus eſt fructus ex modo credendi: unde dicunt mulieri: *Quia iam non propter tuam loquelam credimus.*

Sed notandum, quod tria ſunt neceſſaria ad perfectionem fidei, quæ hic per ordinem ponuntur. Primo ut ſit recta; ſecundo ut ſit prompta; tertio ut ſit certa. Recta quidem eſt fides, cum veritati non propter aliquod aliud, ſed ei propter ſeipſam obeditur; & quantum ad hoc dicit, quod *mulieri dicebant*, quod iam credimus veritati, *non propter tuam loquelam*, ſed propter ipſam veritatem. Inducunt autem nos ad fidem Chriſti tria. Primo quidem ratio naturalis. Rom. I. 20. „ Inviſibilia Dei a creatura mundi per ea quæ „ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. “ Secundo teſtimonia Legis, & Prophetarum. Rom. III. 21. „ Nunc autem iuſtitia Dei ſine „ Lege maniſeſtata eſt, teſtificata a Lege, & „ Prophetis. “ Tertio prædicatio Apoſtolorum, & aliorum. Rom. X. 14. „ Quomodo cre„ dent ſine prædicante? “ Sed quando per hoc homo manuductus credit, tunc poteſt dicere, quod propter nullum iſtorum credit, nec propter rationem naturalem, nec propter teſtimonia legis, nec propter prædicationem aliorum; ſed propter ipſam veritatem tantum. Gen. XV. 6. „ Credidit Abraham Deo, „ & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. “ Prompta quidem eſt fides, ſi cito credit: & hoc erat in iſtis: quia ad ſolum auditum converſi erant ad Deum: unde dicunt: *Ipſi enim audivimus*, & tamen credimus ei, *& ſcimus quia hic eſt vere ſalvator mundi*, (*a*) abſque hoc quod miracula videremus, ſicut Iudæi viderunt. Et licet credere cito hominibus pertineat ad levitatem, ſecundum illud Eccli. XIX. 4. „ Qui facile credit, levis eſt corde: “ tamen credere cito Deo, magis laus eſt, ſecundum illud Pſalm. XVII. 45. „ In auditu au„ ris obedivit mihi. “ Debet fides eſſe certa, quia qui dubitat in fide infidelis eſt. Iac. I. 6. „ Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. “ Et ideo iſtorum fides certa erat: unde dicunt, *Et ſcimus*. Aliquando enim ipſum credere dicitur ſcire, ſicut hic patet: quia ſcientia, & fides conveniunt in certitudine: nam ſicut ſcientia eſt certa, ita & fides: immo multo magis, quia certitudo ſcientiæ innititur rationi humanæ, quæ falli poteſt; certitudo vero fidei innititur rationi divinæ, cui (*b*) contrariari non poteſt. Differunt tamen in modo: quia fides habet certitudinem ex lumine infuſo divinitus; ſcientia vero ex lumine naturali: nam ſicut certitudo ſcientiæ habetur per prima principia naturaliter cognita, ita & principia fidei cognoſcuntur ex lumine infuſo divinitus. Epheſ. II. 8. „ Gratia ſalvati eſtis per fidem; & hoc „ non ex vobis, Dei enim donum eſt. “ Tertio augmentatus eſt fructus ex veritate credendi: & ideo dicit: *Quia hic eſt vere ſalvator mundi*: ubi confitentur Chriſtus Salvatorem ſingularem, verum, & univerſalem. Singularem quidem cum diſcretum eum ab aliis dicunt: *Hic eſt*, qui ſcilicet ſingulariter ſalvare venit. Eſai. XLV. 15. „ Vere tu es Deus abſconditus, „ Deus Iſrael Salvator. “ Actor. IV. 12. „ Non „ eſt aliud nomen ſub cælo datum homini„ bus, in quo oporteat ſalvos fieri. “ Verum autem, cum dicit, *Vere*: nam cum, ſecundum Dionyſium, ſalus ſit liberatio a malis, & conſervatio in bonis, eſt duplex ſalus: quædam vera, quædam non vera. Vera quidem ſalus cum liberamur a veris malis, & conſervamur in veris bonis. In veteri autem teſtamento licet miſſi fuerint aliqui ſalvatores, non tamen vere ſalvabant: quia liberabant a malis temporalibus, quæ non ſunt vera mala, nec vera bona, quia ſunt tranſitoria. Sed Chriſtus eſt vere Salvator, qui liberat a veris malis, ſcilicet peccatis. Matth. I. 21. „ Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum „ a peccatis eorum. “ Et præſervat in veris bonis, ideſt ſpiritualibus. Univerſalem vero, quia non particularem, ſcilicet Iudæorum tantum, ſed *mundi*. Supra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.*

LECTIO VI.

(a) POſt duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam.

(b) Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet.

(c) Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto: & ipſi enim venerant ad diem feſtum.

(d) Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum.

(a) Po-

(a) *Al. hic repetitur*: Ipſi enim audivimus & credimus ei. (b) *Al.* connumerari.

Digitized by Google

(a) POſita converſione gentium per viam doctrinæ, hic ponitur ipſorum converſio per viam miraculi: unde & quoddam miraculum a Chriſto perpetratum Evangeliſta inducit: circa quod primn ponitur locus; ſecundo deſcribitur miraculum, ibi, *Et erat quidam regulus &c.* tertio ponitur miraculi effectus, ibi, *Cognovit ergo pater &c.* Circa primum duo facit. Primo deſignat generalem locum miraculi, ſcilicet patriam; ſecundn ſpecialem, ibi, *Venit ergo iterum in Cana Galilææ*. Circa primum duo facit. Primo deſignat generalem locum miraculi; ſecundo inſinuat quomodn Chriſtus fuit ibi receptus, ibi, *Cum ergo veniſſet in Galilæam*. Circa primum duo facit. Primo deſignat locum generalem; ſecundo rationem aſſignat, ibi, *Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit &c.* Dicit ergo primo: Dico quod manſit Ieſus apud Samaritanos per duos dies, *& poſt duos dies exiit inde*, ideſt de Samaria, *& abiit in Galilæam*, ubi nutritus fuerat: per quod ſignificatur quod in fine ſæculi, cnnfirmatis gentibus in fide, & veritate, revertetur ad Iudæos convertendos, ſecundum illud Rom. 11.25. „ Donec „ omnis plenitudo gentium intraret, & ſic „ omnis Iſrael ſalvus fieret.

(b) Et rationem aſſignat dicens: *Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet.*

Hic oritur dubitatio: una quidem de ſententia litteræ; alia vero de eius continuatione. De ſententia quidem litteræ dubitatur, quia non videtur verum eſſe qund hic dicitur, ſcilicet quod Propheta in patria ſua honorem non habet: nam aliqui Prophetæ honorati leguntur in terra ſua. Sed, ſecundum Chryſoſtnmum, reſpondetur ad hoc, quia Dominus hic loquitur prout in pluribus accidit. Unde licet in aliquo ſingulari habeat inſtantiam, non tamen propter hoc debet reputari falſum, nam in naturalibus, & in mnralibus, regula eorum quæ ut in pluribus verificatur, eſt vera; & ſi in aliquo particulari aliter ſit, non reputatur falſa. Iſtud autem quod Dominus dicit, in pluribus Prophetarum verum erat, quia in veteri teſtametn vix invenitur aliquis Prnphetarum, qui a ſuis contribulibus perſecutionem paſſus nnn fuerit, ſecundum illud Actor. VII. 52. „ Quem Prophetarum „ non ſunt perſecuti patres veſtri? “ Et Matth. XXIII. 37. „ Hieruſalem, Hieruſalem „ quæ occidis Prophetas, & lapidas ens qui „ ad te miſſi ſunt. “ Hoc etiam verbum Domini verificatur non ſolum in Prophetis apud Iudæos, ſed etiam, ut Origenes dicit, in pluribus apud Gentiles, quia a ſuis civibus ſunt habiti contemptui, & ad mortem deducti: nam conſuota converſatio cum hominibus, & nimia familiaritas reverentiam minuit, & contemptum parit. Et ideo quos familiares magis habemus, minus revereri conſuevimus, & quos familiares habere non poſſumus, magis reputamus. Cuius contrarium contingit de Deo: nam quanto aliquis Deo per amnrem, & contemplationem familiarior efficitur, tanto eum excellentiorem reputans, magis reveretur, & ſeipſum minorem reputat. Iob XLII. 5. „ Auditu auris au„ divi te, nunc autem oculus meus videt te; „ idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœni„ tentiam in favilla & cinere. “ Et huius ratio eſt, quia in homine, cum ſit infirmæ & fragilis naturæ, quando cum alin diu converſatur, cognoſcit in eo aliqua infirma, & ex hoc diminuitur reverentia eius ad eum. Sed cum Deus ſit immenſe perſectus, quanto plus homo in cognitione eius proficit, tantn magis perſectionis eius excellentiam admiratur, & ex hoc eum magis reveretur.

Sed numquid Chriſtus Propheta fuit? Videtur quod non, quia prophetia importat ænigmaticam cognitionem. Num. XII. 6. „ Si „ quis fuerit inter vos Propheta Domini, in „ viſione apparebn ei. “ Chriſtus autem non habuit ænigmaticam cognitionem. Qund autem Propheta fuerit, patet per illud quod dicitur Deut. XVIII. 15. „ Prnphetam ſuſcita„ bit Dnminus de fratribus tuis, & de gen„ te tua ſicut me: ipſum audies: “ qund exponitur de Chriſtn.

Reſpondeo dicendum, quod Propheta duplex habet officium: ſcilicet viſionis: I. Reg. IX. 9. „ Qui nunc vocatur Prnpheta, olim di„ cebatur Videns: “ item annuntiatinnis; & quantum ad hoc Chriſtus Propheta fuit: quia veritatem de Deo annuntiavit. Inſra XVIII. 37. *Ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Sed quantum ad primum, ſciendum eſt, quod Chriſtus fuit ſimul viator, & cnmprehenſnr. Viator quidem, quantum ad humanæ naturæ paſſibilitatem, & ad omnia quæ ad eam pertinent; comprehenſor vero quantum ad unionem divinitatis, ſecundum quam Deo perfectiſſime fruebatur. Sed in viſione prophetiæ dun ſunt. Scilicet lumen intellectuale mentis; & quantum ad hoc non habuit rationem prophetiæ: quia non habuit lumen defectivum, ſed comprehenſoris. Item eſt ibi viſin imaginaria; & quantum ad hoc habuit ſimilitudinem cum Prophetis, ſecundum quod viator fuit, & pnterat diverſa fnrmare imaginatione ſua.

De cnntinuatione dubitatur: non enim videtur Evangeliſta recte continuare hoc quod

dicit,

dicit, *Poſt duos autem dies abiit Ieſus in Galilæam*, cum hoc quod dicitur: *Ipſe enim teſtimonium perhibuit &c.* Videtur enim quod potius debuiſſet dicere, quod non abiit in Galilæam, quia ipſe Ieſus teſtimonium perhibuit. Si enim ſine honore erat ibi, videtur ratio eſſe quod non iret illuc.

Ad hoc, nno modo reſpondet Auguſtinus dicens, hoc Evangeliſtam dixiſſe reſpondendo quæſtioni quæ poſſet fieri: Quare ibat illuc, cum in Galilæa diu moratus fuiſſet, & non fuernnt ad eum converſi Galilæi; & Samaritani in duobus diebus converſi ſunt? quaſi dicat: Licet converſi non ſuerint, nihilominus tamen ipſe illuc abiit: *Quia ipſe teſtimonium perhibuit, quod Propheta in ſua patria honorem non habet*. Alio modo reſpondet Chryſoſtomus ſic: *Poſt duos dies exiit inde, & abiit*, non in Capharnaum, quæ erat patria ſua propter continuam commorationem, Bethlehem autem propter originem, Nazareth vero propter educationem. Non ergo abiit in Capharnaum: unde Matth. xi. 23. hoc exprobrat eis, dicens: „ Et tu Capharnaum, numquid uſque „ in cælum exaltaberis? Uſque in infernum „ deſcendes: “ ſed in Cana Galilææ. Et rationem aſſignat hic; quia male ſe habebant ad eum. Et hoc eſt, quod dicit: *Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, quod Propheta in ſua patria honorem non habet*.

Sed numquid Chriſtus quærebat gloriam ab hominibus? Videtur quod non: quia infra VIII. 50. dicit: *Ego non quæro gloriam meam*. Reſpondeo dicendum, quod ſolus Deus eſt qui ſine vitio gloriam ſuam quærit. Homo autem ab hominibus quærere non debet gloriam ſuam; ſed gloriam Dei: Chriſtus autem quærebat inquantum Deus convenienter gloriam ſuam, & inquantum homo gloriam Dei in ſeipſo.

(c) Conſequenter cum dicit, *Cum ergo veniſſet in Galilæam &c.* oſtendit quod honorifice fuerit Chriſtus a Galilæis receptus magis quam ante, cum dicit: *Cum ergo veniſſet in Galilæam Ieſus, exceperunt eum Galilæi*, honorifice. Et huius ratio eſt, quia viderunt omnia *quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto: & ipſi enim venerant ad diem feſtum*, ſecundum qnod mandabatur in lege.

Sed contra hoc eſt: quia ſupra non legimus Chriſtum aliquod miraculum Hieroſolymis feciſſe. Reſpondeo dicendum, ſecundum Origenem, quod Iudæi maximum miraculum reputaverunt hoc quod Chriſtus cum tanta auctoritate expulit ementes, & vendentes de templo. Vel dicendum, quod ſorte fecit ibi plura miracula quæ non ſcripta ſunt, ſecundum illud infra ult. 25. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus ... quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.*

Myſtice autem per hoc datur nobis exemplum, quod ſi volumus in nobis recipere Chriſtum Ieſum, oportet nos aſcendere in Hieruſalem in die feſto; ideſt, captare quietem mentis, & videre ſingula quæ peragit ibi Ieſus. Eſa. XXXIII. 20. „ Reſpice Sion civitatem „ ſolemnitatis noſtræ. “ Pſal. CXLII. 5. „ Meditatus ſum in omnibus operibus tuis. “

Attende autem, quod ſecundum quod homines inferiores (a) erant in ordine dignitatis, meliores erant quo ad Deum. Iudæi autem digniores erant quam Galilæi. Infra VII. 52. (b) *Scrutare Scripturas, & vide, quia Propheta a Galilæa non ſurrexit*. Galilæi vero digniores erant quam Samaritani. Supra (hoc cap.) *Non coutuntur Iudæi Samaritanis*. Sed e converſo Samaritani meliores erant quam Galilæi, quia plures ex eis crediderunt in Chriſtum in duobus diebus, & ſine miraculo, quam de Galilæis in multis diebus, & etiam cum miraculo vini: non enim crediderunt in eum niſi eius diſcipuli. Iudæi vero peiores erant ipſis Galilæis: quia nullus ex eis crediderat, niſi forte Nicodemus.

(d) Conſequenter (c) dicit: *Venit ergo iterum in Cana Galilææ*: quod, ſecundum Chryſoſtomum, ponitur ut concluſio præmiſſorum; quaſi dicat: Quia non honorabatur in Capharnaum, ideo noluit ire illuc, ubi dehonorabatur. Sed in Cana Galilææ ire debebat: nam primo erat invitatus ad nuptias; modo autem venit iterum non invitatus. Ideo autem de duplici adventu in Cana mentionem facit, ut oſtendat eorum duritiam: nam in primo miraculo, ſcilicet de vino, ſoli diſcipuli eius crediderunt in eum; in ſecundo vero ſolus Regulus, & domus eius tota: ſed Samaritani ad ſolum verbum crediderunt. Myſtice autem per duplicem adventum in Cana, ſignatur duplex effectus verbi Dei in mentem. Primo enim lætificat: quia, ut dicitur Matth. XIII. 20. „ Cum „ gaudio ſuſcipiunt verbum. “ Et hoc ſignatur in miraculo vini, quod lætificat cor hominis, ut dicitur in Pſal. CIII. Secundo ſanat. Sap. XVI. 12. „ Neque herba, neque malagma ſanavit eos; ſed ſermo tuus, Domi„ ne, qui ſanat omnia. “ Et hoc ſignificatur in cura infirmi. Item per hoc ſignificatur duplex adventus Filii Dei. Scilicet primus, qui fuit manſuetudinis ad lætificandum. Eſa. XII. 6. „ Exulta, & lauda habitatio Sion, quia „ magnus in medio tui Sanctus Iſrael. “ Unde

(a) *Al.* ſunt. (b) Al. *Scrutamini Scripturas: quia &c.* (c) *Al.* cum dicit.

de & Angelus ad paſtores ait, Luc. II. 10. „ Annuntio vobis gaudium magnum, quia „ natus eſt vobis hodie Salvator. “ Et hoc ſignatur per vinum. Secundus adventus eius in mundum erit maieſtatis, quando veniet tollere infirmitates, & pœnalitates noſtras, & configurare nos corpori claritatis ſuæ; & hoc ſignatur in cura infirmi.

L E C T I O VII.

(a) ET erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

(b) Hic cum audiſſet, quia Ieſus adveniret a Iudæa in Galilæam, abiit ad eum; & rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium eius: incipiebat enim mori.

(c) Dixit ergo Ieſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.

(d) Dicit ad eum regulus: Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus. Dicit ei Ieſus: Vade: filius tuus vivit.

(e) Credidit homo ſermoni quem dixit ei Ieſus, & ibat.

(f) Iam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes quia filius eius viveret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat. Et dixerunt ei, quia heri hora ſeptima reliquit eum febris.

(g) Cognovit ergo pater, quod illa hora erat in qua dixit ei Ieſus, Filius tuus vivit; & credidit ipſe. & domus eius tota.

(h) Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cum veniſſet a Iudæa in Galilæam.

(a) POſito loco miraculi, conſequenter agitur de ipſo miraculo: & ponuntur tria, ſcilicet perſona infirmans, perſona interpellans, & perſona ſanans. Perſona infirmans eſt filius reguli, perſona interpellans eſt pater eius, ſed perſona ſanans eſt Chriſtus. Circa perſonam infirmam primo ponitur eius conditio, quia filius reguli; ſecundo locus infirmitatis, quia Capharnaum; tertio conditio morbi, quia febris. Quantum ad primum dicit: *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur*. Dicitur autem regulus multipliciter. Uno modo qui præeſt parvo regno; & hoc modo non accipitur hic: (*a*) quia tunc temporis nullus erat Rex in Iudæa. Infra XIX. 15. *Non habemus Regem niſi Cæſarem*. Alio modo, ſecundum Chryſoſtomum, aliquis de ſtirpe regia: nec hoc modo accipitur. Sed tertio modo regulus dicitur aliquis officialis Regis; & iſto modo accipitur hic regulus. Unde, ſecundum quod Chryſoſtomus dicit, quidam eumdem ipſum æſtimant Centurionem, de quo habetur Matth. VIII. Sed hoc non eſt verum: nam quantum ad quatuor differunt. Primo quidem quantum ad genus infirmitatis: nam ille Centurionis erat paralyticus: unde dicebat (ibid. 6.) „ Puer meus iacet paralyticus in domo. “ Filius autem reguli erat febricitans: unde dicit: *Heri hora ſeptima reliquit eum febris*. Secundo quantum ad perſonam infirmatam, quia ille erat ſervus: unde dicit, „ Puer meus: “ iſte vero erat filius: unde dicit, *Cuius filius*. Tertio quantum ad petitionem: nam Centurio Chriſtum volentem ad domum ſuam ire, rogabat remanere, dicens: „ Domine non ſum „ dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tan„ tum dic verbo, & ſanabitur puer meus. “ Regulus vero eum rogabat deſcendere in domum ſuam, dicens: *Domine deſcende prius quam moriatur*. Quarto quantum ad locum: quia illud fuit in Capharnaum; iſtud vero in Cana Galilææ. Ergo iſte regulus non eſt idem quod Centurio; ſed erat quidam de familia Herodis Tetrarchæ, ſive nuntius, ſive officialis Imperatoris.

Allegorice autem regulus iſte, Abraham, vel aliquis ex patribus veteris teſtamenti dicitur, ex eo quod adhæret magno Regi per fidem, ſcilicet Chriſto: de quo dicitur in Pſal. II. 6. „ Ego autem conſtitutus ſum Rex „ ab eo. “ Huic autem Abraham adhæſit, ſecundum illud infra VIII. 56. *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum*. Filius eius eſt populus Iudæorum. Infra VIII. 33. *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus umquam*. Qui infirmatur pravis voluptatibus, & dogmatibus; ſed in Capharnaum, ideſt in abundantia, quæ fuit Iudæis cauſa recedendi a Deo: ſecundum illud Deut. XXXII. 15.

(a) *Al.* quare.

15. „ Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit : “ & ſequitur : „ dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit a Deo ſalutari „ ſuo. “

Moraliter vero in regno animæ, Rex eſt ipſa ratio, ſecundum illud Prov. xx. 8 „ Rex „ qui ſedet in ſolio ſuo. “ Quare dicitur Rex ? Quia totum corpus hominis per eam regitur, & affectus hominis ab ea dirigitur, & informatur, nec non & aliæ vires animæ eam ſequuntur. Sed quandoque dicitur regulus, quando ſcilicet diminuitur in cognitione, (*a*) qua obſcurata, ſequitur inordinatas paſſiones, & non reſiſtit eis, ſecundum illud Epheſ. iv. 17. „ Ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes in„ tellectum. “ Et ideo filius eius, ideſt affectus, infirmatur, ideſt deviat a bono, & declinat ad malum. Si enim ratio fuiſſet Rex, ideſt fortis, filius eius non infirmaretur ; ſed quia regulus eſt, ideo filius eius infirmatur. Et hoc Capharnaum: quia abundantia temporalium eſt cauſa ſpiritualis infirmitatis. Ezech. xvi. 49. „ Hæc fuit iniquitas ſororis tuæ Sodomæ, abundantia, ſaturitas panis, & otium ipſius, & filiarum „ eius. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Hic cum audiſſet &c.* ponitur perſona interpellans: & primo ponitur motivum ad interpellandum ; ſecundo ipſa interpellatio ; & tertio neceſſitas interpellandi. Motivum ad interpellandum fuit adventus Chriſti : unde dicit : *Hic*, ſcilicet regulus, *cum audiſſet quod Ieſus veniret a Iudæa in Galilæam, abiit ad eum.* Nam quamdio adventus Chriſti differebatur, ſpes hominum invalidior erat de ſanatione a peccatis ; ſed cum auditur adventus Chriſti appropinquare, ſpes ſanitatis confortatur in nobis ; & tunc imus ad eum : nam ad hoc ipſe venit in mundum, ut peccatores ſalvos faceret. Luc. xix. 10. „ Venit Filius hominis „ quærere, & ſalvum facere quod perierat. “ Sed, ſicut dicit Eccli. xviii. ante orationem animam parare debemus, quod fit occurrendo Deo per deſiderium : & hoc fecit iſte : unde dicitur quod *abiit ad eum*. Amos iv. 12. „ Præparare in occurſum Dei tui Iſael. “ Petitio autem fit de ſanatione filii ſui : unde dicit : *Rogabat eum ut deſcenderet*, ſcilicet per miſericordiam : Eſa. lxiv. 1. „ Utinam dirumperes cælos, & deſcenderes : “ *& ſanaret filium eius.* Sic & nos debemus rogare ut ſanemur a peccatis, ſecundum illud Pſal. xl. 5. „ Sana animam meam, quia peccavi tibi. “ Nam nullus per ſe poteſt ad ſtatum iuſtitiæ redire, niſi a Deo (*b*) ſanetur, ſecundum illud Iob vi. 13. „ Non eſt auxilium mihi ex „ me. “ Sic & patres veteris teſtamenti rogabant pro populo Iſrael. Unde de uno eorum dicitur II. Machab. ult. 14. „ Hic eſt fratrum amator, qui multum orat pro ſancta „ civitate, & pro populo Iſrael, Hieremias „ Propheta Dei. “ Sed neceſſitas interpellandi eſt urgens : *incipiebat enim mori*. Quando enim homo tentatur, incipit infirmari ; ſed quando tentatio prævalet, ita ut inclinet ad conſenſum, eſt prope mortem, ſed quando iam conſentit, incipit mori. Cum ergo conſummat peccatum, moritur : quia, ut dicitur Iac. i. 15. „ Peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem. “ De qua dicitur in Pſal. xxxiii. 22. „ Mors peccatorum peſſima : “ quia hic incipit, & in futuro abſque fine terminatur.

(c) Conſequenter cum dicit, *Dixit ergo Ieſus ad eum*, agitur de petitione ſanitatis, quæ fit per Chriſtum. Et primo ponitur reprehenſio Domini ; ſecundo petitio reguli ; tertio impetratio petitionis. Reprehendit autem eum Dominus de infidelitate : unde dicit ad eum : *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.*

Sed hoc habet quæſtionem. Primo quidem videtur inconvenienter dictum de regulo : *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis* : niſi enim eum Salvatorem credidiſſet, non petiviſſet ab eo ſanitatem. Ad quod dicendum eſt, quod regulus iſte adhuc non credebat perfecte : erat enim in eo duplex defectus fidei. Unus, quia licet crederet Chriſtum eſſe verum hominem, non tamen credebat eum habere virtutem divinam ; alias credidiſſet eum abſentem poſſe ſanare, cum Deus ubique ſit præſens, ſecundum illud Hier. xxiii. 24. „ Cælum, & terram ego impleo. “ Et ſic non rogaſſet eum quod deſcenderet in domum ſuam, ſed quod mandaret tantum. Secundus defectus fuit, quia, ſecundum Chryſoſtomum, dubitabat utrum Chriſtus ſanare poſſet filium ſuum : nam ſi pro certo hoc credidiſſet, non expectaſſet adventum Chriſti ad terram ſuam ; ſed ipſe potius iviſſet in Iudæam. Sed modo quaſi deſperatus de ſalute filii, nolens negligere quicquid (*c*) circa hoc facere poſſet, abiit ad eum more parentum, qui deſperantes de ſalute filiorum, etiam imperitos medicos conſulunt.

Secundo vero quia non videtur reprehendendus de hoc quod ſigna quærebat : nam fides per ſigna probatur. Et ad hoc dicendum eſt, quod aliter trahuntur ad fidem Chriſti infi-

(a) *Al.* & obſcurata. (b) *Al.* ſanaretur. (c) *Al.* creatura hic.

infideles, & aliter fideles. Infideles non poſſunt trahi, nec adduci auctoritate ſacræ Scripturæ, quia ei non credunt; nec per rationem naturalem, quia fides eſt ſupra rationem; & ideo ducendi ſunt per miracula. I. Corinth. xiv. 22. „Signa data ſunt infidelibus, „ non fidelibus. “ Fideles autem ducendi ſunt, & dirigendi in fidem auctoritate Scripturæ, cui acquieſcere tenentur. In hoc ergo regulus redarguitur: quia cum eſſet nutritus inter Iudæos, & de lege inſtuctus, non per Scripturæ auctoritatem, ſed per ſigna credere volebat: & ideo Dominus eum reprehendens dicit: *Niſi ſigna & prodigia*, ideſt miracula quæ ſunt aliquando ſigna, inquantum ſunt demonſtrativa dominicæ veritatis; prodigia vero, vel quia certiſſime indicent, ut ſic dicatur prodigium, quaſi (*a*) porrodicium; vel quia aliquid futurum protendit, ut ſic dicatur prodigium quaſi procul oſtendens aliquem effectum futurum.

(d) Conſequenter ponitur inſtantia reguli: non enim ad reprehenſionem Domini (*b*) deſiſtit, ſed cum inſtantia dicit ad eum: *Domine deſcende priusquam moriatur filius meus*. Lucæ xviii. 1. „Oportet ſemper orare, & non „ deficere. “ Oſtenditur in hoc profectus fidei eius quantum ad aliquid, quia ſcilicet vocat eum Dominum; licet non totaliter in fide profecerit: adhuc enim corporalem præſentiam Chriſti ad ſalutem filii ſui neceſſariam credens, rogabat eum ut deſcenderet. Sed quia oratio perſeverans impetrat, ideo quod petit, conceditur ei a Domino: unde *dicit ei Ieſus: Vade: filius tuus vivit*. Ubi primo ponitur annuntiatio ſanitatis per Chriſtum, qui eam fecit; ſecundo (*e*) ponuntur perſonæ, quæ eam factam viderunt, ibi, *Iam autem eo deſcendente &c.* Circa primum duo ponuntur. Mandatum Domini, & obedientia reguli, ibi, *Credidit homo ſermoni quem dixit ei Ieſus*. Circa primum Dominus duo facit. Primo quidem præcipit; ſecundo vero annuntiat. Præcipit autem ut vadat: unde dicit, *Vade*; ideſt diſpone te præparando ad gratiam (*d*) per motum liberi arbitrii in Deum. Eſa. xlv. 22. „ Convertimini ad me, „ & ſalvi eritis. “ Et per motum liberi arbitrii in peccatum. Nam in iuſtificatione impii quatuor exiguntur, ſpecialiter in adultis, ſcilicet infuſio gratiæ, & remiſſio culpæ, motus liberi arbitrii in Deum, qui eſt fides, & in peccatum, qui eſt contritio. Annuntiat autem ſalutem filii, quam petierat, dicens: *Filius tuus vivit*.

Sed quæritur cur Chriſtus rogatus a regulo ut deſcenderet in domum ſuam, corporaliter ire recuſat; ad ſervum vero Centurionis corporaliter ire pollicetur? Huius autem duplex ratio aſſignatur. Una ſecundum Gregorium, ut in hoc ſuperbiam noſtram (*f*) retundat, qui magnis hominibus nos ad ſerviendum offerimus; parvis autem ſervire recuſamus: cum ipſe, qui eſt Dominus omnium, ad ſervum Centurionis ſe iturum obtulit, ire vero ad filium reguli recuſavit. Eccli. iv. 7. „ Congregationi pauperum affabilem te fa„ cito. “ Alia ratio, ſecundum Chryſoſtomum, quia Centurio iam confirmatus erat in fide Chriſti, credens quod etiam abſens ſalvare poſſet; & ideo ad fidem, & devotionem eius oſtendendam Dominus ire promiſit. Iſte vero adhuc imperfectus erat, nondum noverat manifeſte quod abſens curare poterat: & ideo non accedit ut eum imperfectionem ſuam cognoſcere faciat.

(e) Obedientia reguli ponitur quantum ad duo. Primo quia annuntianti credidit: unde dicit: *Credidit homo ſermoni quem dixit Ieſus*, ſcilicet, *Filius tuus vivit*. Secundo vero quia mandato obedivit: unde dicit, *Et ibat*, proficiendo in fide; (*g*) licet adhuc neque integre, neque ſane, ut Origenes dicit. In quo ſignatur, quod ex fide iuſtificari oportet. Rom. v. 1. „ Iuſtificati ex fide, pacem habea„ mus ad Deum per Dominum noſtrum Ie„ ſum Chriſtum. “ Oportet nos proficiendo ire: quia qui ſtat, exponit ſe periculo ut vitam gratiæ conſervare non poſſit: in via enim Dei non proficere, deficere eſt.

(f) Annuntiatio autem ſanitatis facta per ſervos ponitur conſequenter, cum dicit: *Iam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei &c.* Et primo ponitur denuntiatio ſalutis; ſecundo fit inquiſitio de tempore ſanationis, ibi, *Interrogabat autem horam ab eis*. Dicit ergo: *Iam autem eo deſcendente*, a Cana Galilææ in domum ſuam, *ſervi occurrerunt ei*: ex quo patet quod regulus iſte dives erat, habens multos ſervos: *& annuntiaverunt, dicentes, quia filius tuus vivit*: & hoc ideo quia credebant Chriſtum perſonaliter accedere, cuius præſentia iam curato filio ſuperflua videbatur.

Myſtice autem ſervi reguli, ſcilicet rationis, ſunt opera hominis, quia (*h*) homo eſt dominus ſuorum actuum, & affectus ſenſitivæ partis, quia obediunt rationi imperanti, (*i*) & dirigenti. Iſti autem ſervi annuntiant quidem quod filius reguli, ſcilicet rationis, vivit, quando relucent in homine bona opera, & vires inferiores magis obediunt rationi,

(a) *Al.* prorodítium: *forte* prodititium. (b) *Al.* conſiſtit. (c) *Al.* per perſonas. (d) *Al.* per modum. (e) *Al.* Deus. (f) *Al.* reprehendat. (g) *Al.* ſed. (h) *Al.* deeſt homo. (i) *Al.* omittitur & dirigenti.

ſecundum illud Eccli. XIX. 37. „ Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis annuntiant de illo. “

Sed quia regulus neque integre, neque ſane adhuc credebat, adhuc volebat ſcire utrum caſu, an præcepto Chriſti filius curatus eſſet: & ideo tempus curationis inquirit; & hoc eſt quod dicitur: *Interrogabat ergo horam ab eis*, ſcilicet ſervis, *in qua melius habuerat*, ſcilicet filius ſuus; & invenit quod illa hora curatus fuit ſtatim quando Dominus dixit ei: *Vade: filius tuus vivit*. Nec mirum, quia ipſe Chriſtus eſt Verbum, quo factum eſt cælum & terra, ſecundum Pſal. CXLVIII. 5. „ Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe „ mandavit, & creata ſunt. “ (a) Eccli. X. 5. „ Facile eſt in conſpectu Domini &c. “ Et ideo *dixerunt ei*, ſcilicet ſervi, *quod heri hora ſeptima reliquit eum febris*.

Myſtice autem per horam ſeptimam, in qua puer a febre dimittitur, ſignificantur ſeptem dona Spiritus ſancti, per quem fit remiſſio peccatorum, ſecundum illud Ioan. XX: 22. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Per quem etiam ſpiritualis cauſatur in anima. Infra VI. 64. *Spiritus eſt qui vivificat*. Etiam per horam ſeptimam ſignatur tempus quieti conveniens, nam Dominus ſeptimo die requievit ab omni opere quod patrarat: in quo ſignificatur quod via ſpiritualis hominis in quiete ſpirituali conſiſtit, ſecundum illud Eſa. XXX. 15. „ Si quieveritis, ſalvi eritis. “ De malis dicit Eſa. LVII. 20. „ Cor impii quaſi „ mare (b) fervens, quod quieſcere non pot- „ eſt. “

(g) Conſequenter eum dicit, *Cognovit ergo pater &c.* ponitur effectus miraculi: & primo ponitur miraculi fructus; ſecundo ipſum miraculum altero miraculo continuatur, ibi, *Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus*. Dixit ergo: *Cognovit ergo pater*, comparans horam nuntiantium ſervorum, horæ Chriſti prænuntiantis, *quia illa hora erat in qua dixit ei Ieſus: Vade: filius tuus vivit*. Ex hoc converſus eſt ad Chriſtum, cognoſcens miraculum eius virtute factum: *Credidit ipſe, & domus eius tota*, ſcilicet ſervi, & miniſtri: quia ſecundum conditionem dominorum, ſive bonam, ſive malam, ſervi diſponuntur: ſecundum illud Eccli. X. 2. „ Secundum iudi- „ cem populi, ſic & miniſtri eius. “ Gen. XVIII. 19. „ Scio enim quod præcepturus (c) „ ſit filiis ſuis. “ Patet autem ex hoc quod fides iſtius ſemper profecit: nam a principio quando interpellavit pro filio infirmo, debilis erat; poſtea plus firmitatis habere cœpit, quando vocavit eum Dominum; deinde quando credidit homo ſermoni, & ibat, magis perfecta erat; tamen non integre, quia adhuc dubitavit: hic cognita manifeſte Dei virtute in Chriſto, perficitur in eius fide: quia, ut dicitur Prov. IV. 18. „ iuſtorum „ ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & cre- „ ſcit uſque ad perfectum diem. “

(h) Continuatur autem miraculum iſtud præcedenti miraculo, cum dicitur: *Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus*: quod poteſt dupliciter intelligi. Uno modo quod in iſto eodem adventu de Iudæa in Galilæam fecerit Dominus duo miracula, quorum primo non ſcripto, iſtud ponitur ſecundum. Alio modo, quod Ieſus duo ſigna fecit in Galilæa diverſis temporibus. Unum ſcilicet de vino, & iſtud ſecundum quod fecit circa filium reguli, veniens iterum a Iudæa in Galilæam. Oſtenditur autem per hoc quod Galilæi peiores erant Samaritanis, qui nullum ſignum a Domino expectantes, verbo tantum eius crediderunt multi ex eis; ſed ad iſtud miraculum non credidit Chriſto niſi regulus, & domus eius tota: nam Iudæi propter eorum duritiam paulatim convertebantur ad fidem, ſecundum illud Mich. VII. 1. „ Factus „ ſum ſicut qui colligit in autumno racemos „ vindemiæ; non eſt botrus ad comeden- „ dum; præcoquas ficus deſideravit anima „ mea. “

CAPITIS QUINTI

LECTIO I.

(a) POſt hæc erat dies feſtus Iudæorum; & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, clau-

(a) Eccli. X. 4. „ In manu Dei poteſtas terræ. (b) *Al.* fluens. (c) *Al.* ſicut.

claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua: & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.

(b) Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.

(c) Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognoviſſet, quia iam multum tempus haberet, dixit ei: Vis ſanus fieri?

(d) Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.

(e) Dixit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

(f) Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.

(a) SUpra Dominus egit de regeneratione ſpirituali; hic agit conſequenter de beneficiis quæ regeneratis ſpiritualiter conferuntur a Deo. Sed his qui carnaliter generantur tria conferuntur a parentibus carnalibus, ſcilicet vita, nutrimentum, & doctrina ſive diſciplina; & hæc tria a Christo etiam regenerati ſpiritualiter percipiunt. Primo quidem ſpiritualem vitam; ſecundo vero ſpirituale nutrimentum; tertio ſpiritualem doctrinam. Secundum hoc ergo de tribus hic agitur. Primo de collatione ſpiritualis vitæ; ſecundo de collatione ſpiritualis cibi; & hoc infra VI. ibi, *Poſt hæc abiit Ieſus &c.* tertio de ſpirituali doctrina, infra VII. cap. *Poſt hæc ambulabat Ieſus*. Circa primum tria facit. Primo proponit ſignum viſibile, in quo manifeſtatur virtus Chriſti factiva, & reparativa vitæ, ſecundum conſuetudinem huius Evangelii, in quo ſemper doctrinæ Chriſti adiungitur aliquod viſibile factum, pertinens ad illud de quo eſt doctrina, ut ſic ex viſibilibus inviſibilia innoteſcant. Secundo ponitur occaſio doctrinę proponendæ, ibi, *Erat autem ſabbatum &c.* tertio ponitur ipſa doctrina, ibi, *Reſpondit itaque Ieſus: Amen amen dico vobis &c.* Circa primum tria facit. Primo deſcribitur locus miraculi perpetrati; ſecundo infirmitas, ibi, *Erat autem ibi homo &c.* tertio reſtitutio ſanitatis, ibi, *Dixit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*. Locus autem miraculi deſcribitur dupliciter, ſcilicet generalis, & ſpecialis. Generalis locus eſt Hieroſolyma; & ideo dicit: *Poſt hæc*, ideſt poſt miraculum in Galilæa factum, *erat dies feſtus Iudæorum*, ſcilicet pentecoſtes, ſecundum Chryſoſtomum: nam ſupra fit mentio de feſto paſchæ, quando ierat in Hieruſalem: nunc ergo in ſequenti feſto pentecoſtes *aſcendit Ieſus Hieroſolymam*, iterato: nam, ſicut legitur Exod. XXIII. 17. mandatum erat a Domino, ut omne maſculinum generis Iudæorum tribus vicibus in anno, ſcilicet in die feſto paſchæ, pentecoſtes, ſcenopegiæ, in templo præſentaretur. Et in iſtis feſtis Dominus in Hieruſalem aſcendit propter duo: ſcilicet ne videretur legi fore contrarius, ſicut ipſe dixerat, Matth. v. 17. „Non veni legem ſolvere, ſed adimplere:“ & ut multitudinem populi illuc concurrentis in diebus feſtis ad Deum per ſigna, & doctrinam trahat, ſecundum illud Pſal. CVIII. 30. „In medio multorum laudabo eum:“ & alibi (Pſal. XXXIX. 10.) „Annuntiabo iuſtitiam tuam in eccleſia magna.“ Unde & ipſe dicit, infra XVIII. 20. *Ego palam locutus ſum mundo*. Locus autem ſpecialis miraculi fuit probatica piſcina; & ideo dicit: *Eſt Hieroſolymis probatica piſcina &c.* quæ quidem deſcribitur ex quatuor, ſcilicet ex nomine, ex diſpoſitione, ex inhabitatione, & ex virtute. Ex nomine quidem cum dicit, *Probatica piſcina*: (a) probaton enim Græce ovis dicitur. Probatica ergo piſcina, quaſi oviaria, vel (b) pecuaria dicitur, ex eo quod ſacerdotes cadavera beſtiarum, & præcipue ovium, quæ ut plurimum in ſacrificiis offerebantur, ibi abluebant: & ideo Hebraice cognominabatur *Bethſaida*, ideſt domus ovium. Erat enim prope templum ex aquis pluvialibus collecta.

Myſtice autem, ſecundum Chryſoſtomum, hæc piſcina baptiſmum præfigurabat: nam Dominus volens gratiam baptiſmalem in diverſis præfigurare, primo quidem dedit aquam expurgantem corporis ſordes, quæ erant ex tactu immundorum ſecundum legem, de qua habetur Num. XIX. Secundo dedit virtutem huic piſcinæ quæ repræſentat expreſſius quam aqua illa virtutem baptiſmi, non ſolum ab immunditiis carnis ſanando, ſed etiam ab infirmi-

(a) *Al.* probatio. (b) *Al.* peculiaris.

mitatibus corporis ſalvando: nam quanto ſiguræ fuerunt propinquiores veritati, tanto expreſſiores erant. Signabat ergo virtutem baptiſmi, quia ſicut aqua illa per hoc quod lavabat corpora, habebat virtutem (a) ex Angelo, non natura propria, infirmitatem ſanandi: ita aqua baptiſmi habet virtutem ſanandi; & abluendi animam a peccatis. Apocalyp. I. 5. „ Dilexit nos, & lavit nos a „ peccatis noſtris." Et inde eſt quod paſſio Chriſti per ſacrificia veteris legis (b) præfigurata, in baptiſmo repræſentatur. Rom. VI. 3. „ Quicumque baptizati eſtis in Chriſto Ie„ ſu, in morte ipſius baptizati eſtis &c." Secundum Auguſtinum vero, aqua illius piſcinæ ſignificabat ſtatum populi Iudæorum, ſecundum illud Apocal. XVII. 15. „ Aquæ mul„ tæ, populi multi." Nam populus gentium non erat incluſus ſub limite divinæ legis; ſed unuſquiſque ambulabat ſecundum vanitatem cordis ſui, ſecundum illud Epheſ. IV. Populus vero Iudæorum concluſus erat ſub cultu unius Dei, ſecundum illud Galat. III. 23. „ Concluſi in eam fidem quæ revelanda erat." Et ideo iſte populus ſignificabatur per aquam in piſcina concluſam. Et dicitur *probatica*, quia ipſi erant ſpeciales oves Dei, ſecundum illud Pſal. XCIV. 7. „ Nos autem populus eius, „ & oves paſcuæ eius."

Ex diſpoſitione autem deſcribitur, quia erat *quinque porticus habens*, ſcilicet per circuitum, ut multi ſacerdotes abſque impedimento commode ſtarent ad lavandum cadavera beſtiarum.

Per hos quinque porticus myſtice ſignificantur, ſecundum Chryſoſtomum, quinque vulnera corporis Chriſti: de quibus dicitur infra XX. 27. *Mitte manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Secundum Auguſtinum vero, quinque libri Moyſi.

Ex inhabitatione autem deſcribitur, quia *in his*, ſcilicet porticibus, *iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum &c.* Cuius litteralis ratio eſt propter concurſum omnium infirmorum ad virtutem aquæ: quæ quia continue non ſanabat, nec multos ſimul, oportebat quod multi illic expectantes morarentur.

Per hoc autem myſtice ſignificatur, ſecundum Auguſtinum, quod lex non poterat peccata ſanare, ſecundum illud Hebr. X. 4. „ Impoſſibile eſt per ſanguinem hircorum, „ aut taurorum peccata purgari." Sed oſtendebat ea tantum, ſecundum illud Rom. III. 20. „ Per legem enim cognitio pecca„ ti." Et ideo iacebant in ea infirmi diverſis infirmitatibus, curari non valentes. Quæ quidem deſcribuntur quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad ſitum, quia iacebant proſtrati, ſcilicet per peccata inhærendo terrenis: qui enim iacet, ex toto inhæret terræ. Matth. IX. 36. „ Miſertus eſt eorum, „ quia erant vexati, & iacentes, quaſi oves „ non habentes paſtorem." Iuſti autem non iacent, ſed recti ad cæleſtia ſtant. Pſal. XIX. 9. „ Ipſi (ſcilicet peccatores) obligati ſunt „ & ceciderunt; nos autem (ſcilicet iuſti) ſur„ reximus, & erecti ſumus." Secundo quantum ad numerum, quia multi: unde dicit, *Multitudo magna*. Eccle. I. 15. „ Perverſi diſ„ ficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt „ numerus." Et Matth. VII. 13. „ Lata eſt via „ quæ ducit ad perditionem, & multi ince„ dunt per eam." Tertio quantum ad diſpoſitionem ſeu habitum infirmorum. Et ponit quatuor quæ homo per peccatum incurrit. Primo enim homo ex hoc quod ſubiicitur paſſionibus peccatorum ei prædominantibus, efficitur languidus; & quantum ad hoc dicit, *Languentium*. Unde & a Tullio paſſiones animæ, puta iræ, & concupiſcentiæ, & huiuſmodi, quædam ægritudines animæ dicuntur. Unde Pſal. VI. 3. dicebat: „ Miſerere „ mei Domine quoniam infirmus ſum." Secundo vero ex dominio paſſionum, & victoria in homine excæcatur ratio per conſenſum: & quantum ad hoc dicit, *Cæcorum*, ſcilicet per peccata, ſecundum illud Sapient. II. 21. „ Excæcavit eos malitia eorum." Pſal. LVII. 9. „ Supercecidit ignis (ſcilicet iræ, & con„ cupiſcentiæ) & non viderunt ſolem." Tertio homo languens, & cæcus efficitur inſtabilis in ſuis operibus, & eſt quaſi claudus: unde dicitur Proverb. XI. 18. „ Impius facit „ opus inſtabile." Et quantum ad hoc dicit, *Claudorum*. III. Reg. XVIII. 21. „ Uſquequo „ claudicatis in duas partes?" Quarto homo ſic languidus, cæcus intellectu, claudus in effectu, efficitur aridus in affectu, inquantum exſiccatur in eo omnis pinguedo devotionis, quam petebat Pſal. LXII. 6. dicens: „ Sicut adipe & „ pinguedine repleatur anima mea." Et quantum ad hoc dicit, *Aridorum*. Pſal. XXI. 16. „ Aruit tamquam teſta virtus mea." Sed ſunt aliqui ſic affecti languore peccati, qui non expectant aquæ motum, in peccatis ſuis requieſcentes, ſecundum illud Sap. XIV. 21. „ In magno viventes inſcientiæ bello, tot & „ tanta mala pacem appellant." De quibus dicitur. Proverb. II. 14. „ Lætantur cum „ male fecerint, & exultant in rebus peſſi„ mis." Cuius ratio eſt, quia non abhorrent pec-

(a) *Al.* ex Angelorum natura propria. (b) *Al.* præfigurata fuit, quæ eſt cauſa baptiſmi, quæ eſt repræſentatio mortis Chriſti.

peccata; nec peccant ex ignorantia, ſeu infirmitate, ſed ex certa malitia. Iſti autem, utpote non ex malitia peccaores, oon quieſcebant in peccatis; ſed per deſiderium expectabant aquæ motum. Unde dicit, *Et expectantium*. Iob XIV. 14. „ Cunctis diebus qui„ bus nunc milito, expecto, donec veniat im„ mutatio mea. “ Sic & illi qui erant in veteri teſtamento expectabant Chriſtum, ſecundum illud Gen. penult. 18. „ Salutare tuum „ expectabo, Domine. “

Ex virtute vero deſctibitur piſcina, quia ſanat ab omni infirmitate corporali, virtute Angeli deſcendentis; & ideo dicit: *Angelus autem Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam*. Et quidem virtus piſcinæ in aliquo concordat cum baptiſmo, & in aliquo differt. Concordat quidem in duobus. Primo quidem in occultatione virtutis: nam virtus aquæ huius piſcinæ non erat ex natura ſua, alias ſempet ſanaſſet; ſed ex aliqua virtute occulta, ſcilicet ex Angelo: unde dicitur, quod *Angelus Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam*. Et ſimiliter aqua baptiſmi, ex eo quod aqua non habet virtutem purgativam animarum, ſed ex occulta virtute Spiritus ſancti, ſecundum illud ſupra III. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intreire in regnum Dei*. Secundo concordat in effectu, quia ſicut aqua baptiſmi ſanat, ita & iſta piſcina ſanabat: & ideo dicit, quod *qui prior deſcendiſſet, ſanus fiebat*. Ideo autem virtutem ſanandi corpora aquæ iſtius piſcinæ Deus contulit, ut homines abluendo, per ſalutem corporalem aſſueſcerent quærere ſpiritualem. Differt autem quantum ad tria. Primo quantum ad id cuius virtute hoc fiebat: quia aqua piſcinæ conſerebat ſanitatem virtute Angeli; aqua vero baptiſmi virtute increata, non ſolum Spiritus ſancti, ſed etiam Trinitatis. Unde etiam Matth. III. ſuper Dominum baptizatum tota Trinitas affuit: Pater in voce, Filius in perſona, Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie. (*a*) Et inde eſt quod in noſtro baptiſmo fit invocatio Trinitatis. Secundo differt quantum ad efficaciam: quia aqua piſcinæ non habuit virtutem ſanativam continue, ſed *ſecundum tempus*, ideſt determinato tempore; aqua vero baptiſmi continuam abluendi virtutem habet, ſecundum illud Zachar. XIII. 1. „ Erit fons patens do„ mui Iacob, & habitantibus Hieruſalem in „ ablutiooem peccatoris, & menſtruatæ. “ Tertio quaotum ad multitudinem ſanandorum: quia ad motum aquæ illius piſcinæ, ſaoabatur tantum unus; ſed ad motum aquæ baptiſmi ſanantur omnes. Nec mirum, quia virtus illius aquæ, cum ſit creata, finita eſt, & finitum habet effectum; in hac vero aqua virtus eſt infinita ad infinitas animas, ſi eſſent, abluendas. Ezech. XXXVI. 25. „ Effundam ſu„ per vos aquam mundam, & mundabimini „ ab omnibus inquinamentis veſtris. “

Secundum vero Auguſtinum, pet Angelum iſtum intelligitur Chriſtus, ſecundum illud Eſai. IX. 6. ſecundum aliam litteram: „ Vo„ cabitur magni conſilii Angelus. “ Sicut ille Angeius ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, ita & Chriſtus ſecundum determioatum tempus a Fatre deſcendit in mundum. Eſai. XIV. 1. „ Prope eſt ut veniat tempus „ eius, & dies eius non elongabuptur. “ Gal. IV. 4. „ At ubi venit plenitudo tempo„ ris, miſit Deus Filium ſuum, factum ex „ muliere, factum ſub lege. “ Item ſicut ille Angelus non videbatur niſi motu aquæ, ita etiam Chriſtus ſecundum divinitatem ooo cogooſcebatur: quia „ ſi cognoviſſent, numquam „ Dominum gloriæ crucifixiſſent: I. Cotinth. II. 8. Nam Eſa. xlv. 15. dicitur: „ Vete tu „ es Deus abſconditus. “ Et ideo videbatur aqua turbata; ſed a quo turbaretur, non videbatur: quia infirmitatem Chriſti videotes, divinitatem eius non cognoſcebant. Et ſicut ille qui deſcendebat in piſcinam ſaous fiebat; ita & qui humiliter credit in Deum, (*b*) eius paſſione ſanatur. Rom. III, 24. „ Iuſti„ ficati per fidem per redemptionem quę eſt „ in Chriſto, quem propoſuit Deus propitia„ torem per fidem in ſanguioe ipſius. “ Sanabatur autem unus taotum, quia nullus ſaoari poteſt niſi in eccleſiaſtica unitate. Epheſ. IV. 5. „ Unus Deus, una fides, unum ba„ ptiſma. “ Væ ergo illis qui oderunt unitatem, & partes ſibi faciunt in hominibus.

(b) Conſequentet cum dicit, *Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos in infirmitate habens*, pooit infirmitatem: & primo ponitur diuturna infirmitas; ſecundo oſtenditur cauſa diuturnæ infirmitatis, ibi, *Hunc cum vidiſſet ergo Ieſus &c.* Infirmitas diuturna erat: *quia homo erat habens triginta octo annos in infirmitate ſua*. Quod ſatis pulchre iotroducitur: homo qui curari noo poterat a piſcina, curandus tamen a Chriſto: quia quos lex ſanate non poterat, Chriſtus perfecte ſanat, ſecundum illud Rom. VIII. 3. „ Nam „ quod impoſſibile erat legi in quo infirma„ batur per carnem, mittens Deus Filium ſuum „ in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato „ damnavit peccatum in carne, ut iuſtificatio „ le-

(a) *Al.* Et tamen. (b) *Al.* paſſive.

Digitized by Google

„ legis impleretur in nobis. “ Eccli. xxxvi. 6. „ Innova ſigna, & immuta mirabilia. “

Congruit autem iſte numerus infirmitati, ad languorem pertinens magis quam ad ſanitatem: nam, ſecundum Auguſtinum, quadragenarius numerus conſecratur ad deſignandam perfectionem iuſtitiæ, quæ in obſervatione legis conſiſtit. Lex autem in decem præceptis data eſt, & prædicanda erat in quatuor partibus mundi, (*a*) vel implenda per quatuor Evangelia, ſecundum illud Rom. x. 4. „ Finis legis Chriſtus. “ Quia ergo denarius per quatuor multiplicatus pervenit ad quadragenarium, recte perfecta iuſtitia deſignatur: ſubtractis ergo duobus a quadragenario numero efficiuntur trigintaocto. Hæc autem duo ſunt duo præcepta caritatis, quibus impletur omnis perfecta iuſtitia. Et ideo homo iſte languebat, quia de quadraginta, duo minus habebat, ideſt imperfectam iuſtitiam: quia, ut dicitur Matth. xxii. 40. „ in his duobus pendet Lex, & Prophetæ. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Hunc cum vidiſſet Ieſus*, exquiritur cauſa diuturnæ infirmitatis. Et primo ponitur interrogatio Domini; ſecundo reſponſio languidi, ibi, *Reſpondit ei languidus*. Dixit ergo: *Hunc*, ſcilicet hominem, *cum vidiſſet Ieſus iacentem*, non ſolum oculo corporis, ſed etiam miſerationis, qualiter videri petebat David dicens (Pſal. lxxxv. 16.) „ Reſpice in me, Domine, & „ miſerere mei: “ *& cognoviſſet quia multum tempus haberet*, in infirmitate; quod eſt contra cor Chriſti, & infirmi, ſecundum illud Eccli. x. 11. „ Languor prolixior (*b*) gravat „ medicum: “ *dixit ei: Vis ſanus fieri?* non quaſi ignorans, nam ſatis conſtare poterat quod ſanus fieri volebat; ſed ut excitet deſiderium infirmi, & ut oſtendat patientiam, qui tot annis expectavit eripi ab ægritudine, non deſiſtens; (*c*) & ex hoc cognoſcatur dignior ad ſanan-
-i. Pſal. xxx. 25. „ Viriliter agite, & con„ fortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in „ Deo. “ Excitat autem deſiderium: quia ſtabilius tenetur quod cum deſiderio percipitur; & facilius acquiritur nobis. Matth. vii. „ Pulſate (per deſiderium) & aperietur „ vobis. “

Sed notandum, quod Dominus a ceteris fidem requirit. Matth. ix. 28. „ Creditis, „ quod poſſum hoc facere vobis? “ Sed in iſto nihil tale facit, quia illi quidem audierant aliqua de miraculis Ieſu, iſte autem nondum: & ideo fidem ab eo non requirit, niſi poſt factum miraculum.

(d) Reſponſio languidi ponitur cum dicit: *Domine, hominem non habeo*. Et duo inſinuat (*d*) quæ cauſa erant diuturnæ infirmitatis, ſcilicet paupertatem, & debilitatem. Quia enim pauper erat, non poterat habere hominem qui mitteret eum in piſcinam: unde dicit: *Domine, hominem non habeo &c.* Et forte, ſecundum Chryſoſtomum, opinabatur ſibi Chriſtum utilem fore ad mittendnm eum in aquam. Quia vero debilis erat, & feſtinanter ire non poterat, præveniebatur ab alio: unde dicit: *Dum venio enim ego, alius ante me deſcendit*. Et ſic poterat dicere cum Iob vi. 13. „ Ecce non eſt auxilium mihi in me. “ Per hoc ſignificatur quod non erat aliquis homo purus, qui humanum genus ſalvare poſſet: quia omnes peccaverunt, & egerunt gratia Dei: quouſque veniret Chriſtus Deus & homo, per quem ſanaretur.

(e) Conſequenter cum dicit, *Surge, tolle grabatum tuum*, ponitur reſtitutio ſanitatis, ſeu perpetratio miraculi. Et primo ponitur mandatum Domini; ſecundo obedientia hominis, ibi, *Et ſtatim ſanus factus eſt homo &c.* Præcipit autem Dominus naturæ, & voluntati hominis: hæc enim duo ſub poteſtate eius ſunt. Naturæ præcipit, cum dicit, *Surge*: non enim hoc voluntati præcipitur, quia hoc non erat in eius poteſtate, ſed naturę, quam Dominus præcipiendo immutavit, dando ei virtutem qua ſurgere poſſet. Voluntati vero duo præcipit, ſcilicet *Tolle grabatum tuum, & ambula*. Et quidem, quantum ad litteram, hæc duo præcepit, ut oſtendat perfectam ſanitatem homini reſtitutam. In omnibus enim miraculis, ſecundum optimum illius naturæ, Dominus perfectum opus fecit. Deut. xxxii. 4. dicitur: „ Dei perfecta ſunt opera. “ Iſte autem in duobus defecerat, ſcilicet in viribus propriis, ſe ſuſtinere non valens, unde Dominus eum iacentem invenit; & in ſubſidio aliorum: unde dicebat: *Hominem non habeo*. Ut ergo perfecta ſanitas innoteſceret, ei qui ſe ſuſtinere non valebat, præcepit ut lectum ſuum tollat; & ei qui ambulare non poterat, præcepit ut ambulet.

Nihilominus tamen hæc tria in iuſtificatione Dominus præcipit. Primo quod ſurgat recedendo a peccato. Epheſ. v. 14. „ Surge qui „ dormis, & exurge a mortuis. “ Secundo præcipitur: *Tolle grabatum*, ſatisfaciendo de commiſſis. Per grabatum enim, in quo homo requieſcit, ſignificatur peccatum. Tollit ergo homo grabatum ſuum, quando fert onus pœnitentiæ ſibi pro peccato impoſitum. Mich. vii. 9. „ Iram Domini portabo, quoniam pec„ cavi ei. “ Tertio ut ambulet proficiendo in

(a) *Al.* ſcilicet. (b) *Al.* ſervat. (c) *Al.* & de hoc. (d) *Al.* quæ tamen erant.

in bono, ſecundum illud Pſal. lxxxiii. 8. „ Ibunt de virtute in virtutem. “ Secundum Auguſtinum duo deficiebant iſti languido, ſcilicet præcepta geminæ caritatis: & ideo voluntati, quæ caritate perficitur, duo mandat, ſcilicet tollere grabatum, & ambulare. Primum pertinet ad dilectionem proximi, quæ prior eſt ordine faciendi; ſecundum ad dilectionem Dei, quæ prior eſt ordine præcipiendi. Dicit ergo quantum ad primum: *Tolle grabatum tuum*; quaſi dicat: Quando infirmus es, proximus tuus ſuſtinet te, & patienter fovet ut grabatus infirmum. Rom. xv. 1. „ Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis ipſis „ placere. “ Quando ergo ſanus factus es, *tolle grabatum tuum*; ideſt, ſuſtine, & ſupporta proximum tuum, qui te infirmum portabat. Gal. vi. 2. „ Alter alterius onera portate. “ Quantum vero ad ſecundum dicit, *Ambula*, appropinquando ad Deum. Unde in Pſal. lxxx. 8. dicitur: „ Ibunt de virtute in „ virtutem: “ & ſequitur: „ Videbitur Deus „ deorum in Sion. “ Infra xii. 35. *Ambulate dum lucem habetis*.

(f) Conſequenter cum dicit, *Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille*, ponitur obedientia: & primo vere: quia *ſtatim factus eſt homo ſanus*. Nec mirum, quia ipſe eſt Verbum per quod cælum, & terra facta ſunt. Pſal. cxlviii. 5. „ Dixit, & facta ſunt. “ Et alibi (Pſal. xxxii. 6.) „ Verbo Domini cæli firmati „ ſunt. “ Secundo voluntas: & primo, quia *ſuſtulit grabatum ſuum*; ſecundo quia *ambulabat*. Exod. xxiv. 7. „ Omnia quæcumque „ præcepit Dominus faciemus, & erimus ob- „ edientes. “

LECTIO II.

(a) ERat autem ſabbatum in die illo.

(b) Dicebant ergo Iudæi illi qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.

(c) Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

(d) Interrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet: Ieſus enim declinavit a turba conſtituta in loco.

(e) Poſtea invenit eum Ieſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & annuntiavit Iudæis, quia Ieſus eſſet qui fecit eum ſanum.

(f) Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in ſabbato.

(g) Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.

(h) Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.

(a) POſito miraculo viſibili, per quod oſtenditur virtus Chriſti ad reparandam vitam ſpiritualem, hic ponitur occaſio doctrinæ Chriſti; quæ quidem occaſio ſumitur ex perſecutione Iudæorum contra Chriſtum mota: cuius quidem perſecutionis duplex cauſa fuit ex parte Iudæorum invidentium Chriſto. Prima quidem (a) operatio pietatis; ſecunda vero doctrina veritatis, ibi, *Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus uſque modo operatur &c.* Circa primum tria facit. Primo præmittitur occaſio perſecutionis; ſecundo ponitur calumnia illata contra curatum, ibi, *Dicebant ergo Iudæi illi qui (b) ſanatus fuerat &c.* tertio ponitur calumnia illata contra Chriſtum, ibi, *Interrogaverunt eum: Quis eſt ille homo? &c.* Occaſio autem perſecutionis inductæ contra Chriſtum ſumitur ex en quod in ſabbato curavit; & ideo dicit Evangeliſta: *Erat autem ſabbatum in die illa*, quando miraculum fecit Ieſus, quando grabatum tollere iuſſit. Aſſignatur autem triplex ratio quare Dominus in ſabbato operari incepit. Una ab Ambroſio ſuper Lucam, Chriſtus enim ad hoc venit, ut opus creationis, ſcilicet hominem, deformatum repararet. Inde autem incipere debebat, ubi actor in creatione opus conſummatum creaverat: hoc autem fuit in die

(a) *Al.* comparatio. (b) Al. *ſanus*.

die ſabbati, ut dicitur Gen. i. & ideo, ut Chriſtus oſtenderet ſe reparatorem totius creatnræ, incepit (*a*) in ſabbato. Alia ratio eſt, quia dies ſabbati celebratur a Iudæis in memoriam primæ creationis. Chriſtus autem venit, ut qnaſi novam creaturam faceret, ſecundum illud Gal. ult. 15. „ In Chriſto Ieſu neqne circumciſio, neque præputium aliquid valet; (*b*) ſed nova creatio, “ per gratiam, quæ fit per Spiritum ſanctum, ſecundum illud Pſal. CIII. 30. „ Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. “ Volens ergo Chriſtus oſtendere, per eum recreationem fieri, in ſabbato operatur. Iac. i. 18. „ Ut ſimus initium aliquod creaturæ. “ Tertia ratio eſt, ut oſtenderet ſe facturum quod lex facere non poterat. Rom. VIII. 3. „ Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. “ Et infra (ibid.) „ Ut iuſtificatio legis impleretur in nobis. “ Iudæi autem nihil operabantur in ſabbato, in figura quod quædam quæ erant ſabbati, conſummanda erant, quæ per legem fieri non poterant. Et hoc patet in quatuor, quæ Deus erga diem ſabbati ordinavit. Nam diem ſabbati benedixit, in eo (*c*) opera ſua conſummavit, & in eo requievit. Quæ quidem lex facere non potuit, nam ſanctificare non poterat. Unde Pſal. XI. 1. dicebat: „ Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus. “ Neque etiam benedicere; quinimmo „ qui ſunt ex operibus legis, ſub maledicto ſunt, “ ut dicitur Galat. III. 10. Nec conſummare, & perficere: quia „ neminem ad perfectum adduxit lex: “ Hebr. VII. 19. Nec etiam perſectam quietem præſtare: quia, ut dicitur Hebr. IV. 8. „ Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur. “ Hæc ergo quæ lex facere non potuit, Chriſtus fecit: ipſum enim populum ſanctificavit per paſſionem. Heb. XIII. 12. „ Ieſus ut per ſuum ſanguinem ſanctificaret populum, extra portam paſſus eſt. “ Ipſe benedixit per gratiæ infuſionem. Epheſ. i. 3. „ Benedictus Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto. “ Ipſe (*d*) conſummavit per perſectæ iuſtitiæ inſtructionem. Matth. V. 48. „ Eſtote perfecti, ſicut & pater cæleſtis perfectus eſt. “ Ipſe introduxit in veram requiem. Hebr. IV. 3. „ Nos qui credimus, ingrediemur in requiem, quemadmodum dixit: Sicut iuravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. “ Ipſi ergo competit in die ſabbati operari, qui quæ ad ſabbatum pertinent, perficere poteſt, a quibus lex impotens quieſcebat.

(b) Conſequenter ponit calumniam illatam contra curatum, cum dicit: *Dicebant ergo Iudæi illi qui ſanatus fuerat &c.* Et primo ponitur calumniæ contra curatum illatio; ſecundo ſubditur curati excuſatio, ibi, *Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit &c.* Calumniam autem inferunt contra iſtum de hoc quod in ſabbato grabatum portat, ſed non de curatione: unde dicunt: *Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Cnius ratio multiplex poteſt aſſignari. Una quia Indæi frequenter Chriſto de curatione in die ſabbati calumniam inferentes, confutati erant a Chriſto per hoc quod ipſi etiam iumenta de puteo in die ſabbati eruebant, & ſalvabant, ut habetur Luc. XIV. Et ideo de curatione tamquam de re utili, & neceſſaria tacent; de portatione vero lecti, quæ non neceſſaria videbatur, calumniantur; quaſi dicant: Si ſanitas non erat differenda, quid erat neceſſarium lectum portare, ſeu portari præcipere? Alia ratio eſt, quia Dominus dixerat contra eos concludens, qnod licet ſabbato benefacere. Et ideo quia curari non eſt benefacere, ſed bene pati, curatum potius quam curantem calnmniantur. Tertia ratio eſt, quia hoc in lege videtur prohibitum eſſe Iudæis, ne aliquid in die ſabbati operentur; (*e*) ſpecialiter tamen portatio onerum in die ſabbati prohibetnr. Hier. XVII. 21. „ Ne portetis onera in die ſabbati. “ Et ideo ſpecialiter calumniati ſunt portationem in die ſabbati, utpote dicto Prophetæ contrariam. Sed hoc mandatum Prophetæ myſticum eſt: nam per onera non portanda intendebat eos inducere ut in die ſabbati requieſcerent ab oneribus peccatorum; de quibus dicitur in Pſal. XXXVII. 5. „ Iniquitates meæ ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. “ Unde quia iam erat tempus ſolvendi figuras occultas, mandat Chriſtus iſti grabatum tollere, ideſt proximum in infirmitate ſuſtentare, ſecundum illud Gal. VI. 2. „ Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. “

(c) Conſequenter ponitur excuſatio curati, cum ſubditur: *Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit.* Et quidem prudenter ſe excuſat: numquam enim adeo bene probatur doctrina eſſe divinitus, ſicut per oſtenſionem miraculorum, quæ non niſi divinitus fieri poſſunt. Marc. ult. 20. „ Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. “

(a) *Al.* a ſabbato. (b) *Al.* ſed nova creatura, & nova creatio. (c) *Al.* omnia ſua. (d) *Al.* conſummavit iuſtitiæ inſtructionem. (e) *Al.* ſpecialiter cum portatio onerum in die ſabbati prohibeatur.

„ gnis. “ Et ideo iſte auctorem ſanitatis ſuæ calumniantibus obiiciebat, dicens: *Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit*; quaſi dicat: Vos dicitis prohibitum eſſe ne onus portetur in ſabbato, & hoc auctoritate divina; ſed mihi eadem auctoritate eſt impoſitum ut tollam grabatum: nam *ille qui me ſalvum fecit*, & per ſanitatem reſtitutam ſe divinam virtutem habere oſtendit, *mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula*. Et ideo mandatis eius qui tantæ eſt virtutis, & qui mihi tale beneficium contulit, merito teneor obedire. Pſal. CXVIII. 93. „ In æternum non obliviſcar iuſtificationes „ tuas, quia in ipſis vivificaſti me. “

(d) Conſequenter (a) dicit, *Interrogaverunt ergo eum*. Quia curatum hominem calumniari non poterant, Chriſti curationem calumniari nituntur: per hunc enim ſe excuſaverat homo ille. Et quia eum determinate quis eſſet, non indicaverat, maligne interrogabant ab eo quis eſſet. Et ideo circa hoc primo agitur de Chriſti inquiſitione; ſecundo de eius inventione, ibi, *Poſtea invenit eum Ieſus*; tertio de eius perſecutione, ibi, *Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum*. Circa primum tria ponuntur, ſcilicet Iudæorum inquiſitio, curati ignorantia, & ignorantiæ cauſa. Quantum ad primum dicitur: *Interrogabant ergo eum Iudæi*; ſcilicet non bona intentione, ut proficiant, ſed maligno animo, ut perſequantur, & perdant. Infra VIII. 21. *Quæretis me, & in peccato veſtro moriemini*. Et hanc eorum malitiam eorum verba manifeſtant. Cum enim Dominus & ſanari languidum, & grabatum tolli iuſſerit, primum divinæ virtutis oſtenſivum, & irrefragabile ſignum (b) ſubticent; aliud quod contra legem videtur, replicant, dicentes: *Quis eſt ille homo qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?* Eccli. XI. 33. „ Bona in mala per- „ vertens inſidiatur & in electis imponit „ (ſcilicet imponere nititur) maculam. “ Quantum ad ſecundum dicit: *Qui autem ſanus factus fuerat neſciebat quis eſſet*. Sanus iſte ſignificat fideles per gratiam Chriſti ſanatos. Epheſ. II. 8. „ Gratia ſalvati eſtis. “ Qui quidem neſciunt Chriſtum quis eſt, ſed effectum tantum eius cognoſcunt. II. Corinth. V. 6. „ Quamdiu ſumus in corpore, peregrina- „ mur a Domino, per fidem enim ambula- „ mus, & non per (c) ſpeciem. “ Sed tunc cognoſcemus Chriſtum quis eſt, „ quando vi- „ debimus eum ſicuti eſt: “ I. Ioan. III. 2. Huius autem ignorantiæ cauſam aſſignat quantum ad tria, cum dicit: *Ieſus autem declinavit a turba conſtituta in loco*. Quod quidem cauſam habet litteralem, & myſticam. Litteralem quidem quantum ad duo. Primo ut daret nobis exemplum occultandi opera noſtra bona, & non quærendi in eis hominum favorem, ſecundum illud Matth. VI. 1. „ Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis co- „ ram hominibus. “ Secundo ut declinemus, & fugiamus oculos invidorum ab omnibus operibus noſtris: ne ex hoc eorum invidia creſcat. Eccli. VIII. 14. „ Ne contra faciem „ ſtes contumelioſi, ne ſedeat quaſi inſidiator „ ori tuo. “ Myſticam vero quantum ad duo. Primo ut det intelligere quod Chriſtus non de facili invenitur in hominum multitudine, & in turbine curarum temporalium; ſed in ſpirituali ſecreto. Oſeæ II. 14. „ Ducam „ eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor „ eius. “ Nam „ verba ſapientum audiuntur „ in ſilentio: “ ut dicitur Eccle. IX. 17. Secundo ut inſinuet quod Chriſtus debebat declinare a Iudæis ad gentes. Eſa. VIII. 17. „ Abſcon- „ dit faciem ſuam parumper a Iacob; “ ideſt, ſubtraxit veritatis ſuæ notitiam a populo Iudæorum.

(e) Conſequenter agitur de inventione Chriſti, cum dicit: *Poſtea invenit eum Ieſus in templo* Et primo dicit quod invenitur; ſecundo inſinuat quod inventus docet; tertio quod poſt doctrinam manifeſtatur. Quantum ad inventionem duo ponit, ſcilicet modum inveniendi, & locum. Modus quidem eſt mirabilis, quia non invenitur niſi inveniat: unde dicit: *Poſtea*, ſcilicet quæ dicta ſunt, *invenit eum Ieſus*: nam homo ſua virtute Chriſtum invenire non poteſt, niſi ei ſe Chriſtus præſentet. Unde etiam Pſal. CXVIII. 176. dicebat: „ Require ſervum tuum. “ Sap. VI. 14. „ Præoccupat eos qui ſe concupiſcunt. “ Locus autem in quo invenitur Chriſtus, eſt venerabilis, quia *in templo*, ſecundum illud Pſal. X. 5. „ Dominus in templo ſancto ſuo. “ Nam & mater eius in templo eum invenit, Luc. II. & hoc quia in his quæ Patris ſui ſunt, oportebat eum eſſe. In quo datur nobis intelligi quod curatus iſte non ad vanitatem, ſed ad religionis ſtudium converſus, templum frequentans, in ipſo Chriſtum cognoſcit: quia ſi ad conditoris cognitionem venire volumus, fugienda eſt turba pravorum affectuum, & declinanda ſunt malorum conventicula, & fugiendum eſt ad templum cordis noſtri, quod Deus inviſere, & habitare dignatur. Conſequenter inventus docet: unde *& dixit illi: Ecce ſanus factus es: iam noli peccare*. Ubi primo commemorat impenſum beneficium; ſecundo proponit ſanum conſilium; tertio oſten-

(a) *Al.* cum dicit. (b) *Al.* ſubticetur. (c) *Al.* ſpem.

dit imminens periculum. Sed beneficium eſt admirabile, quia ſubita reſtitutio ſanitatis. Unde dicitur: *Ecce iam ſanus factus es*. Et ideo ſemper oportet in memoria teneri, ſecundum illud Eſa. lxiii. 7. „ Miſerationum Domini „ recordabor. “ Conſilium vero utile, quia *iam amplius noli peccare*. Eccli. xxi. 1. „ Fili „ peccaſti, ne adiicias iterum. “

Quare Dominus iſti paralytico, & aliis quibuſdam ab eo curatis mentionem facit de peccatis, & non aliis? Ideo ſcilicet ut oſtendat per hoc, infirmitates aliquibus, ex peccatis prioribus provenire, ſecundum illud I. Corinth. xi. 30. „ Ideo multi imbecilles, & in- „ firmi, & dormiunt multi. “ Per quod etiam ſe eſſe Deum oſtendit, peccata, & occulta cordium manifeſtans. Proverb. xv. 11. „ Infernus, & perditio coram illo, quanto ma- „ gis corda filiorum hominum? “ Iſtis ergo ſolis mentionem de peccatis facit, & non aliis ab eo curatis: quia non omnes infirmitates propter peccata priora proveniunt; ſed quædam ex naturali diſpoſitione, quædam propter probationem, ſicut in Iob. Vel de iſtis tantum mentionem fecit, quia magis præparati erant ad correctionem. Prover. ix. 8. „ Noli ar- „ guere deriſorem, ne oderit te: argue ſa- „ pientem, & diliget te. “ Vel in iſtis, omnibus aliis hoc mandavit.

Periculum autem imminens erat terribile: unde dicit: *Ne deterius tibi aliquid contingat*. Quod quidem dupliciter intelligi poteſt, ſecundum duo quæ in iſto præceſſerunt. Primo enim punitus ſuit per prolixum morbum; ſecundo conſecutus ſuit magnum beneficium. Et ideo ad utrumque referri poteſt quod dicitur. Ad primum quidem, quia cum aliquis pro peccato punitur, & ex ipſa pœna a peccato non retrahitur; iuſtum eſt ut gravius puniatur. Et ideo dicit: *Noli amplius peccare*: quia ſi peccaveris, *deterius tibi continget*. Hier. ii. 30. „ Fruſtra percuſſi filios (*a*) veſtros: „ diſciplinam non receperunt. “ Ad ſecundum vero, quia qui poſt beneficia recepta ad peccata prolabitur, (*b*) gravioris ſupplicii reus efficitur propter ingratitudinem: ſecundum illud II. Petr. ii. 20. „ Melius erat eis „ viam veritatis non agnoſcere, quam poſt „ agnitionem retrorſum converti. “ Similiter etiam quia poſtquam homo ad peccatum ſemel redierit, facilius peccat: ſecundum illud Matth. xii. 45. „ Fiunt noviſſima hominis „ illius peiora prioribus. “ Hier. ii. 20. „ A „ ſæculo fregiſti iugum, rupiſti vinculum, „ dixiſti, Non ſerviam. “ Conſequenter ponitur inventi manifeſtatio, cum ſubditur: *Abiit ille homo, & annuntiavit &c.* Et ſecundum quoſdam poſſet intelligi, ut Chryſoſtomus dicit, quod ex malitia manifeſtaſſet eum; ſed hoc non videtur probabile, ſcilicet quod poſt tantum beneficium ita ingratus eſſet. *Nuntiavit* ergo *Iudæis, quia Ieſus eſſet qui fecit eum ſanum*: ut manifeſtaret Chriſti virtutem ad ſanandum. Pſal. lxv. 16. „ Venite, & narrabo... „ quanta fecit Dominus animæ meæ. “ Et hoc patet, quia illi interrogaverunt eum, quis iuſſerit grabatum tollere. Iſte autem annuntiavit ei quod *Ieſus fecit eum ſanum*.

(*f*) Conſequenter cum dicit, *Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum*, ponitur perſecutio contra Chriſtum, quæ eſt propter quoddam opus pietatis in ſabbato exhibitum: unde dicit: *Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in ſabbato*. Pſal. cxviii. 161. „ Prin- „ cipes perſecuti ſunt me gratis. “

(g) Conſequenter cum dicit, *Ieſus autem reſpondit eis &c.* ponitur ſecunda cauſa perſecutionis, quæ ſumitur ex doctrina. Et primo ponitur doctrina veritatis; ſecundo perſecutio Iudaicæ pravitatis, ibi, *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere*. Doctrinam autem veritatis proponit Dominus, excuſando ſe de ſolutione ſabbati.

Sed notandum eſt, quod Dominus de huius ſolutione aliquando quidem excuſavit ſe, aliquando diſcipulos ſuos. Et diſcipulos quidem, quia homines puri erant, excuſavit per ſimilitudinem hominum, ſcilicet per exemplum ſacerdotum, qui operabantur in templo in die ſabbati, & ſabbatum non ſolvebant. Et David, qui ſub Achimelech ſacerdote in die ſabbati a facie Saulis fugiens, panes propoſitionis accepit (*c*) de templo, ut habetur I. Reg. xxi. Se vero, quia homo erat & Deus, aliquando per ſimilitudinem hominum excuſavit a ſolutione ſabbati. Luc. xiv. 5. „ Quis „ veſtrum, ſi ceciderit bos, aut aſinus ſuus „ in puteum, non continuo extrahet eum in „ die ſabbati? “ Aliquando vero, & præcipue in hoc loco, excuſat (*d*) ſe per ſimilitudinem Dei, dicens: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*; quaſi dicat: Nolite putare quod in ſabbato ita requieverit Pater meus, ut ex illo non operetur; ſed ſicut ipſe & nunc ſine labore operatur, ita & ego operor. In quo excludit falſum intellectum Iudæorum, qui volentes conformari Deo, nihil in die ſabbati operantur, ac ſi Deus ipſo die omnino deſtiterit operari. Et quidem licet in ſabbato requieverit a novis creaturis condendis, nihilominus tamen ſemper & continue uſque modo operatur, creaturas in eſ-

ſe

(a) *Al.* noſtros. (b) *Al.* gravior. (c) *Al. emittitur* de templo. (d) *Al. deeſt* ſe.

ſe conſervando. Unde & ſignanter verbo requietionis Moyſes eſt uſus poſt opera Dei, a quibus condendis requlevit, ut ſignaret ſpiritualem requiem, quam Deus exemplo quietis ſuæ fidelibus poſtea qui bona fecerint opera, arcana ſignificatione pollicebatur. Unde dici poteſt, illud mandatum in umbra futuri fuiſſe præceptum. Signanter autem dicit; *Uſque nunc operatur;* non autem, Operatus eſt, ut deſignet continuationem divini operis: nam poſſent imaginari Deum eſſe cauſam mundi, ſicut artifex eſt cauſa domus, quantum ad fieri tantum, ut ſicut domus manet, etiam ceſſante operatione artificis, ita & mundus ſubſiſtere poſſet, influxu divino ceſſante. Sed, ſecundum Auguſtinum, Deus ita eſt cauſa omnium creaturarum quod ſit etiam cauſa ſubſiſteodi: quia ſi eius potentia ad momentum ceſſaret, ſimul & illarum ceſſareot ſpecies omnes, quas natura continet, ſicut ſi dicerem, quod aer tamdiu illuminatur quamdiu lumen ſolis manet in ipſo. Cuius quidem ratio eſt, quia ea quæ cauſam habent, quantum ad fieri ſolum, ceſſante cauſa ſubſiſtere poſſunt; ea vero quæ non ſolum fieri, ſed etiam ſubſiſtentiæ cauſam habent, continua conſervatione cauſæ indigent

Excludit etiam per hoc quod dicit, *Pater meus uſque modo operatur*, opinionem quorumdam dicentium, quod Deus mediantibus ſecundis cauſis res producit: quod eſt contra illud Eſa. xxvi. 12. „ Omnia opera noſtra o- „ peratus es in nobis, Domine. “ Sicut ergo *Pater meus*, in principio inſtituendo naturam, *uſque modo operatur*, eadem operatione ipſam continendo, & conſervando, *& ego operor*: quia ſum Patris Verbum, per quod omnia operatur. Gen. I. 3. „ Dixit (*a*) Deus, „ Fiat lux. “ Unde ſicut primam inſtitutionem rerum per Verbum operatus eſt, ita & ipſarum conſervationem: & ſic ſi ipſe *uſque modo operatur, & ego operor*, quia ſum Verbum Patris, per quod omnia fiunt, & conſervantur.

(h) Conſequenter cum dicit, *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere*, ponitur perſecutio ex doctrina proveniens: quia propter ipſam doctrinam, *Iudæi magis*, ideſt avidiori animo, ferventiori zelo, *quærebant eum interficere*. Duo enim crimina in lege morte punita fuerunt: ſcilicet crimen ſolutionis ſabbati: unde ille qui collegit ligna in ſabbato, lapidatus eſt, Num. xv. & crimen blaſphemiæ: unde dicitur Levit. xxiv. 14. „ Educ blaſphemum extra caſtra .... & lapidet eum omnis multitudo filiorum Iſrael. “ Blaſphemiam autem iſti reputabant quod homo diceret ſe eſſe Deum. Infra x. 33. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia homo cum ſis, facis teipſum Deum*. Et hæc duo crimina imponebant Chriſto: unum ſcilicet quia ſolvebat ſabbatum, aliud quia dicebat ſe æqualem Deo. Unde dicit, quod ideo *quærebant eum occidere, quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed etiam Patrem ſuum dicebat Deum*. Sed quia etiam alii iuſti Deum patrem ſuum dicunt: Hierem. III. 19. „ Patrem vocabis me: “ ideo non ſolum dicunt, quod *Patrem ſuum dicebat Deum*, ſed addunt, quod pertinet ad blaſphemiam: *Æqualem ſe faciens Deo*: quod ex hoc colligunt quod dixit: *Pater meus operatur, & ego operor.* Deum Patrem ſuum dicit, ut det intelligere quod Pater eius eſt per naturam, aliorum autem per adoptionem: ſecundum quem modum loquitur infra xx. 17. *Vado ad Patrem meum*, ſcilicet per naturam, *& Patrem veſtrum*, ſcilicet per gratiam. Item ad ſimilitudinem eius ſe operari dicit, ſolvens per hoc calumniam Iudæorum de ſolutione ſabbati: quæ non eſſet conveniens excuſatio, niſi æqualis auctoritatis eſſet in operando cum Deo. Et ideo dicunt, quod facit ſe æqualem Deo. Et quidem magna eſt Arrianorum cæcitas, qui in verbis Domini non poſſunt intelligere quod Iudæi intelligunt, dicentes Chriſtum Deo Patre minorem eſſe. Sed Arriani dicunt, quod Chriſtus non fecit ſe æqualem Deo, ſed Iudæi hoc ſuſpicabantur. Sed per ea quæ dicta ſunt in ipſo textu, aliter etiam manifeſtum eſt: nam Evangeliſta dicit, quod Iudæi perſequebantur Chriſtum, quia ſolvebat ſabbatum, & quia dicebat Patrem ſuum Deum, & quia faciebat ſe æqualem Deo. Aut ergo Chriſtus eſt mendax, aut eſt æqualis Deo. Sed ſi eſt æqualis Deo, ergo Chriſtus Deus eſt per naturam. Dicit autem Evangeliſta: *Se æqualem faciens Deo*: non quod ipſe æqualem ſe Deo faceret, quia per æternam generationem æqualis erat Deo; ſed ſecundum intentionem Iudæorum loquens, qui non credentes Chriſtum eſſe Filium Dei per naturam, intellexerunt ex verbis eius quod ſe diceret Dei Filium, quaſi volens ſe æqualem Deo facere, cum tamen hoc eum eſſe non crederent. Infra x. 33. *Tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*; ideſt, dicis te eſſe Deum: quod interpretatur ac ſi tu ipſe facias teipſum Deum.

L E-

(a) *Al.* Ieſus.

LECTIO III.

(a) RESpondit itaque Ieſus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, non poteſt Filius a ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem.
(b) Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.
(c) Pater enim diligit Filinm, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit.

(a) HIc tradit doctrinam de poteſtate (*a*) vivificativa. Et primo ponitur ipſa doctrina; ſecundo confirmatio eius, ibi, *Si ergo teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*. Circa primum duo facit. Primo proponit doctrinam eius de poteſtate vivificativa in communi; ſecundo in ſpeciali, ibi, *Et maiora his demonſtrabit ei opera*. Circa primum tria facit. Primo inſinuat poteſtatis ſuæ originem; ſecundo ipſius poteſtatis magnitudinem, ibi, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*. Tertio aſſignat utriuſque rationem, ibi, *Pater enim diligit Filium*.

Conſiderandum autem circa primum, quod Arriani ex his verbis quæ hic Dominus dicit: *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam &c.* errorem ſuum confirmare nituntur, ſcilicet quod Filius minor ſit Patre: (*b*) quia, ſecundum quod Evangeliſta dixit, Iudæi perſequebantur Chriſtum, quia faciebat ſe æqualem Deo. Quod videns Dominus, Iudæos ex hoc moveri, volens hoc excludere, ut Arriani dicunt, talia verba ſubiunxit, ut ſe æqualem Patri non eſſe monſtraret, dicens: *Amen amen dico vobis, non poteſt Filius a ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*; quaſi dicat: Non intelligatis me per hoc quod dixi, *Pater meus operatur, & ego operor*, ſic operari (*c*) quaſi ego ſim ei æqualis: quia nihil poſſum facere a meipſo. Quia ergo *Filius non poteſt facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*, utique minor eſt Patre, ut ipſi dicunt. Sed hic intellectus falſus eſt, & erroneus: quia ſi Filius non eſſet æqualis Patri, tunc non eſſet Filius idem cum Patre: quod eſt contra illud, infra x. 30. *Ego & Pater unum ſumus*. Nam æqualitas attenditur ſecundum magnitudinem, quæ in divinis eſt ipſa eſſentia. Unde ſi eſſet Patri inæqualis, (*d*) differret ab eo ſecundum eſſentiam.

Ad verum autem huius intellectum ſciendum eſt, quod in his quæ io Filio minorationem importare videntur, poſſet dici ab aliquibus hæc de Chriſto dicta eſſe ſecundum naturam aſſumptam, ſicut dicitur infra xiv. 28. *Pater maior me eſt*. Unde ſecundum hoc vellent dicere, quod hoc quod Dominus dicit, *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*, intelligendum eſt de Filio ſecundum naturam aſſumptam. Quod quidem ſtare non poteſt: quia ſecundum hoc oporteret dicere, quod omnia quæ Filius Dei fecit in natura aſſumpta, Pater ante eum feciſſet; puta quod ſiccis pedibus ſuper mare ambulaſſet, ſicut Chriſtus ambulavit: alias non diceretur: *Niſi quod viderit Patrem facientem*. Sed ſi dicatur, quod quæcumque Chriſtus in carne fecit, etiam Deus Pater fecit, inquantum in eo Pater operatur, ſecundum illud infra xiv. 10. *Pater autem in me manens ipſe facit opera*: ut ſit ſenſus: *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*, in ſeipſo, (*e*) ſcilicet Filio: (*f*) nec hoc ſtare poteſt, quia ſecundum hoc ea quæ ſequuntur, non poſſent ei adaptari, ſcilicet, *Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*. Numquam enim ſecundum naturam aſſumptam Filius creavit mundum, ſicut (*g*) Pater creavit. Non ergo ad naturam aſſumptam referendum eſt quod dicitur. Secundum Auguſtinum autem, alius modus eſt intelligendi ea quæ videntur in Filio minorationem importare, licet non importent, ut ſcilicet referantur ad originem Filii a Patre: quia licet Filius (*h*) ſit æqualis Patri per omnia, tamen hoc ipſum habet a Patre per æternam generationem; ſed Pater a nullo habet, cum ſit ingenitus. Unde ſecundum hoc continuatur ſic. Quid ſcandalizati eſtis, quia Patrem meum dixi Deum, & quia æqualem me feci Deo? *Amen amen dico vobis, non poteſt Filius a ſeipſo facere quicquam*; quaſi dicat: Ita ſum æqualis Patri, ut ab illo ſim, non ille a me: & quicquid ego habeo ut faciam, eſt mihi a Patre. Secundum hunc ergo modum in his verbis ſit mentio de poteſtate Filii, per hoc verbum *poteſt*, & de eius operatione per hoc verbum *facere*. Et ideo utrumque poteſt hic intelligi, ut ſcilicet oſtendatur primo derivatio poteſtatis Filii à Patre; ſecundo vero ut oſtendatur conformitas operationis Filii ad operationem Patris. Quantum ad primum, ex-

(a) *Al.* vivificata, *ſic & infra*. (b) *Al.* quia enim. (c) *Al.* quod ego ſum. (d) *Al.* differt. (e) *Al.* *omittitur* ſcilicet Filio. (f) *Al.* Sed nec hoc. (g) *Al.* & Pater. (h) *Al.* ſit æqualis Patri, omnia tamen hoc ipſum habet a Patre.

Digitized by Google

exponit Hilarius hoc modo. Supra Dominus dixit ſe eſſe æqualem Patri. Sed aliqui hæretici propter auctoritates Scripturæ, quæ dicunt unitatem, & æqualitatem Filii ad Patrem, attribuunt Filio, quod ſit ingenitus, ſicut Sabelliani, dicentes Filium eſſe idem cum Patre in perſona. Ne ergo hoc intelligas, dicit: *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*: nam potentia Filii idem eſt quod natura eius. Ab eo ergo Filius habet poſſe a quo habet eſſe; eſſe autem habet a Patre: infra XVI. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum:* a quo etiam habet naturam, quia Deus eſt de Deo: ergo ab eo habet poſſe. Sic ergo hoc quod dicit, *Non poteſt Filius facere quicquam, niſi quod Patrem viderit facientem*, tantum valet ac ſi dicatur: Filius ſicut non habet eſſe niſi a Patre, ita nec poſſe facere aliquid niſi a Patre. In naturalibus enim ab eodem aliquid accipit poſſe operari a quo recipit eſſe; ſicut ignis ab eo recipit quod poſſit aſcendere ſurſum a quo recipit formam & eſſe. Nec tamen per hoc quod dicit, *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*, importatur inæqualitas (a) quia hoc pertinet ad relationem; quæſtio autem æqualitatis, & inæqualitatis pertinet ad quantitatem.

Per hoc autem quod dicit, *Niſi quod viderit Patrem facientem*, poſſet alicui falſus intellectus ſubintrare, ut crederet Filium hoc modo facere, quia vidit Patrem facientem; ſcilicet, quod Pater primo fecit, hoc viſo Filius poſtea inceperit facere; ad modum duorum fabrorum, magiſtri ſcilicet, & diſcipuli, qui arcam facit ſecundum modum quem viderit magiſtrum facere. Quod quidem non eſt verum de Verbo: nam ſupra (I. 3.) dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Ergo Pater non fecit aliquid, (b) ita quod Filius videret fieri, & addiſceret. Sed hoc dictum eſt ut deſignetur communicatio paternitatis Filio per generationem, quæ convenienter deſignatur hoc verbo *viderit*: quia per viſum, & auditum in nos ab alio ſcientia transfunditur: nam per viſum quidem ſcientiam a rebus accipimus; per auditum vero a ſermonibus. Filius autem non eſt aliud quam ſapientia, ſecundum illud Eccli. XXIV. 5. „Ego „ ex ore Altiſſimi prodii primogenita ante „ omnem creaturam.“ Et ſic derivatio Filii a Patre nihil aliud eſt quam derivatio divinæ ſapientiæ. Quia ergo viſio deſignat derivationem cognitionis, & ſapientiæ ab alio, recte per viſionem generatio Filii a Patre deſignatur, ut ſic nihil aliud ſit Filium videre Patrem facientem, quam procedere intelligibili proceſſione a Patre operante. Poteſt autem & de huiuſmodi, ſecundum Hilarium, alia ratio aſſignari; ſcilicet, ut per hoc quod dicit, *Viderit*, excludatur omnis imperfectio a generatione Filii, vel Verbi: nam in generatione materiali illud quod generatur, paulatim per incrementa temporum ab imperfecto ad perfectum perducitur: non enim iam perfectum eſt aliquid quando generari incipit. Sed hoc in generatione æterna locum non habet, cum (c) ſit generatio perfecti a perfecto. Et ideo dicit: *Niſi quod viderit Filius Patrem facientem*. Cum enim videre ſit actus perfecti, manifeſtum eſt quod Filius ſtatim perfectus genitus eſt, tamquam ſtatim videns, & non per incrementa temporum ad perfectum perducitur. Quantum vero ad ſecundum exponit Chryſoſtomus, ſcilicet ad oſtendendum conformitatem Patris ad Filium, quantum ad operationem, hoc modo. Dico quod licet mihi operari in ſabbato, quia & Pater meus continue operatur, cui non poſſum operari contrarium; & hoc quia *non poteſt Filius a ſe facere quicquam &c.* (d) Tunc enim quis aliquid a ſe facit, cum in faciendo non ſe conformat alteri. Quicumque autem eſt ab alio, ſi diſcordat ab eo, peccat. Infra VII. 18. *Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit*. Quicumque ergo exiſtens ab alio, a ſemetipſo operatur, peccat; Filius autem eſt a Patre: ergo ſi operatur a ſemetipſo, peccat; quod eſt impoſſibile. Per hoc ergo quod dicit Dominus, *Filius non poteſt a ſe facere quicquam &c.* nihil aliud inſinuat, quam quod Filius non poteſt peccare; quaſi dicat: Iniuſte perſequimini me de ſolutione ſabbati, quia non poſſum peccare, quia non operor contraria Patri meo. Utramque autem expoſitionem, ſcilicet Hilarii, & Chryſoſtomi, facit Auguſtinns, licet in diverſis locis.

(b) Conſequenter cum dicit, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*, ponitur magnitudo poteſtatis Chriſti: & excludit in his tria circa poteſtatem ſuam, ſcilicet particularitatem, diverſitatem, & imperfectionem. Particularitatem: quia, cum ſint diverſa agentia in mundo, & agens primum univerſale virtutem habeat ſuper omnia agentia, alia vero agentia quæ ſunt ab ipſo tanto particularis virtutis ſint quanto ſunt inferiora in ordine cauſalitatis: (e) poſſet ex hoc aliquis credere, quod cum Filius non ſit a ſe, habeat poteſtatem (f) particularem reſpe-

(a) *Al.* quia poſſe pertinet ad relationem; æqualitas autem, & inæqualitas pertinet ad quantitatem. *Item*: quia hoc non pertinet ad relationem &c. (b) *Al.* antequam. (c) *Al.* fuerit. (d) *Al.* Cum enim quis aliquid a ſe facit tunc in faciendo &c. (e) *Al.* poſſet autem. (f) *Al.* particulatam.

reſpectu aliquorum exiſtentium, & non univerſalem reſpectu omnium, ſicut habet Pater. Et ideo hoc excludens dicir: *Quæcumque enim ille*, ideſt Pater, *fecerit*, ideſt ad omnia ad quæ ſe extendir poteſtas Patris, extendit ſe etiam poteſtas Filii. Supra I. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Diverſitatem vero, quia aliquando unum ab alio exiſtens, poteſt quidem facere quæcumque ille a quo eſt, facit; nihilominus tamen illa quæ facit, non ſunt eadem cum illis quæ ille a quo eſt facit: ſicur ſi unus ignis exiſtens ab alio, poteſt facere quicumque alius facir, puta comburere, ſed tamen alia comburit iſte, alia ille, licet eadem ſit combuſtio utriuſque ſecundum ſpeciem. Ne ergo intelligas ſic operationem Filii diverſam eſſe ab operatione Patris, dicit, *Hæc*, ideſt non diverſa, ſed eadem. Imperfectionem vero, quia quandoque contingit aliquod unum & idem ex duobus agentibus fieri, ſed ab uno quidem ſicut a principali, & perfecto, ab alio vero ſicut ab inſtrumento, & imperfecto; ſed non ſimiliter, quia aliter agit principale agens, & aliter inſtrumentum, quia inſtrumentum imperfecte agit, utpote in virtute alterius. Ne ergo ſic intelligas Filium facere quæcumque (*a*) facit Pater, addit, *Similiter*; ideſt, poteſtate qua Pater facit, facit & Filius, quia eadem virtus, & eadem perfectio eſt in Patre, & Filio. Prov. VIII. 30. „ Cum eo eram „ cuncta componens. “

(e) Conſequenter cum dicit, *Pater enim diligit Filium*, aſſignat rationem utriuſque, ſcilicet originis, & magnitudinis poteſtatis Filii; quæ quidem ratio aſſignatur ex dilectione Patris, qui diligit Filium: unde dicit: *Pater enim diligit Filium*.

Sed ad ſciendum quomodo dilectio Patris ad Filium ſit ratio originis, ſeu communicationis poteſtatis Filii, attendendum eſt, quod dupliciter aliquid diligitur. Cum enim bonum ſolum ſit amabile, aliquod bonum poteſt ſe dupliciter ad amorem habere, ſcilicet vel ut cauſa amoris, vel ut ab amore cauſatum. In nobis autem bonum cauſat amorem: nam cauſa amoris noſtri ad aliquem eſt bonitas eius. Non enim ideo bonus eſt, quia nos eum diligimus; ſed ideo diligimus eum, quia bonus eſt: unde in nobis amor cauſatur a bono. Sed in Deo aliter eſt, quia ipſe amor Dei eſt cauſa bonitatis in rebus dilectis: quia enim Deus diligit nos, ideo boni ſumus: nam amare nihil eſt aliud quam velle bonum alicui. Cum ergo voluntas Dei ſit cauſa rerum, quia omnia quæcumque voluit Dominus, fecit, ut dicit Pſalm. CXIII. manifeſtum eſt quod amor Dei, cauſa eſt bonitatis in rebus. Unde Dionyſius dicit IV. cap. de div. Nomin. quod divinus amor non permiſit eum ſine germine eſſe. Ergo ſi conſideremus originem Filii, videamus utrum amor, quo Pater diligit Filium, ſit principium originis, vel procedar ab ea. (*b*) Amor autem in divinis dupliciter accipitur, ſcilicet eſſentialiter, ſecundum quod Pater diligit, & Filius, & Spiritus ſanctus; & notionaliter, ſeu perſonaliter, ſecundum quod Spiritus ſanctus procedit ut amor. Sed neutro horum modorum amor dictus, poteſt eſſe principium originis Filii: nam ſecundum quod accipitur eſſentialiter, ſic importat actum voluntatis: ſi ergo eſſet principium originis Filii, ſequeretur quod Pater genuiſſet Filium voluntate, non natura; quod eſt erroneum. Similiter etiam nec amor norionaliter ſumptus, (*c*) qua pertinet ad Spiritum ſanctum: quia tunc ſequeretur quod Spiritus ſanctus eſſet principium Filii: quod eſt erroneum; immo nullus hæreticus hoc dixit. Licet enim amor notionaliter ſumptus ſit principium omnium donorum quæ nobis donantur a Deo, non tamen eſt principium Filii, ſed potius ipſe a Patre Filioque procedit. Sic ergo dicendum, quod ratio iſta non ſumitur ex dilectione ut ex principio, ſed ut ex ſigno. Cum enim ſimilitudo ſit cauſa dilectionis (omne enim animal diligit ſimile ſibi) ubi invenitur perfecta ſimilitudo Dei, ibi invenitur etiam perfecta dilectio Dei. Perfecta autem ſimilitudo Patris in Filio eſt, ſecundum illud Coloſ. I. 15. „ Qui eſt „ imago inviſibilis Dei. “ Heb. I. 3. „ Qui „ cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtan„ tiæ eius. “ Perfecte ergo Filius a Patre diligitur: & ideo quia perfecte diligit eum, ſignum eſt quod Pater omnia oſtenderit ei, & communicaverir ei ſuam poteſtatem, & naturam: & de huius dilectione dicitur ſupra III. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius*. Et Matth. III. 17. „ Hic eſt „ Filius meus dilectus. “

Circa hoc autem quod ſequitur, *Et omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit*, ſciendum eſt, quod dupliciter poteſt aliquis alicui ſua opera demonſtrare. Vel quantum ad viſum, ſicut artifex ea quæ facit demonſtrat diſcipulo; vel quantum ad auditum, ſicut quando verbo inſtruit eum. Quocumque ergo iſtorum modorum accipiatur *demonſtrat*, ſequi poteſt duplex inconveniens: quod tamen non eſt in iſta demonſtratione, qua Pater demonſtrat

(a) *Al.* poteſt. (b) *Al.* Amor autem divinus. (c) *Al.* quia.

Digitized by Google

ſtrat Filio. Si enim Pater dicatur demonſtrare Filio quantum ad viſum, primo quidem ſequitur in illis inferioribus quod prius operetur aliquid quod alteri demonſtrat; deinde quod ſeorſum ab eo cui demonſtrat. Sed Pater non demonſtrat Filio ea quæ prius facit, quia ipſe Filius dicit, Prov. VIII. 22. „ Dominus poſſedit me in initio viarum ſua„ rum, antequam quicquam faceret. " Neque etiam ea quæ ſeorſum (a) a Filio facit: quia Pater omnia operatur per Filium. Supra I. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Si autem accipiatur demonſtratio quantum ad auditum, duo videntur ſequi: nam qui verbo docet, primo demonſtrat ignoranti; deinde verbum eſt inter demonſtrantem, & cui fit demonſtratio. Sed neutro modo Pater demonſtrat Filio: non enim ſicut ignoranti, cum Filius ſit ſapientia Patris: I. Corinth. I. 24. „ Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapien„ tiam: " nec aliquo alio verbo medio, quia ipſe Filius eſt Verbum Patris. Supra I. *Verbum erat apud Deum*. Dicitur ergo Pater omnia quæ facit demonſtrare Filio, inquantum communicat ei notitiam omnium ſuorum operum: (b) ſic enim magiſter dicitur demonſtrare diſcipulo, inquantum dat ei notitiam eorum quæ facit. Unde, ſecundum Auguſtinum, demonſtrare Patrem Filio, nihil aliud eſt quam Patrem generare Filium. Et Filium videre quæ Pater facit, nihil aliud eſt quam Filium eſſe, & naturam a Patre recipere. Poteſt tamen dici demonſtratio illa ſimilis viſuali, inquantum ipſe Filius eſt ſplendor viſionis paternæ, ut dicitur Heb. I. nam Pater videns ſe, & intelligens, concipit Filium, qui eſt conceptus huius viſionis. Poteſt etiam eſſe ſimilis ei quæ fit per auditum, inquantum Filius procedit a Patre ut Verbum. Ut ſi dicatur quod *Pater omnia demonſtrat Filio*, inquantum producit ipſum ut ſplendorem, & conceptum ſuæ ſapientiæ, & Verbum. Hoc ergo quod dicit, *Demonſtrat*, refertur ad illud quod ſupra dixit: *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*. Hoc vero quod dicit, *Omnia*, refertur ad illud quod dixit: *Quæcumque enim ille fecerit, hæc ſimiliter & Filius facit*.

LECTIO IV.

(a) ET maiora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini.

(b) Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat.

(c) Neque enim Pater iudicat quemquam; ſed omne iudicium dedit Filio:

(d) Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.

(e) Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam; & in iudicium non venit, ſed tranſiet a morte in vitam.

(f) Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint, vivent.

(a) OStenſa poteſtate Filii in communi, hic conſequenter oſtendit eam in ſpeciali: & primo Dominus manifeſtat ſuam poteſtatem vivificativam; ſecundo manifeſtat quædam prædicta, quæ videbantur obſcura, ibi, *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit Filium habere poteſtatem vivificativam; ſecundo docet modum percipiendi vitam a Filio, ibi, *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit &c.* Circa primum tria facit. Primo proponit poteſtatem vivificativam Filii; ſecundo dicti rationem aſſignat, ibi, *Neque enim Pater iudicat quemquam*; tertio oſtendit effectum exinde provenientem, ibi, *Ut omnes honorificent Filium &c.* Circa primum duo facit. Primo proponit poteſtatem vivificativam in communi; ſecundo exprimit eam, ibi, *Sicut enim Pater &c.* Quantum ad primum dicit: *Maiora his demonſtrabit*: quaſi dicat: Miramini, & turbamini de poteſtate Filii in ſanatione languidi; ſed adhuc Pater *maiora his demonſtrabit opera*, ſcilicet in ſuſcitatione mortuorum; *ut & vos miremini*.

Sed ex his verbis (c) inſurgit dubitatio quantum ad duo: primo quidem quantum ad hoc quod dicit, *Demonſtrabit*: nam hoc quod ſupra

(a) *Al.* ab alio. (b) *Al.* ſicut igitur. (c) *Al.* inſurgit dubitatio quantum ad hoc quod dicit.

Digitized by Google

ſupra dictum eſt, quod Pater omnia demonſtrat Filio, refertur ad æternam generationem: quomodo ergo hic dicit, *Demonſtrabit*; cum Filius ſit ei coæternus, & in æternitate non ſit accipere futurum? Secundo (*a*) vero quantum ad hoc quod dicit, *Ut vos miremini*: ſi enim ideo demonſtraturus eſt ut Iudæi mirentur, (*b*) tunc Filio demonſtraturus eſt ſimul & iſtis; alias non mirarentur, niſi viderent; cum tamen Filius ab æterno omnia viderit apud Patrem.

Et ideo dicendum eſt, quod hoc exponitur tripliciter. Uno modo, ſecundum Auguſtinum, ut referatur hæc demonſtratio fienda diſcipulis. Conſuetus enim modus loquendi eſt Chriſti, ut aliquando attribuat ſibi fieri quod fit (*c*) membris ſuis: ſecundum illud Matth. xxv. 40. „ Quod uni ex minimis meis „ feciſtis, mihi feciſtis. " Et tunc eſt ſenſus: Vos vidiſtis Filium magna facientem in curatione languidi, & miramini; ſed adhuc *maiora his* Pater *demonſtrabit ei*, in membris, ſcilicet (*d*) diſcipulis. Infra xiv. 12. *Et maiora horum* (*e*) *faciet*. Dicit ergo, *Ut vos miremini*, quia ex miraculis diſcipulorum Iudæi intantum mirati ſunt quod maxima multitudo eorum converſa eſt ad fidem, ſicut habetur Actor. 2. Alio modo, ſecundum Auguſtinum, ſic, ut ſcilicet referatur ad Chriſtum ſecundum naturam aſſumptam. In Chriſto enim eſt & natura divina, & natura humana; & ſecundum utramque habet a Patre poteſtatem vivificativam; ſed aliter & aliter: quia ſecundum divinitatem habet (*f*) poteſtatem vivificandi animas; ſed ſecundum naturam aſſumptam vivificat corpora. (*g*) Unde Auguſtinus: „ Verbum vivificat ani- „ mas, ſed Verbum caro factum vivificat cor- „ pora. " Nam reſurrectio Chriſti, & myſteria quæ Chriſtus implevit in carne, ſunt cauſa futuræ reſurrectionis corporum. Epheſ. ii. 5. „ Convivificavit nos in Chriſto. " I. Corinth. xv. 12. (*h*) „ Si autem Chriſtus præ- „ dicatur quod reſurrexit a mortuis, quo- „ modo quidam dicunt in vobis, quoniam re- „ ſurrectio mortuorum non eſt? " Sed primum habet ab æterno; & hoc oſtendit, cum ſupra dixit: *Et omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit*: quæ quidem omnia demonſtrat carni; ſed alia ex tempore; & quantum ad hoc dicit: *Et maiora his demonſtrabit ei* ideſt, demonſtratur poteſtas eius in hoc quod maiora faciet, ſuſcitando mortuos: quoſdam quidem hic, ſicut Lazarum, puellam, & unicum matris; omnes tandem in die iudicii. Tertio modo ut referatur ad Chriſtum ſecundum naturam divinam, ſecundum illum modum quo in Scriptura dici conſuetum eſt, tunc aliquid fieri quando innoteſcit: ſicut illud Matth. ult. 18. „ Data eſt mihi omnis poteſtas in cæ- „ lo, & in terra. " Cum enim Chriſtus ab æterno habuerit poteſtatem pleniſſimam, quia *quæcumque Pater facit, ſimiliter & Filius facit*: dicit tamen, poſt reſurrectionem Domini poteſtatem datam eſſe: non quia tunc tantum eam recepit, ſed quia per reſurrectionis gloriam tunc maxime innotuit. Secundum hoc ergo dicit, ſibi poteſtatem dari, ſecundum quod eam exequitur in opere, ut dicatur: *Et maiora demonſtrabit ei opera*; ideſt, ſibi data per executionem oſtendet: & hoc vobis mirantibus, quando ſcilicet qui vobis videtur ut homo tantum, apparebit virtutis divinæ, & Deus. (*i*) Eſt autem verbum demonſtrationis accipiendum ut verbum viſionis, ſecundum quod ſupra expoſitum eſt.

(b) Conſequenter cum dicit, *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos .... ſic & Filius*, explicat in ſpeciali poteſtatem vivificativam Filii, oſtendens quæ ſunt illa maiora quæ Pater Filio demonſtrabit. Ubi ſciendum eſt, quod divina virtus in veteri teſtamento ex hoc præcipue commendatur quod Deus eſt auctor vitæ. I. Reg. ii. 6. „ Dominus mortificat, & „ vivificat. " Et Deut. xxxii. 39. „ Ego oc- „ cidam, & ego vivere faciam. " Quam quidem virtutem ſicut habet Pater, ſic habet & Filius: & ideo dicit: *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat*; quaſi dicat: Hæc ſunt maiora, quæ Pater Filio demonſtrabit, ſcilicet ut mortuos vivificet. Plane maiora ſunt iſta valde, quia plus eſt ut reſurgat mortuus, quam ut convaleſcat ægrotus: Sic ergo *Filius quos vult vivificat*, & primam vitam viventibus dando, & mortuos ſuſcitando: nec tamen putemus alios a Patre ſuſcitari, & alios a Filio; ſed eoſdem quos Pater ſuſcitat & vivificat, Filius ſuſcitat & vivificat: quia Pater ſicut omnia operatur (*k*) per Filium, qui eſt virtus eius, ita & omnes vivificat per Filium, qui eſt vita, ut dicit infra xiv. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*. Non tamen per Filium ſuſcitat & vivificat mortuos ſicut per inſtrumentum: quia ſecundum hoc, Filius non eſſet conſtitutus in ſuæ poteſtatis arbi-

(a) *Al.* quidem. (b) *In Edit. Nicolini deſunt hæc verba:* tunc Filio demonſtraturus eſt ſimul & iſtis; aliae non mirarentur. (c) *Al.* in membris. (d) *Al.* diſciplinis. (e) Al. *faciat ſibi*. (f) *Al.* poteſtatem vivificativam quantum ad animas. (g) *Al. omittitur tota hæc Auguſtini ſententia*. (h) *Al.* „ Si Chriſtus reſurrexit „ &c. " (i) *Al.* Sic autem verbum demonſtrationis accipitur ut verbum &c. (k) *Al.* per Filium, qui eſt vita, unde dicit infra &c.

arbitrio: & ideo ut hoc excludat, dicit: *Filius quos vult vivificat*; ideſt, in ſuæ poteſtatis arbitrio eſt vivificare quos vult: nam non aliud vult Filius quam Pater: ſicut enim eſt illis una ſubſtantia, ſic eſt illis una voluntas: unde Matth. xx. 15. dicit: „ An non „ licet mihi quod volo facere? “

(c) Conſequenter cum dicit, *Neque enim Pater iudicat quemquam*, aſſignat rationem dicti, manifeſtans ſuam poteſtatem. Sed attendendum eſt, quod ex hoc loco uſque ad finem ſunt duæ expoſitiones: una eſt Auguſtini; alia Hilarii, & Chryſoſtomi. Secundum Auguſtinum quidem exponitur ſic. Dixerat Dominus ſupra, quod ſicut Pater ſuſcitat mortuos, ita & Filius. Sed ne intelligeres illam mortuorum reſuſcitationem tantum, qua aliquos ad hanc vitam reſuſcitavit ad miraculi oſtenſionem, & non illam qua reſuſcitat ad vitam æternam; ideo ducit eos ad altiorem conſiderationem alterius, ſcilicet reſurrectionis quæ erit in futuro iudicio. Unde & ſpecialiter de iudicio mentionem facit, dicens: *Neque enim Pater iudicat quemquam*. Poteſt & aliter, ſecundum eumdem, ſub eodem ſenſu continuari, ut ſecundum hoc, quod dixit, *Sicut Pater reſuſcitat mortuos, ſic & Filius &c.* referatur ad reſurrectionem animarum, quam facit Filius inquantum eſt Verbum; hoc vero quod dicit, *Neque enim Pater iudicat quemquam*, referatur ad reſurrectionem corporum, quam facit inquantum Verbum caro factum eſt. Reſurrectio enim animarum fit per perſonam Patris, & Filii: unde & ſimul nominat Patrem, & Filium, dicens: *Sicut Pater ſuſcitat ....: ſic & Filius*. Reſurrectio vero corporum per diſpenſationem humanitatis Patri non coæternam: & ideo ſoli Filio iudicium attribuit.

Sed attende mirabilem varietatem verborum: nam primo proponitur nobis Pater operans, & Filius vacans, ſcilicet cum dicitur: *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*: hic vero e converſo proponitur Filius operans, & Pater vacans: *Neque enim Pater iudicat quemquam; ſed omne iudicium dedit Filio &c.* In quo datur intelligi quod alio modo loquitur hic, & alio modo ibi: nam ibi loquitur de operatione quæ eſt Patris, & Filii: unde dicit, quod *a ſe non facit quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*; hic vero loquitur de operatione, qua Filius ſecundum quod homo iudicat, & non Pater: unde dicit, quod *omne iudicium dedit Filio*: nam Pater in iudicio non apparebit: quia ſecundum iuſtitiam Deus propria natura iudicandis omnibus apparere non poteſt: quia cum viſio divina ſit beatitudo noſtra, ſi mali Deum in propria natura viderent, iam eſſent beati. Apparebit ergo ſolus Filius, qui ſolus habet naturam aſſumptam. Ipſe ergo ſolus iudicat, qui ſolus omnibus apparebit; ſed tamen auctoritate Patris. Actor. x. 42. „ Hic eſt qui conſtitutus eſt a „ Deo iudex vivorum, & mortuorum. “ Et in Pſal. lxxi. 1. „ Deus iudicium tuum „ Regi da. “

(d) Conſequenter cum dicit, *Ut omnes honorificent Filium*, ponit effectum qui provenit ex poteſtate Filii: & primo ponit fructum conſequentiæ; ſecundo excludit contradictionem, ibi, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum*. Dicit ergo: Ideo Pater omne iudicium dedit Filio, ſecundum humanam naturam, quia in incarnatione ſe Filius exinanivit, formam ſervi accipiens, in qua inhonoratus eſt ab hominibus, ſecundum illud infra viii. 49. *Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me*. Ideo ergo in ipſa natura aſſumpta datum eſt ei iudicium, *ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*. „ Tunc enim videbunt Filium ho„ minis venientem cum poteſtate magna, & „ maieſtate: “ Luc. xxi. 27. Et Apoc. vii. 11. „ Ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt, dicentes: Benedictio, & claritas, „ & ſapientia, & gratiarum actio, honor, „ virtus, & fortitudo Deo noſtro. “ Sed poſſet aliquis dicere: Volo honorificare Patrem, & non curare de Filio. Sed hoc non poteſt eſſe, quia *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum*. Aliud enim eſt honorare Deum ratione qua Deus eſt, aliud honorare Patrem. Nam bene poteſt aliquis honorare Deum inquantum creator, omnipotens, & incommutabilis, abſque hoc quod honoret & Filium. Sed honorare Deum ut Patrem nullus poteſt quin honorificet Filium: nam Pater dici non poteſt, ſi Filium non habet. Sed ſi inhonoras Filium dividendo eius virtutem, inhonoras & Patrem: ibi enim tollis virtutem Patri, ubi minorem das Filio. Vel aliter, ſecundum eumdem, Chriſto debetur duplex honor: ſcilicet ſecundum divinitatem, ſecundum quam debetur ei honor æqualis Patri; & quantum ad hoc dicit: *Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*: alius debetur ei ſecundum humanitatem, ſed non æqualis Patri; & de iſto dicit: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum*. Unde ibi ſignanter dicitur *ſicut*; hic autem non dicit *ſicut*, ſed ſimpliciter dicit Filium eſſe honorandum. Luc. x. 16. „ Qui vos ſpernit, me ſpernit; „ qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui mi„ ſit me. “

Digitized by Google

Secundum autem Hilarium, & Chryſoſtomum, exponitur magis ad litteram, quamvis parum mutetur, hoc modo. Dominus ſupra dicit: *Filius quos vult vivificat*. Quicumque aliquid facit pro libero voluntatis arbitrio, agit ex proprio iudicio. Supra vero dictum eſt, quod *omnia quacumque facit Pater, hac & Filius ſimiliter facit*. Ergo Filius de omnibus habet liberum voluntatis arbitrium, quia ex proprio iudicio procedit. Et ideo ſtatim facit mentionem de iudicio, dicens: *Neque Pater iudicat quemquam*, ſeorſum ſcilicet a Filio. Et hoc modo loquendi uſus eſt Dominus infra XII. 47. „ Ego non iudico vos (ſcilicet „ ſolum) (*a*) ſed ſermo quem locutus ſum, ille „ iudicabir vos in noviſſimo. “ *Sed omne iudicium dedit Filio*, ſicut & dedit ei omnia: ſicut enim dedit ei vitam, & genuit eum viventem, ita dedit ei omne iudicium; ideſt, genuit eum iudicem. Infra ibid. 30. *Sicut audio iudico*; ideſt, ſicut habeo eſſe a Patre, ita & iudicium. Ratio huius eſt, quia Filius nihil aliud eſt, ut dictum eſt ſupra, quam conceptus paternæ ſapientiæ: unuſquiſque autem per conceptum ſuæ ſapientiæ iudicat: unde ſicut Pater omnia per Filium facit, ita & omnia per ipſum iudicat. Et fructus huius eſt: *Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*; ideſt, exhibeant ei cultum latriæ, ſicut Patri. Cetera vero non mutantur.

Sed attendenda eſt, ſecundum Hilarium, mirabilis connexio verborum, ut errores contra æternam generationem confutentur. Duæ namque hæreſes contra ipſam generationem æternam exortæ fuerunt. Una Arrii dicentis Filium minorem Patre; quod eſt contra æqualitatem, & unitatem: alia Sabellii dicentis non eſſe diſtinctionem perſonarum in divinis; quod eſt contra originem. Et ideo ubicumque facit mentionem de unitate, & æqualitate, ſtatim addit & diſtinctionem perſonarum ſecundum originem, & e converſo. Unde qnia innuit originem perſonarum, dicens: *Non poteſt Filius a ſeipſo facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*: ne crederes inæqualitatem, ſtatim ſubiungit: *Quacumque enim ille fecerit, hac & Filius ſimiliter facit*. Et e converſo cum innuit æqualitatem dicens: *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ita & Filius quos vult vivificat*: (*b*) ne diſcredas originem, & Filium genitum, ſubiungit: *Neque enim Pater iudicat quemquam; ſed omne iudicium dedit Filio*. Eodem modo cum inſinuat æqualitatem perſonarum, dicens: *Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*; ſtatim ſubiungit de miſſione, in qua demonſtratur origo, dicens: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum*, non per ſeparationem a ſeipſo. Miſſionem audi, infra VIII. 29. *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum*.

(e) Supra oſtendit Dominns ſe habere virtutem vivificativam; hic oſtendit modum quo aliquis ab ipſo vitam participare poteſt: & primo ponit modum, quomodo aliquis per ipſum vitam (*c*) participet; ſecundo huiuſmodi adimpletionem prænuntiat, ibi, *Amen amen dico vobis, quia venit hora*. Circa primum conſiderandum eſt, quod ſunt quatuor gradus vitæ. Unus quidem invenitur in plantis, quæ nutriuntur, augentur, & generantur, & generant: alius in animalibus, quæ tantum ſentiunt: alins vero in his quæ moventur, quæ ſunt animalia perfecta: nlterius vero eſt aliud genus vitæ in his quæ intelligunt. Tot ergo exiſtentibus gradibus vitæ, impoſſibile eſt vel vitam, quæ eſt in plantis, vel eam quæ eſt in ſenſu, aut eam quæ eſt ex motu, eſſe primam vitam: nam prima vita debet eſſe per ſe vita, non participata; nulla autem vita poteſt eſſe talis, niſi ſola vita intellectualis; aliæ autem tres (*d*) communes ſunt corporali, & ſpirituali creaturæ: corpus autem quod vivit, non eſt ipſa vita; ſed vitam participans: & ideo vita intellectualis eſt prima vita, quæ eſt vita (*e*) ſpiritualis, quæ immediate percipitur a primo vitæ principio: unde dicitur vita ſapientiæ; & propter hoc in Scripturis vita attribuitur ſapientiæ. Prov. VIII. 35. „ Qui „ me invenerit, inveniet vitam, & hauriet „ ſalutem a Domino. “ Sic ergo vitam a Chriſto, qui eſt Dei ſapientia, participamus, inquantum anima noſtra ab ipſo ſapientiam percipit. Hæc autem vita intellectualis perficitur in vera cognitione divinæ ſapientiæ, quæ eſt vita æterna. Infra XVII. 3. *Hac eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Sed ad nullam ſapientiam poteſt homo pervenire niſi per fidem: unde in ſcientiis nullus ad ſapientiam pervenit, niſi prius fidem adhibeat dictis a magiſtro. Si ergo nos volumus ad illam vitam ſapientiæ pervenire, oportet nos per fidem credere ea quæ ab illa nobis proponuntur. Hebr. XI. 6. „ Oportet acce„ dentem ad Deum credere quia eſt, & in„ quirentibus ſe remunerator ſit. “ Eſa. XXVIII. 16. ſecundum aliam litteram: „ Niſi credide„ ritis, non intelligetis. “ Et ideo Dominus congrue modum perveniendi ad vitam oſtendit eſſe per fidem, dicens: *Qui verbum meum audit*,

(a) *Al.* Sed ſecundum quem locutus, ille &c. (b) *Al.* ne (ut) diſcernas. (c) *Al.* participaret. (d) *Al.* rationes. (e) *Al.* ſpiritus.

Digitized by Google

audit, *& credit ei qui miſit me*, *habet vitam æternam*. Et primo ponit meritum fidei; ſecundo ſubdit præmium eius, ibi, *Habet vitam æternam*. Circa meritum fidei primo ponir illud (*a*) per quod fides introducitur; ſecundo illud cui fides innititur. Introducitur quidem fides per verbum hominis. Rom. x. 17. „ Fides ex auditu; auditus autem per „ verbum (*b*) Chriſti. “ Innititur autem fides non verbo hominis, ſed ipſi Deo. Geneſ. xv. 6. „ Credidit Abraham Deo, & reputa„ tum eſt ei ad iuſtitiam. Eccli. ii. 8. „ Qui „ timetis Deum, credite illi. “ Sic nos introducit per verbum hominis ad credendum, non ipſi homini qui loquitur, ſed Deo cuius verba loquitur. I. Theſ. ii. 13. „ Cum acce„ piſſetis a nobis verbum auditus (*c*) Dei, ac„ cepiſtis illud non ſicut verbum hominum, „ ſed (ſicut vere eſt) verbum Dei. “ Et hæc duo Dominus ponit. Primo illud per quod fides introducitur: unde dicit: *Qui verbum meum audit*, quod introducit ad fidem. Secundo illud cui inuititur, cum dicit: *Et credit ei qui miſit me*, non mihi, ſed illi in cuius virtute loquor. Quæ quidem verba poſſunt competere Chriſto ſecundum quod homo, inquantum per verbum eius humanum homines converſi ſunt ad fidem, & ſecundum quod Deus, inquantum Chriſtus eſt Verbum Dei. Cum enim Chriſtus ſit Verbum Dei, manifeſtum eſt quod audientes Chriſtum audiebant Verbum Dei; & per conſequens credebant Deo: & hoc eſt quod dicir: *Qui audit verbum meum*, ideſt me Verbum Dei, *& credit ei*, ideſt Patri cuius ſum Verbum. Præmium autem fidei ponit cum ſubdit: *Habet vitam æternam*: & ponit tria quæ nos habebimus in gloria; ſed ordine retrogrado. Primo enim conſequemur reſurrectionem ex mortuis; ſecundo liberationem a ſuturo iudicio; tertio vitam æternam: qnia, ut dicitur Matth. xxv. poſt iudicium ibunt iuſti in vitam æternam. Et hæc tria ponit ad fidei præmium pertinere: & primo tertium tamquam magis deſideratum: unde dicit: *Qui credit*, ſcilicet per ſidem, *habet vitam æternam*, quæ conſiſtit in plena Dei viſione. Et dignum eſt ut qui credit propter Deum his quæ non videt, perducatur ad plenam eorum viſionem. Infra xx. 31. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis ..... & ut credentes vitam habeatis in nomine eius*. Secundo ponit ſecundum, cum dicit: *Et in iudicium non veniet*.

Sed contra hoc eſt quod Apoſtolus dicit II. Corinth. v. 10. „ Omnes nos aſtare oportet „ ante tribunal Chriſti. “ etiam ipſos Apoſtolos: ergo qui credit, in iudicium veniet. Sed dicendum, quod duplex eſt iudicium. Scilicet condemnationis, & in iſto non venienr qui fide ſormata in Deum credunt: de quo dicebat Pſal. cxlii. 2. „ Non inrres in iu„ dicium cum ſervo tuo, quia non iuſtifica„ bitur in conſpectu tuo omnis vivens. “ Supra iii. 18. *Qui credit non iudicatur*. Eſt etiam iudicium diſcretionis, vel diſcuſſionis: & ad iſtud oportet nos omnes ante tribunal Chriſti exhibere, ur dicit Apoſtolus; & de iſto dicitur in Pſal. xlii. „ Iudica me Deus, „ & diſcerne cauſam meam. “

Tertio ponit præmium, cum dicit: *Sed tranſit a morte in vitam*, vel *tranſiet*, ſecundum aliam litteram. Quod quidem poteſt exponi dupliciter. Primo ut referatur ad reſurrectionem animæ; & ſic planus eſt ſenſus; quaſi dicat: Non ſolum per fidem adipiſcitur vitam ærernam, & liberatur a iudicio; ſed etiam remiſſionem peccatorum conſequitur: unde dicit, *Sed tranſit*, de infidelitate ad fidem, de iniuſtitia ad iuſtiriam. I. Ioan. iii. 14. „ Nos ſcimus quoniam translati ſumus de „ morte ad vitam. “ Secundo ut referatur ad reſurrectionem corporum; & runc eſt expoſitivum huius quod dicir, *Habet vitam æternam*. Poſſet enim ex hoc aliquis credere quod qui credit in Deum, numquam moreretur, ſed viveret in æternum; quod eſſe non poteſt, quia omnes homines ſolvere oportet debitum primæ prævaricationis, ſecundum illud Pſal. lxxxviii. „ Quis eſt homo qui vi„ vet, & non videbit mortem? “ Et ideo non eſt intelligendum, eum qui credit ſic, habere vitam æternam, quaſi numquam moriturus; ſed quia de hac vita tranſiet per mortem in vitam, ideſt per mortem corporis reparabitur in vitam æternam. Vel *tranſiit*, quantum ad cauſam: quia quando homo credit, iam habet meritum glorioſæ reſurrectionis. Eſa. xxvi. 19. „ Vivent mortui tui, „ interſecti tui reſurgent. “ Et tunc ſoluti a morte veteris hominis ſuſcipiemus vitam novi hominis, ſcilicet Chriſti.

(ſ) *Amen amen dico vobis &c.* Quia poſſent aliqui dubitare utrum aliqui de morte ad vitam tranſirent; ideo Dominus pronuntiat huiuſmodi adimpletionem, dicens: Dico quod *tranſiet de morte in vitam*, & hoc iam ante impletur. Er hoc eſt quod dicit: *Amen amen dico vobis*, *quia venit hora*, non ſarali neceſſitate ſubiecta, ſed a Deo præordinara. I. Ioan. ii. 18. „ Noviſſima hora eſt. “ Et ne credatur diſtare, ſubiungit: *Et nunc eſt* (Rom. xiii. 11. „ Hora eſt iam nos de ſomno ſur-

„ ge-

(a) *Al.* quod per fidem. (b) *Al.* Dei. (c) *Al.* ei.

Digitized by Google

„ gere “) hoc ſcilicet nunc eſt, *quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent*. Quod poteſt dupliciter exponi. Uno modo ut referatur ad reſurrectionem corporis; & dicatur: *Venit hora, & nunc eſt &c.* quaſi dicat: Verum eſt quod omnes finaliter reſurgent; ſed etiam nunc eſt hora, quando aliqui, quos reſuſcitaturus erat Dominus, audient vocem eius. Sic audivit Lazarus quando dictum eſt ei, *Veni foras*, ut dicitur infra XI. 43. ſic audivit filia Archiſynagogi, ut dicitur Matth. IX. & filius viduæ, ut habetur Luc. VII. Et ideo dicit ſignanter, *Et nunc eſt*, quia per me iam incipiunt mortui reſuſcitari. Alio modo, ſecundum Auguſtinum, ut hoc quod dicit, *Nunc eſt*, referatur ad reſurrectionem animæ: nam, ſicut dictum eſt ſupra, duplex eſt reſurrectio: ſcilicet corporum, quæ erit; & hoc nondum eſt, ſed erit in iudicio futuro: alia eſt animarum, de morte infidelitatis ad vitam fidei, & iniuſtitiæ ad iuſtitiam; & hoc iam *nunc eſt*. Et ideo dicit: *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui*, ſcilicet infideles, & peccatores, *audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent*, ſecundum veram fidem.

Sed duo mirabilia in his verbis implicari videntur. Unum cum dicit, mortuos audire; aliud cum ſubdit, eos per auditum reviviſcere, quaſi prior ſit auditus, quam vita, cum tamen auditus ſit quidam actus vitæ. Sed ſi hoc referamus ad reſurrectionem, verum eſt quod mortui audient, ideſt obedient voci Filii Dei. Vox enim expreſſiva eſt interioris conceptus. Tota autem natura ad nutum obedit voluntati divinæ. Rom. IV. 17. „ Vocat ea quæ non ſunt tamquam ea quæ „ ſunt. “ Secundum hoc ergo ligna, lapides, & omnia, non ſolum oſſa arida, ſed & cineres corporum mortuorum *audient vocem Filii Dei*, inquantum ad nutum ei obedient: & hoc non convenit Chriſto inquantum eſt Filius hominis, ſed inquantum eſt Filius Dei: quia Verbo Dei omnia obediunt: Et ideo ſignanter dicit, *Filii Dei*. Matth. VIII. 27. „ Qualis eſt hic, quia mare, & venti obediunt ei? “ Si vero referatur ad reſurrectionem animarum, rationem habet quod dicitur: nam vox Filii Dei, qua interius per inſpirationem, vel exterius per prædicationem ſuam, & aliorum, corda fidelium movet, habet vim vivificativam: infra VI. 64. *Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*: & ſic vivificat mortuos, dum iuſtificat impios. Et quia auditus eſt via ad vitam, vel naturæ per obedientiam, ad reparationem ſcilicet naturæ, vel auditus fidei ad reparationem vitæ, & iuſtitiæ; ideo dicit: *Et qui audierint*, per obedientiam quantum ad reſurrectionem corporum, vel per fidem quantum ad reſurrectionem animarum, *vivent*, in corpore in æterna vita, & in iuſtitia in vita gratiæ &c.

LECTIO V.

(a) Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.

(b) Et poteſtatem dedit ei iudicium facere: quia Filius hominis eſt. Nolite mirari hoc: quia venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei.

(c) Et procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicii.

(d) Non poſſum ego a meipſo facere quicquam; ſed ſicut audio, iudico.

(e) Et iudicium meum iuſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.

(a) Supra oſtendit Dominus ſe habere poteſtatem vivificativam, & iudiciariam, & explicavit utramque per effectum; hic manifeſtat quomodo utraque poteſtas ſibi competat: & primo oſtendit hoc de poteſtate vivificativa; ſecundo de poteſtate iudiciaria, ibi, *Et poteſtatem dedit ei iudicium facere*. Dicit ergo primo: Dico quod ſicut Pater ſuſcitat mortuos, ita & ego; & qui audit verbum meum, habet vitam æternam: & hoc ideo habeo, quia *ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & Filio dedit habere vitam in ſemetipſo*.

Circa quod ſciendum eſt, quod aliqui vivunt, ſed non habent vitam in ſemetipſis: ſicut Paulus Gal. II. 20. „ Quod autem nunc „ vivo, in fide Filii Dei vivo. “ Et iterum: „ Vivo ego iam non ego, vivit vero in me „ Chriſtus. “ Vivebat ergo, ſed non in ſemetipſo, ſed in alio per quem vivebat; ſicut & corpus vivit, ſed non habet vitam in ſemetipſo, ſed in anima per quam vivit. Illud ergo in ſemetipſo vitam habet, quod habet vi-

Digitized by Google

vitam eſſentialem non participatam, ideſt quod ipſum eſt vita. In quolibet autem genere rerum, quod eſt per eſſentiam, eſt cauſa eorum quæ ſunt per participationem, ſicut ignis eſt cauſa omnium ignitorum. Quod ergo eſt per eſſentiam vita, eſt cauſa & principium omnis vitæ in viventibus: & ideo ad hoc quod aliquod ſit principium vitæ requiritur quod ſit per eſſentiam vita: & ideo congrue manifeſtat Dominus ſe totius vitæ principium, dicens ſe habere vitam in ſemetipſo, ideſt per eſſentiam, cum dicit: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo*, ideſt ſicut eſt vivens per eſſentiam, ita & Filius: ideo ſicut Pater eſt cauſa vitæ, ita Filius ſuus. Oſtendit autem æqualitatem Filii ad Patrem, cum dicit: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo*; & diſtinctionem, cum dicit, *Dedit Filio*: (*a*) ſunt enim æquales in vita Pater, & Filius; ſed diſtinguuntur, quia Pater dat, Filius accipit. (*b*) Nec eſt intelligendum, quod Filius a Patre dante accipiat vitam, quaſi præexiſtat eam non habens, ſicut in iſtis interioribus materia prima exiſtens accipit formam, & ſubiectum ſubiicitur accidenti: quia nihil in Filio præexiſtens eſt acceptioni vitæ: nam, ſicut Hilarius dicit, „ Filius nihil „ habet niſi natum, " (*c*) ideſt quod per nativitatem accepit. Et cum ſit ipſa vita, ideo intelligendum eſt *Dedit Filio vitam*; ideſt, produxit Filium vitam: ſicut ſi dicatur: Mens dat verbo vitam, non quaſi verbum præexiſtat, & poſtea vitam recipiat; ſed quia produxit verbum in eadem vita qua ipſa vivit.

Deſtruuntur autem per hæc verba tres errores, ſecundum Hilarium. Primo Arrianorum, qui dicentes Filium minorem Patre, coacti ſunt per hoc quod ſupra dictum eſt, *Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius facit*, dicere, quod Filius ſit æqualis Patri in virtute; ſed tamen adhuc negant eum eſſe æqualem ſibi in natura. Sed ecce quod etiam in hoc confutantur, per hoc quod dicitur: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*. Nam cum vita pertineat ad naturam, ſi Filius habet vitam in ſemetipſo ſicut & Pater, manifeſtum eſt quod tenet in ſe originis ſuæ indiviſibilem, & æqualem cum Patre naturam. Secundus error eorum, quantum ad hoc quod negabant Filii coæternitatem ad Patrem, dicentes, Filium ex tempore incepiſſe: quod deſtruitur inquantum dicit: *Filius vitam habet in ſemetipſo*. Nam in omnibus viventibus, quorum generatio eſt in tempore, ſemper eſt invenire aliquid quod aliquando fuit non vivens; ſed in Filio quicquid eſt, eſt ipſa vita: & ideo ſic accepit ipſam vitam quod vitam habet in ſemetipſo, ut ſemper fuerit vivens. Tertio per hoc quod dicit, *Dedit*, deſtruitur error Sabellii negantis diſtinctionem perſonarum. Si enim Pater vitam dedit Filio, manifeſtum eſt quod alius eſt Pater qui dedit, & alius Filius qui accepit.

(b) Conſequenter cum dicit, *Et poteſtatem dedit ei iudicium facere*, manifeſtat ſe habere iudiciariam poteſtatem: & primo manifeſtat ſuam poteſtatem iudiciariam; ſecundo rationem dictorum aſſignat, ibi, *Non poſſum ego a me facere quicquam*. Circa primum duo facit. Primo ponit poteſtatis iudiciariæ originem; ſecundo oſtendit iudicii æquitatem, ibi, *Et procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ*.

Circa primum notandum eſt, quod hoc quod dicit, *Poteſtatem dedit ei*, poteſt legi dupliciter. Uno modo ſecundum Chryſoſtomum, alio modo ſecundum Auguſtinum. Si autem legatur ſecundum Chryſoſtomum, tunc hæc pars dividitur in duas. Primo proponit iudiciariæ poteſtatis derivationem; ſecundo excludit dubitationem, ibi, *Quia Filius hominis eſt*. Sciendum eſt autem, quod hæc littera ſic punctatur ſecundum Chryſoſtomum. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere*: poſtea reſumitur: *quia Filius hominis eſt, nolite mirari hoc*. Et huius punctationis ratio eſt, quia Paulus Samoſatenus, quidam antiquus hæreticus, qui ſicut & Photinus dicebat Chriſtum purum hominem eſſe, & initium ſumpſiſſe ex Virgine, punctabat ſic: *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt*: & poſtea reſumitur: *Nolite mirari hoc, quia venit hora &c.* quaſi intelligens per hoc quod ideo neceſſe fuit dari poteſtatem iudiciariam Chriſto, quia Filius hominis eſt, ideſt purus homo, cui ex ſe non convenit iudicare homines. Et ideo oportet quod ſi iudicat, (*d*) alios, ſibi detur poteſtas iudicandi. Sed hoc, ſecundum Chryſoſtomum, non poteſt ſtare, quia nullam convenientiam habet quod dicitur. Si enim ideo ſuſcepit poteſtatem iudiciariam, quia homo eſt, tunc pari ratione cum cuilibet homini conveniat iudiciaria poteſtas per humanam naturam, non plus competet Chriſto quam aliis hominibus. Non ergo ſic legendum eſt; ſed dicendum, quod quia eſt ineffabilis Dei Filius, propterea & iudex eſt. Et hoc, eſt quod dicit: Non ſolum dedit ei Pater quod vivificat; ſed etiam *poteſtatem dedit ei*, per æternam generationem, *iudicium facere*, ſicut per

(a) *Al.* ſicut æquales. (b) *Al.* Hoc eſt. (c) *Al.* *emittitur* ideſt. (d) *Al.* aliud,

Google

per eam dedit ei vitam habere in ſemetipſo. Act. x. 42. „ Hic eſt qui conſtitutus eſt a „ Deo iudex vivorum , & mortuorum . “ Dubitationem excludit cum dicit: *Nolite mirari hoc*: & primo movet eam ; ſecundo excludit, ibi, *quia venit hora &c.* Dubitatio autem oriebatur in cordibus Iudæorum , quia æſtimantes Chriſtum nihil plus eſſe quam purum hominem , ea vero quæ dicebantur de eo, erant ſupra hominem , & etiam ſupra Angelum, mirabantur cum audirent. Et ideo dicit: *Nolite mirari hoc* , ſcilicet quod dixi , quod Filius vivificat mortuos, & habet iudiciariam poteſtatem, propter hoc *quia Filius hominis eſt*. Et de hoc mirabantur , quia purum hominem æſtimantes videbant in eo facta divina. Matth. VIII. 27. „ Mirabantur „ omnes dicentes: Qualis eſt hic , quia venti, & mare obediunt ei? “ Et ſubdit cauſam, quare non mirentur, quia ſcilicet ipſe idem qui eſt Filius hominis, eſt Filius Dei , Et licet, ſecundum Chryſoſtomum , non exprimatur iſta propoſitio, ſcilicet quod idem eſt Filius hominis qui eſt Filius Dei , ponit tamen Dominus illud ex quo propoſitio illa de neceſſitate ſequitur: ſicut videmus , quod ſyllogizantes in doctrinis frequenter non proponunt intentum principaliter , ſed illud ex quo de neceſſitate ſequitur. Et ideo Dominus non dicit quod ipſe eſt Filius Dei; ſed quod Filius hominis talis eſt quod ad vocem eius ſuſcitantur omnes mortui: ex quo neceſſario ſequitur quod ſit Filius Dei : nam ſuſcitare mortuos eſt opus proprium Dei: & ideo dicit: *Nolite mirari , quia venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt , audient vocem Filii Dei*. Sed non dicit, *Et nunc eſt*, ut ſupra dixit; neque quia iſta hora nunc non eſt. Similiter hic dicit, *Omnes*, quod non dixerat ſupra : quia in prima reſurrectione aliquos tantum reſuſcitavit, ſcilicet Lazarum, filium viduæ, & puellam; ſed tunc in futura reſurrectione, quæ erit tempore iudicii, *omnes audient vocem Filii Dei* , & reſurgent . Ezech. XXXVII. 12. „ Aperiam tumulos veſtros , & „ educam vos de ſepulcris veſtris. “

Secundum autem Auguſtinum, loquitur ſic punctando: *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt*: & poſtea ſubditur: *Nolite mirari hoc*: & ſecundum hoc dividitur in duas partes. In prima enim tangitur collatio iudiciariæ poteſtatis facta Filio hominis ; ſecundo manifeſtatur per maioris poteſtatis collationem, ibi, *Nolite mirari hoc*. Circa primum ſciendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod ſupra locutus eſt de reſurrectione animarum , quæ fit per Filium Dei; hic vero loquitur de reſurrectione corporum , quæ fit per Filium hominis. Et quia univerſalis reſurrectio corporum futura eſt tempore iudicii , ideo hic præmittit de iudicio, dicens : *Poteſtatem dedit ei*, ſcilicet Chriſto , *iudicium facere* ; & hoc quia *Filius hominis eſt* , ideſt ſecundum humanam naturam . Unde & poſt reſurrectionem dicit , Matth. ult. 18. „ Data eſt „ mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra . “ Eſt autem data iudiciaria poteſtas Chriſto ſecundum quod homo, propter tria. Primo ut ab omnibus videretur : neceſſe eſt enim iudicem a iudicandis videri. Iudicabuntur autem boni, & mali: & boni quidem Chriſtum videbunt ſecundum divinitatem , & humanitatem; mali autem eum ſecundum divinitatem videre non poterunt, quia hæc viſio eſt beatitudo ſanctorum, nec videtur niſi a mundis corde, ut dicitur Matth. v. 8. „ Beati „ mundo corde : quoniam ipſi Deum videbunt. “ Et ideo ut videatur in iudicio non ſolum a bonis, ſed etiam a malis , iudicabit in forma humana . Apoc. I. 7. „ Videbit „ eum omnis oculus , & qui eum pupugerunt. “ Secundo quia per humilitatem paſſionis (*a*) promeruit gloriam exaltationis : unde ſicut ille qui mortuus eſt , reſurrexit , ita forma illa iudicabit, quæ iudicata eſt, & ſedebit iudex in iudicio hominum qui ſtetit ſub iudice homine ; damnabit vere reos qui factus eſt falſo reus , ut dicit Auguſtinus Libro de Verbis Domini. Iob XXXVI. 17. „ Cauſa tua quaſi impii iudicata eſt ; ſed iudicium, cauſamque recipies. “ Tertio ad inſinuandam iudicis clementiam . Quod homo iudicetur a Deo , videtur valde terribile , „ horrendum eſt enim incidere in manus „ Dei viventis: “ ut dicitur Heb. x. 31. ſed quod homo iudicem habeat hominem , confidentiam præbet: & ideo ut iudicis experiaris clementiam, hominem habebis iudicem . Heb. IV. 15. „ Non habemus Pontificem, qui „ non poſſit compati infirmitatibus noſtris. “ Sic ergo *dedit poteſtatem* , Chriſto , *iudicium facere, quia Filius hominis eſt* . Sed hoc quidem *nolite mirari* , quia maiorem poteſtatem contulit ei , ſcilicet reſuſcitandi mortuos : unde dicit: *Quia venit hora* , ſcilicet noviſſima, quæ erit in fine mundi: Ezech. VII. 7. „ Venit tempus, prope eſt dies occiſionis: “ *in qua omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filii Dei* . Supra autem non dixit *omnes* , quia ibi loquebatur de reſurrectione ſpirituali, ſecundum quam non omnes in primo adventu reſurrexerunt: quia II. Theſ. III. 2. di-

(a) *Al.* promoverunt.

2. dicitur: „ Non enim omnium eſt fides : " hic vero loquitur de reſurrectione corporum, ſecundum quam omnes reſurgemus, I. Cor. xv. Sed addit, *Qui in monumentis ſunt*, quod ſupra non dixerat : quia animæ non ſunt in monumentis, ſed corpora, quorum tunc reſurrectio erit. *Omnes* ergo *qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei*. Vox iſta erit ſenſibile ſignum Filii Dei, ad quam omnes ſuſcitabuntur. I.Theſſal.iv.15. „ Dominus veniet in iuſſu Archangeli, & in tuba Dei. " Et ſimile habetur I. Cor. xv. Matth. xxv. 6. „ Media nocte clamor factus eſt. " Quæ quidem vox habebit virtutem ex divinitate Chriſti. Pſal. lxvii. 34. „ Dabit voci ſuæ „ vocem virtutis. "

Quia vero Auguſtinus dicit, quod reſurrectio corporum fit per (a) Verbum carnem factum, reſurrectio animarum per Verbum, ut dictum eſt ſupra; ideo quærendum eſt quomodo hoc intelligatur : aut enim ſubintelligitur de cauſa prima, aut de cauſa meritoria. Siquidem de cauſa prima conſtat quod divinitas Chriſti eſt cauſa corporalis, & ſpiritualis reſurrectionis, (b) ideſt corporum, & animarum, ſecundum illud Deut. xxxii. 39. „ Ego occidam, & ego vivere faciam. " Si vero de cauſa meritoria, tunc humanitas Chriſti eſt cauſa utriuſque reſurrectionis: quia per myſteria quæ in carne Chriſti completa ſunt, reparamur non ſolum quantum ad corpora ad vitam incorruptibilem, ſed etiam quantum ad animas ad vitam ſpiritualem. Rom. iv. 25. „ Traditus eſt propter noſtras „ iniquitates, & reſurrexit propter iuſtifica„ tionem noſtram. " Non ergo videtur verum quod dicit Auguſtinus.

Sed dicendum, quod Auguſtinus loquitur de cauſa exemplari, & de cauſa qua illud quod vivificatur, conformatur vivificatori: nam omne illud quod per aliud vivit, conformatur ei per quod vivit. Reſurrectio autem animarum non eſt per hoc quod animæ conformantur humanitati Chriſti, ſed Verbo, quia vita animæ eſt per ſolum Verbum; & ideo dicit animarum reſurrectionem fieri per Verbum. Reſurrectio vero corporum erit per hoc quod corpora noſtra conformabuntur corpori Chriſti per vitam gloriæ, videlicet per claritatem corporum : ſecundum illud Philip. iii. 21. „ Reformabit corpus hu„ militatis noſtræ configuratum corpori cla„ ritatis ſuæ. " Et ſecundum hoc dicit reſurrectionem corporum fieri per Verbum carnem factum.

(c) Conſequenter cum dicit, *Et procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ*, oſtendit æqualitatem iudicii : quia boni præmiabuntur, unde dicit: *Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ*, ideſt ad hoc quod vivant in æterna gloria; mali autem damnabuntur: unde dicit : *Qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicii*; ideſt, reſurgent in condemnationem. Matth. xxv. 46. „ Ibunt „ hi in ſupplicium æternum (ſcilicet mali) „ iuſti autem in vitam æternam. " Dan. xii. 2. „ Multi ex his qui in terræ pulvere „ dormierant, reſurgent: quidam quidem ad „ vitam, alii autem ad opprobrium ſempiter„ num, ut videant ſemper. "

Et nota, quod ſupra loquens de reſurrectione animarum, dicit: *Qui audierint vivent*: hic vero dicit, quod *procedent*; & hoc propter malos, qui vadunt in condemnationem: nam vita eorum non eſt dicenda vita, ſed potius mors æterna. Similiter etiam ſupra fecit mentionem de fide tantum, dicens: *Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit*: hic ne credas ſolam fidem ſine operibus ad ſalutem ſufficere, facit mentionem de omnibus operibus, dicens: *Qui bona fecerunt, procedent in reſurrectionem vitæ*; quaſi dicat : Non qui credit tantum, ſed qui cum fide bona operatur, *procedit in reſurrectionem vitæ*. Iac. ii. 26. „ Fides ſine operibus mortua eſt. "

(d) Conſequenter cum dicit, *Non poſſum ego a me ipſo facere quicquam*, aſſignat rationem præmiſſorum. Duo autem præmiſerat, ſcilicet originem poteſtatis, & æquitatem iudicii; & ideo utriuſque cauſam aſſignat. Primo de primo; ſecundo de ſecundo, ibi, *Et iudicium meum iuſtum eſt*.

Sciendum eſt autem cica primum, quod hoc quod dicit, *Non poſſum ego a meipſo facere quicquam*, poteſt dupliciter legi, etiam ſecundum Auguſtinum. Primo ut referatur ad Filium hominis hoc modo. Tu dicis quod habes poteſtatem reſuſcitandi mortuos, quia Filius hominis es: ſed numquid hoc eſt tibi inquantum tu es Filius hominis? Non, quia *non poſſum ego a meipſo facere quicquam*; *ſed ſicut audio, iudico*. Non dicit, ſicut video, ſecundum quod ſupra dixerat: *Filius non poteſt a ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*: ſed dicit, *Sicut audio* : nam audire idem eſt in hoc loco quod obedire. Obedire autem pertinet ad illum cui fit imperium. Imperare autem pertinet ad ſuperiorem. Et ideo quia Chriſtus inquantum hnmo minor eſt Patre, dicit, *Sicut audio*; ideſt, ſecundum quod inſpiratur a Deo in anima mea. De iſto

(a) *Al.* Verbum caro factum eſt. (b) *Al. omittitur* ideſt.

Digitized by Google

iſto auditu dicit Pſal. lxxxiv. 9. „ Audiam „ quid loquatur in me Dominus Deus." Supra autem, quia loquebatur de ſe ſecundum quod eſt Verbum Dei, dixit (*a*) *Viderit*.

(e) Conſequenter cum dicit, *Et iudicium meum iuſtum eſt*, manifeſtat æquitatem iudicii: dixerat enim: *Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ*. Sed poſſet aliquis dicere: Numquid faciet gratiam aliquibus minus puniendo, & plus remunerando? Ideo reſpondet quod non, dicens: Quia *iudicium meum verum eſt*. Cuius ratio eſt: *quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me*. In Domino enim Ieſu Chriſto ſunt duæ voluntates. Una divina quam habet eamdem cum Patre; alia humana, quæ eſt ſibi propria, ſicut eſt proprium eius eſſe hominem. Voluntas humana fertur (*b*) in bonum proprium; ſed in Chriſto per rectitudinem rationis regebatur, & regulabatur, ut ſemper in omnibus voluntati divinæ conformaretur; & ideo dicit: Non quæro implere *voluntatem meam* propriam, quæ quantum in ſe eſt, inclinatur ad bonum proprium, *ſed voluntatem eius qui miſit me*, Patris. Pſal. xxxix. 9. „ Ut „ facerem voluntatem tuam, Deus meus, vo„ lui." Matth. xxvi. 39. „ Non quod ego „ volo, ſed quod tu vis." Et ſi quidem diligenter attenditur, Dominus veram rationem aſſignat iuſti iudicii, dicens: *Quia non quæro voluntatem meam*: non enim iudicium alicuius eſt iniuſtum, quando procedit ab eo ſecundum regulam legis; voluntas autem divina regula eſt, & lex voluntatis creatæ: & ideo voluntas creata, & ratio quæ regulatur ſecundum regulam divinæ voluntatis, iuſta eſt, & iudicium eius iuſtum.

Secundo vero exponitur ut referatur ad Filium Dei, & manet eadem diviſio quæ prius poſita eſt. Dixit ergo Chriſtus inquantum Verbum manifeſtans originem ſuæ poteſtatis: *Non poſſum ego a me facere quicquam*, eo modo ſicut ſupra dixit: *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*: nam ſuum facere, & ſuum poſſe, eſt ſuum eſſe; eſſe autem eſt ei ab alio, ſcilicet a Patre: & ideo ſicut non eſt a ſe, ita a ſe non poteſt facere quicquam. Infra viii. 28. *A meipſo facio nihil*. Hoc autem quod dicit, *Sed ſicut audio, iudico*, eodem modo exponendum eſt ſicut illud ſupra, *Niſi quod viderit Patrem facientem*. Nos enim ſcientiam, ſeu cognitionem aliquam accipimus per viſum, & per auditum (iſti (*c*) enim duo ſenſus maxime ſerviunt diſciplinæ:) ſed quia in nobis alius eſt viſus, alius auditus; ideo aliter accipimus ſcientiam per viſum, quia inveniendo; aliter per auditum, quia addiſcendo. In Filio vero Dei idem eſt auditus, & viſus; & ideo ſive dicatur Audit, ſive Vidit, idem ſignificat ſecundum acceptionem ſcientiæ. Et quia iudicium in qualibet natura intellectuali ex ſcientia procedit, ſignanter dicit: *Sicut audio, iudico*; ideſt, ſicut cognitionem ſimul cum eſſe a Patre accepi, ſic iudico. Infra xv. 15. *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*.

Manifeſtans vero iudicii æquitatem, dicit: *Et iudicium meum verum eſt*. Cuius ratio eſt, *quia non quæro voluntatem meam*.

Sed numquid non eſt eadem voluntas Patris, & Filii? Sed dicendum, quod eadem quidem voluntas eſt utriuſque; ſed tamen Pater non habet voluntatem ab alio, Filius vero habet ab alio, ſcilicet a Patre. Sic ergo Filius implet voluntatem ſuam ut alterius, ideſt ab alio habens; Pater vero ut ſuam, ideſt non habens ab alio: & ideo dicit: *Non quæro voluntatem meam*, quæ ſit mihi originaliter a me ipſo, ſed quæ eſt mihi ab alio, ſcilicet a Patre.

LECTIO VI.

(a) SI ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.

(b) Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.

(c) Et ſcio quia verum eſt teſtimonium eius quod perhibet de me.

(d) Vos miſiſtis ad Ioannem; & teſtimonium perhibuit veritati.

(e) Ego autem non ab homine teſtimonium accipio:

(f) Sed hæc dico, ut vos ſalvi ſitis. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.

(g) Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne.

(h) Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.

(i) Et

(a) Al. *Videte*. (b) *Al.* in bonum proprium in Chriſto, ſed per rectitudinem &c. (c) *Al.* deeſt enim.

Digitized by Google

(i) Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: neque vocem eius umquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis: & verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem miſit ille, huic vos non creditis.

(k) Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere; & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.

(a) POſita doctrina circa poteſtatem Filii vivificativam, hic cnnſequenter confirmat eam: & primo confirmat quæ de excellentia poteſtatis ſuæ dixerat, per multiplex teſtimonium; ſecundo redarguit eorum tarditatem ad credendum, ibi, *Claritatem ab hominibus non accipio &c.* Circa primum duo facit. Primo ponit neceſſitatem inducendi teſtimonium; ſecundo indueit ipſa teſtimonia, ibi, *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Neceſſitas teſtimonii inducendi erat ex parte Iudæorum, qui ei nnn credebant; & prnpter hoc dicit: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.*

Sed admirationis præbet materiam quod dicitur: nam ſicut Dominus de ſe, infra x. dicit, ipſe eſt veritas: quomodn ergo teſtimonium eius non eſt verum? Si veritas eſt, (*a*) cui credetur, ſi veritati non creditur? Et ideo dieendum, ſecundum Chryſoſtnmum, quod Dominus hic de ſe loquitur ſecundum aliorum npinionem, ut ſit ſenſus: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*, quantum ad veſtram reputationem, qui non accipitis illud quod de me dicn, niſi per aliud teſtimonium confirmetur. Infra VIII. 13. *Tu de teipſo teſtimonium dicis: teſtimonium tuum non eſt verum.*

(b) Conſequenter cum dicit: *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me*, inducit teſtimonia: & primn teſtimonium humanum; ſecundo teſtimonium divinum, ibi, *Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne*. Circa primum duo facit. Primo inducit teſtimonium Inannis; ſecundo rationem teſtimnnii aſſignat, ibi, *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio.* Circa primum duo facit. Primn inducit teſtimnnium; ſecundo commendat eius teſtimonium, ibi, *Scio quia verum eſt teſtimonium eius.* Teſtem inducit dicens: *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Iſte alius, ſecundum Chryſnſtnmum, eſt Ioannes Baptiſta, de quo dicitur ſupra I. 6. *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Ioannes: hic venit in teſtimonium ut teſtimonium perhiberet de lumine.*

(c) Teſtificationem (*b*) autem commendat cum dicit: *Et ſcio quia verum eſt teſtimonium eius.* Et hoc a duobus. Primo a veritate; ſecundo ab auctnritate: quia fuit ab eis requiſitum, ibi, *Vos miſiſtis ad Ioannem*. A veritate quidem cnmmendat eius teſtimonium, dicens: *Et ſcio*, ideſt prn certo experinr, *quia verum eſt teſtimonium eius*, ſcilicet Ioannis, *quod perhibet de me*. Sic enim pater eius Zacharias prophetavit de en, Luc. I. 6. „ Præibis enim „ ante faciem Domini parare vias eius. Ad „ dandam ſcientiam ſalutis plebi eius. “ Conſtat autem qund teſtimnnium mendax non eſt ſalutiferum, ſed mortiferum: quia mendacium eſt cauſa mortis. Sap. I. II. „ Os quod „ mentitur occidit animam. “ Si ergo teſtimonium Ioannis eſt ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, verum eſt teſtimonium eius. Sed ſecundum Glnſſam aliter. *Si teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Supra Chriſtus locutus eſt de ſe ſecundum quod Deus; hic vero loquitur ſecundum quod homo: & eſt ſenſus: (*c*) *Si ego*, homn, ſcilicet, *teſtimonium de me perhibeo*, ſcilicet abſque Deo, ideſt quod Deus Pater non perhibeat, tunc ſequitur quod *teſtimonium meum non eſt verum*: nam verbum humanum niſi a Deo fulciatur, nihil veritatis habet: ſecundum illud Rom. III. 4. „ Eſt autem Deus „ verax, omnis autem homn mendax. “ Unde ſi intelligamus Chriſtum ut hnminem a deitate ſeparatum, & ei non conformem; & in eſſentia eius mendacium invenitur, & in verbis. Infra VIII. 14. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum.* Infra (ibid. XVI.) *Quia ſolus non ſum; ſed ego, & qui miſit me Pater.* Et ideo quia non erat ſolus, ſed cum Patre, verum eſt teſtimonium eius. Unde ut nſtendat teſtimonium eius veritatem non habere ex eius humanitate ſecundum ſe, ſed inquantum eſt coniuncta divinitati, & Verbo Dei, dicit: *Sed alius eſt qui teſtimonium perhibet de me*: non Ioannes, ſed Pater, ſecundum iſtam expoſitionem: quia ſi teſtimnnium Chriſti hnminis de ſe nnn eſt verum, & efficax, multo minus eſſet efficax teſtimonium Ioannis. Non ergn certificatur teſtimonin Ioannis, ſed teſtimonio Patris: unde iſte alius qui teſtimonium perhibet, intelligitur Pater. *Et ſcio quia verum eſt teſtimonium eius*: nam ipſe veritas eſt. I. Ioan.

(a) *Al.* vel. (b) *Al.* enim. (c) *Al.* Si ergo homo ſcilicet teſtimonium de me perhibet, ſcilicet abſque Deo &c.

1\. 5. „ Deus lux eſt (ideſt veritas) & te„ nebræ (mendacii) in eo non ſunt ullæ. “ Sed prima expoſitio, quæ Chryſoſtomi eſt, magis eſt litteralis.

(d) Commendat etiam teſtimonium Ioannis ab auctoritate, quia fuit requiſitum a Iudæis, cum dicit: *Vos miſiſtis ad Ioannem*; quaſi diceret: Scio quia verum eſt teſtimonium eius: nec vos debetis illud repudiare, quia propter magnam auctoritatem qua erat apud vos Ioannes requiſiviſtis ab eo teſtimonium de me; quod non feciſſetis, ſi eum dignum fide non opinaremini. Supra 1. 19. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes, & levitas ad Ioannem*. Et Ioannes tunc *teſtimonium perhibuit*, non ſibi, ſed *veritati*, ideſt mihi. Sicut amicus veritatis veritati Chriſto teſtimonium perhibuit. Supra 1. 20. *Confeſſus eſt, & non negavit: confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus*.

(e) Conſequenter cum dicit, *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*, aſſignat rationem teſtimonii Ioannis inducti: & primo excludit rationem opinatam; ſecundo aſſerit veram, ibi, *Sed hoc dico ut vos ſalvi ſitis*. Ratio autem inducti teſtimonii poſſet ab aliquo credi eſſe certificatio de Chriſto, propter eius inſufficientiam; & ideo (*a*) hanc excludit dicens: *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*. Ubi ſciendum eſt, quod in ſcientiis aliquando probatur aliquid per minus notum ſecundum ſe, ſed magis notum quo ad nos; aliquando per aliquid magis notum ſecundum ſe, & ſimpliciter. Sicut in hoc loco debebat quidem probari quod Chriſtus eſſet Deus: & licet veritas Chriſti eſſet magis nota ſecundum ſe, & ſimpliciter, nihilominus tamen probatur teſtimonio Ioannis, quod quantum ad Iudæos magis notum erat. Et ideo Chriſtus ſecundum ſe teſtimonio Ioannis non indigebat: & hoc eſt quod dicit: *Teſtimonium ab homine non accipio*.

Sed contra hoc videtur: quia Eſa. xl. 10. „ Vos teſtes mei, dicit Dominus. “ Act. 1. 8. „ Eritis mihi teſtes in omni Iudæa & Sa„ maria, & uſque ad ultimum terræ. “ Quomodo ergo dicit (*b*) hic: *Teſtimonium ab homine non accipio*? Sed dicendum, quod hoc dupliciter poteſt intelligi. Uno modo ut ſit ſenſus: *Non accipio ab homine teſtimonium*, quaſi ſim illo tantum contentus, ſed habeo maius teſtimonium, ſcilicet divinum. I. Cor. IV. 3. „ Mi„ hi autem pro minimo eſt ut a vobis iudi„ cer. “ Hier. XVII. 10. „ Diem hominis (ideſt „ claritatem humanam) non deſideravi: tu „ ſcis. “ Alio modo. *Teſtimonium ab homine non accipio*, inquantum ſcilicet teſtificans eſt homo, ſed inquantum eſt illuſtratus a Deo ad teſtificandum. Supra 1. 6. *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Ioannes*. I. Theſ. II. 6. „ Non quærentes ab hominibus gloriam. “ Infra VIII. 50. *Ego gloriam meam non quæro*. Sic ergo accipio teſtimonium Ioannis, non inquantum fuit homo, ſed inquantum miſſus, & illuſtratus a Deo ad teſtificandum. Tertio modo, & melius. *Ego teſtimonium non accipio ab homine*; ideſt, teſtimonio humano quantum (*c*) ex me eſt, auctoritatem non accipio ab aliquo; ſed a Deo, qui demonſtrat me clarum.

(f) Conſequenter cum dicit, *Sed hæc dico ut vos ſalvi ſitis*, aſſerit rationem veram, quæ erat ipſorum ſalus: & primo ponit rationem; ſecundo exponit eam. Ratio vero inducti teſtimonii erat, ut Iudæi credentes Chriſto, teſtimonio Ioannis ſalvarentur: & ideo dicit: Non accipio teſtimonium Ioannis propter me, *ſed hæc dico ut ſalvi ſitis*. I. Tim. II. 4. „ Vult omnes homines ſalvos fieri. “ Et ibid. 1. 15. „ Chriſtus Ieſus venit in hunc mun„ dum peccatores ſalvos facere. “ Et exponit quod dicit, *Salvi ſitis*: quia ſcilicet induco teſtimonium a vobis acceptatum. Et ideo (*d*) cum dicit, *Ille erat lucerna ardens, & lucens*, ponit Ioannis acceptationem: & primo ponit quod Ioannes fuit teſtis ſecundum ſe acceptus; ſecundo quomodo fuit acceptatus apud eos, ibi, *Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius*. Quod autem Ioannes fuerit ſecundum ſe acceptus teſtis, oſtendit per tria quæ eum perficiebant. Primum pertinet ad conditionem naturæ; & hoc cum dicit, *Ille erat lucerna*; ſecundum pertinet ad perfectionem affectus, quia *ardens*; tertium ad perfectionem intellectus, quia *lucens*. Erat ergo in natura perfectus, quia *lucerna*; ideſt, illuſtratus gratia, & illuſtratus luce Verbi Dei. Differt enim lucerna a luce: nam lux eſt quæ per ſeipſam lucet, lucerna vero quæ non per ſe lucet, ſed per participationem lucet. Lux autem vera Chriſtus eſt, ut dicitur ſupra 1. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*. Ioannes autem lux non erat, ut ibidem dicitur, ſed lucerna, quia illuſtratus erat, *ut teſtimonium perhiberet de lumine*, ducendo ad Chriſtum: de qua lucerna dicitur in Pſal. CXXXI. 17. „ Paravi lucernam „ Chriſto meo. “ Sed erat in affectu ardens & fervens: unde dicit, *Ardens*: nam aliqui ſunt lucernæ ſolum quantum ad officium, ſed quantum ad affectum ſunt extinctæ: nam ſicut lucerna lucere non poteſt niſi igne accendatur,

(a) Al. *omittitur* hanc. (b) *Al.* hoc. (c) *Al.* ad me. (d) *Al. deeſt* cum.

datur, ita lucerna ſpiritualis non lucet niſi priusardeat, & inflammetur igne caritatis. Et ideo ardor præmittitur illuſtrationi, quia per ardorem caritatis datur cognitio veritatis. Infra XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit; & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Infra XV. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Eccli. II. 20. „ Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra. “ Nam ignis duo habet, ſcilicet quod ardet, & ſplendet. Ardor autem ignis ſignificat dilectionem propter tria. Primo quidem quia ignis inter omnia corpora eſt magis activus: ſic & ardor caritatis, intantum quod nihil eius impetum ferre poteſt, ſecundum illud II. Cor. V. 14. „ Caritas Chriſti urget nos. “ Secundo quia ſicut ignis per hoc quod eſt maxime ſenſitivus, facit multum æſtuare, ita & caritas æſtum cauſat quouſque homo conſequatur intentum. Cant. ult. 6. „ Lampades eius lampades ignis, atque flammarum. “ Tertio ſicut ignis eſt ſurſum ductivus, ita & caritas, intantum quod coniungit nos Deo. I. Ioan. IV. 16. „ Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. “ Erat etiam intellectu lucens. Primo quidem per veritatis cognitionem interius. Eſa. LVIII. 11. „ Implebit ſplendoribus; “ ideſt, ſplendere faciet. Secundo per prædicationem exterius. Phil. II. 15. „ Inter quos lucetis tamquam luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. “ Tertio per bonorum operum manifeſtationem. Matth. V. 16. „ Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona. “ Quia ergo ſic Ioannes acceptabilis erat ſecundum ſe, quia erat lucerna non extincta, ſed ardens, non tenebra, ſed lucens; dignus eſt quod & apud vos acceptaretur: quod quidem ita fuit, quia *vos voluiſtis exultare ad horam in luce eius*. Et congrue exultationem luci adiungit: quia in illo homo exultat in quo maxime delectatur; nihil autem eſt in rebus corporalibus delectabilius luce, ſecundum illud Eccle. XI. 27. „ Delectabile eſt oculis videre ſolem. “ Dicit autem, *Voluiſtis exultare*, quieſcendo, & ponendo in eo finem, credendo eum Chriſtum; ſed tamen ad horam, quia in hoc fuiſtis inſtabiles: nam videntes Ioannem homines ad alium, non ad ſe ducere, averſi eſtis ab eo. Unde dicitur Matth. XXI. quod Iudæi non crediderunt in Ioannem: ſunt enim de illis de quibus dicitur Matth. XIII. quia ad tempus credunt.

(g) Conſequenter cum dicit, *Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne*, ponit teſtimonium divinum: & primo inducit eius magnitudinem; ſecundo proſequitur de ipſo, ibi, *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea &c.* Dicit ergo primo: Dico quod ego quantum eſt (a) ex me, non accipio ab homine teſtimonium, ſed propter vos: nam *ego habeo teſtimonium maius Ioanne*, ſcilicet Dei, quod eſt maius teſtimonium quam Ioannis. I. Ioan. ult. 9. „ Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt. “ Maius, inquam, propter maiorem auctoritatem, maiorem cognitionem, & infallibiliorem veritatem: nam Deus mentiri non poteſt. „ Non eſt Deus (b) ut homo, ut mentiatur: “ Num. XXIII. 19.

(h) Teſtimonium autem proſequitur cum dicit: *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea &c.* Tripliciter autem teſtificatus eſt Deus de Chriſto, ſcilicet per opera, per ſeipſum, & per Scripturas: & ideo primo ponit modum teſtificandi quantum ad opera miraculorum; ſecundo modum teſtificandi per ſeipſum, ibi, *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit*; tertio per Scripturas, ibi, *Scrutamini Scripturas &c.* Dixit ergo primo: Habeo aliud teſtimonium maius Ioanne; & hoc quantum ad opera, quia opera miraculorum *quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea*. Sciendum eſt enim, quod naturale eſt homini virtutem, & naturas rerum ex earum actionibus cognoſcere: & ideo convenienter Dominus per opera quæ ipſe facit, dicit ſe poſſe cognoſci qualis ſit. Cum ergo ipſe propria virtute divina faceret, credendum erat, in eo eſſe virtutem divinam. Infra XV. 24. *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, ſcilicet infidelitatis. Et ideo ad ſui cognitionem per opera ſua ducit, dicens: *Opera quæ dedit mihi*, in Verbo, *Pater*, per æternam generationem dando mihi virtutem ſibi æqualem. Vel *dedit mihi*, in conceptione, dando ut ſim una perſona Dei, & hominis, *ut perficiam ea*; ideſt, ut propria virtute faciam: quod dicit ad differentiam aliorum, qui miracula faciunt non propria virtute, ſed impetrando a Deo. Unde Petrus dicebat Act. III. 6. „ In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge. “ Et ideo ipſi non perficiunt, ſed Deus; Chriſtus vero propria virtute ea perficiebat. Infra XI. 43. *Lazare veni foras*. Et ideo *opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me*. Infra X. *Si mihi non creditis, ſaltem operibus credite*. Quod autem opera miraculorum ſint teſtimonia Dei, dicitur

(a) *Al.* de me. (b) *Al.* ut homo mentiatur.

tur Marc. ult. 20. „ Domino cooperante, & „ ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. “

(i) Conſequenter cum dicit, *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*, ponit ſecundum modum teſtificandi per ipſum Deum: & primo ponit ipſum modum; ſecundo oſtendit eos huiuſmodi non eſſe capaces, ibi, *Neque vocem eius umquam audiſtis &c.* Dicit ergo: Non ſolum opera quæ dedit mihi Pater, teſtimonium perhibent de me, ſed ipſe *qui miſit me Pater, teſtimonium* (a) *perhibuit de me*, in Iordane, quando fuit baptizatus, ut habetur Matth. IV. 5. & in monte quando transfiguratus eſt, ut dicitur Matth. XVII. utrobique enim vox Patris audita eſt: „ Hic eſt Filius meus dilectus. “ Et ideo credendum eſt ei, ſicut vero & naturali Filio Dei. I. Ioan. ult. 9. „ Hoc teſtimonium „ Dei, quod maius eſt, quia teſtificatus eſt „ de Filio ſuo. “ Et ſic qui non credit eum eſſe Filium Dei, non credit Dei teſtimonio.

Sed poſſet aliquis dicere, quod Deus etiam aliis teſtimonium perhibuit per ſeipſum, ſicut Moyſi in monte, cum quo locutus eſt, cunctis audientibus; teſtimonium vero numquam audivimus: & ideo dicit Dominus, quod *neque vocem eius umquam audiſtis &c.* Sed contra Deut. IV. 33. dicitur: „ Si factum eſt „ aliquando res huiuſcemodi, ut audiret po„ pulus vocem Domini Dei loquentis de me„ dio ignis, ſicut tu audiſti, & vidiſti. “ Quid eſt ergo quod nunc dicit Chriſtus: *Neque vocem eius umquam audiſtis*?

Reſpondeo, ſecundum Chryſoſtomum, quod Dominus eos in philoſophica conſideratione conſtituens, vult oſtendere, quod Deus teſtificatur alicui dupliciter, ſcilicet ſenſibiliter, & intelligibiliter. Senſibiliter quidem, ſicut per vocem ſenſibilem tantum; & hoc modo teſtificatus fuit Moyſi in monte Sinai. Deuteron. IV. 12. „ Vocem eius audiſtis, & „ formam penitus non vidiſtis. “ Item per ſenſibilem ſpeciem, ſicut apparuit Abrahæ Gen. XXVI. & Eſa. VI. 1. „ Vidi Dominum „ ſedentem ſupra ſolium excelſum, & eleva„ tum. “ Sed tamen in iſtis viſionibus nec vox corporalis, nec figura Dei eſt ſicut cuiuſdam animalis, ſed effective, inquantum a Deo formatur: nam cum Deus ſit ſpiritus, neque vocem ſenſibilem de ſe emittit, nec figurari poteſt. Intelligibiliter autem teſtificatur inſpirando in cordibus aliquorum quod credere debeant, & tenere. Pſal. LXXXIV. 9. „ Audiam quid loquatur in me Dominus „ Deus. “ Oſeæ II. 14. „ Ducam eam in „ ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius. “ Primo ergo teſtificationis capaces fuiſtis: nec mirum, quia non fuerunt Dei niſi effective, ut dictum eſt, voces illæ, & ſpecies. Sed (b) non intelligibilis illius vocis: *Neque vocem eius umquam audiſtis &c.* ideſt participes eius non fuiſtis. Infra VI. 45. *Omnis qui audit a Patre, & didicit, venit ad me*; ſed vos non venitis ad me: ergo *non audiſtis vocem eius, nec vidiſtis ſpeciem eius*; ideſt, non habuiſtis iſtud teſtimonium intelligibile: & ideo ſubdit: *Et verbum eius non habetis in vobis manens*; ideſt, non habetis verbum interius inſpiratum. Et hæc ratio eſt, *quia quem miſit ille*, ideſt Pater, *huic vos non creditis*. Verbum enim Dei ducit ad Chriſtum: nam ipſe Chriſtus eſt naturale Dei Verbum. Omne autem verbum a Deo inſpiratum, eſt quædam participata ſimilitudo illius. Cum ergo omnis ſimilitudo participata ducat in ſuum principium, manifeſtum eſt quod omne verbum inſpiratum a Deo ducit ad Chriſtum. Et ideo quia vos non ducimini ad me, non *habetis verbum* Dei, inſpiratum, *in vobis manens*. (c) Infra ult. *Qui non credit in Filium Dei, non habet vitam in ſe manentem*. Et dicit, *Manens*, quia cum nullus ſit quin aliquam veritatem habeat a Deo, illi tantum habent veritatem, & verbum in ipſis manens, quibus intantum cognitio proficit ut perducantur ad veri & naturalis Verbi cognitionem. Vel per hoc quod dicit, *Neque vocem eius umquam audiſtis*, oſtenditur triplex modus quo a Deo aliquid revelatur alicui. Quia vel per vocem ſenſibilem, & ſic teſtificatus eſt Chriſto in Iordane, & in monte, ut dictum eſt II. Pet. I. 16. „ Spe„ culatores facti illius magnitudinis, voce la„ pſa de cælo a magnifica gloria. “ Et hanc Iudæi non audierunt. Vel per viſionem ſuæ eſſentiæ; & hanc revelat beatis; & hanc ſpeciem ipſi non viderunt: quia II. Corith. V. 6. „ Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur „ a Domino &c. “ Vel per interius verbum inſpirando; & hoc etiam ipſi non habebant.

(k) Conſequenter cum dicit, *Scrutamini Scripturas*, ponit tertium modum, quo Deus teſtificatus eſt Chriſto per Scripturas: & primo inducit Scripturarum teſtimonium; ſecundo oſtendit eos fructu huius teſtimonii non eſſe capaces, ibi, *Et non vultis venire ad me &c.* Dicit ergo: *Scrutamini Scripturas*; quaſi dicat: Vos non habetis verbum Dei in cordibus veſtris, ſed in Scripturis; & ideo oportet vos illud alibi quærere: & ideo *ſcrutamini Scripturas*, ſcilicet veteris teſtamenti: nam

(a) *Al. perhibet.* (b) *Al. emittitur non.* (c) Ioan. VI. 47. *Qui credit in me, habet vitam æternam.*

nam fides Chriſti in veteri teſtamento continebatur, ſed non in ſuperficie, quia in profundo obumbrata figura latebat. II. Corinth. III. 15. „ Uſque in hodiernum diem ipſum „ velamen habentes. “ Et ideo ſignanter dicit, *Scrutamini*; quaſi, in profundum quæratis. Prov. 31. 4. „ Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, „ tunc intelliges timorem Domini, & ſcien„ tiam Dei invenies. “ Pſal. CXVIII. 69. „ Da mihi intellectum, & ſcrutabor man„ data tua. “ Ratio autem ſcrutinii ex (*a*) veſtra opinione ſumitur: *Quia putatis in eis*, ſcilicet Scripturis, *vitam æternam habere*: ex hoc quod dicitur Ezech. XVIII. 19. „ Qui fe„ cerit iudicia mea, vita vivet. “ Sed eſtis decepti: quia licet præcepta veteris legis vitalia ſint, non tamen vitam habent in ſeipſis; ſed intantum dicuntur vitalia inquantum ducunt ad me Chriſtum; cum tamen vos utamini eis tamquam in ſe vitam habentibus: quod decipit vos: nam *illæ*, ſcilicet Scripturæ, *ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*; ideſt, intantum vitalia ſunt inquantum ad meam cognitionem ducunt, (*b*) vel apertis Prophetiis, ſicut Eſa. VII. 14. „ Ecce virgo conci„ piet: “ & iterum Deut. XVIII. 15. „ Pro„ phetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus &c. “ unde dicitur Actor. X. 43. „ Huic omnes Pro„ phetæ teſtimonium perhibent: “ vel operationibus Prophetarum myſticis: unde dicitur Oſeæ XII. 10. „ In manibus Prophetarum „ aſſimilatus ſum: “ vel in ſacramentis, & figuris; ſicut eſt immolatio agni, & alia figuralia ſacramenta legis. Hebr. X. 1. „ Um„ bram habens lex futurorum bonorum &c. “ Et ideo, quia Scripturæ veteris teſtamenti multipliciter teſtimonium perhibent de Chriſto, dicit Apoſtolus, Rom. I. 2. „ Quod ante „ promiſerat per Prophetas, in Scripturis „ ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſe„ mine David ſecundum carnem. “ Sed fructum quem in Scripturis putatis habere, ſcilicet vitam æternam, conſequi non poteritis, quia teſtimoniis Scripturæ de me non credentes, *non vultis venire ad me*; ideſt, non vultis credere mihi, (*c*) in quem eſt fructus illarum Scripturarum, ut in me *vitam habeatis*, quam ego do credentibus in me. Infra X. 28. *Ego vitam æternam do eis*. Eccli. IV. 12. „ Sapien„ tia filiis ſuis vitam inſpirat. “ Prov. VIII. 35. „ Qui me invenerit, inveniet vitam, & „ hauriet ſalutem a Domino. “

LECTIO VII.

(a) CLaritatem ab hominibus non accipio; ſed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

(b) Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me.

(c) Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.

(d) Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt non quæritis?

(e) Nolite putare quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem: eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis.

(f) Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.

(g) Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?

(a) POſtquam Deus excellentiam ſuæ poteſtatis confirmavit teſtimoniis hominum, Dei, & Scripturarum, hic conſequenter eorum tarditatem ad credendum redarguit. Duplici autem occaſione Iudæi perſequebantur Chriſtum: propter ſolutionem ſabbati, in quo videbatur contrarius legi; & quia dicebat ſe Dei Filium, in quo videbatur contrarius Deo: unde propter reverentiam quam habebant ad Deum, & propter zelum quem habebant ad legem Moyſi, (*d*) perſequebantur. Et ideo Dominus intendit oſtendere quod non propter hoc eum perſequebantur, ſed propter contrarium. Unde primo oſtendit, irreverentiam ipſorum ad Deum eſſe cauſam incredulitatis ipſorum; ſecundo quod irreverentia quam habebant ad Moyſen, fuit cauſa incredulitatis ipſorum, ibi, *Nolite putare quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem*. Circa primum duo facit. Primo ponit irreverentiam ipſorum ad Deum; ſecundo oſtendit quod hoc ſit cauſa incredulitatis ipſorum, ibi, *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Circa primum duo facit. Primo proponit eorum indevotionem ad Deum; ſecundo manifeſtat eam per ſignum,

(a) *Al.* noſtra. (b) *Al.* ut vel. (c) *Al.* in quem eſt fructus illarum Scripturarum, & in quem, ut in me &c. (d) *Al. deeſt* perſequebantur.

Digitized by Google

gnum, ibi, *Ego veni in nomine Patris mei*. Circa primum duo ſacit. Primo excludit intentionem (*a*) opinatam, quæ ex verbis præmiſſis accipi poſſet; ſecundo aſſerit (*b*) veram, ibi, *Sed cognovi vos &c.* Intentio opinata eſt, quod quia Dominus ſupra (*c*) commemoraverat tot teſtimonia de ſeipſo, ſcilicet Ioannis, Dei, & operum ſuorum, & Scripturarum; poſſet opinari a Iudæis quod hoc fecerit quaſi quærens humanam gloriam. Contra hoc dicit: *Claritatem ab hominibus non accipio*; ideſt, laudem humana non quæro. Non enim veni ut exemplum darem quærendi gloriam (*d*) hominum. I. Theſ. II. 6. „ Neque quærentes ab hominibus gloriam: Deus „ teſtis eſt. “ Vel *claritatem ab hominibus non accipio*; ideſt, claritate humana non indigeo: quia ab æterno claritatem habeo apud Patrem. Inſra XVII. 5. *Clarifica me Pater claritate quam habui antequam mundus fieret*. Non enim veni clarificari ab hominibus; ſed potius eos clarificare, cum a me omnis claritas procedat, Sap. VII. Habeo per hanc ſapientiam claritatem. Dicitur autem Deus clarificari, & glorificari ab hominibus, ſecundum illud Eccli. XLIII. 32. „ Glorificantes Deum quantumcumque poteſtis, præ„ valebit adhuc: “ non ut ipſe propter hoc glorioſior fiat, ſed inquantum glorioſus appareat in nobis. Non eſt ergo hæc cauſa propoſitorum teſtimoniorum; ſed alia eſt: quia *cognovi*, ideſt cognoſcere feci, *quia non habetis dilectionem Dei in vobis*, quam habere vos fingitis: unde non propter Dei amorem me perſequimini: nam tunc propter Deum me (*e*) perſequeremini, ſi Deus, & Scriptura non (*f*) mihi teſtimonium perhiberent; ſed ipſe Deus mihi teſtatur (*g*) & per opera, & per Scripturas, & per ſeipſum, ut dictum eſt: & ideo ſi Deum amaretis, oporteret ut ſicut me abiicitis, ita ad me veniretis. Non ergo diligitis Deum. Vel aliter. *Sed cognovi vos*; quaſi dicat: Non induxi huiuſmodi teſtimonia, indigens veſtra clarificatione; ſed ſcio, & condoleo vobis errantibus, qui non diligitis Deum, & volo vos reducere ad viam veritatis. Infra XV. 24. *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem*. Pſal LXXIII. 23. „ Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſem„ per. “

Sed ſciendum, quod Deus in ſeipſo a nullo poteſt haberi odio, nec ſecundum omnes effectus ſuos; cum omne bonum quod eſt in rebus, ſit a Deo, & impoſſibile ſit quod aliquis habeat odium omnis boni, quin ad minus eſſe, & vivere diligat. Sed tamen aliquem (*h*) effectum Dei odio aliquis habet, inquantum ſuo appetitui contrariatur, ut pœnam, vel aliquid huiuſmodi. Et ſecundum hoc, dicitur habere Deum odio.

(b) Signum autem quod dilectionem Dei non habent, ponit cum dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me*: & primo ponit unum ſignum de præſenti; ſecundo aliud de futuro, ibi, *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*. Signum de præſenti ſumitur ex eius adventu; & ideo dicit: *Ego veni in nomine Patris mei*; quaſi diceret: Manifeſte apparet quod dico: nam ſi aliquis diligit Dominum ſuum, manifeſtum eſt quod honorat, & recipit eum qui venit ex parte ſua, & honorem eius quærit; ſed *ego veni in nomine Patris mei*, manifeſtando nomen eius mundo: inſra XVII. 6. „ Pater „ manifeſtavi nomen tuum hominibus quos „ dediſti mihi: “ *& vos non accepiſtis me*: ergo non diligitis eum. Dicitur autem Filius manifeſtare Patrem ſuum hominibus, quia licet Pater inquantum Deus, notus eſſet, ſecundum illud Pſal. LXXV. 2. „ Notus in Iudæa „ Deus; “ tamen inquantum eſt naturalis Pater Filii, non erat notus ante adventum Chriſti: & ideo Salomon quærebat, Prov. XXX. 4. „ Quod nomen eius, & quod nomen Filii „ eius noſti? “

(c) Signum de futuro ſumitur ex adventu Antichriſti. Poſſent autem Iudæi dicere: Licet tu venias in nomine eius, ideo tamen non te recepimus, quia nullum volumus recipere niſi ipſum Deum Patrem. Sed contra hoc dicit Dominus, quod hoc non poteſt eſſe, quia vos recipietis alium, qui non veniet in nomine Patris, ſed in nomine ſui ipſius; &, quod plus eſt, veniet *in nomine*, non Patris, ſed *ſuo*: quia non quæret gloriam Patris, ſed ſuam propriam; nec Patri attribuet quæ faciet, ſed ſibi. II. Theſſal. II. 4. „ Qui „ adverſatur, & extollitur ſupra omne quod „ dicitur, aut quod colitur Deus. “ Et *illum accipietis*: unde ibidem ſubditur (verſ. II.) „ Mittet Deus illis operationem erro„ ris, ut credant mendacio. “ Et hoc ideo, quia doctrinam veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent: unde dicit Gloſſa: „ Quia Iu„ dæi noluerunt accipere Chriſtum, pœna „ peccati huius congrue erit ut recipiant An„ tichriſtum, ut qui noluerunt credere ve„ ritati, credant mendacio. “ Sed ſecundum Auguſtinum, poteſt hoc intelligi de hæreticis, & falſis doctoribus, qui doctrinam ex corde ſuo proferunt; & non ex ore Dei; qui nomen ſuum laudant, & nomen Dei conte-

(a) *Al.* oppoſitam; *& ſic infra*. (b) *Al.* naturam. (c) *Al.* commemorabat. (d) *Al.* homini. (e) *Al.* perſequi videmini. (f) *Al. omittitur* mihi. (g) *Al.* & opera. (h) *Al.* defectum.

temnunt: de quibus dicitur I. Ioan. II. 18. „ Audiſtis quia Antichriſtus venit; & nunc „ Antichriſti multi facti ſunt. “ Manifeſtum eſt ergo quod perſecutio qua me perſequimini, non eſt ex dilectione Dei, ſed ex odio, & livore ad eum procedit: & ex hoc eorum incredulitas cauſabatur.

(d) Et ideo concludit: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam abinvicem accipitis? ideſt* gloriam humanam, & eam *quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis?* quæ eſt vera gloria. Ideo autem credere non poterant in Chriſtum, quia cum ſuperba mens eorum gloriam & laudem *(a)* appeteret, ſe ſuper alios efferri reputabant in gloriam, & dedecus in Chriſtum credere qui abiectus videbatur & pauper; & ideo ei credere non poterant. Sed ille in eum credere poteſt qui cor habens humile, ſolius Dei gloriam quærit, & ei placere appetit. Et ideo, ſicut infra XII. 42. dicitur, *multi ex principibus crediderunt in eum; ſed propter phariſæos non confitebantur, ut de ſynagoga non eiicerentur*. Ex quo apparet quod multum periculoſa eſt inanis gloria. Unde dicit Tullius: „ Cavenda eſt homini gloria, quæ aufert omnem libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. “ Et ideo dicit Gloſſa: „ Magnum vitium eſt iactantia, „ & humanæ laudis ambitio, quæ de ſe vult „ æſtimari quæ de ſe non habet. “

(e) Conſequenter cum dicit, *Nolite putare quia ego accuſaturus ſum vos*, oſtendit quod non habent zelum ad Moyſen: & primo oſtendit quomodo Moyſes erat eis contrarius; ſecundo rationem contrarietatis aſſignat, ibi, *Si enim (b) crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi*. Circa primum duo facit. Primo removet opinatum zelum; ſecundo aſſerit verum, ibi, *Eſt qui accuſat vos Moyſes*. Quantum ad primum dicit: *Nolite putare quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem*. Cuius quidem dicti eſt triplex ratio. Una quod Filius Dei non venit in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſalvet; & ideo dicit: *Nolite putare*, quod venerim ad condemnandum, ſed ad liberandum. Supra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum*, ideſt ut condemnet mundum; *ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*. Et ideo ſanguis Chriſti non clamat accuſationem, ſed remiſſionem. Hebr. XII. 24. „ Habemus ſanguinem Chriſti melius clamantem quam Abel, “ qui clamat accuſando. Rom. VIII. 33. „ Quis „ accuſabit adverſus electos Dei? Chriſtus eſt „ qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Secundo modo. *Nolite putare, quod ego accuſaturus ſum vos apud Patrem*: quia non ero accuſator, ſed iudex. Supra eodem: *Pater omne iudicium dedit Filio*. Tertio modo. *Nolite putare quod ego*, tantum ſcilicet, *accuſaturus ſum vos apud Patrem*, de hoc quod facitis mihi; ſed etiam Moyſes accuſabit vos de hoc quod non creditis ei in his quæ de me dixit: & ideo ſubdit: *Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo ſperatis*: quia creditis per præcepta eius ſalvari. Accuſat autem eos Moyſes dupliciter. Materialiter, quia ex hoc quod prætergreſſi ſunt mandata eius, ſunt accuſandi. Rom. II. 12. „ Quicumque in lege peccaverunt per le- „ gem iudicabuntur. “ Item accuſat eos, quia Moyſes, & alii ſancti poteſtatem habebunt in iudicio. Pſal. XLIX. 6. „ Gladii ancipi- „ tes in manibus eorum &c. “

(f) Rationem contrarietatis ponit dicens: *Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi*: ut patet Deut. XVIII. 15. „ Prophetam ſu- „ ſcitabit Deus de gente tua, & de fratribus „ tuis ſicut me: ipſum audies: “ & in omnibus ſacrificiis, quæ erant figura Chriſti. Et dicit, *Forſitan*, ad deſignandum voluntatem liberi arbitrii, non quod in Deo ſit aliquod dubium.

(g) Conſequenter cum dicit, *Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* ponit ſignum huius contrarietatis ſumptum a maiori, negando per comparationem ad duo. Primo perſonæ ad perſonam: licet enim Chriſtus ſimpliciter maior eſſet Moyſe, tamen in reputatione Iudæorum Moyſes erat maior: & ideo dicit: Si non creditis Moyſi, nec mihi credetis. Secundo per comparationem ad modum tradendi: quia Moyſes præcepta dedit in ſcriptis, quæ poſſunt diutius meditari, nec tradi oblivioni de facili: & ideo magis obligant ad credendum. Chriſtus vero tradidit verbis; & quantum ad hoc dicit: *Si non creditis litteris illius*, quarum libros apud vos habetis, *quomodo credetis verbis meis?*

(a) Al. appareret. *Item* appeterent, ideſt ſe ſuper alios &c. (b) Al. *credideritis*.

CAPITIS SEXTI

LECTIO I.

(a) POſt hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis. Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur.

(b) Subiit ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.

(c) Erat autem proximum paſcha, dies feſtus Iudæorum.

(d) Cum ſublevaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.

(e) Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Dixit ei unus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?

(f) Dixit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere. Erat autem fenum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque millia.

(g) Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.

(h) Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant.

(i) Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant.

(a) POſita doctrina de vita ſpirituali qua Chriſtus regeneratos vivificat, conſequenter Evangeliſta agit de ſpirituali nutrimento quo Chriſtus vivificatos ſuſtentat: & primo ponit viſibile miraculum, quod fecit Chriſtus exhibendo nutrimentum corporale; ſecundo agit de nutrimento ſpirituali, ibi, *Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Amen amen dico vobis, quaritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*. Circa primum duo facit. Primo ponit miraculum viſibile de nutrimento corporali; ſecundo oſtendit effectum miraculi, ibi, *Illi ergo homines cum vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant, quia hic eſt vere Propheta*. Circa miraculum duo ponit, ſcilicet eius circumſtantias, & eius patrationem, ibi, *Et cum ſublevaſſet oculos Ieſus*. Circa primum tria facit. Primo deſcribit multitudinem quam pavit; ſecundo determinat locum ubi (*a*) pavit, ibi, *Subiit ergo in montem Ieſus*; tertio tempus quando pavit, ibi, *Erat autem proximum paſcha &c.* Circa primum tria facit. Primo determinat locum quo multitudo eum ſequitur; ſecundo turbam ſequentem; tertio cauſam ſequelæ aſſignat. Quo autem turba Dominum ſequeretur, inſinuat Evangeliſta cum dicit: *Poſt hac abiit Ieſus trans mare Galilaa*; ideſt, poſt myſtica verba quæ Dominus de ſua poteſtate dixerat. Mare autem iſtud Galilææ frequenter in Scriptura, & in diverſis locis nominatur, (*b*) Quia autem iſtud mare non eſt ſalſum, ſed eſt quædam congregatio aquarum ex influxu Iordanis, ideo a Luca dicitur ſtagnum, ut habetur Luc. v. quia vero ſecundum proprietatem Hebraici idiomatis, omnes congregationes aquarum vocantur maria, ſecundum illud Gen. 1. 10. „ Congregationeſque aquarum appellavit maria: “ ideo dicitur mare. Sed Geneſareth cognominatur a natura loci: nam multum fluctuat ex reverberatione ventorum, qui ex ipſis aquæ reſolutionibus generantur: (*c*) unde Geneſareth in Græco, idem eſt quod auram generans. Denominatur etiam Galilææ a Galilæa provincia, in qua eſt. Tiberiadis vero a civitate ſic dicta, quæ erat ex una parte ipſius maris, ex oppoſito habens civitatem Capharnaum ex alia parte, quæ prius vocabatur Zenereth, ſed poſtea ab Herode Tetrarcha inſtaurata in honorem Tiberii Cæſaris, Tiberias appellata fuit.

Ratio

(a) *Al.* paravit; *ſic etiam infra*. (b) *Al.* Quia enim iſtud. *Item*: Quia iſtud. (c) *Al. deeſt* unde.

Ratio autem litteralis quare Ieſus abiit trans mare, aſſignatur a Chryſoſtomo, ut Chriſtus cederet furori, & turbationi Iudæorum, quam conceperant contra Chriſtum propter ea quæ de ſe ſupra dixerat: unde, ut ipſe dicit, ſicut iacula cum in durum aliquod incidunt, gravius feriunt, quæ autem non habuerint aliquod (*a*) obvians, diſſolvuntur cito immiſſa, & quieſcunt; ita & ſi cum audacibus hominibus impetuoſe, & reſiſtendo inceſſerimus, ſæviunt magis; ſi autem eis ceſſerimus, facile mollimus eorum inſaniam. Propterea Chriſtus furorem Iudæorum ex præmiſſis ſermonibus natum, ſecedendo trans mare, mitigavit; dans nobis in hoc exemplum ſimile faciendi. Eccli. VIII. 14. „ Ne ſtes con- „ tra faciem contumelioſi. “ Myſtice autem per mare, præſens ſæculum turbidum deſignatur. Pſal. CIII. 25. „ Hoc mare magnum, „ & ſpatioſum manibus. “ Hoc mare tranſiit Dominus quando mare mortalitatis, & pœnalitatis aſſumpſit naſcendo, calcavit moriendo, & tranſiens reſurgendo in gloriam reſurrectionis pervenit. De iſto (*b*) tranſitu dicitur infra XIII. 1. *Sciens Ieſus quia venit hora eius ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*. Eum tranſeuntem ſecutæ ſunt, credendo, & imitando, turbæ multæ, ex utroque populo collectæ. Eſa. IX. 5. „ Tunc mirabitur, & dila- „ tabitur cor tuum, quando converſa fuerit „ ad te multitudo maris. “ Pſal. VII. 7. „ Ex- „ urge Domine in præcepto quod manda- „ ſti, & ſynagoga populorum circumdabit „ te. “ Deſcribitur ergo turba ſequens copioſa: quia *ſequebatur eum multitudo magna*. Cauſa autem propter quam ſequebatur, eſt operatio miraculorum: unde dicit: *Quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur*. Sciendum eſt, quod quidam ſequebantur eum propter doctrinam eius, qui ſcilicet melius erant diſpoſiti; alii vero imperfectiores ſequebantur eum propter admirationem ſignorum viſibilium, groſſioris mentis exiſtentes. „ Signa enim (ut dicitur I. Corinth. „ XIV. 22.) non ſunt data fidelibus, ſed infi- „ delibus. “ Aliqui etiam propter devotionem, & fidem eum ſequebantur, ſcilicet illi quos corpore ſanaverat: ſic enim a Domino ſanabantur in corpore ut etiam perfecte ſanarentur in anima. Deut. XXXII. 4. „ Dei „ perfecta ſunt opera. “ Et hoc patet, quia paralytico (ſupra VIII. 11.) ſignanter dixit: *Vade, & amplius noli peccare*: & Matth. IX. 2. „ Fili remittuntur tibi peccata: “ quæ magis ad ſanitatem animæ pertinent quam corporis.

Notandum autem quod cum Evangeliſta non fecerit mentionem, niſi de tribus miraculis, ſcilicet de nuptiis, de filio reguli, & paralytico, hic tamen indeterminate dicit, *Signa quæ faciebat*, ut det intelligere, quia Chriſtus multa alia ſigna fecit, ut dicitur infra ult. de quibus in hoc libro mentionem non facit. Intendebat enim ſpecialiter ad manifeſtandum Chriſti doctrinam.

(b) Conſequenter determinat locum miraculi, qui eſt mons: unde dicit: *Subiit ergo in montem*, ideſt latenter aſcendit, *Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis*. Et quidem mons ſatis eſt congruus locus refectioni: per montem enim ſignatur perfectio iuſtitiæ, ſecundum illud Pſal. XXXV. 7. „ Iuſtitia tua ſicut „ montes Dei. “ Quia ergo hæc terrena non ſatiant; immo *qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum*, ut dicitur ſupra II. 13. ſpiritualia vero ſatiant; ideo Dominus ad altiora cum diſcipulis aſcendit, ut oſtendat in ſpiritualibus ſatietatem, & perfectionem iuſtitiæ inveniri: de quo monte dicitur in Pſal. LXVII. 16. „ Mons Dei, mons pinguis. “ Unde & ibi doctoris exercebat officium, ſedens cum diſcipulis ſuis: ipſe enim eſt qui docet omnem hominem ſcientiam.

(c) Conſequenter deſcribitur tempus cum dicit: *Erat autem proximum paſcha*: quod quidem tempus congruit refectioni: paſcha enim interpretatur tranſitus: Exod. XII. 11. „ Eſt enim pha- „ ſe, ideſt tranſitus Domini: “ ut det intelligere quod quiſquis pane divini verbi, & corpore, & ſanguine Domini deſiderat refici, debet tranſire de vitiis ad virtutes. I. Corinth. V. 7. „ Paſcha noſtrum immolatus eſt „ Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſince- „ ritatis, & veritatis. “ Eccli. XXIV. 26. dicit divina Sapientia: „ Tranſite ad me omnes qui „ concupiſcitis me. “ Hoc autem eſt ſecundum paſcha, de quo Evangeliſta mentionem facit: ad quod quidem, iuxta legis præceptum, quod habetur Exod. XXIII. Dominus non aſcendit in Hieruſalem. Cuius ratio eſt, quia Chriſtus Deus erat & homo, & inquantum homo ſuberat quidem legi, inquantum Deus ſupra legem erat. Ut ergo ſe hominem oſtenderet, ſervabat aliquando legem; ut vero Deum, legem ſolvebat. Unde & per hoc quod non ivit, dedit intelligere quod paulatim, & in brevi legalia ceſſarent.

(d) Conſequenter agit de patratione miraculi, cum dicit: *Cum ſublevaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet &c.* Et primo oſtenditur neceſſitas patrandi miraculi; ſecundo ſubditur ipſa patratio, ibi, *Dicit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere &c.* Neceſſitas autem mira-

(a) *Al.* obviam. (b) *Al.* tranſire.

culi fiendi ſumitur cx interrogatione Dnmini, & reſponſione diſcipulnrum: & ideo primo ponitur Dnmini interrogatio; ſecundo diſcipnlnrum reſponſio, ibi, *Reſpondit ei Philippus &c.* Circa primnm tria facit. Primo ponitur interrogandi occaſin; ſecundo ſubditur Chriſti interrogatio; & tertio aperitur interrogantis intentio. Occaſio autem interrogandi fuit viſio multitudinis ad Chriſtum venientis; & ideo dicit: *Cum ſublevaſſet oculos Ieſus*, exiſtens in monte cum diſcipulis quaſi perfectioribus, *& vidiſſet &c.* In quo duo circa Dominum ſunt cnnſideranda. Unum, ut diſcamus Chriſti maturitatem ocnlos non erigentis huc atque illuc, ſed pudice ſedentis, & attente cum diſcipulis ſuis: contra quod dicitur Prnv. xxx. 13. „Generatio cuius ſublimes ſunt oculi, & palpebræ eius in alta „ ſurrectæ: “ & Eccli. xix. 26. „ Ex viſu cognoſcitur vir. “ Secundum, ut diſcamus, qund neque otioſe ſedebat cum diſcipulis ſuis; ſed attente eos docens, & ad ſeipſum corda eorum cnnvertens, diſcipulos quos docebat intuebatur. Lnc. vi. 20. „ Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat &c. “ Et ideo dicitur: *Cum ſublevaſſet oculos Ieſus &c.* Myſtice autem oculi Domini ſunt dona ſpiritualia, quæ cum electis ſuis miſericorditer cnncedit, tunc in ens oculns ſuns ſublevat, ideſt reſpectum pietatis impendit. Hoc petebat Pſal. lxxxv. 16. dicens: „ Reſpice in „ me, Domine, & miſerere mei. “ Interrogatio vero eſt de refectione multitudinis: unde *dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut mandueent hi*? Unum ſupponit, & aliud quærit. Supponit quidem penuriam, quia nnn habebant unde tantæ multitudini cibum præberent; quærit autem modum inveniendi, cum dicit: *Unde ememus panes, ut manducent hi*?

Ubi notandum, quod omnis doctor neceſſe habet ſpiritualiter paſcere turbam ad ſe venientem. Et quia nullus homn habet ex ſe unde paſcat eam, ideo oportet quod aliunde emat labore, ſtudio, aſſiduitate orationum. Eſa. lv. 1. „ Qui nnn habetis argentum, pro„ perate, & emite abſque ulla cnmmutatio„ ne vinum, & lac. “ Et iterum: „ Quare „ appenditis argentum veſtrum (ideſt eloquen„ tiam) & nnn in panibus (ideſt, non (a) in vera ſapientia, quæ reficit: Eccli. xv. 3. „ Cibavit illum pane vitæ, & intelle„ ctus:) & laborem veſtrum non in ſaturi„ tate: “ addiſcendo ea quæ non ſatiant, ſed magis evacuant?

Intentio autem interrogantis aperitur cum dicit: *Hoc autem dicebat tentans eum &c.* Ubi Evangeliſta unam dubitationem excludens, ducit in aliam. Pntuiſſet enim dubitari, quod Dominus Philippnm quaſi ignorans interrogaſſet; ſed hoc excludit dicens: *Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus*. Sed cum tentare videatnr etiam ignorantis eſſe, cnm idem ſit qnod experimentum ſumere, videtur quod Evangeliſta in aliam dnbitationem inducat cum dicit, *Tentans eum*.

Sed dicendum, quod diverſimode aliquis tentat aliquem, ut experimentum de eo ſumat: aliter enim tentat homn, qnia ut addiſcat; aliter diabolus, quia ut decipiat. I. Petr. v. 8. „ Adverſarius veſter diabolus tamquam len rugiens, circuit quærens quem „ devoret. “ Deus vero, & Chriſtus tentat quidem non ut addiſcat, quia ipſe eſt qui ſcrutatur corda, & renes; non ut decipiat, „ qnia ipſe neminem tentat, “ ut dicitur Iac. 1. 13. ſed tentat ut aliis experimentum de tentato tribuat. Sic tentavit Deus Abraham. Geneſ. xxii. 1. „ Tentavit Deus Abra„ ham &c. “ Et ſequitur: „ Nunc cognovi „ quod timeas Dominum; “ ideſt, cognoſcere feci quod timeas Dominum. Ita ex hoc Philippum tentat ut inſinuaret aliis ſuam reſponſionem, inducens per hoc eos in certiſſimam futuri ſigni cognitinnem.

(e) Conſequenter ponitur reſponſio diſcipulorum, cum dicit: *Reſpondit ei Philippus*: & primo reſponſio Philippi; ſecundo reſponſin Andreæ, ibi, *Dicit ei unus ex diſcipulis eius &c.* Sciendum eſt autem circa primum, qnod Philippus inter alios magis tardus & rudis erat; & ideo inter alios frequentius Dominum interrogabat. Infra xiv. 8. *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*. Sed in interrogatinne iſtnrum duorum quantum ad litteram pertinet, Andreas melius diſpoſitus erat quam Philippus: quia nullam intentionem, & diſpoſitionem habere videtur ad miraculum fiendum: & iden illum modum inducit qnn nmnes homines illos paſcere poſſent, ſcilicet per pecuniam, dicens: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis*: quos nos non habemus, & ideo non pnſſumus eis dare ad manducandum. In quo Chriſti paupertas inſinuatnr, qui nec dncentos denarios habebat. Andreas vero videtur habere reſpectum ad miraculum fiendum. Fnrtaſſis enim in memoria habebat ſignum, quod Eliſeus de panibus hordeaceis fecerat, quandn pavit de viginti panibus centum viros, ut legitur IV. Reg. iv. & iden dicit: *Eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos*. Sed tamen opinatus

(a) *Al.* in veram ſapientiam.

Digitized by Google

natus eſt, quod Chriſtus non eſſet facturus maius miraculum quam Eliſeus. AEſtimabat enim quod de paucioribus panibus pauciora, & de pluribus plura miraculoſe fierent (quamvis ei qui ſubiecta materia uon indiget, ſimiliter facile ſit de pluribus, & de paucioribus paſcere turbas) & ideo ſubdit: *Sed hac quid ſunt inter tantos*? quaſi dicat: Si etiam multiplicentur ſicut Eliſeus multiplicavit, non ſufficit.

Myſtice refectio ſpiritualis per ſapientiam ſignificatur. Una autem ſapientia eſt quam docuit Chriſtus, qui eſt vera ſapientia. I. Corinth. I. 24. „ Chriſtum Dei virtutem, & „ Dei ſapientiam. " Sed ante adventum Chriſti duplex doctrina erat. Una humana quam habebant Philoſophi; alia legis ſcriptæ. De prima ergo mentionem facit Philippus; & ideo utitur nomine emptionis, dicens: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis*. Nam ſapientia humana per acquiſitionem habetur. Centenarius numerus perſectionem importat. Unde ducenti duplicem perfectionem inſinuant neceſſariam huic ſapientiæ: nam ad eius perſectiouem duplici via pervenitur, ſcilicet per experimentum, & per contemplationem. Dicit ergo: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis*: quia quicquid humana ratio poteſt experiri, & cogitare de veritate, non ſufficit ad perfectam ſatietatem ſapientiæ. Hier. IX. 23. „ Non glorietur ſapiens iu ſapientia ſua, & non glorietur fortis in ſortitudine ſua, & non „ glorietur dives in divitiis ſuis; ſed in hoc „ glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me. " Nam nullius Philoſophi tanta fuit ſapientia ut per eam homines ab errore revocari poſſent; quin potius multos ad errorem inducunt. De ſecunda vero mentionem facit Andreas: & ideo noluit quod alii panes (*a*) emerentur, ſed de babitis turba reficeretur, ſcilicet de his quæ lex continebat: unde melius diſpoſitus erat quam Philippus: & ideo dicit: *Eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos*. Puer iſte poteſt dici Moyſes propter imperfectionem ſtatus legis: Hebr. VII. 19. „ Neminem ad perſectum adduxit „ lex: " vel populus Iudæorum, qui ſub elementis muudi ſerviebat, ut dicitur Galat. IV. Puer ergo iſte quiuque panes habet, ideſt doctrinam legis: vel quia iu quinque libris Moyſi coutenta eſt: ſupra I. 17. *Lex per Moyſen data eſt*: vel quia data eſt hominibus vacantibus ſenſibilibus, quæ per quinque ſenſus exprimuutur: qui ſunt hordeacei: quia lex ipſa data erat ut in ea vitale alimeutum corporalibus ſacramentis obtegeretur: hordei enim medulla, tenaciſſima palea tegitur: vel quia populus Iudæorum nondum expoliatus erat carnali deſiderio; ſed tamquam palea cordi eius inhærebat: uam iu veteri teſtamento exterius duritiam experiebantur, propter cæremoniales obſervantias. Actor. XV. 10. „ Hoc „ eſt onus quod nec nos, nec patres noſtri „ portare potuerunt. " Et ipſi Iudæi corporalibus dediti, ſpiritualem ſenſum legis uon capiebant. II. Corinth. III. 15. „ Velamen po„ ſitum eſt ſupra corda ipſorum. " Per piſces autem duos qui ſaporem ſuavem pani dabant, intelligitur doctrina Pſalmorum, & Prophetarum: & ſic vetus lex non ſolum habebat panes, ſcilicet libros quinque Moyſi, ſed etiam duos piſces, ſcilicet Prophetas, & Pſalmos. Unde & Scriptura veteris teſtamenti per hæc tria dividitur. Luc. ult. 44. „ Quæ ſcripta ſunt in Lege, & Prophetis, „ & Pſalmis de me. " Vel per duos piſces, ſecundum Auguſtinum, duæ perſonæ ſignificantur, ſcilicet regia, & ſacerdotalis, quibus populus ille regebatur; quæ tamen duæ perſonæ Chriſtum præfigurabant, qui fuit verus Rex, & Sacerdos. *Sed hac quid ſunt inter tantos*? quia per ea non potuit humanum genus ad cognitionem veritatis perfecte duci: licet enim Deus In Iudæa notus eſſet, gentes tamen eum ignorabant.

(f) Conſeqnenter cum dicitur, *Dixit ergo Ieſus*, agitur de patratione miraculi: & primo ponitur hominum diſpoſitio; ſecundo eorum refectio, ibi, *Accepit ergo Ieſus panes &c.* tertio fragmentorum collectio, ibi, *Ut autem impleti ſunt &c.* Circa primum duo facit. Primo ponitur mandatum de diſpoſitione turbarum; ſecundo opportunitas diſpoſitionis; & tertio numerus diſpoſitorum. Mandatum autem fuit Domini ad diſcipulos, ut diſponerent turbam ad comedendum: unde dicit Ieſus: *Facite homines diſcumbere*, ideſt ſedere ad comedendum: nam, ſicut dictum eſt ſupra II. autiquitus homines lectis accumbentes prandebant: unde inolevit conſuetudo ut qui ſedent ad manducandum, dicautur diſcumbere. Per quod myſtice ſignificatur quies, quæ neceſſaria eſt ad perfectionem ſapientiæ. Eccli. XXXVIII. 15. „ Qui minoratur actu, „ (*b*) perficiet ſapientiam. " Quæ diſpoſitio fit per diſcipulos, quia per eos ad nos cognitio veritatis derivata eſt. Pſal. lxxi. 3. „ Su„ ſcipiant montes pacem populo. " Opportunitas autem diſpoſitionis captatur ex loco: *Erat autem fenum multum in loco*: quod ad litteram commodum eſt diſcumbentibus. Myſtice

(a) *Al.* emerent. (b) *Ibi* percipiet.

Google

ce autem per fenum caro ſignificatur: Eſa. xl. 6. „ Omnis caro fenum: “ & ſecundum hoc poteſt ad duo referri. Cōmpetit doctrinæ veteris teſtamenti, quæ dabatur quieſcenti in carnalibus, & populo carnaliter ſapienti. Eſa. i. 19. „ Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. “ Deuter. xxxiii. 28. „ Oculus Iacob in terra frumenti, vini, & olei. “ Vel competit (*a*) percipienti veram ſapientiam, ad quam venire non poteſt niſi calcatis carnalibus. Rom. xii. 2. „ Nolite conformari huic ſæculo. “ Numerus autem erat magnus: unde dicit: *Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque millia*. Viros tantum Evangeliſta enumerat, legalem conſuetudinem ſequens, in qua Moyſes (*b*) a viginti annis & ſupra, populum numeravit, nulla mentione de mulieribus facta, ut dicitur Num. i. Quod ideo Evangeliſta fecit, quia iſti ſoli ſunt capaces doctrinæ perfectæ. I. Corinth. ii. 6. „ Sapientiam loquimur inter perfectos. “ Hebr. v. 14. „ Perfectorum eſt ſolidus cibus. “

(g) Conſequenter cum dicit, *Accepit ergo Ieſus panes*, agit de refectione: & primo inſinuatur reficientis affectus; ſecundo materia refectionis; & tertio perfecta ſatietas. In affectu autem Ieſu reficientis primo quidem attenditur humilitas; ſecundo vero gratiarum actio. Humilitas quidem, quia accepit panes, & diſtribuit. Et quidem Chriſtus facturus miraculum poterat panibus ex nihilo creatis paſcere turbas. Sed diſpenſatione panes præexiſtentes multiplicavit ad refectionem turbarum. Primo quidem ut oſtenderet ſenſibilia a diabolo non eſſe, ſicut Manichæi errantes dicunt: nam ſi hoc verum eſſet, Dominus non uteretur rebus ſenſibilibus ad opus divinæ laudis, & præcipue cum „ ipſe venerit, ut diſſolvat opera diaboli: “ ut dicitur I. Ioan. iii. 8. Secundo ut oſtendat falſum eſſe, quod ipſi dicunt, ſcilicet doctrinam veteris teſtamenti non eſſe a Deo, ſed a diabolo. Ut ergo oſtenderet non eſſe doctrinam aliam novi teſtamenti quam quæ præfigurabatur, & continebatur in doctrina veteris teſtamenti, præexiſtentes panes multiplicavit, innuens quod ipſe eſt qui legem perfecit, & implevit. Matth. v. 17. „ Non veni ſolvere legem. “ Gratiarum autem actio: quia *gratias egit*, ut oſtendat ſe ab alio habere, ſcilicet a Patre, quicquid habet: in quo oſtendit nobis exemplum ſimile faciendi. Specialiter tamen gratias egit, ut det nobis exemplum, cum comeſtionem incipimus, gratias debere agere Deo. I. Tim. iv. 4. „ Nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. “ Pſal. xxi. 27. „ Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum. “ Item ut oſtendat quod non propter ſe orabat, ſed propter turbam, quæ præſens erat, (*c*) & oportebat ei ſuadere quod a Deo venerat. Et ideo cum coram multis miraculum facit, orat, ut oſtendat ſe Deo non eſſe contrarium; ſed ſecundum voluntatem eius operari.

Dicitur tamen in Marco, quod Chriſtus per Apoſtolos diſtribuit panes turbis. Sed hic dicitur, quod ipſe diſtribuit, quia ipſe videtur feciſſe quod per alios fecit. Sed utrumque, ſecundum myſterium, verum eſt, quia ipſe ſolus interius reficit, & alii exterius, & ut miniſtri reficiunt.

Materia autem refectionis (*d*) fuit panis, & piſcis, de quibus ſatis dictum eſt ſupra. Satietas vero refectionis perfecta fuit, quia *quantum volebant*. Solus enim Chriſtus eſt qui facit animam inanem, & animam eſurientem replet bonis. Pſal. xvi. 15. „ Satiabor cum apparuerit gloria tua. “ Alii vero, quaſi ex menſura habentes gratiam, miracula faciunt; Chriſtus vero abſoluta virtute, cum multa ſuperabundantia omnia operabatur: unde dicitur, quod *impleti ſunt*.

(h) Conſequenter cum dicit, *Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis &c.* agitur de fragmentorum collectione: & primo ponitur mandatum Domini; ſecundo executio diſcipulorum, ibi, *Collegerunt &c.* Dicit ergo: *Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta.* Quod quidem Dominus non ad ſuperfluam oſtentationem fecit; ſed ut oſtenderet factum miraculum nōn eſſe phantaſticum, per hoc quod collectæ reliquiæ diu ſervatæ ſunt, & aliis in cibum fuerunt. Voluit etiam per hoc, miraculum illud firmius diſcipulorum cordibus inhærere, quibus & fragmenta portanda præcepit: quoniam eos maxime erudire volebat qui orbis terrarum debebant eſſe magiſtri.

(i) Sed diſcipuli fideliter exequuntur: unde ſequitur: *Collegerunt ergo &c.* Ubi notandum eſt, quod non quantæcumque reliquiæ ſuperſunt, neque ad caſum, ſed ſecundum certitudinem: quia neque plus, neque minus, ſed quantum voluit fecit ſuperfluum eſſe. Cuius ſignum eſt quod cophinus cuiuslibet Apoſtoli plenus fuit; cophinus autem vas eſt ruſticano officio deputatum. Duodecim ergo cophini ſignificant duodecim Apoſtolos, & eorum imitatores: qui licet in præſenti ſint con-

(a) *Al.* accipienti. (b) *Al.* a triginta. (c) *Al.* & oportet ſuaderi. (d) *Al.* fuit panes, & piſces.

contemptibiles, ſpiritualium tamen ſacramentorum divitiis ſunt interius (*a*) referti: qui duodecim eſſe dicuntur, quia fides ſanctæ Trinitatis per eos prædicanda erat in quatuor partibus mundi.

LECTIO II.

(a) ILli ergo homines, cum vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant, quia hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in mundum.

(b) Ieſus ergo cum cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.

(c) Cum autem ſero factum eſſet, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare: & cum aſcendiſſent navim, venerunt trans mare in Capharnaum.

(d) Et tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Ieſus.

(e) Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

(f) Cum remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque aut triginta, vident Ieſum ambulantem ſupra mare, & proximum navi fieri.

(g) Et timuerunt. Ille autem dixit eis: Ego ſum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in navim: & ſtatim navis fuit ad terram in quam ibant.

(a) POſito ſigno viſibili de nutrimento corporali, hic ponitur effectus ſigni in turbis triplex. Primo quantum ad fidei confeſſionem; ſecundo quantum ad intentatam honoris exhibitionem, ibi, *Ieſus ergo cum cognoviſſet &c.* tertio quantum ad diligentem inquiſitionem, ibi, *Ut autem ſero factum eſt &c.* Sciendum eſt circa primum, quod quaſi ex ore Iudæorum dictum eſt in Pſal. lxxiii. 9. „Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta.“ Erat autem olim conſuetudo ut Prophetæ multa ſigna facerent: unde deficientibus ſignis, videbatur prophetia ceſſaſſe. Cum vero ſigna vident, redditam ſibi prophetiam confitentur. Unde iam tantum de viſo miraculo profecerant, quod (*b*) Dominum Prophetam dicebant. Dicitur ergo: *Illi homines*, qui ſatiati fuerant ex quinque panibus, *cum vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant, quia hic eſt vere Propheta*. Sed tamen nondum ad perfectam fidem pervenerant: quia eum Prophetam credebant qui etiam eſt Dominus Prophetarum. Nec tamen ex toto falluntur: quia etiam ipſe Dominus ſe Propheram nominat.

Sciendum eſt autem, quod Propheta dicitur Videns. I. Reg. ix. 9. „Qui nunc dicitur Propheta, olim vocabatur Videns.“ Viſio autem ad vim cognoſcitivam pertinet. In Chriſto autem fuit triplex cognitio. Scilicet ſenſitiva; & ſecundum hanc habuit aliquam ſimilitudinem cum Prophetis, inquantum in imaginatione Chriſti formari poterant aliquæ ſpecies ſenſibiles, quibus futura, vel occulta præſentarentur, præcipue propter paſſibilitatem, quæ ſibi conveniebat propter ſtatum viatoris. Item cognitio intellectiva: & quantum ad hanc non habet ſimilitudinem cum Prophetis; ſed etiam eſt ſupra Angelos: quia erat comprehenſor excellentius quam aliqua creatura. Item cognitio divina: & quantum (*c*) ad hanc fuit Prophetarum, & Angelorum inſpirator; cum omnis cognitio cauſetur per participationem Verbi divini.

Videntur tamen in Chriſto excellentiam prophetiæ cognoſcere in hoc quod dicunt, *Vere Propheta*. Licet enim multi Prophetæ inter Iudæos fuerint, unus tamen expectabatur in eis præcipuus, ſecundum illud Deut. xviii. 15. „Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus:“ & de hoc loquuntur: unde ſignanter dicit: *Qui venturus eſt in mundum*.

(b) Deinde cum dicit, *Ieſus ergo cum cognoviſſet &c.* ponitur ſecundus effectus quantum ad intentatam honoris exhibitionem, quam tamen Chriſtus refugit. Et ideo primo ponitur conatus plebis; ſecundo fuga Chriſti. Conatus quidem, cum dicit: *Ut raperent eum, & facerent eum Regem*: illud enim rapi dicitur quod præter voluntatem, & opportunitatem accipitur. Verum autem erat quod diſpoſitio Dei Patris ab æterno fuerat de regno Chriſti manifeſtando; ſed manifeſtatio hæc nondum opportuna erat ſecundum tempus: nam venerat tunc, ſed non regnare, quomodo regnans eſt in eo quod dicimus (Matth. vi. 10.) „Adveniat regnum tuum:“ ubi regnabit etiam ſecundum illud quod (*d*) homo factus eſt. Et ideo huic manifeſtationi aliud tempus eſt ordinatum, quando ſcilicet erit

(a) *Al.* refecti. (b) *Al.* Deum. (c) *Al.* ad hoc. (d) *Al.* homo factus eſt Chriſtus.

erit aperta elatitas ſanctorum eius, poſt iudicium ab eo factum. De iſta maniſeſtatione quærebant diſcipuli, Act. I. 6. „ Domine, ſi „ in tempore hoc reſtitues tegnum Iſrael? “ Credentes ergo turbæ eum regnatutum veniſſe, volebant cum facere Regem. Cuius ratio eſt, quia homines frequenter talem in dominum volunt qui eos in temporalibus paſcat. Unde quia Chriſtus paverat eos, eum Regem facere voluerunt. Eſa. III. 6. „ Ve„ ſtimentum tibi eſt: eſto princeps noſter. “ Unde Chryſoſtomus dicit: „ Vide quanta eſt „ gulæ virtus: non eis ultra cura eſt ſabba„ ti trangreſſionis, nec ultra zelant pto Deo; „ ſed omnia temota ſunt, ventre repleto: „ ſed & Propheta iam erat apud eos, & „ Regem eum inthronizate volebant. “

Fuga autem Chriſti ponitur, cum dicit: *Fugit iterum in montem ipſe ſolus*. Ubi datur intelligi, quod Dominus videns turbas, de monte deſcenderat, & circa infetiora loca paverat turbas: niſi enim de monte deſcendiſſet, non dicetetur iterum fugere in montem.

Sed cum ipſe ſit vete Rex, quate fugit? Ad quod triplex ratio aſſignatur. Una quia derogaſſet dignitati eius, ſi regnum ab homine recepiſſet, qui ſie Rex erat ut eius participatione Reges omnes eſſent. Prover. VIII. 15. „ Pet me Reges regnant. “ Alia ratio, quia præiudicaſſet ſuæ doctrinæ, ſi claritatem, (*a*) aut tobur ab hominibus accepiſſet. Sie enim operabatur, & docebat ut totum virtuti divinæ aſcriberetur, & non favori humano. Supra v. 41. *Claritatem ab hominibus non accipio*. Tertia ratio eſt, ut eruditet nos mundanas dignitates contemnere. Infta XIII. 15. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Eccli. VII. 4. „ Noli quærere ab homine ducatum. “ Sic ergo gloriam mundi recuſavit, ut tamen pœnam ſponte ſubitet: ſecundum illud Hebt. XII. 2. „ Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit eru„ cem, confuſione contempta. “

Sed huie videtur contrarium quod dicitur Matth. XIV. 23. ſcilicet quod „ aſcendit ſo„ lus in montem orare. “ Sed, ſecundum Auguſtinum, hæc non ſunt contraria: quia cauſa fugiendi coniuncta eſt cauſæ orandi: tunc enim docet nos Dominus magnam cauſam eſſe orandi, cum imminet cauſa fugiendi.

Myſtice autem tunc aſcendit in montem quando turbæ refectæ paratæ erant ei ſubiici: quia tunc aſcendit in cælum, quando populi parati erant ſe veritati fidei ſubiicere: ſecundum illud Pſal. VII. 8. „ Synagoga po„ pulorum circumdabit te; & propter hanc „ in altum regredere; “ ideſt, ut circumdet te Synagoga populorum, regredere in altum. Sed dictum eſt, *Fugit*, ut ſignaret quod non potuit intelligi altitudo eius: quod enim non intelligimus, dicimus a nobis fugere.

(e) Hic agitur de tertio effectu, ſcilicet de diligenti inquiſitione: & ptimo quantum ad diſcipulos; ſecundo vero quantum ad turbas, ibi, *Altera autem die &c.* Circa primum duo facit. Primo ponit ſtudium diſcipulorum; ſecundo explicat, ibi, *Et tenebra iam facta erant &c.* Circa primum duo facit. Primo deſcribit deſcenſum diſcipulorum ad mare; ſecundo tranſitum maris, ibi, *Et cum aſcendiſſent navim &c.* Sciendum ergo eirca primum, quod Chriſtus aſcendit in montem neſcientibus diſcipulis: unde expectaverunt uſque ad veſperam, eum venturum eſſe putantes ad ſe. Facta autem veſpera non ultra ſuſtinent eum non inquirere: tantus eos detinebat amot. Et ideo dicit: *Ut autem ſero factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare, requirentes eum.*

Myſtice autem per ſero, dominica paſſio, ſeu aſcenſio deſignatur: quamdiu enim Chriſtus præſentia corporali cum diſcipulis fuit, nulla eos deprimebat turbatio, amaritudo nulla vexabat: Matth. IX. 15. „ Non poſſunt „ filii ſponſi lugere, quamdiu ſponſus eſt cum „ illis: “ ſed Chriſto recedente ab eis, deſcendunt ad mare, ideſt ad turbationes ſæculi. Pſal. CIII. 25. „ Hoc mare ma„ gnum. “

Sed quia amor quo igniti erant non ſinebat eos diutius Domini ptæſentia carere, ideo ſubdit eorum tranſitum, cum dicit: *Et cum aſcendiſſent navim, venerunt trans mare in Capharnaum.*

(d) Conſequenter cum dicit, *Et tenebra iam facta erant &c.* explicat quod ſummatim poſuerat: & primo de petventione ad mare; ſecundo de tranſitu, ibi, *Mare autem, vente magno flante, exurgebat*. Quantum ad primum dicit: *Tenebra iam facta erant, & non* (*b*) *venerat ad eos Ieſus*: quod non ſine cauſa Evangeliſta exprimit, ut per hoc ferventem eorum oſtendat amorem: non enim veſpera, nec nox eos detinuit.

Myſtice autem tenebræ, caritatis defectum deſignant: lux enim caritas eſt, ſecundum illud I. Ioan. II. 10. „ Qui diligit fra„ trem ſuum, in lumine eſt. “ Tenebræ ergo in nobis ſunt quando non venit ad nos Ieſus lux vera, ut dicitur ſupra I. in cuius ptæſentia omnes tenebræ propulſantut.

Sub-

(a) *Al.* etiam. (b) Al. *venit*.

Digitized by Google

Subtraxit autem Chriſtus ſe tamdiu diſcipulis, primo quidem ut ſentirent quid eſſet eius abſentia; quod quidem experti ſunt in tempeſtate maris. Hier. II. 19. „ Scito, & „ vide quia malum, & amarum eſt dereli- „ quiſſe te Dominum. " Secundo ut diligentius quærerent. Cant. v. 17. „ Quo abiit di- „ lectus tuus, o pulcherrima mulierum?... „ & quæremus eum tecum. "

(e) Quantum ad tranſitum dicit: *Mare autem, vento magno flante, exurgebat*. Et primo ponitur maris tempeſtas; ſecundo Chriſti apparitio, & tempus apparitionis, ibi, *Et cum remigaſſent .... vident Ieſum*; tertio apparitionis effectus, ibi, *Et timuerunt &c.* Tempeſtas autem in mari cauſabatur a flatu exorti venti; & ideo dicit: *Mare autem, vento magno flante, exurgebat*, in altum. Per ventum illum figuratur tentatio, & perſecutio quæ futura eſt Eccleſiæ propter defectum caritatis: nam, ſicut Auguſtinus dicit, unde caritas refrigeſcit, inde fluctus augentur, & turbatur navis: nec tamen venti illi, & tempeſtas, & fluctus, & tenebræ id agebant ut vel navis non promoveretur, vel ſoluta frangeretur: quia „ qui perſeveraverit uſque in „ finem, hic ſalvus erit: " Matth. XXIII. 13. & ibid. VII. 27. „ Flaverunt venti, & irrue- „ runt flumina; & non cecidit domus. "

(f) Apparitio autem Chriſti non fuit ſtatim a principio tempeſtatis, ſed poſt aliquod ſpatium; & ideo dicit: *Cum remigaſſent ergo quaſi ſtadia vigintiquinque aut triginta, vident Ieſum*: & hoc ideo ut daretur intelligi, quia Dominus patitur nos ad tempus tribulari, ut virtus noſtra probetur; finaliter tamen in neceſſitate non deſerit, ſed nobis proximus fit. I.Cor. x. 13. „ Fidelis Deus, qui non patie- „ tur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed „ faciet etiam cum tentatione proventum, ut „ poſſitis ſuſtinere. " Secundum Auguſtinum, vigintiquinque ſtadia, quæ remigant, ſunt quinque libri Moyſi: nam huiuſmodi numerus eſt quadratus, de hoc numero quinque conſurgens in multiplicatione ſui in ſeipſum: quinquies enim quinque ſunt vigintiquinque; numerus autem multiplicatus retinet ſignificationem ſuæ radicis: unde ſicut per quinque ſignatur vetus lex, ita per vigintiquinque ſignatur perfectio novi teſtamenti. Per triginta autem ſignatur perfectio novi teſtamenti, quæ deerat legi: nam ſi ipſa quinque multiplicentur per ſex qui eſt numerus perfectus, conſurgit numerus terdenarius. Ad eos ergo qui remigant vigintiquinque aut triginta ſtadia, ideſt qui implent legem, vel perfectionem evangelicam, venit Ieſus, calcans omnes (a) tumores mundi, altitudines ſæculi præſentis. Pſal. LXXXVIII. 10. „ Tu „ dominaris poteſtati maris, motum autem „ fluctuum eius tu mitigas. " Et tunc videbimus Chriſtum proximum navi, quia divinum auxilium approximat. Pſal. CXLIV. 18. „ Prope eſt Dominus omnibus timentibus „ eum. " Apparet ergo quod qui recte Chriſtum quærunt, eum habent præſentem. Iſti autem ferventiſſime Chriſtum deſiderabant: quod patet ex temporis tenebroſitate, ex maris tempeſtate, & ex diſtantia portus, quibus non obſtantibus ad eum ire conabantur. Et ideo Chriſtus adfuit eis.

(g) Effectus autem apparitionis ponit cum dicit: *Et timuerunt. Ille autem dixit eis: Ego ſum, nolite timere*. Et primo ponitur effectus interior; ſecundo exterior, ibi, *Et ſtatim navis fuit ad terram*. Effectus autem interior fuit timor; & ideo ponitur diſcipulorum timor conceptus ex ſubita Chriſti apparitione, cum dicit, *Et timuerunt*, bono timore, qui cauſatur ex humilitate. Rom. XI. 20. „ Noli „ altum ſapere, ſed time. " Vel malo timore, quia, ut dicitur Matth. XIV. 26. „ æſti- „ mabant eum phantaſma eſſe. " Pſal. XIII. 5. „ Trepidaverunt timore ubi non erat ti- „ mor. " Quoniam timor præcipue carnalibus competit, qui ſpiritualia expaveſcunt. Secundo ponitur Chriſti confortatio contra duplex periculum. Scilicet contra periculum fidei in intellectu; & quantum ad hoc dicit, *Ego ſum*, quaſi dubitationem omnem repellens. Luc. ult. 39. „ Videte manus meas, „ & pedes meos, quia ego ipſe ſum. " Secundo contra periculum timoris in affectu; & quantum ad hoc dicit, *Nolite timere*. Hier. I. 8. „ Ne timeas a facie eorum. " Pſal. XXVI. 1. „ Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: „ quem timebo? " Tertio ponitur diſcipulorum affectio: quia *voluerunt eum accipere in navim*: (b) quo ſignificatur quod quando timor ſervilis excluditur a cordibus noſtris, tunc recipimus Chriſtum, amando, & contemplando. Apoc. III. 20. „ Ego ſto ad o- „ ſtium & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, in- „ trabo. " Effectus autem exterior fuit quantum ad duo. Primo quia (c) ſedata eſt tempeſtas; ſecundo quia ſtatim navis fuit ad terram, cum multum ab ea diſtaret: non enim fallacem, ſed tranquillam præbuit eis navigationem; & volens maius miraculum operari, navem non aſcendit. Sic ergo triplex hic concurrit miraculum, ſcilicet ambulatio ſupra mare, ſubita tempeſtatis ceſſatio, & di-

(a) *Al.* rumores. (b) *Al.* quod. (c) *Al.* Sedata tempeſtate.

diſtantis navis ad portum deductio: ut diſcamus, quod fideles in quibus eſt Chriſtus, (*a*) tumorem mundi premunt, fluctus tribulationum calcant, & velociter ad terram viventium tranſeunt, ſecundum illud Pſal.cxlII. 10. „ Spiritus tuus bonus deducet me in terram.

Sed hic eſt multiplex quæſtio. Una eſt circa litteram, in qua videtur Matthæi contrarium dicere: nam Matth. xIV. dicitur, quod diſcipuli venerunt ad mare de mandato Domini; hic autem, quod deſcenderunt quærentes eum. Alia quæſtio eſt, quod Matthæus ibidem dicit, quod diſcipuli mare transfretantes venerunt in terram Geneſareth; hic autem dicitur, quod venerunt Capharnaum. Tertia quæſtio eſt, quod Matthæus dicit, quod Chriſtus intravit navem; hic autem, quod non.

Sed de his tribus breviter expediens ſe Chryſoſtomus dicit, iſtud non fuiſſe idem miraculum cum illo Matthæi: nam, ut ipſe dicit, Chriſtus frequenter huiuſmodi miraculum fecit ambulans ſupra mare, non tamen coram turbis, ſed coram diſcipulis ſuis, ne turbæ crederent eum non verum corpus habere. Secundum Auguſtinum autem dicitur, & verius, idem miraculum fuiſſe quod hic Ioannes narrat, & ibi Matthæus. Et ideo ad primam quæſtionem reſpondens dicit, quod non refert quod dicit Matthæus eos præcepto Chriſti ad mare deſcendiſſe. Potuit enim eſſe quod Dominus hoc eis mandaſſet, & ipſi deſcenderint credentes Chriſtum cum eis navigaturum: unde expectarent eum uſque ad noctem. Et quia Chriſtus non venit, tunc ipſi tranſierunt mare. Ad ſecundam quæſtionem eſt duplex reſponſio. Una eſt, quia Capharnaum, & Geneſareth ex eodem littore ſunt, & vicinæ. Et forte diſcipuli pervenerunt trans mare in confinio utriuſque; & ideo Matthæus nominat unam, & Ioannes aliam. Vel poteſt dici, quod Matthæus non dicit, quod ſtatim venerunt in Geneſareth, & ideo forte primo venerunt Capharnaum, & poſtea in Geneſareth &c.

L E C T I O III.

(a) ALtera die, turba quæ ſtabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi, niſi una, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in navim, ſed ſoli diſcipuli eius abiiſſent.

(b) Aliæ vero ſupervenerunt naves a Tiberiade iuxta locum ubi manducaverunt panem, gratias agentes Deo.

(c) Cum ergo vidiſſet turba quia Ieſus non eſſet ibi, neque diſcipuli eius, aſcenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum, quærentes Ieſum. Et cum inveniſſent eum trans mare dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti?

(d) Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.

(e) Operamini non cibum qui perit, ſed qui manet in vitam æternam:

(f) Quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater ſignavit Deus.

(g) Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.

(h) Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum ut videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare.

(a) POſtquam Evangeliſta poſuit quomodo diſcipuli inquiſierunt Chriſtum, hic conſequenter agit de turbis eum quærentibus. Et primo ponitur motivum ad inquirendum; ſecundo inquirendi opportunitas, ibi, *Alia vero ſupervenerunt naves &c.* tertio ponitur ipſa inquiſitio, ibi, *Cum ergo vidiſſet turba &c.* Movit autem ad inquirendum Chriſtum turbas miraculum præcedens, ſcilicet quod abſque vehiculo mare tranſierit. Quod quidem innotuit eis, eo quod de ſero non erat in littore, quod erat iuxta locum ubi fecerat miraculum de panibus, ubi una navis tantum erat; quæ quidem navis cum diſcipulis ad aliam partem transfretavit abſque Chriſto. Unde cum de mane non inveniſſent Chriſtum ex eadem parte, ex qua fuerat præcedenti die, ſed iam erat ex alia parte, nec habuiſ-

ſet

(a) *Al.* timorem,

Digitized by Google

ſet aliquam aliam navem in qua tranſiret, ſuſpicati ſunt qnod ſupra mare ambulans tranſiviſſet: & hoc eſt quod dicit: *Altera die*, ab ea qua ſecerat miraculum de panibus, *turba qua ſtabat trans mare*, ubi miraculum ſecerat, *vidit quod navicula alia non erat ibi niſi una*, quia in præcedenti die non ſuerat niſi illa tantum, & vidit *quia non introiſset cum diſcipulis ſuis Ieſus in navim &c.* Per hanc unam navem ſignificatur Eccleſia, qnæ eſt una, unitate fidei, & ſacramentorum. Epheſ. IV. 5. „ Una fides, unum baptiſma. “ Per hoc autem quod Ieſus non eſt cum diſcipulis, ſignificatur corporalis ſeparatio Chriſti ab eis io Aſcenſione. Marc.ult. 19. „ Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum. “

(b) Opportunitas autem inquirendi datur ex adventu aliarum navium ab alia parte maris, cum quibus poterant tranſire ad quærendum Chriſtum: & ideo dicit: *Alia vero naves ſupervenerunt*, ex alia parte, ſcilicet *a Tiberiade, iuxta locum ubi manducaverunt panes &c.* Per iſtas alias naves quæ ſupervenerunt, ſignificantur conventicula hæreticorum, & eorum qui quæ ſua ſunt, quærunt, & noo quæ Ieſu Chriſti: inſra (hoc eap.) *Quæritis me, quia manducaſtis ex panibus meis*: & quæ ſunt ſeparatæ vel fide quantum ad hæreticos, vel caritate carentes (*a*) quantum ad carnales, qui noo ſunt proprie in Eccleſia, ſed tamen ſunt iuxta eam, inquantum ſimulatam fidem prætendunt, & ſpeciem ſanctitatis habent: ſecundum illud II. Tim. III. 5. „ Habeotes quidem ſpeciem (*b*) pietatis, virtutem autem eius abnegantes. “ Et II. Corinth. XI. 14. „ Noo eſt mirum ſi miniſtri ſatanæ transformant ſe. “

(c) Sed inquiſitio fuit ſtudioſa: unde dicit: *Cum ergo vidiſset turba &c.* Et primo oſtendit quomodo inquirit turba Chriſtum; ſecundo quomodo inventum interrogat. Dicit ergo primo, quod *cum vidiſset turba quod Ieſus non erat ibi, nec diſcipuli eius, aſcenderunt in naviculas*, quæ venerant a Tiberiade, *quærentes eum*: quod eſt laudabile. Eſa. LV. 6. „ Quærite Dominum dum ioveniri poteſt. “ Et Pſal. LXVIII. 33. „ Quærite Dominum, & vivet anima veſtra. “ Sed inventum interrogant: unde dixit: *Et cum* turbæ *inveniſsent eum*, ſcilicet Chriſtum, *trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti?* Sed hæc quæſtio dupliciter poteſt intelligi. Uno modo ut quærant tantum de tempore; & tunc, ſecundum Chryſoſtomum, exprobranda eſt eorum ruditas, qui poſt tantum miraculum non quærunt de modo tranſeundi, qualiter ſcilicet ſine navi tranſiſſet; ſed tantum de tempore tranſitus. Vel poteſt dici, quod per hoc quod dicunt, *Quando*, noo ſolum quærunt de tempore, ſed etiam de aliis circumſtantiis quæ concurrerunt ad tranſitum miraculoſum.

Sed attende, quod ſupra poſt refectionem volebaot eum ſacere Regem; nunc vero eum præſeotem habent, nec eum Regem ſacere volunt. Cuius ratio eſt, quia ipſi volebant eum facere Regem concitati a paſſione lætitiæ cauſatæ a refectione; paſſiones autem huiuſmodi cito tranſeunt: & ideo ea quæ ſecundum ipſas paſſiones diſponuntur, traoſitoria ſunt; quæ vero ratione diſponuntur, magis permanent. Eccli. XXVII. 12. „ Homo ſapiens in ſapientia ſua permanet ſicut ſol; ſtultus autem ut luna mutatur. “ Prov. XI. 18. „ Impius facit opus inſtabile. “

(d) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit eis Ieſus &c.* agit Dominus de cibo ſpirituali: & primo proponit veritatem de ſpirituali; ſecundo contradictionem (*c*) excludit, ibi, *Murmurabant ergo Iudæi de illo*. Circa primum tria facit. Primo proponit veritatem ſpiritualis cibi; ſecundo inſinuat eius originem, ibi, *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum? &c.* tertio docet modum capieodi ipſum cibum, ibi, *Dixerunt ergo ad eum: Domine ſemper da nobis panem hunc*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit cibum ſpiritualem, & eius virtutem; ſecundo manifeſtat eum quis ſit, ibi, *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Circa primum duo facit. Primo arguit perverſam eorum cupiditatem; ſecundo hortatur ad veritatem, ibi, *Operamini &c.* Dicit ergo: *Amen amen dico vobis*, licet oſtendatis vos quaſi devotos, tamen *quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*; quaſi dicat: Propter carnem me quæritis, non propter ſpiritum, quia ſcilicet ut iterum paſcamini. Et, ſicut Auguſtinus dicit, locum iſtorum teoent qui quærunt Ieſum, oon propter ſeipſum, ſed ut aliqua commoda ſæcularia conſequantur: ſicut ſunt illi qui negotia habentes, ad prælatos, & clericos accedunt, non propter Chriſtum, ſed ut eorum interceſſione promoveantur apud magnates: ſicut ſunt illi qui ad Eccleſias confugiunt, non propter Ieſum, ſed quia a potentioribus premuntur: ſicut etiam ſunt illi qui ad ſacros ordines ad Dominum appropinquantes, non eiſdem merita virtutum, ſed ſubſidia vitæ præſentis inquirunt, ſcilicet divitias, & honores, ut Gregorius dicit XXXIII. Moral.

(a) *Al.* quantum ad carnales ab Eccleſia; ſed tamen &c. (b) *Al.* ſanctitatis. (c) *Al. deeſt* excludit.

Et hoc patet: nam facere ſigoa, virtutis divinæ eſt; ſed manducare panem multiplicatum, eſt temporale. Qui ergo non veniunt ad Chriſtum propter virtutem quam in eo vident, ſed propter hoc quod ex panibus manducant, non Chriſto ſerviunt, ſed ſuo ventri, ut dicitur Phil. 3. & Pſal. xlviii. 19. „ Confitebitur tibi cum benefeceris ei. “

(e) Ad veritatem eos reducit proponendo eis ſpiritualem cibum, dicens: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui manet in vitam æternam*. Et primo proponit eius virtutem i ſecundo eius auctoritatem, ibi, *Quem Filius hominis dedit vobis*. Virtus illius cibi conſideratur in hoc quod non perit. Unde ſciendum eſt circa hoc, quod corporalia ſunt quædam ſimilitudines ſpiritualium, utpote ab eis cauſata & derivata; & ideo imitantur ipſa ſpiritualia aliquo modo: (a) unde ſicut corpus ſuſtentatur cibo, ita illud quo ſuſtentatur ſpiritus, dicitur eius cibus, quicquid ſit illud. Illud autem quo ſuſtentatur corpus, cum tranſeat in corporis naturam, corruptibile eſt; ſed cibus quo ſuſtenratur ſpiritus, eſt incorruptibilis, quia non mutatur in ipſum ſpiritum, ſed potius e converſo ſpiritus in cibum. Unde (b) dictum eſt Auguſtino: „ Cibus ſum grandium: (c) creſce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ut cibum carnis tuæ, ſed mutaberis in me: “ ut dicitur Lib. Confeſſ. Et ideo dicit Dominus, *Operamini*; ideſt, operando quærite, ſeu operibus mereamini, *non cibum qui perit*, ſcilicet corporalem: I. Cor. vi. 13. „ Eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem & hunc, & hanc deſtruet: “ quia non ſemper erit uſus ciborum: *ſed* illum cibum *operamini*, ſcilicet ſpiritualem, *qui manet in vitam æternam*: qui quidem cibus eſt ipſe Deus, inquantum eſt veritas contemplanda, & bonitas amanda, quibus reficitur ſpiritus. Prov. ix. 5. „ Comedite panem meum. “ Eccli. xiii. 3. „ Cibavit illum pane vitæ, & intellectus. “ Item ipſa obedientia divinorum mandatorum. Supra iv. 34. *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem eius qui miſit me*. Item ipſe etiam Chriſtus. Infra eodem: *Ego ſum panis vitæ*. Item: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Et hoc inquantum eſt coniuncta Verbo Dei, quod eſt cibus quo Angeli vivunt. Similem autem differentiam aſſignavit ſupra iv. 13. de potu corporali, & potu ſpirituali, cum dixit: *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*: quam hic aſſignat inter cibum corporalem & ſpiritualem. Cuius ratio eſt, quia corporalia ſunt corruptibilia, ſpiritualia vero, & maxime Deus, ſunt æterna.

Sed ſciendum eſt, ſecundum Auguſtinum Lib. de Operibus Monachorum, quod ex hoc verbo, ſcilicet *Operamini non cibum qui perit*, quidam monachi erroris cauſam ſumpſerunt, dicentes, ſpirituales viros non debere aliquid corporaliter operari. Sed hic intellectus eſt falſus, quia Paulus, qui maxime ſpiritualis fuit, propriis manibus laboravit, ut habetur Epheſ. iv. 28. (d) ubi ipſe dicit: „ Qui furabatur iam non furetur; magis autem laboret manibus ſuis. “ Ergo eſt verus intellectus, ut opus noſtrum, ideſt principale ſtudium, & intentiooem noſtram dirigamus ad quærendum cibum qui ducit ad vitam æternam, ſcilicet bona ſpiritualia. Ad temporalia autem non debemus principaliter attendere, ſed acceſſorie, ideſt ſolum ea procurare ratione corporis corruptibilis, quod ſuſtentari oportet quamdiu in hac vita vivimus. Unde contra hoc ſignanter dicit Apoſtolus, II. Theſſ. iii. 10. „ ui non laborat non manducet; “ quaſi diceret: Qui dicunt, quod nihil corporale eſt operandum, quia comeſtio eſt quid corporale, tales non debent comedere.

(f) Conſequenter cum dicit, *Quem Filius hominis dabit vobis*, ponit ſpiritualis cibi datorem: & primo ponit actorem (e) huius cibi: ſecundo manifeſtat unde habeat auctoritatem cibandi. Actor autem & dator cibi ſpiritualis eſt Chriſtus; & ideo dicit: *Quem*, ſcilicet cibum qui non perit, *Filius hominis dabit vobis*. Si dixiſſet, Filius Dei, non fuiſſet viſum mirum; ſed hoc quod Filius hominis dat eum, magis elevat ad attentionem. Spiritualiter tamen ideo Filius hominis dat; quia natura humana infirma per peccatum faſtidiebat ſpiritualem cibum, nec poterat ipſum in ſua ſpiritualitate ſumere: unde oportuit quod Filius Dei carnem ſumeret, & per eam nos reficeret. Pſal. xxii. 2. „ Paraſti in conſpectu meo menſam. “ Unde autem habeat auctoritatem dandi, ſubdit cum dicit: *Hunc enim Pater ſignavit Deus*; quaſi dicat: (f) Quod Filius hominis dabit, hoc non habet nisi inquantum ſingularitate, & eminentia plenitudinis gratiæ præcellit omnes filios hominum: unde dicit: *Hunc*, ſcilicet Filium hominis, *Pater ſignavit*; ideſt, ſignanter diſtinxit a ceteris. Pſal. xliv. 8. „ Vuxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. “ Vel, ſecundum Hilarium, *ſignavit*, ideſt ſigillavit. Quando autem ſigillum

(a) *Al. deeſt* unde. (b) *Al.* dictum eſt ab Auguſtino. (c) *Al.* crede. (d) *Al. omittitur* ubi. (e) *Al.* auctorius. (f) *Al.* Filius hominis dabit, cum hoc non habeat, inquantum &c.

lum in cera imprimitur, cera retinet totam figuram ſigilli, ſicut & Filius totam figuram Patris accepit. Eſt autem duplex receptio quam Filius recipit a Patre. Una æterna, & de hac non intelligitur quod hic dicitur, *Signavit*, (*a*) quia in ſigillatione aliud eſt natura recipiens, & aliud imprimens. Sed hoc intelligitur de myſterio incarnationis, quia in natura humana Deus Pater impreſſit Verbum, qui, eſt ſplendor, & figura ſubſtan„tiæ eius: " ut dicitur Hebr. I. 3. Vel, ſecundum Chryſoſtomum, *ſignavit*, ideſt, ad hoc ſpecialiter eum Deus Pater inſtituit ut daret vitam æternam mundo. Infra x. 10. *Ego veni ut vitam habeant &c.* Sic enim quando aliquis eligitur ad aliquod magnum officium peragendum, dicitur ſignari ad illud officium. Luc. x. I. „ Poſt hæc deſignavit „ (*b*) Dominus & alios ſeptuaginta diſcipu„los &c. " Vel *ſignavit*, ideſt manifeſtavit per vocem in baptiſmo, & per opera, ut dictum eſt ſupra v.

(g) Conſequenter cum dicit: *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?* manifeſtat quid ſit cibus ſpiritualis. Et primo ponitur quæſtio Iudæorum; ſecundo ſubditur reſponſio Ieſu Chriſti, ibi, *Reſpondit Ieſus &c.* Circa primum ſciendum eſt, quod Iudæi inſtructi ex lege, credebant nihil æternum eſſe niſi Deum. Unde cum dixiſſet, quod cibus ſpiritualis permaneat in vitam æternam, intellexerunt cibum illum eſſe aliquid divinum. Et ideo quærentes non de cibo, ſed de opere Dei mentionem faciunt, cum dicunt: *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* In quo non longe errat a veritate, cum nihil aliud ſit cibus ſpiritualis quam operari opera Dei. Luc. XVIII. 18. „ Quid facien„do vitam æternam poſſidebo? " Reſponſio Domini ponitur, cum dicit: *Hoc eſt opus Dei ut credatis in illum &c.*

Ubi conſiderandum eſt, quod Apoſtolus Rom. IV. diſtinguit fidem ab operibus, dicens, quod Abraham non eſt iuſtificatus ex operibus, ſed ex fide. Quid eſt ergo quod hic Dominus dicit, ipſam fidem, ſeu credere, eſſe opus Dei? Sed ad hoc eſt duplex reſponſio. Una, quod Apoſtolus non diſtinguit fidem ab operibus ſimpliciter, ſed ab exterioribus. Sunt enim quædam opera exteriora, quæ exercentur corporalibus membris, quæ quia magis nota ſunt, ſecundum communem uſum opera dicuntur: alia vero ſunt interiora, quæ exercentur in ipſa anima, quæ non ſunt nota niſi ſapientibus, & quæ convertuntur ad cor. Alio modo dicitur, quod ipſum credere poteſt computari inter opera exteriora non quod fides ſit ipſa opera, ſed eorum principium: unde & ſignanter dicit: *Ut credatis in illum.* Differt enim dicere credere Deum, ſic enim deſigno obiectum; & credere Deo, quia ſic deſigno teſtem; & credere in Deum, quia ſic deſigno finem: ut ſic Deus poſſit haberi ut obiectum fidei, ut teſtis, & ut finis; ſed aliter, & aliter: quia obiectum fidei poteſt eſſe creatura, credo enim cælum eſſe creatum; ſimiliter & creatura poteſt eſſe teſtis fidei, credo enim Paulo, ſeu cuicumque ſanctorum: ſed fidei finis non poteſt eſſe niſi Deus: nam mens noſtra ſolum in Deum fertur ſicut in finem. Finis autem cum habeat rationem boni, eſt obiectum amoris; & ideo credere in Deum ut in finem, eſt proprium fidei formatæ per caritatem: quæ quidem fides ſic formata, eſt principium omnium bonorum operum; & intantum ipſum credere dicitur opus Dei.

Sed ſi fides eſt opus Dei, quomodo homines faciunt opera Dei? Sed hoc ſolvitur per Eſa. XXVI. 12. cum dicit: „ Omnia opera no„ſtra operatus eſt in nobis. " Nam hoc idem quod credimus, & quicquid operamur boni, eſt in nobis a Deo. Philip. II. 13. „ Ipſe eſt qui operatur in nobis & velle, „ & perficere. " Et ideo ſignanter dicit, credere eſſe opus Dei, ut oſtendat fidem eſſe donum Dei, ut dicitur Epheſ. II.

(h) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum?* agitur de origine cibi: & primo ponitur quæſtio Iudæorum; ſecundo reſponſio (*c*) Chriſti, ibi, *Amen amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo.* Circa primum tria faciunt. Primo petunt ſignum; ſecundo determinant ipſum; tertio inducunt Scripturæ teſtimonium. Signum autem petunt proponendo quæſtionem: unde *dixerunt illi: Quod tu facis ſignum, ut videamus, & credamus tibi?* Hæc autem quæſtio aliter inducitur ab Auguſtino, & aliter a Chryſoſtomo. Chryſoſtomus enim dicit, quod Dominus invitaverat eos ad fidem. Argumenta autem ad fidem inducentia ſunt miracula. I. Cor. XIV. 22. „ Signa data ſunt „ infidelibus. " Et ideo ad hoc quærunt ſignum quo credant: mos enim eſt Iudæis ſigna petere. I. Cor. I. 22. „ Quoniam Iudæi „ ſigna quærunt. " Unde dicit: *Quod ergo ſignum tu facis?*

Sed hoc ridiculoſum videtur, quod propter hoc quærant aliqua miracula, quia ſtatim fecerat aliqua multiplicando panes, & ambulando ſupra mare, quę in præſentia extiterant,

(a) *Al.* quia ſigillatio eſt aliud cum natura recipiens: aliud imprimens. (b) *Al.* Deus. (c) *Al. deeſt* Chriſti.

by Google

rant, qnibus credere poſſent. Sed hoc ideo dicunt, ut provocent Dominum, & inducant ut ſemper eos paſceret. Quod patet, quia nullam mentionem ſaciunt de alio ſigno, niſi de eo quod factum eſt in eorum parentibus per Moyſen quadraginta annis, ut quaſi per boc petant quod ſemper eos paſcat: unde dicunt: *Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto*. Nec dicunt: Deus pavit patres noſtros manna, ne videantur velle æquare eum Deo. Similiter non dicitur, Moyſes pavit eos, ne videantur Moyſen præſerre Chriſto, quaſi in hoc eum allicere volentes, ut continue eos paſcat. De cibo illo dicitur Exod. 16. & in Pſalm. lxxvii. 25. „ Panem „ Angelorum mandncavit homo. " Auguſtinus autem dicit, quod Dominus dixit ſe daturum eis cibum qui permanet in vitam æternam, unde quaſi videtur ſe Moyſi præſerre. Iudæi autem Moyſen reputabant maiorem Chriſto: unde dicebant infra ix. 29. *Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus; hunc autem neſcimus unde ſit*. Unde requirebant quod Chriſtus ſaceret aliqua maiora quam Moyſes ſecerit; & ideo reducunt in memoram ea quæ Moyſes fecit, dicentes: *Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto*; quaſi dicerent: Hoc quod dicis de te, maius eſt quam illud quod fecit Moyſes: quia promittis, cibum qui non perit; ſed manna quod dabat Moyſes, ſi ſervabatur in alium diem, vermibus ſcaturiebat. Si ergo vis ut credamus tibi, facias aliquid maius Moyſe: nam quod feciſti non eſt maius, quia ſatiaſti (*a*) quinque millia hominum, ſed quinque panibus hordeaceis, & ſemel tantum; ille vero totum populum ſatiavit manna de cælo annis quadraginta, & hoc in deſerto, ſicnt ſcriptum eſt in Pſal. lxxvii. 24. „ Panem de cælo dedit eis manducare. "

LECTIO IV.

(a) DIxit ergo eis Ieſus: Amen amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo; ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.

(b) Panis enim verus eſt qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo.

(c) Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc.

(d) Dixit autem eis Ieſus: Ego ſum panis vitæ.

(e) Qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet in æternum.

(f) Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non credidiſtis.

(g) Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.

(h) Et eum qui venit ad me, non eiiciam foras.

(i) Quia deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.

(k) Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me Patris ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.

(l) Hæc eſt autem voluntas Patris mei qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.

(m) Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

(a) POſita Iudæorum interrogatione, hic ponitur reſponſio Chriſti. Et primo oſtendit originem cibi ſpiritualis; ſecundo probat eam, ibi, *Panis enim verus eſt qui de cælo deſcendit*. Circa primum ſciendum eſt, quod Iudæi duo propoſuerant Chriſto circa originem cibi corporalis, quem patres eorum habuerunt; ſcilicet datorem, qui fuit Moyſes, & locum, quia de cælo; & ideo (*b*) Dominus circa originem cibi ſpiritnalis hæc duo removens, ponit alium eſſe datorem cibi ſpiritualis, & alium locum: unde dicit, removendo prædicta: *Amen amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo*. Alius eſt qui dat, quia Pater meus non panem corporalem, ſed panem verum de cælo.

Sed contra. Numquid non vere panis fuit quem babuerant patres in deſerto? Reſpondeo: Si accipiatur verum ſecundum quod dividitur contra ſalſum, ſic panis ille verus fuit, non enim ſalſum erat miraculum de manna: ſi autem accipiatur verum, prout veritas dividitur contra figuram, ſic panis ille non fuit verus, ſed figura panis ſpiritualis, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ipſum manna ſignificabat, ut dicit Apoſtolus, I. Corinth. x. 3. „ Omnes eamdem eſcam ſpi„ ritualem manducaverunt. "

Item

(a) *Al.* quinque millia hominum quinque panibus &c. *Item*: quinque millia hominum, ſed panibus &c.
(b) *Al.* quia Dominus.

Item contra hoc quod dicit, *Non dedit vobis panem de cælo*, eſt quod dicitur in Pſal. lxxvii. 24. „ Panem cæli dedit eis. “ Reſpondeo: Cælum accipitur tripliciter. Quandoque pro aere. Matth. xiii. 4. „ Volucres „ cæli comederunt illud. “ Et in Pſal. xvii. 14. „ Intonuit de cælo Dominus. “ Quandoque pro cælo ſidereo, ſecundum illud Pſal. cxiii. 16. „ Cælum cæli Domino. “ Et Matth. xxiv. 19. „ Stellæ cadent de cælo. “ Quandoque vero pro ipſis ſpiritualibus bonis. Matth. v. 12. „ Gaudete, & exultate, quia „ merces veſtra multa eſt in cælo. “ Manna ergo de cælo fuit non ſidereo, ſeu ſpirituali, ſed aereo. Vel dicitur de cælo inquantum erat figura veri panis cæleſtis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

(b) Conſequenter cum dicit, *Panis enim verus eſt qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo*, probat quod ſit de cælo & per effectum eius; verum enim cælum eſt ſpiritualis naturæ, cui per ſe convenit vita, & ideo per ſe vivificat. Infra (hoc cap.) *Spiritus eſt qui vivificat*. Ipſe autem Deus eſt auctor vitæ. Ex hoc ergo cognoſcitur quod panis iſte ſpiritualis eſt de cælo, cum faciat proprium effectum, ſi dat vitam: nam panis ille corporalis vitam non dabat, quia omnes qui manna manducaverunt, mortui ſunt; iſte autem dat vitam; & ideo dicit: *Panis verus eſt*, & non figuralis, *qui de cælo deſcendit*. Et hoc patet, quia *dat vitam mundo*: nam Chriſtus, qui eſt verus panis, quos vult vivificat. Infra x. 10. *Ego veni ut vitam habeant &c.* Ipſe etiam de cælo deſcendit: ſupra iii. 13. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo*. Sic ergo Chriſtus verus panis, vitam dat mundo ratione ſuæ divinitatis, & deſcendit de cælo ratione humanæ naturæ. Nam, ut ſupra iii. dictum eſt, deſcendiſſe de cælo dicitur aſſumendo humanam naturam. Phil. ii. 7. „ Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi acci- „ piens. “

(c) Hic agitur de adeptione cibi ſpiritualis: & primo ponitur petitio ipſius cibi; ſecundo ponitur expoſitio, ibi, *Dixit autem eis Ieſus: Ego ſum panis vitæ*: ubi oſtendit modum adeptionis. Sciendum eſt autem circa primum, quod Iudæi verba Domini carnaliter intelligebant; & ideo quia in deſiderio carnalium erant, cibum carnalem petunt a Chriſto: unde dixerunt ad eum: *Domine, ſemper da nobis hunc panem*, qui reficiat hoc modo. Et Samaritana verbum de aqua ſpirituali carnaliter intelligebat, & indigentia carere volens dixit (ſupra iv. 15.) *Domine, da mihi hanc aquam*. Et licet iſti verba Domini carnaliter de cibo intelligant, & carnaliter petant; tamen eorum petitio ſpiritualiter intellecta, nobis competit: Matth. vi. 11. „ Panem no- „ ſtrum quotidianum da nobis hodie: “ quia non poſſumus ſine hoc pane vivere.

(d) Conſequenter cum dicit, *Dixit autem eis Ieſus: Ego ſum panis vitæ*, oſtendit modum adeptionis: oſtendens primo quid ſit iſte panis; ſecundo quomodo acquiratur, ibi, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*. Circa primum tria facit. Primo ponit expoſitionem panis prædicti; ſecundo expoſitionis rationem aſſignat, ibi, *Qui venit ad me, non eſuriet*; tertio exponendi neceſſitatem manifeſtat, ibi, *Sed dixi vobis &c.* Dixit ergo eis Ieſus: *Ego ſum panis vitæ*: nam, ſicut ſupra dictum eſt, verbum ſapientiæ eſt ſpecialis cibus mentis, quia eo mens ſuſtentatur. Eccli. xv. 3. „ Cibavit illum pane vitæ, & intelle- „ ctus. “ Dicitur autem panis ſapientiæ eſſe panis vitæ ad differentiam panis corporalis, qui eſt panis mortis, qui non competit niſi ad reſtaurandum defectum mortalitatis, unde & ſolum in hac vita mortali neceſſarius eſt; ſed panis ſapientiæ divinæ eſt per ſe vivificativus, nec habet mortem contrariam. Item panis corporalis non dat vitam, ſed tantum præexiſtentem ſuſtentat ad tempus; ſed panis ſpiritualis ita vivificat quod dat vitam: nam anima incipit vivere per hoc quod adhæret verbo Dei. Pſal. xxxv. 10. „ Apud te „ eſt fons vitæ. “ Quia ergo omne verbum ſapientiæ derivatur a Verbo Dei unigenito: Eccli. i. 5. „ Fons ſapientiæ Unigenitus Dei, „ reſidens in excelſo: “ ideo ipſum Dei Verbum principaliter dicitur panis vitæ: & ideo Chriſtus dicit: *Ego ſum panis vitæ*. Et quia caro Chriſti ipſi Verbo Dei unita eſt, habet etiam quod ſit vivificativa, unde & corpus ſacramentaliter ſumptum vivificativum eſt: nam per myſteria quæ Chriſtus in carne ſua complevit, dat vitam mundo; & ſic caro Chriſti, propter Domini verbum, panis eſt, non conſuetæ vitæ, ſed illius quæ morte non reſeratur: & ideo caro Chriſti dicitur panis. Geneſ. penult. 20. „ Aſſer, pinguis panis „ eius. “ Significatur etiam per manna, I. Corinth. xi. Manna interpretatur Quid eſt hoc? quia Iudæi illud videntes admirabantur, dicentes unus ad alium, Quid eſt hoc? Sed nihil eſt admirabilius quam Filius Dei homo factus, ita ut cuilibet contingat quærere, Quid eſt hoc? ideſt, quomodo Filius Dei, Filius hominis eſt; quomodo ex duabus naturis fit una perſona Chriſti? Eſa. ix. 6. „ Vocabitur nomen eius admirabilis. “ Eſt etiam mirabile quomodo Chriſtus ſit ſub ſacramento.

(e) Con-

(e) Conſequenter cum dicit, *Qui venit ad me, non eſuriet*, aſſignat rationem expoſitionis, & hoc ex effectu iſtius panis. Panis enim corporalis comeſtus non in perpetuum famem auſert, cum corrumpatur, & reficiat, & ideo exigitur ad nutrimentum; panis autem ſpiritualis dans per ſe vitam, numquam corrumpitur; & ideo homo ſemel comedens, numquam eſurit: & ideo dicit: *Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet in æternum*. Hoc autem quod dicit, ſcilicet *Qui venit, & qui credit, non eſuriet, nec ſitiet*, non differunt ſecundum Auguſtinum, quia idem eſt venire ad eum, & credere in eum: quia ad Deum venimus non paſſibus corporis, ſed mentis, quorum primus eſt fides. Idem eſt etiam comedere & bibere: utroque enim ſignificatur æterna ſatietas, ubi nulla eſt egeſtas. Matth. v. 6. „ Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur: “ ut ſit idem cibus ſuſtentans, & potus reſrigerans. Cauſa autem quare temporalia non auſerunt ſitim in perpetuum, una quidem eſt, quia non ſimul ſumuntur, ſed paulatim, & quaſi cum motu, & ideo ſemper reſtat aliquid ſumendum; & propter hoc ſicut congruit delectatio, & ſatietas ex iam ſumpto, ita & deſiderium reſtat ex ſumendo. Alia vero eſt, quia corrumpuntur, unde remanet memoria ex corrupto, & generatur iterato deſiderium eorum. Spiritualia vero & ſimul ſumuntur, & non corrumpuntur, nec deficiunt; & ideo eorum ſatietas manet in perpetuum. Apoc. VII. 16. „ Non eſurient, neque ſitient. “ Pſal. XXXV. 10. „ Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua (ideſt in ſpiritualibus bonis) uſque in finem. “

(f) Conſequenter cum dicit, *Sed dixi vobis &c.* ponitur exponendi neceſſitas: poſſet enim aliquis dicere: Nos quæſivimus panem; ſed tu non reſpondes: Dabo vobis illum; vel, Non dabo; ſed potius dicis: *Ego ſum panis vitæ*: & ideo non videtur bona reſponſio tua. Sed quod bona ſit, oſtendit Dominus dicens: *Dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non credidiſtis*: quod idem eſt ac ſi aliquis haberet panem coram ſe, ignorans illum; & dicatur ei: Ecce panis coram te eſt. Et ideo dicit: *Dixi vobis (Ego ſum panis vivus) & vidiſtis me, & non credidiſtis*; ideſt, deſideratis panem, & habetis illum coram vobis; & tamen non ſumitis, quia non creditis. In quo eorum incredulitatem improperat eis. Infra XV. 24. *Sed viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*.

(g) Conſequenter cum dicit, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*, oſtendit quomodo acquiratur: & primo ponit modum acquirendi; ſecundo finem perventionis, ibi, *Et eum qui venit ad me, non eiiciam foras*; tertio manifeſtat quod dicit, ibi, *Quia deſcendi de cælo &c.* Sciendum eſt circa primum, quod ipſum credere noſtrum eſt nobis ex dono Dei. Epheſ. II. 8. „ Gratia ſalvati eſtis, & non ex vobis, Dei enim donum eſt. “ Philip. I. 29. „ Vobis datum eſt ut non ſolum in illum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini. “ Dicitur autem quandoque Deus Pater dare Filio homines credentes, ſicut hic: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*. Quandoque Filius dat Patri, ſicut illud I. Corinth. XV. 24. „ Cum tradiderit regnum Deo & Patri. “ Ex quo intelligimus quod ſicut Pater dans non adimit ſibi regnum, ita nec Filius. Pater autem Filio dat, inquantum facit hominem verbo ſuo adhærere. I. Corinth. I. 9. „ Per quem (ſcilicet Patrem) vocati eſtis in ſocietatem Filii eius. “ Filius vero tradit Patri, inquantum Verbum eſt maniſeſtativum ipſius Patris. Infra XVII. 6. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Sic ergo dicit: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*; ideſt, qui in me credunt, quos Pater mihi facit adhærere ex dono ſuo.

Sed diceret forte aliquis, quod non neceſſarium eſt quod aliquis dono Dei utatur: multi enim (a) recipiunt donum Dei, qui non utuntur eo. Quomodo ergo dicit: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*? Ad quod dicendum eſt, quod in datione iſta non ſolum intelligitur habitus, qui eſt fides, & huiuſmodi, ſed etiam interior inſtinctus ad credendum. Quicquid autem facit ad ſalutem, totum eſt ex dono Dei.

Sed reſtat quæſtio: quia ſi omne quod dat Pater Chriſto, ad eum vadit, ut ipſe dicit, illi ſoli ad Deum vadunt quos Pater dat ei: non ergo debet imputari illis qui non vadunt, cum non dentur ei. Ad quod dicendum, quod non imputatur eis, ſi abſque auxilio Dei ad fidem venire non poſſunt; ſed hoc ei imputatur qui non venit, quia impedimentum præſtat quod non veniat, avertens ſe a ſalute, cuius via, quantum in ſe eſt, omnibus eſt aperta.

(h) Finis autem perventionis ponitur cum dicit: *Et eum qui venit ad me, non eiiciam foras*. Poſſet enim aliquis dicere: Veniemus ad te; ſed tu non recipies nos. Et ideo dicit, hoc excludens: *Eum qui venit ad me*, paſſibus fidei, & bonis operationibus, *non*

eiiciam

(a) *Al.* reſpiciunt.

Digitized by Google

eiiciam foras: in quo dat intelligere, (*a*) eſſe ſe intus: illud eſt enim intus unde exitur foras. Attendamus ergo quid ſit iſtud intrinſecum, & quomodo inde eiiciantur.

Sciendum quidem igitur eſt, quod omnia viſibilia cum dicantur eſſe quaſi quædam exteriora reſpectu ſpiritualium, quanto aliquid eſt magis ſpirituale, tanto magis eſt intrinſecum. Ergo duplex eſt intrinſecum. Unum eſt profundiſſimum, ſcilicet gaudium vitæ æternæ, quod, ſecundum Auguſtinum, eſt magis penetrale & dulce ſecretum ſine tædio, ſine amaritudine malarum cogitationum, ſine interpellatione tentationum, & dolorum: de quo dicitur Matth. xxv. 21. „ Intra in gaudium domini tui. " Et Pſal. xxx. 21. „ Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ: " ideſt, in plena viſione tuæ eſſentiæ. Et ab hoc intrinſeco nullus eiicietur. Apoc. III. 12. „ Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei vivi, & foras non egredietur amplius: " quia, ut dicitur Matth. xxv. 46. „ ibunt iuſti in vitam æternam. " Aliud intrinſecum eſt rectitudo conſcientiæ, quæ eſt ſpirituale gaudium; & de hoc dicitur Sapient. VIII. 16. „ Intrans in domum meam, conquieſcam. " Et Canticorum I. 3. „ Introduxit me Rex in cellaria ſua. " Et de iſto aliqui eiiciuntur. Et ideo quod Dominus dicit, *Non eiiciam foras*, poteſt dupliciter intelligi. Uno modo ut illi dicantur ad ipſum venire qui ſunt dati ei a Patre per æternam prædeſtinationem: & de illis dicit: *Eum qui venit ad me*, prædeſtinatus a Patre, *non eiiciam foras*. Rom. XI. 2. „ Non repulit Deus plebem ſuam quam elegit. " Alio modo quia illi qui egrediuntur non tamquam a Chriſto eiecti egrediantur; ſed cauſa eiectionis ſit ex parte ipſorum, qui per infidelitatem, & peccata, a ſecreto rectæ conſcientiæ recedunt. Et ſic dicitur: *Non eiiciam* ego *foras*; ſed ipſi ſe eiiciunt. Hier. XXIII. 33. „ Vos eſtis onus, proiiciam vos, dicit Dominus. " Et hoc modo eiectus eſt foras qui ad nuptias intraverat; non habens veſtem nuptialem, ut dicitur Matth. XXII.

(i) Rationem autem præmiſſorum aſſignat, cum dicit: *Quia deſcendi de cælo &c.* Et primo ponit propoſitum de implenda voluntate Patris; ſecundo manifeſtat quæ ſit voluntas Patris, ibi, *Hæc eſt voluntas eius qui miſit me Patris*; tertio oſtendit finalem voluntatis impletionem, ibi, *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*.

Circa primum ſciendum eſt, quod littera iſta poteſt legi dupliciter. Uno modo ſecundum Auguſtinum, alio modo ſecundum Chryſoſtomum. Secundum Auguſtinum quidem ſic. *Eum qui venit ad me, non eiiciam foras*; & hoc ideo, quia ille venit ad me qui meam humilitatem imitatur. Matth. XII. 28. cum diceret Dominus: „ Venite ad me omnes qui „ laboratis: " conſequenter ſubdit: „ Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. " Vera autem Filii Dei mititas in hoc eſt, quia voluntatem ſuam ſuppoſuit voluntati Patris. Et ideo dicit: *Non eiiciam, quia deſcendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me*. (*b*) Propterea anima a Deo exiit, quia ſuperba erat; & ideo neceſſe eſt humilitate regredi veniendo ad Chriſtum per imitationem ſuæ humilitatis, quæ in hoc eſt quod non facit voluntatem ſuam ſolum, ſed Dei Patris.

Sciendum eſt autem, quod in Chriſto fuit duplex voluntas. Una ſecundum humanam naturam, quæ eſt ſibi propria, & natura, & voluntate Patris; alia ſecundum naturam divinam, quæ eſt eadem cum voluntate Patris. Voluntatem ergo ſuam, ſcilicet humanam, ordinavit ſub voluntate divina, quia obedientiam ſuam ſub effectu paternæ voluntatis oſtendit ipſe, volens voluntatem Patris explere. Pſal. XXXIX. 9. „ Ut faciam voluntatem „ tuam, Deus meus, volui. " Hanc voluntatem fieri in nobis petimus cum dicimus, Matth. VI. 10. „ Fiat voluntas tua. " Illi ergo non eiiciuntur foras, qui non faciunt voluntatem ſuam, ſed voluntatem Dei. Nam (*c*) diabolus volens facere voluntatem ſuam, quod eſt ſuperbiæ, eiectus eſt de cælo, & primus homo de paradiſo.

Secundum Chryſoſtomum vero ſic. Ideo non eiicio foras eum qui venit ad me, quia ad hoc veni, ut impleam voluntatem Patris de ſalute hominum. Si ergo pro ſalute hominum incarnatus ſum, quomodo debeo eos eiicere? Et hoc eſt quod dicit: Ideo non eiicio, *quia deſcendi de cælo non ut faciam voluntatem meam*, ſcilicet humanam, ut proprium mihi acquiram; *ſed voluntatem eius qui miſit me*, Patris: qui „ vult omnes homines ſalvos fieri: " ut dicitur I. Timoth. II. 4. Et ideo quantum eſt ex me, nullum eiicio. Rom. V. 10. „ Si enim cum „ inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per „ mortem Filii eius, multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius. "

(k) Quæ autem ſit voluntas Patris, exponit primo, cum dicit: *Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me Patris &c.* ſecundo rationem aſſignat, ibi, *Hæc eſt enim voluntas Patris mei &c.* Dixit ergo: Non eiiciam foras eos

(a) *Al.* deeſt eſſe. (b) *Al.* Propter animam a Deo exiit. (c) *Al.* cum diabolus.

eos qui ad me veniunt, quia carnem aſſumpſi ut faciam voluntatem Patris. *Voluntas autem eius qui miſit me Patris, hæc eſt*, ſcilicet *ut non eiiciam foras*; & ideo non eiiciam. I. Theſſal. IV. 3. „ Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. " Et ideo dicit: *Ut omne quod dedit mihi*, Pater, *non perdam ex eo*; ideſt, ut nihil perdam, quouſque perveniat ad reſurrectionem futuram, in qua aliqui perdentur; non tamen de illis qui dati ſunt ei per æternam prædeſtinationem, ſed impii. Pſal. I. 7. „ Iter impiorum peribit. " Illi vero qui uſque tunc conſervantur, non perdentur. Per hoc autem quod dicit, *Non perdam*, non eſt intelligendum, quod indigeat eorum, aut quod detrimentum ſit ei, ſi pereunt. Sed dicit hoc propter affectum ſuum ad ſalutem illorum, & bonum illorum, quod reputat ſuum.

Sed contra eſt quod dicitur infra XVII. 12. *Nemo ex eis*, ſcilicet quos dediſti mihi, *periit, niſi filius perditionis*. Ergo aliqui eorum qui dati ſunt ei per æternam prædeſtinationem, perduntur. Non eſt ergo verum hoc quod dicit, *Non perdam ex eo*. Sed dicendum eſt, quod ex illis qui dati ſunt ei per præſentem iuſtitiam, perduntur, non autem de illis qui dati ſunt per æternam prædeſtinationem.

(l) Rationem autem divinæ voluntatis ponit cum dicit: *Hæc eſt autem voluntas Patris mei &c.* Ratio quare Pater vult quod non perdam ex eo quod dedit mihi, eſt quia voluntas Patris eſt vivificare ſpiritualiter homines: quia ipſe eſt fons vitæ: &, quia æternus eſt, quantum eſt de ſe, voluntatis eius eſt ut omnis qui venit ad me habeat vitam æternam. Et hoc eſt quod dicit: *Hæc eſt voluntas Patris qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*. Sed attendendum eſt quod ſupra v. 24. dixit: (*a*) *Qui videt Filium, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam*: hic vero dicit: *Qui credit in eum*: ut det intelligere eamdem divinitatem Patris, & Filii: cuius viſio per eſſentiam eſt ultimus finis noſter, & obiectum fidei. Quod vero dicit, *Videt*, non intelligitur de viſione per eſſentiam, quam præcedit fides, ſed de viſione corporali Chriſti, quæ inducit ad fidem. Et ideo ſignanter dicit: *Qui videt Filium, & credit in eum*. Supra v. 24. *Qui credit in eum .... non indicatur, ſed tranſiet a morte in vitam*. Infra XX. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quoniam Ieſus Chriſtus eſt Filius Dei, ut credentes vitam habeatis in nomine eius*.

(m) Hæc autem Patris voluntas ſimiliter implebitur; (*b*) & ideo ſubdit: *Et Ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*: quia ita vult ut non ſolum in anima, ſed etiam in corpore habeat vitam æternam (Dan. XII. 2. „ De his „ qui in pulvere dormiunt evigilabunt alii „ in vitam æternam, alii vero in opprobrium „ ſempiternum ") ſicut & Chriſtus reſurrexit. Rom. VI. 6. „ Chriſtus reſurgens ex mor„ tuis (*c*) iam non moritur &c. "

LECTIO V.

(a) MUrmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi: & dicebant:

(b) Nonne hic eſt filius Ioſeph, cuius nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo deſcendi?

(c) Reſpondit ergo Ieſus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.

(d) Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

(e) Eſt ſcriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quiſquam; niſi is qui eſt a Deo, hic vidit Patrem.

(a) POſita doctrina Chriſti, hic excluditur contradictio prædictæ doctrinæ: & primo quantum ad turbas murmurantes; ſecundo quantum ad diſcipulos dubitantes, ibi, *Multi ergo audientes ex diſcipulis eius dixerunt &c.* Circa primum duo facit. Primo exprimit murmur turbarum de origine ſpiritualis cibi; ſecundo mitigat eorum litigium de cibi ſpiritualis manducatione, ibi, *Litigabant ergo Iudæi*. Circa primum duo facit. Primo ponitur murmur turbarum; ſecundo repreſſio murmuris, ibi, *Reſpondit ergo Ieſus, & dixit eis*. Circa primum duo facit. Primo ponitur occaſio murmuris; ſecundo ponuntur murmuran-

(a) Ibi: *Qui verbum meum audit, & credit ei &c.* (b) *Al.* & ideo ſubdit: Et quia ita vult &c. (c) *Al.* *omittitur* iam.

rantium verba, ibi, *Nonne iſte eſt filius Ioſeph?* Concludit ergo ex præmiſſis verbis Chriſti, quod quidam de quodam dictorum verborum murmurabant, quia ſcilicet dixerat: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi*: quem quidem ſpiritualem panem non capiebant, nec deſiderabant; & ideo murmurabant, quia in ſpiritualibus mentem fundatam non habebant, & huius rei antiquam conſuetudinem habebant, ſecundum illud Pſal. cv. 25. „ Murmuraverunt in tabernaculis. “ Et I. Corinth. x. 10. „ Neque murmuraveritis, ſicut quidam „ eorum murmuraverunt. “ Ideo autem, ut Chryſoſtomus dicit, uſque huc non murmurabant, quia ſemper ſperabant ſe conſecuturos corporalem eſcam: qua ſpe ſubtracta, ſtatim murmurare incipiunt, licet aliam cauſam prætendant. Non autem manifeſte contradicunt propter reverentiam quam adhuc habebant ad ipſum, ex memoria præcedentis miraculi.

(b) Verba autem murmurantium ponit cum dicit: *Nonne hic eſt filius Ioſeph?* Quia enim carnales erant, carnalem Chriſti generationem ſolam conſiderabant, ex qua impediebantur ne cognoſcerent ſpiritualem, & æternam; & ideo de ſola carnali loquuntur, ſecundum illud ſupra III. 31. *Qui de terra eſt, de terra loquitur*: & ſpiritualem non capiunt, unde ſubdunt: *Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo deſcendi?* Vocant autem eum filium Ioſeph propter reputationem: quia nutritius eius erat, ſecundum illud Luc. III. 23. „ Ut „ putabatur filius Ioſeph. “

(c) Murmurationis autem repreſſio ponitur cum dicit: *Reſpondit ergo Ieſus, & dixit eis*. Et primo reprimit ipſorum murmur; ſecundo ſatisfacit dubitationi, ibi, *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam*. Circa primum duo facit. Primo cohibet eorum murmur; ſecundo aſſignat cauſam murmuris eorum, ibi, *Nemo poteſt venire ad me &c.* Cognoſcens ergo Ieſus eorum murmur, reſpondit; & comprimens ipſum murmur eorum, dixit eis, *Nolite murmurare &c.* Hoc namque eſt ſalubre documentum: qui enim murmurat, oſtendit mentem ſuam in Deo non eſſe firmatam; & ideo dicitur Sap. I. 11. „ Cuſtodite vos a murmuratione, quia „ nihil prodeſt. “ Cauſa autem murmuris eſt infidelitas eorum; & ideo hanc oſtendit dicens: *Nemo poteſt venire ad me &c.* ubi primo oſtendit neceſſariam eſſe Patris attractionem ad hoc ut veniatur ad Chriſtum; ſecundo oſtendit modum attrahendi, ibi, *Eſt ſcriptum in Prophetis &c.* Circa primum tria facit. Primo ponit humanæ facultatis defectum; ſecundo divini auxilii ſubſidium; tertio auxilii finem, ſeu fructum. Eſt ergo humana facultas deficiens ad veniendum ad Chriſtum per fidem: & ideo dicit: *Nemo poteſt venire ad me*. Secundo divinum auxilium eſt efficax ad ſubveniendum: unde ſubdit: *Niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Sed finis, ſeu fructus eſt optimus: unde ſequitur: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Dicit ergo primo: Non eſt mirum ſi murmuratis, quia nondum eſtis tracti a Patre ad me: nam *nemo poteſt ad me venire*, in me credendo, *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*.

Sed hic eſt triplex quæſtio. Prima eſt de hoc quod dicit: *Niſi pater traxerit eum*. Cum enim ad Chriſtum veniamus credendo, ſicut ſupra eodem dictum eſt, venire ad Chriſtum eſt credere in eum; credere autem nullus poteſt niſi volens. Cum ergo tractio importet violentiam quamdam: ergo qui tractus venit ad Chriſtum, cogitur. Reſpondeo dicendum, quod hoc quod hic dicitur de hac tractione Patris, non importat coactionem, cum non omne trahens faciat violentiam. Sic ergo multipliciter Pater trahit ad Filium, ſecundum multiplicem modum trahendi abſque violentia in hominibus. Nam aliquis homo trahit aliquem perſuadendo ratione; & hoc modo Pater trahit homines ad Filium, demonſtrando eum eſſe Filium ſuum; & hoc dupliciter: vel per internam revelationem: Matth. XVI. 17. „ Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi (ſcilicet Chriſtum „ eſſe Filium Dei vivi) ſed Pater meus: “ vel per miraculorum operationem, quam habet a Patre. Supra v. 36. *Opera quæ dedit mihi Pater, ipſa teſtimonium perhibent de me*. Item aliquis trahit alium alliciendo. Prov. VII. 21. „ Blandiciis labiorum ſuorum protraxit eum. “ Et hoc modo illi qui attendunt ad Ieſum propter auctoritatem paternæ maieſtatis, trahuntur a Patre. Quicumque enim credit in Chriſtum, propter hoc quod credit eum Filium Dei, hunc Pater trahit ad Filium, ideſt paterna maieſtas. Hoc modo non (*a*) trahitur Arrius, qui Chriſtum non verum Dei Filium, nec de ſubſtantia Patris genitum credebat. Non ſic tractus eſt Photinus, Chriſtum purum hominem dogmatizans. Sic ergo trahuntur a Patre, ſua maieſtate allecti; ſed trahuntur etiam a Filio, admirabili delectatione, & amore veritatis, quæ eſt (*b*) ipſe Filius Dei. Si enim, ut dicit Auguſtinus, trahit ſua quemque voluptas, quanto fortius debet homo trahi ad Chriſtum, ſi delectatur veritate, beatitudine,

(a) *Al.* trahit. (b) *Al.* ipſe eſt Filius Dei.

iuſtitia, ſempiterna vita, quod totum eſt Chriſtus? Ab iſto ergo ſi trahendi ſumus, trahamur per dilectionem veritatis: ſecundum illud Pſal. xxxvi. 4. „ Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. “ Hinc ſponſa dicebat Cant. i. 3. „ Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum. “ Sed quia non ſolum revelatio exterior, (*a*) vel obiectum, virtutem attrahendi habet, ſed etiam interior inſtinctus impellens, & movens ad credendum; ideo trahit multos Pater ad Filium per inſtinctum divinæ operationis moventis interius cor hominis ad credendum. Phil. ii. 13. „ Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. “ Oſeæ ii. 4. „ In funiculis Adam traham eos in vinculis caritatis. “ Proverb. xxi. 1. „ Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud. “

Secunda quæſtio eſt: quia cum dicatur, quod Filius trahit ad Patrem: Matth. xi. 27. „ Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare: “ & infra xvii. 6. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi*: quomodo hic dicitur, quod Pater trahit ad Filium? Sed dicendum, quod ad hoc poteſt dupliciter reſponderi: nam de Chriſto poſſumus loqui aut ſecundum quod eſt homo, aut ſecundum quod eſt Deus. Secundum autem quod homo, Chriſtus eſt via: infra xiv. 6. *Ego ſum via*: & ſecundum quod eſt Chriſtus, ducit ad Patrem, ſicut via ad terminum ſeu finem. Pater vero trahit ad Chriſtum hominem inquantum dat nobis ſuam virtutem, ut credamus in Chriſtum. Epheſ. ii. 8. „ Gratia ſalvati eſtis, (*b*) & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. “ Inquantum eſt Chriſtus, eſt Verbum Dei, & manifeſtativum Patris. Sic Filius trahit ad Patrem. Pater autem trahit ad Filium inquantum manifeſtat ipſum.

Tertia quæſtio eſt de hoc quod dicit, quod nemo venire poteſt niſi tractus a Patre: quia ſecundum hoc, ſi nullus veniat ad Chriſtum, non imputatur ei, ſed ei qui non trahit eos. Reſpondeo dicendum, quod vere nullus venire poteſt niſi tractus a Patre: nam ſicut grave per naturam non poteſt per ſe ſurſum ferri niſi trahatur ab alio, ita cor humanum ex ſe ad inferiora tendens, non poteſt ſurſum elevari niſi tractus. Si vero non elevatur, non eſt defectus ex parte trahentis, qui quantum in ſe eſt, nulli deficit; ſed eſt propter impedimentum eius qui non trahitur. Aliter autem, quantum ad hoc pertinet, poſſumus loqui de hominibus in ſtatu naturæ integræ, & aliter in ſtatu naturæ corruptæ: nam in natura integra non erat aliquod impedimentum prohibens ab hac tractione: unde tunc omnes homines huius tractionis poterant eſſe participes; ſed in natura corrupta omnes per impedimentum peccati æqualiter prohibentur ab hac tractione; & ideo omnes indigent trahi. Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit quantum in ſe eſt; & quod plus eſt, non ſolum attrahit manum recipientis, ſed etiam averſos a ſe convertit, ſecundum illud Thren. ult. 21. „ Converte nos Domine, & convertemur: “ & in Pſal. lxxxiv. 7. ſecundum aliam litteram: „ Deus tu (*c*) convertens vivificabis nos. “ Ex quo ergo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe trahere, non imputatur ei, ſi aliquis non accipiat, ſed ei qui non accipit.

Quare autem non omnes averſos trahit, ſed aliquos, licet ſint omnes æqualiter averſi: ratio quidem in generali poteſt aſſignari, ut ſcilicet in illis qui non trahuntur, appareat, & refulgeat ordo divinæ iuſtitiæ; in illis autem qui trahuntur, immenſitas divinæ miſericordiæ. Quare autem in ſpeciali trahat hunc, & illum non trahat, non eſt ratio aliqua, niſi beneplacitum voluntatis divinæ: unde dicit Auguſtinus: „ Quem trahat, & quem non trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare. (*d*) Sed accipe, & intellige: nondum traheris, ora ut traharis. “ Hoc etiam oſtendi poteſt per exemplum: nam aſſignari poteſt ratio quare (*e*) artifex ponit aliquos lapides inſerius, & aliquos ſuperius, & aliquos ex lateribus, ex diſpoſitione domus, cuius complementum hoc exigit. Sed quare hos lapides hic ponat, & hos ibi, dependet a ſua ſimplici voluntate. Et inde eſt quod prima ratio diſpoſitionis refertur ad voluntatem artificis. Sic ergo Deus ad complementum univerſi quoſdam quidem trahit, ut in eis appareat ſua miſericordia; quoſdam vero non trahit, ut oſtendatur in eis ſua iuſtitia. Sed hos trahit, illos non trahit ſecundum ſuum beneplacitum voluntatis. Similiter etiam quare in Eccleſia aliquos fecit Apoſtolos, alios Confeſſores, alios Martyres: ratio eſt propter Eccleſiæ decorem, & complementum. Sed quare Petrum fecit Apoſtolum, Stephanum Martyrem, & Nicolaum Confeſſorem: non eſt alia ratio niſi voluntas ſua. Sic ergo patet humanæ facultatis defectus, & auxilii divini ſubſidium.

(d) Se-

(a) *Al.* nec obiectum. (b) *Al.* & non ex vobis. (c) *Al.* converſus. (d) *Al.* Semel (e) *Al.* deeſt artifex.

Digitized by Google

(d) Sequitur auxilii finis, & fructus, cum dicit: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*, etiam inquaotum homo: nam per ea quæ Chriſtus in carne ſua geſſit, (*a*) conſequimur reſurrectionis fructum. I. Corinth. xv. 21. „ Sicut per hominem mors, ita & per „ hominem reſurrectio mortuorum. “ *Ego* ergo, ſecundum quod homo, *reſuſcitabo eum*, non ſolum ad vitam naturæ, ſed etiam ad vitam gloriæ; & hoc *in noviſſimo die*. Tenet enim fides catholica, quod ſtatus mundi innovabitur. Apoc. xxi. 1. „ Vidi cælum novum, & „ terram novam. “ Et inter alia quæ ad hanc ionovatiooem concurrent, credimus cæli motum ceſſare, & per conſequens tempus. Apoc. x. 5. „ Et Angelus quem vidi ſtantem „ ſuper mare, & ſuper terram, levavit ma- „ num ſuam ad cælum. “ Et infra (ibid. 6.) „ Quia tempus non erit amplius. “ Quia ergo ceſſante tempore io reſurrectione, ceſſabit etiam nox, & dies, ſecundum illud Zachar. xiv. 7. „ Erit dies una, quæ nota eſt Do- „ mino, non dies, neque nox; “ ideo dicit: *Reſuſcitabo eum in noviſſimo die*.

Quare autem uſque tunc cæli motus duret, & tempus, non minus, vel amplius, ſciendum eſt, quia illud quod eſt propter aliud, diverſimode diſponitur ſecundum diverſam diſpoſitionem eius propter quod eſt. Omnia autem corporalia propter hominem facta ſunt; & ideo ſecundum diverſam diſpoſitionem hominis diverſimode ea diſpooi oportet. Quia ergo in hominibus quando reſurgent, inchoabitur ſtatus incorruptionis, ſecundum illud I. Cor. xv. 54. „ Mortale hoc induet incor- „ ruptionem; “ ideo ceſſabit tunc etiam corruptio in rebus: unde ceſſabit motus cæli, qui eſt cauſa generationis, & corruptionis io rebus corporalibus. Rom. viii. 21. „ I- „ pſa creatura liberabitur a ſervitute corru- „ ruptionis in libertatem filiorum Dei. “ Sic ergo patet quod ad fidem oeceſſaria eſt nobis attractio Patris.

(e) Conſequenter cum dicit, *Eſt ſcriptum in Prophetis &c.* determinat modum attrahendi: & primo ponit attrahendi modum; ſecundo attractionis efficaciam, ibi, *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*; tertio excludit opinatum modum attractionis, ibi, *Non quia Patrem vidit quiſquam*. Modus autem attrahendi eſt coogruus, quia trahit revelando, & docendo; & hoc eſt quod dicit: *Scriptum eſt in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei &c.* Beda dicit hoc eſſe ſcriptum in Ioel; ſed oon videtur expreſſe ibi eſſe, licet aliquid conſonum dicitur. Et Ioel ii. 22. „ Filii Sion exultate in Domino Deo „ (*b*) veſtro, quia dabit vobis doctorem „ iuſtitiæ. “ Ideo autem, ſecundum Bedam, dicit, *In Prophetis*, ut det intelligere quod ſenſus iſte poteſt colligi ex diverſis dictis Prophetarum. Sed expreſſius videtur hoc dici Eſa. liv. 13. „ Ponam filios tuos univerſos do- „ ctos a Domino. “ Dicitur etiam Hierem. iii. 15. „ Dabo vobis paſtores iuxta cor „ meum, qui paſcent vos ſcientia, & do- „ ctrina. “

Hoc (*c*) autem quod dicit, *Erunt omnes*, poteſt tripliciter intelligi. Uno modo ut ly *omnes* ſupponat pro omnibus hominibus mundi; alio modo, ut ſupponat pro omnibus qui ſunt in Eccleſia Chriſti; tertio modo pro omnibus qui erunt in regno cælorum.

Si autem dicatur primo modo, videtur oon eſſe verum: nam ſtatim ſubdit: *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Si ergo omnes de mundo erunt docibiles, ergo omnes venient ad Chriſtum. Sed hoc eſt falſum, quia non omoium eſt fides. Sed ad hoc tripliciter reſpondetur. Nam, ſecundum Chryſoſtomum, primo mododicendum, hoc dictum eſſe de pluribus: *Erunt*, inquit, *omnes*, ideſt plurimi; ſecundum quem modum dicitur Matth. viii. 11. „ Multi venient ab orien- „ te, & occidente, &c. “ Secundo, quod *omnes*, quantum eſt ex Deo, *erunt docibiles*; ſed quod aliqui non doceantur, eſt ex parte eorum. Sol enim quantum eſt de ſe, omnes illuminat; poteſt autem ab aliquibus noo videri, ſi claudaot oculos, vel ſi ſint cæci. Et hoc modo dicit Apoſtolus II. Tim. ii. 4. „ Uult omoes homines ſalvos fieri, & ad a- „ gnitionem veritatis venire. “ Tertio modo, ſecundum Auguſtinum, quod hæc eſt (*d*) accommoda diſtributio, ut dicatur: *Omnes erunt docibiles Dei*; ideſt, omnes qui docentur, a Deo docentur: ſicut loquimur de aliquo litterarum magiſtro: (*e*) dicimus enim ſi eſt in civitate: Solus iſte docet omnes pueros de civitate, quia nullus docetur in ea niſi ab illo. Et hoc modo dicitur ſupra 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

Si autem exponatur de illis qui ſunt in Eccleſia congregati, dicitur: *Erunt omnes*, ſcilicet qui ſunt in Eccleſia, *docibiles Deo*: nam Eſa. liv. 13. dicitur: „ Ponam univerſos fi- „ lios doctos a Domino. “ In quo quidem oſtenditur ſublimitas fidei chriſtianæ, quæ oon inhæret doctrinæ humanæ, ſed doctrinæ

(a) *Al.* conſequitur, (b) *Al.* noſtro. (c) *Al.* Hoc autem eſt quod dicit. (d) *Al.* accommodata. (e) *Al.* dicimus enim, ſicut in civitate ſolus docet, quia nullus docetur &c.

nae Dei. Doctrina enim veteris teſtamenti data fuit per Prophetas; ſed doctrina novi teſtamenti eſt per ipſum Filium Dei. Heb. I. I. „ Multifario multiſque modis (ideſt, in „ veteri teſtamento) Deus loqnens patribus „ in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus „ eſt nobis in Filio. “ Et ibid. II. 3. „ Quae „ cum initium accepiſſet (*a*) enarrari per „ Dominum, ab eis qui audierunt, in nos con„ firmata eſt. “ Sic ergo omnes qui ſunt in Eccleſia, ſunt docti non ab Apoſtolis, non a Prophetis, ſed ab ipſo Deo; &, ſecundum Auguſtinum, hoc ipſum quod ab homine docemur, eſt ex Deo, qui docet interius. Matth. XXIII. 10. „ Unus eſt magiſter (*b*) veſter „ Chriſtus. “ Nam intelligentia, quae neceſſaria eſt praecipue ad doctrinam, eſt nobis a Deo.

Si autem exponatur de his qui ſunt in regno caelorum &c. tunc *omnes erunt docibiles Deo*, quia eius eſſentiam immediate videbunt. I. Ioan. III. 2. „ Videbimus eum ſicuti „ eſt. “

Attractio autem Patris efficaciſſima eſt: quia *omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Ubi duo ponit: unum ſcilicet quod pertinet ad donum Dei, cum dicit, *Audivit*, ſcilicet Deo revelante; aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit, *Et didicit*, ſcilicet per aſſenſum: & iſta duo neceſſaria ſunt in omni doctrina fidei. *Omnis qui audivit a Patre*, docente, & manifeſtante, *& didicit*, praebendo aſſenſum, *venit ad me*: venit, inquam, tripliciter, per cognitionem veritatis, per amoris affectum, & per operis imitationem. Et in quolibet oportet quod audiat, & diſcat: nam qui venit per cognitionem veritatis, oportet eum audire, Deo inſpirante, ſecundum illud Pſal. LXXXIV. 9. „ Audiam quid loquatur in me Dominus „ Deus: “ & addiſcere per affectum, ut dictum eſt: qui vero venit per amorem, & deſiderium, ut dicitur infra VII. 37. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*: & hunc oportet audire verbum Patris, & capere illud, ad hoc ut (*c*) addiſcat, & afficiatur. Ille enim diſcit verbum (*d*) qui capit illud ſecundum rationem dicentis; Verbum autem Dei Patris eſt ſpirans amorem: qui ergo capit illud cum fervore amoris, diſcit. Sap. VII. 27. „ In „ animas ſanctas ſe transfert, Prophetas, & „ amicos Dei conſtituit. “ Per operis autem imitationem itur ad Chriſtum, ſecundum illud Matth. XI. 8. „ Venite ad me omnes „ qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. “ Et hoc etiam modo quicumque diſcit, venit ad Chriſtum: nam ſicut concluſio ſe habet in ſcibilibus, ita & operatio in operabilibus. In ſcientiis autem quicumque perfecte diſcit, venit ad concluſionem: ergo in operabilibus qui perfecte verba diſcit, venit ad rectam operationem. Eſa. L. 5. „ Dominus aperuit mihi aurem; ego autem „ non contradico. “

Sed quia aliqui (*e*) poſſent opinari quod omnes homines viſibiliter a Patre audirent, & addiſcerent; ideo ut hoc Dominus excludat, ſubdit: *Non quia Patrem vidit quiſquam*; ideſt, aliquis homo vivens in hac vita non vidit Patrem in ſua eſſentia, ſecundum illud Exod. XXXIII. 20. „ Non videbit me homo, „ & vivet: *niſi is*, ſcilicet Filius, *qui eſt a Deo, hic vidit Patrem*, ſuum per eſſentiam. Vel *quiſquam non vidit Patrem*, viſione comprehenſionis: quia viſione nec homo, nec Angelus eum vidit umquam, nec videre poteſt, *niſi is qui eſt ex Deo*, ideſt Filius. Matth. XI. 27. „ Nemo novit Patrem niſi Filius. “ Cuius quidem ratio eſt, quia cum omnis viſio, ſive cognitio fiat per aliquam ſimilitudinem; ſecundum modum ſimilitudinis, quam habent creaturae ad Deum, ſecundum hoc habent cognitionem ipſius: unde & Philoſophi dicunt, quod intelligentiae cognoſcunt primam cauſam, ſecundum hanc quam habent ſimilitudinem eius. Omnis autem creatura participat quidem aliquam ſimilitudinem Dei, ſed in infinitum diſtantem a ſimilitudine ſuae naturae; & ideo nulla creatura poteſt ipſum cognoſcere perfecte & totaliter, prout eſt in ſua natura. Filius autem, quia perfecte totam naturam Patris accepit per aeternam generationem, ideo totaliter videt, & comprehendit.

Sed attendendum (*f*) ad congruum ordinem loquendi: nam ſupra cum loqueretur de cognitione aliorum, uſus eſt verbo auditus; hic vero cum loquitur de cognitione Filii, utitur verbo viſionis: nam cognitio quae eſt per viſum, eſt immediata, & aperta; ea vero quae eſt per auditum, fit mediante eo qui vidit: ſic & nos cognitionem quam habemus de Patre accepimus a Filio, qui vidit, (*g*) ut ſic nullus Patrem cognoſcat niſi per Chriſtum, qui eum manifeſtat, & nullus ad Filium veniat, niſi a Patre manifeſtante audierit.

(a) *Al.* enarravit. (b) *Al.* videtur. (c) *Al.* addiſcatur. (d) *Al.* qui capit ſecundum rationem dicentis. (e) *Al.* potuerunt: *item* poterunt. (f) *Al.* deſi ad. (g) *Al.* & ſic nullus Patrem cognoſcat niſi Chriſtum.

LE-

LECTIO VI.

(a) AMen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.
(b) Ego ſum panis vitæ.
(c) Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt.
(d) Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.
(e) Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.
(f) Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.
(g) Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.

(a) REpreſſo Iudæorum murmure, conſequenter Dominus ſatisfacit dubitationi quæ orta erat in cordibus Iudæorum de verbo quod dixerat, ſcilicet *Ego ſum panis qui de cælo deſcendi*: (*a*) ubi intendit probare hoc verum eſſe de ſe: & argumentatur ſic. Ille panis deſcendit de cælo qui dat vitam mundo; ſed ego ſum panis dans vitam mundo: ergo ego ſum panis qui de cælo deſcendi &c. Circa hoc tria facit. Primo ponit quaſi minorem ſuæ rationis, ſcilicet *Ego ſum panis vitæ*; ſecundo ponit maiorem, ſcilicet quod panis qui de cælo deſcendit, debet dare vitam, ibi, *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt*; tertio ponit concluſionem, ibi, *Ego ſum panis vivus*. Circa primum duo facit. Primo manifeſtat ſuum propoſitum; ſecundo intentum quaſi probatum inducit, ibi, *Ego ſum panis vitæ*. Propoſitum ſuum eſt oſtendere quod ſit panis vitæ. Panis autem vivificat inquantum ſumitur. Conſtat autem quod qui credit in Chriſtum, ſumit eum intra ſeipſum, ſecundum illud Epheſ. III. 17. „ Habitare Chriſtum per fidem (*b*) „ in cordibus noſtris. “ Si ergo ille qui credit in Chriſtum habet vitam, manifeſtum eſt quod manducando hunc panem vivificatur: ergo iſte panis eſt panis vitæ: & hoc eſt quod dicit: *Amen amen dico vobis, qui credit in me*, fide ſcilicet formata, quæ non ſolum perficit intellectum, ſed etiam affectum (non enim tenditur in rem creditam, niſi ametur) *habet vitam æternam*. Chriſtus autem eſt in nobis dupliciter, ſcilicet in intellectu per fidem, inquantum fides eſt, (*c*) & in affectu per caritatem, quæ informat fidem. I. Ioan. IV. 16. „ Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. “ Qui ergo credit ſic in Chriſtum ut in eum tendat, habet ipſum in affectu, & in intellectu: & ſi addamus, quod Chriſtus eſt vita æterna, ut dicitur I. Ioan. ult. 20. „ Ut ſimus in vero Filio eius „ Ieſu Chriſto: hic eſt verus Deus, & vita „ æterna: “ & ſupra 1. 4. *In ipſo vita erat*: poſſumus inferre, quod quicumque credit in Chriſtum, habet vitam æternam. Habet, inquam, in cauſa, & in ſpe, quandoque habiturus in re.

(b) Manifeſtato propoſito, inducit intentum, cum dicit: *Ego ſum panis vitæ*, ideſt dans vitam, ut evidenter ſequitur ex præmiſſis. De iſto pane Geneſ. penult. 20. „ Aſſer, pinguis „ panis eius præbebit delicias (ſcilicet vitæ „ æternæ) Regibus. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt*, ponit maiorem, ſcilicet quod dare vitam ſit effectus panis de cælo deſcendentis. Et primo præmittit manifeſtationem propoſiti; ſecundo ponit intentum, ibi, *Hic eſt panis de cælo deſcendens*. Propoſitum autem ſuum manifeſtat per contrarium. Dictum eſt enim ſupra, quod Moyſes non dedit Iudæis panem (*d*) de cælo niſi aereo; omnis autem panis qui non eſt de vero cælo, non poteſt vitam ſufficientem dare: ergo hoc eſt proprium panis cæleſtis quod det vitam: & ideo panis Moyſi, unde vos ſuperbitis, non dat vitam: & hoc probat cum dicit: *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt*. Ubi primo exprobrat eorum vitium, cum dicit: *Patres veſtri &c.* quorum ſcilicet eſtis filii non ſolum ſecundum carnis originem, ſed etiam ſecundum operum imitationem, quia eſtis murmuratores, (*e*) ſicut & ipſi „ murmuraverunt in tabernaculis ſuis: “ ut dicitur in Pſal. CV. 25. & ideo dicebat eis, Matth. XXIII. 32. „ Implete menſuram pa„ trum veſtrorum. “ Unde, ſicut Auguſtinus dicit, de nulla re magis Deum (*f*) offendiſſe populus dictus eſt, quam contra Deum murmurando. Secundo inſinuat breve temporis ſpatium, cum dicit, *In deſerto*: non enim longum tempus fuit quo manna eis datum fuit, (*g*) neque ſimul cum eis venit in terram promiſſionis, ſed tantum in deſerto, ut dici-

(a) *Al.* qui. (b) *Al.* omittitur in. (c) *Al.* & affectu. (d) *Al.* de cælo in aereo. (e) *Al.* ſic. (f) *Al.* offendiſſe pro prædictis eſt. (g) *Al.* neque ſimul venit.

dicitur Ioſue v. Iſte autem panis in perpetuum conſervat, & reficit. Tertio manifeſtat cibi defectum: quia non conſervabat vitam indeficientem: unde dicit, *Et mortui ſunt.* Nam, ſicut habetur Ioſue v. omnes qui murmuraverunt, præter Ioſue & Caleb, mortui ſunt in deſerto. Unde, & hæc ſuit cauſa ſecundæ circumciſionis, ſcilicet quod omnis populus qui egreſſus eſt ex AEgypto mortui ſunt in deſerto, ut ibidem dicitur.

Sed quæritur de qua morte Deus hic loquitur. Nam ſi loquitur de morte corporali, nulla differentia erit inter panem illum qui ſuit in deſerto, & panem noſtrum qui de cælo deſcendit: (*a*) quia etiam Chriſtiani qui ſumunt iſtum, corporaliter moriuntur. Si vero loquitur de morte ſpirituali, (*b*) manifeſtum eſt quod hic, & ibi quidam ſpiritualiter moriuntur, & quidam non. Nam Moyſes, & multi qui Deo placuerunt, mortui non ſunt, licet alii mortui ſint. Similiter & qui iſtum panem indigne ſumunt, moriuntur ſpiritualiter. I. Cor. xi. 29. „ Qui enim manducat, & „ bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. "

Ad quod dicendum eſt, quod cibus ille cum cibo noſtro ſpirituali convenit. Conveniunt quidem quantum ad hoc quod uterque idem ſignificat: nam & ille, & iſte Chriſtum ſignat: propter quod dicitur idem cibus. I. Corinth. x. 3. „ Omnes eamdem eſcam manduca- „ verunt. " Eamdem dicit, quia utraque eſt figura ſpiritualis eſcæ. Sed differunt, quia ille figurabat tantum, ſed panis iſte continet quod (*c*) figurat, ſcilicet ipſum Chriſtum. (*d*) Dicendum ergo, quod uterque ciborum iſtorum poteſt dupliciter ſumi: vel quantum ad ſignum tantum, ideſt quod ſumatur ut cibus tantum, non intellecto (*e*) ſignificato; & per hoc non tollitur mors ſpiritualis, ſeu corporalis: vel quod ſumatur quantum ad (*f*) utrumque, ideſt quod ita ſumatur cibus viſibilis ut intelligatur cibus ſpiritualis, & ſpiritualiter guſtetur, ut ſpiritualiter ſatiet; & hoc modo illi qui ſpiritualiter manducaverunt manna, mortui non ſunt ſpiritualiter. Sed & qui Euchariſtiam ſpiritualiter manducant, & abſque peccato (*g*) ſpiritualiter vivunt nunc, & corporaliter vivent in æternum. Habet ergo plus cibus noſter cibo illorum, quia in ſe continet quod figurat.

(d) Manifeſtato ergo propoſito, inducit intentum: unde dicit: *Hic eſt panis de cælo deſcendens.* Et ſecundum Gloſſam, *Hic* dicit demonſtrando ſeipſum. Sed hic (*h*) non eſt intellectus Domini: quia cum ſtatim ſubdat: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi*, eſſet verborum inculcatio. Dicendum eſt ergo, quod Dominus hoc intendit, ut ſcilicet dicat illum panem de cælo deſcendere qui hoc poteſt facere, ſcilicet dare vitam; ſed ego ſum talis: ergo ego ſum panis de cælo deſcendens. Ideo autem panis de cælo deſcendens dat vitam indeficientem, quia omnis cibus nutrit ſecundum proprietatem ſuæ naturæ; cæleſtia autem incorruptibilia ſunt: & ideo quia cibus ille cæleſtis eſt, non corrumpitur, quod quamdiu manet vivificat. Qui ergo manducaverit ex ipſo, non morietur. Sicut ſi aliquis cibus corporalis numquam corrumperetur, dans nutrimentum, ſemper vivificaret; & ideo panis iſte (i) ſignificatus eſt per lignum vitæ quod erat in medio paradiſi, quodammodo dans vitam in perpetuum, ſecundum illud Gen. iii. 22. „ Nunc ergo ne ſorte mittat manum „ ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & come- „ dat, & vivat in æternum. " Si ergo iſte ſit effectus huius panis, ut ſcilicet qui manducat ex eo non moriatur; & ego ſum talis: ergo &c.

(e) Circa hoc ergo duo facit. Primo loquitur de ſeipſo communiter; ſecundo ſpecialiter, ibi, *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt.* Circa primum duo facit. Primo concludit originem ſuiipſius. Secundo oſtendit eius virtutem, ibi, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Dixit ergo: *Ego ſum panis vivus*, & ideo poſſum vitam dare. Panis enim corporalis non in perpetuum vivificat, quia non habet in ſe vitam; ſed vivificat alteratus, & converſus in nutrimentum virtute viventis. *Qui de cælo deſcendi*: hoc expoſitum eſt ſupra iii. quomodo ſcilicet deſcenderit. Et (*k*) per hoc excluduntur hæreſes dicentium Chriſtum purum hominem, quia ſecundum hoc non deſcendiſſet de cælo.

(f) Virtus autem eius eſt dare vitam æternam; & ideo dicit: *Si quis manducaverit ex hoc pane*, ſpiritualiter ſcilicet, *vivet*, non tantum in præſenti per fidem, & iuſtitiam, ſed *in æternum*. Infra xi. 26. *Omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.*

(g) Conſequenter loquitur de corpore, cum dicit: *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt.* Dixerat enim, quod erat panis vivus; & ne intelligatur quod hoc ei eſſet inquantum eſt Verbum, vel ſecundum animam tantum, ideo oſtendit quod etiam caro ſua (*l*) vivificativa eſt: eſt enim organum divinitatis ſuæ: unde cum inſtrumentum agat virtute agentis, ſicut divinitas Chriſti vivificativa (*m*) eſt, ita

(a) *Al.* quare. (b) *Al.* nullum eſt, quia etiam hic & ibi &c. (c) *Al.* figurabat. (d) *Al.* Dicit. (e) *Al.* ſignato. (f) *Al.* utraque. (g) *Al.* ſpiritualiter vivunt, nunc corporaliter, & vivent in æternum. (h) *Al. deeſt* non. (i) *Al.* ſignatus. (k) *Al.* propter. (l) *Al.* vivificata. (m) *Al.* eſt vita.

ita (ut Damaſcenus dicit) & caro virtute Verbi adiuncti vivificat: unde Chriſtus tactu ſuo ſanabat infirmos. Sic ergo quod dixit ſupra, *Ego ſum panis vivus*, pertinet ad virtutem Verbi; hic vero quod ſubdit, pertinet ad commuoionem ſui corporis, ſcilicet ad euchariſtiæ ſacrameotum.

Ubi (*a*) poſſumus quatuor conſiderare circa ipſum ſacramentum, ſcilicet ſpeciem, inſtituentis auctoritatem, ſacramenti (*b*) veritatem, & eius utilitatem. Species quidem ſacramenti: *Hic eſt panis*. Prover. IX. 5. „ Venite, & comedite panem meum. “ Cuius ratio eſt, quia hoc eſt ſacramentum corporis Chriſti; corpus autem Chriſti eſt Eccleſia; quæ conſurgit in unitatem corporis ex multis fidelibus: unde iſtud eſt ſacramentum unitatis Eccleſiæ. Rom. XII. 5. „ Omnes unum „ corpus ſumus. “ Quia ergo panis ex diverſis granis cooficitur, ideo eſt conveniens ſpecies ſacramenti huius: ideo dicit: *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt*. Auctor huius ſacramenti Chriſtus eſt: nam licet ſacerdos conſecret, tamen ipſe Chriſtus dat virtutem ſacramento, (*c*) quia etiam ipſe ſacerdos conſecrat in perſona Chriſti: unde in aliis ſacramentis utitur ſacerdos verbis ſuis, ſeu Eccleſiæ; ſed in iſto utitur verbis Chriſti: quia ſicut Chriſtus corpus ſuum propria voluntate dedit in mortem, ita ſua virtute (*d*) dat ſe in cibum. Matth. XXVI. 26. „ Accipiens pa„ nem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis „ ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt „ corpus meum: “ & ideo dicit: *Quem ego dabo*: & dicit, *Dabo*, quia nondum inſtitutum erat hoc ſacramentum. Veritas autem huius ſacramenti inſinuatur cum dicit, *Caro mea eſt*. Non dicit autem, Caroem meam ſigoificat; ſed *Caro mea eſt*: quia ſecundum rei veritatem hoc quod ſumitur, vere eſt corpus Chriſti. Iob XXXI. 31. „ Si non dixerunt vi„ ri tabernaculi mei: Quis det (*e*) de carni„ bus eius ut ſaturemur? “

Sed cum in iſto ſacramento contineatur totus Chriſtus, quare dixit tantum: *Caro mea eſt*? (*f*) Ad quod reſpondendo, ſciendum eſt, quod in illo myſtico ſacramento totus Chriſtus continetur ſecundum veritatem; ſed corpus eſt ibi ex vi converſionis, divinitas vero, & anima per naturalem concomitantiam. Dato enim per impoſſibile, quod divioitas (*g*) ſeparareturˢ a corpore Chriſti, iam non eſſet in ſacramento divinitas. Similiter etiam ſi in triduo mortis ſuæ aliquis conſecraſſet, non fuiſſet ibi anima Chriſti, ſed tale corpus quale erat in cruce, ſeu in ſepulcro. Ideo autem potius dicit, *Caro*, quia cum hoc ſacramentum ſit dominicæ paſſionis rememorativum, ſecundum illud I. Corioth. XI. 26. „ Quotieſcum„ que manducabitis panem hunc, & calicem „ bibetis, mortem Domini annuntiabitis: “ paſſio autem (*h*) Chriſti fuit ex ioſirmitate, ſecundum illud II. Corinth. ult. 4. „ Mortuus „ eſt ex infirmitate &c. “ ut ergo ioſinuetur infirmitas ex qua mortuus eſt, potius dicit, *Caro mea eſt*: nam hoc nomen infirmitatem ſignificat.

Utilitas autem huius ſacramenti magna eſt, & oniverſalis, Magna quidem, quia efficit in nobis nunc vitam ſpiritualem, tandem æternam, ut dictum eſt. Nam, ut ex ſupradictis apparet, cum hoc ſacramentum ſit dominicæ paſſionis, continet in ſe Chriſtum paſſum: unde quicquid eſt effectus dominicæ paſſionis, (*i*) totom etiam eſt effectus huius ſacramenti. Nihil enim aliud eſt hoc ſacramentum quam applicatio dominicæ paſſionis ad nos. Non enim decebat Chriſtum ſecundum præſentiam ſuam ſemper eſſe nobiſcum; & ideo voluit hoc ſupplere per hoc ſacramentum. Unde manifeſtum eſt quod deſtructio mortis, quam Chriſtus moriendo deſtruxit, & reparatio vitæ, quam reſurgendo effecit, (*k*) eſt effectus huius ſacramenti. Univerſalis autem, quia vita quam confert, non ſolum eſt vita unius hominis, ſed quantum in ſe eſt, totius mundi: ad quam ſufficiens eſt mors Chriſti. I. Ioan. II. 2. „ Ipſe eſt propitiatio pro pec„ catis noſtris, & noo pro noſtris tantum, „ ſed etiam totius mundi. “

Notandum autem eſt, quod aliter eſt in iſto ſacramento, & aliter in aliis: nam alia ſacramenta habent ſingulares effectus, ſicut in baptiſmo ſolus baptizatus ſuſcipit gratiam; ſed in immolatione huius ſacramenti eſt univerſalis effectus: quia non ſolum ſacerdos effectum conſequitur, ſed etiam illi pro quibus orat, & Eccleſia tota, tam vivorum, quam mortoorum. Cuius ratio eſt, quia continetur in ipſo ipſa cauſa univerſalis omnium ſacramentorum, ſcilicet Chriſtus. Nec tamen ſi laicus ſumat hoc ſacrameotum, prodeſt aliis quantum eſt ex opere operato, inquantum conſideratur ut perceptio, quamvis ex intentiooc operantis, & percipientis, poſſit communicari omnibus ad quos dirigit ſuam intentionem. Ex quo patet quod laici ſumentes Euchariſtiam pro his qui ſunt io purgatorio, errant.

(a) *Al.* Vel poſſumus. (b) *Al.* virtutem. (c) *Al.* quia ſacerdos in conſecratione tenet perſonam Chriſti. In aliis autem ſacramentis &c. (d) *Al.* dat ſe cibum. (e) *Al. omittitur* de. (f) *Al.* Ad quod ſciendum eſt. (g) *Al.* ſeparetur. (h) *Al.* Chriſtiani. (i) *Al.* totus. (k) *Al.* & hoc eſt effectus.

LECTIO VII.

(a) Litigabant ergo Iudæi ad invicem, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?

(b) Dixit ergo eis Ieſus: Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

(c) Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam:

(d) Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

(e) Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.

(f) Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

(g) Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.

(h) Hic eſt panis qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt.

(i) Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

(k) Hęc dixit in ſynagoga, docens in Capharnaum.

(a) SUpra repreſſit Dominus murmur Iudæorum, quod ortum habuit de origine cibi ſpiritualis; hic reprimit eorum litigium, quod erat inter eos de ſumptione huius cibi. Et primo ponit eorum litigium; ſecundo Dominus comprimit illud, ibi, *Dixit ergo eis Ieſus &c.* tertio Evangeliſta deſignat locum, ibi, *Hac dixit in Synagoga, docens in Capharnaum*. Circa primum ſciendum eſt, quod Evangeliſta Iudæorum litigium inducit per modum concluſionis, cum dicit: *Litigabant ergo Iudai &c.* Et quidem ſatis congrue: nam, ſecundum Auguſtinum, Dominus locutus fuerat eis de cibo unitatis, quo qui reficiuntur, efficiuntur unanimes, ſecundum illud Pſal. LXVII. 4. „ Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & lætentur in lætitia. “ Et ſequitur, ſecundum aliam litteram: „ Qui habitare facit unanimes in domo. “ Quia igitur Iudæi cibum concordiæ non ſumpſerant, ideo ad invicem litigabant. Eſa. LVIII. 4. „ Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis. “ Ex hoc autem quod litigabant cum aliis, ſe eſſe carnales oſtendebant. I. Cor. III. 3. „ Cum ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis? “ Et ideo hæc verba Domini carnaliter intelligebant, ſcilicet quod caro Chriſti manducaretur, ſicut cibus carnalis: unde dicunt: *Quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum?* quaſi dicant: Hoc eſt impoſſibile; ſicut & patres eorum locuti ſunt contra Dominum, Num. XXI. 5. „ Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. “

(b) Sed hoc eorum litigium comprimitur a Domino: unde: *Dixit ergo eis Ieſus &c.* Ubi primo ponit virtutem ſumptionis huius cibi; ſecundo manifeſtat eam, ibi, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Circa primum tria facit. Primo ponit carnis manducandæ neceſſitatem; ſecundo eius utilitatem, ibi, *Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; tertio ſubdit eius veritatem, ibi, *Caro enim mea vere eſt cibus*. Dixit ergo Ieſus: *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quaſi dicat: Vos reputatis impoſſibile, & incongruum quod carnem meam manducetis; (*a*) ſed non ſolum non eſt impoſſibile, ſed etiam eſt valde neceſſarium, intantum quod *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis*, ideſt non poteritis habere, *in vobis vitam*, ſcilicet ſpiritualem. Nam ſicut cibus corporalis ita eſt neceſſarius ad vitam corporalem, quod ſine eo eſſe non poſſit; (Thren. I. 11. „ Dederunt pretioſa quæque pro cibo: “ & in Pſal. CIII. 5. „ Panis cor hominis confirmet: “) ita cibus ſpiritualis neceſſarius eſt ad vitam ſpiritualem, adeo quod ſine ipſo vita ſpiritualis ſuſtentari non poſſit. Deut. VIII. 3. „ Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. “

Notandum autem, quod hæc ſententia poteſt referri vel ad ſpiritualem manducationem, vel ad ſacramentalem. Sed ſi referatur ad ſpiritualem, nullam dubitationem habet ſententia. (*b*) Ille enim ſpiritualiter carnem Chri-

(a) *Al. deeſt* ſed. (b) *Al.* Ille vero.

Chriſti manducat, & ſanguinem bibit qui particeps fit eccleſiaſticæ unitatis, quæ fit per caritatem. Rom. XII. 5. „ Omnes unum „ corpus eſtis in Chriſto. “ Qui ergo non ſic manducat, eſt extra Eccleſiam, & per conſequens extra caritatem; ideo non habet vitam in ſemetipſo. I. Ioan. III. 4. „ Qui „ non diligit manet in morte. “ Si vero referatur ad ſacramentalem, dubium habet quod dicitur: nam ſupra III. 5. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non poteſt intraire in regnum cælorum*. (a) Sed ſicut propoſita fuit illa ſententia, ita & iſta, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* Cum ergo baptiſmus ſit ſacramentum neceſſitatis, videtur etiam quod euchariſtia. Sed hoc (b) quidem Græci concedunt: unde & pueris baptizatis dant Euchariſtiam & in hoc habent pro eis ritum Dionyſii, qui dicit, quod perceptio cuiuslibet ſacramenti debet conſummari in communione euchariſtiæ, quæ eſt conſummatio omnium ſacramentorum. Sed hoc verum eſt in adultis, non autem in pueris, cum in ſumente euchariſtiam exigatur actualis reverentia, & devotio, quam illi (c) qui non habeat uſum liberi arbitrii, ſicut ſunt pueri, & amentes habere non poſſunt; & ideo nullo modo eis eſt danda.

Dicendum ergo, quod ſacramentum baptiſmatis eſt neceſſarium quantum ad omnes, ut realiter accipiatur, quia ſine eo nullus regeneratur ad vitam; & ideo oportet quod ipſum habeatur in re, vel in voto, quantum ad præoccupatos: nam ſi contemptus in aliquo baptiſmum aquæ excludat, neque baptiſmus flaminis, nec ſanguinis prodeſt ei ad vitam æternam. Sacramentum vero euchariſtiæ eſt neceſſitatis quantum ad adultos tantum, ita quod recipiatur re, vel voto ſecundum Eccleſiæ inſtituta.

Sed ſecundum hoc etiam dubitatur, quia per hæc verba Domini, non ſolum manducatio corporis, ſed etiam ſumptio ſanguinis eſt de neceſſitate ſalutis, præſertim cum perfecta refectio cibi non ſit ſine potu. Cum ergo conſuetudo aliquarum Eccleſiarum ſit quod ſolus ſacerdos communicet de ſanguine, alii vero communicant corpori tantum, videtur huic ſententiæ contrariari.

Reſpondeo dicendum, quod, ſecundum antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem, omnes ſicut communicabant corpori, ita communicabant & ſanguini; quod etiam adhuc in quibuſdam Eccleſiis ſervatur, ubi etiam miniſtri altaris continue (d) & corpori, & ſanguini communicant. Sed propter periculum effuſionis in aliquibus Eccleſiis ſervatur ut ſolus ſacerdos (e) communicet ſanguini, reliqui vero corpori, Nec tamen eſt contra ſententiam Domini: quia qui communicat corpori, communicat etiam ſanguini, cum ſub utraque ſpecie totus Chriſtus contineatur, etiam quantum ad corpus, & ſanguinem. Sed ſub ſpeciebus panis continetur corpus Chriſti ex vi converſionis, ſanguis vero ex naturali concomitantia; ſub ſpeciebus vero vini continetur ſanguis Chriſti ex vi converſionis, corpus vero ex concomitantia naturali. Sic ergo apparet neceſſitas ſumendi hunc cibum ſpiritualem.

(c) Utilitas eius oſtenditur cum dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; & primo quantum ad ſpiritum ſeu animam; ſecundo quantum ad corpus, ibi, *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Eſt ergo utilitas huius manducationis magna, quia dat vitam æternam: unde dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam* Nam cibus iſte ſpiritualis eſt ſimilis quidem corporali in hoc quod ſine ipſo vita ſpiritualis eſſe non poteſt, ſicut nec ſine corporali cibo vita corporalis, ut dictum eſt ſupra; ſed amplius habet ab eo, (f) quia cauſat indeficientem vitam in ſumente, quam cibus corporalis non efficit: non enim qui eum ſumpſerit, vivet. Poteſt enim fieri, ut Auguſtinus dicit, ut ſenio. vel morbo, & aliquo caſu plurimi qui eum ſumpſerint, moriantur; qui vero hunc cibum, & potum corporis, & ſanguinis Domini ſumpſerit, *habet vitam æternam*: & ideo comparatur ligno vitæ: Prov. III. 8. „ Lignum „ vitæ eſt his qui apprehenderint eam: “ unde dicitur panis vitæ: Eccli. XIII. 3. „ Cibavit illum pane vitæ, & intellectus. “ Et ideo dicit, *Vitam æternam*: & hoc quia qui manducat hunc panem habet in ſe Chriſtum, qui „ eſt „ verus Deus, & vita æterna; “ ut dicitur I. Ioan. ult. 20. Sed ille habet vitam æternam, qui manducat, & bibit, ut dicitur, non ſolum ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter. Ille vero ſacramentaliter manducat, & bibit, qui ſumit ipſum ſacramentum; ſpiritualiter vero qui pertingit ad rem ſacramenti, quæ eſt duplex: una contenta, & ſignata, quæ eſt Chriſtus integer, qui continetur ſub ſpeciebus panis, & vini; alia res eſt ſignata, & non contenta, & hoc eſt corpus Chriſti myſticum, quod eſt in prædeſtinatis, vocatis, & iuſtificatis. Sic ergo ſpiritualiter manducat carnem, & bibit ſanguinem per comparationem ad Chriſtum contentum, & ſignatum, qui coniungitur ei per fidem, & cari-

(a) *Al.* Eſt ſicut. (b) *Al.* quidam. (c) *Al. deeſt* qui. (d) *Al.* & corpore, & ſanguine. (e) *Al.* communicetur ſanguine, reliqui vero corpore. (f) *Al.* qui.

tatem, ita quod transformatur in ipſum, & efficitur eius membrum: non enim cibus iſte convertitur in eum qui ſumit, ſed manducantem convertit in ſe, ſecundum Auguſtinum, cum dixit: „ Cibus ſum grandium: „ creſce, & manducabis me: nec tu me mu- „ tabis in te; ſed tu mutaberis in me." Et ideo eſt cibus hominem (a) divinum facere valens, & divinitate inebrians. Item per comparationem ad corpus myſticum ſignatum tantum, ſi fiat particeps unitatis eccleſiaſticæ. Qui ergo ſic manducat, *habet vitam æternam*. Et de primo per comparationem ad Chriſtum ſatis iam patet. Similiter per comparationem ad corpus myſticum, de neceſſitate habebit vitam æternam, ſi perſeveret: nam unitas Eccleſiæ fit per Spiritum ſanctum. Epheſ. IV. 4. „ Unus ſpiritus, & „ unum corpus... qui eſt pignus heredita- „ tis æternæ:" ut dicitur Epheſ. I. 14. Eſt ergo magna utilitas huius cibi, quia dat vitam æternam animæ; ſed etiam magna eſt, quia dat vitam æternam etiam corpori.

(d) Et ideo ſubdit: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Sicut enim dictum eſt, (b) ille qui ſpiritualiter manducat, & bibit, fit particeps Spiritus ſancti, per quem unimur Chriſto unione fidei, & caritatis, & per quem efficimur membra Eccleſiæ. Reſurrectionem autem facit mereri Spiritus ſanctus. Rom. IV. 24. „ Qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum Domi- „ num noſtrum a mortuis, reſuſcitabit & „ mortalia corpora noſtra propter inhabitan- „ tem Spiritum eius in nobis." Et ideo dicit Dominus, quod eum qui manducat, & bibit, reſuſcirabit ad gloriam, non ad condemnationem: quia hæc reſuſcitatio non prodeſſet. Et quidem ſatis congrue huiuſmodi effectus ſacramento euchariſtiæ attribuitur: quia, ut dicit Auguſtinus, & dictum eſt ſupra, Verbum reſuſcitat animas; ſed, Verbum caro factum vivificat corpora. In hoc autem ſacramento non ſolum eſt Verbum, ſecundum ſuam divinitatem, ſed etiam ſecundum veritatem carnis: & ideo non eſt ſolum cauſa reſurrectionis animarum, ſed etiam corporum. I. Cor. XV. 21. „ Per hominem mors, & per „ hominem reſurrectio mortuorum." Patet ergo utilitas huius manducationis.

(e) Veritas autem eius oſtenditur cum dicit: *Caro enim mea vere eſt cibus*. Poſſet enim aliquis credere, quod ea quæ de carne dicta ſunt, & ſanguine, ænigma, & parabola eſſet; & ideo hoc Dominus excludens, dicit: *Caro mea vere eſt cibus*; quaſi dicat: Non intelligatis quod figuraliter loquar; ſed ſecundum veritatem caro mea continetur in cibo fidelium, & ſanguis meus vere continetur in ſacramento altaris. Matth. XXVI. 26. „ Hoc eſt „ corpus meum ... & hic eſt ſanguis meus „ novi teſtamenti." Vel aliter, ſecundum Chryſoſtomum, quia cibus, & potus ſumitur ad refectionem hominis. In homine autem (c) ſunt duæ partes; principalis quæ eſt anima, & ſecundaria quæ eſt corpus. Illud autem quod eſt homo, eſt per anima, non per corpus: illud ergo eſt vere cibus hominis, qui eſt cibus animæ; & hoc eſt quod Dominus dicit: *Caro enim mea vere eſt cibus*: quia non ſolum eſt cibus corporis, ſed etiam animæ. Similiter & ſanguis. Pſalm. XXII. 2. „ Super aquam refectionis educavit me, ani- „ mam meam convertit." Quaſi diceret: Hæc refectio ſpecialiter ad animam ordinatur. Vel aliter, ſecundum Auguſtinum, illud vere dicitur eſſe aliquid quod facit effectum eius; effectus autem cibi eſt ut fatiet: quod ergo vere facit ſatietatem, vere eſt cibus, & potus; hoc autem facit caro, & ſanguis Chriſti, qui ducit ad ſtatum gloriæ, ubi non eſt eſuries, neque ſitis: Apoc. VII. 16. „ Non „ eſurient nec ſitient ampliuſ." & ideo dicit: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*.

(f) Hic probat Dominus cibi ſpiritualis virtutem ſupra poſitam, ſcilicet quod det vitam æternam; & utitur tali argumento. Quicumque manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem conmngitur mihi; ſed qui coniungitur mihi, habet vitam æternam: ergo qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Secundum hoc ergo tria facit. Primo ponit maiorem; ſecundo minorem, & probat eam, ibi, *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*; tertio infert concluſionem, ibi, *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit*. Sciendum eſt ergo quantum ad primum, quod ſi hoc quod dicit, *Qui manducat carnem meam &c.* referatur ad carnem, & ſanguinem myſtice; nulla dubitatio eſt in verbo: nam, ſicut dictum eſt, ille manducat ſpiritualiter per comparationem ad rem ſignatam tantum, qui corpori myſtico incorporatur per unionem fidei, & caritatis: caritas autem facit Deum eſſe in homine, & e converſo. I. Ioan. IV. 16. „ Qui „ manet in caritate, in Deo manet, & Deus „ in eo." Et hoc eſt quod facit Spiritus ſanctus: unde ibid. 13. „ In hoc cognoſcimus „ quoniam in Deo manemus, & Deus in no- „ bis, quia de Spiritu ſuo dedit nobis." Si vero referatur ad ſumptionem ſacramentalem, tunc

(a) *Al. emittuntur* divinum. (b) *Al.* quod ille. (c) *Al.* ſunt duæ partes principales: una quæ eſt anima, & ſecundaria quæ eſt corpus: illud eſt vere cibus hominis &c.

Digitized by Google

tunc quicumque manducat carnem, & bibit ſanguinem, manet in Deo: quia, ſicut dicit Auguſtinus, eſt quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum ſanguinem, quo qui manducat, & bibit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo. Sed hic eſt ille qui non ſacramentaliter tantum, ſed revera corpus Chriſti manducat, & ſanguinem bibit. Eſt & alius modus, quo qui manducant, non manent in Chriſto, nec Chriſtus in eis; hoc eſt qui in corde ficto ad illud accedunt: nullum enim effectum habet ſacramentum in ficto. Fictus enim eſt, cum non reſpondet interius quod ſignatur exterius. In ſacramento autem euchariſtiæ exterius quidem ſignatur quod Chriſtus incorporetur in eo qui percipit illud, & ipſe in Chriſto. Qui ergo non habet in corde deſiderium huius unionis, nec conatur ad removendum omne impedimentum ad hoc, eſt fictus: & ideo Chriſtus in eo non manet, nec ipſe in Chriſto.

(g) Hic ponit minorem, ſcilicet quod qui coniungitur Chriſto, habet vitam: & inducit hoc in manifeſtatione cuiuſdam ſimilitudinis, quæ talis eſt. Filius propter unitatem quam habet ad Patrem, recipit vitam a Patre: ergo qui unitur Chriſto, recipit vitam a Chriſto; & hoc eſt quod dicit: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*: quæ quidem verba poſſunt dupliciter exponi de Chriſto, ſcilicet ſecundum humanam naturam, & ſecundum divinam. Si enim exponantur de Chriſto Filio Dei, tunc ly *ſicut* importat ſimilitudinem Chriſti ad creaturam quantum ad aliquid, ſed non quantum ad omnia; ſed quantum ad hoc quod eſt eſſe ab alio: nam hoc eſt commune Chriſto Filio Dei, & creaturæ, quod ſunt ab alio: ſed quantum ad aliud eſt diſſimile, quia Filius habet aliquid proprium, quia ſcilicet ſic eſt a Patre quod tamen recipit totam plenitudinem divinæ naturæ, intantum quod quicquid eſt naturale Patri, ſit etiam naturale Filio. Creatura vero accipit aliquam perfectionem, & naturam particularem. Supra v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*. Et hoc oſtendit, quia non ait: Sicut manduco Patrem, & ego vivo propter Patrem: cum loquatur de proceſſione ſua a Patre; ſicut dixit: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*; cum loquitur de participatione corporis, & ſanguinis eius, qua nos efficimur meliores: nam manducatio quamdam participationem dicit. Sed Chriſtus dicit ſe vivere propter Patrem, non quidem manducatum, ſed generantem, ſine æqualitatis detrimento. Si vero exponatur de Chriſto homine, ſic quantum ad aliquid ly *ſicut* importat ſimilitudinem (a) inter Chriſtum hominem & nos, in hoc ſcilicet quod ſicut Chriſtus homo accipit ſpiritualem vitam per unionem ad Deum, ita & nos accipimus ſpiritualem vitam in communione ſacramenti. Sed tamen eſt diſſimile, quia Chriſtus homo accepit vitam per unionem Verbi, cui in perſona (b) unitur; ſed nos unimur Chriſto per ſacramentum fidei: & ideo duo dicit, *Miſit me*, & *Pater*. Si ergo referatur ad Filium Dei, tunc dicit: *Vivo ego propter Patrem*: quia ipſe Pater vivens eſt. Si vero referatur ad Filium hominis, tunc dicit: *Vivo ego propter Patrem*: quia *miſit me*; ideſt, fecit me incarnari: miſſio enim Filii Dei eſt eius incarnatio. Gal. IV. 4. „ Miſit Deus Filium ſuum factum „ ex muliere, factum ſub lege. “

Per hoc ergo, ſecundum Hilarium, excluditur error Arrii: nam ſi nos propter Chriſtum vivimus, quia aliquid de natura ſua habemus, ut ipſe dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Ergo & Chriſtus vivit propter Patrem, quia habet in ſe naturam Patris: non autem partem, quia ſimplex eſt, & indiviſibilis: ergo habet totam naturam Patris. Propter Patrem ergo vivit Filius, dum nativitas non alienam ei intulit diverſamque naturam.

(h) Conſequenter cum dicit, *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit*, ponit duas concluſiones: nam de duobus litigabant, ſcilicet de origine ſpiritualis cibi, & de eius virtute. Prima ergo concluſio eſt de origine; ſecunda eſt de virtute; & hanc principaliter intendit, ibi, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Sciendum eſt circa primum, quod Iudæi turbati fuerant, quia dixerat: *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi*: & ideo contra eos (c) hoc iterum concludit ex hoc quod dicit, *Vivo propter Patrem*, cum dicit: *Hic eſt panis*: nam deſcendere de cælo, eſt de cælo originem habere; ſed Filius habet originem de cælo, quia vivit propter Patrem: ergo Chriſtus eſt qui de cælo deſcendit: & ideo dicit: *Hic eſt panis, qui de cælo*, ideſt de vita paterna, *deſcendit*; & hoc quantum ad divinitatem: vel *deſcendit* etiam quantum ad corpus, inquantum ſcilicet virtus formativa eius, quæ fuit Spiritus ſanctus, de cælo fuit, ut virtus cæleſtis. Unde qui manducant hunc panem non moriuntur, quo modo mortui ſunt patres noſtri, qui manducaverunt manna non de cælo: nec erat panis vivus, ut dictum eſt ſupra. Quomodo autem mortui ſunt qui manna

(a) Al. in ly. (b) Al. unitus. (c) Al. hic.

Digitized by Google

na manducaverunt, ex præmiſſis manifeſtum eſt.

(i) Secunda concluſio de virtute panis ponitur cum dicit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; quæ ſequitur ex hoc, *Qui manducat meam carnem*. Qui enim manducat hunc panem manet in me, & ego in illo; ſed ego ſum vita æterna: ergo *qui manducat hunc panem*, ut debet, *vivet in æternum*.

(k) Locus autem ubi hoc dixit Ieſus, fuit *in ſynagoga*, in qua Chriſtus docebat in Capharnaum. Volens enim multitudinem attrahere, in templo, & in ſynagoga docebat, & ut ex multis ſaltem proficiant aliqui. Pſal. xxxix. 10. „ Annuntiavi iuſtitiam tuam in eccleſia magna. "

L E C T I O VIII.

(a) MUlti ergo audientes ex diſcipulis eius, dixerunt: Durus eſt hic ſermo; & quis poteſt eum audire?

(b) Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dicit eis: Hoc vos ſcandalizat?

(c) Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?

(d) Spiritus eſt qui vivificat; caro non prodeſt quicquam.

(e) Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.

(f) Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum; & dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo.

(g) Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro,

(h) Et iam non cum illo ambulabant.

(i) Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?

(k) Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.

(l) Reſpondit ei Ieſus: Nonne ego vos duodecim elegi; & ex vobis unus diabolus eſt?

(m) Dicebat autem de Iuda Simonis Iſcariote; hic enim erat traditurus eum cum eſſet unus ex duodecim.

(a) POſtquam compreſſit litigium Iudæorum, & murmur, conſequenter Dominus ſedat ſcandalum diſcipulorum. Et primo agitur de ſcandalo diſcipulorum recedentium; ſecundo examinatur devotio remanentium, ibi, *Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?* Circa primum tria facit. Primo ponitur ſcandalum diſcipulorum; ſecundo benignitas Chriſti ad reprimendum ipſum, ibi, *Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum quia de hoc murmurarent diſcipuli eius, dicit eis &c.* tertio ponitur pertinacia, & incredulitas recedentium, ibi, *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro*. Sciendum eſt ergo circa primum, quod multi erant in populo Iudæorum qui adhærebant Chriſto, credentes ei, & ſequebantur eum; non tamen relictis omnibus, ſicut duodecim, qui omnes dicebantur diſcipuli. Et de iſtis dicit, quod *multi*, ſcilicet in populo, qui ei credebant, *audientes*, quæ ſupra dixit, *dixerunt: Durus eſt hic ſermo*. De iſtis dicitur Luc. viii. 13. „ Ad „ tempus credunt, & in tempore tentatio„ nis recedunt. " Dicitur autem, *Multi*, quia, ut dicitur Eccle. i. 15. „ ſtultorum in„ finitus eſt numerus. " Et Matth. xx. 16. „ Multi ſunt vocati, pauci vero electi. " Iſti ergo dixerunt: *Durus eſt hic ſermo*. Durum dicitur quod non facile dividitur, & reſiſtentiam habet. Eſt ergo aliquis ſermo durus, aut quia reſiſtit intellectui, aut quia reſiſtit voluntati; cum ſcilicet illum intellectu capere non poſſumus, aut voluntati non placet; & utroque modo erat iſtis durus ſermo. Durus quidem intellectu, quia ſuperexcedebat imbecillitatem intellectus eorum. cum enim carnales eſſent, non poterant capere quod dicebat, ſe carnem ſuam daturum eis ad manducandum. Voluntati autem, quia multa dixit de potentia ſuæ divinitatis: & licet iſti crederent ei ſicut Prophetæ, non tamen credebant eum Deum: & ideo videbatur eis quod loqueretur maiora ſeipſo. II. Corinth. x. 10. „ Epiſtolæ graves ſunt. ". Eccli. vi. 21. „ Aſpera eſt nimium indoctis homini„ bus ſapientia. " Et ideo ſequitur: *Quis poteſt eum audire?* Hæc dicunt ad excuſationem ſuam: nam ex quo dederant ſe ei, de-

be-

bebant eum audire: ſed quia non docebat eos placentia, vellent aliquam occaſionem quærere recedendi. Prov. XVIII. 2. „ Non recipit „ ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ „ verſantur in corde ſuo. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dicit eis: Hoc vos ſcandalizat?* ponitur benignitas Chriſti ad ſedandum ſcandalum. Et primo denuntiat, & manifeſtat ſcandalum; ſecundo removet cauſam ſcandali, ibi, *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* tertio innuit ipſam cauſam, ibi, *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt*. Scandalum autem denuntiat, quia dixerant occulte, *Durus eſt hic ſermo*, ut ab illo non audirentur. Sed ille qui virtute ſuæ divinitatis noverat quid dicebant, hoc manifeſtat: & hoc eſt quod dicit: *Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum*, quod ipſi in ſemetipſis dicebant, ſcilicet *quia murmurarent de hoc diſcipuli eius*: (ſupra II. 25. *Non erat ei opus ut quis teſtimonium perhiberet de homine, ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine*: Pſal. VII. 10. „ Scrutans corda, & renes Deus: “) dixit eis: *Hoc vos ſcandalizat?* quaſi dicat: De hoc non debetis ſcandalizari. Vel poteſt legi remiſſive; quaſi dicat: Scio quod de hoc ſcandalizamini. Eſa. VIII. 4. „ Erit nobis (ſcilicet „ in Chriſto credentibus) quidem in ſanctificationem; in lapidem autem offenſionis duabus domibus Iſrael, “ ideſt diſcipulis murmurantibus, & turbis.

Sed cum doctores debeant vitare ſcandalum audientium, quare eis Dominus talia dogmata proponit, ut ſcandalizarentur, & recederent? Reſpondeo dicendum, quod neceſſitas doctrinæ exigebat ut Dominus eis talia proponeret. Inſtiterant enim apud eum pro cibo corporali qui venerat ut duceret in appetitum cibi ſpiritualis; & ideo neceſſe erat ut eis proponeret doctrinam de cibo ſpirituali. Nec tamen ſcandalum eorum cauſabatur ex vitio doctrinæ Chriſti, ſed ex eorum infidelitate. Si enim verba Domini non intelligebant propter eorum carnalitatem, poterant Dominum interrogare, ſicut Apoſtoli alias fecerunt. Hoc autem, ſecundum Auguſtinum, Dominus diſpenſative permiſit, ut bene docentibus cauſam patientiæ, & conſolationis contra malignantes eorum dicta præberet, cum diſcipuli etiam verbis Chriſti detrahere præſumerent.

(c) Conſequenter cum dicit, *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* tollit occaſionem ſcandali, quæ quidem erat & de perſona dicentis, & de verbis dictis, ut dicit Chryſoſtomus: & ideo primo removet occaſionem ſcandali quantum ad perſonam dicentis; ſecundo quantum ad verba dicta, ibi, *Spiritus eſt qui vivificat*. Occaſio autem iſtorum fuit, quia audierant Dominum loqui de ſe divina: unde quia ipſi credebant eum eſſe filium Ioſeph, ſcandalizabantur ex hoc quod de ſe dicit: & ideo hanc occaſionem removens, oſtendit eis Deus apertius ſuam divinitatem: unde dicit: Vos turbamini de his quæ de me dixi: *ſi ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius*; ſupple, quid diceretis? quaſi dicat: Numquam poteſtis negare quin de cælo deſcenderim, (a) quin ſim dator, vel doctor vitæ æternæ. Simile fecit in Nathanaele: cum enim diceret (ſupra I. 49.) *Tu es Rex Iſrael*, voluit eum ad perfectiorem cognitionem elevare: unde dixit ei: *Maiora his videbis*. Et ideo iſtis aliquid maius futurum de ſe manifeſtat, dicens: *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* Aſcendit autem in cælum videntibus diſcipulis, ut dicitur Actor. I. Si ergo aſcendit ubi prius fuit, ergo prius fuit in cælo. Supra III. 13. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui de cælo deſcendit*. Sed attende quod etſi ſit eadem perſona Filii Dei, & Filii hominis in Chriſto, quia tamen natura eſt alia, ideo aliquid convenit ratione humanitatis, ſcilicet aſcendere, quod non convenit ei ratione divinitatis, ſecundum quam non habet quo aſcendat, cum æternaliter ſit in ſummo rerum vertice, ſcilicet in Patre; ſed ſecundum eam convenit ei aſcendere *ubi erat prius*, ſcilicet in cælo, ubi non fuit ſecundum humanam naturam; quod eſt contra errorem Valentini dicentis, Chriſtum attuliſſe corpus cæleſte. Sic ergo ubi prius fuit ſecundum divinitatem aſcendit videntibus Apoſtolis, & propria virtute ſecundum humanitatem. Infra XVI. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Sed ſecundum Auguſtinum, aliter hæc verba introducuntur: dicit enim, quod iſti ſcandalizati ſunt de hoc quod Dominus dixit, quod daret eis carnem ſuam ad manducandum: quod intelligentes carnaliter, ac ſi eam ad litteram deberent comedere, ut carnes animalium, ſcandalizati ſunt: & hunc intellectum removens dicit: *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem*, integro corpore, *ubi erat prius*; ſupple, numquid dicetis, quod ſic daturus eram vobis carnem meam ad manducandum ut carnes animalium?

(d) Conſequenter cum dicit, *Spiritus eſt qui*

(a) *Al.* quin ſim dator vitæ æternæ.

qui vivificat , removet occaſionem ſcandali ex parte verborum prolatorum : &, ſecundum Chryſoſtomum, primo diſtingnit duplicem intellectum ipſorum verborum ; ſecundo oſtendit quis eorum congruat ipſis verbis , ibi , *Verba quæ ego loquor*, *ſpiritus*, *& vita ſunt* . Sciendum eſt ergo quantum ad primnm, quod verba Chriſti ſecundum duplicem ſenſum intelligi poſſunt , ſcilicet ſecundum ſpiritualem , & ſecundum corporalem ; & ideo dicit: *Spiritus eſt qui vivificat*; ideſt, ſi ea verba quæ dixi , intelligatis ſecundum ſpiritum , ideſt ſecundnm ſpiritualem ſenſum , vivificabunt: *caro non prodeſt quicquam* ; ideſt , ſi ſecundum carnalem ſenſum ea intelligatis , nihil vobis proſunt , immo nocent : quia , ut dicitur Rom VIII. 13. „ ſi ſecundum carnem „ vixeritis , moriemini . " (*a*) Tunc autem verba Domini de carne ſua manducanda, carnaliter intelliguntur, quando accipiuntur ſecundum quod verba exterius ſonant . & ut natura carnis habet; & hoc modo ipſi intelligebant , ut dictnm eſt . Sed Dominus dicebat daturum ſe eis ſicut ſpiritualem cibum , non quin ſit in ſacramento altaris vera caro Chriſti, ſed quia quodam ſpirituali, & divino modo manducatur . Sic ergo dictorum verborum congruus ſenſus eſt non carnalis , ſed ſpiritualis.

(e) Unde ſubdit: *Verba quæ ego locutus ſum vobis* , ſcilicet de carne mea manducanda , *ſpiritus* , *& vita ſunt*; ideſt , ſpiritualem ſenſum habent , & ſic intellecta vitam dant . Nec mirum ſi habent ſpiritualem ſenſum , quia ſunt a Spiritu ſancto . I. Corinth. XIV. 2. „ Spiritus eſt qui loquitur myſteria . " Et ideo myſteria Chriſti vivificant. Pſal. CXVIII. 93. „ In æternum non obliviſcar iuſtificatio„ nes tuas, quia in ipſis vivificaſti me . " Secundum Auguſtinum vero aliter exponitur : nam hoc quod dixit , *Caro non prodeſt quicquam*, intelligitur de carne Chriſti : manifeſtum eſt enim quod caro Chriſti (*b*) ut coniuncta Verbo , & ſpiritui , multum prodeſt per omnem modum: alioquin fruſtra Verbum caro factum eſſet , fruſtra ipſum Pater manifeſtaſſet in carne , ut dicitur I. Tim. IV. Et ideo dicendum eſt , quod caro Chriſti in ſe conſiderata non prodeſt quicquam, & non habet effectum proficuum , niſi ſicut alia caro . Si enim per intellectum ſeparetur a divinitate, & Spiritu ſancto, non habet aliam virtutem quam alia caro; ſed ſi adveniat Spiritus, & divinitas, multis prodeſt, quia facit ſumentes manere in Chriſto: (*c*) eſt enim ſpiritus caritatis per quem homo in Deo manet. I. Ioan. IV. 13. „ In hoc cognoſcimus , „ qnia in Deo manemus , & ipſe in nobis , „ quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis . " Et ideo dicit Dominus: Hunc effectum, ſcilicet vitæ æternæ, quem ego promitto vobis, non debetis attribuere carni in ſe conſideratæ , quia *caro* ſic *non prodeſt quicquam* ; ſed ſi ſpiritui attribuatis , & divinitati coniunctæ carni, ſic præſtat vitam æternam. Galat. V. 25. „ Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. " Et ideo ſubdit : *Verba quæ locutus ſum vobis* , *ſpiritus* , *& vita ſunt* ; ideſt , referenda ſunt ad ſpiritum carni coniunctum; & ſic intellecta, vita ſunt, ſcilicet animæ; nam ſicut corpus vivit vita corporali per ſpiritum corporalem, ita & anima vivit vita ſpirituali per Spiritum ſanctum. Pſal. CIII. 30. „ Emitte Spi„ ritum tuum, & creabuntur. "

(f) Conſequenter cum dicit , *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt*, demonſtrat cauſam ſcandali , quæ erat infidelitas eorum ; quaſi dicat: Cauſa ſcandali veſtri non eſt duritia ſermonis quem ego locutus ſum vobis , ſed infidelitas veſtra. Et ideo primo oſtendit eorum infidelitatem; ſecundo excludit falſam opinionem ; tertio manifeſtat cauſam infidelitatis eorum . Infidelitatem quidem eorum oſtendit Dominus cum dicit : *Sunt quidam ex vobis qui non credunt* . Non autem dixit, Qui non intelligunt; ſed, quod plus eſt , cauſam quare non intelligunt inſinuat : ex hoc enim non intelligebant , quia non credebant . Eſa. VII. 9. ſecundum aliam litteram ; „ Niſi cre„ dideritis, non intelligetis. " Et dixit, *Quidam*, ut excipiat diſcipulos. II. Theſſal. III. 2. „ Non omnium eſt fides . " Rom. X. 16. „ Non omnes obediunt Evangelio . Pſal. CV. 25. „ Non crediderunt verbis eius . " Falſam ſuſpicionem excludit Evangeliſta , cum ſubdit, *Sciebat enim* ; quaſi dicat : Non ideo dixit Ieſus , *Sunt quidam ex vobis qui non credunt*, quaſi de novo hoc ei innotuiſſet ; ſed quia *ſciebat ab initio*, mundi ſcilicet , *qui eſſent credentes* , *& quis eſſet traditurus eum* . Hebr. IV. 13. „ Omnia nuda & aperta ſunt „ oculis eius. " Et Eccli. XXIII. 29. „ Domi„ no Deo noſtro nota ſunt omnia antequam „ fiant. " Cauſam autem infidelitatis eorum aſſignat Dominus conſequenter , quæ eſt ex remotione gratiæ attrahentis: unde dicebat : *Propterea ego dixi vobis*; quaſi dicat, ideo neceſſarium fuit ut vobis prædicta dicerem : *quia nemo poteſt venire ad me*, ſcilicet per fidem, *niſi fuerit ei datum a Patre meo* . Ex quo ſequitur , ſecundum Auguſtinum , quod etiam ipſum credere datur nobis a Deo . Cur au-

(a) *Al.* ſunt ibi verba Domini. (b) *Al. deeſt* ut. (c) *Al.* eſt ergo cauſa ſpiritus caritatis , per quam homo &c.

Digitized by Google

autem non omnibus detur, oſtenſum eſt ſupra eodem, ubi quaſi eadem verba Dominus dixit. Repetit tamen ea hic propter duo: ut oſtendat quod hoc quod recepit eos ad fidem, magis erat eis ad beneficium, & utilitatem quam Chriſto. Phil. I. 29. „ Vobis datum eſt „ ut in ipſum credatis; “ quaſi dicat: Bonum veſtrum eſt quod creditis: & ideo dicit Auguſtinus: „ Magnum quidem eſt cre„ dere: gaude quia credidiſti. “ Secundo ut oſtendat ſe non eſſe filium Ioſeph, ut ipſi putabant, ſed Dei: nam Deus Pater eſt qui attrahit homines ad Filium, ſicut ex præmiſſis apparet.

(g) Conſequenter cum dicit, *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro*, ponitur ipſorum diſcipulorum pertinacia: nam licet Dominus reprehenderit eos, & cauſam ſcandali, quantum eſt ex parte ſua, removerit, nihilominus tamen perſeverant in infidelitate: & ideo dicit, quod *multi diſcipuli eius abierunt retro*. Non dixit, Receſſerunt; ſed, *abierunt retro*, a fide, quam ſecundum virtutem habebant, & præciſi a corpore Chriſti vitam perdiderunt, quia forte nec in corpore fuerunt, ut dicit Auguſtinus. Sunt enim aliqui qui ſimpliciter vadunt retro, illi ſcilicet qui ſequuntur diabolum, cui dictum eſt, Matth. IV. 10. „ Vade retro ſatana. “ Et de quibuſdam feminis dicitur I. Timoth. V. 15. „ Quædam converſæ ſunt retro poſt ſata„ nam. “ Non ſic vadit retro Petrus, ſed poſt Chriſtum. Matth. XVI. 23. „ Vade retro „ me ſatana. “ Iſti autem abierunt poſt ſatanam.

(h) Unde ſequitur: *Et iam non cum illo ambulabant*; (a) ſcilicet quamvis a nobis requiratur ut cum Ieſu ambulemus. Michææ VI. 8. „ Indicabo tibi, homo, quid ſit bo„ num: “ & ſequitur: „ ſolicite ambulare „ cum Deo tuo. “

(i) Conſequenter cum ſubditur: *Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?* examinat Dominus diſcipulos remanentes. Et primo ponitur examinatio diſcipulorum ex interrogatione Chriſti; ſecundo ſubditur devotio remanentium ex reſponſione Petri, ibi, *Reſpondit ergo Simon Petrus*; tertio corrigitur Petri reſponſio, ibi, *Reſpondit eis Ieſus*. Examinat autem Dominus duodecim qui remanſerant an velint perſiſtere; & ideo dixit ad duodecim, ſcilicet Apoſtolos: *Numquid & vos vultis abire?* & hoc propter duo. Primo ne hoc quod iſti aliis recedentibus remanſerant, propriæ iuſtitiæ aſcribentes, ſuperbirent, exiſtimantes ſe gratiam feciſſe Chriſto, eum non relinquendo: & ideo oſtendens ſe non indigere eorum ſequela, magis eos detinet, & confirmat. Iob XXXV. 7. „ Porro „ ſi iuſte egeris, quid donabis ei, aut quid „ de manu tua accipiet? “ Secundo quia contingit quod aliquando aliquis habet voluntatem recedendi ab aliquo, & tamen verecundia retinetur; & ideo nolens eos verecundia coarctari apud eum remanere (quia idem eſt invite ſervire quod penitus non ſervire) aufert etiam verecundiam, & neceſſitatem remanendi, ponens in eorum arbitrio, an vellent remanere, an abire, quia „ hilarem „ datorem diligit Deus: “ ut dicitur II. Corinth. IX. 7.

(k) Sequitur devotio remanentium ex reſponſione Petri: nam ipſe fratrum amator, & amici conſervator, & ſpecialem affectum gerens ad Chriſtum, reſpondet pro toto collegio, dicens: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credimus*. Ubi tria facit. Primo extollit Chriſti excellentiam; ſecundo commendat eius doctrinam, & tertio profitetur fidem. Excellentiam quidem extollit cum dicit: *Domine, ad quem ibimus?* quaſi dicat: Repellis nos a te: da nobis alium meliorem te, ad quem eamus. Sed certe „ nullus ſimilis tui in fortibus, Domine: “ Exod. XV. 11. & in Pſal. LXXXVIII. 7. „ Quis ſi„ milis Deo? “ & ideo non dimittemus te. Pſal. CXXXVIII. 7. „ Quo ibo a ſpiritu tuo? “ Et, ſecundum Chryſoſtomum, verbum Petri multum amicitiæ eſt oſtenſivum: iam enim Chriſtus eis erat honorabilior quam patres, & matres. Doctrinam vero commendat cum dicit: *Verba vitæ æternæ habes*. Moyſes autem habuit verba Dei, ſimiliter & Prophetæ; ſed raro verba vitæ æternæ: tu vero promittis vitam æternam: quid ergo aliud maius quærimus? Supra (hoc cap.) *Qui credit in me, habet vitam æternam*. Et ſupra III. 36. *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam*. Fidem autem confitetur cum ſubdit: *Et nos credimus, & cognovimus quia tu es Chriſtus Filius Dei*. In fide enim noſtra duo principaliter credenda ſunt, ſcilicet myſterium Trinitatis, & incarnationis: quæ duo hic Petrus confitetur. Myſterium quidem Trinitatis, cum dicit: *Tu es Filius Dei*: in hoc enim quod dicit eum Filium Dei, facit mentionem de perſona Patris, & Filii, ſimul etiam & Spiritus ſancti, qui eſt amor Patris, & Filii, & nexus utriuſque; myſterium vero incarnationis, cum dicit: *Tu es Chriſtus*: Chriſtus enim Græce, Latine unctus dicitur, oleo ſcilicet inviſibili Spiritus ſancti;

(a) *Al.* ſed.

ſed non ſecundum divinam naturam: quia qui ungitur Spiritu ſancto, ipſa unctione melior efficitur; ſed ſecundum quod Deus, Chriſtus non efficitur melior: ergo eſt unctus ſecundum quod homo. Dicit autem, *Credimus*, *& cognovimus*: quia prius eſt credere quam cognoſcere; & ideo ſi prius cognoſcere quam credere vellemus, non cognoſceremus, nec credere valeremus, ut dicit Auguſtinus. Eſai. VII. 9. ſecundum aliam litteram: „ Niſi cre-„ dideritis, non intelligetis. “

(l) Reſponſionem autem Petri Dominus corrigit cum dicit: *Nonne ego vos duodecim elegi*; *& ex vobis unus diabolus eſt*? Et primo ponitur reſponſio Domini; ſecundo expoſitio Evangeliſtæ, ibi, *Dicebat autem de Iuda*. Quia Petrus largus fuit in reſponſione ſua omnes includendo, ſic dicens: *Et nos credimus*, *& cognovimus quia tu es Chriſtus Filius Dei*: per quod videbatur quod omnes perventuri eſſent ad vitam æternam: ideo Dominus de collegio credentium excepit Iudam. Sed (a) hæc quidem in Petro commendabilis erat confidentia, quod nullum de ſocio malum ſuſpicabatur; ſed in Domino admiranda eſt ſapientia, qui occulta videbat: & ideo dicit: *Nonne ego vos duodecim elegi*; *& unus ex vobis diabolus eſt*? non per naturam, ſed per imitationem diabolicæ malitiæ. Sap. II. 24. „ Invidia diaboli mors introivit in orbem ter-„ rarum: imitantur autem illum qui ſunt ex „ parte illius. “ Infra XIII. 27. *Poſt buccellam introivit in eum ſatanas*: quia ſcilicet factus eſt conformis malitiæ eius.

Sed ſi Chriſtus elegit Iudam, & ipſe factus eſt malus, videtur quod erraverit in electione. Ad quod reſpondetur primo, ſecundum Chryſoſtomum, quia hoc non dicitur de electione prædeſtinationis, ſed ad aliquod officium, & ad ſtatum præſentis iuſtitiæ, ad quem aliquando aliquis eligitur non ſecundum futurum, ſed ſecundum quod nunc eſt in re: quia per hanc electionem non aufert arbitrii libertatem, nec aufert poſſibilitatem peccandi: unde dicitur I. Corinth. X. 12. „ Qui „ ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. “ Sic ergo Dominus elegit Iudam non tamquam malum tunc; nec tamen per electionem ablata eſt ei poſſibilitas peccandi. Secundo reſpondetur, ſecundum Auguſtinum, quod Dominus elegit Iudam malum: & quia boni eſt ur malo utatur in bonum, licet ſciret eum malum, malo eius bene eſt uſus Deus, dum tradi ſe pertulit ut nos redimeret. Vel dicendum, quod electio duodecim Apoſtolorum non refertur hic ad perſonas, ſed ad numerum; quaſi dicat: Ego elegi in vobis duodenarium numerum: hic enim numerus congrue conſecratur eis qui fidem ſanctæ Trinitatis per quatuor mundi cardines prædicaturi erant: qui quidem numerus non periit, quia in locum pereuntis proditoris ſurrogatus eſt Matthias. Vel, ſecundum Ambroſium, ideo elegit Iudam malum, ut conſolaretur infirmitatem noſtram, ſi aliquando contigerit nos ab amicis prodi, cum legimus a diſcipulo proditum Dominum, & Magiſtrum.

Sed quæritur hic quare cum dicit Dominus, *Unus ex vobis diabolus eſt*, nihil dicunt diſcipuli; & poſtea cum dicit, infra XIII. 21. *Unus ex vobis me tradet*, dixerunt, *Numquid ego ſum*, *Domine*? Reſpondeo dicendum, quod huius ratio eſt, quia hic Dominus generaliter locutus eſt, dicens, unum ex eis eſſe diabolum, quod poteſt referri ad quamcumque malitiam, & ideo non ſunt commoti; ibi vero tantum facinus audientes, proditionem ſcilicet magiſtri, ſe continere non valent. Vel dicendum ad hoc, quod cum Dominus hæc verba dixit, quilibet eorum de ſua virtute confidebat, & ideo non timebant de ſe; ſed quando Petrus audivit (Matth. XVI. 23.) „ Vade poſt me ſatanas: “ territi ſunt, & infirmiora de ſe ſenſerunt; & ideo vacillantes dicebant: *Numquid ego ſum*, *Domine*?

(m) Hanc autem reſponſionem, quam Dominus occulte fecerat, Evangeliſta exponit, dicens: *Dicebat autem de Iuda*, ut rei probavit eventus, ut patet infra cap. XIII.

(a) *Al.* hic.

CA-

Digitized by Google

CAPITIS SEPTIMI

LECTIO I.

(a) POſt hæc autem ambulabat Ieſus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorum ſcenopegia.

(b) Dixerunt autem ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & vade in Iudæam:

(c) Ut & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe. Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo.

(d) Neque enim fratres eius credebant in eum.

(e) Dixit ergo eis Ieſus: Tempus meum nondum advenit; tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.

(f) Non poteſt mundus odiſſe vos; me autem odit: quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala ſunt.

(g) Vos aſcendite ad diem feſtum hunc; ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum, quia meum tempus nondum impletum eſt.

(a) POſtquam Dominus egit de vita ſpirituali, & nutrimento, hic conſequenter agit de inſtructione ſeu doctrina, quæ eſt neceſſaria ſpiritualiter regeneratis, ut dictum eſt ſupra: & primo oſtendit originem ſuæ doctrinæ; ſecundo manifeſtat eius utilitatem ab VIII. capitulo, & deinceps. Circa primum tria facit. Primo ponitur locus ubi originem ſuæ doctrinæ manifeſtavit; ſecundo ponuntur occaſiones eam manifeſtandi, ibi, *Iudæi ergo quærebant eum &c.* tertio ponitur ipſa manifeſtatio, ibi, *Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur incitatio Chriſti ad eundum ad locum, ubi (*a*) publicavit originem ſuæ doctrinæ; ſecundo ponitur recuſatio Domini, ibi, *Dicit ergo eis Ieſus &c.* tertio ſubditur quomodo Chriſtus ad locum illum pervenit, ibi, *Hæc cum dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa.* Circa primum duo facit. Primo ponit occaſiones quare Chriſtum incitabant ad eundum; ſecundo ſubdit ipſam incitationem, ibi, *Dixerunt autem ad eum fratres eius.* Ex tribus autem movebantur ut incitarent Chriſtum ad eundum in Iudæam: primo quidem ex mora eius; ſecundo ex propoſito; tertio ex congruitate temporis. Ex mora quidem eius in Galilæa, in qua oſtendebat Chriſtus ſe velle morari: & ideo dicit: *Poſt hæc*, verba ſcilicet quæ dicta ſunt in Capharnaum, *ambulabat Ieſus in Galilæam*; (*b*) ſcilicet, acceperat iter de Capharnaum, quæ erat metropolis Galilææ, ut diſcurreret per Galilæam. Ideo autem Dominus in Galilæa frequentius moratur ut oſtendat nobis tranſmigrandum eſſe de vitiis ad virtutes. Ezech. XII. 3. „Tu ergo, fili hominis, fac tibi vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis." Ex propoſito autem Chriſti, qui forte eis (*c*) per verba innotuit: & ideo dicit: *Non enim volebat in Iudæam ambulare.* Cuius ratio eſt, *quia quærebant eum Iudæi interficere.* Supra v. 18. *Quærebant eum Iudæi interficere: quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.*

Sed numquid non poterat illuc ire, & ambulare inter Iudæos, & ab eis non occidi, ſicut fecit infra VIII. Reſpondeo dicendum, quod ad hoc triplex ratio aſſignatur. Prima ab Auguſtino, quia futurum erat ut aliquis fidelis Chriſti abſconderet ſe ne a perſecutoribus inveniretur. Ne ergo illi fuga obiiceretur pro crimine, voluit Dominus ad conſolationem noſtram hoc in ſe præceſſiſſe oſtendere: quod etiam & verbo docuit. Matth. X. 23. „Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam." Alia quidem ratio eſt, quia ſcilicet Chriſtus Deus erat & homo; & ideo virtute divinitatis poterat non lædi a perſecutoribus; ſed hoc noluit continue facere: quia ſic fuiſſet declarata eius divinitas, quod tamen humanitas eius veniſſet in dubium. Et ideo fugiens quandoque perſecutores ut homo (*d*) aſſerit ſuam humanitatem, ut confundat omnes eum non verum hominem fuiſſe dicentes. Quandoque autem tranſiens illæſus per eos, oſtendit ſuam divinitatem, confundens omnes eum hominem purum eſſe dicentes. Et ideo Chryſoſtomus ha-

(a) *Al.* publicant. (b) *Al. deeſt* ſcilicet. (c) *Al. omittitur* per. (d) *Al.* affirmat.

habet aliam litteram, ſcilicet, *Non enim habebat poteſtatem, ſi vellet, in Iudaam ambulare*: quod dicitur ſecundum modum humanum; ſicut ſi dicatur: Aliquis non poteſt aliquo ire, ſi vellet, propter inſidias. Tertia ratio eſt, quia nondum paſſionis aderat tempus: futurum enim erat ut pateretur in paſcha, quando immolabatur agnus, ut ſic victima ſuccederet victimæ. Infra XIII. 1. *Sciens Ieſus quia venit hora eius ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*.

Ex congruitate vero temporis, quia erat tempus congruum ad eundum in Hieruſalem: & hoc eſt quod dicit: *Erat autem in proximo dies feſtus Iudaorum ſcenopegia*. Scenopegia autem Græcum eſt, compoſitum ex ſcenos, quod eſt umbra, & phagim quod eſt comedere; quaſi dicat: Erat tempus in quo comedebant in tabernaculis. Dominus enim mandavit filiis Iſrael, Lev. XXIII. 41. quod menſe ſeptimo per ſeptem dies habitarent in tabernaculis, in memoriam quod quadraginta annis habitaverunt in tabernaculis in deſerto. Et hoc feſtum tunc celebrabant Iudæi. Commemorat autem hoc Evangeliſta, ut oſtendat quod multum tempus prætermiſit ab eo tempore quo præmiſſa de cibo ſpirituali dicta fuerunt uſque ad iſtud tempus. Nam quando fecit miraculum de panibus, erat prope dies paſchæ; hoc autem feſtum ſcenopegiæ eſt multo poſt paſcha: & ſic nihil eorum quæ in quinque menſibus intermediis per Dominum facta ſunt, recitat hic Evangeliſta, ut detur intelligi quod licet indeficienter ſigna faceret, ut patet infra ultimo, illa præcipue ſtuduerunt Evangeliſtæ dicere (*a*) pro quibus aut querela, aut contradictio a Iudæis ſubſequebatur.

(b) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt autem ad eum fratres eius*, ponitur incitatio fratrum Domini: & primo ponitur eorum admonitio; ſecundo aſſignatur admonitionis ratio, ibi, *Ut diſcipuli tui videant opera tua*; tertio ab Evangeliſta aſſignatur cauſa talis rationis, ibi, *Neque enim fratres eius credebant in eum*. Circa primum primo ponuntur incitantes: unde dicit: *Dixerunt autem ad eum fratres eius*, non carnales, & uterini, ut Elvidius blaſphemavit, quod abhorret fides catholica, quod ſanctiſſimus ille virgineus uterus qui Deum protulit & hominem, protuliſſet poſtmodum alium hominem mortalem. Fratres ergo eius erant cognatione, (*b*) quia erant conſanguinei Beatæ Mariæ Virginis: hæc enim eſt conſuetudo Scripturæ, conſanguineos appellare fratres, ſecundum illud Gen. XIII. 8. „ Non ſit, quæſo, iurgium inter me & te .... fratres enim ſumus: " cum tamen Lot nepos eſſet Abrahæ. Et, ut Auguſtinus dicit, ſicut in ſepulcro ubi poſitum fuerat corpus Domini, nec ante, nec poſtea iacuit corpus; ſic uterus Mariæ nec ante, nec poſtea quicquam mortale concepit. Sed quia aliqui de conſanguineis Beatæ Virginis erant Apoſtoli, ſicut filii Zebedæi, & Iacobi Alphæi, & alii; ideo non eſt intelligendum quod fuerunt de illis qui incitaverunt Chriſtum; ſed illi fuerunt alii propinqui eius, qui Chriſtum non diligebant. Secundo ponitur monitio eorum, cum dicunt: *Tranſi hinc*, ſcilicet de Galilæa, *& vade in Iudaam*: ubi eſt Hieruſalem locus ſolemnis, doctoribus conveniens. Amos VII. 12. „ Qui „ vides, gradere in terram Iuda, & ibi co„ medes panem tuum, & prophetabis ibi. "

(c) Rationem autem ſubdunt, dicentes: *Ut & diſcipuli tui videant opera tua*. Ubi oſtendunt ſe primo inanis gloriæ cupidos; ſecundo ſuſpicioſos; & tertio incredulos. Cupidos quidem inanis gloriæ oſtendunt ſe, cum dicunt: *Ut & diſcipuli tui videant opera tua*. Patiebantur enim aliquid humani ad Chriſtum, & volebant captare gloriam de honore humano, qui Chriſto exhiberetur a turbis; & ideo inducebant eum ut faceret opera ſua in publico: eſt enim proprium inanis gloriæ cupidi ut quicquid glorioſum ſui', vel ſuorum fuerit, oſtendatur in publico. Matth. VI. 5. „ Amant in ſynagogis, & in angulis platea„ rum ſtantes orare, ut videantur ab homi„ nibus: " de quibus dicitur infra XII. 43. *Dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei*. Suſpicioſos autem oſtendunt ſe; & primo (*c*) de formidine Chriſtum notant: unde dicunt ei: *Nemo quippe in occulto aliquid facit*; quaſi dicant: Tu dicis te facere miracula; ſed facis in occulto, & hoc ex timore: alioquin ires in Hieruſalem, & faceres ea ibi coram multitudine. Sed tamen Dominus dicit infra XVIII. 20. *In occulto locutus ſum nihil*. Secundo notant eum de amore gloriæ: unde dicunt: *Et quarit ipſe in palam eſſe*; quaſi dicant: Tu quæris gloriam de his quæ facis, & tamen propter timorem abſcondis te. Hoc eſt proprium malorum, ut credant alios ſimiles eis animi paſſiones habere. Vide quam irreverenter prudentia carnis Verbum (*d*) carnem factum arguebat; contra quos dicit Iob XV. 3. „ Arguis eum qui non eſt ſimilis ti„ bi, & loqueris quod tibi non expedit. " Incredulos oſtendunt ſe eſſe, cum dicunt: *Si hac facis, manifeſta teipſum mundo*; quaſi ſub du-

(a) *Al. emittitur* pro. (b) *Al.* quia ante conſanguinei. (c) *Al.* de fortitudine. (d) *Al.* caro.

dubio ponunt an ipſe miracula faciat. Eſa. xxi. 2. „ Qui incredulus eſt, infideliter agit. “

(d) Cauſam autem quare ſic loquebantur, ſubdit Evangeliſta cum dicit: *Neque enim fratres eius credebant in eum*. Contingit enim quod carnales conſanguinei maxime adverſantur ſuis, & invident de bonis ſpiritualibus. Et contemnunt eum: unde dicit Auguſtinus: „ Chriſtum conſanguineum habere potuerunt, „ credere autem in eum in ipſa propinquitate faſtidierunt. “ Mich. vii. 6. „ Inimici „ hominis domeſtici eius. “ Iob xix. 13. „ Fratres meos longe fecit a me, & noti mei „ quaſi alieni dereliquerunt me, proximi mei, „ & qui me noverant, obliti ſunt mei. “

(e) Conſequenter cum dicit, *Dixit ergo eis Ieſus: Tempus meum nondum advenit &c.* ponitur Chriſti reſponſio: (*a*) & primo deſignat temporis ad aſcendendum indiſpoſitionem; ſecundo aſſignat dictorum rationem, ibi, *Non poteſt mundus odiſſe vos*; tertio ponit aſcendendi recuſationem, ibi, *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc &c.*

Sciendum eſt autem, quod tota ſequens littera aliter exponitur ſecundum Auguſtinum, & aliter ſecundum Chryſoſtomum. Nam ſecundum Auguſtinum, fratres Domini invitabant eum ad humanam gloriam. Eſt autem tempus quo ſancti perveniunt ad gloriam, ſcilicet tempus futurum: ad quam perveniunt per paſſiones, & tribulationes. Sap. iii. 6. „ Tamquam aurum in fornace probavit illos, „ & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & „ in tempore erit reſpectus illorum. “ Aliud vero eſt tempus quo mundani gloriam ſuam acquirunt, ſcilicet tempus præſens. Sap. ii. 7. „ Non prætereat nos flos temporis: coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra &c. “ Voluit ergo Dominus oſtendere quod non quærebat gloriam huius temporis; ſed ad celſitudinem gloriæ cæleſtis (*b*) per paſſionem, & humilitatem ſuam volebat pervenire. Luc. ult. 26. „ Oportuit „ Chriſtum pati, & (*c*) ita intrare in gloriam ſuam. “ Et ideo dicit eis, ſcilicet fratribus: *Tempus meum*, ideſt tempus gloriæ meæ, *nondum venit*: quia oportet quod triſtitia convertatur in gaudium. Rom. viii. 18. „ Non ſunt condignæ paſſiones huius „ temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. “ *Sed tempus veſtrum*, ideſt mundi gloria, *ſemper eſt paratum*.

(f) Rationem huius diverſitatis temporis aſſignat cum dicit: *Non poteſt mundus odiſſe vos; me autem odit*. Ideo enim mundani habent tempus gloriæ paratum, quia eadem amant quæ mundus amat, & mundo conſentiunt. Sancti vero qui quærunt gloriam ſpiritualem, non habent hoc tempus paratum, quia quærunt quæ mundo diſplicent; ſcilicet paupertatem, luctum, eſuriem, & huiuſmodi. Vituperant etiam quæ mundus amat; immo ipſum mundum (*d*) contemnunt. Gal. ult. 14. „ Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. “ Et ideo dicit: *Non poteſt mundus odiſſe vos*; quaſi diceret: Ideo paratum eſt tempus gloriæ veſtræ: quia mundus non odit vos, qui convenitis cum eo: & omne animal diligit ſibi ſimile. *Sed me odit*; & ideo tempus meum non ſemper eſt paratum. Et ratio odii eſt, *quia ego teſtimonium perhibeo de illo*, ſcilicet mundo, *quia opera eius mala ſunt*; ideſt, non prætermitto mundanos homines redarguere, licet ſciam ex hoc odium incurrere, & mortem intentari. Amos v. 10. „ Odio „ habuerunt corripientem in porta, “ illi ſcilicet qui amant malitiam. Et Prov. ix. 8. „ Noli arguere deriſorem. “

Sed numquid non mundani aliqui odio habentur a mundo, ideſt ab alio mundano? Reſponſio. Dicendum, quod in particulari mundanus quidem unus habetur odio ab alio, inquantum habet ea quæ ipſe vellet habere, vel impedit eum in his quæ ſunt de gloria mundi; ſed inquantum mundanus, nullus oditur a mundo. Sancti vero univerſaliter odiuntur a mundo, quia contrariantur ei; & ſi aliquis de mundo eos diligat, hoc non eſt inquantum eſt de mundo, ſed inquantum eſt in eo aliquid ſpirituale.

(g) Recuſat autem Dominus aſcendere, cum dicit, *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc; ego autem non aſcendam*. Sicut enim ſunt duæ gloriæ, (*e*) ita duo diverſa feſta. Mundani enim habent feſta temporalia, ſcilicet gaudere, & epulari, & huiuſmodi exteriores delicias. Eſa. xxii. 12. „ Vocavit Dominus ad lamentum, „ & ad planctum, ad calvicium, & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium, & lætitia „ occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. “ Ibid. i. 14. „ Solemnitates veſtras odivit anima „ mea. “ Sancti vero habent feſta ſpiritualia, quæ in delectationibus ſpiritus conſiſtunt. Eſa. xxxiii. 20. „ Reſpice Sion civitatem ſolemnitatis veſtræ. “ Et ideo dicit: *Vos*, qui gloriam mundi quæritis, *aſcendite ad diem feſtum hunc*, ideſt ad feſta lætitiæ temporalis; *ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum*, ſed ad diem feſtum ſolemnitatis æternæ; & hoc,

(a) *Al.* & primo aſſignatio temporis ad eum de indiſpoſitione. (b) *Al. deeſt* per. (c) *Al. omittitur* ita.
(d) *Al. deeſt* contemnunt. (e) *Al.* ita duo feſta.

hoc, *quia meum tempus*, ſcilicet gloriæ (*a*) veræ, quod erit permanens in æternum gaudium ſine fine, æternitas ſine labore, claritas ſine nube, *nondum impletum eſt*.

Secundum Chryſoſtomum, ſervata eadem diviſione, exponitur ſic, ſcilicet quod fratres Domini conſpiraverant in mortem Chriſti cum Iudæis: unde inducebant eum ad eundum, volentes eum prodere, & tradere Iudæis: & ideo dicit: *Tempus meum*, ſcilicet crucis, & mortis, *nondum advenit*, ut vadam in Iudæam, & occidar; *tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum*: quia ſine periculo converſari poteritis cum eis. Et huius ratio eſt, quia non poſſunt odire vos, zelantes eadem, & amantes cum eis: *Me autem odit: quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala ſunt*. Per quod patet quod Iudæi non propter ſolutionem ſabbati, ſed propter publicam redargutionem me odiunt. *Vos ergo aſcendite ad diem feſtum hunc*, ſcilicet ad principium feſti (nam ſeptem diebus celebrabatur, ut dictum eſt) *ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum*, ſcilicet vobiſcum, ſcilicet ad principium feſti: *quia nondum tempus meum eſt impletum*, in quo patiar: nam in futuro paſcha crucifigendus erat. Ideo autem non aſcendit cum eis, ut poſſet magis latere &c.

LECTIO II.

(a) HAEc cum dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa. Ut autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſte, ſed quaſi in occulto.

(b) Iudæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant: Ubi eſt ille? Et murmur multus erat in turba de eo: quidam enim dicebant, quia bonus eſt; alii autem dicebant: Non, ſed ſeducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

(c) Iam autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?

(d) Reſpondit autem Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.

(e) Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit, an ego a meipſo loquar.

(f) Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt.

(g) Nonne Moyſes dedit vobis legem? Et nemo ex vobis facit legem. Quid me quæritis interficere?

(h) Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

(i) Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini.

(k) Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus. Et in ſabbato circumciditis hominem. Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi; mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato?

(l) Nolite iudicare ſecundum faciem; ſed iuſtum iudicium iudicate.

(a) POſtquam egit Evangeliſta de incitatione qua cognati Domini inducebant Chriſtum ut aſcenderet in Iudæam, & poſuit Chriſti reſponſionem, hic conſequenter agit de aſcenſu eius. Et primo ponitur dilatio aſcenſus Chriſti; (*b*) ſecundo ordo eius; tertio aſcenſionis modus. Dilatio quidem ponitur cum dicit: *Hæc cum dixiſſet*, ſcilicet quæ reſpondit, *manſit ipſe in Galilæa*, non aſcendens cum cognatis ad diem feſtum, ut verificaretur verbum ſuum, quod dixerat: *Ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum*. Num. XXIII. 19. „ Non eſt Deus ut homo, ut mentiatur, „ neque ut filius hominis, ut mutetur. " Ordo vero eius ponitur cum dicit: *Ut autem aſcenderunt fratres eius*, ideſt cognati, *tunc & ipſe aſcendit &c.*

Sed hoc videtur contra illud quod ſupra dixit: *Ego autem non aſcendam*: cum Apoſtolus dicat II. Corinth. 1. 19. „ Chriſtus Ieſus qui in „ vo-

(a) *Al.* ſuæ. (b) *Al.* ſecundo aſcenſionis modus.

„ vobis prædicatus eſt per nos .... non fuit „ in illo Eſt & Non, ſed Eſt in illo fuit. “ Reſpondeo dicendum primo, quod feſtum ſcenopegiæ ſeptem diebus agebatur, ut dictum eſt. Dominus autem dixit ſupra: *Ego autem non aſcendam ad diem feſtum hunc*, ideſt ad principium feſti. Hoc autem quod hic dicitur, *Ad diem feſtum*, intelligendum eſt quantum ad intermedios dies: unde & ſequitur: *Iam autem die feſte mediante*. Et ſic patet quod factum Chriſti non contrariatur eius dicto. Secundo vero, ut Auguſtinus dicit, iſti volebant quod Chriſtus aſcenderet in Iudæam, ut quæſiturus gloriam temporalem: & ſic dixit eis: *Non aſcendam ad diem feſtum hunc*, hoc modo ſicut vos vultis. Sed ipſe aſcendit ad diem feſtum, quaſi docturus turbas, & inſtructurus de gloria ſempiterna. Tertio, ſecundum Chryſoſtomum, quia ſupra dixit: *Non aſcendam ad diem feſtum hunc*, paſſurus, & moriturus, ut ipſi volebant; & tamen ipſe aſcendit ad diem feſtum non ut pateretur, ſed ut alios (*a*) erudiret.

Modus aſcenſus oſtenditur? *Non in manifeſto, ſed quaſi in occulto*. Et huius ratio triplex eſt. Una, ſecundum Chryſoſtomum, ne magis ſuam divinitatem denudans, incarnatio eius minus certa eſſet, ut dictum eſt ſupra: & ut auferat verecundiam latendi iuſtis hominibus, quando non poſſunt perſecutores ſuos publice detinere; & ideo dicit, *Quaſi in occulto*, ut oſtendat hoc eſſe diſpenſatione factum. Eſa. xlv. 15. „ Vere tu es Deus abſ„ conditus. “ Alia, ſecundum Auguſtinum, ut ſcilicet daretur intelligi quod Chriſtus occultus eſt in figuris veteris teſtamenti. Eſa. VIII. 17. „ Expectavi Dominum, qui abſcon„ dit faciem (ideſt manifeſtam notitiam) ſuam „ a domo Iacob: “ unde & „ uſque in hodiernum „ diem velamen habent poſitum ſuper cor eo„ rum: “ ut dicitur II. Cor. III. 15. Ideo omnia quæ dicta ſunt antiquo populo illi, umbræ fuerunt futurorum bonorum, ut dicitur Hebr. x. Ut ergo oſtendat quod etiam ipſum feſtum eſſet figura, ideo aſcendit in occulto. Scenopegia, ut dictum eſt, erat feſtum tabernaculorum. Ille ergo hoc feſtum celebrat qui ſe in mundo iſto intelligit peregrinum. Alia ratio eſt ut doceat nos bona quæ facimus occultare debere, non quærentes favorem hominum, nec pompas ſtipantium turbarum deſiderantes, ſecundum illud Matth. VI. 1. „ Attendite ne iuſtitiam veſtram fa„ ciatis coram hominibus, ut videamini ab „ eis. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Iudæi ergo quærebant eum in die feſto*, ponit occaſionem maniſeſtandi originem doctrinæ ſpiritualis; & ponit duas occaſiones: unam cauſatam ex diſſenſione turbarum, aliam ex admiratione earum, ibi, *Iam autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum &c.* Diſſenſio turbarum erat circa opinionem de Chriſto: unde circa hoc tria facit. Primo proponit id in quo omnes conveniebant; ſecundo illud in quo differebant, ibi, *Et murmur multus erat in turba de eo*; tertio quorum opinio inter eos prævalebat, ibi, *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum*. Conveniebant autem omnes in hoc quod *quærebant eum in die feſto, & dicebant: Ubi eſt ille?* Patet quod ex multo odio, & inimicitia neque eum nominare volebant. Gen. XXXVII. 4. „ Oderant eum, „ nec poterant ei quidquam pacifice loqui. “ Differebant autem, quia quidam quærebant deſiderio addiſcendi, ſecundum illud Pſalm. LXVIII. 33. „ Quærite eum, & vivet anima „ veſtra: “ alii quærebant eum deſiderio malignandi, ſecundum illud Pſalm. XXXIX. 15. (*b*) „ Quærunt animam meam ut auferant „ eam. “ Et ideo *murmur erat multus in turba*, de contentione quæ erat *de eo* in turba. Et licet murmur ſit generis neutri, tamen Hieronymus ponit in maſculino, quia hoc habebat antiqua grammatica: vel ut oſtendat divinam Scripturam non ſubiacere regulis Priſciani. Erat diſſenſio: quia *quidam*, de turba, illi ſcilicet qui habebant rectum cor, *dicebant*, de Chriſto, *quia bonus eſt*. Pſalm. LXXII. 1. „ Quam bonus Iſrael Deus his qui recto „ ſunt corde! “ Thren. III. 25. „ Bonus eſt „ Dominus ſperantibus in eum, animæ quæ„ renti illum. “ *Alii*, ſcilicet qui erant male diſpoſiti, *dicebant non*, ſcilicet non eſt bonus. Datur autem per hoc intelligi, quod multitudo opinabatur eum bonum; ſed principes ſacerdotum opinabantur eum malum; & ideo dicunt: *Sed ſeducit turbas*. Luc. XXIII. 2. „ Hunc invenimus ſubvertentem gentem „ noſtram. “ Matth. XXVII. 63. „ Recordati „ ſumus, quod ſeductor ille dixit &c. “

Sciendum eſt autem, quod ſeducere eſt ſeorſum ducere: poteſt autem homo duci ſeorſum vel a veritate, vel a falſitate: & utroque modo poteſt dici aliquis ſeductor: vel in quantum ſeorſum ducit a veritate; & hoc modo non competit Chriſto, quia ipſe eſt veritas &c. infra 8. vel a falſitate; & hoc modo Chriſtus ſeductor dicitur, Hier. xx. 7. „ Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum: for„ tior me fuiſti, & invaluiſti. “ Et utinam ſic omnes ſeductores vocemur, & ſimus, ut di-

(a) *Al.* erudiat. (b) *Al.* Quærebant.

dicit Auguſtinus. Magis autem ſeductor dicitur qui a veritate ſeducit, & decipit: quia ille dicitur ſeorſum duci, qui trahitur a via communi: veritas autem communis via eſt; hæreſis vero, & via malorum, diverticula quædam ſunt.

Prævalet autem opinio malorum, ſcilicet principum ſacerdotnm: unde ſequitur: *Nemo tamen palam loquebatur*. Et hoc, quia turbæ comprimebantur propter metum principum ſacerdotum: quia, ut dicitur infra IX. 22. *ſi quis confiteretur ipſum eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fiebat*. Ex quo patet eorum qui principabantur malitia, qua Chriſto inſidiabantur, & eorum qui (*a*) ſubiiciebantur, ſcilicet plebis, quia non habebant libertatem dicendi quod ſentiunt.

(c) Conſequenter cum dicit, *Iam autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum*, ponitur ſecunda occaſio manifeſtandi doctrinam, quæ ſumitur ex admiratione turbarum: & primo ponitur admirationis materia; ſecundo ipſa admiratio; & tertio admirationis ratio. Materia quidem admirationis eſt doctrina Chriſti: unde & circa hanc ponitur & tempus, & locus. Tempus, cum dicit: *Iam autem die feſte mediante*: (*b*) ideſt, cum illius feſti tot dies remanſiſſent quot effluxerant: unde cum ſeptem diebus ageretur feſtum, dicitur hoc fuiſſe quarto die. Et quidem in hoc quod ſe occultavit, humanitatis Chriſti eſt indicium, & noſtræ virtutis documentum, ut dictum eſt; hoc autem quod ſe propalavit, nec eum tenere potuerunt, divinitatis eſt oſtenſivum. Ideo autem in medio feſtivitatis tempore aſcendit, quia in principio feſti omnes magis attenti ſunt his quæ feſti ſunt. Boni quidem ad cultum Dei, alii vero ad vanitates, & lucra. Sed circa medium temporis, his quæ feſti ſunt expeditis, magis parati ſunt ad doctrinam. Ut ergo eos attentiores, & paratiores ad doctrinam inveniret, non in primis diebus aſcendit. Similiter etiam quia hoc congruit ordini doctrinę Chriſti: quia non in fine mundi, nec in principio, ſed in medio tempore venit inſtruere homines de regno Dei: (*c*) ſecundum illud Habac. III. 2. „ In me„ dio annorum notum facies. “ Locus autem doctrinæ oſtenditur cum dicit, *In templum*: ubi docebat propter duo: ſcilicet ut oſtenderet ſe docere veritatem quam calumniari non poterant, & quæ erat omnibus neceſſaria: infra XVIII. 20. *Ego in occulto locutus ſum nihil*; ſecundo vero quia templum, (*d*) cum ſit locus ſacer, conveniens eſt doctrinæ Chriſti ſanctiſſimæ. Eſa. II. 5. „ Venite, aſcenda„ mus ad montem Domini, & ad domum Dei „ Iacob; & docebit nos vias ſuas, & ambu„ labimus in ſemitis eius. “ Quid autem doceret Chriſtus, prætermittit Evangeliſta: quia, ut dictum eſt, non omnia facta, & verba Domini exprimunt Evangeliſtæ; ſed ea quæ commotionem, & contradictionem in populo faciebant: & ideo hic mentionem facit de commotione populi ex ipſa doctrina, quia ſcilicet qui ante dixerant, *Seducit turbas*, poſtea ex ipſa doctrina admiratione moventur. Et ideo conſequenter cum dicit, *Et mirabantur Iudæi*, ponitur ipſorum admiratio. Nec mirum, quia hoc dicitur in Pſalm. CXVIII. 129. „ Mirabi„ lia teſtimonia tua. “ Verba enim Chriſti verba ſunt ſapientiæ divinæ. Ratio autem admirationis ſubditur cum dicit: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Sciebant enim Ieſum filium eſſe pauperis mulieris; & putabatur filius fabri, qui de labore ſuo vivens, non inſiſteret ſtudio litterarum, ſed potius operi manuali: ſecundum illud Pſal. LXXXVII. 26. „ Pauper ſum ego, & in laboribus a iu„ ventute mea. “ Et ideo cum audiunt eum docere, & diſputare, mirantur dicentes: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Simile habetur Matth. XIII. 54. „ (*e*) Unde „ huic ſapientia, & virtutes? Nonne hic eſt „ filius fabri? “

(d) Poſito loco, & occaſionibus manifeſtandi doctrinæ ſpiritualis originem, hic conſequenter ipſis doctrinæ originem manifeſtat: & primo oſtendit originem ſpiritualis doctrinæ eſſe a Deo; ſecundo invitat ad ſuſceptionem eius, ibi, *In noviſſimo magna feſtivitatis die ſtabat Ieſus, & clamabat*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit originem doctrinæ; ſecundo originem docentis, ibi, *Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymis &c.* Circa primum duo facit. Primo oſtendit originem doctrinæ: ſecundo excludit obiectionem, ibi, *Nonne Moyſes dedit vobis legem?* Circa primum duo facit. Primo oſtendit originem doctrinæ; ſecundo probat, ibi, *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina*. Dicit ergo: *Reſpondit eis Ieſus, & dixit*; quaſi dicat: Vos admiramini unde habeam ſcientiam; ſed ego dico, quod *mea doctrina non eſt mea*.

Si dixiſſet, Doctrina quam ego dico, non eſt mea, nulla eſſet quæſtio; ſed quod dicit, *Mea non eſt mea*, videtur contradictionem implicare. (*f*) Sed hoc ſolvitur, quia hoc dici poteſt multipliciter. Unde ſua doctrina aliquo modo poteſt dici ſua, & aliquo modo non ſua.

(a) *Al.* ſubiiciuntur. (b) *Al.* ideſt, in illis diebus feſtis tot dies remanſiſſent &c. (c) *Al.* ſecundum Habac. (d) *Al.* cum ſit locus ſatis conveniens &c. (e) *Al.* „ Unde ſapientia hæc, & virtutes! “ (f) *Al.* ſed non ſolvit, quia hoc dicit eſſe huiuſmodi multipliciter.

Digitized by Google

ſua. Si enim intelligatur de Chriſto Filio Dei, ſic cum doctrina uniuſcuiuſque nihil aliud ſit quam verbum (*a*) eius; Filius autem Dei ſit Verbum eius: ſequitur ergo quod doctrina Patris ſit ipſe Filius. Idem autem Verbum eſt ſui ipſius per identitatem ſubſtantiæ. „Quid enim tuum eſt niſi tu ipſe?“ Eſt autem non ſuum per originem. „Quid enim „non tuum quam tu, ſi alicuius es, quod „es?“ ut Auguſtinus dicit. Hoc ergo breviter videtur dixiſſe: *Mea doctrina non eſt mea*; ac ſi diceret: Ego non ſum a meipſo. In quo hæreſis Sabelliana confunditur, qui dicere auſi ſunt ipſum eſſe Filium qui eſt Pater. Vel *mea doctrina*, quam ego pronuntio verbo creato, *non eſt mea*, *ſed eius qui miſit me*, Patris; ideſt, non eſt mihi a meipſo, ſed a Patre, quia etiam cognitionem Filius per æternam generationem habet a Patre. Matth. 11. 27. „Omnia tradita ſunt mi„hi a Patre meo.“ Si vero intelligatur de Chriſto filio hominis, tunc dicit: *Mea doctrina*, quam ego habeo ſecundum animam creatam, & profero corporis ore, *non eſt mea*; ideſt, non eſt mihi a meipſo, ſed a Deo: quia omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu ſancto eſt. Sic ergo, ſecundum Auguſtinum I. de Trin. ſecundum aliquid ſuam dixit doctrinam, & ſecundum aliquid non ſuam: ſecundum formam Dei ſuam, ſecundum formam ſervi non ſuam. Ex quo habemus exemplum, quod omnem cognitionem noſtram cum gratiarum actione recognoſcamus a Deo. I. Corinth. IV. 7. „Quid habes quod non ac„cepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, „quaſi non acceperis?“

(e) Conſequenter cum dicit, *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina &c.* probat ſuam doctrinam eſſe a Deo, & hoc dupliciter. Primo ex iudicio recte ſentientium; ſecundo ex ſua intentione, ibi, *Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit*. Circa primum ſciendum eſt, quod iudicio illius ſtandum eſt, utrum aliquis bene operetur in aliqua arte, qui eſt expertus in arte illa, ſicut an aliquis bene loquitur Gallice, ſtandum eſt iudicio eius qui eſt peritus in lingua Gallica. Secundum hoc ergo dicit Dominus: Illius iudicio ſtandum eſt, an doctrina mea ſit a Deo, qui eſt expertus in rebus divinis: talis enim recte poteſt de his iudicare. I. Corinth. 11. 14. „Animalis ho„mo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; „ſpiritualis autem iudicat omnia.“ Et ideo dicit: (*b*) Quia vos alienati eſtis a Deo, ideo non cognoſcitis de doctrina utrum ex Deo ſit. Sed *ſi quis voluerit voluntatem eius*, ideſt Dei, *facere*, iſte poteſt cognoſcere utrum doctrina hæc ſit a Deo, *an ego a meipſo loquar*. Ille quidem a ſeipſo loquitur qui falſum dicit: quia, ſicut dicitur infra VIII. 44. *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*. Vel aliter ſecundum Chryſoſtomum. Voluntas enim Dei eſt pax, caritas, & humilitas noſtra: unde Matth. V. 9. dicitur: „Beati pacifici, quo„niam filii Dei vocabuntur.“ Studium autem contentionis frequenter pervertit mentem hominis, intantum ut verum æſtimet falſum. Unde depoſito contentionis ſpiritu, rectius habetur certitudo veritatis. Iob VI. 29. „Re„ſpondete, obſecro, abſque contentione, & „loquentes id quod iuſtum eſt, iudicate.“ Et ideo dicit Dominus: Si quis vult recte de doctrina mea iudicare faciat voluntatem eius; ideſt, deponat iram, invidiam, & odium, quod ſine cauſa in me habet; & nihil eſt quod prohibeat eum cognoſcere, *utrum ex Deo ſit an ego a meipſo loquar*; (*c*) ideſt, quod Dei verba ſunt quæ loquor. Vel aliter, ſecundum Auguſtinum, voluntas Dei eſt ut faciamus opera eius, ſicut voluntas patrisfamilias eſt ut operarii faciant opus eius. Opus autem Dei eſt ut credamus in eum quem ipſe miſit. Supra VI. 29. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem ille miſit*. Ideo dicit: *Si quis voluerit facere voluntatem eius*, ſcilicet Dei, ideſt credere in me, iſte *cognoſcet an doctrina mea ſit ex Deo*. Eſa. VII. 9. ſecundum aliam litteram: Niſi credideritis, non intellige„tis.“

(f) Conſequenter cum dicit, *Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit*, probat idem ex ſua intentione. Et ponit duplicem intentionem per quam intelligitur duplex origo doctrinæ. Dictum eſt autem aliquos loqui a ſe, aliquos vero loqui non a ſe. Loquitur autem non a ſe quicumque ſtudet loqui veritatem. Omnis veritatis cognitio ab alio eſt, vel per modum quidem diſciplinæ, ut a magiſtro; vel per modum revelationis, ut a Deo; vel per inventionem, ut ab ipſis rebus. Quia, ut dicitur Rom. I. 20. „inviſibilia Dei per ea quæ fa„cta ſunt, intellecta conſpiciuntur.“ Sic ergo quocumque iſtorum modorum cognitio aliqua habeatur, non eſt homini a ſe. A ſe autem loquitur qui ea quæ dicit nec a rebus, nec ex doctrina humana accepit, ſed de corde ſuo. Hierem. XXIII. 16. „Viſionem cordis „ſui loquuntur.“ Ezech. XIII. 3. „Væ „Prophetis inſipientibus qui vaticinantur de „corde ſuo.“ Sic ergo confingere aliquid a ſe ipſo, eſt propter humanam gloriam: quia,

(a) *Al.* omittitur eius. (b) *Al.* Vos alienati eſtis a Deo, & ideo &c. (c) *Al.* deeſt ideſt, quod Dei verba ſunt quæ loquor.

ſicut Chryſoſtomus dicit, qui aliquam propriam vult inſtruere doctrinam, (*a*) propter nihil aliud hoc vult quam ut gloriam acquirat. Et hoc eſt quod Dominus dicit, probans doctrinam ſuam a Deo eſſe: *Qui a ſemetipſo loquitur*, de certa cognitione veritatis quæ eſt ab alio, iſte *quærit gloriam propriam*: propter quam, (*b*) propter ſuperbiam, hæreſes, & falſæ opiniones introducuntur. Et hoc competit Antichriſto. II. Theſ. II. 4. „ Qui adverſatur, „ & extollitur ſupra omne quod dicitur „ Deus, aut quod colitur. " Sed *qui quærit gloriam eius qui miſit illum*, ſicut ego quæro: infra VIII. 50. „ Ego gloriam meam non quæ„ ro: " *hic verax eſt*, *& iniuſtitia in illo non eſt*. Verax ſum, quia doctrina mea continet veritatem; iniuſtitia in me non eſt, quia alterius gloriam non uſurpo. Et, ut dicit Auguſtinus, „ magnum nobis præbuit humilita„ tis exemplum, dum habitu inventus ut ho„ mo, quærit gloriam Patris, non ſuam: quod „ tu homo facere debes. Quando aliquid bo„ ni facis, gloriam, (*c*) tuam quæris; quan„ do aliquid mali facis, Deo calumniam me„ ditaris. " Patet autem quod gloriam ſuam non quærebat: quia ſi non fuiſſet adverſarius principibus ſacerdotum, non fuiſſent eum perſecuti. Sic ergo Chriſtus, & quicumque gloriam Dei quærit, habet quidem in intellectu cognitionem: Matth. XXII. 16. „ Magiſter, „ ſcimus quia verax es: " & ideo dicit: *Hic verax eſt*: in affectu autem rectam intentionem: unde dicit: *Et iniuſtitia in illo non eſt*. Iniuſtitia enim eſt quod homo uſurpet ſibi alienum; gloria autem eſt propria ſolius Dei: qui ergo ſibi quærit gloriam, iniuſtus eſt.

(g) Conſequenter cum dicit, *Nonne Moyſes dedit vobis legem?* excludit obiectionem. Poſſet enim aliquis dicere Chriſto, quod ideo doctrina ſua non eſſet a Deo, quia ſabbatum ſolvit, ſecundum illud infra IX. 16. *Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*. Et ideo hoc intendit excludere: unde circa hoc tria facit. Primo excuſat ſe, arguendo ex parte accuſantium; ſecundo oſtenditur eorum iniqua reſponſio, ibi, *Reſpondit turba &c.* tertio excuſat ſe per rationem, ibi, *Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini*. Dicit ergo: Dato, ut vos dicitis, quod doctrina mea non ſit a Deo, quia legem non ſervo, ſabbatum ſolvens; tamen vos non habetis cauſam accuſandi, cum ſitis in ſimili delicto. Unde dicit: *Nonne Moyſes dedit vobis*, ideſt populo veſtro, *legem? Et tamen nemo ex vobis facit*, ideſt ſervat, *legem*. Act. VII. 53. „ Accepiſtis legem in diſpoſitione Ange„ lorum, (*d*) & non cuſtoditis. " Unde & Petrus, Act. XV. 10. „ Hoc eſt onus quod „ neque nos, neque patres noſtri portare po„ tuerunt. " Si ergo non ſervatis legem, quare propter tranſgreſſionem eius vultis me interficere? Non enim propter hoc facitis, ſed propter odium: alioquin ſi propter zelum legis faceretis, ipſi vos ſervaretis eam. Sap. II. 12. „ Circumveniamus iuſtum, quoniam „ inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus „ noſtris, & improperat nobis peccata legis. " Et ſequitur verſ. 20. „ Morte turpiſſima con„ demnemus eum. " Vel dicendum, quod non ſervatis legem quam Moyſes dedit vobis: & hoc patet in eo quod me vultis interficere, quod eſt contra legem. Exod. XX. 13. „ Non occides. " Vel aliter, ſecundum Auguſtinum. Non facitis legem, quia in lege ipſe continenr: ſupra V. 46. „ *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Sed vos vultis me interficere.

(h) Conſequenter ponitur iniqua reſponſio turbæ, cum dicit: *Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes*. (*e*) Vere autem turba reſpondet non pertinentia ad ordinem, ſed (*f*) ad perturbationem, ut dicit Auguſtinus: cum enim dicunt dæmonium habere qui dæmones expellit, Matth. 12.

(i) Et ideo conſequenter cum dicit, *Unum opus feci, & omnes miramini*, Dominus in ſua veritate tranquillus, confutat eos, excuſans ſe per rationem. Et primo commemorat eis factum propter quod turbantur; ſecundo oſtendit eos non debere turbari, ibi, *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem*; tertio inducit eos ad iuſtum iudicium, ibi, *Nolite iudicare ſecundum faciem &c.* *Reſpondit* ergo *Ieſus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini*. Non reddit convicio convicium, nec repulit: quia (I. Pet. II. 23.) „ cum malediceretur, „ non maledicebat: " (*g*) ſed eis opus commemorat de curatione paralytici, de quo omnes admirabantur: non admiratione devotionis, ſecundum illud Eſa. LX. 5. „ Videbis, „ & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor „ tuum; " ſed admiratione turbationis, ſecundum illud Sap. V. 2. „ Videntes turbabuntur „ timore horribili, & mirabuntur in ſubitatio„ ne inſperatæ ſalutis. " Si ergo propter unum opus miramini, ideſt cum turbatione turbamini; quid faceretis ſi omnia opera mea videretis? Nam, ut dicit Auguſtinus, ipſius opera erant quæ in mundo videbant: omnes etiam infirmi per eum ſanantur. Pſalm. CVI. 20.

(a) *Al.* propter ſe, nihil aliud hic vult &c. (b) *Al.* & propter ſuperbiam. (c) *Al.* tunc. (d) *Al.* & non cuſtoditis æque. (e) *Al.* Vere turbata reſpondet. (f) *Al.* ad pertinaciam. (g) *Al.* ſed potius eius opus commemorat.

20. „ Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos. " Sap. xvi. 12. „ Nec herba, nec malagma ſanavit eos; ſed tuus, Domine, ſermo, qui „ ſanat omnia. " Ideo ergo turbamini, quia unum tantum opus videtis, & non omnia.

(k) Conſequenter cum dicit, *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem*, convincit eos de iniuſta turbatione: & primo ponit mandatum eis datum a Moyſe; ſecundo opus eorum; & tertio arguit ex utroque. Mandatum autem Moyſi eſt de circumciſione; & ideo dicit: *Propterea*, ideſt ad ſignificandum mea opera, *Moyſes dedit vobis circumciſionem*. Nam circumciſio in ſignum data eſt, ut habetur Gen. xvii. 2. „ Erit vobis in ſignum „ fœderis inter me & vos: " ſignificabat enim Chriſtum; & ideo ſemper data eſt in membro generationis, quia ex Abraham ſecundum carnem deſcenſurus erat Chriſtus, qui ſpiritualem circumciſionem, ideſt mentis, & corporis facit. Vel ideo (a) in ipſo membro fiebat, quia data eſt contra peccatum originale. Quod autem Moyſes dederit circumciſionem, expreſſe non habetur, niſi Exod. xvii. 44. „ Omnis ſervus emptitius circumci„ detur. " Et licet Moyſes dederit circumciſionem, non tamen (b) quaſi eam inſtituens: quia non ipſe primus accepit circumciſionis mandatum, ſed Abraham, ut habetur Geneſ. xvii. Factum autem Iudæorum eſt quia in ſabbato circumcidebant; & hoc eſt quod dicit: *Et in ſabbato circumciditis &c.* Et hoc ideo, quia Abrahæ mandatum eſt, ut octavo die circumcideretur puer. Gen. xxi. 4. „ Cir„ cumcidit eum die octavo, ſicut præceperat „ ei Deus. " A Moyſe autem præceptum erat eis quod nihil operis facerent in die ſabbati. Contingebat autem aliquando quod octavus dies neceſſitatis veniret in die ſabbati; & ſic circumcidentes puerum ipſo die, mandatum Moyſi ſolvebant, propter mandatum patrum. Et ideo ex his arguit Dominus cum dicit: *Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi; mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato?*

Ubi notandum eſt, quod hoc argumentum efficaciam habet ex his tribus conſiderationibus; quarum duæ ſunt expreſſæ, ſed tertia ſubintelligitur. Videmus enim primo, quod quamvis mandatum Abrahæ prius fuerit, tamen mandatum Moyſi de obſervatione ſabbati non præiudicabat priori, ſcilicet mandato de circumciſione. Galat. iii. 17. „ Dico autem, (c) „ teſtamentum confirmatum a Deo, quæ poſt „ quadringentos & triginta annos facta eſt „ lex, non irritum facit. " Et ideo ex hoc arguit: quia licet in humanis legibus poſteriora præiudicent prioribus, tamen in divinis priora ſunt maioris auctoritatis. Et ideo præcepto facto Abrahæ de circumciſione non præiudicat præceptum Moyſi de obſervatione ſabbati. Multo ergo minus præiudicat mihi, qui facio quod diſpoſitum eſt a Deo ante mundi conſtitutionem de ſalute hominum in ſabbato figurata. Alia conſideratio eſt, quia Iudæi mandatum habebant ut non operarentur in ſabbato, & tamen Iudæi operabantur quæ ad ſalutem particularem erant. Dicit ergo: Si vos, quibus mandatum eſt ut nihil operemini in ſabbato, circumciſionem accipitis ipſo die, quæ eſt quædam particularis ſalus (unde & in membro particulari fiebat) & hoc facitis, *ut non ſolvatur lex Moyſi* (ex quo patet, ea quæ ad ſalutem pertinent in ſabbato prætermittenda non eſſe) ergo multo magis debet homo facere ipſo die ea quæ ſunt ad univerſalem ſalutem. Non ergo debetis mihi indignari, *quia totum hominem ſanum feci in ſabbato*. Tertia conſideratio eſt, quia utrumque mandatum fuit figura: nam „ omnia in figura contingebant illis: " I. Corinth. x. 11. Si ergo figura, ſcilicet mandatum de obſervatione ſabbati, non præiudicat figuræ, ſcilicet mandato circumciſionis, multo minus præiudicat veritati. Nam circumciſio ipſum Dominum figurabat, ut dicit Auguſtinus. Ideo autem dicit, *Totum hominem*, quia cum Dei perfecta ſint opera, curatus eſt ut ſanus eſſet in corpore, & credidit ut ſanus eſſet in anima.

(l) Conſequenter cum dicit, *Nolite iudicare ſecundum faciem &c.* reducit eos ad iuſtum examen ſui, ut ſcilicet non ſecundum faciem iudicent, ſed iuſtum iudicium. Dicitur autem quis iudicare ſecundum faciem dupliciter. Nam iudex iudicat ſecundum allegata. I. Reg. xvi. 7. „ Homines vident ea quæ ap„ parent. " Sed in hoc poteſt eſſe deceptio; & ideo dicit: *Nolite iudicare ſecundum faciem*, ideſt ſecundum illud quod ſtatim apparet; ſed diligenter inquirite. Iob xxix. 16. „ Cau„ ſam quam neſciebam, diligenter inveſtiga„ bam. " Eſa. xi. 3. „ Non ſecundum viſio„ nem oculorum iudicabit. " Vel aliter: *Nolite iudicare ſecundum faciem*; ideſt, nolite accipere perſonam in iudicio: hoc enim eſt prohibitum omnibus iudicantibus. Exod. xxiii. 6. „ Non accipies perſonam pauperis in iu„ dicio. " Mal. ii. 9. „ Faciem accipitis in „ iudicio. " Accipere autem perſonam in iudicio, eſt prætermittere iuſtum iudicium propter amorem, ſeu reverentiam, ſeu timorem,

(a) *Al.* deeſt in. (b) *Al.* omittitur quaſi. (c) *Al.* teſtimonium.

ſeu conditionem perſonæ, quæ non (*a*) faciunt ad cauſam. Dicit ergo, *Nolite iudicare*; quaſi dicat: (*b*) Non quia Moyſes apud vos habet maiorem gloriam quam ego, ex perſonarum dignitate feratis ſententiam ; ſed a rerum natura : quia ea quæ ego facio, maiora ſunt quam ea quæ fecit Moyſes.

Sed notandum, ſecundum Auguſtinum, quod ille non iudicat partialiter, qui æqualiter diligit. Non enim cum homines diverſo modo pro ſuis gradibus honoramus, timendum eſt ne perſonam accipiamus.

L E C T I O III.

(a) Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymis: Nonne hic eſt quem quærunt interficere?

(b) Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt.

(c) Numquid vere cognoverunt principes quia hic eſt Chriſtus?

(d) Sed hunc ſcimus unde ſit; Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit unde ſit.

(e) Clamabat ergo Ieſus in templo, docens, & dicens: Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis.

(f) Et a me ipſo non veni; ſed eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis.

(g) Ego ſcio eum (* & ſi dixero, quia neſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum) quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.

(h) Quærebant ergo eum apprehendere; & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.

(i) De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus cum venerit, numquid plura ſigna faciet quam quæ hic facit?

(k) Audierunt phariſæi turbam murmurantem de illo hæc; & miſerunt principes, & phariſæi miniſtros ut apprehenderent Ieſum.

(a) Poſtquam egit de origine doctrinæ, conſequenter agit de origine docentis. Et primo Chriſtus oſtendit ſuum principium a quo procedit; ſecundo ſuum finem ad quem vadit, ibi, *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*. Circa primum tria facit. Primo proponitur dubitatio turbarum de origine; ſecundo ponitur doctrina ipſius originis, ibi, *Clamabat ergo Ieſus in temple*; tertio ponitur effectus doctrinæ, ibi, *Quærebant ergo eum apprehendere*. Circa primum tria facit. Primo ponitur admiratio turbæ; ſecundo eorum ſuſpicio, ibi, *Numquid vere cognoverunt principes quia hic eſt Chriſtus*? Admiratio autem turbarum conſurgit ex duobus. Primo ex iniquo propoſito principum; ſecundo ex publica doctrina Chriſti, ibi, *Ecce palam loquitur*. Dictum eſt autem ſupra, quod Chriſtus ut oſtenderet infirmitatem humanæ naturæ, latenter aſcendit ad diem feſtum; ſed ut oſtenderet ſuæ divinitatis perſonam, publice docet in templo, & a perſequentibus teneri non poteſt. Et ſic, ut ait Auguſtinus, apparet poteſtas quæ putabatur timiditas. Et ideo *dicebant quidam ex Hieroſolymis*, quaſi admirantes, nam ipſi ſciebant qua ſævitia quærebatur a principibus, utpote eius familiares, & Hieroſolymis exiſtentes. Unde Chryſoſtomus dicit: „ Omnibus (*c*) miſerabiliores erant, qui divinitatis ſignum videntes maximum, (*d*) omnia iudicio corruptorum principum permittentes, Chriſtum minus reverebantur: “ ſecundum illud Eccli. x. 2. „ Qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in ea. “ Sed tamen mirabantur qua potentia non tenebatur: unde & dicebant: *Nonne hic eſt quem Iudæi quærunt*? ideſt principes: ſecundum illud ſupra v. 16. *Propterea perſequebantur eum Iudæi* (ideſt principes) *quia hæc faciebat in ſabbato*. Daniel. XIII. 5. „ Egreſſa eſt iniquitas a ſenioribus populi, qui videbantur regere populum. “ Apparet autem per hoc veritas ſermonum Chriſti, & falſitas principum. Supra enim (hoc cap.) cum Dominus diceret eis, *Quid me quæritis interficere*? negaverunt, dicentes: *Dæmonium habes: quis te quærit interficere*? Sed ecce quod principes negabant, iſti confitentur cum dicunt: *Quem Iudæi quærunt interficere*. Sic ergo admirantur ex iniquo propoſito principum.

(b) Similiter etiam ex publica doctrina Chriſti: unde dicunt: *Ecce palam loquitur*, docens: ſcilicet Chriſtus, quod eſt indicium ſecuræ veritatis: infra XVIII. 20. *Ego palam locutus ſum*: & tamen *nihil ei dicunt*, quaſi repreſſi virtute divina. Hæc eſt enim propria

Dei

* *Ex cap. VIII. verſ.* 55. (a) *Al.* fuerunt. (b) *Al. deeſt* Non. (c) *Al.* mirabiliores. (d) *Al.* omnino iudicio corruptorum principum prætermittentes Chriſtum, minus reverebantur.

Dei virtus quod malorum corda ab impetu ſuæ malitiæ reprimit. Proverb. xvi. 7. „ Cum „ placuerint Domino viæ hominis, inimicos „ eius quoque convertet ad pacem. “ Et alibi (xxi. 1.) „ Cor Regum in manu „ Dei: quocumque voluerit inclinabit il„ lud. “

(c) Suſpicio eorum ponitur cum dicit: *Numquid vere cognoverunt principes quia hic eſt Chriſtus?* quaſi dicant: Ante quærebant eum interficere, modo invenerunt, & tamen nihil ei dicunt; non tamen mutati a propria ſententia: quia, ut dicitur I. Cor. ii. 8. „ Si „ enim cognoviſſent, numquam Dominum „ gloriæ crucifixiſſent: “ ſed repreſſi a virtute divina.

(d) Obiectio autem eorum contra ſuſpicionem ſubditur: *Sed hunc ſcimus unde ſit;* quaſi hoc modo arguentes. Chriſtus debet habere occultam originem; ſed iſte habet originem manifeſtam: ergo non eſt Chriſtus. In quo apparet eorum amentia: quia ſuppoſito quod quidam etiam principes crederent Chriſto, non tamen eorum ſententiam ſequuntur, ſed aliam corruptam proferunt. Ezech. v. 5. „ Iſta „ eſt Hieruſalem, in medio gentium poſui „ eam. “ Sciebant enim Chriſtum eſſe ex Maria ſecundum originem, ſed tamen eius modum ignorabant. Matth. xiii. 55. „ Non„ ne pater eius eſt Ioſeph, & mater eius di„ citur Maria? “

Sed cum dicatur Mich. v. 2. „ Ex te exiet „ dux, qui regat populum meum Iſrael: “ quare dicunt: *Chriſtus cum venerit, nemo ſcit unde ſit?* Reſpondeo dicendum, quod hoc habent ex verbo Eſa. liii. 8. „ Generationem „ eius qui enarrabit? “ Sic ergo & ex Prophetis habent ut ſciant unde ſit, ſecundum humanam originem; & ex eis habent quod neſciant, ſecundum divinam generationem.

(e) Conſequenter cum dicit, *Clamabat ergo Ieſus in templo*, manifeſtat ſuam originem: & primo oſtendit ſecundum quid ſua origo ſit nota, & ſecundum quid ſit ignota; ſecundo docet quomodo ad eius notitiam poſſumus pervenire, ibi, *Ego ſcio eum &c.* Circa primum duo facit. Primo oſtendit quid de origine eius ſciebant; ſecundo quid circa ipſum ignorabant, ibi, *Et a meipſo non veni*. Noverant autem de Ieſu originem ſuam: & ideo dicit: *Clamabat Ieſus*. Clamor autem ex magnitudine affectus procedit. Et ideo quandoque importat turbulentiam animi interius concitati: & (a) hoc modo non competit Chriſto, de quo ſcriptum eſt Eſa. xlii. 2. „ Non clamabit, „ nec accipiet perſonam, nec audietur vox „ eius foris. “ Eccle. ix. 17. „ Verba ſapien„ tum audiuntur in ſilentio. “ Quandoque importat magnitudinem devotionis, ſecundum illud Pſal. cxix. 1. „ Ad Dominum cum tri„ bularer clamavi. “ Quandoque vero cum hoc magnitudinem dicendorum, ſecundum illud Eſa. vi. 3. „ Seraphim clamabant alter „ ad alterum, & dicebant: Sanctus, ſanctus, „ ſanctus Dominus Deus exercituum. “ Proverb. viii. 1. „ Numquid non ſapientia foris „ clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? “ Et ſic prædicatores clamare monentur Eſa. lviii. 1. „ Clama, ne ceſſes, (b) quaſi tuba „ exalta vocem tuam. “ Et ſic clamabat hic Dominus, *docens in templo, & dicens*, hoc ſcilicet, *Me ſcitis*, ſecundum faciem noſcitis, *& unde ſim ſcitis*, ſcilicet corporaliter. Baruch. iii. 38. „ Poſt hæc in terris viſus eſt. “ Sciebant enim, quod ex Maria natus erat in Bethlehem, & nutritus in Nazareth; ſed neſciebant virginis partum, & quod per Spiritum ſanctum conceptus eſſet, ut dicit Auguſtinus. Excepto virginis partu, totum noverant in Ieſu, quod ad hominem pertinet.

(f) Neſciebant autem de ipſo originem occultam: unde dicit: *Et a me ipſo non veni*: & primo inſinuat ſuam originem; ſecundo oſtendit eam eis eſſe occultam. Origo autem ſua eſt a Patre ab æterno: unde dicit: *A me ipſo non veni*; quaſi dicat: Ante fui ſecundum divinitatem, quam in mundo venirem per humanitatem. Infra viii. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Alias non conveniret ei venire, niſi ante fuiſſet; & tamen hoc ipſum quod veni, *non veni a me ipſo*: quia Filius non eſt a ſe, ſed a Patre. Infra xvi. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum*. Prænuntiata autem fuit eius origo a Patre, qui eum promiſit mittere. Exod. iv. 13. „ Obſecro Do„ mine, mitte quem miſſurus es. “ Eſa. xix. 20. „ Mittam eis Salvatorem, & propugna„ torem qui liberet eos. “ Et ideo dicit: *Sed eſt verus qui miſit me*; quaſi dicat: Non aliunde veni, ſed ab eo qui promiſit, & promiſſum adimplevit, quia *verus eſt*: Rom. iii. 4. „ Eſt autem Deus verax: “ & ideo docet me veritatem loqui, quia a vero miſſus ſum. Eſt autem eis occulta, quia neſciunt eum qui miſit me: unde dicit: *Quem vos neſcitis*.

Sed cum omnis homo, licet in carne natus, ſit a Deo, videtur quod poſſit dicere: Ego ſum a Deo, & per conſequens: Me ſcitis unde ſim. Reſponſio. Dicendum, ſecundum Hilarium, quod Filius aliter eſt a Deo quam alii homines: quia ſic eſt a Deo quod etiam eſt Deus: unde Deus eſt principium eius conſub-

(a) *Al.* & hoc non competit. (b) *Al.* quaſi tumulus exaltans vocem tuam.

ſubſtantiale. Alii vero ſic ſunt a Deo (*a*) quod tamen non ſunt ex illo. Sic ergo Filius unde ſit ignoratur: quia natura ex qua eſt, neſcitur; ſed homines unde ſint non ignoratur: (*b*) quia unde ſit ignorari non poteſt quicquid ſubſiſtit ex aliquo.

(g) Conſequenter cum dicit, *Ego ſcio eum*, docet quomodo perveniri poſſit ad notitiam eius a quo eſt. Ab illo enim oportet nos addiſcere aliquid qui ſcit illud; ſolus autem Filius novit Patrem; & ideo dicit: Si vultis notitiam eius qui miſit me habere, oportet quod habeatis a me: quia *ego* ſolus *ſcio eum*. Et ideo primo oſtendit ſuam ſcientiam; ſecundo ſcientiæ ſuæ perfectionem; tertio ſcientiæ ſuæ rationem. Suam ſcientiam oſtendit cum dicit: *Ego ſcio eum &c.* Verum eſt autem, quod „ omnes homines vident eum, “ ut dicitur Iob XXXVI. 25. ſed tamen diverſimode, quia homines in vita iſta vident eum per creaturas. Rom. I. 20. „ Inviſibilia Dei „ per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciun„ tur. “ Ideo dicitur I. Cor. XIII. 12. „ Vi„ demus nunc per ſpeculum in ænigmate. “ Angeli vero, & beati in patria, vident eum immediate per eſſentiam. Matth. XVIII. 10. „ Angeli eorum in cælis ſemper vident fa„ ciem Patris mei qui in cælis eſt. “ I. Ioan. III. 2. „ Videbimus eum ſicuti eſt. “ Sed Filius Dei videt eum excellentius omnibus, ſcilicet viſione comprehenſionis. Supra I. 18. *Deum nemo vidit umquam*, ſcilicet comprehendendo: *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Matth. XI. 27. „ Neque Patrem „ quis novit niſi Filius. “ Et de hac viſione loquitur hic, dicens: *Ego ſcio eum*, ſcilicet notitia comprehenſionis. Perfectionem vero ſcientiæ ſuæ oſtendit, dicens: *Si dixero quia neſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax*. Quod quidem introducit propter duo: nam creaturæ intellectuales ſciunt eum, ſed longe, & imperfecte, quia „ unuſquiſque intuetur (*c*) „ eum procul: “ ut dicitur Iob XXXVI. 25. Veritas enim divina excedit omnem cognitionem. I. Ioan. III. 20. „ Deus maior eſt cor„ de (*d*) noſtro. “ Quicumque ergo Deum cognoſcit, poteſt abſque mendacio dicere, (*e*) *Neſcio eum*: quia non cognoſcit eum quantum cognoſcibilis eſt. Filius autem Deum Patrem perfectiſſime cognoſcit, ſicut perfectiſſime ipſe ſe novit: unde non poteſt dicere, *Neſcio eum*. Item quia cognitio Dei, & maxime quæ eſt per gratiam, poteſt perdi: ſecundum illud Pſal. CV. 21. „ Obliti ſunt Deum qui red„ emit eos: “ unde poſſunt dicere, *Neſcio eum*, quamdiu ſunt in vita iſta: quia nemo ſcit utrum odio, vel amore dignus ſit. Filius autem inamiſſibilem notitiam habet de Patre: unde non poteſt dicere, *Neſcio eum*. In hoc autem quod dicit, *Ero ſimilis vobis, mendax*, debet accipi ſimilitudo per contrarium. Non enim eſſent mendaces, ſi dicerent ſe neſcire Deum; ſed potius ſi dicerent ſe Deum cognoſcere, cum eum ignorent. Si autem Chriſtus diceret ſe eum non noſſe, cum noſcat, eſſet mendax. Eſt ergo ſenſus verbi: *Si dixero quia neſcio eum*, cum ſciam eum, *ero ſimilis vobis, mendax*, qui dicitis vos cognoſcere eum, cum tamen ipſum ignoretis.

Sed numquid non poterat Chriſtus dicere, *Neſcio eum*? Videtur quod ſic, quia poterat movere labia, & proferre verba huiuſmodi: ergo poteſt eſſe mendax.

Sed dicendum, quod Chriſtus huiuſmodi verba protulit, & tamen non fuit mendax: quod intelligendum eſt (*f*) ſic. Si dixero, *Neſcio eum*, cum aſſertione, ita ſcilicet quod corde credam quod profero ore. Aſſerere autem falſum pro vero, ex duplici defectu contingit, ſcilicet ex defectu (*g*) cognitionis in intellectu; & hic defectus non poterat eſſe in Chriſto, cum ſit Dei ſapientia, ut dicitur I. Cor. I. Item ex defectu rectæ voluntatis in affectu; qui ſimiliter in Chriſto eſſe non poterat, cum ſit Dei virtus, ut ibidem dicitur. Unde non poterat dicere aſſerendo, *Neſcio eum*. Nec tamen conditionalis eſt falſa; quamvis antecedens ſit impoſſibile, & conſequens.

Ratio autem ſingularis, & perfectæ ſcientiæ Chriſti ponitur, cum dicit: *Sed ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit*. Omnis enim cognitio eſt per aliquam ſimilitudinem, cum nihil cognoſcatur niſi prout ſimilitudo cogniti eſt in cognoſcente; omne autem quod procedit ab aliquo, habet eius ſimilitudinem a quo procedit: unde omnes vere cognoſcentes, ſecundum diverſum gradum proceſſionis eorum a Deo, habent diverſimode eius cognitionem. Anima autem rationalis, Dei cognitionem habet, ſecundum quod ſimilitudinem (*h*) eius participat imperfectiori quodam modo ab aliis creaturis intellectualibus. Angelus quia expreſſiorem Dei ſimilitudinem habet, cum ſit ſignaculum ſimilitudinis, manifeſtius Deum cognoſcit. Filius autem perfectiſſimam Patris ſimilitudinem habet, cum ſit eiuſdem eſſentiæ, & virtutis cum ipſo; & ideo perfectiſſime cognoſcit, ut dictum eſt. Et ideo dicit: *Sed ego ſcio eum*, (*i*) ſcili-

(a) *Al.* quod tamen ſunt ex nihilo. (b) *Al.* quia ſic ignorari non poteſt quicquid ſubſiſtit ex nihilo. *Item*: quia ſi unde ignorari non poteſt &c. (c) *Al. deeſt* eum. (d) *Al.* veſtro. (e) *Al.* Non cognoſco eum. (f) *Al. deeſt* ſic. (g) *Al.* cognitionis intellectus. (h) *Al. omittitur* eius. (i) *Al. deeſt* ſcilicet.

licet quantum cognoſcibilis eſt: & hulus ratio eſt, *quia ab ipſo ſum*, quaſi habens eamdem naturæ eſſentiam (*a*) cum ipſo per conſubſtantialitatem: unde ſicut ipſe perfecte ſe novit per eſſentiam ſuam, ita & per eamdem eſſentiam *ego ſcio eum*, perſecte. Sed ne hoc referatur ad miſſionem qua venit in mundum, continuo ſubiecit, *Et ipſe me miſit*, ut ſic quod dicit, *Ab ipſo ſum*, referatur ad æternam generationem, per quam conſubſtantialis eſt Patri. Ex quo habetur proprietas cognitionis de proprietate generationis. Per hoc vero quod dicit, *Ipſe me miſit*, inſinuat Patrem actorem incarnationis. Gal. IV. 4. „ Miſit Deus Filium ſuum factum ex mulie„ re, factum ſub lege. " Sicut autem per hoc quod Filius eſt a Patre, (*b*) perfectam Patris cognitionem habet; ita etiam per hoc quod anima Chriſti ſingulariter eſt unita Verbo, haber ſingularem, & excellentiorem præ aliis creaturis cognitionem Dei; licet eum non comprehendat: (*c*) & ideo poteſt Chriſtus (*d*) ſecundum naturam humanam dicere: Scio eum excellentius præ omnibus creaturis, non tamen comprehendendo.

(h) Conſequenter cum dicit, *Quærebant ergo eum apprehendere*, agitur de effectu doctrinæ: & primo quantum ad turbas; ſecundo quantum ad phariſæos, ibi, *Audierunt phariſæi turbam murmurantem*. Circa primum duo facit. Primo ponit effectum doctrinæ in turbis malevolis; ſecundo in turbis devotis, ibi, *De turba autem multi crediderunt in eum*. Circa primum tria facit. Primo innuit turbarum iniquum propoſitum; ſecundo propoſiti implendi impedimentum; & tertio impedimenti rationem. Iniquitas autem propoſiti manifeſtatur cum dicit: *Quærebant ergo eum apprehendere*: quia enim dixerat Dominus, *Quem vos neſcitis*, irati ſunt Iudæi, quaſi ſimularent eum ſcire; & ideo iniqua proponebant, ſcilicet eum apprehendere, ad crucifigendum, & occidendum: ſecundum illud Pſal. LXX. 11. „ Perſequimini, & comprehendite eum. " (*e*) Sunt antem aliqui qui Chriſtum in ſe habentes, quærunt tamen pie apprehendere. Cantic. VII. 8. „ Aſcendam in palmam, & ap„ prehendam fructus eius. " Unde & Apoſtolus dicebat Philip. III. 12. „ Sequor, (*f*) „ ſi quo modo apprehendam, in quo & com„ prehenſus ſum a Chriſto Ieſu. " Impedimentum propoſiti ponit cum dicit: *Nemo miſit in illum manus*. (*g*) Inviſibiliter enim eorum furor refrenatus eſt & repreſſus. Per quod patet quod voluntas nocendi eſt unicuique a ſe; ſed nocendi poteſtas a Deo: quod patet Iob I. & II. ubi ſatan non potuit Iob affligere niſi quantum permiſſum eſt ſibi a Deo. Ratio impedimenti aſſignatur: *Quia nondum venerat hora eius*.

Unde ſciendum eſt, quod, ſecundum illud Eccle. VIII. 6. „ omni negorio tempus eſt, „ & opportunitas. " Tempus autem unicuique rei ex ſua cauſa determinatur. Quia ergo corporalium effectuum cauſa ſunt corpora cæleſtia, ideo in his quæ corporaliter aguntur, hora determinatur ex corporibus cæleſtibus; anima vero, cum ſecundnm intellectum, & rationem, nullis corporibus cæleſtibus ſubiaceat, cum quantum ad hoc temporales cauſas tranſcendat, non habet horas determinaras ex corporibus cæleſtibus; ſed ex cauſa eius, ſcilicet Deo, qui diſpenſat quid quo tempore ſit faciendum. Eccli. XXXIII. 7. „ Quare dies diem ſuperar, & iterum lux „ lucem, & annus annum (*h*) a ſole? A Do„ mini ſcientia ſeparati ſunt, facto ſole, & „ præceptum coſtodiente. " Multo ergo minus in Chriſto determinatur hora ab ipſis corporibus. Sic ergo intelligenda eſt hora eius, non ex neceſſitate ſatali, ſed a tota Trinitate præfinita: nam, ut dicit Auguſtinus, „ hoc „ nec de te credendum eſt; quanto magis de „ illo per quem factus es? Si tua hora volun„ tas illius eſt, ſcilicet Dei; hora illius, quæ „ eſt niſi voluntas ſua? Non ergo horam di„ xit qua cogeretur mori, ſed qua dignare„ tur occidi. " Supra II. 4. *Nondum venit hora mea*. Infra XIII. 1. *Sciens Ieſus quia venit hora eius ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem &c.*

(i) Conſequenter cum dicit, *De turba autem multi crediderunt in eum*, ponit effectum doctrinæ in turbis devotis. Et primo ponitur eorum fides, quia *multi de turba crediderunt in eum*. Non dicit de principibus, quia quanto maiores erant, tanto magis erant elongati; & ideo in eis ſapientia locum non habebat: quia, ut dicitur Prov. XI. 2. „ Ubi humili„ tas, ibi ſapientia. " Turba autem, quia ſuam ægritudinem cito vidit, Domini medicinam ſine dilatione cognovit. Matth. XI. 25. „ Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudenti„ bus, & revelaſti ea parvulis. " Et propter hoc in principio humiles, & pauperes converſi ſunt ad Chriſtom. I. Corinth. I. 28. „ Igno„ bilia, & contemptibilia mundi elegit Deus, „ & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt de„ ſtrueret. " Secundo ponit motivum ad fidem cum dicit: *Chriſtus cum venerit, numquid*

plura

(a) *Al.* cum ipſo naturalitatem: unde &c. (b) *Al.* perfectiorem. (c) *Al. deſunt hæc verba*. (d) *Al.* ſecundum divinam dicere &c. (e) *Al.* Sunt tamen aliqui Chriſtum in ſe habeates, quærunt &c. (f) *Al.* ſi comprehendam. (g) *Al.* Viſibiliter. (h) *Al.* & ſol ſolem.

plura ſigna faciet quam quæ hic facit? Prophetatum enim erat quod Chriſtus in adventu ſuo miracula multa eſſet facturus. Eſa. xxxv. 4. „ Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos: tunc „ aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdo„ rum patebunt &c. “ Et ideo videntes miracula quæ Chriſtus faciebat, inducebantur ad fidem eius. Sed tamen fides eorum infirma erat, quia non a doctrina, ſed a ſignis moventur ad credendum ei; (a) cum tamen ipſi, qui fideles iam erant, & per legem inſtructi, magis a doctrina moveri debuiſſent: nam, ut dicitur I. Cor. xiv. 22. „ Signa data ſunt in„ fidelibus, prophetiæ autem non infidelibus, ſed „ fidelibus. “ Secundo quia adhuc videntur alium Chriſtum expectare: unde dicunt: *Chriſtus cum venerit, numquid plura ſigna faciet quam quæ hic facit?* Unde patet quod non credebant in Chriſtum, ſicut in Deum, ſed ſicut in aliquem iuſtum virum, ſeu Prophetam. Vel, ſecundum Auguſtinum, ſyllogizant: *Chriſtus cum venerit, numquid plura ſigna faciet?* quaſi dicant: Chriſtus promittitur venturus; ſed ipſe non plura ſigna faciet quam hic facit: ergo vel ipſe eſt Chriſtus, vel erunt plures Chriſti.

(k) Conſequenter cum dicit, *Audierunt phariſæi turbam murmurantem de illo hæc*, ponitur effectus in phariſæis. Et, ut Chryſoſtomus dicit, Chriſtus multa dixit, & tamen non ſunt moti contra eum. Quando autem vident turbam ei acquieſcere, ſtatim concitantur contra eum, & inſanientes, eum occidere cupiebant. Ex quo patet quod ſabbati ſolutio non erat vera cauſa odii eorum: ſed hoc eos maxime mordebat quod turbæ Chriſtum glorificabant. Et hoc patet infra xii. 19. *Videtis quia nihil proficimus? Ecce totus mundus poſt eum vadit.* Quia vero ipſi Chriſtum capere non audebant, timentes periculum, miniſtros mittunt, tamquam periculis expoſitos.

LECTIO IV.

(a) Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: (b) Et vado ad eum qui me miſit.

(c) Quæretis me, & non invenietis:

(d) Et ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.

(e) Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos: Quo hic iturus eſt, quia non inveniemus eum? Numquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? Quis eſt hic ſermo quem dixit: Quæretis me, & non invenietis, & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire?

(a) Poſtquam poſuit Dominus originis ſuæ principium, hic conſequenter inſinuat ſuum terminum, quo ſcilicet iturus eſt per mortem. Et primo inſinuatur terminus viæ Chriſti; ſecundo ponitur admiratio turbarum de ſermonibus eius, ibi, *Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos &c.* Circa primum tria facit. Primo inſinuat ſuæ vitæ terminum; ſecundo prænuntiat futurum turbarum deſiderium, ibi, *Quæretis me, & non invenietis*; tertio ſubdit eorum defectum, ibi, *Et ubi ſum ego, vos non poteſtis venire.* Circa primum duo facit. Primo prænuntiat mortis ſuæ dilationem; ſecundo innuit quo iturus eſt per mortem, ibi, *Et vado ad Patrem &c.* & ſic in primo oſtendit ſuam poteſtatem; in ſecundo patiendi voluntatem. Poteſtatem quidem ſuam oſtendit in dilatione mortis: quia licet Iudæi quærerent eum apprehendere, non tamen hoc poſſunt, niſi Chriſtus velit. Infra x. 18. *Nemo tollit animam meam; ſed ego pono eam.* Et ideo *dixit eis Ieſus*: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*; quaſi dicat: Vultis me interficere; ſed hoc non eſt poſitum in voluntate veſtra, ſed in voluntate mea: & ego determino quod *adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*: & ideo parum expectate tempus. Hoc quod vultis modo facere, facturi eſtis: *adhuc* enim *modicum tempus vobiſcum ſum*. In quo quidem Dominus ſatisfacit primo quidem turbæ, quæ eum reverebatur, faciens eam magis avidam ad audiendum, quaſi parvo tempore derelicto, in quo poſſent hac doctrina potiri, ut Chryſoſtomus dicit. Infra xii. 36. *Dum lucem habetis credite in lucem.* Secundo vero turbæ quæ eum perſequebatur; quaſi dicat: Non diu differtur deſiderium veſtrum de morte mea: unde patientes ſuſtinete: quia *adhuc modicum*: implere enim debeo diſpenſationem meam, prædicando ſcilicet, & miracula faciendo, & ſic pervenire ad paſſionem. Luc. xiii. 32. „ Ite, „ &

(a) *Al. deeſt* cum.

„ & dicite vulpi illi, quia hodie, & cras „ operor, & tertia die conſummor. “

Eſt autem triplex cauſa, quare Chriſtus modico tempore voluit prædicare. Prima ad demonſtrandum ſuam virtutem, quod in tam modico tempore totum mundum immutaret. Pſal. lxxxiii. 11. „ Melior eſt dies una in „ atriis tuis ſuper millia. “ Secunda eſt ad excitandum deſiderium diſcipulorum, ut ſcilicet magis eum deſiderarent quem modico tempore corporali præſentia habituri erant. Luc. xvii. 22. „ Venient dies in quibus deſiderabitis unam diem Filii hominis. “ Tertia eſt ad augmentandum diſcipulorum ſpiritualem profectum. Cum enim Chriſti humanitas ſit nobis via tendendi in Deum, ut dicitur Infra xiv. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*: non debemus in ea quieſcere ut in termino, ſed per eam debemus in Deum tendere. Ne ergo corda diſcipulorum ad Chriſtum carnaliter affecta, in eo ut in homine quieſcerent; ideo Chriſtus corporalem ſui præſentiam ab eis cito ſubtraxit: unde dicebat, Infra xvi. 7. *Expedit vobis ut ego vadam*. II. Corinth. v. 16. „ Et ſi Chriſtum ſecundum carnem novimus (tunc ſcilicet quando corporaliter nobiſcum erat) ſed nunc iam non novi„ mus. “

(b) Voluntatem ſuæ paſſionis oſtendit, cum dicit: *Et vado ad eum qui me miſit*, quaſi ſpontaneus, ſcilicet per paſſionem. Eſa. liii. 7. „ Oblatus eſt, quia ipſe voluit. “ Epheſ. v. 2. „ Obtulit ſemetipſum hoſtiam Deo in o„ dorem ſuavitatis. “ *Vado*, inquam, ad Patrem, *qui miſit me*. Et hoc convenienter: nam quælibet res oaturaliter redit ad ſuum principium. Eccle. 1. 7. „ Ad locum unde ex„ eunt flumina, revertuntur. “ Infra xiii. 3. *Sciens quia a Deo exivit, & ad Deum vadit*. Et iterum xvi. 5. *Vado ad eum qui miſit me*.

(c) Conſequenter cum dicit, *Quæretis me, & non invenietis*, prænuntiat Iudæorum deſiderium; quaſi dicat: Modicum eſt quod poteſtis mea doctrina frui; ſed hoc modicum, quod modo reſpuitis, quandoque quæretis, & non invenietis. Eſa. lv. 6. „ Quærite Do„ minum dum inveniri poteſt. “ Et in Pſal. lxviii. 33. „ Quærite Dominum (ſcilicet io „ præſenti) & vivet anima veſtra. “ Hoc autem quod dicit, *Quæretis me, & non invenietis*, poteſt intelligi vel de inquiſitione corporali Chriſti, vel de ſpirituali. Si vero intelligatur de corporali, ſic, ſecundum Chryſoſtomum, quæſierunt eum quando filiæ Hieruſalem, ſcilicet mulieres, plangebant ſuper eum, ut dicitur Luc. xxiii. & credibile eſt hoc tunc multos alios paſſos eſſe. (a) Nec eſt etiam a veritate remotum, quia imminente tribulatione Iudæis, & præcipue cum civitas caperetur, memores Chriſti, & miraculorum eius, deſiderarent eius præſentiam, qua liberarentur: & ſecundum hoc dicendum eſt: *Quæretis me*, ideſt meam præſentiam corporalem, *& non invenietis*. Si vero intelligatur de ſpirituali, dicendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod eum quem noluerunt cognoſcere præſentem, tunc poſtea quæſierunt cum videntes multitudinem credentem, compuncti de ſcelere mortis Chriſti, dixerunt Petro, Actor. ii. 37. „ Quid faciemus viri fra„ tres? “ Sic ergo quæſierunt Chriſtum quando credideruot io eum (b) ſuis ſceleribus ignoſcentem, quem viderunt ipſorum ſcelere morientem.

(d) Conſequenter cum dicit, *Et ubi ego ſum, vos non poteſtis venire*, oſtendit eorum defectum. Nec dicit, Quo vado, quod eſſet magis conſequens ad præmiſſa, ſcilicet *Vado* ad Patrem *qui me miſit*; ſed dicit, *Ubi ego ſum*, ut oſtendat ſe Deum, & hominem. Hominem quidem inquantum vadit: infra xvi. 5. *Vado ad eum qui me miſit*: ſed inquantum ſemper ibi erat Chriſtus quo ſuerat rediturus, oſtendit ſe Deum. Supra iii. 13. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo*. Sic ergo, ſecundum Auguſtinum, ſicut Chriſtus rediit ut nos non relinqueret, ſic ad nos per aſſumptionem viſibilis carnis deſcendit ut ſecundum inviſibilem maieſtatem etiam eſſet in cælo. Non autem dicit, Non invenietis, quia aliqui ituri erant; ſed dicit, *Non poteſtis venire*, quamdiu ſcilicet ſic (c) diſpoſiti eſtis. Nullus enim ad hereditatem cæleſtem pervenire poteſt, niſi ſit heres Dei. Heres autem Dei aliquis efficitur per fidem Chriſti. Supra i. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. Iudæi autem nondum in eum credebant; & ideo dicit, *Non poteſtis venire*. In Pſal. xxiii. 3. requirit: „ Quis aſcendet in montem Domini? “ Et reſpondetur (verſ. 4.) „ Innocens manibus, & „ mundo corde. “ Iudæi autem non erant mundo corde, nec innocentes manibus, quia volebant Chriſtum interficere: ideo dicit: Non poteſtis aſcendere in montem Domini.

(e) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos*, ponitur Iudæorum admiratio, qui licet carnaliter de Chriſto ſaperent, tamen ex parte credebant. Et tria faciunt. Primo admirantur; ſecundo ſuſpicantur; & tertio contra ſuſpicionem argu-

(a) *Al.* Hoc eſt etiam. (b) *Al.* ſuo ſcelere innocentem. (c) *Al.* indiſpoſiti.

mentantur. Admirantur quidem cum dicunt ad ſemetipſos: *Quo iturus eſt hic, quia non inveniemus eum?* Ut enim dictum eſt, hoc carnaliter intelligebant. I. Corinth. 11. 14. „Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.“ Et ideo quod eſſet iturus, non quidem per mortem, ſed corporaliter ad aliquem locum quo eis non liceret aſcendere, ſuſpicantur ſuper hoc, dicentes: *Numquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes?* Nam gentes alienatæ erant a converſatione Iudæorum. Epheſ. 11. 12. „Hoſpites teſtamentorum eratis alienati a converſatione Iſrael, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.“ Et ideo quaſi eis exprobrantes, dicunt, *In diſperſionem gentium*, (*a*) quæ ſcilicet ubique diſſeminatæ erant, & imperfecte adinvicem permixtæ. Gen. x. 32. „Hæ ſunt familiæ Noe iuxta populos, & nationes ſuas, & ab his diviſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.“ Sed populus Iudæorum collectus erat loco, & cultu unius Dei, & obſervatione legis. Pſal. cxlvi. 2. „AEdificans Hieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit.“ Nec dicunt, quod iturus ſit ad gentes quaſi gentilis futurus, ſed tamquam eas reducturus: unde ſubdunt, *Et docturus gentes*. Quod forte ſumpſerunt ex Eſa. xlix. 6. „Parum eſt mihi ut ſis mibi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael convertendas: dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.“ Quamvis autem iſti non intelligerent ea quæ dicunt, ſicut nec Caiphas intellexit cum dixit (infra xi. 50.) *Expedit vobis ut unus homo moriatur, & non tota gens pereat*: tamen verum dicunt, & ſalutem gentium prædixerunt, ut Auguſtinus dicit, quod iturus eſſet ad gentes, non præſentia corporis, ſed pedibus ſuis, ſcilicet Apoſtolis. Miſit enim ad nos membra ſua, & fecit nos ſua membra. Infra x. 16. *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere .... & fiet unum ovile, & unus paſtor*. Et ideo Eſa. 11. 3. dicitur in perſona gentium: „Docebit nos vias ſuas.“ Obiiciunt autem contra ea quæ ſuſpicantur, dicentes: *Quis eſt hic ſermo quem dixit: Quæretis me?* quaſi dicant: Si dixiſſet, *Quæretis me, & non invenietis, & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire*, poterat quidem intelligi quod iturus eſſet ad gentes; ſed per hoc quod addidit, *Ubi ego ſum, non poteſtis venire*, videtur excludere hunc intellectum. Non enim impoſſibile eſt nobis ad gentes ire &c.

LECTIO V.

(a) IN noviſſimo autem die magno feſtivitatis ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens: (b) Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.

(c) Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.

(d) Ex illa ergo hora turba cum audiſſent hos ſermones eius, dicebant: Hic eſt vere Propheta. Alii dicebant: Hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine David, & de Bethlehem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?

(e) Diſſenſio itaque facta eſt in turba propter eum. Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum; ſed nemo miſit ſuper eum manus.

(f) Venerunt ergo miniſtri ad pontifices, & phariſæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic loquitur. Reſponderunt ergo eis phariſæi: Numquid & vos ſeducti eſtis? Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex phariſæis? Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti ſunt.

(g) Dixit Nicodemus ad eos (ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipſis:) Numquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognoverit quid faciat?

(h) Reſponderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia a Galilæa Propheta non ſurgit.

(i) Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam.

Poſt-

(a) *Al.* quæ ſcilicet indiſtinctæ erant &c.

Digitized by Google

(a) POſtquam Dominus egit de origine ſuæ doctrinæ, & docentis, necnon de termino eius, hic conſequenter invitat ad ipſam doctrinam. Et primo ponitur Chriſti invitatio; ſecundo turbarum diſſenſio, ibi, *Ex illa autem hora &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur invitandi modus, ſecundo ipſa invitatio, ibi, *Si quis ſitit, veniat ad me*; tertio ſubditur expoſitio, ibi, *Hoc autem dixit de Spiritu*. Modus autem invitandi attenditur quantum ad tria; ſcilicet quantum ad tempus invitationis, quantum ad ſitum invitantis, quantum ad conatum vocantis. Quantum ad tempus, quia *in noviſſimo die magna feſtivitatis*: nam, ut dictum eſt, feſtum illud (*a*) celebrabatur ſeptem diebus, & primus, & ultimus dies ſolemniores erant, ſicut & apud nos primus dies feſti, & octavus ſolemnis eſt magis. Hoc ergo quod hic Dominus fecit, non fecit primo die, quia nondum aſcenderat Hieruſalem, nec intermediis diebus, ſed in noviſſimo; & hoc ideo, quia pauci ſunt qui feſta ſpiritualiter celebrant: & ideo non eos a principio ad doctrinam invitat, ne per vanitates ſequentium dierum (*b*) feſtorum aboleretur de cordibus eorum: quia, ut dicitur Luc. VIII. verbum Domini ſuffocatur a ſpinis: ſed in ultimo die eos invitat, ut tenacius eorum cordibus imprimatur. Quantum ad ſitum autem, quia *ſtabat Ieſus*.

Ubi ſciendum eſt, quod Chriſtus docuit ſedens, & ſtans. Sedens quidem docuit diſcipulos, Matth. v. Stans autem turbas, ſicut hic: & ideo ex hoc inolevit conſuetudo in Eccleſia, ut turbis prædicetur ſtando, religioſis vero, & clericis ſedendo. Cuius ratio eſt, quia cum prædicatio ad turbas ſit quaſi ad eas convertendas, fit per modum exhortationis; ſed cum prædicatio ad clerum fit, quaſi iam ad exiſtentes in domo Dei, eſt ut quædam commemoratio.

Quantum ad conatum vero vocantis, quia *clamabat*, ut ſcilicet oſtenderet ſuam ſecuritatem. Eſa. xl. 9. „ Exalta in fortitudine vo„ cem tuam ... exalta, noli timere. “ Et ut ab omnibus audiretur. Eſa. lviii. 1. „ Cla„ ma, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem „ tuam. “ Et ut oſtendat magnitudinem dicendorum. Prov. viii. 6. „ Audite me, quia „ de rebus magnis (*c*) locutura ſum. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Si quis ſitit, veniat ad me*, ponitur invitatio: & primo oſtenditur qui invitentur; ſecundo quis ſit fructus invitationis. Invitantur quidem ſitientes: unde dicit: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*. Eſa. lv. 1. „ Omnes ſitientes ve„ nite ad aquas. “ Ideo enim ſitientes vocat, quia tales ſunt qui deſiderant Deo ſervire. Deus autem coacta ſervitia non acceptat. II. Corinth. ix. 7. „ Hilarem datorem di„ ligit Deus. “ Et propter hoc dicebat Pſal. liii. 8. „ Voluntarie ſacrificabo. “ De iſtis dicitur Matth. v. 6. „ Beati qui eſuriunt, & „ ſitiunt iuſtitiam: “ quos quidem Dominus non partialiter vocat, ſed omnes: unde dicit: *Si quis ſitit*; quaſi dicat, quicumque eſt ille. Eccli. xxiv. 26. „ Tranſite ad me omnes „ qui concupiſcitis me, & a generationibus „ meis implemini. “ I. Timoth. ii. 4. „ Vult „ omnes homines ſalvos fieri. “ Invitat autem ad potandum: unde dicit, *Et bibat*. Potus enim iſte eſt ſpiritualis refectio in cognitione divinæ ſapientiæ, & veritatis; etiam in impletione deſideriorum. Eſa. lxv. 13. „ Servi mei bibent, & vos ſitietis. “ Prov. ix. 5. „ Venite, & comedite panem meum, „ & bibite vinum quod miſcui vobis. “ Eccli. xv. 3. „ Aqua ſapientiæ ſalutaris pota„ bit illum. “ Fructus autem huius invitationis eſt redundantia bonorum in alios: unde dicit: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viva*. Quod quidem, ſecundum Chryſoſtomum, legendum eſt ſic. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura*; hic ſubdiſtingue punctando; & poſtea ſubſequitur: *Flumina de ventre eius fluent aqua viva*. (*d*) Nam ſi dicis, *Qui credit in me*; & poſtea ſubſequatur: *Sicut dicit Scriptura, flumina &c.* non videtur conveniens, quia hoc quod dicitur, *Flumina de ventre eius fluent aqua viva*, non invenitur in aliquo Libro veteris teſtamenti. Hoc ergo modo dicatur: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura*; id eſt, ſecundum Scripturæ documenta. Supra v. 39. *Scrutamini Scripturas ..... ipſa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Et tunc *flumina de ventre eius fluent aqua viva*. Et dicit, *Qui credit in me*, cum ſupra dixerit, *Qui venit ad me*, quia idem eſt credere, & venire. Pſal. xxxiii. 6. „ Accedite ad eum, & illumina„ mini. “ Secundum Hieronymum vero aliter punctatur ſic. *Qui credit in me*; & poſtea ſubditur: *Sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viva*. Quod, ut ipſe dicit, de Proverbiis ſumptum eſt. Prov. v. 15. „ Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta pu„ tei tui: deriventur fontes tui foras. “ Sciendum eſt autem, ſecundum Auguſtinum, quod flumina procedunt de fontibus ſicut a principio. Qui autem bibit potum corporalem, non habet in ſe nec fontem, nec flumen,

(a) *Al.* celebratur. (b) *Al. omittitur* feſtorum. (c) *Al.* locutus ſum. (d) *Al. deſunt verba ſequentia uſque ad* non videtur conveniens.

quia particulam aquæ guſtat ; ſed qui bibit eredendo in Chriſtum, haurit fontem aquæ, quo hauſto, viveſcit conſcientia, quæ eſt venter interioris bominis, & etiam ipſa fons (*a*) erit. Unde dicitur Supra IV. 13. *Qui biberit ex hac aqua, fiet in te fons aquæ ſalientis*. Hic autem fons qui hauritur eſt Spiritus ſanctus, de quo dicitur in Pſal. XXXV. 10. „ Apud te eſt ſons vitæ. “ Qui ergo bibit ita quod ſoli ſibi proficit, dona gratiarum, quæ per flumina ſignantur, non fluent aquæ vivæ de ventre eius ; ſed qui proximo feſtinat conſulere, & diverſa dona gratiarum receepta a Deo, aliis communicare, de ventre eius fluent aquæ vivæ. Propter quod dicit Petrus (I. Epiſt. IV. 10.) „ Unuſquiſque ſicut „ accepit gratiam, in alterutrum illam ad„ miniſtrantes. “ Dicit autem *flumina*, ad ſignificandum ſpiritualium donorum abundantiam fidelibus repromiſſam. Pſal. LXIV. 10. „ Flumen Dei repletum eſt aquis. “ Item eorum impetum. Eſa. XXVII. 6. „ Qui ingre„ dientur impetu ad Iacob, florebit, & ger„ minabit Iſrael, & implebunt ſaciem orbis „ ſemine. “ Et in Pſal. XLV. 5. „ Fluminis im„ petus lætificat civitatem Dei. “ Unde quia ex inſtinctu, & fervore Spiritus ſancti movebatur Apoſtolus, dicebat (II. Corinth. V. 14.) „ Caritas Chriſti urget nos: “ & Rom. VIII. 14. „ Qui ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei „ ſunt. “ Item donorum Spiritus ſancti diviſionem: quia, ut dicitur I. Corinth. XII. 10. „ alii genera linguarum, alii genera ſanita„ tum &c. “ Huiuſmodi autem flumina ſunt aquæ vivæ, quia ſunt continuatæ ſuo principio, ſcilicet Spiritui ſancto inbabitanti.

(e) Conſequenter cum dicit, *Hoc autem dixit de Spiritu*, exponit quæ dixit. Et primo ponitur expoſitio ; ſecundo aſſignatur ratio expoſitionis, ibi, *Nondum enim erat Spiritus datus*. Dicit ergo: Dixit, quod *flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ*. Sed hoc intelligendum eſſe Evangeliſta dicit *de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum*: quia ipſe eſt fons vitæ, & fluvius. Fons, de quo dicitur in Pſal. XXXV. 10. „ Apud te eſt fons vitæ, & „ in lumine tuo videbimus lumen. “ Fluvius vero, quia a Patre, & Filio procedit. Apoc. ult. 1. „ Oſtendit mihi Angelus fluvium aquæ „ vivæ ſplendidum tamquam cryſtallum, pro„ cedentem de ſede Dei, & agni. Eſai. XLII. 1. „ Dedit ſpiritum, “ ſcilicet obedientibus ſibi. Huius expoſitionis rationem aſſignat, dicens: *Nondum enim erat Spiritus datus*: & dicit duo, ſcilicet quod *nondum erat Spiritus datus*, & quod *Chriſtus nondum erat glorificatus*.

Circa primum eſt duplex opinio. Chryſoſtomus enim dicit, quod Spiritus ſanctus non fuit datus Apoſtolis, quantum ad dona prophetica, & miraculorum, ante reſurrectionem Chriſti. Unde gratia buius, quæ dabatur Prophetis, a terra defecerat uſque ad adventum Chriſti, nec poſtmodum (*b*) alicui data eſt uſque ad prædictum tempus. Et ſi dicitur quod Apoſtoli eiiciebant dæmonia ante reſurrectionem ; intelligendum eſt quod hæc non ſpiritu eiiciebantur, ſed ea quæ a Chriſto erat, poteſtate : quando enim mittebat eos, non dicitur, Dedit eis Spiritum ſanctum; ſed „ Dedit eis poteſtatem : “ Matth. X. 1.

Sed boc videtur contra illud quod Dominus dicit Lucæ XI. 19. „ Si ego in Beelzebub „ eiicio dæmonia, filii veſtri in quo eii„ ciunt ? “ Sed conſtat quod ipſe in Spiritu ſancto eiiciebat dæmonia, & filii, ideſt Apoſtoli: (*c*) unde manifeſtum eſt eos accepiſſe Spiritum ſanctum. Et ideo dicendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod ante reſurrectionem, Apoſtoli habuerunt Spiritum ſanctum etiam quantum ad dona prophetica, & miraenlorum. Et hie quod dicitur, *Nondum erat Spiritus datus*, intelligendum de abundanti datione, & viſibilibus ſignis; ſicut datus fuit eis poſt reſurrectionem, & aſeenſionem in linguis igneis.

Sed cum Spiritus ſanctus ſanctificet Eccleſiam, (*d*) & etiam modo accipiatur a fidelibus, quare nemo loquitur linguis omnium gentium ſicut tunc? Dicendum ad hoc, quod non eſt neceſſarium, ut Auguſtinus dicit. Quia iam univerſalis Eccleſia linguis gentium loquitur, quia per Spiritum ſanctum datur earitas : Rom. V. 5. „ Caritas Dei diffuſa eſt „ in eordibus noſtris: “ & hæc ſaciens omnia communia, facit quemlibet cuilibet loqui. Unde dieit: „ Si amas unitatem, etiam tibi „ habet quiſquis in illa (ideſt Eccleſia) ali„ quid habet. Tolle invidiam, & tuum eſt „ quod habeo: livor ſeparat, earitas iungit: „ ipſam habeto, & cuncta habebis. “ In principio autem antequam Eccleſia per mundum dilataretur, quia pauci erant, oportebat quod linguis omnium loquerentur, ut ſic Eccleſiam in omnibus fundarent.

Circa ſecundum, ſciendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod ſi hoc quod dicit, *Ieſus nondum fuerat glorificatus*, intelligendum eſt de gloria reſurrectionis; quaſi dicat: Nondum a mortuis reſurrexerat, nondum ad cælos aſcenderat: de qua dicitur Ioan. XVII. 5. *Clarifica me Pater*. Et cauſa quare ſic voluit prius glo-

(a) *Al. omittitur* erit. (b) *Al.* aliter. (c) *Al. deeſt* unde. (d) *Al.* & modo.

Digitized by Google

glorificari quam daret Spiritum ſanctum, aſſignatur, quia Spiritus ſanctus ad hoc datur nobis, ut erigat corda noſtra ab amore ſæculi in reſurrectionem ſpiritualem, & totaliter currant in Deum. Quia ergo vitam æternam promiſit Spiritus ſancti caritate ferventibus, ubi non moriemur, ubi nihil timebimus; ideo ipſum Spiritum ſanctum noluit dare niſi dum eſſet glorificatus, ut in ſuo corpore oſtenderet vitam quam in reſurrectione ſperamus. Secundum Chryſoſtomum vero, hoc non intelligitur de gloria reſurrectionis, ſed de glorificatione paſſionis: de qua, imminente paſſionis hora, Dominus dicit infra XIII. 31. *Nunc glorificatus eſt Filius hominis*. Et ſecundum hoc Spiritus ſanctus tunc primum datus eſt quando poſt paſſionem dixit Apoſtolis (infra XX. 22.) *Accipite Spiritum ſanctum &c.* Ideo (*a*) autem non ante paſſionem datus eſt Spiritus ſanctus, quia cum ſit donum, non debuit dari inimicis, ſed amicis. Nos autem inimici eramus. Oportebat ergo prius offerri hoſtiam in ara crucis, & inimicitiam in carne ſolvi, ut ſic per mortem Filii eius reconciliaremur Deo, & tunc facti amici, donum Spiritus ſancti reciperemus &c.

(*d*) Poſita ergo Chriſti ad ſpiritualem potum invitatione, hic conſequenter agit Evangeliſta de turbarum diſſenſione. Et primo ponitur diſſenſio turbarum adinvicem; ſecundo diſſenſio in principibus, ibi, *Venerunt ergo miniſtri*. Circa primum duo facit. Primo ponuntur diverſa diſſidentium verba; ſecundo ponitur ipſa diſſenſio, ibi, *Diſſenſio itaque facta eſt in turba*. Diverſitas autem verborum turbarum ex diverſitate opinionum turbarum de Chriſto proveniebat: & ideo ponit tres opiniones turbarum: duas quidem iam accedentium ad ſpiritualem potum; tertiam vero (*b*) reſilientium. Prima autem opinio erat quod dicebant Chriſtum Prophetam eſſe; & ideo dicit: *Ex illa ergo hora*, quando ſcilicet in magno feſtivitatis die talia dixerat, *turba eum audiſſent hos ſermones eius, dicebant*, illi ſcilicet qui iam illam aquam ſpiritualiter haurire cœperant: *Hic eſt vere Propheta*. Non ſolum Prophetam eum dicunt, ſed etiam verum, ideſt quaſi anthonomaſice, intelligentes hunc eſſe de quo Moyſes prædixit, Deuter. XVIII. 15. „ Prophetam ſuſcitabit vobis „ Deus de fratribus veſtris: ipſum tamquam „ me audietis. " Alia opinio erat quia quidam dicebant: *Hic eſt Chriſtus*: iſti enim magis ad potum accedebant, & ſitim infidelitatis magis depoſuerant. Et hoc etiam Petrus confeſſus eſt, Matth. XVI. 16. „ Tu es „ Chriſtus Filius Dei vivi. " Tertia opinio eſt referentium contraria prædictis. Et primo obiiciunt contra opinionem dicentium eum eſſe Chriſtum; ſecundo obiectionem auctoritate confirmant. Dicit ergo: *Quidam autem*, in ſuæ infidelitatis (*c*) ariditate permanentes, *dicebant: Numquid a Galilæa venit Chriſtus?* Noverant enim, Prophetas, Chriſtum a Galilæa venturum, non prædixiſſe: & ideo credentes in Nazareth eum natum fuiſſe (ignorabant enim ſuæ nativitatis locum eſſe Bethlehem) hoc dicunt. Manifeſtum enim erat eum in Nazareth nutritum; ſed paucis notus erat nativitatis locus. Quamvis tamen Scriptura non dicat Chriſtum in Galilæa naſciturum, prædixit tamen illuc eum primo declinaturum. Eſaiæ IX. 1. „ Primo tempore „ alleviata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali, & noviſſimo aggravata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus gentium qui ambulabat in tenebris, „ vidit lucem magnam, & habitantibus in „ regione umbræ mortis lux orta eſt eis. " Prædixit etiam quod de Nazareth proceſſurus eſſet. Eſa. XI. 1. „ Flos de radice eius „ aſcendet: " ubi in Hebræo habetur: „ Nazaræus de radice eſt &c. " Confirmant obiectionem auctoritate Scripturæ, cum dicunt: *Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine David, & de Bethlehem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?* Quod autem de ſemine David venturus eſſet Ieſus, dicitur Hierem. XXIII. 5. „ Suſcitabo David germen iuſtum. " Et II. Reg. XXIII. 1. dicitur de David: „ Dixit vir „ cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei. " Quod vero de Bethlehem, dicitur Mich. V. 2. „ Et „ tu Bethlehem terra Iuda: ex te mihi egre„ dietur qui ſit dominator in Iſrael. "

(*e*) Conſequenter cum dicit, *Diſſenſio itaque facta eſt in turba propter eum*, primo ponitur ipſa diſſenſio; ſecundo conatus quorumdam ex eis contra Chriſtum; tertio conatus repreſſio. *Diſſenſio autem facta eſt propter eum*, ſcilicet Chriſtum, *in turba*. Frequenter enim contingit quod in cordibus malorum ex manifeſtatione veritatis cauſatur diſſenſio, & turbatio. Unde & hoc in perſona Chriſti dicitur Hierem. XV. 10. „ Væ mihi, mater mea, „ ut quid me genuiſti virum rixæ, virum „ diſcordiæ in univerſa terra? " Propter hoc dicebat Dominus, Matth. X. 10. „ Non enim „ veni mittere pacem, ſed gladium. " Conatus autem, ſcilicet aliquorum, erat ad eum apprehendendum: unde dicit: *Quidam autem ex eis*, ſcilicet qui dixerant: *Numquid a Galilæa*

(a) *Al. mittitur* ante. (b) *Al.* ſilentium. (c) *Al.* aviditate.

Iam venit Chriſtus? &c. voluerunt apprehendere eum, ſcilicet ex inimicitia ad occidendum. Pſal. lxx. 11. „ Perſequimini, & comprehendite. “ Exod. xv. 9. „ Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam: “ Sed tamen boni, & fideles volunt Chriſtum apprehendere, ut eo fruantur. Cant. vii. 8. „ Aſcendam In palmam, & apprehendam fructus eius. “ Repreſſio autem conatus eſt ex poteſtate Chriſti: & ideo dicit: *Sed nemo miſit ſuper illum manus*: quia ſcilicet Chriſtus nolebat. In poteſtate ſua erat hoc. Infra x. 18. *Nemo tollit a me animam meam; ſed ego pono eam a me ipſo*. Unde & quando voluit pati, non eos expectavit, ſed ipſe ſe eis obtulit. Infra xviii. 4. *Proceſſit, & dixit ad eos, Quem quæritis?*

(f) Conſequenter cum dicit, *Venerunt ergo miniſtri ad pontifices, & phariſæos*, ponitur diſſenſio principum: & primo ponitur diſſenſio eorum ad miniſtros; ſecundn diſſenſio eorum adinvicem, ibi, *Dixit Nicodemus* &c. Circa primum tria facit. Primo ponitur redargutio principum ad miniſtros; ſecundo teſtimonium latum de Chriſto a miniſtris; tertio reprehenſionis conatus principum ad miniſtros. In primo attende principum iniquitatem, cum dicunt, ſcilicet pontifices, & phariſæi, miniſtris: *Quare non adduxiſtis eum?* Adeo enim mali erant, quod eis non poterant ſatisfacere miniſtri, niſi Chriſto nocumentum inferrent. Prov. iv. 16. „ Rapitur ſomnus ab oculis eorum, niſi ſupplantaverint. “

Sed hic incipit quæſtio litteralis: quia cum ſupra dictum ſit, quod miniſtri miſſi fuerunt ad capiendum Ieſum die feſto mediante, ideſt quarto die; & hic ponatur reditus eorum poſt ſeptimum diem, quando dixit: *In noviſſimo autem die &c.* videtur quod intermediis diebus vacaverunt. Ad quod eſt duplex reſponſio. Una quod Evangeliſta anticipavit murmur turbarum. Vel dicendnm, quod forte tunc redierunt; ſed hoc nunc commemorat, ut manifeſtet cauſam diſſenſionis inter principes.

In ſecundo attende miniſtrorum bonitatem in commendabili teſtimonio quod perhibuerunt de Chriſto, dicentes: *Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic loquitur*. Ubi redduntur commendabiles ex tribus. Primo ex admirationis cauſa: quia non propter miracula, ſed propter doctrinam Chriſtum mirabantur, ex quo propinquiores efficiuntur veritati, & recednnt a conſuetudine Iudæorum, qui ſigna quærunt, ut dicitur I. Corinth. 1. Secundo ex converſionis facilitate: quia ad pauca verba Chriſti, capti ſunt, & allecti ad eius amorem. Tertio ex animi ſecuritate: quia ipſis phariſæis, qui Chriſto adverſabantur, talia dicunt de Chriſto: *Numquam ſic locutus eſt homo*. Et hoc rationabiliter: quia non ſolum homo erat, ſed etiam Dei Verbum; & ideo verba ſua erant virtuoſa ad commovendum. Hier. xxiii. 29. „ Numquid non verba mea „ quaſi ignis ſunt, dicit Dominus, & quaſi „ malleus conterens petram! “ Et ideo dicitur Matth. vii. 29. quod „ erat docens, „ ſicut poteſtatem habens. “ Erant etiam ſapida ad dulcorandum. Cant. ii. 14. Sonet „ vox tua in auribus meis, vox enim tua „ dulcis. “ Pſal. cxviii. 103. “ Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? “ Erant utilia ad retinendum, quia promittebant bona æterna. Supra vi. 69. *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ* (a) *æternæ habes*. “ Eſa. xlviii. 17. „ Ego Dominus docens te utilia. “

„ In tertio (b) deteſtare Iudæorum perfidiam, qua conantur miniſtros a Chriſto retrahere: unde *reſponderunt eis*, ſcilicet miniſtris: *Numquid & vos ſeducti eſtis?* Ubi tria faciunt. Primo argnunt æſtimatum miniſtrorum errorem; ſecundo proponunt exemplum principum; tertio excludunt exemplum turbarum. Arguunt autem eos, cum dicunt: *Numquid & vos ſeducti eſtis?* quaſi dicant: Videmus vos delectatos eſſe in ſermone illius. Et revera laudabiliter ſeducti erant: quia dimiſſo malo infidelitatis ad veritatem fidei ſunt adducti: de qua dicitur Hier. xx. 7. „ Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum. “ Exemplum autem principum proponunt, ut magis eos avertant: unde dicit: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum?* Ex duobus enim aliqui fide digni redduntur, ſcilicet ex auctoritate, & ex religione. Unde hæc duo contra Chriſtum adducunt; quaſi dicant: Si Chriſtus eſſet acceptandus, utique acceptaſſent eum principes, in quibus eſt auctoritas, & phariſæi, in quibus apparebat religio; ſed nullus iſtorum credidit in eum: ergo nec vos debetis in eum credere. In his ergo impletur quod dicitur in Pſal. cxvii. 22. „ Lapidem quem reprobaverunt ædificantes (ſcilicet principes, & phariſæi) hic factus eſt in caput anguli “ ideſt in cordibus populorum. Sed „ a Domino factum eſt iſtud: “ quia bonitas eius præponderat malitiæ hominum. Teſtimonium autem turbæ excludunt, quia eorum malitiam confutant; & ideo dicunt: *Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti ſunt*; & ideo non eſt ſtandum cum eis. Hoc autem ſcriptum eſt Deuter. xxvii. 27. „ Maledictus qui „ non permanſerit in lege, nec eam opere „ perfecerit. “ Sed hoc male intelligebant, quia

(a) *Al. omittitur æternæ*. (b) *Al.* attende deteſtari.

Digitized by Google

quia etiam illi qui non habent ſcientiam legis, & opera legis faciunt, magis permanent in lege quam habentes legis ſcientiam, & non ſervantes eam: de quibus dicitur Matth. xv. 8. „ Populus hic labiis me honorat; cor au„ tem eorum longe eſt a me. “ Iacob. 5. „ Eſtote factores verbi, & non auditores tan„ tum. “

(g) Conſequenter cum dicit, *Dixit Nicodemus ad eos*, ponitur diſſenſio principum adinvicem: & primo ponitur Nicodemi exhortatio; ſecundo principum (*a*) contradictio, ibi, *Reſponderunt, & dixerunt*; tertio diſſenſionis terminatio. Circa primum duo facit. Primo præmittit quædam de Nicodemo; ſecundo ponit eius exhortationem. Præmittit autem tria de eo: quorum duo oſtendunt intentionem dicendi, & tertium nequitiam principum. Primum ergo pertinet ad fidem Nicodemi: unde dicit: *Dixit ille qui venerat ad eum*, ideſt crediderat: idem enim eſt venire ad Chriſtum, & credere in eum. Secundum pertinet ad fidei ſuæ imperfectionem, quia *nocte venit*. Si enim perfecte crediſſet, non pertimuiſſet. Infra xii. 42. *Multi ex principibus crediderunt in eum; ſed propter phariſæos non confitebantur, ut e ſynagoga non eiicerentur*: de quibus unus erat Nicodemus. Tertium pertinet ad principum falſitatem. Dixerunt enim, quod nullus ex principibus, & phariſæis in Chriſtum credidit; & ideo dicit: *Qui erat unus ex ipſis*; quaſi dicat: Si Nicodemus, qui eſt unus ex principibus, credidit in eum, manifeſtum eſt falſum eſſe quod principes, & phariſæi dicunt, ſcilicet quod nullus ex principibus credidit in eum. Hier. xvi. 19. Ve„ re mendacium locutus eſt, “ Exhortatio autem Nicodemi ponitur cum dicit: *Numquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognoverit quid faciat*? Nam ſecundum leges civiles (*b*) debet præcedere diligens inquiſitio ſententiam. (*c*) Unde dicitur Act. xv. 16. „ Non eſt Romanis con„ ſuetudo damnare aliquem hominem, priuſ„ quam is qui accuſatur, preſentes habeat „ accuſatores, locumque defendendi accipiat „ ad abluenda crimina. “ Unde Iob xxix. 16. „ Cauſam quam ignorabam, diligenter inve„ ſtigabam. “ Propter hoc in lege Moyſi, Exod. xxiii. 7. dicitur: „ Innocentem & iuſtum „ non condemnabis, quia averſor impium. “ Hæc autem verba ideo dicit, quia cum fidelis eſſet, volebat eos ad Chriſtum convertere. Quia tamen timidus erat, occulte hoc faciebat. Credebat enim, quia ſi tantummodo Chriſtum vellent audire, quod verbum Chriſti eſſet tantæ efficaciæ quod forte ſimiles fierent illis qui miſſi fuerant ad Ieſum, & ad verba eius converſi ſunt in facto eo ad quod miſſi fuerant.

(h) Contradictio principum ponitur cum dicit, *Reſponderunt, & dixerunt ei &c.* Ubi primo comprehendunt eum quaſi ſeductum; ſecundo quaſi legis ignarum. Quantum ad primum dicunt: *Numquid & tu Galilæus es*? ideſt, a Galilæo ſeductus. Arbitrantur enim Chriſtum Galilæum ex converſatione in Galilæa: & ideo omnes qui Chriſtum confitebantur, quaſi in opprobrium, Galilæos vocant, Matth. xxvi. 69. „ Reſpondit Ancilla Petro: „ Et tu Galilæus es. “ Infra ix. 27. *Numquid & vos vultis diſcipuli eius fieri*? Quantum ad ſecundum dicunt: *Scrutare Scripturas, & vide, quia a Galilæa Propheta non ſurgit*; cum tamen eſſet legis doctor, nec de novo ſcrutari indigebat; quaſi dicant: Licet tu ſis doctor, tamen hoc ignoras: ſicut ſupra dictum eſt iii. cap. 10. *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras*? Licet autem non habeatur expreſſe in Scriptura veteris teſtamenti, quod de Galilæa Propheta ſurgeret; hoc tamen habetur quod inde exire debeat Dominus Prophetarum, ſecundum illud Eſa. xi. 1. „ Flos (*d*) „ (ideſt Nazarenus) de radice eius aſcendet, „ & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. “

(i) Sed terminatio diſſenſionis oſtenditur infructuoſa: unde dicit: *Et reverſi ſunt unuſquiſque*, quaſi infecto negotio, *in domum ſuam*, ideſt in propria, vacui fide, & fraudati a malo deſiderio ſuo. Iob v. 13. „ Conſilium pra„ vorum diſſipat. “ Pſalm. xxxii. 10. „ Do„ minus reprobat conſilia principum, & co„ gitationes populorum diſſipat. “ Vel *in domum ſuam*, ideſt in malitiam infidelitatis, & impietatis ſuæ. Apoc. ii. 13. „ Scio ubi ha„ bitas, ubi ſedes eſt ſatanæ: & tenes no„ men meum, & non negaſti fidem meam. “

(a) *Al.* conditio. (b) *Al.* oportet. (c) *Al.* Cur dicit. (d) *Al.* primus Nazarænus.

CA-

Digitized by Google

CAPITIS OCTAVI

LECTIO I.

(a) IEſus autem perrexit in montem Oliveti, & diluculo iterum venit in templum: & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos.

(b) Adducunt autem ſcribæ, & phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam; & ſtatuerunt eam in medio.

(c) Et dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandavit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant, tentantes eum, ut poſſent accuſare eum.

(d) Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra. Cum ergo perſeverarent interrogantes, erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terra.

(e) Audientes autem hæc, unus poſt unum exibant, incipientes a ſenioribus; & remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans.

(f) Erigens autem ſe Ieſus, dixit ei: Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? Nemo te condemnavit? Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Ieſus: Nec ego te condemnabo. Uade, & iam amplius noli peccare.

(a) POſtquam egit Evangeliſta de origine doctrinæ Chriſti, hic conſequenter agit de eius virtute. Habet autem doctrina Chriſti virtutem illuminativam, & vivificativam: quia verba eius ſpiritus, & vita ſunt. Primo ergo agit de virtute doctrinæ Chriſti illuminativa; ſecundo de virtute vivificativa, infra x. 1. *Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Oſtendit autem illuminativam virtutem doctrinæ Chriſti, primo verbo; ſecundo miraculo, ibi, *Et præteriens Ieſus vidit hominem cæcum a nativitate.* Circa primum duo facit. Primo introducit Chriſtum docentem; ſecundo ponit doctrinæ Chriſti virtutem, ibi, *Iterum ergo locutus eſt eis Ieſus.* Ad officium autem doctoris duo pertinent. Primo ut devotos inſtruat; ſecundo ut adverſarios repellat. Primo ergo Chriſtus inſtruit populum devotum; ſecundo repellit, (a) adverſarios, ibi, *Adducunt autem ſcribæ &c.* Circa primum tria facit. Primo deſcribitur locus doctrinæ; ſecundo auditor; tertio doctor. Locus autem doctrinæ eſt templum. Unde primo ponit receſſum ab eo; ſecundo reditum. Receſſum quidem cum dicit: *Ieſus autem perrexit in montem Oliveti*: nam Dominus hanc ſibi conſuetudinem ſecerat ut per diem, quando erat Hieroſolymis in diebus feſtis, prædicaret in templo, ſigna, & miracula faceret; & in ſero revertebatur in Bethaniam, & apud ſorores Lazari, Mariam, & Martham, hoſpitabatur, quæ erat in monte Oliveti. Secundum igitur hunc morem dicit, quod cum in noviſſimo magnæ feſtivitatis die Ieſus ſtetiſſet in templo, & prædicaſſet, de ſero *perrexit in montem Oliveti*, ubi erat Bethania: & hoc convenit myſterio: nam, ut dicit Auguſtinus, ubi decebat Chriſtum docere, & ſuam miſericordiam manifeſtare niſi in monte Oliveti, in monte unctionis, & chriſmatis? Oliva autem miſericordiam ſignat: unde & in Græco oleos idem eſt quod miſericordia. Luc. x. dicitur de Samaritano, quod infudit oleum & vinum, ſecundum miſericordiam, & ſeveritatem iudicii. Item oleum ſanativum eſt. Eſa. 1. 6. „Vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circumligata medicamine, neque ſota oleo.“ Signatur etiam medicina ſpiritualis gratiæ, quæ ad nos derivata eſt. Pſal. xliv. 8. „Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.“ Et alibi (Pſal. cxxxii. 2.) „Sicut unguentum in capite quod deſcendit in barbam.“ Reditus autem ad locum ponitur tempeſtivus: unde dicit: *Et iterum diluculo venit in templum.* Per quod ſignatur quod cognitionem, & manifeſtationem gratiæ ſuæ in templo ſuo, ſcilicet fidelibus ſuis, manifeſtaturus erat. Pſal. xlvii. 10. „Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui.“ Quod autem diluculo rediit, exortum lumen novæ gratiæ deſignat. Oſeæ vi. 3. „Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius.“ Auditor autem doctrinæ eſt populus devotus: & ideo dicit: *Et omnis populus venit ad eum.* Pſal. vii. 8. „Synagoga „po-

(a) Al. adverſarium.

„ populorum circumdabit te. “ Doctor autem introducitur ſedens: unde dicit, *Et ſedens*, ideſt condeſcendens, ut eius doctrina facilius caperetur. Seſſio enim humilitatem incarnationis ſignificat. Pſal. cxxxviii. 1. „ Tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. “ Quia per ſuſceptam humanitatem viſibilis apparens, cœperunt de divinis facilius edoceri: & ideo dicit, quod *ſedens docebat eos*, ideſt ſimplices, & ſermonem eius admirantes. Pſalm. xxiv. 9. „ Docebit mites vias ſuas, & diriget manſuetos in iudicio. “ Eſa. 11. 3. „ Docebit nos vias ſuas. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Adducunt autem ſcribæ, & phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam*, repellit adverſarios. Et primo ponitur calumniæ tentatio; ſecundo calumniantium repulſio, ibi, *Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra*. Circa primum tria facit. Primo ponitur tentationis occaſio; ſecundo deſcribitur ipſa tentatio, ibi, *Dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio*; tertio tentatorum intentio, ibi, *Hæc autem dicebant tentantes eum*. Occaſio autem tentationis ponitur adulterium a muliere perpetratum: & ideo primo aggravant culpam; ſecundo præſentant perſonam peccantem. Dicit ergo quantum ad primum: *Adducunt autem ſcribæ, & phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam*. Ut enim Auguſtinus dicit, tria in Chriſto præeminebant, ſcilicet veritas, manſuetudo, & iuſtitia. De ipſo quippe fuerat prædictum (Pſalm. xliv. 5.) „ Procede, & regna, propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. “ Nam veritatem attulit ut doctor, & hanc (*a*) perceperant phariſæi, & ſcribæ dum doceret. Infra eodem: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Nullum enim falſum in verbis, & doctrina eius deprehendere poterant; & ideo calumniari de hoc ceſſaverant. Manſuetudinem vero attulit ut liberator; & hanc cognoverunt dum adverſus inimicos, & perſecutores non commoveretur. I. Pet. ii. 23. „ Cum malediceretur, non maledicebat. “ Unde dicebat, Matth. xi. 29. „ Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. “ Et ideo de hoc etiam non calumniabantur. Iuſtitiam autem attulit ut cognitor, & hoc quia nondum nota erat Iudæis, maxime in iudiciis: ideo in ea ſcandalum poſuerunt, volentes ſcire utrum a iuſtitia propter miſericordiam recederet: & ideo proponunt ei crimen notum, & confuſione dignum, ſcilicet adulterium. Eccli. ix. 10. „ Omnis mulier fornicaria quaſi ſtercus in via conculcabitur. “ Conſequenter perſonam peccantem repræſentant, ut magis commoveant: unde *& ſtatuerunt eam in medio*. Eccli. xxiii. 34. (*b*) „ Hic in medio adducetur, & inter filios Dei &c. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Et dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio*, proſequuntur ipſam tentationem: & primo manifeſtant culpam; ſecundo allegant legis iuſtitiam; tertio exquirunt ſententiam. Culpam quidem manifeſtant cum dicunt: *Hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio*: quam quidem culpam exaggerant ex tribus, quæ Chriſtum commovere (*c*) deberent a ſua manſuetudine. Et primo ex culpæ novitate: unde dicunt, *Modo*: nam quando eſt antiqua, non tantum movet, quia forte præceſſit correctio. Secundo ex eius evidentia: unde dicunt, *Deprehenſa eſt*, ita quod non poſſit ſe excuſare, quod eſt conſuetudinis mulierum, ſecundum illud Proverb. xxx. 20. „ Tergit os ſuum, dicens: Non ſum operata malum. “ Tertio ex culpæ enormitate: unde dicunt, *In adulterio*, quod eſt grave facinus, & malorum multorum cauſa. Eccli. ix. „ Omnis mulier quæ adulteratur peccabit. “ Primo quidem in lege Dei ſui. Legis iuſtitiam allegant cum dicunt: *In lege autem*, ſcilicet Levit. & Deuter. xxii. *Moyſes mandavit huiuſmodi lapidare*. Sententiam autem exquirunt cum ſubdunt: *Tu ergo quid dicis?* Calumnioſa eſt interrogatio; quaſi dicant: Si eam dimitti cenſuerit, iuſtitiam non tenebit. Sed abſit ut qui venerat quærere, & ſalvum facere quod perierat, eam condemnaret. Supra iii. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*. Lex etiam quod iniuſtum erat iubere non poterat. Et ideo non dicit, Abſolvatur, ne contra legem facere videretur. Et ideo conſequenter ſubditur perverſa tentantium intentio, cum dicit: *Hæc autem dicebant tentantes eum*. Credebant enim, quod Chriſtus ne manſuetudinem perderet, eam dimitti debere dicturus eſſet; & ſic accuſarent eum tamquam legis prævaricatorem. I. Cor. x. 9. „ Neque tentaveritis Chriſtum, ſicut illi tentaverunt. “

(d) Conſequenter cum dicit, *Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra*, repellit adverſarios ſua ſapientia. Nam phariſæi de duobus eum tentabant, ſcilicet de iuſtitia, & de miſericordia. Et utrumque in reſpondendo ſervavit: & ideo primo oſtendit quomodo ſervavit; ſecundo quod non receſſit a mi-

(a) *Al.* præceperant. (b) *Ibi*: „ Hæc in Eccleſiam adducetur, & in filios eius reſpicietur. “ (c) *Al.* dicerent.

miſericordia, ibi, *Erigens autem ſe Ieſus dixit ei &c.* Circa primum duo facit. Primo proponit ſententiam iuſtitiæ; ſecundo ſubditur effectus ſententiæ, ibi, *Audientes autem hac, unus poſt unum exibat*. Circa primum tria facit. Primo deſcribit ſententiam; ſecundo pronuntiat eam; tertio perſeverat iterum in ſcribendo ſententiam. Sententiam autem deſcribit in terra digito: unde dicit: *Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra*. Scribebat autem ſecundum quoſdam illud quod dicitur Hier. xxii. 29. „ Terra, terra audi .... „ ſcribe (*a*) iuſtum virum ſterilem. “ Secundum alios vero, & melius, dicitur quod ſcripſit eadem quæ protulit, ſcilicet *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*. Neutrum tamen certum eſt. Sed in terra quidem ſcribebat triplici ratione. Una quidem, ſecundum Auguſtinum, ut oſtendat eos qui eum (*b*) tentabant, in terra deſcribendos eſſe. Hierem. xvii. 13. „ Domine, recedentes a te in terra ſcribuntur. “ Iuſti autem, & diſcipuli qui eum ſequuntur, in cælo ſcribuntur. Luc. x. 20. „ Gaudete, & „ exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in „ cælo. “ Item ut oſtendat ſe quod ſigna faceret in terra: qui enim ſcribit, ſigna facit. Scribere ergo in terra, eſt ſigna facere: & ideo dicit quod inclinavit ſe, ſcilicet per incarnationis myſterium, ex quo in carne aſſumpta miracula fecit. Tertio quia lex vetus in tabulis lapideis ſcripta erat, ut habetur Exod. xxxi. & II. Corinth. iii. Per quod ſignatur eius duritia: quia „ irritam quis fa„ ciens legem Moyſi, abſque ulla miſeratione „ occidebatur: “ ut dicitur Hebr. x. 28. Terra autem mollis eſt. Ut ergo ſignaret dulcedinem, & mollitiem novæ legis per eum traditæ, in terra ſcribebat. Ex quo tria in ſententiis debemus attendere. Primo benignitatem in condeſcendendo puniendis: unde dicit, *Inclinans ſe*. Iacobi ii. 13. „ Iudicium ſine mi„ ſericordia ei qui non fecit miſericordiam. “ Gal. ult. 1. „ Si præoccupatus fuerit aliquis „ in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, „ huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. “ Secundo diſcretionem in diſcernendo: unde dicit, *Digito ſcribebat*, qui propter flexibilitatem diſcretionem ſignificat. Dan. v. 5. „ Ap„ paruerunt digiti quaſi manus hominis ſcri„ bentis contra candelabrum. “ Tertio certitudinem in pronuntiando: unde dicit, *Scribebat*. Sententiam autem profert ad eorum inſtantiam: unde dicit: *Cum autem perſeverarent* (*c*) *interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*. Phariſæi enim tranſgreſſores legis erant; tamen nitebantur Chriſtum de tranſgreſſione legis accuſare, & mulierem condemnare: & ideo Chriſtus ſententiam proponit iuſtitiæ, dicens: *Qui ſine peccato eſt veſtrum*; quaſi dicat: Puniatur peccatrix, ſed non a peccatoribus; impleatur lex, ſed non a prævaricatoribus legis: quia, ut dicitur Rom. ii. 1. „ In quo enim alium iudicas, „ teipſum condemnas. “ Aut ergo iſtam dimittite, aut cum illa pœnam legis excipite.

Hic incidit quæſtio utrum iudex in peccato exiſtens, peccet ferendo contra alium ſententiam qui in eodem peccato exiſtit. Et licet manifeſtum ſit, quod iudex ſi publice in peccato exiſtens ſententiam ferat, peccat ſcandalizando; nihilominus tamen hoc idem videtur ſi ſit in peccato occulto. Nam Rom. ii. 1. „ In quo alium iudicas, teipſum con„ demnas. “ Conſtat autem, quod nullus condemnat ſe niſi peccando: ergo videtur quod iudicando alium peccet.

Reſpondeo dicendum, quod in hoc uti oportet duplici diſtinctione. Aut enim iudex perſeverat in propoſito peccandi, aut pœnitet ſe peccaſſe. Item aut punit ut legis miniſter, aut motu proprio. Et ſi quidem pœnitet ſe peccaſſe, jam peccatum non eſt in eo; & ſic abſque peccato ſententiam poſſet ferre. Si autem eſt in propoſito peccandi; aut profert ſententiam ut legis miniſter, & ſic non peccat ex hoc quod ſententiam profert, quamvis peccet ex hoc quod talia facit, quibus dignus eſt contra ſe ſimilem ſententiam recipere: ſi autem proprio motu, dico, quod proferendo ſententiam peccat, cum non moveatur ad hoc amore iuſtitiæ, ſed ex aliqua mala radice: alias primo in ſe puniret quod animadvertit in alios: quia hoc dicitur in Prover. xviii. 17. „ Iuſtus prior accuſator „ eſt ſui. “

Perſeverat autem in ſcribendo: quia *iterum ſe inclinans ſcribebat*: primo quidem ut oſtendat ſuæ ſcientiæ (*d*) firmitatem. Num. xxiii. 19. „ Non eſt Deus ut homo, ut mentiatur, „ & ut filius hominis, ut mutetur. “ Secundo ut oſtendat eos ſua viſione indignos. Unde cum eos zelo iuſtitiæ percuſſiſſet, non dignatus eſt eos attendere, ſed avertit ad eis obtutum. Tertio ut eorum verecundiæ conſulens, daret eis exeundi liberam facultatem.

(e) Effectus autem iuſtitiæ eſt eorum confuſio: unde dicit: *Audientes autem hac, unus poſt unum exibant*: tum quia gravioribus pec-

catis

(a) *Ibi*, iſtum. (b) *Al.* tenebant. (c) Al. *interrogantes eum &c.* dixit: *Qui &c.* (d) *Al.* fraternitatem.

catis erant impliciti, & magis eos conſcientia remordebat: Dan. XIII. 5. „ Egreſſa eſt „ iniquitas a ſenioribus iudicibus, qui vide„ bantur regere populum: “ tum etiam quia melius cognoſcebant æquitatem prolatæ ſententiæ. Hier. V. 5. „ Ibo ergo ad optimates, „ & loquar eis: ipſi enim cognoverunt viam „ Domini, & iudicium Dei ſui. “ *Et remanſit ſolus Ieſus, & mulier ſtans*, ſcilicet miſericordia, & miſeria. Ideo autem ſolus remanſit, quia ipſe ſolus ſine peccato erat. Nam, ut dicitur in Pſal. XIII. 1. „ non eſt qui „ faciat bonum, non eſt uſque ad unum, “ ſcilicet Chriſtum. Et ideo forte mulier territa eſt, & ab illo ſe puniendam credebat.

Sed ſi remanſit ſolus, quomodo dicit, *In medio ſtans*? Et dicendum, quod mulier ſtabat in medio diſcipulorum, & ſic ly *ſolus* excludit extraneos, non diſcipulos. Vel *in medio*, ideſt in dubio, utrum abſolvenda eſſet, vel condemnanda. Sic ergo patet quod Dominus in reſpondendo iuſtitiam ſervavit.

(f) Conſequenter cum dicit, *Erigens autem ſe Ieſus, dixit ei &c.* oſtendit (*a*) quod a miſericordia non receſſit, dando ſententiam miſericordiæ. Et primo examinat; ſecundo abſolvit; tertio admonet. Examinat autem eam de accuſatoribus: unde dicit, quod *erigens ſe Ieſus*, ſcilicet faciem ſuam a terra, in qua ſcribebat, ad mulierem convertens, *dixit ei: Mulier ubi ſunt qui te accuſabant*? Item de condemnatione: unde quærit: *Nemo te condemnavit*? Et illa reſpondit: *Nemo, Domine*. Abſolvit autem eam: unde dicit: *Dixit ei Ieſus: Nec ego te condemnabo*: a quo te forte damnari timuiſti, quia in me peccatum non inveniſti. Nec mirum, *quia non miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*: ſupra III. 17. Ezech. XVIII. 32. „ Nolo mortem peccatoris. “ Abſolvit autem eam a culpa, non imponendo ei aliquam pœnam: quia cum abſolvendo exterius iuſtificaret interius, bene potuit eam adeo immutare interius per ſufficientem contritionem de peccatis ut ab omni pœna immunis efficeretur. Nec tamen trahendum eſt in conſuetudinem ut aliquis exemplo Domini abſque confeſſione, & pœnæ inflictione quemquam abſolvat: quia Chriſtus excellentiam habuit (*b*) in ſacramentis, & potuit conferre effectum ſine ſacramento, quod nullus purus homo poteſt. Admonet vero eam cum dicit: *Vade, & iam noli peccare*. Duo enim erant in muliere iſta, ſcilicet natura, & culpa. Et utrumque poterat Dominus condemnare: puta naturam, ſi iuſſiſſet eam lapidare; & culpam, ſi non abſolviſſet. Poterat etiam utrumque abſolvere, puta ſi dediſſet licentiam peccandi dicens: *Vade*, vive ut vis, eſto de mea liberatione ſecura: ego, quantumcumque peccaveris, etiam a gehenna, & ab inferni tortoribus liberabo. Sed Dominus culpam non amans, peccatis non favens, ipſam damnavit culpam, non naturam, dicens: *Amplius noli peccare*: ut ſic appareat quam dulcis eſt Dominus per manſuetudinem, & rectus per veritatem.

L E C T I O II.

(a) ITerum ergo locutus eſt eis Ieſus, dicens: Ego ſum lux mundi.

(b) Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.

(c) Sed habebit lumen vitæ.

(d) Dixerunt ergo ei phariſæi: Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum.

(e) Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio unde veni, & quo vado.

(f) Vos autem neſcitis unde venio, aut quo vado. Vos ſecundum carnem iudicatis.

(g) Ego non iudico quemquam. Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum; ſed ego, & qui miſit me Pater.

(h) Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater.

(i) Dicebant ergo ei: Ubi eſt Pater tuus? Reſpondit Ieſus: Neque me ſcitis, ne-

 que

(a) *Al.* quod miſericordia &c. (b) *Al.* in ſacramento.

Digitized by Google

que Patrem meum. Si me ſciretis, forſitan, & Patrem meum ſciretis. Hęc verba locutus eſt Ieſus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.

(a) Poſtquam Evangeliſta introduxit Chriſtum docentem, hic conſequenter primo oſtendit doctrinæ ipſius illuminativam virtutem; ſecundo manifeſtat quæ de ea dicit, ibi, *Dixerunt ergo ei phariſæi: Tu de te ipſo teſtimonium perhibes*. Circa primum tria facit. Primo ponit ſpiritualis lucis privilegium; ſecundo eius effectum, ibi, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*; tertio eius fructum, ibi, *Sed habebit lumen vitæ*. Privilegium autem ſpiritualis lucis ponitur quantum ad Chriſtum, qui eſt lux; & quantum ad hoc dicit: *Iterum locutus eſt eis Ieſus dicens: Ego ſum lux mundi*. Quod poteſt uno modo continuari ad immediate dictum: quia enim dixit: *Nec ego condemnabo te &c.* abſolvens eam a crimine; ideo ne aliqui dubitarent, utrum ipſe abſolvere poſſet, & peccata dimittere, dignatur apertius divinitatis ſuæ potentiam demonſtrare, dicens ſe eſſe lucem, qui peccati tenebras pellit. Alio modo poteſt continuari ad illud quod ſupra VII. 52. dixit: *Scrutare Scripturas, & vide quia Propheta a Galilæa non ſurgit*. Quia enim eum æſtimabant Galilæum, & quaſi ex loco determinato dependentem, doctrinam eius repudiabant; ideo Dominus oſtendit ſe totius mundi eſſe lucem univerſalem, dicens: *Ego ſum lux mundi*, non Galilææ, neque Palæſtinæ, neque Iudææ.

Manichæi autem, ut Auguſtinus dicit, hoc falſo intelligebant: (a) quia enim imaginatio eorum erat ſolum de ſenſibilibus; ideo non valebant ſe ad intellectualia, & ſpiritualia extendere: credebant enim ſupra corporalia nihil eſſe in rerum natura: unde dicebant Deum eſſe corpus, & lucem quamdam infinitam; & ſolem iſtum oculis carnis viſibilem, Chriſtum Dominum eſſe putaverunt: & propter hoc ipſum dixiſſe: *Ego ſum lux mundi*. Sed hoc ſtare non poteſt, & Eccleſia catholica improbat tale figmentum. Sol enim iſte corporalis eſt lux quam ſenſus attingere poteſt, & ideo non eſt ſuprema lux, quam intellectus ſolus attingit, quæ eſt lux intelligibilis propria rationalis creaturæ. Hic de ea dicit Chriſtus: *Ego ſum lux mundi*. De iſta dicitur ſupra I. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. Lux autem iſta ſenſibilis, imago quædam eſt illius lucis intelligibilis: nam omne ſenſibile eſt quaſi quoddam (b) particulare; intellectualia autem ſunt quaſi (c) totalia quædam. (d) Sicut autem lux iſta particularis habet (e) effectum in re viſa, inquantum colores facit actu viſibiles, & etiam in vidente, quia per eam oculus confortatur ad videndum; ſic lux illa intelligibilis intellectum facit cognoſcentem: quia quicquid luminis eſt in rationali creatura, totum derivatur ab ipſa ſuprema luce. Supra I. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Item facit res omnes actu intelligibiles, inquantum ab ipſa derivantur omnes formæ, per quas res habent quod cognoſcantur; ſicut omnes formæ artificiatorum derivantur ab arte, & ratione artificis. Pſal. CIII. 24. „ Quam (f) magnificata ſunt opera tua, Domine! Omnia in ſapientia feciſti. " Et ideo recte dicit: *Ego ſum lux mundi*: non ſol factus, ſed per quem ſol factus eſt. Tamen, ut Auguſtinus dicit, lumen quod ſolem fecit, ſub ſole factum eſt, & carnis nube tegitur, non ut obſcuretur, ſed ut temperetur.

Excluditur etiam per hoc hæreſis Neſtorii dicentis, quod Filius Dei erat unitus homini per inhabitationem tantum. Conſtat enim quod qui hæc verba proferebat, ſcilicet, *Ego ſum lux mundi*, homo erat. Niſi ergo ipſe qui loquebatur, & videbatur homo, perſonaliter eſſet Filius Dei, non dixiſſet: *Ego ſum lux mundi*; ſed, In me habitat lux mundi.

(b) Effectus autem huius lucis eſt expellere tenebras: unde dicit: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*. Et quia lux iſta eſt univerſalis, ideo univerſaliter tenebras omnes expellit. Sunt autem triplices tenebræ, ſcilicet ignorantiæ. Pſal. LXXXI. 5. „ Neſcierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant. " Et hæ ſunt rationis ſecundum ſeipſam, inquantum per ſeipſam obnubilatur. Item culpæ. Epheſ. V. 8. „ Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. " Et iſtæ ſunt rationis humanæ (g) non ex ſe, ſed ex appetitu, inquantum male diſpoſitus per paſſiones, vel habitum, appetit aliquid ut bonum, quod tamen non eſt vere bonum. Item tenebræ damnationis æternæ. Matth. XXV. 30. „ Inutilem ſervum eiicite in tenebras exteriores. " Sed duæ primæ

ſunt

(a) *Al.* quia enim imaginatione non valebant tranſcendere quæ ſe ad intellectualia & ſpiritualia non extendunt, credebant ſuper corporalia nihil eſſe &c. (b) *Al.* particulariter. (c) *Al.* totaliter. (d) *Al.* Sic. (e) *Al.* effectum intra. (f) *Al.* magnifica. (g) *Al.* non ex appetitu.

Digitized by Google

ſunt in vita iſta; tertiæ vero ſunt in termino vitæ. *Qui ergo ſequitur me, non ambulat in tenebris*, ignorantiæ, quia ego ſum veritas; nec culpæ, quia ego (*a*) ſum via; neque damnationis æternæ, quia ego ſum vita.

(c) Et ideo conſequenter ſubdit fructum doctrinæ, ſcilicet *Sed habebit lumen vitæ*: nam qui hoc lumen habet, eſt extra tenebras damnationis. Dicit autem, *Qui ſequitur*, quia ſicut quicumque non vult errare in tenebris, oportet ut ſequatur eum qui lumen portat, ita quicumque vult ſalvari, (*b*) oportet quod ſequatur Chriſtum, qui eſt lux, credendo, & amando; & ſic Apoſtoli ſecuti ſunt eum, Matth. IV. Quia vero lux corporalis deficere poteſt per occaſum, contingit quia qui ſequitur eam, tenebras incurrit. Lux vero iſta, quæ neſcit occaſum, numquam deficit; & ideo qui ſequitur eam, habet lumen indeficiens, ſcilicet vitæ. Lumen enim viſibile non dat vitam, ſed coadiuvat exterius (*c*) operationes vitæ corporalis; lumen ve o iſtud vitam dat, quia vivimus inquantum intellectum habemus, qui eſt quædam parti ipatio illius lucis. Quando autem lux illa perfecte irradiabit, tunc habebimus vitam perfectam. Pſal. XXXV. 10. „ Apud te eſt fons vitæ, & in lu„ mine tuo videbimus lumen; “ quaſi dicat: Tunc ipſam vitam perfecte habebimus quando ipſum lumen per ſpeciem videbimus. Unde dicitur Ioan. XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Sed attendendum, quod hoc quod dicit, *Qui ſequitur me*, pertinet ad meritum; quod vero dicit, *Habebit lumen vitæ*, ad præmium.

(d) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt ergo ei phariſæi &c.* manifeſtat hæc tria quæ de ſe dicit: & primo primum; ſecundo ſecundum, ibi, *Dicit ergo iterum eis Ieſus*; tertio tertium, ibi, *Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum*. Primum autem quod dixit eſt, *Ego ſum lux mundi*; quod Iudæos turbabat; & ideo primo ponit Iudæorum contradictionem; ſecundo eorum confutationem, manifeſtando veritatem ſui dicti, ibi, *Reſpondit Ieſus, & dixit eis &c.* Manifeſtum eſt autem circa primum quod illa quæ dixit in templo, dixit in conſpectu turbarum, hic autem coram phariſæis: & ideo dixerunt ei ipſi phariſæi: *Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum*; quaſi dicant: Ex hoc ipſo quod tu de teipſo teſtificaris, teſtimonium tuum non eſt verum. In hominibus enim nec acceptum, nec congruum eſt quod homo ſe laudet: Prov. XXVII. 2. „ Laudet te alienus, & „ non os tuum: “ quia non ex hoc commendabilis redditur, ſed ſi a Deo commendatur. II. Cor. X. 18. „ Non enim qui ſeipſum com„ mendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus „ commendat: “ quia ſolus Deus perfecte eum cognoſcit. Deum autem nullus poteſt ſufficienter commendare, niſi ipſe ſeipſum; & ideo oportet quod ipſe de ſeipſo teſtificetur, & etiam de hominibus. Iob XVI. 20. „ Ecce in cælo „ teſtis meus. “ Et ideo Iudæi decipiebantur.

(e) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus, & dixit eis &c.* Dominus repellit eorum contradictionem: & primo auctoritate Patris; ſecundo removet contradictionem ex tam de Patre, ibi, *Dicebant ergo ei: Ubi eſt Pater tuus?* Contradictio autem Iudæorum erat per quamdam conſequentiam: & (*d*) ideo primo oſtendit eorum conſequentiam non tenere; ſecundo probat ſuum teſtimonium verum eſſe, ibi, *Ego non iudico quemquam &c.* Circa primum duo facit. Primo oſtendit conſequentiæ falſitatem; ſecundo ſubdit deceptionis ipſorum cauſam, ibi, *Vos autem neſcitis unde venio, aut quo vado*. Conſequentia autem iſtorum erat quod ex hoc ipſo quod Chriſtus de ſe teſtimonium perhibebat, teſtimonium eius non erat verum. Sed Dominus dicit contrarium, ſcilicet quod ex hoc ipſo verum eſt: unde *reſpondit, & dixit eis: Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum verum eſt*: & hoc ideo, *quia ego ſcio unde veni, & quo vado*; quaſi dicat, ſecundum Chryſoſtomum, quia ex Deo ſum, & Deus, & Dei Filius. „ Eſt autem Deus verax: “ Rom. III. 4. Dicit autem, *Scio unde veni*, ideſt cognoſco meum principium, *& quo vado*, ſcilicet ad Patrem, quem nullus perfecte ſcire poteſt niſi Filius Dei. Matth. XI. 27. „ Nec „ Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit „ Filius revelare. “ (*e*) Non autem quod quicumque ſcit affectu, & intellectu, unde veniat, & quo vadat, non poteſt niſi verum dicere, nam a Deo venit, & ad Deum vadit; Deus autem veritas eſt: quanto ergo magis Filius Dei, qui perfecte ſcit unde venit, & quo vadit, verum dicit?

(f) Conſequenter cum dicit, *Vos autem neſcitis unde venio, aut quo vado*, oſtendit cauſam erroris, quæ eſt ignorantia divinitatis Chriſti: quia enim ipſam ignorabant, iudicabant de eo ſecundum humanitatem. Sic ergo duplex cauſam erroris erat in eis. Una, quia eius divinitatem ignorabant; alia, quia de eo ſecundum humanitatem tantum iudicabant: & ideo quantum ad primum dicit: *Vos neſcitis unde venio*, ideſt æternum meum proceſſum a Pa-

(*a*) *Al.* ſum via, veritas. (*b*) *Al.* emittitur oportet. (*c*) *Al.* operationi. (*d*) *Al.* deeſt ideo. (*e*) *Forte:* Si autem quicumque ſcit &c.

Patre, *aut quo vado*. Infra (hoc cap.) *Eſt verax qui miſit me, & ego qua audivi ab eo, hac loquor in mundo*. Iob XXVIII. 20. „ Unde „ ergo venit ſapientia? " Eſa.lııı.8.„ Genera- „ tionem eius quis enarrabit? " Quantum ad ſecundum dicit: *Vos ſecundum carnem iudicatis*, ſcilicet de me, me ſolum carnem eſſe putantes, non autem Deum: vel *ſecundum carnem*, ideſt male, & iniuſte. Sicut enim ſecundum carnem vivere, eſt male vivere, ita & ſecundum carnem iudicare, eſt male iudicare.

(g) Conſequenter cum dicit, *Ego non iudico quemquam*, oſtendit teſtimonium ſuum eſſe verum, & falſum eſſe quod ipſe ſolus de ſe teſtimonium perhibeat. Et quia de iudicio mentio facta eſt, oſtendit primo ſe non eſſe ſolum in iudicando; ſecundo ſe non eſſe ſolum in teſtificando, ibi, *Et in lege veſtra ſcriptum eſt &c.* Circa primum tria facit. Primo ponit iudicii dilationem; ſecundo iudicii veritatem; & tertio veritatis rationem. Dilationem quidem iudicii ponit cum dicit: *Ego non iudico quemquam*; quaſi dicat: Vos iudicatis male, ſed *ego non iudico quemquam*. Supra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*. Vel *non iudico quemquam*, ſcilicet ſecundum carnem, ſicut vos iudicatis. Eſa. XI. 3. „ Non „ ſecundum viſionem occulorum iudicabit, „ neque ſecundum auditum aurium arguet. " Sed tamen quandoque iudicabo, quia *Pater omne iudicium dedit Filio*: ſupra V. 22. Et tunc *iudicium meum verum eſt*, ideſt iuſtum. Pſal. XCV. „ Iudicabit orbem terræ in æquitate. " Rom. II. 2. „ Scimus quia iudicium Dei eſt „ ſecundum veritatem in eos qui talia agunt." In quo oſtenditur iudicii veritas. Rationem veritatis oſtendit, cum dicit: *Quia non ſum ſolus*. Quod autem dicit ſupra V. 22. *Pater non iudicat quemquam*, intelligendum eſt ſeorſum a Filio; vel quia non viſibiliter Pater apparebit omnibus in iudicio; & ideo dicit, *Non ſum ſolus*, quia non derelictus ab ipſo, ſed ſimul cum ipſo. Infra XIV. 10. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*.

Hoc (a) autem verbum excludit errorem Sabellii dicentis unam eſſe perſonam Patris, & Filii, nec differre niſi ſecundum nomina. Si enim hoc eſſet, non dixiſſet: *Non ſum ſolus; ſed ego, & qui miſit me*: ſed dixiſſet: Ego ſum Pater, & ego ipſe ſum Filius. Diſtingue ergo perſonas, & cognoſce Filium eſſe alium a Patre.

(h) Conſequenter cum dicit, *Et in lege veſtra ſcriptum eſt &c.* oſtendit quod non eſt ſolus in teſtificando; nec tamen differt teſtimonium, ſicut iudicium: unde non dicit, Teſtimonium non perhibeo. Primo ergo introducit legem; ſecundo concludit propoſitum, ibi, *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo*. Dicit ergo, *In lege veſtra*, & vobis data: Eccli. XXIV. 23. „ Legem mandavit Moyſes: " (b) *ſcriptum eſt*, Deut. XIX. *quia duorum hominum teſtimonium verum eſt*: ſic enim eſt ibi (verſ. 15.) „ In ore duorum aut trium ſtabit omne ver- „ bum. "

Sed, ſecundum Auguſtinum, habet magnam quæſtionem quod dicit: *Duorum hominum teſtimonium verum eſt*. Fieri enim poteſt quod duo mentiantur. Nam Suſanna caſta duobus falſis teſtibus urgebatur, ut habetur Daniel. XIII. Univerſus etiam populus mentitus eſt contra Chriſtum. Reſponſio. Hoc quod dicit, *Duorum hominum teſtimonium verum eſt*, intelligendum eſt quod pro vero in iudicio eſt habendum. Cuius ratio eſt, quia in actibus humanis vera certitudo haberi non poteſt; & ideo accipitur inde id quod certius haberi poteſt, quod eſt per multitudinem teſtium: magis enim eſt probabile quod unus mentiatur, quam quod multi. Eccle. IV. 12. „ Funiculus triplex difficile ſolvitur. "

Nihilominus tamen per hoc quod dicit (Deuter. loc. cit.) „ In ore duorum aut trium „ teſtium ſtabit omne verbum, " reducit nos, ſecundum Auguſtinum, in conſiderationem Trinitatis, in qua eſt perpetua ſtabilitas veritatis, a qua omnes veritates derivantur. Dicit autem, „ Duorum vel trium, " quia in Scriptura ſacra quandoque nominantur tres, quandoque duæ perſonæ, cum quibus etiam intelligitur Spiritus ſanctus, qui eſt nexus duorum. Si ergo duorum hominum teſtimonium verum eſt, vel trium, teſtimonium meum verum eſt. Quia & *ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater*. Supra V. 36. *Ego teſtimonium habeo maius Ioanne*.

Sed hoc non videtur ad propoſitum pertinere. Primo quidem, quia Pater Filii Dei non eſt homo; (c) cum ipſe dicat: *Duorum hominum teſtimonium verum eſt*. Secundo vero, quia tunc ſunt duo teſtes alicuius quando teſtificantur de aliquo tertio; ſed ſi unus teſtificatur de uno, non ſunt duo teſtes. Cum ergo Chriſtus teſtificetur de ſe, & ſimiliter Pater de Chriſto, videtur quod non ſunt duo teſtes.

Sed dicendum, quod Chriſtus hic arguit per locum a minori. Manifeſtum eſt enim quod veritas Dei maior eſt quam veritas hominis. Si ergo credunt teſtimonio hominum, mul-

(a) *Al.* Hic autem excludit. (b) *Al.* ut ſcriptum eſt. (c) *Al.* Et cum.

Digitized by Google

multo magis credendum eſt teſtimonio Dei. I. Ioan. v. 9. „ Si teſtimonium hominum ac„ cipitis, teſtimonium Dei maius eſt. “ Item hoc dicit, ut oſtendat ſe conſubſtantialem Patri, & non indigentem alieno teſtimonio, ut dicit Chryſoſtomus.

(i) Conſequenter cum dicit, *Dicebant ergo ei: Ubi eſt Pater tuus?* removet exortam quæſtionem de Patre: & primo ponit quæſtionem Iudæorum; ſecundo ponit reſponſionem Chriſti; tertio innuit ſecuritatem reſpondentis. Quæſtio autem Iudæorum propoſita Chriſto eſt de Patre, ubi eſſet: unde dicebant ei: *Ubi eſt Pater tuus?* Intelligebant enim Chriſtum habere patrem hominem ſicut ipſi habent: & ideo quia audierunt eum dicere: *Solus non ſum; ſed ego, & qui miſit me Pater*: (*a*) & hic viderant eum ſolum, dicunt: *Ubi eſt Pater tuus?* Vel dicendum, quod loquuntur hic cum quadam ironia, & contumelia; quaſi dicant: Quid frequenter Patrem tuum nobis inducis? Numquid eſt tantæ virtutis ut eius teſtimonio credatur? Ignotus enim eſt, & ignobilis. Intelligebant hoc de Ioſeph; nihilominus tamen Patrem ignorabant. Pſal. cxiii. 2. „ Ne„ quando dicant gentes: Ubi eſt Deus eo„ rum? “ Reſponſio autem Chriſti eſt occulta, ibi, *Reſpondit Ieſus: Neque me ſcitis, neque Patrem meum.* Quia enim non ſtudio addiſcendi, ſed malignandi quærebant, ideo Chriſtus non aperit eis veritatem; ſed oſtendit primo quidem ipſorum ignorantiam; ſecundo quomodo poſſint ad veritatis cognitionem pervenire. Ignorantiam quidem ipſorum oſtendit cum dicit: *Neque me ſcitis*; quaſi dicat: Non quæratis de Patre, quia me neſcitis. Quia enim me hominem putatis, ideo Patrem meum hominem quæritis; ſed quia me non noſcitis, neque Patrem cognoſcere poteſtis.

Sed contra. Supra vii. 28. dixit: *Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis.* Eſt dicendum, quod ſciebant eum ſecundum humanitatem, ſed non ſecundum divinitatem.

Sciendum autem, ſecundum Origenem, quod ex hoc verbo aliqui ſumentes occaſionem erroris, dixerunt Patrem Chriſti non fuiſſe Deum veteris teſtamenti: nam ipſum Iudæi cognoſcebant, ſecundum illud Pſal. lxxv. 1. „ Notus in Iudæa Deus. “ Sed ad hoc eſt quadruplex reſponſio. Prima quia ideo dicit Dominus Iudæos Patrem ignorare, quia ad modum ignorantium ſe habent, inquantum mandatum eius non ſervant. Et hæc reſponſio pertinet ad actum. Secundo dicuntur Deum ignorare, quia non adhærent ei ſpiritualiter per amorem: qui enim aliquid cognoſcit, ei adhæret. Tertio quia etſi cognoſcerent eum per fidem, non tamen habebant de eo plenam ſcientiam. Supra i. 18. *Deum nemo vidit umquam. Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Quarto quia in veteri teſtamento innotuit Pater ſub ratione Dei omnipotentis: Exod. vi. 3. „ Ego apparui eis „ in Deo omnipotente, & nomen meum Ado„ nai non indicavi eis: “ non autem ſub ratione Patris: unde licet ſcirent eum ut Deum, non tamen ut Patrem Filii conſubſtantialis.

Viam autem perveniendi ad cognitionem Patris dicit ſe eſſe: unde dicit, *Si me ſciretis*; quaſi dicat: Quia Patrem meum loquor occultum, opus prius eſt ut me noveritis, & tunc Patrem meum forſitan (*b*) ſcietis. Nam Filius eſt via cognitionis paternæ. Infra xiv. 7. *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis.* Nam, ſecundum Auguſtinum, quid eſt *Si me ſciretis*, niſi *Ego & Pater unum ſumus*? (infra x. 30.) Quotidiana locutio eſt, quando vides aliquem alicuius ſimilem, ut dicas: Si hunc vidiſti, illum vidiſti: non tamen quod Pater ſit Filius, ſed quia ſit Patri ſimilis. Dicit autem, *Forſitan*, non dubitative, ſed increpative; velut ſi indigneris ſervo tuo, & dicas: Contemnis me? Conſidera quod forſitan Dominus tuus ſum. Securitatem autem Chriſti reſpondentis oſtendit Evangeliſta, cum dicit: *Hæc verba locutus eſt Ieſus in gazophylacio.* Et primo quidem ex loco ubi docebat, quia in gazophylacio, & in templo. Gaza enim, Perſica lingua, dicuntur divitiæ, philaxe vero ſervare: unde gazophylacium ponitur in Scriptura pro arca ubi divitiæ conſervantur; & hoc modo accipitur IV. Reg. xii. 9. quod „ tulit Ioia„ da ſacerdos gazophylacium unum, aperuit„ que foramen deſuper, & poſuit illud iux„ ta altare ad dexteram ingredientium do„ mum Domini, mittebantque in eo ſacerdo„ tes qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecu„ niam, quæ deferebatur ad templum Domi„ ni. “ Aliquando autem pro domo ubi divitiæ conſervantur; & hoc modo accipitur hic. Secundo ex hoc quod illi qui miſſi fuerant ad eum apprehendendum, hoc facere non potuerunt, quia ipſe nolebat: unde dicit: *Et nemo apprehendit eum, quia nondum venit hora eius*, in qua pateretur; non fatalis, ſed ſua voluntate ab æterno prædeſtinata. Unde dicit Auguſtinus: „ *Nondum venerat hora eius*, non „ qua cogeretur mori, ſed qua dignaretur oc„ cidi. “

Sed nota, ſecundum Origenem, quod quandocum-

(a) *Al.* & ideo cum viderant. (b) *Al.* ſciretis.

cumque deſignatur locus in quo Dominus aliquid fecit, hoc fit propter myſterium. In gazophylacio ergo, qui eſt locus divitiarum, Chriſtus docuit, ut daret intelligi, quod numiſmata, ideſt verba ſuæ doctrinæ, imaginem Regis magni impreſſam habent. Nota etiam, quod quando docebat, *nemo apprehendit eum*: quia ſermones eius fortiores erant his qui eum capere volebant: quando vero voluit crucifigi, tacuit.

LECTIO III.

(a) Dicit ergo iterum eis Ieſus: Ego vado, & quæretis me; & in peccato veſtro moriemini.

(b) Quo ego vado, vos non poteſtis venire.

(c) Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet ſemetipſum, quia dicit: Quo ego vado, vos non poteſtis venire?

(d) Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo.

(e) Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis veſtris. Si enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.

(f) Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Ieſus: Principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare; ſed qui me miſit, verax eſt; & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.

(g) Et non cognoverunt quia Patrem eius dicebat Deum.

(h) Dixit ergo eis Ieſus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis:

(i) Quia ego ſum, & a meipſo facio nihil; ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

(k) Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

(a) POſtquam Dominus manifeſtavit de ſe privilegium lucis, hic conſequenter manifeſtat lucis effectum, ſcilicet quod liberat a tenebris: & primo oſtendit quod ipſi in tenebris detinentur, ſecundo docet remedium quo ab eis liberentur, ibi, *Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet ſemetipſum? &c.* Circa primum tria facit. Primo denuntiat Dominus ſuum receſſum; ſecundo oſtendit Iudæorum ſtudium perverſum; tertio ipſorum defectum. Receſſum autem ſuum dicit Dominus eſſe per mortem; & ideo dicit, *Ego vado*: in quo duo dat intelligere. Primo quod voluntarie moritur, ſcilicet vadens, & non ab alio ductus. Infra XVI. 5. *Vado ad eum qui me miſit*. Infra X. 18. *Nemo tollit a me animam meam; ſed ego pono eam a me ipſo*. Et ſecundum hoc recte continuatur ad præcedentia: dixit enim: *Nemo apprehendit eum &c.* Et quare? Quia per ſe vadit ſponte. Secundo oſtendit quod mors Chriſti erat quædam profectio illuc unde venerat, & unde non diſceſſerat: ſicut enim qui vadit, in anteriora proficit, ita Chriſtus per mortem pervenit ad gloriam exaltationis. Phil. II. 8. „ Factus eſt obediens „ uſque ad mortem, mortem autem crucis: „ propter quod & Deus exaltavit illum. “ Infra XIII. 3. *Sciens quia a Deo exivit, & ad Deum vadit*. Perverſum eorum ſtudium oſtendit in doloſa inquiſitione Chriſti; & quantum ad hoc dicit, *Quæretis me*. Quidam autem quærunt Chriſtum pie ex caritate; & hanc inquiſitionem ſequitur vita. Pſal. LXVIII. 7. „ Quærite Dominum, & vivet anima ve„ ſtra. “ Sed iſti impie quærunt, & odio ad perſequendum. Pſalm. XXXVII. 13. „ Vim fa„ ciebant qui quærebant animam meam. “ Et ſic dicit, *Quæretis me*, ſcilicet perſequentes poſt mortem quidem infamia: Matth. XXVII. 63. „ Recordati ſumus quod ſeductor „ ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies re„ ſurgam: “ item in membris meis. Act. IX. 4. „ Saule Saule, quid me perſequeris? “ Et hanc ſequelam ſequitur mors; & ideo ſubdit ipſorum defectum, quem eis prænuntiat dicens: *Et in peccato veſtro moriemini*. Et primo prænuntiat defectum qui conſiſtit in mortis damnatione; ſecundo defectum qui conſiſtit in eorum a gloria excluſione, ibi, *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*. Dicit ergo, Quia inique me quæritis, ideo *in peccato veſtro*, ſcilicet permanentes, *moriemini*. Quod poteſt intelligi uno modo de morte corporali; & ſic in peccatis ſuis moritur qui uſque ad mortem perſeverat in eis. Et ſic per hoc quod dicit, *In peccato veſtro moriemini*, exaggerat eorum obſtinatam pertinaciam. Hierem. VIII. 6. „ Non eſt qui pœnitentiam agat de peccato

„ to ſuo dicens, Quid feci? " Ezech. xxxii. 7. „ Deſcenderunt cum armis ad inſerna. " Alio modo de morte peccati, de qua dieitur in Pſalm. xxxiii. 22. „ Mors peccatorum peſſima. " Et ſicut mortem corporalem præcedit infirmitas corporis, ita & hanc mortem infirmitas quædam præcedit. Quamdiu enim peccatum remediabile eſt, tunc eſt quaſi quædam infirmitas quę pręcedit. Pſal. vi. 3. „ Miſereremei Domine, quoniam infirmus ſum. " Sed quando eſt irremediabile, vel ſimpliciter, ſicut poſt hanc vitam, vel quo ad ipſum, ſicut eſt peccatum in Spiritum ſanctum; tunc cauſat mortem. I. Ioan. v. 16. „ Eſt peccatum „ ad mortem, non pro illo dico, ut roget „ quis. " Et ſecundum hoc prænuntiat eis Dominus infirmitatem peccatorum eſſe ad mortem.

(b) Defectum qui conſiſtit in eorum excluſione a gloria oſtendit cum dicit: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*. Quo vadit Dominus, vadunt & iſti per mortem; ſed Dominus ſine peccato, iſti vero cum peccatis: quia in peccato ſuo moriuntur, & ideo non perveniunt ad gloriam paternæ viſionis: & ideo dicit: *Quo ego vado*, ſcilicet ſponte per paſſionem meam, ſcilicet ad Patrem, & ad ſuam gloriam, *vos non poteſtis venire*, quia uon vultis. Si enim voluiſſent, & non potuiſſent, non rationabiliter diceretur eis: *In peccato veſtro moriemini*.

Sed notandum, quod aliqui impediuntur ne poſſint ire quo Chriſtus vadit, dupliciter. Uno modo ratione contrarietatis, & ſic impediuntur peccatores: & de hoc loquitur hic; & ideo ſimpliciter perſeverantibus in peccato dicit: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*. Pſalm. c. 7. (a) „ Non habitabit in me„ dio domus meæ qui facit ſuperbiam. " Eſa. xxxv. 8. „ Via ſancta vocabitur, & pol„ lutus non tranſibit per eam. " Pſal. xiv. 1. „ Quis habitabit in tabernaculo tuo? .... „ Innocens manibus, & mundo corde. " Alio modo ratione imperſectionis, ſeu indiſpoſitionis: & hoc modo impedinntur iuſti, quamdiu ſunt in corpore. II. Cor. v. 6. „ Quam„ diu ſnmus in corpore, peregrinamur a Do„ mino. " Et talibus non dicit Dominus ſimpliciter: *Quo ego vado, non poteſtis venire*: ſed (b) addit determinationem temporis: infra xiii. 37. *Quo ego vado, non potes me modo ſequi*.

(c) Conſequenter cum dicit, *Dicebant ergo Iudæi &c.* agit de remedio per quod a tenebris liberentur: & primo proponit remedium tenebras evadendi; ſecundo inducit rationes ad hoc remedium impetrandum, ibi, *Dicebant ergo ei: Tu quis es?* tertio prænuntiat modum ad hoc perveniendi, ibi, *Dixit ergo eis Ieſus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis*. Circa primum duo facit. Primo ponitur verborum Chriſti occaſio; ſecundo pouuntur ea quibus cauſatur remedii inſinuatio, ibi, *Vos de deorſum eſtis*. Occaſio autem verborum Chriſti ſumitur ex perſona, vel intellectu Iudæorum. Cum enim carnales eſſent, verba Domini quæ dixerat, *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*, carnaliter intelligebant. I. Corinth. ii. 14. „ Animalis homo non percipit „ ea quæ ſunt ſpiritus Dei. " Unde dicunt Iudæi: *Numquid interficiet ſemetipſum?* Quæ quidem, ſecundum Auguſtinum, ſtulta opinio eſt. Numquid enim non poterant venire quo Chriſtus perrexit, ſi interficeret ſemetipſum? Poterant quidem & ipſi ſeipſos interficere. Sic ergo mors non erat (c) terminus quo iturus erat Chriſtus, ſed via qua ibat ad Patrem. Unde non dixit quod non poſſent ire ad mortem, ſed quod per mortem non poterant ire ad locum quo per eam Chriſtus exaltabatur, ad dexteram ſcilicet Dei. Secundum Origenem autem, ſorte non ſine cauſa Iudæi hoc dicunt. Habebant enim ex traditionibus quod Chriſtus voluntarie eſſet moriturus, ſicut ipſe dixit infra x. 18. *Nemo tollit animam meam; ſed ego pono eam a me ipſo*. Quod ſpecialiter videntur habuiſſe ex Eſa. liii. 12. „ Pro eo quod „ tradidit animam ſuam in mortem, ideo diſ„ pertiam ei plurimos, & fortium dividet „ ſpolia. " Quia ergo aliqualem ſuſpicionem habebant de Ieſu quod eſſet Chriſtus, ideo, cum dixit, *Ego vado &c.* introduxerunt hanc opinionem, quod ipſe ſemetipſum voluntarie morti traderet. Sed contumelioſe hoc proſerunt, dicentes: *Numquid interficiet ſe?* Alias dixiſſent: Numquid anima eius, cum ipſi placuerit, egredietur relicto corpore? quod non non poſſumus facere. Et propter hoc ait: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*.

(d) Conſequenter cum dicit, *Vos de deorſum eſtis &c.* proponit remedium tenebras evadendi. Et primo præmittit ſuam, & illorum originem; ſecuudo ex hoc concludit propoſitum, ibi, *Dixi ergo vobis &c.* Circa primum autem (d) diverſificat originem ſuam ab illorum origine dupliciter. Primo quia ipſe eſt de ſupernis, & iſti deorſum. Secundo quia iſti ſunt de hoc mundo, de quo non eſt Chriſtus. Sed, ſicut Origenes dicit, aliud eſt eſſe deorſum, & aliud de hoc mundo: nam ſurſum & deorſum ſunt differentiæ ſitus. Ne ergo per hoc quod dixit ſe eſſe de ſuper-

(a) *Al.* Non ergo habitabit. (b) *Al.* addidit. (c) *Al.* terminus Chriſti, ſed via &c. (d) *Al.* diverſificat illorum originem dupliciter.

nis", intelligant eum eſſe de ſuperiori parte mundi huius, ideo hoc excludens, dicit ſe non eſſe de hoc mundo; quaſi dicat: Ita de ſupernis ſum, quod tamen totaliter ſum ſupra totum mundum iſtum.

Et quidem eos eſſe de hoc mundo, & de deorſum manifeſtum eſt, ſed Chriſtum eſſe de ſupernis, & non de hoc mundo, ſano indiget intellectu. Nam quidam ponentes omnia viſibilia creata eſſe a diabolo, ſicut Manichæi, dixerunt Chriſtum etiam quantum ad corpus non eſſe de hoc mundo viſibili, ſed de mundo alterius creationis, ſcilicet inviſibili. Valentinus etiam hoc male ſuſcipiens, dixit, Chriſtum attuliſſe corpus cæleſte. Quod autem hic non ſit verus intellectus apparet, quia ipſis Apoſtolis Dominus dicit, infra xv. 19. *Vos non eſtis de hoc mundo.*

Dicendum eſt ergo, quod poteſt intelligi de Chriſto Filio Dei, & de Chriſto homine. Nam Chriſtus ſecundum quod Filius Dei, eſt de ſupernis. Infra xvi. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum.* Et ſimiliter non eſt de hoc mundo ſenſibili, ſcilicet qui conſiſtit in rebus ſenſibilibus, ſed de mundo intelligibili, qui eſt in mente Dei, quia eſt ipſum Verbum Dei, prout eſt ſumma ſapientia. Omnia enim in ſapientia facta ſunt. Unde de eo dicitur ſupra i. 10. *Mundus per ipſum factus eſt.* Secundum autem quod homo, Chriſtus eſt de ſupernis, quia non habuit affectum ad mundana, & infima, ſed ad ſuperiora, in quibus anima Chriſti converſabatur, ſecundum illud Phil. iii, 20. „ Noſtra converſatio in cælis. " Matth. vi. 21. „ Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & „ cor tuum. " Et e converſo iſti qui deorſum ſunt, originem infimam habent, & de hoc mundo, quia habent affectum circa terrena. I. Corinth. xv. 47. „ Primus homo de „ terra terrenus. "

(e) Conſequenter cum dicit, *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris*, concludit propoſitum: & primo manifeſtat ea quæ dixit de eorum defectu; ſecundo oſtendit eis remedium, ibi, *Si enim non credideritis &c.* Sciendum autem circa primum, quod unumquodque in ſuo progreſſu ſequitur conditionem ſuæ originis: unde ea quæ habent originem infimam, ſi ſibi relinquantur, naturaliter deorſum tendunt. Et nihil naturaliter tendit ſurſum niſi quod ſuperiorem originem habet. Supra iii. 13. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui de cælo deſcendit.* Dicit ergo Dominus: Hæc eſt cauſa quare non poteſtis venire quo ego vado, quia cum ſitis de deorſum, quantum in vobis eſt, non poteſtis niſi cadere; & ideo (a) quod dixi, *quia moriemini in peccatis veſtris*, verum eſt, niſi mihi adhæreatis: & ideo ut non totaliter excludat ſpem ſalutis, ponit remedium, dicens: *Si enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro*; quaſi dicat: Nati eſtis in originali peccato, a quo non poteſtis abſolvi niſi per fidem meam: quia *ſi non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Et dicit, *Ego ſum*, non autem quid ſim, ut rememoret quod dictum eſt Moyſi, Exod. iii. 14. „ Ego ſum qui ſum: " nam ipſum eſſe eſt proprium Dei. In qualibet enim alia natura a divina differt eſſe, & quod eſt; cum quælibet natura creata participet ſuum eſſe ab eo quod eſt ens per eſſentiam, ſcilicet ipſo Deo, qui eſt ipſum ſuum eſſe, ita quod ſuum eſſe ſit ſua eſſentia: unde ipſe ſolus denominatur ab eo: & ideo dicit: *Niſi credideritis quia ego ſum*, ideſt quia ſum vere Deus, qui habet eſſe per eſſentiam, *moriemini in peccato veſtro.* Dicit enim, *Quia ego ſum*, ut oſtendat ſuam æternitatem. In omnibus enim quæ incipiunt eſt mutabilitas quædam, & aliqua potentia ad non eſſe: unde eſt invenire in eis quoddam præteritum, & futurum; & ideo non eſt ibi verum eſſe per ſe. Sed in Deo nulla eſt potentia ad non eſſe, nec eſſe incepit; & ideo eſt ipſum eſſe, quod proprie per tempus præſens deſignatur.

(f) Conſequenter cum dicit, *Dicebant ergo ei: Tu quis es?* ponit rationes inducentes ad fidem. Et primo ponitur Iudæorum interrogatio; ſecundo Chriſti reſponſio, ibi, *Dixit eis Ieſus: Principium, qui & loquor vobis*; tertio intellectus eorum excæcatio, ibi, *Et non cognoverunt &c.* Quia enim Dominus dixerat, *Niſi credideritis quia ego ſum*, reſtabat adhuc quærere quis eſſet; & ideo dicebant ei: *Tu quis es?* quaſi dicant: Unde es, ut tibi credere debeamus? Et ideo conſequenter cum dicit, *Principium, qui & loquor vobis*, reſpondet, inducens eos ad credendum: & primo ex ſuæ naturæ ſublimitate; ſecundo ex iudiciaria ſua poteſtate, ibi, *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare*; tertio ex paterna veritate, ibi, *Sed qui miſit me, verax eſt.* Inducit quidem eos ad credendum Chriſto, naturæ eius ſublimitas, quia ipſe eſt principium: unde *dixit eis Ieſus: Principium, qui & loquor vobis.* Principium in Latino eſt neutri generis: unde dubium eſt, utrum ſit hic nominativi, vel accuſativi caſus. (b) In Græco autem eſt feminini generis, & in hoc loco eſt accuſativi caſus. Unde, ſecundum Auguſtinum, non eſt legendum: *Ego ſum principium*; ſed Principium

me

(a) *Al. deeſt* quod. (b) *Al. omittuntur ſequentia verba uſque ad* Unde.

Digitized by Google

me credite, ne moriamini in peccatis veſtris. Dicitur etiam Pater principium. Et uno quidem modo nomen principii commune eſt Patri, & Filio, inquantum ſcilicet ſunt unum principium Spiritus ſancti, per communem ſpirationem; & tres perſonæ ſimul ſunt principium creaturæ per creationem. Alio modo eſt proprium Patris, inquantum ſcilicet Pater eſt principium Filii per æternam generationem. Non tamen plura dicimus principia, ſicut nec plures Deos. Pſal. cix. 4. „ Tecum principium in die virtutis tuæ &c. “ Hic autem dicit Dominus ſe principium reſpectu totius creaturæ: nam quod eſt per eſſentiam tale, eſt principium, & cauſa eorum quæ ſunt per participationem: ipſe (*a*) autem per eſſentiam, ur dictum eſt, eſt eſſe ſuum. Sed quia Chriſtus non ſolum habet in ſe divinam naturam, ſed etiam humanam, ideo ſubdit: *Qui & loquor vobis*: nam vocem Dei immediate homo ferre non poteſt: quia, ſecundum Auguſtinum, (*b*) „ infirma corda, „ intelligibile verbum ſine voce ſenſibili au„ dire non poſſunt. “ Exod. xx. „ Quid eſt „ homo, ut audiat vocem Domini Dei ſui? “ Ad hoc ergo quod immediate ipſum divinum Verbum audiremus, carnem aſſumpſit, cuius organo locutus eſt nobis: unde dicit: *Qui & loquor vobis*; ideſt, humilis propter vos factus, ad iſta verba deſcendi. Hebr. 1. 1. „ Multifarie, multiſque modis olim Deus lo„ quens patribus in Prophetis, noviſſime lo„ cutus eſt nobis in Filio. “ Supra 1. 18. *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrabit*, vobis. Vel aliter, ſecundum Chryſoſtomum, ut per hoc quod dicit, *Principium, qui & loquor vobis*, reprehendat tarditatem intellectus Iudæorum. Nam poſt multa ſigna quæ ab eo viderant fieri, adhuc indurati, quærunt a Domino: *Tu quis es? &c.* & ideo Ieſus reſpondit: Ego ſum *principium*, ideſt qui locutus ſum vobis a principio; quaſi dicat: Non habetis opus adhuc quærere quis ego ſum, cum iam deberet eſſe maniſeſtum. Hebr. v. 12. „ Cum deberetis eſſe magiſtri propter tem„ pus, rurſum indigetis ut vos doceamini quæ „ ſint elementa exordii ſermonum Dei. “ Secundo inducit (*c*) eos ad credendum Chriſto iudiciaria eius auctoritas; & ideo ſubdit: *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare*; quaſi dicat: Habeo auctoritatem vos iudicandi.

Sed ſciendum, quod aliud eſt loqui nobis, & aliud loqui de nobis. Nobis enim loquitur Chriſtus ad noſtram utilitatem, ſcilicet ut ad ſe trahat; & ſic loquitur nobis, dum vivimus, prædicando, inſpirando, & huiuſmodi faciendo. Loquitur autem de nobis non ad noſtram utilitatem, ſed ad ſuam iuſtitiam oſtendendam; & hoc modo loquetur de nobis in iudicio futuro.

Sed contra. Supra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*. Reſponſio. Dicendum, quod aliud eſt iudicare, & aliud habere iudicare. Iudicare dicit actum iudicii; & hoc non pertinet ad primum adventum Domini, ut ſupra dixit (hoc cap.) *Ego non iudico quemquam*, ſcilicet ad præſens. Sed habere iudicare dicit iudicii poteſtatem; & hanc habet Chriſtus. Supra v. 22. *Pater omne iudicium dedit Filio*. Actor. x. 42. „ Ipſe „ eſt qui conſtitutus eſt a Deo iudex vivo„ rum, & mortuorum. “ Et ideo ſignanter dicit: *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare*; ſed in futuro iudicio.

Inducit etiam ad credendum Chriſto veritas paterna; & quantum ad hoc dicit, *Sed qui miſit me, verax eſt*; quaſi dicat: Pater eſt verus; ego autem loquor conſona ei: ergo loquor vera: ergo debetis mihi credere. Dicit ergo: *Qui miſit me*, ſcilicet Pater, *verax eſt*, non participative, ſed ipſa eſſentia veritatis, & pater veritatis: alias cum Filius ſit ipſa veritas, eſſet maior Patre. Rom. III. 4. „ Eſt autem Deus verax. “ *Et ego quæ audivi ab eo*: non auditu humano, ſed per generationem æternam accepi: *hæc loquor*. Eſai. xxi. 10. „ Quæ audivi a Domino exercituum „ Deo Iſrael, annuntiavi nobis. “ Supra v. 19. *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*. Hoc autem quod dixit, *Qui miſit me, verax eſt*, dupliciter continuatur ad præcedentia. Uno modo ſic. Dico quod *habeo de vobis iudicare*; ſed iudicium meum verum erit, quia *qui miſit, me verax eſt*. Rom. II. 2. „ Iudicium Dei „ eſt ſecundum veritatem. “ Alio modo, ſecundum Chryſoſtomum, dico quod *habeo de vobis iudicare*; ſed hoc differo, non ex impotentia, ſed ut obediam voluntati paternæ: nam *qui miſit me, verax eſt*. Unde cum promiſerit ſalvatorem, & propugnatorem, miſit me nunc ad ſalvandum; & ego quia non loquor niſi quæ audivi ab eo, ideo loquor vobis ſalutaria.

(*g*) Conſequenter cum dicit, *Et non cognoverunt quia Patrem eius dicebat Deum*, reprehendit tarditatem intellectus ipſorum: nondum enim oculos cordis apertos habebant, quibus Patris, & Filii æqualitatem intelligerent; & hoc quia carnales erant. I. Corinth. II. 14. „ Animalis homo non percipit „ ea quæ ſunt ſpiritus Dei. “

(a) *Al. deeſt* autem. (b) *Al.* infima. (c) *Al.* nos.

(h) Hic primo prænuntiat Chriſtus per quod pervenire debeant ad fidem, quod eſt remedium contra mortem: & circa hoc duo facit. Primo oſtendit per quid venturi ſunt ad fidem; ſecundo docet quid ſit de ſe ipſo credendum, ibi, *Quia ego ſum*. Dicit ergo primo, quod ad fidem pervenire debebant per paſſionem eius: unde *dixit eis Ieſus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis*; quaſi dicat: Modo non cognoſcitis Patrem meum eſſe Deum; ſed *cum exaltaveritis Filium hominis*, ideſt cum me ligno crucis affixeritis, *tunc cognoſcetis*, ſcilicet aliqui ex vobis per fidem. Infra XII. 32. *Ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. Ideo autem, ſecundum Auguſtinum, crucis commemorat paſſionem, ut det ſpem peccatoribus, ut ſcilicet nullus deſperet (*a*) a quocumque ſcelere, & male ſibi conſcius, quando ipſi crucifigentes Chriſtum per ſanguinem Chriſti liberantur a peccatis. Nullus eſt enim adeo peccator qui per ſanguinem Chriſti liberari non poſſit. Vel, ſecundum Chryſoſtomum, *cum exaltaveritis Filium hominis*, ſcilicet in cruce, *tunc cognoſcetis*, ideſt cognoſcere poteritis, qualis ſim, non ſolum per gloriam reſurrectionis meæ, ſed etiam per pœnam captivitatis, & deſtructionis veſtræ. Quantum autem ad ſecundum, tria docet de ſe credenda. Primo divinitatis maieſtatem; ſecundo ſuam originem a Patre; tertio ſui a Patre inſeparabilitatem.

(i) Maieſtatem quidem divinitatis, cum dicit: *Quia ego ſum*; ideſt, habeo in me naturam Dei, & ſum ille qui locutus eſt Moyſi, dicens (Exod. III. 14.) „Ego ſum, qui „ ſum.“ Sed quia ad ipſum eſſe pertinet tota Trinitas, ideo ne excludatur perſonarum diſtinctio, conſequenter docet credere originem a Patre, cum dicit: *Et a me ipſo facio nihil; ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor*. Sed quia cœpit Ieſus facere & docere, ideo in duobus originem ſuam a Patre deſignat, ſcilicet in his quæ facit, unde dicit, *Et a me ipſo facio nihil*: ſupra V. 19. *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*: & in his quæ docet, unde dicit, *Sed ſicut docuit me Pater*; ideſt, tradidit ſcientiam generando me ſcientem: quia cum ſit ſimplex natura veritatis, hoc eſt Filio eſſe, quod noſſe; & ſic quemadmodum Pater dedit Filio gignendo ut eſſet, ſic gignendo dedit ei ut noſſet. Supra VII. 16. *Mea doctrina non eſt mea*. Et ne intelligatur quod ſit miſſus a Patre quaſi ab eo diſtinctus, ideo tertio docet credere eius a Patre inſeparabilitatem, cum dicit: *Et qui miſit me*, ſcilicet Pater, *mecum eſt*, per eſſentiæ unitatem. Infra XIV. 10. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Item per amoris coniunctionem. Supra V. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit*. Et ſic ita Pater miſit Filium quod non receſſit ab eo: unde ſequitur: *Et non reliquit me ſolum*: quia affectus eius eſt circa me. Sed cum ambo ſimul ſint, unus tamen eſt miſſus, & alter miſit: quia miſſio incarnatio eſt, quæ quidem Filii tantum eſt, & non Patris. Quod autem non reliquit me, patet ex ſigno: *quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper*: quod quidem non ponitur pro cauſa meritoria, ſed pro ſigno; quaſi dicat: Hoc ipſum quod ego facio ſemper, ſine initio, ſine fine, *quæ placita ſunt ei*, eſt ſignum quod ſemper mecum eſt, & non reliquit me. Prov. VIII. 30. „Cum eo eram „ cuncta componens.“ Vel aliter *non reliquit me*, ſcilicet hominem, protegendo, *quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Et ſecundum hoc dicit cauſam meritoriam.

(k) Conſequenter cum dicit, *Hæc illo loquente multi crediderunt in eum*, ponitur effectus doctrinæ, qui eſt converſio multorum ad fidem ex auditu doctrinæ Chriſti. Rom. X. 17. „Fides ex auditu; auditus autem per „ verbum Chriſti.“

LECTIO IV.

(a) DIcebat ergo Ieſus ad eos qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

(b) Reſponderunt ei: Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus umquam. Quomodo tu dicis, Liberi eritis?

(c) Reſpondit eis Ieſus: Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.

(d) Servus autem non manet in domo in æternum; Filius autem manet in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.

(e) Scio

(*a*) *Al.* in quocumque,

(e) Scio quia filii Abrahæ eſtis.

(f) Sed quæritis me interficere : quia ſermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.

(g) Et vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis.

(a) Poſito remedio evadendi tenebras, hic conſequenter oſtendit ipſius remedii efficaciam. Et primo ponitur remedii efficacia; ſecundo introducitur remedii indigentia, ibi, *Reſponderunt ei Iudæi*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit quid exigitur ab eis quibus remedium confertur, quod pertinet ad meritum; ſecundo quid eis pro eo redditur, quod pertinet ad præmium, ibi, *Vere diſcipuli mei eritis*. Dicit ergo primo: Dictum eſt quod multi crediderunt in eum; (a) & ideo dicit eis, ſcilicet qui crediderunt in eum, Iudæis, quid ab eis requiratur, hoc ſcilicet quod maneant in ſermone eius: unde dicit: *Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis*; quaſi dicat: Non propter hoc quod creditis ſuperficie tenus, eritis diſcipuli mei, ſed *ſi manſeritis in ſermone meo*. Exiguntur autem a nobis tria circa verbum Dei: ſcilicet ſolicitudo ad audiendum: Iac. I. 19. „Sit autem omnis homo velox ad „audiendum &c. “ fides ad credendum: Rom. X. 17. „Fides ex auditu: “ conſtantia ad permanendum: Eccli. VI. 21. „Quam aſpera „eſt nimium indoctis hominibus ſapientia! „Et non permanebit in illa excors. “ Et ideo dicit, *Si manſeritis*, ſcilicet per fidei ſtabilitatem, per continuam meditationem: Pſal. I. 2. „In lege eius meditabitur die ac „nocte: “ & ferventem affectionem: (ibid.) „In lege Domini fuit voluntas eius. “ Unde dicit Auguſtinus quod illi in verbis Domini permanent qui nullis tentationibus cedunt. Primum autem quod perſiſtentibus redditur, oſtendit cum dicit: *Vere diſcipuli mei eritis*: & hoc quantum ad tria; ſcilicet quantum ad diſcipulatus Chriſti ſublimationem, quantum ad veritatis cognitionem, & quantum ad libertatis adeptionem. (b) Et quidem magnæ dignitatis eſt privilegium, eſſe diſcipulum Chriſti. Ioel. II. 23. „Filii Sion „exultate, & lætamini in Domino Deo ve„ſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ. “ Et quantum ad hoc dicit: *Vere diſcipuli mei eritis*: quanto enim magiſter eſt maior, tanto diſcipuli eius ſublimiores ſunt; Chriſtus autem excellentiſſimus & ſummus magiſter eſt: diſcipuli ergo eius excellentiſſimi ſunt. Tria autem requiruntur ex parte diſcipulorum. Primum eſt intellectus ad capiendum verba magiſtri. Matth. XV. 16. „Adhuc & vos „ſine intellectu eſtis? “ Solus autem Chriſtus poteſt aperire aurem intelligentiæ. Luc. ult. 45. „Aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scri„pturas. “ Et ideo dicebat Eſa. L. 5. „Dominus „aperuit mihi aurem. “ Secundum eſt aſſenſus ad credendum ſententiæ magiſtri: nam, ut dicitur Luc. VI. 40. „non eſt diſcipulus „ſuper magiſtrum: “ & ideo non debet ei contradicere. Unde dicitur Eccli. IV. 30. „Non contradicas verbo veritatis ullo mo„do. “ Et ideo ſubdit Eſaias (loc. cit.) „Ego „autem non contradico. “ Tertio ſtabilitas ad permanendum. Supra VI. 67. dicitur, quod *multi diſcipuli abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant*. Et ideo ſubdit Eſaias (ibid.) „Retrorſum non abii. “ Sed maius eſt veritatem cognoſcere, cum ſit finis diſcipuli. Et hoc etiam Dominus credentibus reddit: unde dicit: *Cognoſcetis veritatem*, ſcilicet doctrinæ quam ego doceo. Infra XVIII. 37. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni, ut teſtimonium perhibeam veritati*. Item gratiæ quam ego facio. Supra I. 17. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Et dicitur gratia veritatis per comparationem ad figuras veteris legis. Item æternitatis in qua permaneo. Pſal. CXVIII. 89. „In æternum, Domine, permanet „verbum tuum, in generatione & genera„tionem veritas tua. “ Sed maximum eſt libertatis adeptio, quam efficit cognitio veritatis in credentibus: unde dicit: *Et veritas liberabit vos*. Liberare autem in hoc loco non importat exceptionem a quacumque anguſtia, prout in Latino ſonat, ſed proprie dicit liberum facere. Et hoc a tribus: quia veritas doctrinæ liberabit ab errore falſitatis: Prov. VIII. 7. „Veritatem meditabitur guttur meum, „& labia mea deteſtabuntur impium: “ veritas gratiæ liberabit a ſervitute peccati: Rom. VIII. 2. „Lex autem ſpiritus vitæ in „Chriſto Ieſu, liberabit me a lege peccati „& mortis: “ ſed veritas æternitatis, in Chriſto Ieſu, liberabit nos a corruptione: Rom. VIII. 21. „Ipſa creatura liberabitur a „ſervitute corruptionis. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Reſponderunt ei: Semen Abrahæ ſumus &c.* oſtendit remedii neceſſitatem Iudæis ineſſe. Et primo exaggeratur Iudæorum præſumptio, ſe tali reme-

(a) *Al.* & ideo oſtendit, ſcilicet &c. (b) *Al.* Si quidem.

medio indigere negantium; ſecundo oſtenditur quomodo remedio indigent, ibi, *Reſpondit eis Ieſus: Amen amen dico vobis*. Præſumptio autem Iudæorum oſtenditur in quadam præſumptuoſa interrogatione: unde: *Reſponderunt ei Iudæi: Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus umquam. Quomodo tu dicis, Liberi eritis*? In qua quidem primo aliquid affirmant; ſecundo aliquid negant; & tertio interrogant. Affirmant quidem ſe eſſe ſemen Abrahæ: unde dicunt: *Semen Abrahæ ſumus*: in quo oſtenditur eorum inanis gloria, quia de ſola carnis origine gloriantur. Matth. III. 9. „ Ne cœperitis dicere: Patrem habemus „ Abraham. “ Simile faciunt qui de carnali nobilitate extolli quærunt. Oſeæ IX. 11. „ O„ mnis gloria eorum a partu, ab utero, & „ conceptu. “ Negant autem ſervitutem: unde dicunt: *Nemini ſervivimus umquam*: in quo ſe hebetes oſtendunt, & mendaces. Hebetes quidem, quia quod Dominus de ſpirituali libertate loquitur, ipſi intelligunt de corporali. I. Cor. II. 14. „ Animalis homo non percipit ea „ quæ ſunt ſpiritus Dei. “ Mendaces autem, quia ſi hoc quod dicunt, *Nemini ſervivimus umq[illegible]*, intelligunt de ſervitute carnali, aut loquuntur univerſaliter quantum ad totum genus Iudæorum, aut ſpecialiter quantum ad ſeipſos. (*a*) Si quidem univerſaliter, manifeſte mentiuntur: nam Ioſeph venumdatus eſt, & patres eorum ſervierunt in AEgypto, ut patet Geneſ. XL. & Exod. I. Unde Auguſtinus dicit: „ O ingrati, quid eſt quod aſſidue vobis im„ putat Deus quod vos de domo ſervitutis „ liberavit, ſi nemini ſerviſtis? “ Dicitur enim Deuter. VI. 13. „ Eduxi vos de AEgypto, de „ domo ſervitutis &c. “ Si autem de ſeipſis loquuntur, non poſſunt etiam a mendacio excuſari: nam & ipſi tunc temporis Romanis tributa ſolvebant: unde dicebant, Matth. XXII. 17. „ Si licet tributum dari Cæſari, an non? “ Interrogant autem libertatis modum: unde dicunt: *Quomodo tu dicis, Liberi eritis*? Dominus eis duo promiſerat, ſcilicet libertatem, & veritatis cognitionem, cum dixit: *Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Per quod Iudæi intelligebant, ſe ſervos, & ignaros a Domino reputari. Et licet magis iniurioſum ſit deficere a cognitione quam a libertate; quia tamen carnales erant, neglecta veritate, modum libertatis inquirunt. Pſal. XVI. 11. „ Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in „ terram. “

(c) Hic Dominus eorum præſumptionem excludens, eos remedio prædicto indigere convincit: & primo agit de eorum ſervitute; ſecundo de eorum liberatione, ibi, *Servus autem non manet in domo in æternum*; tertio de eorum origine, ibi, *Scio quia filii Abrahæ eſtis*. Convincit autem eos de ſervitute, non carnali, qualem illi intelligebant, ſed ſpirituali, ſcilicet peccati: ad quam exaggerandam duo præmittit, ſcilicet ingeminatum iuramentum: unde dicit: *Amen amen dico vobis*. Amen eſt nomen Hebræum, quod interpretatur vere, vel fiat. Quod, ſecundum Auguſtinum, nec Græcus Interpres, nec Latinus auſus eſt interpretari, ut honorem haberet velamento ſecreti, non ut eſſet ligatum, ſed ne vileſceret nudatum; & ſpecialiter propter reverentiam Domini, qui frequenter ipſo uſus eſt. Ponit ergo hic Dominus quaſi quoddam iuramentum: quod ideo geminatur, ut ſuam ſententiam magis firmam oſtendat. Heb. VI. 17. „ Interpoſuit iuſiurandum, ut per duas „ res immobiles, quibus impoſſibile eſt men„ tiri Deum, fortiſſimum ſolatium habea„ mus. “ Secundo univerſalem locutionem, cum dicit, *Omnis*, ſive Iudæus, ſive Græcus, dives, aut pauper, Imperator, vel mendicus. Rom. III. 23. „ Non eſt diſtinctio Iu„ dæi, & Græci: omnes enim peccaverunt, „ & egent gloria Dei. “ Servitutem etiam proponit dicens: *Qui facit peccatum ſervus eſt peccati*.

Sed contra. Servus non movetur proprio arbitrio ſuo, ſed domini; qui autem facit peccatum, movetur proprio arbitrio ſuo: ergo non eſt ſervus. Reſponſio. Dicendum, quod unumquodque eſt illud quod convenit ei ſecundum ſuam naturam: quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur ſecundum ſe, ſed ab impreſſione alterius; quod eſt ſervile. Homo autem ſecundum ſuam naturam eſt rationalis. Quando ergo movetur ſecundum rationem, proprio motu movetur, & ſecundum ſe operatur, quod eſt libertatis; quando vero peccat, operatur præter rationem, (*b*) & tunc movetur quaſi ab alio, retentis terminis alienis: & ideo *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. II. Pet. II. 19. „ A quo quis ſuperatus eſt, eius ſervus ad„ dictus eſt. “ Sed quanto quis movetur ab extraneo, tanto magis in ſervitutem redigitur; & tanto magis vincitur a peccato, quanto minus habet de proprio motu, ſcilicet rationis, & magis efficitur ſervus: unde quanto aliqui liberius peragunt perverſa quæ volunt, & minori difficultate, tanto peccati ſervitio obnoxius obligantur, ut Gregorius dicit:

(a) *Al.* Siquidem viri. (b) *Al.* & non.

Digitized by Google

dicir : quæ quidem ſervitus graviſſima eſt, quia vitari non poteſt : nam quocumque homo vadat, peccatum intra ſe habet, licet actus, & delectario eius tranſeat. Eſa. XIV. 3. „ Cum requiem dederit tibi Deus ..... a „ ſervitute tua dura (ſcilicer peccari) qua „ antea ſerviſti. “ Servitus autem corporalis, ſaltem ſugiendo, evadi poteſt : unde dicir Auguſtinus : „ O miſerabilis ſervitus (ſcilicer „ peccari.) Servus hominum, aliquando ſui „ domini duris imperiis fatigatus, fugiendo „ requieſcir ; (*a*) ſervus peccati ſecum trahit peccatum, quocumque fugerit ; peccatum enim quod fecit, intus eſt, voluptas „ tranſir ; peccatum (ideſt actus) tranſit, „ præteriit quod delectabat, remanſit quod „ pungar. “

(d) Conſequenter cum dicir, *Servus autem non manet in domo in æternum*, agir de liberatione a ſervitute : (*b*) quia enim omnes peccaverunt, omnes erant ſervi peccati. Sed imminer vobis liberationis ſpes ab eo qui liber eſt a peccato ; & hic eſt Filius. Unde circa hoc tria facit. Primo præmittit ſervi conditionem, ut diſtinguatur liber a ſervo ; ſecundo oſtendir conditionem Filii a ſervo diverſam ; rerrio concludit poteſtatem Filii in liberando. Eſt ergo conditio ſervi tranſitoria & inſtabilis : unde dicit : *Servus non manet in domo in æternum*. Domus iſta eſt Eccleſia. I. Tim. III. 15. „ Ur ſcias quomodo oporteat „ te converſari in domo Dei, quæ eſt Eccle- „ ſia Dei vivi. “ In qua quidem domo aliqui ſpiritualiter ſervi ad horam tantum permanent, ſicut in domo patrisfamilias corporaliter ſervi manent ad tempus ; non tamen in æternum : quia licet modo mali non ſint ſeparati numero a fidelibus, ſed merito tantum, in futuro tamen ſeparabuntur utroque modo. Galat. IV. 30. „ Eiice ancillam, & filium eius : non enim erit heres filius ancil- „ læ cum filio liberæ. “ Conditio vero Filii eſt æterna, & ſtabilis : unde dicit : *Filius autem*, ideſt Chriſtus, *permanet in æternum*, ſcilicer in Eccleſia tamquam in domo ſua. Heb. III. 6. (*c*) dicitur quod Chriſtus, ramquam filius in domo ſua &c. Et quidem ipſe per ſeipſum in domo manet in æternum, quia ipſe immunis eſt a peccaro ; nos autem ſicut per ipſum a peccato liberamur, ira & per ipſum in domo manemus. Liberationis autem poteſtatem habet Filius : unde ſubdit : *Si igitur Filius vos liberaverit, vere liberi eritis*. Galat. IV. 31. „ Non ſumus ancillæ filii, ſed li- „ beræ ; qua libertate Chriſtus nos libera- „ vit. “ Nam, ut Apoſtolus dicit, ipſe pretium dedit non argentum, ſed ſanguinem ſuum : venit enim in ſimilitudinem carnis peccati, nullum omnino habens peccatum ; & ideo factum eſt verum ſacrificium pro peccato : unde per eum liberamur non a barbaris, ſed a diabolo.

Et nota, quod eſt multiplex libertas. Scilicet perverſa, quando quis abutitur ea ad peccandum ; & hæc eſt libertas a iuſtitia, quam nullus cogitur ſervare. I. Pet. II. 16. „ Quaſi liberi, & non quaſi velamen haben- „ tes maliriæ libertatem. “ Vana, quæ eſt temporalis, ſeu carnalis. Iob III. 19. „ Ser- „ vus (*d*) liber a domino ſuo. “ Vera, & ſpiritualis, quæ eſt libertas gratiæ, quæ eſt ſcilicer carere criminibus ; quæ eſt imperfecta, quia caro concupiſcir adverſus ſpiritum, ur non ea quæ volumus faciamus, Galat. V. Gloriæ, & perfecta, atque plena, quæ erit in patria. Rom. VIII. „ Ipſa creatura liberabi- „ tur a ſervitute : “ & hoc erir, quia nihil erit ibi inclinans ad malum, nihil opprimens, quia ibi erit libertas a culpa, & a pœna.

Chryſoſtomus autem hoc aliter introducit : quia enim dixerar : *Qui facit peccatum ſervus eſt peccati* : ne præcurrant Iudæi, & dicant : Licer ſimus ſervi peccati, tamen poſſumus liberari per ſacrificia, & cæremonias legis : propterea Dominus oſtendir, quod per ea liberari non poſſunt, ſed ſolum per Filium : unde dicit : *Servus*, ideſt Moyſes, & pontifices veteris reſtamenti, *non manet in domo in æternum*. Hebr. III. 5. „ Moyſes ſicur fa- „ mulus in omni domo ſua. “ Et cæremoniæ etiam æternæ non ſunt ; & ideo non poſſunt conſerre libertatem æternam.

(e) Conſequenter cum dicir, *Scio quia filii Abrahæ eſtis*, agit de eorum origine : & primo confitetur eorum originem carnis ; ſecundo inquirit originem ſpiritus, ibi, *Sed quæritis me interficere &c.* Originem autem carnis ipſorum dicir eſſe Abraham. *Scio*, inquit, *quia filii Abrahæ eſtis*, origine carnis tantum, non ſimilitudine fidei. Eſa. LI. 2. „ Attendite ad „ Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, „ quæ peperit vos. “

(f) Spiritualem originem inquirit dicens : *Sed quæritis me interficere* : & primo oſtendit eos originem ſpiritualem habere ; ſecundo excludit originem præſumptam, ibi, *Reſponderunt, & dixerunt ei : Pater noſter Abraham eſt* ; tertio oſtendit originem eorum veram, ibi, *Vos ex patre diabolo eſtis*. Circa primum duo facit. Primo ponit eorum culpam ; ſecundo con-

(a) *Al.* Servus peccati quo fugit ſecum trahit quocumque fugerit : peccatum enim &c. (b) *Al.* quia omnes peccaverunt, & omnes erant ſervi peccati. (c) *Ibi* : „ Chriſtus vero, tamquam filius in domo ſua : „ quæ domus ſumus nos. “ (d) *Al.* & liber.

Digitized by Google

concludit eorum ſpiritualem originem, ibi, *Vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis*. Circa primum tria facit. Primo imponit eis culpam homicidii; ſecundo crimen infidelitatis; tertio aufert eis excuſationis viam. Oſtendit ergo eos Dominus ſpiritualiter ex mala radice procedere, & ideo ſignanter arguit eos de peccato; & dimiſſis omnibus aliis, quibus Iudæi multipliciter irretiti erant, hoc illis tantum commemorat quod iugiter in mente habebant, ſcilicet peccatum homicidii: quia, ut dictum eſt ſupra, (*a*) volebant eum occidere; & ideo dicit: *Sed quæritis me interficere*: quod eſt contra legem veſtram. Exod. xx. 13. „ Non occides. “ Infra xi. 53. *Ab illo ergo die cogitabant interficere eum*. Sed poſſent dicere, quia occidere aliquem ex culpa non eſt peccatum; & ideo Dominus dicit cauſam homicidii eſſe non quidem culpam Chriſti, nec eorum iuſtitiam, ſed ipſorum infidelitatem; quaſi dicat: Quæritis me interficere, non propter iuſtitiam, ſed propter veſtram infidelitatem: *Quia ſermo meus non capit in vobis*. Matth. xix. 2. „ Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. “ Utitur autem Dominus hoc modo loquendi primo quidem ad oſtendeodum ſui ſermonis excellentiam; quaſi dicat: Sermo meus ſuperexcedit capacitatem veſtram: nam ipſe de ſpiritualibus eſt, vos autem intellectum carnalem habetis; & ideo ipſum non capitis. I. Corinth. 11. 14. „ Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. “ Secundo vero propter ſimilitudinem quamdam. Nam, ut Auguſtinus dicit, ſic eſt ſermo Dei infidelibus, tamquam piſcibus hamus, qui oon capit niſi capiatur. Et ideo dicit: *Sermo meus non capit in vobis*, ideſt in cor veſtrum, quia non recipitur in vobis eo modo quo Petrus captus erat, ſupra vi. 69. *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Nec tamen ſit iniuria eis qui capiuntur: ad ſalutem quippe, non ad perniciem capit. Nam dicitur Deut. xviii. quod Propheta qui loquitur quaſi ex ore Domini ea quæ Dominus non dixit, debet interfici. Unde ne Iudæi dicerent eum interficiendum fore, eo quod a ſeipſo, & non ex ore Domini loquebatur, inducit ſubdens: *Ego quæ vidi apud Patrem meum, loquor*; quaſi dicat: Non poteſt imponi mihi quod loquor quæ oon audivi: quia non ſolum audita, ſed, quod plus eſt, viſa loquor. Alii enim Prophetæ locuti ſunt ea quæ audierunt; ſed ego quæ vidi hæc loquor. Supra 1. 18 *Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. I. Ioan. 1. „ Quod vidimus, & audivimus, annuntiamus vobis. “ Eſt autem hoc iotelligendum de viſione certiſſimæ cognitionis, quia Filius Patrem cognoſcit ſicut ipſe ſeipſum novit: de quo dicitur Matth. 11. 27. „ Nemo novit „ Patrem niſi Filius. “

(g) Spiritualem autem eorum originem concludit, dicens: *Et vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis*; quaſi dicat: Ego ea loquor quæ meæ origini conveniunt; vos autem (*b*) illa facitis quæ ſunt apud patrem veſtrum, ſcilicet diabolum, cuius filii erant, ſecundum Auguſtinum, non inquantum homines, ſed inquantum mali erant. Ea, inquam, quæ vidiſtis, diabolo ſuggerente. Sap. 11. 24. „ Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. “ Secuodum Chryſoſtomum, eſt alia littera: *Vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum*, (*c*) *facite*; quaſi dicat: Sicut ego verbis in veritate Patrem meum oſtendo, ita vos oſtendite operibus patrem veſtrum origine, (*d*) ſcilicet Abraham: unde dicit: Facite quæ apud patrem veſtrum vidiſtis, docti per legem, & Prophetas.

LECTIO V.

(a) RESponderunt, & dixerunt ei: Pater noſter Abraham eſt.

(b) Dixit eis Ieſus: Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.

(c) Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum quam audivi a Deo.

(d) Hoc Abraham non fecit.

(e) Vos facitis opera patris veſtri.

(f) Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non ſumus nati. Unum patrem habemus Deum.

(g) Dixit ergo eis Ieſus: Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique me:

(h) Ego enim ex Deo proceſſi, & veni.

(i) Neque enim a meipſo veni; ſed ille me miſit.

(k) Qua-

(a) *Al.* cum volebant. (b) *Al.* aliqua: *item* alium. (c) Al. *facitis*. (d) *Al.* ſcilicet Abraham: quæ vidiſtis &c.

Digitized by Google

(k) Quare loquelam meam non cognoſcitis? Quia non poteſtis audire ſermonem meum.

(a) POſtquam Dominus oſtendit, Iudæos aliquam ſpiritualem originem habere, hic excludit ab eis origines quas ſibi præſumptuoſe attribuebant: & primo excludit originem quam ſe traxiſſe dicebant ab Abraham; ſecundo originem quam ſe putabant habere a Deo, ibi, *Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non ſumus nati*. Circa primum duo facit. Primo ponit opinionem Iudæorum de eorum origine; ſecundo excludit eam, ibi, *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Sciendum eſt autem circa primum, quia Dominus dixerat eis: *Quæ vidiſtis apud patrem veſtrum; facitis*: ideo gloriantes ſe de carnali generatione, transferunt ſe ad Abraham: unde dicunt: *Pater noſter Abraham eſt*; quaſi dicant: Si ſpiritualem originem habemus, boni ſumus, quia Abraham pater noſter bonus eſt. Pſal. CIV. 6. „ Semen Abraham ſervi eius. " Et, ut dicit Auguſtinus, nitebantur eum provocare, ut aliquid male diceret de Abraham, & eſſet eis occaſio facere quod cogitabant, ſcilicet occidendi Chriſtum.

(b) Sed Dominus, conſequenter cum dicit, *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*, excludit hanc ipſorum opinionem tamquam falſo prolatam: & proponit primo ſignum debitum filiationis Abrahæ; ſecundo oſtendit, hoc ſignum in Iudæis non eſſe, ibi, *Nunc autem quæritis me interficere*; tertio concludit propoſitum, ibi, *Vos facitis opera patris veſtri*. Signum quidem filiationis alicuius eſt quod aſſimiletur ei cuius filius eſt: ſicut enim filii carnales ut plurimum parentibus carnalibus aſſimilantur, ita & filii ſpirituales (ſi ſint vere filii) debent ſpirituales parentes imitari. Epheſ. V. 1. „ Eſtote imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi. " Et quantum ad hoc dicit: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*; (*a*) quaſi dicat: Hoc ſignum eſſet quod eſſetis filii Abrahæ, ſi eum imitaremini. Eſa. LI. 2. „ Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & „ ad Saram quæ peperit vos. "

Sed dubitatur hic, quod videtur quidem eos negare eſse filios Abrahæ, dubitative loquens: *Si filii Abrahæ eſtis*: (*b*) quod tamen affirmavit ſuperius, dicens; *Scio quod filii Abrahæ eſtis*. Ad quod dupliciter reſpondetur Uno modo, ſecundum Auguſtinum, quod ſupra affirmavit eos eſſe filios Abrahæ ſecundum carnem; hic autem negat eos filios ſecundum imitationem operum, & præcipue fidei. Caro ergo illorum ex ipſo e-

rat, ſed vita non erat. Gal. III. „ Qui ex „ fide ſunt, hi reputantur in ſemine. " Alio modo, ſecundum Origenem, quod utrumque referatur ad ſpiritualem originem. Sed ubi nos habemus, *Scio quod filii Abrahæ eſtis*, in Græco habetur: *Scio quod ſemen Abrahæ eſtis*. Hic vero dicit: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*: quia Iudæi quidem, ſpiritualiter loquendo, ſemen Abrahæ erant, ſed non eius filii. Differentia eſt inter ſemen & filium: nam ſemen eſt quid informe, & tamen habet in ſeipſo rationes eius cuius eſt ſemen; filius (*c*) autem tranſmutato ſemine per virtutem informativam ab agente in appoſitam ſibi materiam a muliere, ſuperinducto nutrimento, ſimilitudinem generantis habet. Eodem modo & Iudæi ſemen quidem Abrahæ erant inquantum in eis aliqua ratio eorum quæ Deus in Abraham infuderat apparebat; ſed quia non ad perfectionem Abrahę pervenerant, ideo filii eius non erant: & propter hoc dicit eis: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*; ideſt, ad perfectam imitationem operum eius ſatagite.

Ex hoc autem quod dicit, *Opera Abrahæ facite*, videtur quod quæcumque ipſe fecit, & nos facere debemus. Ergo debemus plures uxores accipere, & ad ancillam accedere, ſicut Abraham fecit. Reſpondeo dicendum, quod præcipuum opus Abrahæ eſt fides, per quam iuſtificatus eſt apud Deum. Geneſ. XV. 6. „ Credidit Abraham Deo, & reputatum „ eſt illi ad iuſtitiam. " Et ideo intelligendum eſt, *Opera Abrahæ facite*; ideſt, ad ſimilitudinem Abrahæ credite.

Sed contra hoc eſt, quia fides non videtur poſſe dici opus, cum contra opera diſtinguatur. Iac. II. 26. „ Fides ſine operibus mortua eſt. " Reſpondeo dicendum, quod fides opus dici poteſt, ſecundum illud ſupra VI. 29. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem miſit ille*. Verum opus interius non eſt manifeſtum hominibus, ſed ſoli Deo, ſecundum illud I. Reg. XVI. 7. „ Homines vident ea quæ appa„ rent; Deus autem intuetur cor. " Inde eſt quod communius ea quæ exterius ſunt, conſuevimus opera nominare. Fides ergo diſtinguitur non ab omnibus operibus, ſed ab exterioribus tantum.

Sed numquid omnia opera Abrahæ debemus facere? Ad hoc dicendum, quod opus poteſt conſiderari dupliciter: vel ſecundum ſpeciem operis eius; & ſic omnia opera eius

(a) *Al.* quod dicit. (b) *Al. deſunt ſequentia verba uſque ad reſponſionem*. (c) *Al.* enim.

Digitized by Google

non ſunt imitanda: vel ſecundum radicem eorum; & ſic opera Abrahæ imitanda ſunt: quia quicquid fecit, ex caritate fecit. Unde dicit Auguſtinus, quod cœlibatus Ioannis non præfertur coniugio Abrahæ, cum eadem fuerit radix utriuſque. Vel dicendum, quod omnia opera Abrahæ imitanda ſunt quantum ad ſignationem, quia „ omnia in figura con„ tigebant illis: “ ut dicitur I. Corinth. x. 11.

(c) Conſequenter cum dicit, *Nunc autem quæritis me interficere*, oſtendit, prædictum filiationis ſignum in eis non eſſe. Et primo ponuntur Iudæorum opera; ſecundo oſtendit, ea eſſe Abrahæ operibus diſſimilia, ibi, *Hoc Abraham non fecit*. Oſtenduntur autem Iudæorum prava opera ſſe & perverſa, quia homicidæ erant: unde dicit: *Nunc autem quæritis me interficere*. Eſa. 1. 21. „ Quomodo fa„ cta eſt meretrix, civitas fidelis, plena iu„ dicii? Iuſtitia habitavit in ea, nunc autem „ homicidæ. “ Sed hoc homicidium inæſtimabile peccatum erat contra perſonam Filii Dei. Unde quia, ut dicitur I. Corinth. 11. 8. „ ſi cognoviſſent, numquam Dominum glo„ riæ crucifixiſſent: “ ideo Dominus non dicit, eos Filium Dei quærere interficere, ſed hominem, quia etſi Filius Dei dicatur paſſus, & mortuus propter unitatem ſuppoſiti, hoc non eſt inquantum Filius Dei, ſed propter infirmitatem humanam: quia, ut dicitur II. Corinth. ult. 1V. „ ſi crucifixus eſt ex „ infirmitate noſtra, ſed vivit ex virtute „ Dei. “ Et ut magis eorum homicidium exaggeret, oſtendit, eos nullam mortis cauſam adverſus eum habere: unde ſubdit: *Qui veritatem locutus ſum vobis, quam audivi a Deo*. Iſta veritas eſt quod dicebat ſe æqualem Deo. Supra v. 18. *Quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſabbatum ſolvebat, ſed Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*. Hanc veritatem audivit a Deo inquantum ab æterno per generationem æternam accepit a Patre eamdem naturam quam ipſe habet. Supra v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*. Excludit autem duas cauſas propter quas Prophetæ mandabantur occidi in lege. Primo quidem propter mendacium, Deut. XIII. ubi præcipitur, quod ſi aliquis Propheta ſurrexerit loquens mendacium, aut fictor ſomniorum, interficiatur: & hoc a ſe Dominus excludit, dicens: *Qui veritatem locutus ſum vobis*. Prov. VIII. 7. „ Veritatem meditabitur guttur me„ um. “ Secundo vero ſi aliquis Propheta locutus fuerit ex nomine falſorum deorum, vel ex nomine Dei quod ipſe non præcepit, occidi debebat, ut habetur Deut. XIII. & hoc Dominus excludit a ſe, cum dicit, *Quam audivi a Deo*.

(d) Conſequenter cum dicit, *Hoc Abraham non fecit*, oſtendit eorum opera diſſimilia eſſe operibus Abrahæ; quaſi dicat: In hoc probatis vos non eſſe filios Abrahæ, quia facitis opera contraria operibus eius: nam de eo legitur Eccli. XLIV. 20. „ quod ſervavit legem „ Altiſſimi, & fuit in teſtimonio cum il„ lo. “

Sed aliqui ſuperflue obiiciunt, quod Chriſtus ante Abraham nondum erat, & ideo Abraham hoc non fecit: non enim occidi potuiſſet qui non erat. Sed dicendum, quod Abraham non commendatur ex hoc quod non fecit in Chriſto, ſed ex eo quod non fecit in ſimili perſona, ideſt in his qui tunc veritatem dicebant. Vel dicendum, quod ſi Chriſtus non venerat tempore Abraham in carnem, venerat tamen in mentem, ſecundum illud Sapient. VII. 27. „ In animas ſanctas per „ nationes ſe transfert: “ quem tamen Abraham non interfecit mortaliter peccando: de quo dicitur Heb. VI. 6. „ Rurſus cruci„ figentes Filium Dei, & oſtentui haben„ tes. “

(e) Conſequenter cum dicit, *Vos facitis opera patris veſtri*, concludit propoſitum; quaſi dicat: Ex quo non facitis opera Abrahæ, ergo habetis aliquem alium patrem, cuius opera facitis. Simile habetur Matth. XXIII. 32. „ Vos implete menſuram patrum veſtro„ rum. “

(f) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non ſumus nati*, oſtendit eos non habere originem a Deo: quia enim iam ex verbis Domini cognoſcebant eum non de carnali generatione loqui, ideo ad ſpiritualem generationem ſe transferunt, dicentes: *Nos ex fornicatione non ſumus nati &c.* Ubi primo eorum opinionem proponunt; ſecundo eam Dominus excludit, ibi, *Dixit ergo eis Ieſus &c.* In eorum autem opinione Iudæi unum negant, & aliud aſſerunt. Negant ſe ex fornicatione natos: quod quidem, ſecundum Origenem, quaſi improperando Chriſto proponunt, latenter deſignantes, ipſum ex adulterio productum fore; quaſi dicant: *Nos ex fornicatione non ſumus nati*, ſicut tu. Sed melius poteſt dici, quod ſponſus animæ ſpiritualiter Deus eſt. Oſeæ 11. 19. „ Sponſa„ bo te (*a*) mihi. “ Sicut autem fornicatur ſponſa cum præter ſponſum ſuum carnalem, alium virum admittit; ita in Scriptu-

(a) *Al.* mihi Eccleſia.

ptnris Iudæa fornicari dicebatur quando Deum verum deſerens, idolis adhærebat. Oſeæ I. 2. „ Fornicans fornicabitur terra a Domi„no. " Dicunt ergo Iudæi: *Nos ex fornicatione non ſumus nati*; quaſi dicant: Si aliquando mater noſtra ſynagoga a Deo recedens fornicata eſt cum idolis, nos tamen non receſſimus, nec cum idolis fornicati ſumus. Pſalm. xlIII. 18. „ Nec obliti ſumus te, & inique „ non egimus in teſtamento tuo, & non re„ceſſit retro cor noſtrum. " Eſa. lvII. 3. „ Aſcendite huc filii fornicatricis, ſemen a„dulteri & fornicariæ. " Affirmant autem ſe eſſe filios Dei: quod videbatur ſequi ex quo non credebant ſe natos ex fornicatione: unde dicunt: *Unum patrem habemus Deum*. Malach. II. 10. „Nonne unus eſt pater omnium „ noſtrum? " Hier. III. „ Patrem vocabis „ me. "

(g) Conſequenter cum dicit, *Dixit ergo eis Ieſus &c* confutatur eorum opinio a Domino. Et primo proponit divinæ filiationis ſignum; ſecundo aſſignat rationem ſigni, ibi, *Ego enim a Deo veni &c.* tertio oſtendit eos a prædicto ſigno deficere, ibi, *Quare loquelam meam non cognoſcitis?* Sciendum eſt autem circa primum, quod ſupra ſignum carnalis filiationis dixit eſſe opera exteriora, quæ homines exterius operantur; bic autem ſignum filiationis divinæ ponit interiorem affectionem. Nam Filii Dei efficimur per communicationem Spiritus ſancti. Rom. VIII. 15. „ Non „ accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in ti„more, ſed ſpiritum adoptionis. " Spiritus autem ſanctus cauſa eſt amoris Dei: quia „ ca„ritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per „ Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: " Rom. v. 5. Signum ergo ſpeciale divinæ filiationis eſt dilectio. Epheſ. v. 1. „ Eſtote imi„tatores Dei ſicut filii cariſſimi, & ambula„te in dilectione. " Et ideo dicit: *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique me*. Pſal. 21. 4. „ Innocentes, & recti (qui ſunt filii Dei) „ adhæſerunt mihi. "

(h) Rationem autem ſigni aſſignat, dicens: *Ego enim ex Deo proceſſi, & veni*. Et primo ponit veritatem; ſecundo excludit errorem, ibi, *Neque enim a meipſo veni*. Veritas autem quam proponit, eſt quod a Deo proceſſit, & venit. Sed ſciendum eſt, quod omnis amicitia in coniunctione fundatur: unde & fratres ſe diligunt inquantum ex eiſdem parentibus principium ſnmunt. Dicit ergo Dominus: Vos dicitis, quod filii Dei eſtis; ſed ſi boc eſſet, *diligeretis me, quia a Deo proceſſi, & veni*. Qui ergo non me diligit, non eſt filius Dei. *Proceſſi*, inquam, *a Deo*, ut Unigenitus ab æterno, de ſubſtantia Patris. Pſal. cIx. 4. „ Ante luciferum genui te. " Supra I. *In principio erat Verbum*. *Veni* autem, ut Verbum caro factum, & miſſus a Deo per incarnationem. Infra xvI. 28. *Exivi a Patre*, ut Verbum ab æterno, *& veni in mundum*, ut caro factum in tempore.

(i) Errorem autem excludit cum dicit: *Neque enim a meipſo veni*: & primo excludit errorem Sabellii, qui Chriſtum non ab alio originem habuiſſe dicit; ſed idem eſſe Patrem, & Filium in perſona finxit: & quantum ad hoc dicit: *Neque enim a meipſo veni*; ideſt, ſecundum Hilarium, ego veni non a meipſo exiſtens, ſed quaſi ab alio miſſus, ſcilicet a Patre: unde ſubdit: *Sed ille me miſit*. Gal. IV. 4. „ Miſit Deus Filium ſuum na„tum ex muliere, factum ſub lege. " Secundo vero errorem Iudæorum, qui dicebant Chriſtum non eſſe miſſum a Deo, ſed falſum propbetam: de quibus dicitur (Hier. xxIII. 21.) „ Non mittebam eos, & ipſi currebant. " Et quantum ad hoc dicit, ſecundum Origenem: *Neque enim a meipſo veni*; *ſed ille me miſit*. Hunc petebat Moyſes (Exod. IV. 13.) „ Obſecro Domine, mitte quem miſſurus „ es. "

(k) Oſtendit autem eos ab hoc ſigno deficere, cum dicit: *Quare loquelam meam non cognoſcitis?* Nam, ſicut dictum eſt ſupra, dilectio Chriſti eſt ſignum filiationis divinæ; iſti autem Chriſtum non diligebant: unde manifeſtum eſt eos ab hoc ſigno deficere. Quod autem eum non diligunt, manifeſtant per effectum: nam effectus dilectionis alicuius eſt quod diligens libenter audit verba dilecti. Unde Cant. II. 14. „ Sonet vox tua in auri„bus meis: vox enim tua dulcis. " Et Cant. ult. xIII. „ Fac me audire vocem tuam: „ amici auſcultant te. " Quia ergo iſti Chriſtum non diligebant, durum videbatur eis etiam vocem eius audire. Supra vI. 61. „ *Durus eſt hic ſermo: quis poteſt eum audire?* Sap. II. 15. „ Gravis eſt nobis etiam ad viden„dum. " Contingit autem quod aliquis non libenter audit verba alicuius, quia ea examinare non poteſt; nec per conſequens cognoſcere; & ideo eis contradicunt. Iob vI. 29. „ Re„ſpondete, obſecro, abſque contentione .... „ & non invenietis in lingua mea iniquita„tem. " Et ideo dicit: *Quare loquelam meam non cognoſcitis?* dicentes, & interrogantes: *Quid eſt hoc quod dixit: Quo ego vado vos non poteſtis venire?* & boc ideo, inquam, non cognoſcitis, *quia non poteſtis audire ſermonem meum*; ideſt, ita durum cor habetis ad me quod nec ſermonem meum audire vultis.

LECTIO VI.

(a) VOs ex patre diabolo eſtis,
(b) Et deſideria patris veſtris vultis facere.
(c) Ille homicida erat ab initio,
(d) Et in veritate non ſtetit:
(e) Quia non eſt veritas in eo.
(f) Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur:
(g) Quia mendax eſt, & pater eius.

(a) POſtquam Dominus Iudæos oſtendit originem aliquam ſpiritualem habere, & excluſit ab eis originem præſumptam, hic aſtruit veram, aſcribens eis paternitatem diaboli: & primo proponit intentum; ſecundo rationem eis aſſignat, ibi, *Et deſideria patris veſtri vultis facere*; tertio poſitam rationem manifeſtat, ibi, *Ille homicida erat ab initio*. Dicit ergo: Vos facitis opera diaboli: ergo *vos ex patre diabolo eſtis*, ſcilicet per imitationem. Ezech. XVI. 3. „ Pater tuus Amorrhæus, „ & mater tua Cethæa. "

Cavenda eſt hic hæreſis Manichæorum, qui dicunt eſſe quamdam naturam mali, & gentem quamdam tenebrarum cum principibus ſuis, a qua corruptibilia omnia origiuem trahunt; & ſecundum hoc omnes homines ſecundum carnem ex diabolo proceſſiſſe. Ponebant autem quaſdam animas ad bonam creationem pertinere, & quaſdam ad malam: unde dicebant hoc dictum a Domino, *Vos ex patre diabolo eſtis*, quia ab eo ſecundum carnem proceſſiſtis, & animæ veſtræ ſunt de mala creatione. Sed, ut Origenes dicit, (*a*) introducere duas naturas propter differentiam boni, & mali, ſimile videtur ei qui diceret alteram eſſe oculi videntis ſubſtantiam, alteram caligantis, vel ſe avertentis. Quemadmodum enim oculi ſani, & lippi non differunt ſubſtantia; ſed quædam contingit cauſa deficiens, ſcilicet quæ facit eum caligare; ita eadem eſt ſubſtantia & natura rei, ſive ſit bona, ſeu habeat in ſe defectum, quod eſt peccatum voluntatis. Non ergo Iudæi (*b*) ut mali, dicuntur filii diaboli natura, ſed imitatione.

(b) Conſequenter cum dicit, *Et deſideria patris veſtri vultis facere*, rationem aſſignatam exponit; quaſi dicat: Non eſtis filii diaboli tamquam ab eo creati, & in eſſe producti; ſed quia eum imitantes, *deſideria patris veſtri vultis facere*: quæ quidem mala ſunt: nam ſicut ille (*c*) invidit homini, & occidit: Sap. II. 24. „ Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: " ita & vos mihi invidentes, *quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus ſum vobis*: ſupra (hoc cap.)

(c) Conſequenter cum dicit, *Ille homicida erat ab initio*, poſitam rationem manifeſtat: & primo ponit diaboli quam imitantur conditionem; ſecundo oſtendit eos eſſe imitatores conditionis illius, ibi, *Ego autem ſi veritatem dico, non creditis mihi*. Sciendum eſt circa primum, quod in diabolo duplex peccatum maxime pollet, ſcilicet peccatum ſuperbiæ ad Deum, & invidiæ ad hominem, quem occidit. Sed ex peccato invidiæ ad hominem quo infert nocumenta hominibus, cognoſcitur a nobis peccatum ſupetbiæ. Et ideo primo ponit peccatum dæmonis contra hominem; ſecundo peccatum eius contra Deum, ibi, *Et in veritate non ſtetit*. Peccatum autem invidiæ contra hominem eſt quod occidit eum: unde dicit: *Ille*, ſcilicet diabolus, *homicida erat ab initio*. Ubi ſciendum eſt, quod non ferro accinctus diabolus occidit hominem, ſed mala perſuaſione. Sap. II. 24. „ Invidia diaboli mors in„ troivit in orbem terrarum. " Et primo quidem introivit mors peccati: Pſal. XXXIII. 22. „ Mors peccatorum peſſima: " deinde vero mors corporalis: Rom. V. 12. „ Per unum „ hominem peccatum intravit, & per pecca„ tum mors. " Et, ut dicit Auguſtinus, „ no„ li putare te non eſſe homicidam, quando „ fratri tuo mala perſuades. " Attendendum eſt autem, ſecundum Origenem, quod ille homicida dicitur non propter (*d*) aliquem ſingulariter tantum, ſed pro toto genere, (*e*) quod peremit in Adam, in quo cuncti moriuntur, ut dicitur I. Corinth. XV. Unde anthouomaſice homicida dicitur; & hoc *ab initio*, (*f*) ex quo ſcilicet fuit homo, qui occidi poterat, ex quo potuit fieri homicidium: non enim poſſet occidi homo, niſi prius homo fieret.

(d) Conſequenter cum dicit, *Et in veritate non ſtetit*, ponit peccatum dæmonis contra Deum, quod conſiſtit in hoc quod avertit ſe a veritate, quæ Deus eſt. Et primo oſtendit eum a veritate averſum; ſecundo oſtendit eum veritati contrarium, ibi, *Dum loquitur* men-

(a) *Al.* quod introducere: *item* introducit. (b) *Al. deeſt* ut. (c) *Al.* invidet homini ut occidat. (d) *Al.* aliquid. (e) *Al.* quod peremit, in Adam, inquam, cuncti &c. (f) *Al.* in quo.

mendacium, ex propriis loquitur. Circa primum duo facit. Primo oſtendit eum a veritate averſum; ſecundo manifeſtat quod dixit, ibi, *Quia veritas in eo non eſt*. Dicit ergo: *Et in veritate non ſtetit*.

Unde ſciendum eſt, quod duplex eſt veritas, ſeilicet vocis, & operis. Veritas quidem vocis eſt qua quis profert ore quod gerit corde, & eſt in rerum natura. Epheſ. IV. 25. „ Deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo. “ Pſal. XIV. 3. „ Qui loquitur veritatem cum proximo ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua. “ Veritas iuſtitiæ, quando ſcilicet quis agit quod convenit ſibi ſecundum ordinem ſuæ naturæ: de qua ſupra III. 21. dicit: *Qui fecerit veritatem, veniet ad lucem, ut manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta*. De hac ergo veritate Dominus loquens, dicit: *Et in veritate*, ſcilicet iuſtitiæ, *non ſtetit*: qnia deſeruit ordinem ſuæ naturæ, qui erat ut Deo ſubiiceretur, & per eumdem beatitudinem ſuam, & naturalis deſiderii complementum conſequeretur. Unde dum hoc per ſe conſequi voluit, a veritate cecidit.

Hoc autem quod dicit, *In veritate non ſtetit*, poteſt dupliciter intelligi, vel quod numquam in veritate ſteterit, vel quod aliquando ſteterit, ſed in ea non permanſit. Sed hoc quod numquam fuerit in veritate iuſtitiæ, poteſt habere duplicem ſenſum. Unum quidem ſecundum Manichæos, qui dicunt diabolum naturaliter malum eſſe: ex quo ſequitur quod ſemper malus fuerit: nam quod ineſt naturaliter, ſemper ineſt. Sed hoc eſt hæreticum, quia in Pſal. cxlv. 6. dicitur, quod „ Deus fecit cælum, & terram, mare, & „ omnia quæ in eis ſunt. “ Ergo omne ens eſt a Deo; omne autem quod eſt a Deo, inquantum eſt, bonum eſt. Et ideo alii dixerunt, quod dæmon ex ſui natura bonus eſt a Deo creatus; ſed in primo inſtanti factus eſt malus per liberum arbitrium. Et differunt iſti a Manichæis, quia illi dicunt dæmones ſemper fuiſſe malos, & naturaliter; iſti vero ſemper malos, ſed per liberum arbitrium.

Sed poſſet alicui videri qnod qnia Angelus non eſt malns per naturam, ſed per peccatum propriæ voluntatis; peccatum autem eſt actus quidam, quod potuit fieri, ut Angelus in principio actus fuerit bonus, ſed in termino actus mali fuerit malus effectus. Manifeſtum eſt autem quod actus peccati in dæmone eſt creatione poſterior; terminus autem creationis eſt ipſum eſſe Angeli; terminus vero operationis peccati eſt quod ſint mali. Et ſic ex hac ratione volunt quod (a) impoſſibile ſit quod in primo inſtanti, quo Angelus eſſe cœpit, fuerit malus. Sed hæc ratio non videtur ſufficiens: habet enim locum in motibus temporalibus tantum, qui ſucceſſive aguntur, non autem in motibus inſtantaneis: nam in motibus ſucceſſivis aliud eſt inſtans in quo incipit actio, & aliud in quo terminatur: ſicut ſi motus localis ſequitur ad alterationem, non poteſt in eodem inſtanti terminari motus localis, & alteratio. Sed in mutationibus inſtantaneis, ſimul & in eodem inſtanti poteſt eſſe terminus primæ & ſecundæ mutationis; ſicut in eodem inſtanti quo illuminatur luna a ſole, illuminatur aer a luna. Manifeſtum eſt autem quod creatio eſt inſtantanea, & ſimiliter motus liberi arbitrii in Angelis, cum non indigerent collatione, & diſcurſu rationis: unde nihil prohibet ſimul & in eodem inſtanti eſſe terminum creationis, in quo fuit bonus, & iterum terminum liberi arbitrii, in quo fuit malus. Et hoc aliqui concedunt; ſed dicunt hoc non fuiſſe, licet eſſe potuerit: & hoc propter auctoritatem Scripturæ: dicitur enim ſub figura Regis Babylonis de diabolo, Eſa. XIV. 12. „ Quomodo cecidiſti lucifer, qui mane oriebaris? “ Ezech. XXVIII. 13. dicitur ſub perſona Regis Tyri: „ In deliciis paradiſi „ Dei fuiſti. “ Et ideo dicunt, quod non fuit in principio ſuæ creationis malus, ſed quandoque bonus fuit, & per liberum arbitrium cecidit.

Sed dicendum eſt, quod in primo inſtanti ſuæ creationis non potuit eſſe malus. Cuius ratio eſt, quia nullus actus habet rationem peccati, niſi inquantum eſt præter rationem naturæ agentis voluntarii. In quolibet autem ordine actuum prius eſt actus naturalis; ſicut (b) in intelligendo, primo intelliguntur prima principia, & per ipſa intelliguntur alia; & in volendo ſimiliter primo volumus ultimam perfectionem, & ultimum finem, cuius appetitus naturaliter nobis ineſt, & propter ipſum appetimus alia. Quod autem ſecundum naturam fit, non eſt peccatum. Impoſſibile eſt ergo quod primus actus diaboli fuerit malus: fuit ergo diabolus in aliquo inſtanti bonus. Sed *in veritate non ſtetit*; ideſt, non permanſit.

Ad illud autem quod dicitur I. Ioan. III. 8. „ Diabolus ab initio peccavit: “ dicendum, quod ab initio quidem peccavit, quia ex quo incepit peccare, numquam deſiit.

(c) Conſequenter cum dicit, *Quia non eſt ve-*

(a) *Al.* impoſſibile ſit in principio inſtantis. (b) *Al.* *deeſt* in.

veritas in eo, manifeſtat quod dixit. Quæ quidem manifeſtatio intelligitur dupliciter. Uno quidem modo, ſecundum Origenem, ut ſit manifeſtatio communis per ſpecialem, ſicut ſi vellem manifeſtare quod Sortes eſt animal per hoc quod eſt homo; quaſi dicat: *In veritate non ſtetit*, ſed cecidit; & hoc *quia veritas non eſt in eo*. Eſt autem duplex gradus non ſtantium in veritate. Aliqui enim in veritate non ſtant, quia non firmantur in ea, ſed dubitant. Pſal. lxxii. 2. „ Mei autem pene „ moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus „ mei. “ Aliqui autem quia totaliter a veritate reſiliunt. Et ſic diabolus in veritate non ſtetit, ſed ab ea receſſit per averſionem.

Sed numquid nulla veritas eſt in eo? Et quidem ſi nulla veritas ſit, neque ſemetipſum intelliget, neque aliquid, cum intellectus non ſit niſi verorum: quod eſt inconveniens. Dicendum eſt ergo, in dæmonibus eſſe aliquam veritatem, ſicut aliquod verum. Nullum enim malum totaliter corrumpit bonum, cum ad minus, ſubiectum in quo malum eſt, ſit bonum. Ideo Dionyſius dicit, quod in dæmonibus manent integra naturalia bona. Sic igitur aliqua veritas eſt in eis, ſed non completiva, a qua averſi ſunt, ſcilicet a Deo, qui eſt veritas, & ſapientia completiva.

Secundo vero modo manifeſtatio iſta eſt per ſignum, ut Auguſtinus dicit: quia videtur quod potius debuiſſet contrarium dici: ideo ſcilicet *veritas non eſt in eo*, quia *in veritate non ſtetit*. Sed ſicut cauſa aliquando manifeſtatur per effectum, ita Dominus voluit oſtendere quod in veritate non ſtetit per hoc quod *veritas non eſt in eo*: eſſet enim in eo, ſi in veritate ſtetiſſet. Similis modus loquendi habetur in Pſal. xvi. 6. „ Ego clamavi, quoniam „ exaudiſti; “ quaſi, ex hoc apparet quod clamavit, quia fuit exauditus.

(f) Conſequenter cum dicit, *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, oſtendit quod diabolus eſt contrarius veritati: & primo ponit intentum; ſecundo manifeſtat propoſitum, ibi, *Quia mendax eſt, & pater eius*. Veritati autem contrarium eſt falſum, & mendacium; diabolus autem eſt veritati contrarius, quia loquitur mendacium: & ideo dicit: *Dum loquitur, mendacium loquitur*. Ubi ſciendum eſt, quod quicumque præter Deum loquitur ex propriis, mendacium loquitur; (*a*) quamvis non quicumque mendacium loquitur, ex propriis loquatur. Solus autem Deus loquendo ex propriis, loquitur veritatem: veritas enim eſt illuminatio intellectus; Deus autem eſt ipſum lumen, & ab ipſo omnes illuminantur: ſupra 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: unde & eſt ipſa veritas; & alii non loquuntur veritatem niſi inquantum ab ipſo illuminantur. Unde, ſicut Ambroſius dicit, „ omne „ verum a quocumque dicatur, a Spiritu ſan- „ cto eſt. “ Sic ergo diabolus cum loquitur ex propriis, loquitur mendacium; homo etiam cum ex propriis, loquitur, mendacium loquitur; ſed cum a Deo loquitur, tunc loquitur veritatem. Rom. iii. 4. „ Eſt autem „ Deus verax, omnis autem homo mendax, “ quantum eſt in ſe. Sed non omnis homo qui loquitur mendacium, loquitur ex propriis, quia quandoque hoc ab alio accipit: non quidem a Deo, qui eſt verax, ſed ab eo qui in veritate non ſtetit, & primo mendacium adinvenit. Et ideo ipſe ſingulariter cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. III. Reg. ult. 22. „ Egrediar, & ero ſpiritus „ mendax in ore omnium Prophetarum eius. “ Eſa. xix. 14. „ Dominus immiſcuit (ideſt mi- „ ſcere permiſit) in medio eius ſpiritum er- „ roris. “

(g) Propoſitum autem manifeſtat cum dicit: *Quia mendax eſt, & pater eius*. Quod quidem Manichæi male intelligentes, ponebant dæmonum generationes, putantes diabolum patrem habere. Unde dicebant, quod diabolus *mendax eſt, & pater eius*, ideſt diabolus. Quod quidem non ſic eſt intelligendum. Nam Dominus dixit, quod diabolus eſt mendax, & pater eius, ideſt mendacii: non enim omnis qui mentitur, pater eſt ſui mendacii. Nam, ut Auguſtinus dicit, „ ſi ab alio men- „ dacium accepiſti, & dixiſti; tu quidem „ mentitus es, ſed pater mendacii non es. “ Diabolus vero, quia aliunde (*b*) non accepit mendacium, quo tamquam veneno hominem occideret, pater mendacii eſt, ſicut Deus pater eſt veritatis. Diabolus enim primo mendacium invenit, cum ſcilicet mulieri mentitus eſt: „ Nequaquam moriemini: “ Gen. iii. 4. Quod qualiter verum fuerit, rei eventus poſtmodum comprobavit.

Sciendum eſt autem, quod hæc verba ab illo loco, *Vos ex patre diabolo eſtis*, in Libro de Quæſtionibus novi & veteris teſtamenti exponuntur de Cain, hoc modo, ſecundum quod ille dicitur diabolus qui facit opera diaboli, & vos eum imitamini. Cain *homicida erat ab initio*, ex quo ſcilicet Abel fratrem ſuum occidit, & *in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo*. Et hoc apparet, quia cum Dominus quæreret ab eo (Gen. iv. 9.) „ Ubi eſt Abel „ fra-

(a) *Al.* quamvis quicumque mendacium ex propriis loquitur. (b) *Al. deeſt* non.

„ frater tuus? " reſpondit dicens: „ Neſcio „ Domine: numquid cuſtos fratris mei ſum „ ego? " Unde ipſe *mendax eſt*, *& pater eius*, ſcilicet diabolus, qui eſt pater eius impreſſione. Prima tamen expoſitio melior eſt.

LECTIO VII.

(a) EGo autem ſi veritatem dico, non creditis mihi.
(b) Quis ex vobis arguet me de peccato?
(c) Si veritatem dico, quare non creditis mihi?
(d) Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.
(e) Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?
(f) Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo;
(g) Sed honorifico Patrem meum.
(h) Et vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam. Eſt qui quærat, & iudicet.

(a) POſtquam poſuit diabolicam conditionem, hic conſequenter oſtendit Iudæos eſſe diabolicæ conditionis imitatores. Duas autem malitiæ conditiones Dominus diabolo aſcripſit, homicidium ſcilicet, & mendacium. Sed de homicidio quidem, in quo iſti diabolum imitabantur, reprehendit eos. Supra eodem: *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi a Deo*. Et ideo hoc prætermiſſo, redarguit eos de averſione eorum a veritate: & primo oſtendit eos eſſe averſos a veritate; ſecundo cauſam quam allegare poterant, excludit, ibi, *Quis ex vobis arguet me de peccato*? tertio veram cauſam averſionis concludit, ibi, *Si veritatem dico, quare non creditis mihi*? Dicit ergo primo: Dictum eſt, quod diabolus *mendax eſt*, *& pater eius*: quem quidem vos imitamini, quia veritati non vultis adhærere. Unde dicit: *Ego autem ſi veritatem dico* vobis, *non creditis mihi*. Luc. XXII. 67. „ Si autem dixero, non credetis mihi. " Supra III. 12. *Quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis*? Unde & Eſa. LIII. 1. conqueritur dicens: „ Domine, quis credit auditui noſtro? " Cauſa autem ſuæ infidelitatis, quam poterant Iudæi allegare, eſt peccatum in Chriſto: nam peccatori etiam in veritate non de facili creditur. Unde Pſal. XLIX. 16. „ Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras „ iuſtitias meas? " Poterant ergo dicere: Non credimus, quia peccator es.

(b) Et ideo hanc cauſam excludit, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato*? quaſi dicat: (a) Non habetis iuſtam cauſam quare mihi veritatem dicenti non creditis, cum in me nullum peccatum inveniri poſſit. I. Pet. II. 22. „ Qui peccatum non fecit, nec inventus „ eſt dolus in ore eius. " Secundum Gregorium, penſanda eſt Dei manſuetudo, qui non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores iuſtificare. Iob XXXI. 13. „ Si „ contempſi ſubire iudicium meum cum ſer„ vo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent „ adverſum me. " Admiranda eſt etiam Chriſti ſingularis puritatis excellentia: quia, ut Chryſoſtomus dicit, hoc nullus hominum fiducialiter potuit dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato*? niſi ſolus Deus noſter, qui peccatum non fecit. Prover. XX. 9. „ Quis poteſt „ dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum „ a peccato? " quaſi dicat, nullus niſi ſolus Deus. Et in Pſal. XIII. 3. „ Omnes declinaverunt, „ ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat „ bonum, non eſt uſque ad unum, " ideſt Chriſtum.

(c) Veram autem cauſam averſionis concludit, dicens: *Si veritatem dico*, *quare non creditis mihi*? & primo ponit eam; ſecundo Iudæorum contradictionem excludit, ibi, *Reſponderunt ergo Iudæi &c*. Circa primum tria facit. Primo ponit quæſtionem; ſecundo aſſumit rationabilem propoſitionem; tertio infert intentam concluſionem. Dicit ergo primo: Ex quo ergo non (b) poteſtis dicere, quod ideo non creditis mihi, quia peccator ſum, nunc reſtat quærere quare, *Si veritatem dico*, *non creditis mihi*, ex quo non ſum peccator; quaſi dicat: Si me, quem exoſum habetis, non poteſtis arguere de peccato, manifeſtum eſt quoniam propter veri-

(a) *Al.* Non habes iuſtam cauſam quare mihi veritatem dicenti non credis. (b) *Al.* poteritis.

Digitized by Google

tatem me odio habetis, quoniam dico me Filium Dei. Prover. xviii. 2. „ Non recipit ſtul„ tus verba prudentiæ, niſi ea dixerit quæ „ verſantur in corde eius. “

(d) Rationabilem autem propoſitionem, & veram aſſumit, dicens: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*. Ut enim dicitur Eccli. xiii. 19. „ omne animal diligit ſibi ſimile. “ Quicumque ergo eſt ex Deo, inquantum huiuſmodi, (*a*) ſimilitudinem habet horum quæ ſunt Dei, & eis inhæret. Unde *qui ex Deo eſt, verba Dei* libenter *audit*. Inſra xviii. 37. *Omnis qui eſt ex veritate, audit meam vocem*. Præcipue autem verbum Dei libenter audiri debet ab his qui ex Deo ſunt, cum ipſum ſit ſemen per quod in filios Dei generamur. Infra x. 35. *Illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt*. Et ideo ex hoc intentam concluſionem inſert, dicens: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*; quaſi dicat: Non ergo peccatum meum eſt cauſa incredulitatis veſtræ, ſed malitia veſtra. Eccli. vi. 21. „ Quam aſpera eſt nimium indoctis homini„ bus ſapientia! Et, (*b*) ut dicit Auguſtinus, ex Deo quidem ſunt ſecundum naturam, ſed ex Deo non ſunt vitio, & prava affectione: nam eis hoc verbum dictum eſt qui non ſolum peccato vitioſi erant, hoc enim commune omnibus erat, ſed etiam præcogniti quod non fuerant credituri ea fide qua poſſent a peccatorum obligatione liberari.

Notandum eſt autem, quod triplex eſt gradus male affectorum, ut dicit Gregorius. Nam quidam ſunt qui præcepta Dei nec aure corporis, ideſt exteriori auditu, dignantur audire: de quibus dicitur in Pſal. lvii. 5. „ Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures „ ſuas. “ Quidam vero ſunt qui hæc quidem corporis aure percipiunt, ſed nullo ea mentis deſiderio complectuntur, non habentes voluntatem implendi. Ezech. xxxiii. 31. „ Au„ diunt ſermones, & non faciunt eos. “ Quidam autem ſunt qui libenter verba Dei ſuſcipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, ſed poſt lacrymarum tempus, vel tribulationibus oppreſſi, aut allecti deliciis, ad iniquitatem redeunt: cuius exemplum habetur Matth. xiii. & Luc. viii. de verbo a ſolicitudinibus ſuffocato. Ezech. iii. 7. „ Domus Iſrael nolunt audire te, quia nolunt „ audire me. “ Eſt ergo ſignum quod homo ſit a Deo, (*c*) ſi libenter audit verba Dei; ſed qui recuſant audire affectu, vel effectu, ex Deo non ſunt.

(e) Hic excludit Iudaicam contradictionem: & primo ponit Evangeliſta Iudæorum contradictionem; ſecundo Domini excluſionem, ibi, *Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo*. Duo autem imponunt Iudæi Chriſto in eorum contradictione. Primo quidem quod ſit Samaritanus, cum dicunt: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es?* ſecundo vero quod dæmonium habeat: unde ſubdunt, *Et dæmonium habes*. In hoc autem quod dicunt, *Nonne bene dicimus nos?* datur intelligi quod hoc verbum frequenter Domino improperabant. Et quidem de ſecundo quod ſit dæmoniacus, legimus Matth. ix. 34. & xii. 24. cum dicebant: „ In Beelzebub principe dæmoniorum „ eiicit dæmones. “ Sed quod dixerunt eum Samaritanum, nuſquam niſi hic in Evangelio invenitur, licet forte hoc multoties dixerunt: multa enim dicta, & facta ſunt erga Ieſum, & a Ieſu quæ non ſunt ſcripta in Evangeliis, ut dicitur infra xx. Duplex autem cauſa aſſignari poteſt quare Iudæi hoc Chriſto dicebant. Una quidem, quia Samaritani gens odioſa erat pro populo Iſraelitico, eo quod decem tribubus in captivitatem ductis, terram eorum poſſidebant. Supra iv. 9. *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. Quia ergo Chriſtus Iudæos arguens, credebatur a Iudæis quod hoc ex odio faceret, ideo eum Samaritanum, & quaſi adverſarium reputabant &c. Alia ratio, quia Samaritani partim quidem ſervabant ritus Iudaicos, partim vero non. Videntes ergo Iudæi Chriſtum in aliquo legem ſervantem, & in aliquo diſſolventem, utpote ſabbatum, vocabant eum Samaritanum. Similiter autem duplici de cauſa dicebant eum dæmonium habere. Una quidem quia miracula quæ faciebat, & cogitationes eorum quas revelabat, non attribuebant virtuti divinæ in Chriſto; ſed arte dæmonum ipſum ea facere ſuſpicabantur: unde dicebant (Matth. xii. 24.) „ In Beelzebub principe dæmonio„ rum eiicit dæmones. “ Alia vero ratio eſt propter eius ſermones tranſcendentes capacitatem humanam, dicens, Deum Patrem ſuum eſſe, & deſcendiſſe de cælo &c. conſuetudo autem rudium eſt, quod cum talia audiunt, diabolica reputant: & ſic iſti credebant quod Chriſtus quaſi dæmonio plenus loqueretur. Inſra x. 20. *Alii dicebant: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis?* Dicunt autem hæc verba, ut arguant de peccato, contra illud quod dixerat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

(f) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo*, repellit Dominus Iudæorum contradictionem. Duo autem impoſuerant Chriſto, ſcilicet quod Samaritanus

(a) *Al.* eius ſimilitudinem. (b) *Al.* ut dicit Auguſtinus, cum dicit, Ex Deo &c. (c) *Al.* qui ſcilicet.

nus eſſet, & quod dæmonium haberet. Et de primo quidem Dominus non ſe excuſat; & hoc duplici de cauſa. Una quidem, ſecundum Origenem, quia Iudæi ſemper volebant ſe a Gentilibus ſeparare. Iam autem venerat tempus quo removenda erat diſtinctio Gentilium, & Iudæorum, & omnes ad viam ſalutis revocandi: & ideo Dominus ut oſtendat ſe veniſſe pro ſalute omnium, ut magis quam Paulus omnia factus, omnes nanciſcatur, I. Corinth. ix. ideo non negavit ſe eſſe Samaritanum. Alia ratio eſt, quia Samaritanus interpretatur cuſtos: & quia ipſe præcipue cuſtos noſter eſt, ſecundum illud Pſal. cxx. 4. „ Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſto„ dit Iſrael: " ideo ſe Samaritanum eſſe non negavit. Negat autem ſe dæmonium habere, dicens: *Ego dæmonium non habeo*. Et primo quidem repellit illatam iniuriam; ſecundo arguit iniuriantium pertinaciam, ibi, *Et vos inhonoraſtis me*. Circa primum duo facit. Primo repellit illatam iniuriam; ſecundo manifeſtat hoc per oppoſitum, ibi, *Sed honorifico Patrem meum*.

Notandum eſt autem circa primum, quod Dominus Iudæos corrigendo, frequenter eis dure locutus eſt: (Matth. xxiii. 14.) „ Væ „ vobis ſcribæ, & phariſæi hypocritæ! " & multa quæ leguntur in Evangeliis. Sed non invenitur quod Dominus Iudæis ſibi dura verba, vel facta inferentibus, iniurioſe, vel dure locutus fuerit; ſed, ut dicit Gregorius, iniuriam ſuſcipiens Deus, non contumelioſa verba reſpondet, ſed ſimpliciter dicit: *Ego dæmonium non habeo*. Ex qua re quid nobis innuitur, niſi ut eo tempore quo a proximis ex falſitate contumelias accipimus, etiam eorum verba mala taceamus, ne miniſterium iuſtæ correctionis in arma vertatur furoris? Et quod quæ ad Deum pertinent, (*a*) vindicare debemus; quæ vero ad nos, deſpicere.

Hoc autem verbum, ſcilicet *Ego dæmonium non habeo*, ſolus (*b*) Chriſtus dicere poteſt, ut Origenes dicit: nam ille nihil quod dæmonis eſt, leve videlicet, aut grave, in ſe habet: unde infra xiv. 30. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam*. II. Corinth. vi. 15. „ Quæ conventio Chriſti ad be„ lial? "

(g) Manifeſtat autem hoc quod dixit, per oppoſitum dicens: *Sed honorifico Patrem meum*. Diabolus enim honori Dei reſiſtit: qui ergo quærit Dei honorem, (*c*) alienus eſt a diabolo. Chriſtus ergo qui honorificat Patrem ſuum, ſcilicet Deum, dæmonium non habet. Eſt autem proprium Chriſto, & ſingulare quod honorificet Patrem ſuum, ut dicitur Malach. i. 6. „ Filius honorificat patrem. " Chriſtus autem ſingulariter eſt Dei Filius.

(h) Conſequenter cum dicit, *Et vos inhonoraſtis me*, arguit iniuriantium pertinaciam: & primo arguit iniuriantes; ſecundo excludit cauſam inopinatam arguitionis; tertio prædicit eis debitam damnationem. Dicit ergo primo: *Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me*; quaſi dicat: Ego facio quod debeo; vos facitis quod (*d*) non debetis; immo in hoc quod inhonoraſtis me, inhonoratis Patrem meum. Supra v. 23. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum*. Sed quia poſſent dicere: Nimis durus es, nimis de gloria tua curas, ſic nos arguens: ideo hoc excludens, ſubdit loquens inquantum eſt homo: *Ego gloriam meam non quæro*. Solus enim Deus eſt qui poteſt gloriam ſuam abſque culpa quærere; alii autem non niſi in Deo. II. Corinth. x. 17. „ Qui gloriatur, in „ Domino glorietur. " Infra (hoc cap.) *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt*.

Sed numquid Chriſtus inquantum homo non habet gloriam? Immo magnam per omnem modum: quia licet ipſe eam non quærat, *eſt tamen qui quærat*, ſcilicet Pater: nam dicitur in Pſal. viii. 7. „ Gloria, & honore coronaſti eum, " ſcilicet Chriſtum hominem. Et alibi xx. 6. „ Gloriam, & magnum decorem „ impoſuiſti ſuper eum. " Et non ſolum gloriam meam quæret in operantibus vivas veritatis cauſas; ſed & puniet, & condemnabit contradicentes gloriæ meæ: unde ſubdit, *Et iudicet*.

Sed contra. Supra v. 22. dicitur: *Pater non iudicat quemquam; ſed omne iudicium dedit Filio*. Reſpondeo: Pater non iudicat quemquam ſeorſum a Filio: quia etiam hoc iudicium quod faciet de eo quod iniuriamini mihi, per Filium faciet. Vel dicendum, quod iudicium quandoque pro condemnatione accipitur; & hoc iudicium Pater dedit Filio, quia ipſe ſolus apparebit in forma viſibili in iudicium, ut dictum eſt ſupra. Quandoque accipitur pro diſcretione; & de hoc loquitur hic. Unde dicit in Pſal. xlii. 1. „ Iudica me, „ Deus, & diſcerne cauſam meam; " quaſi dicat: Eſt Pater qui gloriam meam a veſtra diſcernet: vos enim pro ſæculo gloriari diſcernit: & gloriam Filii ſui quem unxit præ participibus ſuis, & qui ſine peccato eſt, vos vero homines cum peccato.

(a) *Al.* iudicare. (b) *Al. omittitur* Chriſtus. (c) *Al.* alicuius. (d) *Al. deeſt* non.

LECTIO VIII.

(a) AMen amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.

(b) Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ; & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum. Numquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? Et Prophetæ mortui ſunt. Quem teipſum facis?

(c) Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.

(d) Eſt Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus veſter eſt.

(e) Et non cognoviſtis eum.

(f) Ego autem novi eum. Et ſi dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſervo.

(g) Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.

(h) Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?

(i) Dixit eis Ieſus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.

(k) Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum; Ieſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo.

(a) SUpra (lect. II.) Dominus duo promiſerat eum ſequentibus, ſcilicet liberationem a tenebris, & adeptionem vitæ, dicens: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*. Et de primo quidem dictum eſt ſupra; nunc autem agitur de ſecundo, ſcilicet de adeptione vitæ per Chriſtum. Et primo proponit veritatem; ſecundo repellit Iudæorum contradictionem, ibi, *Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognovimus &c.* Sciendum eſt autem, quod quamvis Chriſtus laceſſitus eſſet iniuriis, & opprobriis, non tamen deſtitit a doctrina; ſed poſtquam habere dæmonium dictus eſt, prædicationis ſuæ beneficia largius impendit, dicens: *Amen amen dico vobis &c.* In quo datur nobis exemplum, quod cum malorum perverſitas creſcit, & per opprobria hominum conculcantur qui convertuntur, non ſolum prædicatio frangi non debet, ſed etiam augeri. Ezech. II. 6. „ Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas. “ II. Tim. II. 9. „ Laboro uſque ad vincula quaſi male operans; ſed verbum Dei non eſt alligatum. “ Duo autem facit Dominus in his verbis. Unum quidem eſt quod requirit, aliud quod promittit. Requirit quidem ſermonis ſui obſervationem: unde dicit: *Si quis ſermonem meum ſervaverit*: nam ſermo Chriſti veritas eſt; ideo debemus ipſum ſervare, primo quidem per fidem, & iugem meditationem: Prov. IV. 6. „ Serva eam, & ſervabit te: “ ſecundo vero per operis impletionem: infra XIV. 21. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. Promittit autem mortis liberationem: unde dicit: *Mortem non videbit in æternum*, ideſt non experietur. Eccli. XXIV. 30. „ Qui operantur in me (ſcilicet in divina ſapientia) non peccabunt; & qui elucidant me, vitam æternam habebunt. “ Et congrue tali merito debetur tale præmium. Nam vita æterna præcipue in divina viſione conſiſtit. Infra XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Huius autem viſionis quoddam ſeminarium, & principium in nobis fit per verbum Chriſti. Luc. VIII. II. „ Semen eſt verbum Dei. “ Sicut ergo ille qui ſervat ſemen alicuius plantæ, vel arboris ne corrumpatur, pervenit ad (a) perceptionem fructus, ita qui ſervat verbum Dei, pervenit ad vitam æternam. Levit. XVIII. 5. „ Quæ fecerit homo, vivet in eis. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt ergo Iudæi &c.* ponitur contradictionis Iudæorum confutatio. Contradicunt autem Chriſto tripliciter. Primo quidem falſitatis arguendo; ſecundo irridendo, ibi, *Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* tertio perſequendo, ibi, *Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum*. Circa primum duo faciunt. Primo conantur eum redarguere præſumptionis; ſecundo ad quædam eorum quæ dicta ſunt Chriſtus reſpondet,

(a) *Al.* perfectionem.

det, ibi, *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt*. Circa primum tria faciunt. Primo irrogant improperium; ſecundo proponunt factum, ibi, *Abraham mortuus eſt &c.* tertio interrogant, ibi, *Numquid tu maior es patre noſtro Abraham?* Irrogaverunt autem improperium mendacii, cum dicunt: *Nunc cognovimus, quia dæmonium habes*: & hoc ideo dixerunt, quia notum eſt apud Iudæos (a) quod adinventor peccatorum eſt diabolus, & præcipue mendacii, ſecundum illud III. Reg. ult. 22. „ Egrediar, & ero ſpiritus mendax „ in ore omnium prophetarum eius. " Quia autem videbatur eis hoc quod Dominus dixit, ſcilicet *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum*, apertum mendacium eſſe: nam ipſi tamquam carnales intelligebant de morte corporali, quod de ſpirituali, & æterna morte dixerat; & præcipue quia contrariatur auctoritati ſacræ Scripturæ, Pſal. lxxxviii. 49. „ Quis eſt homo „ qui vivit, & non videbit mortem, eruet „ animam ſuam de manu inferi? " ideo dicunt ei: *Dæmonium habes*; quaſi dicant: Ex inſtinctu dæmonis mendacium loqueris. Et ut convincant eum de mendacio, duo faciunt. Primo quidem proponunt mortem antiquorum; ſecundo vero repetunt verba Chriſti, ibi, *Et tu dicis &c.* Dicunt ergo: Vere falſum eſt quod loqueris: *Si quis ſermonem tuum &c.* nam *Abraham*, homo, *mortuus eſt*, ut patet Geneſ. xxv. Similiter *& Prophetæ* mortui ſunt. II. Reg. xiv. 14. „ Omnes morimur, & „ quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non „ revertuntur. " Et quidem licet mortui ſint corporaliter, non tamen mortui ſunt ſpiritualiter. Matth. xxii. 32. dicit Dominus: „ Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, „ & Deus Iacob. " Poſtea ſequitur: „ Non „ eſt Deus mortuorum, ſed vivorum. " Mortui ergo ſunt corpore, ſed vivunt ſpiritu, quia ſermonem Dei ſervaverunt, & vixerunt ex fide. Et de ea morte Dominus intelligebat, non de corporali. Verbum autem Chriſti repetunt cum ſubdunt: *Et tu dicis: Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum*. Velut incauti, & maligni auditores, dominicum ſermonem confundentes, non repetunt eadem verba: nam Dominus dixit, *Mortem non videbit*; ipſi vero protulerunt, *Mortem non guſtabit*. Sed quantum ad eorum intentionem idem eſt, quia per utrumque ipſi intelligunt, quod mortem, ſcilicet corporalem, non experietur in æternum. Sed quantum ad verum intellectum differt, ut Origenes dicit, inter mortem guſtare & videre: nam videre mortem eſt eam perfecte experiri; guſtare autem eſt aliquem mortis guſtum, ſeu participationem habere. Sicut autem eſt plus ad pœnam videre mortem, quam guſtare, ita plus eſt ad gloriam non guſtare mortem, quam non videre. Illi enim non guſtant qui in alto ſunt cum Chriſto, ſcilicet in intellectuali loco ſtatum obſervant: de quibus dicitur Matth. xvi. 28. „ Sunt de „ hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, „ donec videant Filium hominis venientem „ in regno ſuo. " Aliqui tamen ſunt qui ſi non videant (b) mortem mortaliter peccando, tamen aliquid guſtant per aliquam levem terrenorum affectionem: & ideo Dominus, ut habetur in Græco, & Origenes etiam exponit, dixit: *Mortem non videbit in æternum*: quia (c) qui ſermonem Chriſti acceperit, & cuſtodierit, etſi guſtet aliquid, non tamen videbit mortem. Interrogant autem cum dicunt: *Numquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt?* Et primo quidem quærunt de comparatione ipſius ad antiquos patres: *Numquid*, inquiunt, *tu maior es patre noſtro Abraham?* Poterant, ut Chryſoſtomus dicit, ſecundum carnalem eorum intellectum, altius quærere: Numquid ſcilicet tu maior es Deo? nam Abraham, & Prophetæ mandata Dei ſervaverunt, & tamen corporaliter mortui ſunt. Sic ergo ſi qui ſermonem tuum ſervaverit, non morietur, videtur quod ſis maior Deo. Sed contenti ſunt hac redargutione, quia putabant eum minorem quam Abraham; cum tamen ſit ſcriptum in Pſal. lxxxv. 8. „ Non eſt ſimi- „ lis tui in diis, Domine. " Et Exod. xv. 11. „ Quis ſimilis tui in fortibus, Domine? " quaſi dicat, nullus. Secundo quærunt de ſua æſtimatione, quem ſcilicet ſeipſum facit; quaſi dicant: Si tu es maior iſtis, ſcilicet Abraham, & Prophetis, videtur per hoc intelligi quod ſis altioris naturæ, puta Angelus, vel Deus. Sed hoc non æſtimamus de te: & ideo non dicunt, Tu quis es? ſed *Quem te ipſum facis?* quia quicquid dicitur ſupra iſtis, nos (d) recognoſcentes de te, reputabimus quod tu illud fingas. Similiter dicebant infra x. 33. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.*

(c) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus &c.* ponitur reſponſio Domini. Et primo reſpondet ſecundæ (e) quæſtioni; ſecundo vero primæ, ibi, *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum*. Circa primum tria facit Dominus. Primo excludit falſitatem quam in-

(a) *Al.* quam. (b) *Al.* deeſt mortem. (c) *Al.* ſi. (d) *Al.* recognoſcemus. (e) *Al.* poſitioni.

Digitized by Google

intendebant; ſecundo docet veritatem, quam ignorabant, ibi, *Eſt Pater meus qui glorificat me*; tertio manifeſtat utrumque, quod proponebant, ibi, *Et non cognoviſtis eum*. Dicit ergo: Quæritis me dicentes: *Quem teipſum facis?* ac ſi gloriam quam non habeo, mihi uſurpem. Sed ſupervacua fuit bæc prolatio, quoniam non me facio id quod ſum, ſed ex Patre recepi: nam *ſi ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt*: quod ſecundum hunc modum poſſet intelligi de Chriſto ſecundum quod eſt Filius Dei, (*a*) ut dicatur cum præciſione: *Si ego*, ſcilicet ſolus, *glorifico meipſum*, ideſt attribuam mihi gloriam, quam Pater mihi non attribuat, *gloria mea nihil eſt*: nam gloria Chriſti, ſecundum quod eſt Deus, eſt gloria Verbi & Filii Dei; Filius autem nihil habet niſi natus, ideſt quod naſcendo ab aliquo recepit: ſi ergo detur per impoſſibile quod gloria ſua non eſſet ab alio, non eſſet gloria Filii. Melius tamen videtur quod dicatur de Chriſto ſecundum quod homo: nam quicumque attribuit ſibi gloriam quam non habet a Deo, gloria illa eſt falſa: nam quicquid veritatis eſt, a Deo eſt; quod autem eſt veritati contrarium, falſum eſt, & per conſequens, nihil. Gloria ergo quæ a Deo non eſt, nihil eſt. Hebr. v. 5. dicitur de Chriſto, quod „ non ſeipſum clarificavit, ut Pontifex „ fieret. " II. Corinth. x. 18. „ Non enim qui „ ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed „ quem Deus commendat. " Sic ergo patet Iudæorum falſitas.

(d) Veritatem autem, quam intendit docere, ponit dicens: *Eſt Pater meus qui glorificat me*; quaſi dicat: Non ego meipſum glorifico, ſicut vos fingitis; ſed alius eſt qui me glorificat, ſcilicet *Pater meus*: quem quidem deſcribit ex proprietate, & ex natura. Ex proprietate quidem paternitatis: unde dicit: *Eſt pater meus*, & non ego.

Ex quo quidem verbo, ut Auguſtinus dicit, calumniantur Arriani fidei noſtræ, dicentes maiorem eſſe Patrem Filio: nam maior eſt qui glorificat, eo qui glorificatur ab ipſo. Si ergo Pater glorificat Filium, Pater maior eſt Filio. Sed dicendum, quod apparentiam quidem haberet argumentum, niſi inveniretur e converſo quod Filius glorificet Patrem: dicit enim Filius, infra xvii. 1. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*. Et in eodem verſ. 4. *Ego te clarificavi ſuper terram*. In Græco autem idem eſt glorifica, & clarifica; (*b*) & ſecundum Ambroſium, „ gloria eſt clara cum laude „ notitia. " Hoc autem quod dicit, *Eſt Pater meus qui glorificat me*, poteſt referri ad Chriſtum & ſecundum quod eſt Filius Dei, & ſecundum quod eſt Filius hominis. Secundum quidem quod eſt Filius Dei, Pater glorificat eum gloria divinitatis, ab æterno eum ſibi æqualem generando. Hebr. i. 3. „ Qui „ cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtan„ tiæ eius .... ſedet ad dexteram maie„ ſtatis in excelſis. " Phil. ii. 11. „ Omnis „ lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chri„ ſtus in gloria eſt Dei Patris. " Secundum vero quod homo, habuit gloriam per redundantiam divinitatis in ipſum, & gratiæ, & gloriæ ſingularis. Supra i. 14. *Vidimus gloriam eius* (*c*), *gloriam quaſi Unigeniti a Patre, plenum gratia, & veritatis*.

Ex natura vero divinitatis deſcribit eum, cum dicit: *Quem vos dicitis quia Deus veſter eſt*. Ne autem alium Patrem putes quam Deum, dicit ſe glorificari a Deo. Infra xiii. 31. *Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo*.

Sed, ſecundum Auguſtinum, hoc verbum eſt contra Manichæos, qui dicunt, annuntiatum non eſſe in veteri teſtamento Patrem Chriſti, ſed eſſe aliquem ex principibus malorum Angelorum. Conſtat autem quod Iudæi non dicunt alium Deum ſuum eſſe quam Deum veteris teſtamenti. (*d*) Ergo Deus veteris teſtamenti eſt Pater Chriſti glorificans eum.

(e) Manifeſtat autem utrumque, ſcilicet Iudæorum falſitatem, & ſuam veritatem, cum dicit: *Et non cognoviſtis eum*. Manifeſtat autem dupliciter. Primo quidem oſtendendo Iudæorum ignorantiam; ſecundo ſuam notitiam, ibi, *Ego autem cognovi eum*. Circa primum ſciendum, quod poſſent Iudæi dicere: Tu dicis, quod glorificaris a Deo; ſed nobis nota ſunt iudicia eius, ſecundum illud Pſal. cxlvii. 20. „ Non fecit taliter omni nationi, „ & iudicia ſua non manifeſtavit eis. " Ergo ſi verum eſt quod dicis, nos utique ſciremus hoc: cum ergo nos lateat, conſtat quod non eſt verum. Et ideo concludens dicit: *Et non cognoviſtis eum*; quaſi dicat: Non mirum eſt ſi non cognoſcitis gloriam qua me glorificat Pater meus, quem dicitis Deum veſtrum, quia nec ipſum Deum cognoſcitis.

Sed contra. Pſal. lxxv. „ Notus in Iudæa „ Deus. " Reſpondeo: Ut Deus, ſed non ut Pater, notus eſt ab eis: unde ſupra dixit: *Eſt Pater meus qui glorificat me*. Vel dicendum, quod non cognoviſtis eum affectu: quia carnaliter colitis qui ſpiritualiter colendus eſt. Supra iv. 24. *Spiritus eſt Deus, & eos qui*

(a) *Al.* unde. (b) *Al.* ſed. (c) Al. omittitur hic *gloriam*. (d) *Al. deeſt* Ergo.

qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Item affectu, quia mandata eius adimplere contempſiſtis. Ad Tit. I. 16. „ Confitentur ſe noſſe Deum; factis autem negant. “

(f) Sed quia poſſent dicere: Eſto quod nos (a) non cognoſcamus gloriam tuam, quomodo cognoſcis tu gloriam te a Deo Patre habere? (b) ideo ſubiungit notitiam ſuam, dicens: *Ego autem novi eum*: & primo ponit ſuam notitiam; ſecundo oſtendit neceſſitatem huius notitiæ proferendæ, ibi, *Et ſi dixero quod non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax*; tertio exponit quod dicit, ibi, *Sed ſcio eum*. Dicit ergo: Ideo ſcio me habere gloriam a Deo Patre, quia *ego novi eum*, ea ſcilicet notitia qua ipſe novit ſeipſum, (c) & nullus alius niſi Filius. Matth. 11. 27. „ Nemo novit „ Filium niſi Pater, nec Patrem quis novit „ niſi Filius, “ ſcilicet cognitione perfecta comprehenſionis. Et quia omne imperfectum a perfecto initium ſumit, inde eſt quod omnis noſtra cognitio a Verbo derivatur: unde ſequitur (ibid.) „ Et cui voluerit Filius „ revelare. “ Sed quia ſecundum carnem iudicantibus poſſet Chriſto ad arrogantiam aſcribi dicenti ſe noſſe Deum, ideo ſubdit neceſſitatem dicti ſui, cum ſubiungit: *Et ſi dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax*. Nam, ſecundum Auguſtinum, non eſt ſic arrogantia vitanda ut relinquatur veritas, & incurratur mendacium. Ideo dicit: *Si dixero*; quaſi diceret: Sicut vos dicentes ſcire eum, mentimini; ita ego *ſi dixero* me neſcire, cum ſciam eum, *ero ſimilis vobis mendax*. Unde hæc ſimilitudo ſequitur a contrario, ut ſit ſimilitudo in mendacio: quia ſicut iſti mentiuntur dicentes ſe ſcire eum quem neſciunt; ita Chriſtus eſſet mendax, ſi diceret ſe neſcire quem novit. Sed diſſimilitudo eſt in cognitione: quia iſti non cognoſcunt, Chriſtus vero ſcit eum.

Sed numquid potuiſſet Chriſtus hoc dicere? Potuiſſet quidem verba proferre materialiter, ſed non intendere exprimere falſitatem: quia hoc non potuiſſet fieri niſi per inclinationem voluntatis Chriſti ad falſum, quod erat impoſſibile, ſicut impoſſibile erat eum peccare: nihilominus tamen conditionalis eſt vera, licet antecedens, & conſequens ſit impoſſibile.

Quod autem Patrem cognoſcat, manifeſtat ſubdens: *Sed ſcio eum*: & cognitione ſpeculativa, cum dicit, *Scio*, intellectualiter per dictam cognitionem, *eum*, ſcilicet Patrem: item cognitione (d) affectiva, ſcilicet per conſenſum voluntatis ad ipſum: unde dicit *Et ſermonem eius ſervo*. Supra VI. 38. *Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me*.

(g) Conſequenter cum dicit, *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum*, reſpondet primæ quæſtioni quam fecerant ei Iudæi, dicentes: *Numquid tu maior es patre noſtro Abraham?* oſtendens ſe maiorem, tali ratione. Quicumque enim expectat bonum ab aliquo, & perfectionem ſuam, eſt minor eo a quo expectat; ſed Abraham totam ſpem ſuæ perfectionis, & ſui boni habuit in me: ergo eſt me minor. Et quantum ad hoc dicit, *Abraham pater veſter*, de quo ſcilicet gloriamini, *exultavit ut videret diem meum*. Ubi ponit duplicem viſionem, & duplex gaudium, ſed (e) alio & alio ordine. Nam primo præmittit gaudium exultationis, dicens, *Exultavit*; & ſubdit viſionem, dicens, *Ut videret*. Deinde præmittit viſionem, dicens, *Vidit*; & ſubdit gaudium, dicens, *Et gaviſus eſt*. Et ſic gaudium conſiſtit inter duas viſiones, procedens ab una, & tendens in aliam; quaſi dicat: *Vidit, & gaviſus eſt ut videret diem meum*. Primo ergo videndum quis ſit iſte dies quem vidit, & exultavit ut videret. Eſt autem duplex dies Chriſti, ſcilicet æternitatis: de quo in Pſal. II. 7. „ Ego hodie genui te. “ Item dies incarnationis, & humanitatis: de quo infra IX. 4. *Me oportet operari ..... donec dies eſt*. Rom. XIII. 12. „ Nox præceſſit, dies „ autem appropinquavit. “ Utroque ergo modo dicimus, quod Abraham vidit primo diem Chriſti, ſcilicet æternitatis, & incarnationis per fidem. Geneſ. XV. 6. „ Credidit Abraham „ Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. “ Et quod vidit diem æternitatis, manifeſtum eſt: alias enim non fuiſſet iuſtificatus a Deo: quia, ut dicitur Heb. 11. 6. „ accedentem ad „ Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. “ Quod autem viderit diem incarnationis, manifeſtatur ex tribus, ſcilicet ex iuramento quod exegit a ſervo: nam Geneſ. XXIV. 2. ait ſervo ſuo quem mittebat: „ Pone manum ſubter femore meo, & iura mihi per Deum cæli. “ Ex quo, ut dicit Auguſtinus, (f) ſignabatur, quod de femore eius proceſſurus eſſet Deus cæli. Secundo, ut Gregorius dicit, cum in figura ſummæ (g) Trinitatis tres Angelos hoſpitio ſuſcepit. Tertio quando cognovit præfiguratam paſſionem Chriſti (h) in oblatione arietis, & Iſaac, Geneſ. XXII. Sic ergo ex hac viſione gaviſus eſt; ſed non quievit in ea, immo ex hac exultavit in aliam viſio-

(a) *Al.* deeſt non. (b) *Al.* & ideo. (c) *Al.* & nullus alius Filius. (d) *Al.* effectiva. (e) *Al.* ab alio. (f) *Al.* ſignabat. (g) *Al.* æternitatis. (h) *Al.* deeſt in.

viſionem, ſcilicet apertam, & per ſpeciem, quaſi totum gaudium ſuum in ea ponens: unde dicit: *Exultavit ut videret*, aperta viſione, *diem meum*, ſcilicet divinitatis, & humanitatis meæ. Luc. x. 24. „ Multi Reges, „ & Prophetæ voluerunt videre quæ vos vi„ detis, & non viderunt. “

(h) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt ergo Iudæi ad eum &c.* oſtendit quomodo Iudæi irrident verba Chriſti. Et primo ponitur irriſio verborum Chriſti a Iudæis ad confutandum; ſecundo ſubditur manifeſtatio ipſorum verborum a Chriſto, ad irriſionem vitandam, ibi, *Dixit ergo Ieſus*: *Amen amen dico vobis &c.* Quia ergo Chriſtus dixerat, quod Abrabram exultavit ut videret diem ſuum, Iudæi carnalem mentem habentes, & in eo ſolam carnis ætatem penſantes, irrident dictum, & dicunt: *Quinquaginta annos nondum habes*. Vere quinquaginta annos non habebat, nec etiam quadraginta, ſed circa triceſimum (*a*) annum erat. Luc. III. 23. „ Erat Ieſus inci„ piens quaſi annorum triginta. “ Quod autem dicunt, *Quinquaginta annos nondum habes*, ideo forte eſt, quia apud Iudæos annus iubilæus in maxima reverentia habebatur, quaſi per eum omnia computantes, in quo & captivos manumittebant, & emptitiis cedebant poſſeſſionibus; quaſi dicant: Tu nondum exceſſiſti ſpatium unius iubilæi, *& Abraham vidiſti*? Quamvis Dominus non dixerit, (*b*) quod viderit Abraham, ſed quod Abraham diem eius vidit.

(i) Et ideo Dominus ut irriſionem vitet, reſpondens Iudæis, verba ſua exponit, dicens: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum*: in quibus verbis Dominus (*c*) duo de ſe notabilia, & efficacia contra Arrianos dicit. Unum eſt, quia, ut dicit Gregorius, coniungit ſimul verbum præſentis temporis, & præteriti: *Ante* enim ſignificat præteritum; *ſum* temporis præſentis eſt. Ut ergo oſtenderet ſe eſſe æternum, & eſſe ſuum eſſe æternitatis inſinuet, non ait, Ante Abraham ego fui; ſed, Ante Abraham ego ſum: nam eſſe æternum (*d*) non novit tempus præteritum, & futurum, ſed in uno indiviſibili includit omne tempus. Unde dici poteſt illud Exod. III. 14. „ Qui eſt miſit me „ ad vos: “ & „ Ego ſum qui ſum. “ Ante ergo, vel poſt Abraham habuit eſſe, qui & accedere potuit per exhibitionem præſentis, & recedere per curſum vitæ. Aliud eſt, ſecundum Auguſtinum, quia cum loqueretur de Abraham, qui creatura eſt, non dixit, Antequam Abraham eſſet, ſed *Antequam fieret*. Sed loquens de ſe, ut oſtendat quod non eſt factus ut creatura, ſed ab æterno de eſſentia Patris genitus, non dicit, Ego fio, ſed *Ego ſum*, qui *in principio erat Verbum*: ſupra I. Prov. VIII. 25. „ Ante omnes colles gene„ ravit me Dominus. “

(k) Conſequenter cum dicit, *Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum*, ponitur intentio Iudæorum contra Chriſtum: & primo ponitur Iudæorum perſecutio; ſecundo Chriſti evaſio. Sed perſecutio Iudæorum procedit ex infidelitate: nam mentes infidelium æternitatis verba ſuſtinere non valentes, nec intelligere ea, reputabant blaſphemiam; & ideo ſecundum legis mandatum, eum tamquam blaſphemum lapidare volentes, *tulerunt lapides, ut iacerent in eum &c.* Et, ut dicit Auguſtinus, tanta duritia lapidum, quo curreret niſi ad lapides? Infra x. 33. *De bono opere non lapidamus te*. Simile faciunt qui ex duritia cordis non intelligentes veritatem aperte prolatam, blaſpbemant proferentem: unde dicitur in Canonica Iudæ verſ. 10. „ Quæcum„ que non noverunt, blaſphemant. “ Evaſio autem Chriſti eſt ex eius poteſtate: unde ſequitur: *Ieſus autem abſcondit ſe*: qui ſcilicet ſi divinitatis ſuæ potentiam exercere voluiſſet in ſuis actibus, eos ligaret, aut in pœnas ſubitæ mortis obrueret. *Abſcondit autem ſe*, ſpecialiter propter duo. Primo ut daret fidelibus ſuis exemplum declinandi perſecutores ſuos. Matth. x. 23. „ Si vos perſecuti „ fuerint in una civitate, fugite in aliam. “ Secundo quia non elegerat hoc genus mortis, ſed potius in ara crucis voluit immolari; & quia nondum impletum erat tempus, adhuc fugit. Sic ergo tamquam homo a lapidibus fugit. Non autem abſcondit ſe ſub lapide, vel in angulo, ſed poteſtate ſuæ divinitatis, inviſibilem ſe eis exhibens, exivit, & receſſit de templo. Simile fecit Luc. IV. quando voluerunt eum præcipitare de ſupercilio montis. Per quod, ut Gregorius dicit, datur intelligi quod illis ipſa veritas abſconditur qui eius verba ſequi contemnunt. Eam quippe quam non invenit humilem veritas fugit mentem. Eſa. VIII. 17. „ Qui abſcondit „ faciem ſuam a domo Iacob. “ Et ſimiliter etiam (*e*) quia debebat eos, correctionem, & veritatem non ſuſcipientes, relinquere, & ire ad gentes. Matth. XXIII. 38. „ Ecce „ relinquetur vobis domus veſtra deſerta. “

(a) *Al. omittitur* annum. (b) *Al.* quod viderit Abraham, diem eius vidit. (c) *Al. deeſt* duo. (d) *Al. deeſt* non. (e) *Al.* quam dicebat eos.

CA-

CAPITIS NONI

L E C T I O I.

(a) ET præteriens Ieſus, vidit hominem cæcum a nativitate. (b) Et interrogaverunt eum diſcipuli eius: Rabbi, quis peccavit? Hic, aut parentes eius, ut cæcus naſceretur?

(c) Reſpondit Ieſus: Neque hic peccavit, neque parentes eius; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.

(d) Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt.

(e) Venit nox, quando nemo poteſt operari.

(f) Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.

* (g) Hoc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur Miſſus. Abiit ergo, & lavit; & venit videns.

(a) POſtquam Dominus doctrinæ ſuæ illuminativam virtutem oſtendit verbo, hic conſequenter confirmat eam facto, cæcum corporaliter illuminando. Et circa hanc illuminationem tria ponuntur. Primo infirmitas; ſecundo infirmitatis ſanatio, ibi, *Hoc cum dixiſſet, expuit in terram &c.* tertio de ſanatione, Iudæorum diſceptatio, ibi, *Itaque vicini &c.* Circa primum duo facit. Primo ponitur infirmitas; ſecundo inquiritur cauſa eius, ibi, *Interrogaverunt eum diſcipuli*. Sciendum eſt circa primum, quod Ieſus abſcondens ſe, & de templo recedens, dum præteriret, vidit hunc cæcum. Et hoc eſt quod dicit: *Et præteriens Ieſus, vidit hominem cæcum a nativitate*. Ubi tria conſiderantur. Primo quidem præterivit, ut declinaret Iudæorum furorem. Eccli. VIII. 13. „ Ne accendas carbones peccatorum, arguens eos, „ & ne incendaris flamma ignis peccatorum „ illorum. “ Secundo ut emolliret Iudæorum duritiam, ex miraculo facto, & fiendo. Infra XV. 24. *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Tertio ut per operationem ſigni, verba ſua firmaret: nam facta Domini, eorum quæ dicta ſunt a ſe, faciunt fidem. Mar. ult. 20. „ Sermonem confirmante, ſequentibus ſignis. “

Myſtice autem, ſecundum Auguſtinum, genus humanum eſt iſte cæcus. Nam (a) ſpiritualis cæcitas peccatum eſt. Sapient. II. 21. „ Excæcavit eos malitia eorum. “ Qui a nativitate cæcus eſt, quia ex ſua origine trahit peccatum. Hæc enim cæcitas contigit per peccatum in homine primo, de quo omnes originem traduximus. Epheſ. II. 3. „ Eratis „ natura (ideſt naturali origine) filii iræ. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Et interrogaverunt eum diſcipuli eius*, agitur de cauſa ipſius infirmitatis: & primo inquiritur cauſa ipſius a diſcipulis; ſecundo manifeſtatur a Chriſto, ibi, *Neque hic peccavit*.

Circa primum tria quærenda occurrunt. Primum eſt cauſa inquiſitionis diſcipulorum a Chriſto, quæ eſt, ut Chryſoſtomus dicit, quia Ieſus egrediens de templo, & videns hunc cæcum valde ſtudioſe reſpexit, quaſi videns in eo (b) materiam operandæ virtutis; ita ut diſcipuli hoc videntes, ſcilicet eum ſtudioſe videntem, moti fuerunt ad interrogandum. Secundo diſcipulorum diligentia, quia dicunt, *Rabbi*, vocantes eum magiſtrum, ut innuant ſe ſic quærere, quaſi diſcere deſiderantes. Tertio quare quærentes cauſam peccati, dixerunt, *Quis peccavit?*

Dicendum, (c) ſecundum Chryſoſtomum, quod quia Dominus ſupra V. 14. ſcilicet quando paralyticum ſanavit, dixerat ei: *Ecce iam ſanus factus es: vade, & amplius noli peccare*: cogitaverunt diſcipuli, quod propter peccatum ei illa infirmitas accidiſſet, æſtimantes ulterius quod omnis humana infirmitas proveniret ex peccato, ſecundum quod Eliphaz dicit, Iob IV. 7. „ Quis umquam innocens „ periit? “ Et ideo quærebant utrum ex peccato ſuo, vel parentum cæcus natus fuiſſet. Sed quod ex peccato ſuo eſſet, non videtur: quia nullus peccat antequam naſcatur; cum animæ ante corpora non fuerint, nec peccaverint, ut quidam falſo opinati ſunt: ſecundum illud Rom. IX. 11. „ Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſ- „ ſent, aut mali .... non ex operibus, ſed „ ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſer-

viet

(a) *Al.* ſpiritualiter. (b) *Al.* miſericordiam. (c) *Al.* Hoc dicunt quia ſupra &c.

„ viet minori. “ Quod autem hoc ex peccato parentum paſſus fuerit, non videtur: quia Deut. xxiv. 16. dicitur: „ Nnn occidentur patres pro filiis, nec filii pro parentibus. “

Sed ſciendum, quod eſt duplex pœna qua homines puniuntur. Una eſt ſpiritualis quantum ad animam; alia eſt corporalis quantum ad corpus. Et pœna quidem ſpirituali numquam filius pro patre punitur. Cuius ratio aſſignatur Ezech. xviii. 4. quia anima filii non eſt ex patre, ſed a Deo. „ Omnes (inquit) „ animæ meæ ſunt (ſcilicet per creatio- „ nem) ſicut anima patris, ita anima filii „ mea eſt: anima quæ peccaverit, ipſa pu- „ nietur. “ Hoc etiam dicit Auguſtinus in quadam epiſtola. Sed pœna corporali filius pro patre punitur, cum quantum ad corpus ſit quædam res patris. Et expreſſe hoc habetur Geneſ. xix. ubi filii Sodomorum occiſi ſunt pro peccato parentum in ſubverſione Sodomæ. Multoties etiam Dominus comminatur Iudæis occiſionem puerorum propter peccata parentum.

Quare autem uno peccato alius puniatur, ſciendum, quod pœna duo habet, læſionem, & remedium: nam aliquando abſcinditur membrum ut totum corpus conſervetur: & ſic pœna huius, læſionem inſert inquantum abſcinditur, ſed remedium habet inquantum conſervat corpus. Numquam tamen medicus nobilius membrum abſcindit propter conſervationem minus nobilis, ſed e converſo. In rebus autem humanis, anima nobilior eſt corpore, & corpus nobilius exterioribus rebus; & ideo numquam fit ut aliquis propter corpus in anima puniatur, ſed potius in corpore propter remedium animæ. Quandoque ergo Deus irrogat pœnas corporibus, vel rebus exterioribus, propter remedium bonum animæ: & tunc huiuſmodi pœnæ non inferuntur ut læſivæ tantum, ſed ut purgativæ in remedium. Unde & ipſa puerorum Sodomitarum occiſio fuit ad bonum animarum, non quidem ad meritum, ſed ne paternæ malitiæ imitatores, (a) vivendo peccata cumulantes, atrocius punirentur. Sic etiam pro peccatis parentum pluries aliqui puniuntur.

(c) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus &c.* manifeſtat Dominus cauſam infirmitatis: & primo excludit cauſam opinatam; ſecundo ſubdit veram; & tertio manifeſtat ipſam. Cauſam quidem opinatam excludit, cum reſpondit dicens: *Neque hic peccavit, neque parentes eius.* Hanc enim (b) eſſe cauſam infirmitatis, opinati ſunt diſcipuli, ut dictum eſt.

Sed contra. Rom. iii. 23. „ Omnes enim „ peccaverunt, & egent gloria Dei. “ Et ibid. v. dicitur, quod peccatum ab Adam in omnes pertranſiit. Reſpondeo dicendum, quod tam cæcus, quam parentes eius originali peccato tenebantur, & etiam alia actualia vivendo ſuperaddiderant: quia „ ſi dixerimus, „ quod peccatum non habemus, ipſi nos ſe- „ ducimus, & veritas in nobis non eſt: “ I. Ioan. i. 8. Quod autem Dominus dicit *Neque hic peccavit*, intelligendum eſt eos non peccaſſe, ad hoc quod cæcus naſceretur; quaſi diceret, quod eius cæcitas non eſt conſecuta ex eorum peccato.

Cauſam autem veram ſubdit dicens: *Sed ut manifeſtentur opera Dei in illo*: nam per opera Dei in eius cognitionem ducimur. Rom. i. 20. „ Inviſibilia Dei per ea quæ fa- „ cta ſunt, intellecta conſpiciuntur. “ Supra v. *Opera quæ dedit mihi Pater, hæc ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Cognitio autem Dei eſt ſummum bonum hominis, cum in ea conſiſtat hominis beatitudo. Infra xvii. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et Hier. ix. 24. „ In hoc glorietur qui glo- „ riatur, ſcire, & noſce me. “ Si ergo infirmitas contingit ut manifeſtentur opera Dei, & per ipſorum manifeſtationem Deus innoteſcit, manifeſtum eſt quod huiuſmodi corporales infirmitates contingunt propter bonum.

Poſſet autem alicui videri quod manifeſtatio operum Dei non ſit ſufficiens cauſa infirmitatis huiuſmodi; præſertim cum neque hic, neque parentes eius peccaverunt: & ideo volunt dicere, quod ly *ut* tenetur non cauſaliter, ſed conſequenter; quaſi dicat: Eo exiſtente cæco, opera Dei manifeſtantur ipſum curantis. Sed hoc non videtur ſane dictum; & ideo melius dicendum, quod tenetur cauſaliter. Eſt enim duplex malum, ſcilicet culpæ, & pœnæ. Sed malum quidem culpæ Deus non facit, ſed permittit fieri; quod non permitteret niſi intenderet inde bonum aliquod. Unde dicit Auguſtinus in Ench. „ Deus adeo bonus eſt quod numquam „ permitteret aliquod malum fieri, niſi eſſet „ adeo potens quod de qualibet malo eliciat „ bonum. “ Sic ergo permittit aliqua peccata fieri ex intentione boni quod intendit: ſicut permiſit ſævire tyrannos, ut coronaret Martyres. Multo ergo magis debet dici, quod malum pœnæ quod ipſe facit, ut dicitur Amos iii. 6. „ Non eſt malum quod „ Dominus non fecerit: “ numquam indu-

cit

(a) *Al.* vivendo peccata cumulaſſent, pro quibus acrius punirentur, ſicut & pro peccatis &c. (b) *Al. deeſt* eſſe.

Digitized by Google

cit niſi ex intentione boni. Et inter alia bona optimum eſt quod opera Dei manifeſtentur, & ex eis innoteſcat Deus. Non eſt ergo inconveniens ſi aliqua flagella immittit, vel peccata aliqua fieri permittit, ut bonum inde proveniat.

Et ſciendum, quod, ut Greogrius dicit I. Moral. quinque modis Deus hominibus immittit flagella. Quandoque quidem ad initium damnationis, ſecundum illud Hier. VII. 18. „ Duplici contritione contere eos. “ Et hoc flagello percutitur peccator in hac vita ſic ut ſine (*a*) retractatione, & ſine puniatur in alia: ſicut Herodes qui occidit Iacobum, punitus eſt in hac vita, & in inſerno ſimiliter: Act. XII. Quandoque autem ad correctionem; & de hac dicitur in Pſal. XVII. 36. „ Diſciplina tua ipſa me docebit. “ Quandoque autem flagellatur aliquis non propter præteritorum correctionem, ſed ad futurorum præſervationem: ſicut de Paulo legitur II. Cor. XII. 7. „ Ne magnitudo revelatio-„ num extollat me, datus eſt mihi ſtimulus „ carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me cola-„ phizet. “ Quandoque antem ad promotionem virtutis, ut ſcilicet cum in aliquo nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, dum inopinata ſalus perſecutionem ſequitur, ſalvantis virtute cognita, ardentius amatur. II. Corinth. XII. 9. „ Virtus in in-„ firmitate perficitur. “ Iacob. I. 4. „ Pa-„ tientia opus perſectum habet. “ Quandoque vero ad manifeſtationem divinæ gloriæ: unde & hic dicitur: *Ut manifeſtentur opera Dei in illo*.

(d) Conſequenter cum dicit, *Me oportet operari &c.* manifeſtat cauſam veram quam poſuit: & quia mentionem ſecerat de operibus Dei, ideo primo ponit opportunitatem opera Dei manifeſtandi; ſecundo aſſignat opportunitatis, ſeu neceſſitatis rationem, ibi, *Venit nox*; tertio eam exponit, ibi, *Quamdiu in mundo ſum*. Dicit ergo: Ideo ſcilicet cæcus natus eſt, *ut manifeſtentur opera Dei in illo*: quæ quidem manifeſtari oportebat: nam *me opertet operari opera eius qui miſit me*: quod quidem poteſt referri ad Chriſtum ſecundum quod homo; & ſic eſt ſenſus: *Me oportet operari opera eius qui miſit me*; (*b*) ideſt, opera commiſſa mihi a Patre. Supra VI. 36. *Opera qua dedit mihi Pater ut faciam*. Inſra VII. 4. dicit: *Pater, opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam*. Vel ad Chriſtum, ſecundum quod Deus; & ſic dicit æqualitatem ſuæ potentiæ ad Patrem, ut ſit ſenſus: *Me oportet operari opera eius qui miſit me*; ideſt, opera quæ habeo a Patre. Omnia enim que Filius ſacit, etiam ſecundum divinam naturam, a Patre habet. Supra v. 19. „ *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*. *Oportet*, inquam, *donec dies eſt*. Dies quidem materialis ex præſentia ſolis ſuper terram cauſatur. Sol autem iuſtitiæ eſt Chriſtus Deus noſter. Malach. IV. 2. „ Vobis timentibus nomen meum, orietur „ ſol iuſtitiæ. “ Quamdiu ergo ſol iſte nobis præſens eſt, opera Dei fieri poſſunt in nobis, erga nos, & a nobis. Præſens autem fuit nobis aliquando quidem corporali præſentia; & tunc dies erat: Pſal. CXVII. 24. „ Hæc dies quam ſecit Dominus, exulte-„ mns, & lætemur in ea. “ Et ideo oportet operari opera Dei. Eſt etiam nobis præſeus per gratiam, & tunc eſt dies gratiæ, in quo ſcilicet oportet operari opera Dei, *donec dies eſt*. Rom. XIII. 12. „ Nox præceſ-„ ſit, dies autem appropinquabit. Abiiciamus „ ergn opera tenebrarum, & induamur ar-„ ma lucis. “ I. Theſ. v. 7. „ (*c*) Qui dormi-„ unt, nocte dormiunt. Vos autem non eſtis „ in tenebris &c. “

Sed ſciendum, quod ſi præſentia ſolis facit diem, & abſentia noctem; cum ſol ſibi præſens ſit ſemper, ipſi ſoli ſemper dies eſt; & ſic ſoli ſemper eſt tempus operandi, & lucendi. Sed quantum ad nos, quibus aliquando eſt præſens, aliquando abſens, non ſemper operatur, & lucet. Eodem mndo apud Chriſtum ſolem iuſtitiæ, ſemper eſt dies, & tempus operandi; non autem apud nos: quia non ſemper ſumus capaces ſuæ gratiæ, propter impedimentum ex parte noſtra.

(e) Rationem autem opportunitatis prædictæ ſubdit, dicens: *Venit nox, quando nemo poteſt operari*. Sicut eſt duplex dies, ita eſt duplex nox. Una eſt per abſceſſum corporalem ſolis iuſtitiæ, ſicut Apoſtoli incurrerunt, quando Chriſto eis corporaliter ſublato tempore paſſionis, perturbati ſunt. Matth. XXVI. „ 31. Omnes vos ſcandalum patiemini in me in „ iſta nocte. “ Et tunc non ſuit tempus operandi, ſed patiendi. Sed melius eſt ut dicamus, quod etiam Chriſto abſente corporaliter per aſcenſionem, dies Apoſtolis erat, inquantum illucebat eis ſol iuſtitiæ; & tempus operandi: & ideo intelligendum eſt de nocte quæ eſt per ſpiritualem ſeparationem ſolis iuſtitiæ, ſcilicet per ſubtractionem gratiæ: quæ quidem nox duplex eſt. Una per ſuberactionem actualis gratiæ quam inducit peccatum mortale. I. Theſ. v. 7. (*d*) „ Qui „ dormiunt, nocte dormiunt. “ Et quando

(a) *Al.* retractione. (b) *Al.* &. (c) *Ibi*: „ Qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt. Nos autem qui diei ſumus, ſobrii ſimus. “ (d) *Al.* „ Qui dormivit, nocte dormivit: “

hæc nox venit, nemo poteſt operari opera meritoria vitæ æternæ. Alia nox eſt conſummata, quando non ſolum privatur actuali gratia quis per peccatum mortale, ſed etiam facultate adipiſcendi, per æternam damnationem in inferno, ubi profunda nox eſt, quæ erit illis quibus dicetur: „ Ite maledicti in ignem æternum: “ Matth. xxv. 41. Et tunc nemo poteſt operari, quia non eſt tempus merendi; ſed ſecundum merita recipiendi. Dum ergo vivis, fac ſicut facturus es: unde Eccle. ix. 10. „ Quæcumque poteſt manus tua, inſtanter operare: quia neque ratio, neque opus, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas. “

(f) Rationem autem dictorum exponit dicens: *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*; quaſi diceret: Si vultis ſcire quis ſit dies, & quæ nox, de quibus loquor; ego, inquam, *ſum lux mundi*: nam præſentia mea diem facit, & abſentia noctem. Supra viii. 12. *Ego ſum lux mundi*. *Quamdiu* ego *ſum in mundo*, corporaliter per meam præſentiam. Infra xvi. 28. „ Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. “ *Lux ſum mundi*: unde dies iſte duravit uſque ad aſcenſionem Chriſti. Item *quamdiu ſum in mundo*, ſpiritualiter per gratiam: Matth. ult. 20. „ Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi: “ *Lux ſum mundi*: unde dies iſte uſque ad conſummationem ſæculi extendetur.

(g) Conſequenter cum dicit, *Hoc cum dixiſſet, expuit in terram &c.* agitur de ſanatione cæci, ad quam quinque per ordinem concurrunt facta per Chriſtum. Primo quidem ſputatio, unde dicit, *Spuit in terram*; ſecundo luti factio, unde dicit, *Lutum fecit ex ſputo*; tertio oculorum linitio, unde dicit, *Et linivit ſuper oculos cæci*; quarto mandatum, quod lavaretur, unde dicit, *Vade* (inquit) *& lava in natatoria Siloe*; quinto viſionis perceptio, unde ſubdit, *Et venit videns*: quæ quidem omnia cauſam habent & litteralem, & myſticam. Litteralem quidem, ſecundum Chryſoſtomum, hoc modo. Sputo illuminat, ut oſtendat quod virtute a ſe egrediente hoc faciebat, & nulli alteri rei miraculum aſcribatur. Luc. vi. 19. „ Virtus exibat de illo. “ Licet enim omnia miracula Dominus ſolo verbo facere potuiſſet: „ quia ipſe dixit & facta ſunt: “ (Pſal. cxlviii. 5.) frequenter tamen corpore ſuo (a) in eis utitur, ut oſtendat ipſum, inquantum eſt divinitatis organum, virtutem quamdam ſalutarem eſſe ſortitum. Lutum autem fecit ex ſputo, ut oſtendat ſe membra homini deficientia poſſe formare, qui formaverat totum primum hominem. Unde ſicut primum hominem de luto formavit, ita lutum fecit, ut formaret oculos cæci nati. Linivit autem lutum ſuper oculos cæci nati, ut oſtenderet ſe conditorem corporum, per id quod potiſſimum eſt in corporibus. Homo enim inter creaturas corporales præcellentior eſt; inter membra vero hominis præcellit caput; inter membra autem capitis, oculus excellentior invenitur. Unde Matth. vi. 22. „ Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. “ Formando ergo oculum ceteris corporalibus excellentiorem, oſtendit ſe creatorem eſſe totius hominis, & naturæ corporeæ. Dixit autem ei, *Vade, & lava te in natatoria Siloe*, ne videretur terra ſuper oculos linita virtutem ſanativam oculi habere. Unde quamdiu lutum in oculis habuit, non vidit, ſed poſtquam lavit. Miſit autem eum longe ad lavandum, ſcilicet ad natatoria Siloe, primo quidem ad confutandam Iudæorum duritiam: nam oportebat eum tranſire civitatem, ut ſic omnes viderent eumdem cæcum euntem, lutum ſuper oculos habentem, & redeuntem viſu ſuo reſtituto. Secundo vero ut commendetur cæci obedientia, & fides: frequenter enim forte lutum in faciem receperat, frequenter in natatoria Siloe ſe laverat, & tamen non viderat. Unde potuiſſet dicere: Lutum ſolet magis excæcare, & multoties me ibidem lavi, & in nullo ſum adiutus, ſicut de Naaman legitur IV. Reg. v. Sed non contradixit; immo ſimpliciter obedivit: unde ſequitur, *Abiit, & lavit*. Ideo autem ad natatoria Siloe eum miſit, quia per illam aquam ſignatus eſt populus Iudæorum. Eſa. viii. 6. „ Populus iſte abiecit aquas Siloe, quæ currunt cum ſilentio. “ Ut ergo oſtendat quod non eſt alienus ab amore populi Iudaici, ad Siloe mittit eum. Effectus autem ſequitur, quia *venit videns*. Hoc prædictum fuit Eſa. xxxv. 5. „ Tunc aperientur oculi cæcorum. “

Cauſam vero myſticam, & allegoricam aſſignat Auguſtinus, qui dicit, quod per ſputum, quod eſt ſaliva de capite deſcendens, ſignatur Verbum Dei, quod a Patre capite omnium rerum procedit. Eccli. xxiv. 5. „ Ego ex ore Altiſſimi prodii. “ Tunc ergo Dominus de ſputo, & terra lutum fecit, quando Verbum caro factum eſt. Linivit autem oculo ſcæci, ideſt humani generis, oculos ſcilicet cordis, per fidem incarnationis Chriſti, ſed nondum videbat: quia quando forte inunxit, catechumenum fecit, qui fidem habet, ſed nondum eſt baptizatus.

Et

(a) *Al. deeſt in.*

Digitized by Google

Et ideo mittit eum ad piſcinam, quæ vocatur Siloe, ut lavetur, & illuminetur, ideſt baptizetur, & in baptiſmo plenam illuminationem recipiat. Unde, ſecundum Dionyſium, baptiſmus dicitur illuminatio. Ezech. XXXVI. 25. „ Effundam ſuper vos aquam mun„ dam, & mundabimini ab omnibus inquina„ mentis veſtris. “ Et ideo ſignanter hoc Evangelium legitur illo die in quadrageſima quo incipit fieri ſcrutinium baptizandorum in ſabbato ſancto. Nec ſine cauſa Evangeliſta ſubdit interpretationem piſcinæ, dicens: *Quod interpretatur Miſſus*: quia quicumque baptizantur, oportet baptizari in Chriſto, qui eſt miſſus a Patre. Galat. III. 27. „ Quot„ quot baptizati eſtis Chriſtum induiſtis.; “ Niſi enim ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrum eſſet ab iniquitate dimiſſus.

Secundum Gregorium autem, per ſalivam ſapor intimæ contemplationis accipitur, quæ ad os de capite defluit, quia de caritate conditoris adhuc in hac vita nos poſitos, guſtu revelationis tangit. Unde Dominus ſalivam luto miſcuit, & cæci nati oculos reparavit: quia ſuperna gratia carnalem cogitationem noſtram per mixtionem ſuæ contemplationis irradiat, & ab originali cæcitate homines ad intellectum reformat &c.

LECTIO II.

(a) ITaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic eſt qui ſedebat, & mendicabat? Alii dicebant, quia hic eſt: alii autem nequaquam; ſed ſimilis eſt eius. Ille vero dicebat, quia ego ſum.

(b) Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi?

(c) Reſpondit: Ille homo qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & lava. Et abii, & lavi, & video.

(d) Et dixerunt ei: Ubi eſt ille? Ait, Neſcio.

(e) Adducunt eum ad phariſæos, qui cæcus fuerat. Erat autem ſabbatum quando lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum phariſæi, quomodo vidiſſet. Ille autem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & lavi, & video.

(f) Dicebant ergo ex phariſæis quidam: Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Alii autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos.

(g) Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille dixit, quia Propheta eſt.

(h) Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocaverunt parentes eius qui viderat, & interrogaverunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis quia cæcus natus eſt? Quomodo ergo nunc videt?

(i) Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt; quomodo autem nunc videat, neſcimus; aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus: ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conſpiraverant Iudæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret. Propterea parentes eis dixerunt, quia ætatem habet, ipſum interrogate.

(a) POſita miraculoſa illuminatione cæci, hic conſequenter ponitur miraculi examinatio. Et primo quidem miraculum examinatur a populo; ſecundo a phariſæis, & principibus, ibi, *Adducunt eum ad phariſæos*; tertio cæcus propter ſuam confeſſionem inſtruitur a Chriſto, & commendatur, ibi, *Audivit Ieſus quia eiecerunt eum foras*. Circa primum tria facit: quia primo inquiritur de perſona illuminati; ſecundo de ipſa illuminatione, ibi, *Dicebant ergo ei &c.* tertio de perſona illuminantis, ibi, *Et dixerunt ei: Ubi eſt ille*? Circa primum tria facit. Primo ponitur quæſtio de perſona illuminati; ſecundo aſſumuntur diverſæ opiniones ad quæſtionem; tertio determinatur quæſtio. Ponitur quidem quæſtio a populo: unde dicit: *Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic eſt qui ſedebat, & mendicabat*? Ubi duo conſideranda occurrunt. Unum eſt quod ex miraculi magnitudine ipſum incredibile reddebatur: unde dicebant infra (hoc cap.) *A ſæculo non eſt auditum quod aperuerit quis oculos cæci nati*. Unde impletur in

eis quod dicitur Habac. I. 5. „ Opus factum „ eſt in diebus noſtris , quod nemo credet „ cum narrabitur. “ Aliud eſt mirabilis Dei clementia: quia non ſolum circa potentes , ſed etiam circa ignobiles Dominus miracula operatur , dum eos qui mendicant , cum multa pietate curabat: in quo oſtenditur quod propter paupertatem nullum repellit , qui propter ſalutem hominum venit . Iac. II. 5. „ Nonne Dominus elegit pauperes, divites in „ fide, & heredes regni? “ Unde & iſti ſignanter dicunt: *Nonne hic eſt qui ſedebat , & mendicabat*? quaſi dicant, ignobilis, & curatione indignus . Contra dicitur Baruch III. 26. „ Ibi gigantes nominati . “ Opiniones autem ponuntur a plebe: unde dicit : *Alii dicebant*, *quia hic eſt*, ſcilicet qui mendicabat; & hoc ideo , quia pluries eum viderant mendicantem, & ſimiliter diſcurrentem per civitatem, quando cum luto ad natatoria ibat, inſpexerant: unde non ultra poterant dicere , Non eſt hic . Sed aliorum opinio erat contraria : unde dicebant: *Nequaquam* , ſcilicet hic eſt , *ſed ſimilis eius eſt*. Cuius ratio eſt , quia , ut Auguſtinus dicit , oculi reſtituti mutaverant vultum eius. Nihil enim ita cognoſcibile ſicut viſus . Eccli. XIX. 26. „ Ex viſu cognoſcitur ſenſatus. “ Quæſtio determinatur per cæcum: quia *ille dicebat*, ſcilicet cæcus, *Ego ſum*, ſcilicet qui mendicabam. Vox grata eſt iſta, ne damnetur ingrata . Quia enim non poterat eſſe ingratus tanto beneficio , nec aliud ſignum gratitudinis oſtendere poterat , quam quod conſtanter confiteretur ſe a Chriſto curatum, dicit, *Ego ſum*, qui ſcilicet cæcus eram, & mendicabam , & modo video. Tob. XII. 6. „ Benedicite Deum cæli , & „ coram omnibus viventibus confitemini ei, „ quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Dicebant ergo ei*: *Quomodo aperti ſunt oculi tui*? agitur de inquiſitione facti, ſcilicet de ipſa illuminatione: & primo ponitur quæſtio Iudæorum ; ſecundo reſponſio cæci, ibi, *Reſpondit : Ille homo qui dicitur Ieſus , lutum fecit &c.* Dicit ergo: Si tu es ille qui cæcus mendicabas, dic ergo nobis: *Quomodo aperti ſunt tibi oculi*? Sed iſta quæſtio ex curioſitate procedit : quia hunc modum nec ipſe qui curatus eſt, nec nos novimus. Eccli. III. 24. „ In pluribus operibus eius „ ne fueris curioſus. “

(c) Reſponſio cæci fuit mirabilis: unde dicit: *Reſpondit: Ille homo qui dicitur Ieſus , lutum fecit, & unxit oculos meos &c.* In qua primo quidem demonſtrat perſonam illuminantem, dicens: *Ille homo qui dicitur Ieſus* . Recte nominat eum hominem , quem hominem noverat , & verus homo erat . Phil. II. 7. „ In ſimilitudinem hominum factus . “ Licet autem eum non vidiſſet , quia cæcus ab eo receſſit , ad Siloe vadens , cognovit eum ex auditu , & collocutione hominum de ipſo . Secundo recitat factum, dicens: *Lutum fecit , & unxit oculos meos*: ubi ſe veracem oſtendit, non aſſerens incerta . Dominus enim lutum fecerat ex ſputo, quod quidem iſte neſcivit ; ſed lutum factum , & oculis ſuperpoſitum , per ſenſum tactus didicit: & ideo non dixit, Lutum fecit ex ſputo; ſed ſimpliciter, *Lutum fecit , & unxit oculos meos*. I. Ioan. I. I. „ Quod „ audivimus, quod vidimus oculis noſtris, & „ perſpeximus, & manus noſtræ contrectave„ runt .... teſtamur , & annuntiamus vobis. “ Tertio refert mandatum, dicens: *Et dixit mihi*, ſcilicet Ieſus, *Vade ad natatoria Siloe , & lava*. Hoc etiam nobis neceſſarium eſt: nam ſi volumus mundari a cæcitate cordis, oportet quod ſpiritualiter lavemur. Eſa. I. 16. „ Lavamini, mundi eſtote. “ Quarto commendat ſuam obedientiam, dicens: *Et abii, & lavi*; quaſi diceret: Ex quo mandatum audivi, deſiderio viſionis ductus, executus ſum mandatum. Neque mirum, quia dicitur Prover. VI. 23. „ Mandatum (ſcilicet impletum) lu„ cerna eſt, & lex lux. “ Quinto confitetur beneficii effectum, dicens, *Et vidi* . Et recte poſt obedientiam illuminatur: quia , ut dicitur Act. V. 32. „ dabit Spiritum ſanctum ob„ edientibus ſibi. “ Vide cæci conſtantiam : nam, ut Auguſtinus dicit, „ ecce annuntiator „ factus eſt gratiæ, ecce evangelizat, & con„ fitetur Iudæis. “ Cæcus ille confitebatur, & cor impiorum ſtringebatur, quia non habebant lumen, ſcilicet in corde, quod ille habebat in facie.

(d) Conſequenter cum dicit , *Et dixerunt ei*, *Ubi eſt ille*? ponitur inquiſitio de perſona illuminantis: & primo ponitur Iudæorum quæſtio , cum dicunt , *Ubi eſt ille* ? Malitioſe interrogant , occiſionem meditantes : iam enim adverſus Chriſtum conſpiraverant. Supra VIII. 40. *Nunc autem quæritis me interficere* . Secundo ponitur cæci reſponſio, cum ait , *Neſcio* . Ut Auguſtinus dicit, ex verbis apparet quod ſicut corporaliter in ipſo geſtum fuit, ita ſpiritualiter diverſis temporibus repræſentatur . Nam adhuc primo linitur cæcus, & poſt lotus videt : & inunctio quidem inchoationem ſanitatis corporalis repræſentat; lotio autem perfectam conſequitur ſanitatem. Specialiter autem inunctio efficit catechumenum ; lotio , ſcilicet baptiſmus, perficit, & illuminat. Sic ergo diverſa diverſis temporibus (a) repræſentatur fides; nam per hoc quod dicit, *Neſcio*, re-

(a) *Al. omittitur* fides .

repræſentatur fides imperfecta in catechumenis. Supra IV. 22. *Vos adoratis quod neſcitis*. Poteſt etiam per hoc ſignificari fides noſtra. I. Corinth. XIII. 9. „ Ex parte enim cogno-„ ſcimus, & ex parte prophetamus. “

(e) Conſequenter cum ſubditur, *Adducunt eum ad phariſæos*, agitur de inquiſitione. Et primo inquirunt a cæco; ſecundo a parentibus, ibi, *Non crediderunt ergo Iudæi*. Circa primum tria facit. Primo præſentatur inquirendus; ſecundo ponitur inquirentium intentio; tertio ponitur ipſa inquiſitio. Inquirendus autem, ſcilicet cæcus, præſentatur a populo phariſæis: unde *adducunt*, ſcilicet turbæ, *eum qui cæcus fuerat, ad phariſæos*: & hoc ideo, quia quæſierant ab eo ubi eſſet Ieſus, ut ſi eum invenirent, ducerent eum ad phariſæos, damnandum propter ſolutionem ſabbati. Quia vero Chriſtum non habuerunt, ducunt cæcum, ut eum vehementius interrogantes, cogant importunitate, vel timore aliquid falſitatis contra Chriſtum confingere. Hierem. V. 5. „ Ibo ergo ad optimates: ipſi „ enim cognoverunt viam Domini, iudicium „ Dei ſui; & ecce hi magis confregerunt iu-„ gum, ruperunt vincula. “ Intentionem autem eorum Evangeliſta perverſam eſſe oſtendit, dicens: *Erat autem ſabbatum quando lutum fecit*. Hoc dicit, ut eorum malam mentem demonſtret, & cauſam propter quam eum quærebant, ut ſcilicet occaſionem contra eum invenirent, & detraherent miraculo per æſtimatam legis prævaricationem; cum tamen Matth. XII. 8. dicatur, quod „ do-„ minus eſt Filius hominis etiam ſabbati. “ Examinatio autem fit a phariſæis, cum dicitur: *Iterum ergo interrogabant eum phariſæi &c.* Et primo interrogant de facto; ſecundo de perſona facientis, ibi, *Dicebant ergo ex phariſæis quidam*. Circa primum duo facit. Primo ponitur eorum interrogatio; ſecundo cæci reſponſio. Interrogant autem eum de materia conſecutæ viſionis: unde *iterum interrogabant eum phariſæi &c.* non ut ſcirent, ſed ut calumniam inſerrent, & falſitatem imponerent. Reſpondit autem cæcus, non dictis contraria, nec diſſona veritati: unde *ille*, ſcilicet cæcus, *dixit eis: Lutum poſuit mihi ſuper oculos*. Ubi primo admiranda eſt cæci conſtantia: nam & ſi coram turbis, a quibus ſine periculo interrogabatur, veritatem dixerat, non magnum videbatur; ſed hoc miræ eſt conſtantiæ quod (a) in ampliori periculo conſtitutus, ſcilicet coram phariſæis, neque negat, neque contraria dicit prioribus, ſecundum illud Pſal. CXVIII. 46. „ Loquebar de „ teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & „ non confundebar. “ Secundo admiranda eſt eius induſtria: nam mores recitantium ſervat, qui primo diffuſe, & circumſtantiis omnibus referunt; & ſi ſecundo referri oporteat, ſuccinctius loquuntur. Unde neque nomen dicentis expreſſit, neque quoniam *dixit mihi, Vade, & lava*; ſed confeſtim ſolam ſubſtantiam facti tangens, dicit, *Lutum fecit*.

(f) Conſequenter cum ſubditur, *Dicebant ergo ex phariſæis quidam &c.* fit inquiſitio de perſona illuminantis. Et primo ponuntur diverſæ ſententiæ phariſæorum de Chriſto; ſecundo exquiritur ſententia cæci, ibi, *Dicunt ergo cæco iterum*. Circa primum tria facit. Primo ponit opinionem Chriſtum blaſphemantium; ſecundo opinionem eum commendantium; & tertio concludit, quod inter eos erat ſchiſma, & diſſidium. Circa primum ſciendum eſt, quod illi qui malitioſe contra aliquem agunt, tacent, ſi quid boni in facto eius vident, & mala, ſi qua videntur, manifeſtant, etiam bonum in malum convertentes: ſecundum illud Eccli. XI. 33. „ Bona in „ mala convertens inſidiatur, & in electis „ imponet maculam. “ Quod & iſti faciunt: nam id quod videbatur bonum, ſcilicet cæci illuminationem, ſubticentes, quod contra Chriſtum eſſe poterat manifeſtant, ſcilicet ſolutionem ſabbati. Unde *dicebant ex phariſæis*, ſcilicet malitioſi & pravi: *Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*; cum tamen Chriſtus ſabbatum ſervaret. Dominus enim prohibens operari in ſabbato, intendit de opere ſervili, quod eſt peccatum. Supra VIII. 34. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Ergo qui facit opera peccati in ſabbato, ſolvit ſabbatum. Chriſtus ergo qui ſine peccato erat, potius ſabbatum, quam ipſi cuſtodiebat. Commendantium autem opinio ponitur, cum ſubdit: *Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* Iſti enim aliquam fidem ex ſignis conceperant, & imperfecte, & imbecilliter erant diſpoſiti: quia ex timore phariſæorum, & principum, quaſi ſub dubio proponunt, dicentes: *Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* Infra XII. 42. dicitur, quod *multi ex principibus crediderunt in eum, ſed propter phariſæos non confitebantur*. Qui tamen potius debuiſſent oſtendere qualiter ſabbatum non ſolveret, & convenienter reſpondere pro Ieſu. Diſſidium autem concludit inter eos, dicens: *Et ſchiſma erat inter eos*: quod ſcilicet fuerat etiam inter populos; & hoc erat ſignum (b) interitus illorum. Oſeæ X. 2. „ Diviſum eſt cor „ eorum, nunc interibunt. “ Matth. XII. 25. „ Omne

(a) *Al. deeſt* in. (b) *Al.* interius.

„ Omne regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur. “

(g) Conſequenter inquirunt ſententiam a cæco, & dicunt: *Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos?* Et primo ponitur phariſæorum interrogatio; ſecundo cæci reſponſio. Interrogant quidem cum dicunt: *Tu quid dicis de illo?* Quæ quidem interrogatio, ſecundum Chryſoſtomum, non eſt eorum qui Chriſtum blaſphemabant, ſed eorum qui commendabant. Et hoc apparet ex modo interrogandi: unde commemorant ei receptum beneficium, dicentes: *Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos?* Alioquin ſi alii interrogaſſent, non hoc dixiſſent, (*a*) ſed potius, Qui ſolvit ſabbatum. Ideo autem beneficium commemorant, ut eum gratum reddentes inducant ad Chriſti prædicationem. Secundum autem Auguſtinum, eſt interrogatio adverſariorum, volentium calumniari hominem, qui conſtanter veritatem confitebatur, vel ut ex timore mutaret ſententiam, vel ſaltem eum de ſynagoga eiicerent. Reſponſio autem cæci conſtans ponitur: unde ſubdit: *Ille autem dixit, quia Propheta eſt*. Licet enim adhuc quaſi (*b*) inunctus in corde, Dei Filium nondum confiteretur, conſtanter tamen quod ſentiebat expreſſit, non tamen mentitus eſt. Nam ipſe Dominus de ſe dixit Marc. VI. & Matth. XIII. 57. „ Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua. “ Deuter. XVIII. 15. „ Prophetam ſuſcitabit vobis Deus .... ipſum audietis. “

(h) Conſequenter dum dicit, *Non crediderunt ergo Iudæi de illo*, agitur de inquiſitione a parentibus: & primo ponitur cauſa inquiſitionis; ſecundo ſubditur interrogatio, ibi, *Et interrogaverunt*; tertio adhibetur reſponſio, ibi, *Reſponderunt ergo eis*; quarto aſſignatur reſponſionis ratio, ibi, *Hoc dixerunt parentes eius &c.* Cauſa autem ſecundæ inquiſitionis, fuit infidelitas phariſæorum; & hoc eſt quod dicit: *Non crediderunt ergo de illo*, ſcilicet phariſæi, *quod cæcus natus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocaverunt parentes eius*, ſcilicet cæci qui viderat. Hoc quidem faciunt volentes annullare Chriſti miraculum, ne perdant gloriam ſuam. Supra V. 44. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Inquiſitio autem ponitur a phariſæis ad parentes: ubi tria proponunt. Primo de perſona filii, dicentes: *Hic eſt filius veſter?* quaſi dicerent, Numquid eſt hic? Secundo de eius cæcitate: unde ſubdunt: *Quem dicitis quia natus eſt cæcus?* Non dicunt, Qui quandoque fuit cæcus; ſed *Quem dicitis*; quaſi dicerent: Hoc confingitis. Numquid hoc eſt verum? Sed, o inquinati! quis pater eligeret talia mentiri de filio? Conantur enim per hoc eos ad negationem ducere. Tertio quærunt de modo conſecutæ viſionis, dicentes: *Quomodo ergo nunc videt?* quaſi dicant: Aut hoc eſt falſum quod nunc videat, aut primum quod cæcus fuerat; ſed conſtat hoc eſſe verum, quod videt: falſum ergo fuit quod cæcum eum dicebant. Eccli. XIII. 14. „ Ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis. “

(i) Reſponſio parentum ponitur conſequenter, cum dicit: *Reſponderunt eis parentes eius &c.* De tribus autem interrogaverant phariſæi; ſed de duobus conſtanter reſpondent, & de tertio remittunt ad filium. Primo quidem confitentur primum, ſcilicet quod filius eorum ſit: unde dicunt: *Scimus quia hic eſt filius noſter*. Item confitentur ſecundum, cum ſubdunt, *Et quia cæcus natus eſt*. In quo patet quod veritas ſemper vincit mendacium. Unde in apocryphis Eſdræ (III. Eſdræ III. 13.) dicitur, quod „ veritas ſuper omnia vincit. “ Tertium autem, ſcilicet qualiter vidit, dicunt: *Quomodo autem nunc videat, neſcimus*. Secundo de perſona illuminante, cum ſubdunt: *Aut quis aperuit oculos eius, nos neſcimus*. Hoc ideo dicunt, quia inquiſitio fiebat contra perſonam illuminantem: & ideo remittunt ad filium, dicentes: *Ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur*; quaſi dicant: Et ſi genuimus eum cæcum, non tamen mutum: unde loqui poteſt pro ſe in cauſa. Quod quidem diſpenſative factum eſt, ut dum parentes confitentur quod ſciunt, & cæcus confirmat qui eſt curatus, (*c*) veritas miraculi magis appareret. Ratio autem reſponſionis ponitur, cum ſubdit: *Hoc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos*: adhuc enim imperfecti erant, nec adimplere auſi quod dicit Dominus, Matth. X. 28. „ Nolite timere eos qui occidunt corpus. “ Cauſa autem timoris fuit, quia *iam conſpiraverant Iudæi, ut ſi quis confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret*. Infra XVI. 1. *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini: abſque ſynagogis facient vos*. Et, ut dicit Auguſtinus, iam non erat malum fieri extra ſynagogam: nam quos illi repellebant, Chriſtus recipiebat.

(a) *Al.* ſed peius, ſcilicet Qui &c. (b) *Al.* invitus. (c) *Al.* & veritas miraculi magis appareat.

LE-

Digitized by Google

(a) VOcaverunt ergo rurſum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos ſcimus quia hic homo peccator eſt.

(b) Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt neſcio: unum ſcio quia cæcus cum eſſem, modo video.

(c) Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?

(d) Reſpondit eis: Dixi vobis iam, & audiviſtis: quid iterum vultis audire? Numquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?

(e) Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis.

(f) Nos autem Moyſi diſcipuli ſumus: nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus; hunc autem neſcimus unde ſit.

(g) Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc mirabile eſt quia vos neſcitis unde ſit, & aperuit meos oculos.

(h) Scimus autem quia peccatores Deus non audit.

(i) Sed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

(k) A ſæculo non eſt auditum quod quis aperuerit oculos cæci nati.

(l) Niſi eſſet hic a Deo, non poterat facere quicquam.

(m) Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus; & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

(a) POſita ſupra inquiſitione negotii, ſcilicet a cæco, & parentibus, hic perſuadent negare veritatem, & aſſerere falſitatem: & primo perſuadent veritatis negationem; ſecundo irrogant maledictionem; tertio inferunt condemnationem. Secundum ibi, *Maledixerunt ergo ei*; tertium ibi, *Reſponderunt ei, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit quomodo perſuadent ei veritatem negare; ſecundo quomodo iterato interrogant, ut calumniam poſſint inferre, ibi, *Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi?* Circa primum duo facit. Primo proponit eorum malitiam; ſecundo cæci conſtantiam, ibi, *Dixit ergo ille*. Malitia phariſæorum oſtenditur in veritatis negandæ perſuaſione. Conſtantia cæci apparet in firma veritatis confeſſione. Dicit ergo quantum ad primum: *Vocaverunt ergo*, ſcilicet phariſæi, *rurſum hominem qui fuerat cæcus*: nam parentes interrogati, remiſerant eos ad cæcum: *& dixerunt ei: Da gloriam Deo*. Unum dicunt, ſed aliud intendunt. Intendunt quidem ut cogant eum dicere, ſe non fuiſſe illuminatum a Chriſto: vel ſi hoc non poſſunt, ſaltem confiteatur ſe ab eo aliquo maleficio curatum. Hoc tamen non aperte dicunt; ſed tacite, & ſub prætextu religionis: ad hoc enim inducere volunt dicentes, *Da gloriam Deo*; quaſi dicant: Illuminatus es; ſed hoc non eſt niſi a Deo: ergo hoc nulli alii attribuas niſi Deo, & non iſti, ſcilicet Chriſto: quia ſi hoc facis, oſtendis te non accepiſſe a Deo curationis beneficium: quia Deus per peccatores non operatur miracula. Unde ſubdunt: *Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt*; quaſi dicerent: Confitere quoniam hic nihil operatus eſt, nega quod accepiſti. Sed, ut Auguſtinus dicit, ſi hoc feciſſet, non dediſſet gloriam Deo, ſed potius ingratus exiſtens, blaſphemaſſet. Sed vere mendacium locutus eſt ſtylus phariſæorum, dicentium: *Nos ſcimus quoniam hic homo peccator eſt*: nam ſupra VIII. 46. eumdem de peccato arguere non potuerunt, cum dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nec mirum, quia hoc dicitur I. Pet. II. 22. „ Peccatum non fecit, nec inventus „ eſt dolus in ore eius."

(b) Hic ponitur cæci conſtantia: nam ſtomachatus contra phariſæorum duritiam, & impatiens ad verba eorum, cum veritatis aſſertione dicit: *Si peccator eſt neſcio*. Sed cum ſupra dixerit, *quia Propheta eſt*; numquid hoc propter timorem quaſi dubitans dicit: *Si peccator eſt neſcio?* (*a*) Abſit; ſed quaſi indignatus phariſæos irridens; quaſi dicat: Vos aſſeritis eum peccatorem; ſed (*b*) hoc ego neſcio quod ſit peccator, & miror quod hoc aſſeritis, quia opus fecit quod non videtur eſſe peccatoris: *quia cæcus cum eſſem, modo video*, eius beneficio. Secundum Auguſtinum, hoc dicit ut neque pateretur calumniam, neque veritatem ſubcelaret. Fortaſſis enim ſi dixiſſet, Scio eum iuſtum; quod verum erat; calu-

(a) *Al. deſunt hæc verba uſque ad* quaſi dicat. (b) *Al. omittitur* hoc.

lumniati fuiſſent eum. Sed, ſecundum Chryſoſtomum, ideo hoc dixit ut daret eis maius teſtimonium, ſcilicet ipſius miraculoſæ operationis, & ſuam reſponſionem faceret fide dignam ab accepto beneficio.

(c) Hic iterato interrogant, ut calumniam inſerant. Et primo ponitur doloſa phariſæorum interrogatio; ſecundo reſpondentis cæci deriſio, ibi, *Reſpondit eis &c.* Dicit ergo quantum ad primum: *Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi?* Quia enim cæcus confeſſus fuerat ſe a Chriſto viſum recepiſſe, quod iſti non quærebant, ſed potius in ipſo modo faciendi, contra Chriſtum calumniam inferre intendebant; ideo non dicunt, Qualiter vidiſti? ſed *Quomodo aperuit tibi oculos?* quaſi dicat: Numquid aliquo præſtigio, ſeu maleficio hoc fecit? ſecundum illud Pſal. XXXVII. 13. „ Qui quærebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. “

(d) Hic ponitur reſponſio: quia enim cæcus quaſi iam viderat, ideo non remiſſe, ſed audacter de reliquo eis loquitur: unde primo irridet phariſæorum iteratam interrogationem, dicens: *Dixi vobis iam, & audiſtis: quid iterum vultis audire?* quaſi dicat: Ex quo ſemel dixi vobis, quid iterum vultis audire? Hoc enim inſipientis eſt. Videtur enim quod non attenditis ad ea quæ dicuntur. Unde non eſt ultra reſpondendum vobis, inaniter interrogantibus, & cavillari potius quam diſcere volentibus. Eccli. XXII. 9. „ Cum dormiente loquitur qui narrat ſtulto ſapientiam: & in fine narrationi dicit: Quis eſt hic? “ Secundo deridet præſumptuoſam phariſæorum intentionem, dicens: *Numquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?* Quando enim aliquis diligenter inquirit, aut hoc facit bona intentione, ut ſcilicet ei adhæreat, aut mala, ut eum condemnet. Quia ergo iſti diligenter quærebant, & cæcus non auſus eſt eis imponere quod mala intentione quærerent, declinat ad aliam partem, dicens: *Numquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?* quaſi dicat: Si non quæritis malitioſe, ergo vultis adhærere ei. Hier. XIII. 23. „ Si mutare poteſt AEthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas; & vos poteritis bene facere. “ Et, ut Auguſtinus dicit, illuminatus libenter volebat iſtos illuminare: unde ſignanter dicit, *Et vos*; quaſi ſe innuens diſcipulum; quaſi dicat: *Numquid & vos vultis*, ut & ego ſum, *diſcipuli eius fieri?* Ego iam video, veſtræ illuminationi non invideo. Et, ut Chryſoſtomus dicit, ex iſta cæci conſtantia apparet quam (a) forte quid ſit veritas, quæ ſi deſpectos aſſumpſerit, claros, & fortes eos facit. Et quam imbecille (b) quid ſit mendacium, quod etſi cum fortibus fuerit, imbecilles eos monſtrat, & reddit.

(e) Hic irrogatur cæco a phariſæis maledictio. Et primo ponitur phariſæorum ad cæcum maledictio; ſecundo cæci ad phariſæos redargutio, ibi, *Reſpondit ille*. Circa primum duo facit. Primo ponitur phariſæorum maledictio; ſecundo maledictionis occaſio, ibi, *Nos autem Moyſi diſcipuli ſumus*. Dicit ergo quantum ad primum: *Maledixerunt ei*, ſcilicet phariſæi cæco, *& dixerunt: Tu diſcipulus eius ſis*. Quæ quidem maledictio eſt, ſi pravum cor eorum diſcutias, non ſi verba perpendas; immo eſt ſumma benedictio. Et tale maledictum ſit ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Supra VIII. 31. *Vere diſcipuli mei eritis, ſi manſeritis in ſermone meo*. Ideo tamen Evangeliſta dixit, *Maledixerunt*, quia ex malo eorum corde procedebat. Prover. XXVI. 23. „ Quomodo ſi ornare velis vas fictile argento ſordido, ſic labia tumentia, cum peſſimo corde ſociata. “ Et de hac maledictione dicitur in Pſal. CVIII. 28. „ Maledicent illi, & tu benedices. “ Et Matth. V. 11. „ Beati eritis cum maledixerint vobis &c. “

(f) Cauſam maledictionis ſubiungit conſequenter, cum dicit: *Nos autem Moyſi diſcipuli ſumus*. Reputabant enim maledictionem, quod cæcus dixerat eis, quod fierent diſcipuli Chriſti; cum ipſi gloriarentur ſe eſſe diſcipulos Moyſi, quem maiorem reputabant. Et ideo primo proponunt ſuam conditionem, dicentes: *Nos autem Moyſi diſcipuli ſumus*. Eccli. XXIV. 33. „ Legem mandavit Moyſes in primitiis iuſtitiarum &c. “ Sed falſa eſt eorum gloria: quia nec eum ſequebantur, nec præcepta eius implebant. Supra V. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi*; quaſi dicat: Nec ſequimini ſervum, & dorſum ponitis contra Dominum. Secundo extollunt Moyſi dignitatem, cum dicunt: *Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus*. In quo verum dicunt: quia, ut dicitur Exod. XXXIII. 11. „ loquebatur Dominus Moyſi facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum. “ Et Num. XII. 6. dicit Dominus: „ Si fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei. “ Unde excellentiori modo loquebatur cum eo quam cum aliis Prophetis. Et de hac locutione hic ipſi loquuntur. Conſtat autem quod cum ad Moy-

(a) *Al.* fortis quidem. (b) *Al.* quidem.

Moyſem Deus loqueretur Verbum ſuum, quod dignitas Moyſi eſt ex Verbo Dei. Et ſic Verbum maioris dignitatis eſt quam Moyſes. Heb. III. 3. „ Amplioris gloriæ iſte (ſcilicet Chri- „ ſtus) præ Moyſe dignus habitus eſt, quan- „ to ampliorem honorem habet domus qui „ ædificavit illam. “ Tertio occulte inſinuant Chriſti dignitatem, cum dicunt: *Hunc autem*, ſcilicet Chriſtum, *neſcimus unde ſit*: quod quidem verum eſt, non tamen ſecundum eorum intentionem. Neſciebant enim Patrem, unde Chriſtus erat. Supra VIII. 19. *Neque me ſcitis, neque Patrem meum*. Sed falſum eſt quantum ad eorum intentionem: dixerunt enim: *Hunc autem neſcimus unde ſit*; quaſi dicant: Nullius auctoritatis eſt, & quaſi apocryphum, ita ut non conſtet de eo an a Deo venerit: per quod videbantur ei imponere illud Hierem. XXIII. 21. „ Non mittebam eos, & ipſi „ currebant. “

(g) Hic ponitur cæci contra phariſæos argutio. Et primo admiratur eorum duritiam; ſecundo confutat eorum falſitatem, ibi, *Scimus autem quia peccatores Deus non audit*. Sciendum autem circa primum, quod non ea quæ frequenter fiunt, & ſecundum communem modum miramur; ſed inſolita, & ardua, ſive bona, ſive mala ſint, admiramur: nam inſolita bona, & ardua (*a*) admiramur, ſecundum illud Eſther XV. 17. „ Valde enim ad- „ mirabilis es Domine, & facies tua plena „ eſt gratiarum. “ Admiramur etiam ardua mala, ſecundum illud Hier. II. 12. „ Super „ hoc obſtupeſcite cæli .... duo enim mala „ fecit populus meus. “ Secundum hoc ergo reſpondens cæcus, dixit eis: *In hoc mirabile eſt quia vos neſcitis unde ſit*; quaſi dicat: Si aliquem parvum, & nobis ſimilem non reputaretis alicuius auctoritatis, non eſſet mirandum: ſed quia videtis expreſſum, & evidens ſignum divinæ virtutis in Chriſto, & dicitis quia vos neſcitis unde ſit; valde mirabile eſt, præſertim quia aperuit mihi oculos.

(h) Falſitatem eorum confutat dicens: *Scimus autem quia peccatores Deus non audit*. Utitur tali ratione. Quemcumque Deus audit, eſt a Deo; ſed Deus exaudivit Chriſtum: ergo eſt a Deo. Primo ergo ponit primam; ſecundo aſſumit minorem, ibi, *A ſæculo non eſt auditum &c.* & tertio infert concluſionem, ibi, *Si non eſſet hic a Deo, non poterat facere quicquam*. Circa primum duo facit. Primo inſinuat quos Deus non audiat; ſecundo oſtendit quos Deus audiat, ibi, *Sed ſi quis Dei cultor eſt .... hunc exaudit*. Non audit autem

Deus peccatores; & quantum ad hoc dicit: *Scimus quia peccatores Deus non audit*; quaſi dicat: In iſta opinione ego & vos conſentimus, quod non exaudiantur peccatores a Deo. Unde in Pſal. LXXI. 42. „ Clamaverunt ad Do- „ minum, & non exaudivit eos. “ Proverb. I. 28. „ Tunc invocabunt me, & non au- „ diam. “

Sed contra. II. Paral. VI. 36. „ Si autem „ peccaverint tibi (neque enim eſt homo qui „ non peccet) .... & reverſi fuerint ad te „ in toto corde ſuo ... aperiantur quæſo ocu- „ li tui, & aures tuæ intentæ ſint ad ora- „ tionem quæ fit in loco iſto. “ Luc. XVIII. 14. de Publicano dicitur, quod „ deſcendit „ iuſtificatus in domum ſuam. “ Et propter hoc dicit Auguſtinus, quod cæcus iſte adhuc loquitur ut (*b*) inunctus, nondum perfecte ſciens: nam & peccatores exaudit Deus: alias fruſtra Publicanus diceret (loc. cit.) „ Domine „ Deus propitius eſto mihi peccatori. “ Si autem verbum cæci ſalvare volumus, dicendum eſt, quod Deus non exaudivit peccatores in peccatis perſiſtentes; exaudivit tamen peccatores de peccatis pœnitentes, qui magis ſunt computandi in numero pœnitentium, quam peccatorum.

Sed inſurgit dubitatio: conſtat enim quod miracula non fiunt ab hominibus propria virtute, ſed per orationem. Peccatores autem frequenter miracula faciunt, ſecundum illud Matth. VII. 22. „ Nonne in nomine tuo pro- „ phetavimus, & virtutes multas fecimus? Et tamen Deus non novit (*c*) eos. Non videtur ergo verum quod cæcus dicit: *Scimus quia peccatores Deus non audit*.

Ad hoc eſt duplex reſponſio. Una communis. Oratio enim duo habet, quia ſcilicet impetrat, & meretur: quandoque ergo impetrat, & non meretur; quandoque autem meretur, & non impetrat. Et ſic nihil prohibet orationem peccatoris impetrare quod petit, abſque hoc quod mereatur. Sic ergo Deus audit peccatores, non per modum meriti, ſed inquantum ex divina virtute, quam prædicant, impetrant quod petunt. Alia eſt ſpecialis, in caſu iſto quo loquebatur, ſcilicet quando miraculum factum notificabat perſonam Chriſti.

Sciendum eſt autem, quod omne miraculum factum teſtimonium quoddam eſt. Quandoque ergo miraculum fit in teſtimonium veritatis prædicatæ; quandoque autem in teſtimonium perſonæ facientis. Eſt autem attendendum, quod nullum verum miraculum fit niſi virtute divina; & quod Deus numquam eſt teſtis

(a) *Al. deeſt* admiramur. (b) *Al.* invitus. (c) *Al.* nos.

teſtis mendacii. Dico ergo quod quandocumque miraeulum ſit in teſtimonium doctrinæ prædicatæ, neceſſarium eſt doctrinam illam eſſe veram, etſi perſona prædicans non ſit bona. Quando etiam ſit in teſtimonium perſonæ, neceſſe eſt ſimiliter quod perſona illa ſit bona. Conſtat autem quod miracula Chriſti fiebant in teſtimonium perſonæ eius: ſupra v. 36. *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, teſtimonium perhibent de me*: hoc ergo modo loquendo cæcus dixit, quod *numquam Deus peccatores* (*a*) *exaudit*, ſcilicet quod faciant miracula atteſtantia ſanctitati peccatorum.

(i) Conſequenter cum dicit, *Sed ſi quis Dei cultor eſt .... hunc exaudit*, oſtendit quod iuſti exaudiuntur a Deo & per modum meriti. Ubi ſciendum eſt, quod operatio miraculorum attribuitur fidei. Matth. XXI. 21. „ Si „ dixeritis huic monti, Tolle, & iacta te in „ mare, fiet. “ Cuius ratio eſt, quia miracula fiunt per omnipotentiam Dei, cui fides innititur: qui ergo vult impetrare a Deo aliquid, oportet quod habeat fidem. Iac. I. 6. „ Poſtulet autem in fide. “ Si autem vult merendo impetrare, oportet quod faciat Dei voluntatem. Et iſta duo hic ponuntur. Quantum ad primum dicit: *Sed ſi quis Dei cultor eſt*, per ſacrificia, & hoſtias. Eſa. XIX. 21. „ Co-„ lent eum in hoſtiis &c. “ in his enim conſiſtit cultus latriæ, quæ fidei atteſtatur. Quantum ad ſecundum dicit: *Et voluntatem eius facit*, implendo eius mandatum, (*b*) *hunc exaudit*: ſupple, Deus.

(k) Hic aſſumit minorem ſuæ rationis; quaſi dicat: Ex ipſo opere eius, quod adhuc nullus hominum fecit, manifeſtum eſt quod per operationem Dei hoc fecit, & quod exauditus eſt a Deo. Infra XV. 24. *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*.

(l) Hic infert concluſionem; quaſi dicat: Ex quo talia opera operatur, manifeſtum eſt quod eſt a Deo: nam *niſi eſſet hic a Deo, non poterat facere quicquam*, ſcilicet libere, conſtanter, & veraciter: quia ut dicitur infra XV. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*.

(m) Hic phariſæi cæcum condemnant. In qua quidem condemnatione triplicem defectum, ſive peccatum incurrunt, ſcilicet mendacii, ſuperbiæ, & iniuſtitiæ. Mendacii quidem, cæcitatem improperando: unde dicunt: *In peccatis natus es totus*. Ubi ſciendum eſt, Iudæos huius opinionis fuiſſe, quod omnes infirmitates, & adverſitates temporales provenirent hominibus propter eorum præcedentia peccata: quam quidem opinionem aſſerit Eliphaz dicens, Iob IV. 7. „ Recordare, obſe-„ cro, quis umquam innocens periit, aut quan-„ do recti deleti ſunt? Quin potius vidi eos „ qui operantur iniquitatem, & ſeminant do-„ los, & metunt eos, flante Deo, periiſſe. “ Cuius quidem opinionis ratio eſt, quia in veteri lege & pro bonis præmia temporalia, & pro malis pœnæ temporales promittebantur. Eſa. I. 19. „ Si volueritis, & audieritis me, „ bona terræ comedetis. “ Videntes ergo quod iſte homo cæcus natus fuerat, credebant quod hoc contigiſſet ei propter ſua peccata; & ideo dicunt: *In peccatis natus es totus*. Sed falſum dicunt, quia ſupra eodem Dominus: *Neque hic peccavit, neque parentes eius*. Eccli. XIX. 28. „ Eſt correctio mendax in ira „ contumelioſi. “ Addunt autem, *Totus*, ut oſtendant quod non ſolum eſt peccatis inquinatus quantum ad animam ſecundum quod omnes naſcuntur peccatores, ſed etiam quod peccatorum veſtigia appareant in corpore per cæcitatem. Vel, ſecundum Chryſoſtomum, *totus*; ideſt, toto tempore vitæ tuæ, & a primæva ætate in peccatis es. Superbiæ vero defectum incurrunt, contemnendo cæci doctrinam, cum dicunt: *Tu doces nos?* quaſi dicerent, Non es dignus: in quo apparet eorum ſuperbia: nullus enim homo, quantumcumque ſapiens, debet a quocumque parvo doctrinam repellere: unde Apoſtolus docet I. Corinth. XIV. quod ſi minori aliquid revelatum fuerit, quod tunc maiores debent tacere, & eum audire. Daniel. XIII. dicitur quod totus populus, & ſeniores audierunt iudicium pueri iunioris, ſcilicet Danielis: cuius ſpiritum Dominus ſuſcitavit. Iniuſtitiæ autem defectum incurrunt, iniuſte eum ejiciendo: unde dicitur, quod *eiecerunt eum foras*, ſcilicet propter veritatis confeſſionem. In cæco autem iam impletur quod Dominus dixerat, Luc. VI. 22. „ Beati eritis, cum vos oderint ho-„ mines, & ſeparaverint vos, & eiecerint „ nomen veſtrum tamquam malum propter „ Filium hominis. “

(a) Al. *excludit*. (b) Al. *hunc*, ſupple, *exaudivit Deus*.

Digitized by Google

L E C T I O IV.

(a) AUdivit Ieſus quia eiecerunt eum foras, & cum inveniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

(b) Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum?

(c) Et dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.

(d) At ille ait: Credo, Domine: & procidens adoravit eum.

(e) Et dixit ei Ieſus: In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cęci fiant.

(f) Et audieruut quidam ex phariſæis qui cum ipſo erant; & dixerunt ei: Numquid & nos cæci ſumus?

(g) Dixit eis Ieſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis, quia videmus. Peccatum veſtrum manet.

(a) POſtquam Evangeliſta oſtendit quomodo Iudæi cæcum in veritate perſiſtentem eiecerunt, hic oſtendit quomodo Ieſus eum receperit, & inſtruxerit. Et primo ponitur Chriſti inſtructio; ſecundo cæci devotio, ibi, *At ille ait: Credo, Domine*; tertio devotionis eius commendatio, ibi, *Dixit ei Ieſus: In iudicium ego in hunc mundum veni*. Circa primum tria facit. Primo proponit ſtudium Chriſti ad inſtruendum; ſecundo deſiderium cæci ad credendum, ibi, *Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine?* tertio fidei documentum ad perficiendum, ibi, *Dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum*. Studium autem Chriſti ad inſtruendum deſcribitur ex tribus. Primo ex diligenti conſideratione eorum quæ circa cæcum agebantur: ſicut enim princeps diligenter conſiderat ea quæ ſuus athleta patitur propter eum, ita & Chriſtus ea quæ cæcus patiebatur propter veritatem, & ſui confeſſionem, diligenter attendit. Et ideo dicit: quod *audivit Ieſus*, ideſt diligenter attendit, *quia* phariſæi *eiecerunt eum foras*, ſcilicet ex templo. Hier. XVIII. 19. „ Attende Domine „ ad me, & ad voces adverſariorum meo- „ rum. “ Secundo ex diligenti inquiſitione: unde ſubdit: *Et cum inveniſſet eum, dixit ei &c.* Illud enim inveniri dicitur quod diligenter quæritur. Luc. XV. 8. „ Quærit diligenter „ donec inveniat. “ Ex quo videtur quod Chriſtus ſolum eum quærat, quia in illo ſolo plus invenit de fide quam in omnibus aliis. Unde colligitur quod plus diligitur unus iuſtus a Deo, quam decem millia peccatorum. Eſa. XIII. 12. „ Pretioſior erit vir auro, & „ homo mundo obrizo. “ Et Geneſ. XVII. Dominus pro decem iuſtis voluit ſervare Sodomam. Tertio ex ſerioſa interrogatione: unde *dixit ei: Tu credis in Filium Dei?* Iſte cæcus typum baptizandorum gerebat. Unde etiam conſuetudo inolevit in Eccleſia ut baptizandi interrogentur de fide. I. Pet. III. 21. „ Nos ſalvos facit baptiſma, non carnis de- „ poſitio ſordium, ſed bonæ conſcientiæ in- „ terrogatio in Deum. “ Interrogans autem de fide non dicit, Credis in Chriſtum? ſed *In Filium Dei*: quia, ut Hilarius dicit, futurum erat ut aliqui Chriſtum confiterentur, quem tamen Filium Dei, & Deum negarent: quod poſtmodum Arrius finxit. Unde per hoc error eius manifeſte excluditur. Nam ſi Chriſtus non eſſet Deus, non eſſet in eum credendum, cum ſolus Deus ſit obiectum fidei, quæ in prima veritate quieſcit. Unde & ſignanter dicit, *In Filium*: nam bene poſſum credere alicui creaturæ, puta Petro, & Paulo; non tamen in Petrum, ſed in Deum ſolum ſicut in obiectum. Unde patet quod Filius Dei non eſt creatura. Ioan. XIV. 1. *Creditis in Deum, & in me credite*.

(b) Hic ponitur deſiderium cæci ad credendum. Sciendum eſt autem circa hoc, quod cæcus iſte adhuc non viderat Chriſtum corporaliter: nam quando Chriſtus linivit oculos ſuos, & miſit eum ad natatoria Siloe, nondum viderat eum; & antequam ad eum reverteretur, poſtquam lavit, & vidit, detentus fuit a Phariſæis, & Iudæis. Licet autem corporaliter eum non vidiſſet, credebat tamen eum qui aperuit oculos ſuos, eſſe Filium Dei. Et ideo in verba deſiderantis, & valde inquirentis animæ prorumpit, dicens: *Quis eſt, Domine*, ſcilicet Filius Dei, qui aperuit mihi oculos, *ut credam in eum?* Ex quo hic apparet, quod eum ex parte cognoſcebat, & ex parte ignorabat: niſi enim eum cognoviſſet, non tam conſtanter pro eo diſputaſſet; & ſi non ignoraſſet, non utique dixiſſet: *Quis eſt, Domine?* Eſai. XXVI. 9. „ Ani- „ ma mea deſideravit te in nocte, “ ſcilicet ignorantiæ.

(c) Sed quia, ut dicitur Sapien. VI. 16. „ præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, “ ſcilicet ſapientia; ideo cæco ſe concupiſcenti demon-

Digitized by Google

ſtrat, cum dicit: *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt*: in quo ponitur documentum fidei, quo Chriſtus eum inſtruit. Et primo commemorat ei ſuſceptum beneficium, dicens: *Et vidiſti eum*, ſcilicet corporaliter, qui prius nullum videbas; quaſi dicat: Ab ipſo virtutem videndi accepiſti. Luc. x. 23. „ Beati oculi qui vident quæ vos videtis. " Et Luc. 11. 29. „ Nunc dimittis ſervum tuum „ Domine .... quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. " Secundo ponitur documentum, cum dicit: *Et qui loquitur tecum, ipſe eſt*. Heb. 1. 2. „ Noviſſime locutus eſt nobis in „ Filio. "

Ex his ergo verbis confutatur error Neſtorii, qui dixit aliud ſuppoſitum in Chriſto Filii Dei, aliud Filii hominis. Nam qui loquebatur, ex Maria natus eſt, & hominis Filius, & ipſe idem qui loquitur eſt Filius Dei, ut Dominus dicit. Non eſt ergo alius & alius, quamvis natura non ſit eadem utriuſque.

(d) Conſequenter cum dicit, *At ille ait, Credo Domine*, ponitur devotio fidei in cæco. Et primo fidem quam credit corde, (a) confitetur ore, dicens: *Credo Domine*. Rom. x. 10. „ Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem „ confeſſio fit ad ſalutem. " Secundo proteſtatur eam opere: unde *procidens adoravit eum*: per quod oſtendit ſe credere eius divinam naturam: quia mundata conſcientia cognoſcit illum non ſolum Filium hominis, quod exterius videbatur, ſed Filium Dei, qui carnem ſuſceperat: nam adoratio debetur ſoli Deo. Deut. vi. 13. „ Dominum Deum tuum „ adorabis. "

(e) Conſequenter cum dicit, *Et dixit ei Ieſus &c.* (b) commendatur cæci devotio: & primo ponitur devotionis cæci commendatio; ſecundo Iudæorum murmuratio, ibi, *Audierant quidam ex phariſæis*; tertio murmurantium confutatio, ibi, *Dixit eis Ieſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum*. Commendatur autem cæcus ex fidei illuminatione: unde dicit: *In iudicium ego in hunc mundum veni*.

Contra. Supra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, (c) ut iudicet mundum &c.* Reſpondeo: Loquitur de iudicio condemnationis, de quo dicitur ſupra v. 29. *Qui mala egerunt, ibunt in reſurrectionem iudicii*, ideſt condemnationis; ad quod non miſit Deus Filium ſuum in primo adventu; ſed potius ad ſalvandum. Hic vero loquitur de iudicio diſcretionis, de quo dicitur in Pſal. XLII. 1. „ Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam „ &c. " Nam ad hoc venit ut diſcerneret bonos a malis; & hoc oſtendunt verba ſequentia, ſcilicet *Ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*. Nam, ſecundum Auguſtinum, illi non vident qui reputant ſe videre; illi autem qui reputant ſe non videre, vident. Dicuntur autem homines cæci ſpiritualiter, inquantum habent peccata. Sap. 11. 21. „ Excæcavit eos malitia eorum. " Ille ergo reputat ſe videntem, qui peccata ſua non recognoſcit; non videre autem ſe reputat qui recognoſcit ſe peccatorem. Primum eſt proprium ſuperborum; ſecundum eſt humilium. Eſt ergo ſenſus: *In iudicium veni, ut videntes non videant*: ut diſcernam humiles a ſuperbis. Dies enim erat inter lucem & tenebras diſcernens, *ut* ſcilicet, humiles, *qui non vident*, ideſt reputant ſe peccatores, *videant*, illuminati per fidem, *& qui vident*, ideſt ſuperbi, *cæci fiant*, ideſt remaneant in tenebris. Secundum Chryſoſtomum, exponitur de iudicio condemnationis, ita tamen quod hoc quod dicit, *In iudicium ego in hunc mundum veni*, non accipiatur cauſaliter, ſed conſecutive; quaſi dicat: Me veniente in mundum conſecutum eſt in quibuſdam iudicium condemnationis, inquantum in aliquibus condemnationis cauſa magis crevit. Simile dicitur Lucæ 11. 34. „ Ecce poſitus eſt hic in „ ruinam, & in reſurrectionem multorum: " non quod ipſe ſit cauſa ruinæ, ſed quia ex adventu ſuo hoc conſequitur. Et ſubditur: *Ut qui non vident*, ſcilicet gentiles, carentes lumine divinæ notitiæ, *videant*; ideſt, admittantur ad cognitionem Dei: Eſai. IX. 2. „ Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: " *& qui vident*, ſcilicet Iudæi, habentes Dei cognitionem: Pſal. LXXV. 2. „ Notus in Iudæa „ Deus: " *cæci fiant*; ideſt, ab ipſa Dei cognitione excidant. Et hoc expreſſe tangit Apoſtolus, Rom. IX. 30. „ Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſti„ tiam. "

(f) Hic ponitur murmur Iudæorum: quia enim verba Domini carnaliter intellexerunt, videntes cæcum corporaliter illuminatum, & intelligentes quod Dominus commendaret in ipſo ſolum lumen faciei, & non mentis, crediderunt ſimiliter quod comminaretur eis corporalem cæcitatem, & exprobraret, cum dixit, *Cæci fiant*. Et ideo dicit quod *audierunt quidam ex phariſæis qui cum ipſo erant*, verba prædicta. Ideo autem dicit, *Qui cum ipſo erant*, ut oſtendat eorum inſtabilitatem: quia quandoque cum ipſo ſunt propter aliqua miracula quæ vident; ſed tamen ab eo recedunt, cum aperitur eis veritas. Luc. VIII. 13.

(a) *Al.* con fitetur eam ore. (b) *Al.* Hic commendatur. (c) *Al.* (ut videlicet mundum &c.)

Digitized by Google

13. „ Ad tempus credunt, & in tempore „ tentationis recedunt. “ *Et dixerunt ei: Numquid & nos cæci ſumus?* ſcilicet corporaliter; quamvis ſpiritualiter cæci eſſent. Matth. xv. 14. „ Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæ- „ corum. “

(g) Hic ponitur Iudæorum confutatio: ubi, ſecundum expoſitionem Auguſtini, manifeſtatur intentio præcedentium, ut ſcilicet oſtendatur de qua cæcitate loquitur Dominus, quia de ſpirituali. Dicit ergo: *Si cæci eſſetis*, ideſt vos cæcos reputaretis, recognoſcentes per humilitatem peccatum veſtrum, *non haberetis peccatum*: quia curreretis ad remedium. Peccatum enim remittitur per gratiam, quæ non datur niſi humilibus. Iac. iv. 6. „ Humilibus autem dat gratiam. “ *Nunc vero dicitis quia videmus*; ideſt, ſuperbe vos videre putantes, non recognoſcitis vos peccatores. *Peccatum veſtrum manet*, ideſt non remittitur. Iac. iv. 6. „ Deus ſuperbis reſiſtit. “ Secundum Chryſoſtomum, exponitur de cæcitate corporali, ut ſit ſenſus: *Si cæci eſſetis*, corporaliter, *non haberetis peccatum*, de hoc quod cæci eſſetis: quia cum ſit corporalis defectus, non habet rationem peccati. *Nunc vero quia dicitis, Videmus*, peccatum veſtrum magis arguitur: quia videntes oculis corporalibus miracula quæ ego facio, non creditis mihi. Eſa. vi. 10. „ Excæca cor populi hu- „ ius. “ Vel aliter. *Si cæci eſſetis*, ideſt ignorantes iudiciorum Dei, & ſacramentorum legis, *non haberetis peccatum*; ſupple tantum; quaſi dicat: Si ex ignorantia peccaretis, peccatum veſtrum non eſſet adeo grave. *Nunc vero quia dicitis, Videmus*; ideſt arrogatis vobis ſcientiam legis, & cognitionem Dei, & tamen peccatis: ideo *peccatum veſtrum manet*, ideſt aggravatur. Luc. xii. 47. „ Servus, qui „ ſcit voluntatem domini ſui, & non fecit „ ſecundum voluntatem eius, vapulabit mul- „ tis. “

CAPITIS DECIMI

LECTIO I.

(a) Amen amen dico vobis: qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.

(b) Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium.

(c) Huic oſtiarius aperit, & oves vocem eius audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas; & cum proprias oves emiſerit, ante eas vadit.

(d) Et oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius.

(e) Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.

(a) Poſtquam Dominus oſtendit quod eius doctrina habet illuminativam virtutem, hic conſequenter oſtendit quod habet virtutem vivificativam: & primo oſtendit hoc, verbo; ſecundo, miraculo xi. capit. ibi, *Erat autem quidam languens &c.* Circa primum tria facit. Primo oſtendit ſe habere virtutem vivificativam; ſecundo oſtendit vivificandi modum, ibi, *Ego ſum paſtor bonus &c.* tertio oſtendit vivificandi poteſtatem, ibi, *Diſſenſio itaque facta eſt inter Iudæos propter ſermones hos.* Prima pars dividitur in tres: primo enim Dominus proponit quamdam parabolam; ſecundo Evangeliſta inſinuat neceſſitatem expoſitionis ipſius: *Hoc proverbium dixit eis &c.* tertio Dominus exhibet parabolæ expoſitionem, ibi, *Dixit eis iterum Ieſus &c.* Parabolam autem proponit eis dicens: *Amen dico vobis*. Quæ quidem ex duobus eſt, ſcilicet de fure, & paſtore ovium. Unde circa eam tria facit. Primo proponit conditionem furis & latronis; ſecundo paſtoris, ibi, *Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium*; tertio effectum utriuſque, ibi, *Et oves illum ſequuntur &c.* Ad intellectum autem huius, primum conſiderandum eſt quæ ſint oves: quæ quidem ſunt fideles Chriſti, & qui ſunt in gratia Dei. Pſal. xciv. 7. „ Nos autem popu- „ lus eius, & oves paſcuæ eius. “ Ezech. xxxiii. 17. „ Vos autem oves paſcuæ meæ ho- „ mines eſtis. “ Ovile ergo ovium eſt congregatio fidelis populi. Mich. ii. 12. „ Con- „ gregabo Iacob totum te; in unum condu- „ cam reliquias Iſrael; pariter ponam illum „ quaſi gregem in ovili. “ Oſtium autem ovilis aliter accipitur ſecundum Chryſoſtomum,

& ali-

Google

& aliter ſecundum Auguſtinum. Nam ſecundum Chryſoſtomum, oſtium vocat Chriſtus Scripturas ſacras, ſecundum illud Coloſ. IV. 3. „ Orantes ſimul pro nobis, ut Deus aperiat oſtium ſermonis. “ Dicitur autem ſacra Scriptura oſtium, ut Chryſoſtomus dicit, primo quia per ipſam acceſſum habemus ad Dei cognitionem. Rom. I. 2. „ Quod autem promiſerat (*a*) per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem. “ Secundo quia ſicut oſtium oves cuſtodit, ita ſacra Scriptura conſervat vitam fidelium. Supra v. 39 *Scrutamini Scripturas: quia vos putatis vitam* (*b*) *habere in ipſis*. Tertio quia oſtium lupos ſupervenire non permittit; ſic ſacra Scriptura arcet hæreticos a nocumento fidelium. II. Tim. III. 16. „ Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia. “ Ille ergo non intrat per oſtium qui ad docendum populum non ingreditur per ſacram Scripturam. Unde Dominus de talibus dicit Matth. XV. 9. „ Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. “ Ibid. 6. „ Irritum feciſtis mandatum Dei. “ Hæc eſt ergo furis conditio ut non intret per oſtium, ſed aliunde. Addit autem, *Aſcendit*; quod & parabolæ congruit, dum fures non intrantes per oſtium, conſcendunt parietes, & præcipitant ſe in ovili. Con[illegible]it etiam veritati: quia cauſa quare aliqui doceant aliter quam ſapiat ſacra Scriptura, præcipue ex ſuperbia provenit. I. Tim. VI. 3. „ Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſacris ſermonibus, ſuperbus eſt, nihil ſciens. “ Et quantum ad hoc dicit, *Aſcendit*, ſcilicet per ſuperbiam. Qui inquam ſic *aliunde aſcendit, ille fur eſt*, rapiendo quod non eſt ſuum, *& latro*, occidendo quod rapit. Abdiæ 5. „ Si fures intraſſent ad te, ſi latrones per noctem, quomodo conticuiſſes? “ Et ſecundum hanc expoſitionem, continuatur ad præcedentia hoc modo. Quia enim Dominus dixerat: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum*; poſſent reſpondere Iudæi, & dicere: Non eſt ex noſtra cæcitate quod tibi non credimus, ſed ex tuo errore, propter quem a te avertimur. Et ideo Dominus hoc excludens, vult oſtendere quod non eſt erroneus, quia intrat per oſtium, ideſt per ſacram Scripturam; ideſt, docet ea quæ ſacra Scriptura continet.

Sed contra hoc eſt, quod Dominus infra eodem exponens, dicit: *Ego ſum oſtium &c.* ex quo videtur quod per oſtium debet intelligi Chriſtus. Ad quod Chryſoſtomus dicit, quod in hac parabola Dominus dicit ſe eſſe & oſtium, & paſtorem: unde ſecundum quod ipſe diverſimode ſe vocat, diverſimode dicitur oſtium: quia ſecundum quod dicit ſe paſtorem, oportet quod aliud ſit oſtium quam ipſe, quia non eſt idem paſtor, & oſtium. Nihil autem aliud a Chriſto convenientius poteſt dici oſtium quam ſacra Scriptura, propter rationes prædictas. Convenienter ergo ſacra Scriptura oſtium dicitur.

Secundum Auguſtinum, hic per oſtium intelligitur Chriſtus: & hoc (*c*) quia per ipſum intratur. Apoc. IV. 1. „ Poſt hoc vidi oſtium magnum &c. “ Quicumque ergo intrat in ovile, oportet quod per oſtium, ſcilicet Chriſtum, intret, & non aliunde. Sed attendendum eſt, quod intrare in ovile competit paſtori, & ovi: ovi quidem, ut ibi conſervetur; paſtori autem, ut oves conſervet. Si ergo velis intrare ſicut ovis, ut ibi conſerveris, vel ſicut paſtor, ut oves conſerves; oportet te per Chriſtum intrare in ovile, non aliunde quam per Chriſtum: ſicut Philoſophi, qui tractaverunt de principalibus virtutibus, & phariſæi, qui cæremoniales traditiones ſtatuerunt. Sed iſti non ſunt paſtores, neque oves, quia, ut Dominus dicit, *qui non intrat per oſtium in ovile ovium*, ſcilicet per Chtiſtum, *ſed aliunde, fur eſt, & latro*: quia ſe, & alios occidit: Nam Chriſtus eſt oſtium ovilis, ideſt congregationis fidelium, & non alius. Rom. V. 1. „ Pacem habemus per Chriſtum ad Deum, per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. “ Actor. IV. 12. „ Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. “ Et ſecundum hanc expoſitionem continuatur ad præcedentia hoc modo. Quia enim dicebant ſe videre ſine Chriſto, ſecundum quod dixit: *Nunc quia dicitis, Videmus, peccatum veſtrum manet*: ideo Dominus oſtendit hoc eſſe falſum, quia non intrant per oſtium; dicens: *Amen amen dico vobis*. Sciendum autem, quod ut qui ſicut ovis per oſtium non intrat, non poteſt conſervari, ita nec qui ut paſtor intrat, conſervare poteſt, niſi per oſtium intret, ſcilicet per Chriſtum; per quod quidem oſtium intraverunt veri paſtores, de quibus Hebr. V. 4. „ Nemo ſibi aſſumit (*d*) honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. “ Mali vero paſtores non intrant per oſtium, ſed per ambitionem, & poten-

(a) *Al. deeſt* per. (b) Al. omittitur *habere*. (c) *Al. omittitur* quia. (d) *Al.* hanc rem.

potentiam ſæcularem, & ſimoniam; & iſti ſunt ſures, & latrones. Oſeæ VIII. 4. „ Ipſi „ regnaverunt, & non ex me: principes ex„ titerunt, (*a*) & non cognovi; “ ideſt, non approbavi. Et dicit, *Sed aſcendit aliunde*, quia oſtium iſtud, ſcilicet Chriſtus, cum ſit parvum per humilitatem: Matth. XI. 29. (*b*) „ Diſcite a me, quia mitis ſum: “ non poſſunt intrare niſi qui Chriſti humilitatem imitantur. Qui ergo non intrant per oſtium, aliunde aſcendunt, ideſt ſuperbi ſunt, & non imitantur illum qui, cum Deus eſſet, factus eſt homo; & humilitatem ſuam non (*c*) recognoſcunt.

(b) Hic agit de paſtore: & primo ponit paſtoris conditionem; ſecundo oſtendit per ſigna quod iſte ſit paſtor, ibi, *Huic oſtiarius aperit*. Conditio autem veri paſtoris eſt intrare per oſtium, ideſt teſtimonia ſacræ Scripturæ: unde dicebat, Luc. ult. 44. „ Oportet „ impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege „ Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. “ (*d*) Paſtor dicitur, Hier. XVII. 16. „ Ego non „ ſum turbatus te paſtorem ſequens. “ Eccli. XVIII. 13. (*e*) „ Qui miſericordiam ha„ bet, docet, & erudit, ſicut paſtor gregem „ ſuum. “ Sed ſi Chriſtus intelligatur per oſtium, ut Auguſtinus exponit, ſic intrans per oſtium, intrat per ſeipſum. Et hoc eſt proprium Chriſti: nam nullus poteſt intrare oſtium, ſcilicet ad beatitudinem, niſi per veritatem: quia nihil aliud eſt beatitudo quam gaudium de veritate; Chriſtus autem inquantum Deus, veritas eſt: & ideo inquantum homo intrat per ſeipſum, ſcilicet per veritatem, quæ eſt ipſe inquantum Deus. Nos autem non ſumus ipſa veritas, ſed ſumus filii lucis per participationem lucis veræ, & increatæ; & ideo oportet nos per veritatem, quæ eſt Chriſtus, intrare. Infra XVII. 17. *Sanctifica eos in veritate*. Iuſra (hoc cap.) *Per me ſi quis introierit, ſalvabitur*. Sed ſi quis etiam intrare vult ut paſtor, oportet quod intret per oſtium, ideſt Chriſtum, ſcilicet ſecundum eius veritatem, voluntatem, & ordinationem: unde dicitur Ezech. XXXIV. 23. „ Da„ bo eis paſtorem unum, qui paſcat eas, „ ſervum meum David; “ quaſi diceret: Per me dari debent, & non per alios, ſeu per ſeipſos.

(c) Hic ponit ſigna boni paſtoris, quæ ſunt tria. Primum ſumitur ex parte oſtiarii, ſcilicet quod ab eo introducatur; & quantum ad hoc dicit: *Oſtiarius aperit*: qui ſcilicet oſtiarius, ſecundum Chryſoſtomum, ille eſt qui viam aperit ad cognitionem ſacræ Scripturæ: qui primus fuit Moyſes, qui ſacras Scripturas primus accepit, & inſtituit; & hic aperit Chriſto: quia, ut dicitur ſupra v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forte & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Vel, ſecundum Auguſtinum, oſtiarius eſt ipſemet Chriſtus, quia ipſemet introducit homines ad ſeipſum. Dicit: „ Ipſe ſe aperit, „ qui ſeipſum exponit, ut non niſi per eius „ gratiam intremus. “ Epheſ. II. 8. „ Gra„ tia ſalvati eſtis. “ Nec refert ſi Chriſtus, qui eſt oſtium, ipſe idem ſit oſtiarius: nam quædam in ſpiritualibus congruunt quæ in corporalibus eſſe non poſſunt. Magis autem differre videtur paſtor & oſtium quam oſtium & oſtiarius. Cum ergo Chriſtus dicatur paſtor, & oſtium, ut dictum eſt, multo magis poteſt dici oſtium, & oſtiarius. Sed ſi aliam perſonam oſtiarii quæris quam Moyſem, & Chriſtum, vide oſtiarium Spiritum ſanctum, ut Auguſtinus dicit. Ad officium (*f*) enim oſtiarii pertinet ut oſtium aperiat; & de Spiritu ſancto dicitur infra XVI. 13. *Docebit vos omnem veritatem*. Chriſtus enim eſt oſtium, inquantum eſt veritas. Secundum ſignum ſumitur ex parte ovium, ſcilicet quod ei obediant: & hoc eſt quod dicit: *Et oves vocem eius audiunt*: quod quidem, ſi ex ſimilitudine naturalis paſtoris attenditur, rationabiliter dicitur: quia ſicut oves ex conſueta imaginatione recognoſcunt vocem paſtoris, ſic & fideles iuſti vocem Chriſti audiunt. Pſal. XCIV. 8. „ Hodie ſi vocem eius „ audieritis. “

Sed contra. Multi ſunt oves Chriſti, qui tamen vocem eius non audierunt, ſicut Paulus. Item aliqui audierunt, & non fuerunt oves, ſicut Iudas. Ad quod dici poſſet, quod Iudas pro tempore illo ovis Chriſti erat, quantum ad præſentem iuſtitiam. Paulus autem quaodo vocem Chriſti non audiebat, non erat ovis, ſed lupus; ſed vox Chriſti adveniens mutavit lupum in ovem. Hæc autem reſponſio ſuſtineri poſſet, ſi non contratiaretur ei quod dicit Ezech. IV. 4. „ Quod confra„ ctum fuerat non alligaſtis, & quod erro„ neum eſt, non reduxiſtis. “ Ex quo videtur quod adhuc quando confractæ, & erroneæ erant, oves erant. Et ideo dicendum, quod loquitur hic Dominus de ovibus ſuis, non ſolum ſecundum præſentem iuſtitiam, ſed etiam ſecundum æternam prædeſtinationem. Eſt enim quædam vox Chriſti quam nullus niſi prædeſtinatus audire poteſt, ſcilicet, „ qui perſeveraverit uſque ad finem: “ Matth. X. 22. Ideo etiam dicit: *Et oves vocem*

eius

(a) *Al.* &c. & dicit. (b) *Al. deeſt hac Scriptura ſententia*. (c) *Al.* recognoſcit. (d) *Al.* Paſtor verus &c. (e) *Al.* „ Sicut paſtor &c. “ (f) *Al. deeſt* enim.

eius audiunt: quia poſſent ſe excuſare de eorum infidelitate, dicentes, quod non ſolum ipſi, ſed etiam nullus ex principibus credit in eum. Unde ad hoc reſpondens, dicit: *Et oves vocem eius audiunt*; quaſi dicat: Ideo ipſi non credunt, quia non ſunt de ovibus meis.

Tertium ſignum ſumitur ex actibus ipſius paſtoris: & quantum ad hoc dicit: *Proprias oves vocat nominatim*. Ubi ponit quatuor actus boni paſtoris. Primo quidem quod oves cognoſcit: unde dicit, quod *proprias oves vocat nominatim*: in quo oſtendit cognitionem, & familiaritatem ſuam ad oves: illos enim ex nomine vocamus quos familiariter cognoſcimus. Exod. xxxiii. 17. „ Ego novi te ex nomine. “ Et quidem ad officium boni paſtoris pertinet, ſecundum illud Prov. xxvii. 23. „ Diligenter conſidera vultum pecoris „ tui. “ Et hoc quidem convenit Chriſto ſecundum præſentem cognitionem, vel magis ſecundum æternam prædeſtinationem, quas ab æterno nomine tenus novit. Pſal. cxlvi. 4. „ Qui numerat multitudinem ſtellarum, „ & omnibus eis nomina vocat. “ II. Tim. ii. 19. „Novit Dominus qui ſunt eius. “ Secundo vero quod eas educit, ideſt ſegregat a ſocietate impiorum. Pſal. cvi. 14. „ Eduxit eos „ de tenebris, & umbra mortis. “ Tertio quia iam eductas ab impiis, & inductas in ovile, iterum *educit eas*, ex ovili. Primo quidem in ſalutem aliorum. Eſa. ult. 19. „ Mittam ex eis qui ſalvati fuerint in Lydiam. “ Matth. x. 16. „ Ecce ego mitto vos ſicut oves „ in medio luporum; “ ut ſcilicet de lupis faciatis oves. Secundo vero in directionem, & viam ſalutis æternæ. Luc. i. 79. „ Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. “ Quarto vero eas præcedit exemplo bonæ converſationis: unde dicit: *Et ante eas vadit*: quod quidem in paſtore corporali nnn eſt ita; quin potius ſequitur, ſecundum illud Pſal. lxxvii. 70. „ De poſt fetantes accepit eum. “ Bonus autem paſtor ante eas vadit per exemplum. I. Petr. ult. 3. „ Neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo. “ Chriſtus autem utraque miſſione ante eas vadit: quia primus (a) pro doctrina veritatis mortem ſubiit: Matth. xvi. 24. „ Si „ quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: “ & præceſſit omnes in vitam æternam. Mich. ii. 13. „ Aſcendit pandens iter „ ante eos. “

(d) Hic agit de effectu utriuſque, furis ſcilicet, & paſtoris in ovibus: & primo ponit effectum boni paſtoris; ſecundo effectum lupi, & furis, ibi, *Alienum autem non ſequuntur*. Dicit ergo quod dictum eſt de conditionibus utriuſque, ſed oves ſequuntur illum, qui ſcilicet ante eas vadit: & hoc quidem in promptu eſt, quia ſubditi ſequuntur veſtigia prælatorum, ut dicitur I. Petr. ii. 21. „ Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia „ eius. “ Iob xxiii. 11. „ Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus. “ Et hoc ideo, *quia ſciunt vocem eius*, ideſt cognoſcunt, & delectantur in ea. Cant. ii. 14. „ Sonet vox tua „ in auribus meis: vox enim tua dulcis. “

(e) Effectus autem furis eſt ut oves eum non diu ſequantur, ſed ad tempus: unde dicit: *Alienum autem non ſequuntur*; ideſt, doctorem mendacem, & hæreticum non ſequuntur. Pſal. xvii. 46. „ Filii alieni mentiti „ ſunt mihi. “ Sic & Paulus doctores mendaces non diu ſecutus eſt. *Sed fugiunt ab eo*: & hoc ideo, quia, ut dicitur I. Corinth. xv. 33. „ corrumpunt bonos mores colloquia prava. “ Ideo autem fugiunt, *quia non noverunt*, ideſt non approbant, *vocem alienorum*, ideſt doctrinam eorum, quæ ſerpit ut cancer.

LECTIO II.

(a) HOc proverbium dixit eis Ieſus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.

(b) Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amen amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ovium.

(c) Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones; ſed non audierunt eos oves. Ego ſum oſtium.

(d) Per me ſi quis introierit, ſalvabitur:

(e) Et ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.

(f) Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat.

(g) Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

(a) Hic

(a) *Al.* per doctrinam.

(a) Hic ponit Evangeliſta neceſſitatem exponendi (*a*) ſupra poſitam ſimilitudinem: quæ quidem neceſſitas cauſatur ex audientium ignorantia. Primo vero tangit ignorantiæ cauſam; ſecundo ipſam ignorantiam manifeſtat. Cauſa autem ignorantiæ fuit proverbialis Chriſti locutio: & hoc eſt quod dicit: *Hoc proverbium dixit eis Ieſus*. Proverbium autem dicitur proprie quando loco alterius ponitur aliud, cum ſcilicet unum verbum ex ſimilitudine alterius datur intelligi: quod etiam parabola dicitur. Loquebatur autem in proverbiis Dominus primo quidem propter malos, ut myſteria regni cæleſtis eis occultaret. Luc. VIII. 10. „ Vobis datum eſt „ noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem „ in parabolis. “ Secundo vero propter bonos, ut ex proverbiis exercerentur ad inquirendum: unde poſtquam Dominus turbis proverbia, ſeu parabolas propoſuit, diſcipuli ſeorſum Chriſtum interrogabant, ut habetur Matth. XIII. & Marc. XIV. Unde & Auguſtinus dicit: „ Paſcit Dominus manifeſtis (ſci- „ licet fideles) turbas exercet obſcuris, “ ſcilicet diſcipulos. Ignorantiam manifeſtat, cum dicit: *Illi autem non intellexerunt quid loqueretur*. Ignorantia autem quæ proveniebat ex proverbiis a Chriſto propoſitis, utilis quidem erat, & damnoſa. Sed (*b*) utilis bonis, & iuſtis ad exercitium, in Dei laudem (*c*) quærentibus: nam dum ea non intelligunt, credunt, glorificant Dominum, & eius ſapientiam ſupra ſe exiſtentem. Prov. XXV. 2. „ Gloria Dei eſt celare verbum. “ Damnoſa autem malis, quia non intelligentes, blaſphemant, (*d*) ſecundum illud in Canon. Iudæ verſ. 10. „ Quæcumque ignorant, blaſphe- „ mant. “ Nam, ut Auguſtinus dicit, cum verba Evangelii audiunt pius, & impius, & ambo non intelligunt, pius dicit: Verum eſt, & bonum eſt quod dicit; ſed nos non intelligimus: & hic quidem iam pulſat, cui dignum eſt aperiri; ſed ſi perſiſtat, impius dicit: Nihil dixit, malum eſt quod ait.

(b) Hic Dominus exponit ſimilitudinem. Si autem recte conſideretur prædicta ſimilitudo, duas principales clauſulas continebat, ad quas aliæ conſequuntur. Quarum prima eſt: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium ..... ille fur eſt, & latro*. Secunda vero eſt: *Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ovium*. Et ideo iſta pars dividitur in duas: primo enim exponit primam clauſulam; ſecundo ſecundam, ibi, *Ego ſum paſtor bonus*. Circa primum duo facit. Primo exponit quæ prima clauſula continebat; ſecundo probat ea, ibi, *Ego ſum oſtium*. Fit autem mentio in prima clauſula de oſtio, fure, & latrone. Primo exponit primum; ſecundo ſecundum, ibi, *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones*. Quantum ad primum dicit: *Dixit ergo eis iterum Ieſus*, ut ſcilicet eos (*e*) attentiores reddat, & intelligerent ſimilitudinem. Prov. I. 6. „ Animadvertet parabolam, & in- „ terpretationem &c. “ *Amen amen dico vobis*, ideſt vere: *Ego ſum oſtium*: officium enim oſtii eſt ut per ipſum quis ad domus interiora ingrediatur; & hoc Chriſto convenit: nam per eum oportet quemlibet ad Dei ſecreta intrare. Pſal. CXVII. 10. „ Hæc porta „ Domini (ſcilicet Chriſtus) & iuſti intra- „ bunt in eam. “ Dicit autem, *Ovium*, quia non ſolum paſtores per Chriſtum introducuntur in præſentem Eccleſiam, vel in æternam beatitudinem per Chriſtum ingrediuntur; ſed etiam oves: unde infra eodem: *Oves meæ vocem meam audiunt ..... & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis*.

(c) Conſequenter cum dicit, *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones*, exponit quod dixit de fure, & latrone: & primo oſtendit quis ſit fur, & latro; ſecundo ponit ſignum huius.

Circa primum autem cavendus eſt error Manichæorum, qui damnantes vetus teſtamentum ex hoc quod dicitur: *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt*: dicunt, patres veteris teſtamenti, qui fuerunt ante Chriſtum, malos fuiſſe, & damnatos. Sed hoc eſſe falſum apparet ex tribus. Primo quidem ex his quæ in parabola dicta ſunt. (*f*) Quod enim hic dicitur, *Omnes quotquot venerunt*, (*g*) ponitur ut expoſitivum præcedentium; ibi autem dicitur, quod intraverunt, &c. Illi ergo *omnes quotquot veniunt*, ſcilicet non per me, ideſt non intrantes per oſtium, *fures ſunt, & latrones*. Conſtat autem quod Patriarchæ, & Prophetæ omnes per oſtium, ideſt Chriſtum, intraverunt, quos Chriſtus venturus præcones mittebat. Licet enim ex tempore carnem acceperit, & factus fuerit homo, ab æterno tamen erat Verbum Dei. Heb. XIII. 8. „ Ieſus „ Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcu- „ la. “ Prophetæ autem miſſi ſunt per Verbum Dei, & Sapientiam. Sap. VII. 27. „ Per „ nationes in animas ſanctas ſe transfert (ſci- „ licet Dei Sapientia) Prophetas, & amicos „ Dei conſtituit. “ Et ideo ſignanter in Prophetis legimus, Verbum Domini factum eſſe ad hunc, vel ad illum Prophetam, qui per par-

(a) *Al.* ſuppoſitam. (b) *Al.* utilis quidem bonis, & iuſtis ut exercitium. (c) *Al. omittitur* quærentibus. (d) *Al. deeſt hac Scriptura ſententia.* (e) *Al.* anteriores (f) *Al.* Hoc quod (g) *Al. deſunt verba ſequentia uſque ad* ſcilicet non per me.

participationem Verbi Dei prophetaverunt. Secundo ex hoc quod Dominus dicit, *Venerunt*; quaſi dicat, propria auctoritate, & non a Deo miſſi, ſeipſos ingerentes: de quibus Hier. XXIII. 21. „ Non mittebam eos, & „ ipſi currebant. “ Iſti quidem non venerunt a Verbo Dei. Ezech. XIII. 3. „ Væ Pro„ phetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum „ ſuum, & nihil vident. “ Tales non fuerunt Patres veteris teſtamenti, ut dictum eſt. Tertio ex ipſo facto, quod oſtendit verborum conſequentia: nam hic dicitur: *Non audierunt eos oves*. Illi ergo quos audierunt oves, non fuerunt fures, & latrones. Populus autem Iſrael Prophetas audivit. Propterea illi qui non audierunt, in ſacra Scriptura vituperantur. Act. VII. 52. „ Quem Pro„ phetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? “ Matth. XXIII. 37. „ Hieruſalem, Hieruſa„ lem, quæ occidis Prophetas, & lapidas „ eos qui ad te miſſi ſunt. “

Sic ergo errore excluſo, dicendum eſt: *Omnes quotquot venerunt*, ſcilicet præter me, & præter divinam inſpirationem, & auctoritatem, & non cum intentione divinæ gloriæ quærendæ, ſed propriæ uſurpandæ, *fures ſunt*, inquantum quod non ſuum eſt, ſcilicet docendi auctoritatem, ſibi uſurpant: Eſa. I. 23. „ Principes tui infideles, ſocii furum: “ *&* *latrones*, quia per pravam doctrinam occidunt. Matth. XXI. 13. „ Vos autem feciſtis illam „ ſpeluncam latronum. “ Oſeæ VI. 9. „ Par„ ticeps latronum interficientium in via per„ gentes. “ Sed *eos*, ſcilicet fures, & latrones, *oves*, prædeſtinatæ, *non audierunt*, ſcilicet perſeveranter; alias non fuiſſent de ovibus Chriſti: quia *alienum non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo*: ut dicitur ſupra eodem. Hoc etiam præcipitur Deut. III. 1. „ Non audias „ verba illius Prophetæ, aut ſomniatoris. “

Ego ſum oſtium. Hic manifeſtat expoſitionem: & primo expoſitionem oſtii; ſecundo furis, ibi, *Fur non venit*. Circa primum duo facit. Primo reſumit quod intendit exponere; ſecundo exponit. Reſumit autem quod dixit, *Ego ſum oſtium*. Cantic. ult. 9. „ Si eſt oſtium, compingamus illud tabulis ce„ drinis; “ ideſt, attribuamus ei virtutem imputreſcibilem.

(d) Exponit autem cum dixit, *Per me ſi quis introierit, ſalvabitur*. Ubi primo oſtendit quod competit ei uſus oſtii, qui eſt ſalvare oves; ſecundo inſinuat ſalvationis modum, ibi, *Ingredietur, & egredietur*. Salvat autem oſtium arcendo interiores, ne progrediantur, & defendendo ab exterioribus, ne invadantur. Et hoc competit Chriſto: nam per ipſum ſalvamur, & protegimur; & hoc eſt quod dicit: *Per me*, ſcilicet oſtium, *ſi quis*, non fictus, *introierit*, ad ſocietatem Eccleſiæ, & fidelium, *ſalvabitur*: ſupple, ſi perſeveraverit. Act. IV. 12. „ Non eſt aliud nomen ſub cælo datum „ hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fie„ ri. “ Rom. V. 10. „ Multo magis ſalvi e„ rimus in vita ipſius. “

(e) Modus autem ſalutis ponitur cum dicit, *Et ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet*; quæ quidem verba quadrupliciter exponi poſſunt. Primo quidem, ſecundum Chryſoſtomum, nihil aliud debet intelligi quam ſecuritas, & libertas adhærentium Chriſto: nam qui aliunde aſcendit quam per oſtium, non habet liberum introitum, & exitum; (a) qui vero per oſtium intrat, habet liberum exitum: quia libere poteſt exire. Cum ergo dicit, *Ingredietur, & egredietur*, eſt ſenſus, ſecundum hanc ſimilitudinem, quod Apoſtoli adhærentes Chriſto, cum ſecuritate ingrediuntur, converſando cum fidelibus, qui intra Eccleſiam ſunt, & cum infidelibus qui ſunt extra, quando totius orbis terrarum (b) facti ſunt domini, & nullus eos eiicere voluit. Num. XXVII. 16. „ Provi„ deat Dominus Deus ſpirituum univerſæ car„ nis hominem ſuper populum iſtum, qui poſ„ ſit ingredi, & egredi: ne ſit populus Do„ mini ſicut oves abſque paſtore. “ *Et paſcua inveniet*; ideſt, delectationem in converſione, & gaudium etiam in perſecutionibus infidelium pro Chriſti nomine habebant: ſecundum illud Act. V. 41. „ Ibant Apoſtoli gaudentes a „ conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt „ pro nomine Ieſu contumeliam pati. “

Secundo poteſt exponi, ſecundum Auguſtinum ſuper Ioannem. Cuilibet bene agenti duo incumbunt, ſcilicet ut bene ſe habeat ad ea quæ intra ipſum ſunt, & ad ea quæ extra. Interius autem in homine eſt ſpiritus; exterius autem eſt corpus. II. Corinth. IV. 16. „ Licet is qui „ foris eſt homo noſter corrumpatur, tamen „ is qui intus eſt renovatur de die in diem. “ Ille ergo qui Chriſto adhæret, ingredietur quidem per contemplationem ad cuſtodiam conſcientiæ: Sapien. VIII. 16. „ Intrans do„ mum meam (ſcilicet conſcientiam) conquie„ ſcam cum illa, “ ſcilicet ſapientia: *& egredietur*, foras, ſcilicet per bonam actionem, ad domandum corpus: Pſal. CIII. 23. „ Ex„ ibit homo ad opus ſuum, & ad operatio„ nem ſuam uſque ad veſperum: “ *& paſcua inveniet*, ſcilicet in conſcientia munda, & devota: Pſal. XVI. 15. „ (c) Apparebo con„ ſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria „ tua:

(a) *Al.* qui vero per oſtium, non habet &c. (b) *Al.* facti ut domini. (c) *Al.* introibo in conſpectu tuo.

„ tua: “ & in actione, *paſcua inveniet*, ſcilicet fructus. Pſal. cxxv. 6. „ Venientes autem venient cum exultatione, portantes „ manipulos ſuos. “

Tertia expoſitio eſt etiam eiuſdem, & Beati Gregorii ſuper Ezech. ut ſit ſenſus: *Ingredietur*, in Eccleſiam, credendo: Pſal. xli. 5. „ Tranſibo in locum tabernaculi admirabi- „ lis: “ quod eſt ingredi in Eccleſiam militantem: *& egredietur*, ſcilicet de militante ad Eccleſiam triumphantem: Cant. iii. 11. „ E- „ gredimini filiæ Sion, & videte Regem Sa- „ lomonem in diademate, quo coronavit illum „ mater ſua in die deſponſationis illius. “ *& paſcua inveniet*, in Eccleſia militante, ſcilicet doctrinæ, & gratiæ: Pſal. xxii. 2. „ In loco „ paſcuę ibi me collocavit: “ & in Eccleſia triumphante, ſcilicet gloriæ. Ezech. xxxiv. 14. „ In paſcuis uberrimis paſcam eas. “

Quarto exponitur in Libro de Spiritu, & Anima, qui Auguſtino attribuitur, cuius tamen non eſt: ubi dicitur, quod *ingredientur*, ſcilicet ſancti ad contemplandam divinitatem Chriſti, *& egredientur*, ad eius humanitatem conſiderandam; & in utroque *paſcua invenient*, quia in utroque gaudia contemplationis guſtabunt. Eſa. xxxiii. 17. „ Regem in decore „ ſuo videbunt. “

(f) Hic agitur de fure. Et primo ponit furis proprietatem; ſecundo aſſerit ſibi contrariam proprietatem ineſſe, ibi, *Ego veni, ut vitam habeant &c.* Dicit ergo, quod illi qui non intrant per oſtium, ideſt qui venerunt præter me, ipſi fures ſunt & latrones, quorum conditio mala eſt. Nam primo quidem *fur non venit niſi ut furetur*, ideſt ut uſurpet quod non eſt ſuum, cum ſcilicet ſeditioſi, & hæretici eos qui Chriſti ſunt, ſibi adiungunt. Pſal. ix. 4. „ Inſidiatur ut rapiat paupe- „ rem. “ Secundo fur venit, *ut mactet*, ideſt occidat inducendo perverſam doctrinam, & pravos mores. Oſeæ vi. 9. „ Particeps latronum „ interficientium in via pergentes de Sichem. “ Tertio ut perdat immittendo in perditionem æternam. Hierem. l. 6. „ Grex perditus fa- „ ctus eſt populus meus. “ Quæ quidem conditiones non ſunt in me.

(g) *Ego veni, ut vitam habeant*; quaſi dicat: Iſti non per me venerunt, quia ſimilia agerent his quæ ego ago; ſed ipſi contrarium agunt: quia furantur, occidunt, & perdunt. *Ego veni, ut vitam habeant*, ſcilicet iuſtitiæ, ingredientes Eccleſiam militantem per fidem. Habac. ii. & Rom. i. 17. „ Iuſtus autem ex „ fide vivit. “ De iſta vita dicitur I. Ioan. iii. 14. „ Nos ſcimus quoniam tranſlati ſu- „ mus de morte ad vitam, quoniam diligimus „ fratres. “ *Et abundantius habeant*, ſcilicet vitam æternam, egredientes de corpore: de qua vita æterna dicitur infra xvii. 3. *Ut cognoſcant te ſolum verum Deum.*

LECTIO III.

(a) EGo ſum paſtor bonus.

(b) Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

(c) Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.

(d) Et lupus rapit, & diſpergit oves.

(e) Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.

(a) HIc exponit ſecundam clauſulam præmiſſæ parabolæ, ſcilicet *Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ovium*. Et primo ponit expoſitionem; ſecundo manifeſtat eam, ibi, *Ego ſum paſtor bonus &c.* Exponit autem illam particulam, dicens ſe eſſe paſtorem bonum; ſecundo ſubdit boni paſtoris officium, ibi, *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*; tertio oſtendit de malo paſtore contrarium, ibi, *Mercenarius autem .... videt lupum venientem, & fugit*. Dicit ergo quantum ad primum: *Ego ſum paſtor bonus*. Quod autem Chriſtus ſit paſtor, manifeſte ei competit: nam ſicut per paſtorem grex gubernatur, & paſcitur, ita fideles per Chriſtum ſpirituali cibo, & etiam corpore, & ſanguine ſuo reficiuntur. I. Pet. ii. 25. „ Eratis aliquando ſicut oves non ha- „ bentes paſtorem; ſed converſi eſtis nunc „ ad paſtorem, & Epiſcopum animarum ve- „ ſtrarum. “ Eſa. xl. 11. „ Sicut paſtor gre- „ gem ſuum paſcet. “ Sed ad differentiam mali paſtoris, & furis addit, *Bonus*. Bonus, inquam, quia implet paſtoris officium, ſicut bonus miles dicitur qui implet militis officium. Sed cum Chriſtus dixerit ſupra, paſtorem intrare per oſtium, & iterum ſe eſſe oſtium, hic autem dicat ſe eſſe paſtorem; oportet quod ipſe (a) per ſemetipſum intret. Et qui-

(a) *Al. omittitur per.*

Digitized by Google

dem per ſeipſum intrat, quia ſeipſum manifeſtat, & per ſeipſum novit Patrem. Nos autem per illum intramus, quia per ipſum beatificamur. Sed attende, quod nullus alius eſt oſtium niſi ipſe, quia nullus alius eſt lux vera, ſed per participationem. Supra 1. 8. *Non erat ille lux*, ſcilicet Ioannes Baptiſta; *ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Sed de Chriſto dicitur: *Erat lux vera qua illuminat omnem hominem*. Et ideo eſſe oſtium nemo ſe dicit: hoc ſibi ipſe Chriſtus proprie retinuit; eſſe autem paſtorem, aliis communicavit, & membris ſuis dedit: nam & Petrus paſtor, & ceteri Apoſtoli paſtores fuerunt, & omnes boni Epiſcopi. Hier. III. 5. „ Dabo vobis paſto„ res ſecundum cor meum. “ Licet autem præpoſiti Eccleſiæ, qui filii ſunt, omnes paſtores ſint, ut Auguſtinus dicit; ideo tamen ſingulariter dicit, *Ego ſum paſtor bonus*, ut inſinuet virtutem caritatis. Nullus enim eſt paſtor bonus, niſi per caritatem efficiatur unum cum Chriſto, & fiat membrum veri paſtoris.

(b) Officium boni paſtoris eſt caritas: unde dicit: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Sciendum eſt enim, quod differentia eſt inter bonum paſtorem & malum: nam bonus paſtor intendit commodum gregis; malus autem commodum proprium: & hæc differentia tangitur Ezech. XXXIV. 2. „ Væ paſtoribus qui „ paſcunt ſemetipſos. Nonne greges paſcuntur „ a paſtoribus? “ Qui igitur utitur grege, ut ſemetipſum tantum paſcat, non eſt paſtor bonus. Ex quo ſequitur quod paſtor malus, etiam corporalis, nullum detrimentum vult ſuſtinere pro grege, cum non intendat eorum commodum, ſed proprium. Bonus vero paſtor, etiam corporalis, ſuſtinet multa pro grege, cuius bonum intendit: unde Iacob dixit Geneſ. XXXI. 40. „ Nocte ac die gelu u„ rebar, & æſtu. “ Sed in corporalibus paſtoribus non exigitur a bono paſtore ut exponat ſe morti propter ſalutem gregis. Sed quia ſpiritualis gregis ſalus præponderat corporali vitæ paſtoris, ideo cum periculum imminet de gregis ſalute, debet quiſque ſpiritualis paſtor; corporalis vitæ ſuſtinere diſpendium pro gregis ſalute: & hoc eſt quod Dominus dicit: *Bonus paſtor animam ſuam*, ideſt vitam corporalem, *ponit pro ovibus ſuis*, ideſt auctoritate, & caritate. Utrumque enim exigitur, & quod ad eum pertineant, & quod eas amet: nam primum ſine ſecundo non ſufficit. Huius autem doctrinæ Chriſtus nobis exemplum præbuit. I. Ioan. III. 16. „ Si Chriſtus „ poſuit animam ſuam pro nobis, & nos de„ bemus pro fratribus animas ponere. “

(c) Hic agit de malo paſtore, oſtendens ei contrarias conditiones ineſſe a conditionibus boni paſtoris. Et primo ponit mali paſtoris conditiones; ſecundo oſtendit quomodo ipſæ conditiones ſe invicem conſequuntur, ibi, *Mercenarius autem ... fugit*. Circa primum duo facit. Primo ponit conditiones mali paſtoris; ſecundo inſinuat periculum imminens gregi, ex malo paſtore, ibi, *Et lupus rapit &c.*

Notandum autem, quod ex his quæ dicta ſunt de bono paſtore, & his quæ dicuntur de malo, triplex differentia conditionum ipſorum, ſcilicet boni, & mali paſtoris, accipi poteſt. Prima quidem diſtinctio accipitur quantum ad intentionem; ſecunda quantum ad effectum; tertia quantum ad ſolicitudinem. Differunt ergo primo in intentione, & hoc ex nomine utriuſque: nam primus dicitur paſtor, ex quo datur intelligi quod intendit paſcere gregem. Ezech. XXXIV. 2. „ Nonne „ greges paſcuntur a paſtoribus? “ Iſte autem, ſcilicet malus, dicitur mercenarius, quaſi mercedem quærens: ut ſic differant in hoc quod bonus paſtor quærit utilitatem gregis; mercenarius autem principalius commodum proprium. Hæc etiam differentia eſt inter Regem & Tyrannum, ut Philoſophus dicit, quia Rex in ſuo regimine intendit utilitatem ſubditorum; Tyrannus vero utilitatem propriam: unde eſt ſicut mercenarius. Zach. 11. 12. „ Si „ bonum eſt in oculis veſtris, afferte mihi „ mercedem. “

Sed numquid poſſunt quærere etiam boni paſtores mercedem? Videtur quod ſic. Eccli. XXXVI. 18. „ Da mercedem, Domine, ſuſtinen„ tius, te. “ Eſa. xl. 10. „ Ecce merces eius „ cum eo. “ Et Luc. xv. 17. „ Quanti mercenarii „ in domo patris mei abundant panibus. “

Reſpondeo dicendum, quod merces poteſt accipi dupliciter, ſcilicet communiter, & proprie. Communiter quidem, omne quod meritis redditur, dicitur merces: & quia vita æterna, quæ eſt Deus: I. Ioan. ult. 20. „ Hic eſt verus Deus, & vita æterna: “ meritis redditur; ideo ipſa vita æterna merces dicitur. Et hanc mercedem poteſt, & debet quærere quilibet bonus paſtor. Proprie autem dicitur merces aliquid ſegregatum ab hereditate; & ad hanc non debet habere reſpectum ille qui eſt verus filius, ad quem ſpectat hereditas; ſed ad eam reſpectum habent ſervi, & mercenarii. Unde cum vita æterna ſit hereditas noſtra, qui operatur habens ad eam reſpectum, operatur ut filius; qui vero intendit aliquid ſeorſum ab ea (puta terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet) mercenarius eſt.

Secundo diſtinguuntur quantum ad ſolicitu-

tudinem: quia de bono paſtore dicitur, quod oves ſunt ſuæ, non ſolum commiſſione, ſed etiam amore, & ſolicitudine: Philip. I. 7. „ Eo quod habeam vos in corde &c.“ ſed de mercenario dicitur: *Cuius non ſunt oves propria*; ideſt, earum ſolicitudinem non habet. Ezech. XXXIV. 8. „ Neque quæſierunt paſto- „ res gregem meum, ſed paſcebant ſemet- „ ipſos.“ Tertio differunt quantum ad affe- ctum: nam bonus paſtor qui diligit gregem, animam ſuam dat pro eo; ideſt, exponit ſe periculo vitæ corporalis. Malus autem, quia nullum affectum habet ad gregem, fugit cum videt lupum. Unde dicit: *Videt lupum venientem, & dimittit oves.*

Lupus iſte tripliciter accipitur. Primo quidem diabolus tentans. Eccli. XIII. 21. „ Sed „ ſi communicabit aliquando lupus cum agno, „ ſic peccator iuſto.“ Secundo vero hæreticus mactans. Matth. VII. 15. „ Attendite „ a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in „ veſtimentis ovium.“ Act. XX. 29. „ Ego ſcio „ (*a*) quoniam intrabunt poſt diſceſſionem „ meam lupi rapaces in vos, non parcentes „ gregi.“ Tertio tyrannus ſæviens. Ezech. II. 27. „ Principes eius in medio eius quaſi „ lupi.“ Debet ergo (*b*) bonus paſtor contra hunc lupum triplicem, ſubditum gregem tueri, dum ſcilicet videns lupum, ideſt tentationem diabolicam, deceptionem hæreticam, & ſævitiam tyrannicam, opponit ſe: contra quod dicitur Ezech. XIII. 5. „ Non aſcendiſtis „ ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro „ domo Iſrael.“ Et ideo dicitur de malo paſtore, quod *fugit, & dimittit oves*. Zach. II. 17. „ O paſtor, & idolum derelinquens gre- „ gem;“ quaſi dicat: Non (*c*) es paſtor, ſed ſimilitudinem, & idolum geris paſtoris. Hier. XLVI. 21. „ Mercenarii eius in medio eius, „ quaſi vituli ſaginati verſi ſunt, & fugerunt „ ſimul, nec ſtare potuerunt.“

Sed contra hoc eſt quod dicitur Matth. V. II. „ Si vos perſecuti fuerint in una civitate, „ fugite in aliam.“ Ergo videtur quod licet paſtori fugere. Reſpondeo dicendum, quod ad hoc eſt duplex ſolutio. Una eſt Auguſtini ſuper Ioannem. Eſt enim duplex (*d*) fuga, ſcilicet animi, & corporis. Quod autem hic dicitur, *Dimittit oves, & fugit*, intelligitur de fuga animi; nam dum malus paſtor a lupo ſibi periculum metuit, reſiſtere eius iniuſtitiæ non præſumit; ſed fugit non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſolatium, refugiens ſcilicet gregis ſolicitudinem. Sed hæc expoſitio neceſſaria eſt quantum ad primum lupum: nam contra diabolum non oportet corporaliter fugere. Sed quia contingit etiam aliquem paſtorem fugere corporaliter propter aliquos lupos, ſcilicet hæreticum habentem poteſtatem, & tyrannum; ideo adhibenda eſt alia reſponſio, quam Auguſtinus ponit in Epiſtola ad Honoratum. Nam, ut ipſe dicit, videtur quod liceat etiam corporaliter fugere lupos, non ſolum ex auctoritate Domini ſupra poſita, ſed etiam exemplo ſanctorum aliquorum: puta Athanaſii, & aliorum perſecutores fugientium. Non enim quia fugit, ſed quia dimittit oves vituperatur: unde ſi poſſet fugere non dimittendo oves, non eſſet vituperabile. Contingit enim aliquando quod quæritur perſona prælati; aliquando totus grex. Manifeſtum eſt autem quod ſi quæratur ſola perſona prælati, poſſunt alii loco ſui ad gregis cuſtodiam deputari, qui vice ſui conſolentur, & gubernent gregem. Unde ſi ſic fugiat, non dicitur dimittere oves; & hoc modo, in caſu, fugere licet. Si autem quæratur totus grex, aut oportet quod paſtores omnes ſimul ſint cum ovibus, aut oportet quod aliqui ex eis remaneant, & aliqui recedant. Si autem totaliter deſerant gregem, tunc eis competit quod hic dicitur: *Videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.*

(*d*) Hic ponitur periculum imminens, quod eſt duplex. Unum eſt ovium rapina: unde dicit: *Lupus rapit*; ſcilicet, quod alienum eſt, ſibi uſurpat. Fideles enim Chriſti ſunt eius oves. Tunc igitur aliquis hæreſiarcha, & lupus rapit oves, quando fideles Chriſti ad doctrinam ſuam falſam attrahit. Ezech. XXXIV. 8. „ Factus eſt grex meus in direptionem o- „ mnium beſtiarum agri.“ Aliud periculum eſt ovium diſperſio: unde dicit, *Et diſpergit oves*, inquantum aliqui ſeducuntur, & aliqui perſiſtunt. Ezech. XXXIV. 6. „ Diſperſi ſunt „ greges mei; & non erat qui require- „ ret.“

(*e*) Hic oſtendit quomodo prædictæ conditiones ſe invicem conſequuntur: nam ex primis duabus ſequitur tertia. Ex hoc enim quod quærit utilitatem ſuam, & non afficitur ad gregem per amorem, & ſolicitudinem, ſequitur quod non velit pro eo incommodum ſuſtinere; & ideo dicit: *Mercenarius autem fugit*; ideo ſcilicet *quia mercenarius eſt*; ideſt, quærit commodum proprium quantum ad primam conditionem; *& non pertinet ad eum de ovibus*; ideſt, non eas diligit, neque pro eis ſolicitatur, (*e*) quantum ad ſecundam conditionem eius. Unde Iob XXXIX. 16. dicitur de malo paſtore: „ Induratur ad filios quaſi non „ fuerint ſui.“ E converſo autem eſt de bono

(*a*) *Al.* quando. (*b*) *Al.* homo paſtor. (*c*) *Al.* eſt. (*d*) *Al.* figura. (*e*) *Al.* quando.

no paſtore: nam gregis commodum quærit, non proprium. Philip. IV. 17. „ Non quæro „ datum, ſed quæro fructum &c. “ Et pertinet ad eum de ovibus; ideſt, eas diligit, & de eis ſolicitatur. Philip. I. 7. „ Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis „ &c. “

LECTIO IV.

(a) Ego ſum paſtor bonus;

(b) Et cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.

(c) Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient; & fiet unum ovile, & unus paſtor.

(d) Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam.

(e) Nemo tollit eam a me; ſed ego pono eam a meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.

(f) Hoc mandatum accepi a Patre meo.

(a) Hic Dominus probat ſuam expoſitionem: & primo reſumit quod probare intendit; ſecundo probationem inducit, ibi, *Et cognoſco oves meas*; tertio eam manifeſtat, ibi, *Propterea me Pater diligit*. Dicit ergo primo: *Ego ſum paſtor bonus*. Hoc expoſitum eſt ſupra. Ezech. XXXIV. 11. „ Requiram oves meas in die illa, ſicut viſitat pa„ ſtor gregem ſuum. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Et cognoſco oves meas*, probat quod dicit. Duo autem dicit de ſe, ſcilicet quod eſt paſtor, & quod eſt bonus. Primo ergo probat quod ſit paſtor; ſecundo quod paſtor bonus. Paſtorem autem ſe eſſe probat per duo ſigna poſita ſuperius de paſtore: quorum primum eſt quod oves proprias vocat nominatim; & quantum ad hoc dicit: *Et cognoſco oves meas*. II. Tim. II. 19. „ Novit Dominus qui ſunt eius. “ *Cognoſco*, inquam, notitia non ſolum ſimplici, ſed etiam probationis, & dilectionis. Apoc. I. 5. „ Dilexit nos, & lavit nos a peccatis no„ ſtris. “ Secundum ſignum eſt quod oves vocem eius audiunt, & ſciunt eum; & quantum ad hoc dicit: *Et cognoſcunt me meæ*; (a) meæ, inquam, prædeſtinatione, vocatione, & gratia; quaſi dicat: Ipſæ me diligentes obſequuntur: unde hoc intelligitur de notitia dilectionis: de qua dicitur Hier. XXXI. 34. „ O„ mnes cognoſcent me a minimo uſque ad „ maiorem &c. “ Bonum autem paſtorem ſe oſtendit, oſtendens ſe habere officium boni paſtoris, quod eſt ut animam ſuam ponat pro ovibus ſuis. Et primo ponit cauſam huius; ſecundo ipſum ſignum inducit; tertio ſubdit fructum ſigni. Cauſam autem huius ſigni, ſcilicet quod animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, eſt notitia quam habet de Patre: & quantum ad hoc dicit: *Sicut novit me Pater, ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis*. Et hoc quidem verbum dupliciter poteſt exponi. Uno modo, ut ly *ſicut* ſignificet ſimilitudinem; & hoc modo notitia huius poteſt communicari creaturæ alicui. I. Corinth. XIII. 12. „ Cognoſcam ſicut & cognitus ſum; “ ideſt, ſicut cognitus ſum ſine velamine, ita ſine velamine cognoſcam. Alio modo ut ly *ſicut* importet æqualitatem; & tunc cognoſcere Patrem ſicut cognitus eſt ab eo, eſt proprium ſolius Filii: quia ſolus Filius cognoſcit Patrem comprehendendo, ſicut Pater comprehendendo cognoſcit Filium. Matth. XI. 27. „ Nemo novit Filium niſi Pater, neque „ Patrem quis novit niſi Filius, “ notitia ſcilicet comprehenſionis. Ideo autem Dominus hoc dicit, quia in hoc ipſo quod cognoſcit Patrem, cognoſcit eius voluntatem, in qua erat ut Filius pro ſalute humani generis moreretur: in quo etiam dicit ſe mediatorem Dei, & hominis. Nam ſicut ad oves ſe habet ut cognitus, & cognoſcens; ita & ad Patrem: quia ſicut Pater eum novit, ita ipſe Patrem cognoſcit. Conſequenter cum dicit, *Et animam meam pono pro ovibus meis*, ponit ipſum ſignum. I. Ioan. III. 16. „ In hoc „ cognovimus caritatem Dei, quoniam ille „ pro nobis animam ſuam poſuit &c. “

Sed cum in Chriſto ſint tres ſubſtantiæ, ſcilicet ſubſtantia Verbi, animæ, & corporis, quæritur quis loquatur cum dicit: *Animam meam pono*. Si dicas, quod Verbum hic loquitur, non eſt verum: nam Verbum numquam

(a) *Al. deeſt* meæ.

quam animam poſuit, cum numquam fuerit ab anima ſeparatum. Si autem dicas, quod anima loquitur; hoc etiam impoſſibile videtur, quia nihil ſeparatur a ſeipſo. Si vero dicas, quod quantum ad corpus Chriſtus hoc dicit; nec hoc videtur, quia corpus non habet poteſtatem iterum ſumendi eam.

Dicendum ergo ad hoc, quod in morte Chriſti, anima fuit ſeparata a carne; alias non fuiſſet vere mortuus; ſed divinitas numquam ſeparata fuit in Chriſto ab ipſa anima, & carne; ſed unita fuit animæ deſcendenti ad inferos, & corpori exiſtenti in ſepulcro: & ideo corpus virtute divinitatis animam poſuit, & iterum reſumpſit eam.

(c) Conſequenter cum dicit, *Et alias oves habeo &c.* ponit fructum mortis Chriſti, qui eſt ſalus non ſolum Iudæorum, ſed etiam gentium: quia enim dixerat, *Animam meam pono pro ovibus meis*, Iudæi reputantes ſe oves Dei, ſecundum illud Pſal. LXXVIII. 13. „ Nos autem populus eius, & oves paſcuæ eius: “ poſſent dicere, quod pro eis tantum animam poneret. Sed Dominus addit dicens, quod non tantum pro eis, ſed etiam pro aliis. Infra XI. 51. *Hoc a ſemetipſo non dixit; ſed cum eſſet pontifex anni illius, prophetavit: quia Chriſtus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* In iſto autem fructu Dominus tria facit. Primo ponit gentium prædeſtinationem; ſecundo earum per gratiam vocationem; tertio ipſarum iuſtificationem. Quantum ad primum dicit: *Alias oves habeo*, ſcilicet gentes, *quæ non ſunt ex hoc ovili*, ſcilicet de genere carnis Iſrael, quod erat quaſi ovile. Mich. II. 12. „ Congregabo Iacob totum „ te. “ Nam ſicut oves in ovili concluduntur, ſic iſti in præceptis legalibus concluſi cuſtodiebantur, ut habetur Galat. III. iſtas, inquam, oves, ſcilicet gentiles, habeo a Patre per æternam prædeſtinationem, Pſal. II. 8. „ Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. “ Eſa. XLIX. 6. „ Parum eſt „ ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael convertendas: dedi te „ in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque „ ad extremum terræ. “ Quantum ad ſecundum dicit: *Et illas oportet me adducere*; ideſt, opportunum eſt ſecundum ordinem divinæ prædeſtinationis ad gratiam vocare.

Sed contra, Matth. XV. 24. dicit Dominus: „ Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt „ domus Iſrael. “ Reſponſio. Dicendum, quod ad oves domus Iſrael tantum miſſus eſt Ieſus, ut eis corporaliter prædicaret: ſecundum illud Rom. XV. 8. „ Dico autem Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis „ propter veritatem Dei, ad confirmandas „ promiſſiones patrum. “ Gentes autem adduxit per Apoſtolos ſuos. Eſa. ult. 19. „ Mittam ex eis qui reliqui fuerint, ad gentes. “

Quantum ad tertium dicit: *Et vocem meam audient*. Ubi tria ponuntur neceſſaria ad iuſtitiam chriſtianæ religionis. Primum eſt obedientia mandatorum Dei; & quantum ad hoc dicit: *Et vocem meam audient*; ideſt, ſervabunt mandata mea. Matth. ult. 20. „ Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. “ Pſal. XVII. 45. „ Populus „ quem non cognovi (ideſt, quem non approbavi) auditu auris obedivit mihi. “ Secundum eſt unitas caritatis; & quantum ad „ hoc dicit: “ *Et fiet unum ovile*; ideſt, ex duabus gentibus, Iudaico, & Gentili populo, una Eccleſia fidelium. Epheſ. IV. 5. „ Una „ fides. “ Et Philip. II. 14. „ Ipſe eſt pax „ noſtra qui fecit utraque unum. “ Tertium eſt unitas fidei; & quantum ad hoc dicit: (a) *Et unus paſtor*. Ezech. XXXVII. 24. „ Et paſtor unus erit ovium eorum, “ ſcilicet Iudæorum, & Gentilium.

(d) Hic Dominus manifeſtat ſuam probationem: & primo manifeſtat (b) cauſam ſigni; ſecundo ſignum, ſeu effectum, ibi, *Nemo tollit eam a me*; tertio oſtendit eam eſſe convenientem, ibi, *Hoc mandatum accepi a Patre meo*. Cauſam autem mortis dicit Dominus eſſe notitiam quam habet de Patre, dicens: *Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis*. Unde hoc exponens dicit: *Propterea Pater me diligit*: ex quo patet quod Pater novit eum notitia approbationis, *propterea*, inquam, *quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam*.

Sed numquid mors eſt cauſa paternæ dilectionis? Videtur quod non: quia temporale non eſt cauſa æterni: mors autem Chriſti eſt temporalis; dilectio vero Dei ad Chriſtum eſt æterna &c. (c) Reſpondeo dicendum, quod Chriſtus hic loquitur de dilectione Patris ad eum, ſed inquantum eſt homo: & ſic hæc littera dupliciter poteſt legi. Uno modo ut ly *quia* teneatur cauſaliter; alio modo ut deſignet terminum, vel ſignum dilectionis. Si quidem teneatur cauſaliter, tunc eſt ſenſus: *Quia ego pono animam meam*, ideſt ſuſtineo mortem, *propterea Pater diligit me*; ideſt, effectum dilectionis mihi dat, ſcilicet claritatem, & exaltationem corporis. Philip. II. 8. „ Factus eſt „ obediens uſque ad mortem, mortem autem „ cru-

(a) *Al. Ego unus paſtor*. (b) *Al.* ſuam cauſam. (c) *Al.* Reſponſio.

„ crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper „ omne nomen. “

Sed contra hoc videtur eſſe, quia bona opera non poſſunt eſſe meritoria divinæ dilectionis: cum enim opera noſtra intantum meritoria ſint, inquantum caritate informantur: ſecundum quod dicitur I. Corinth. XIII. 3. „ Si diſtribuero (*a*) omnes facultates meas „ in cibos pauperum, caritatem autem non „ habeam, nihil mihi prodeſt: “ & Deus præveniat etiam nos in amando: I. Ioan. IV. 10. „ In hoc eſt caritas, non quaſi dilexerimus „ Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos: “ manifeſtum eſt quod ſua dilectio præcedit omne meritum noſtrum. Sed ad hoc dicendum, quod ipſam Dei dilectionem nullus mereri poteſt; ſed effectum divinæ dilectionis, qui eſt augmentum gratiæ, & collatio boni gloriæ, quem ex dilectione ſua nobis Deus confert, mereri poſſumus per bona opera noſtra: unde poſſumus dicere, quod Deus propterea hunc vel illum hominem diligit, ideſt ei effectum ſuæ dilectionis impendit, quia implet eius mandata: & ſic poſſumus dicere de Chriſto homine, quod propterea Pater diligit eum, ideſt exaltavit, & dedit illi claritatem gloriæ, quia poſuit animam ſuam ad mortem.

Si vero ly *quia* importet terminum dilectionis, tunc eſt ſenſus. (*b*) *Propterea me Pater diligit*; ideſt, ad hoc me Pater dilexit, ut animam meam ponerem; quaſi dicat: Pater ſua dilectione, quam habet ad me, ordinavit ut per paſſionem meam redimerem genus humanum. Rom. VIII. 32. „ Proprio Filio ſuo „ non pepercit, ſed pro nobis omnibus tra- „ didit illum. “ Si autem ly *quia* deſignet ſignum dilectionis, tunc eſt ſenſus: *Propterea Pater me diligit, quia ego pono animam meam*; quaſi dicat: Hoc ſignum eſt quod Pater me diligat, *quia pono animam meam, ut iterum ſumam eam*; ideſt, faciens mandata eius, & voluntatem ſuam, ſuſtineo mortem. Evidens enim ſignum dilectionis eſt quod homo ex caritate faciat Dei mandata.

(e) Hic exponit effectum ſigni: quod quidem ſignum erat, ubi dixit, *Animam meam pono pro ovibus meis*, exponens quomodo eam ponit. Et primo excludit violentiam; ſecundo ſubiungit eius poteſtatem. Violentiam quidem excludit, quæ alicui poſſet fieri in auferendo vitam; quæ Chriſto non fuit facta: & quantum ad hoc dicit: *Nemo tollet eam*, ſcilicet animam meam per violentiam; *ſed ego pono eam*, propria virtute, ſcilicet *a meipſo*. Eſa. XLIX. 24. „ Numquid tolletur a for- „ ti præda? “

Sed numquid Iudæi (*c*) non intulerunt Chriſto violentiam? Intulerunt quidem quantum in eis fuit; ſed in Chriſto non fuit illa violentia: quia quando voluit, eam ſponte poſuit: (*d*) unde ſupra VIII. dicitur, quod Iudæi volentes eum apprehendere, non potuerunt, *quia nondum venerat hora eius*, voluntaria ſcilicet, „ non qua cogeretur mori, „ ſed qua dignaretur occidi: “ ut dicit Auguſtinus. Poteſtatem autem eius ſubiungit, cum dicit: *Poteſtatem habeo ponendi eam*. Circa quod ſciendum eſt, quod cum unio animæ & corporis ſit naturalis, (*e*) ſeparatio eorum eſt naturalis: & licet cauſa huius ſeparationis & mortis poſſit eſſe voluntaria, tamen mors in hominibus ſemper eſt naturalis. In nullo autem puro homine natura ſubditur voluntati, cum ſicut voluntas, ita & natura ſit a Deo; & ideo mors cuiuſlibet puri hominis oportet quod ſit naturalis. In Chriſto autem natura ſua, & tota alia natura ſubditur voluntati eius, ſicut artificiata voluntati artificis; & ideo ſecundum voluntatis ſuæ placitum, potuit animam ponere cum voluit, & iterum eam ſumere: quod nullus purus homo facere poteſt, licet voluntarie cauſam mortis ſibi poſſit inferre. Et inde eſt quod Centurio videns eum non naturali neceſſitate mori, ſed ſua (dum „ clamans vo- „ ce magna emiſit ſpiritum: “ Matth. XXVII. 50.) recognovit in eo virtutem divinam dicens (ibid. 54.) „ Vere Filins Dei erat iſte. “ Unde & Apoſtolus I. Corinth. I. 18. Verbum „ crucis pereuntibus ſtultitia eſt; his autem „ qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt; “ ideſt, in ipſa morte Chriſti, manifeſtata eſt virtus poteſtatis eius.

(f) Hic oſtendit cauſam prædictam convenientem eſſe: nam impletio mandati demonſtrat dilectionem ad mandantem: & ideo dicit: *Hoc mandatum accepi a Patre meo*, ſcilicet animam ponendi, & ſumendi eam. Infra XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum*.

(a) *Al. omittitur* omnes facultates meas. (b) Al. *Propter me*. (c) *Al. deeſt* non. (d) *Al. omittitur* unde. (e) *Al. deeſt* ſeparatio eorum eſt naturalis.

LE-

LECTIO V.

(a) DIſſenſio iterum facta eſt inter Iudæos propter ſermones hos. Dicebant autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis? Alii dicebant: Hæc verba non ſunt dæmonium habentis. Numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?

(b) Facta ſunt autem encænia in Hieroſolymis, & hiems erat, & ambnlabat Ieſus in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi.

(c) Et dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam.

(d) Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.

(e) Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt; & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego, & Pater unum ſumus.

(a) POſtquam Dominus oſtendit ſe habere virtutem vivificativam, & inſinuavit vivificandi modum, hic oſtendit ſecundum quid ſibi vivificativa poteſtas conveniat. Et primo Evangeliſta ponit diſſenſionem exortam ſuper hoc inter turbas ad ſe invicem; ſecundo ponit diſceptationem principum Iudæorum ad Chriſtum, ibi, *Facta ſunt encænia &c.* Circa primum tria facit. Primo ponit ipſam turbarum diſſenſionem; ſecundo ſubdit unius partis diſſentientium opinionem; tertio inſert ſanam alterius partis aſſertionem. Diſſenſio autem orta eſt inter turbas quæ Chriſtum audierant, ex ſermonibus eius: & hoc eſt quod dicit: *Diſſenſio itaque facta eſt inter Iudæos propter ſermones hos*. Dum enim quidam ex eis ſermones ipſos recte intelligebant, quidam non recte, diſſentiebant ad invicem. Matth. x. 34. „ Non veni pacem mittere, ſed gladium, “ ſcilicet evangelicæ doctrinæ, cui alii credunt, alii contradicunt. Pſal. cvi. 40. „ Effuſa eſt „ contentio ſuper principes. “ Opinio autem alterius partis diſſentientium eſt falſa; & quantum ad hoc dicit: *Dicebant tamen multi ex ipſis*. Dicit autem, *Multi*, quia, ut dicitur Eccle. i. 15. „ ſtultorum infinitus eſt nume- „ rus. “ *Dicebant*, inquam: *Dæmonium habet, & inſanit*. Conſuetudo namque ſtultorum eſt ut dubia ſemper interpretentur in malum, cum tamen contrarium debeat fieri. Unde contingit quod quæcumque ignorant, blaſphemant, ut dicitur in Canonica Iudæ. Quia ergo verba Domini intelligere non valebant, quia *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt* (ſupra i. 5.) ideo blaſphemant dicentes: *Dæmonium habet, & inſanit*. Et nituntur alios ab eo avertere, dicentes: *Quid eum auditis*? Blaſphemantes autem, duo Chriſto imponunt. Primo quod dæmonium habet; quaſi dicant: Non ex Spiritu ſancto, ſed ex ſpiritu maligno loquitur. Simile dicitur Act. xvii. 18. de Paulo: „ Novorum dæmo- „ niorum annuntiator eſt. “ Contingit autem aliquem habere dæmonium privatum, & familiarem; & talis licet ſemper inſaniat ſpiritualiter, non tamen ſemper inſanit corporaliter: aliquem vero (*a*) arreptum a dæmone eſſe; & iſte ſemper inſanit etiam corporaliter. Unde Marc. iii. 21. dicebant: „ Quoniam in „ furorem verſus eſt. “ Secundo ut oſtendant quod Chriſtus ſic habeat dæmonium, dicunt, *Et inſanit*. Act. xxvi. 24. „ Multæ litteræ ad inſaniam te „ adducunt. “ Nec mirum ſi blaſphemant, quia animales ſunt, &, ut dicitur I. Corinth. ii. 14. „ animalis homo non percipit ea quæ „ ſunt ſpiritus Dei. “ Sententia autem, & aſſertio alterius partis improbat præmiſſam opinionem dupliciter. Primo ex pondere verborum: unde dicit: *Alii*, qui ſcilicet recte ſapiebant, *dicebant: Hæc verba non ſunt dæmonium habentis*; quaſi dicant: Ex eis videtur quod non inſanit, cum ſint ordinata, & ponderoſa. Supra vi. 69. *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Unde Paulus dicit Act. xxvi. 15. „ Non inſanio, optime Feſte, „ ſed verba veritatis, & ſobrietatis loquor. “ Secundo (*b*) ex magnitudine micaculi: unde dicit: *Numquid dæmonium poteſt oculos cæcorum aperire*? quaſi dicat: Non erat enim hoc miraculum maximum? Et ideo recte credebant, quod non niſi (*c*) Dei virtute fieri poſſet. Supra ix. 33. *Si non eſſet hic a D o, non poterat facere quicquam.*

Sciendum eſt autem, quod quædam miracula ſunt quæ poſſunt fieri virtute dæmo-

(a) *Al.* ut arreptum a dæmone ſemper inſanit &c. (b) *Al.* ex ingratitudine. (c) *Al.* de virtute.

num, & Angelorum; quædam vero ſunt quæ nullo modo eorum virtute fieri poſſunt: ea enim quæ ſunt ſupra ordinem naturæ, nulla creatura, quæcumque ſit, ſua virtute poteſt facere, cum etiam ipſa ſubiaceat legibus naturæ. Deus autem ſolus, qui eſt ſupra naturam, operari poteſt ſupra naturæ ordinem. Quicquid ergo aliqua creatura operatur oportet quod ſiſtat infra naturæ ordinem. Ex quo patet quod omne illud quod poteſt fieri ſecundum ordinem naturæ, poteſt Angelus & bonus, & malus, quando ſibi permittitur; ſicut ſecundum ſemina, quæ ſunt in rebus naturalibus ad generationem aliquorum animalium ordinata, poſſunt illorum animalium generationem operari; ſicut fecerunt magi Pharaonis, Exod. VII. Et ſimiliter alterare naturam alicuius poſſunt: unde poſſent ſanare infirmos, quibus beneficio naturæ ſubveniri poſſet. Illa autem quæ ſimpliciter naturæ ordinem tranſcendunt, non poſſunt fieri niſi a Deo, ſeu a bonis Angelis, & ſanctis hominibus virtute Dei, quam orando impetrant. Tale autem eſt illuminatio cæci, & reſuſcitatio mortuorum: non enim naturæ virtus ſe extendere poteſt ad oculorum reſtitutionem, & mortuorum reſuſcitationem: & ideo dæmonium non poteſt cæcorum oculos aperire, & mortuos ſuſcitare: quia hoc eſt ſolius Dei, & Sanctorum virtute Dei.

(b) Hic ponitur diſſenſio quæ mota eſt a principibus Iudæorum ad Chriſtum. Et primo Evangeliſta proponit Iudæorum interrogationem; ſecundo ſubdit Chriſti reſponſionem, ibi, *Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis, & non creditis*; tertio, infert reſponſionis effectum, ibi, *Suſtulerunt lapides Iudæi*. Circa primum duo facit. Primo deſcribit circumſtantias interrogationis; ſecundo ponit ipſam interrogationem, ibi, *Dixerunt ei: Uſquequo animam noſtram tollis*? Circumſtantias autem interrogationis deſcribit quantum ad tria, ſcilicet quantum ad tempus, quantum ad locum, & quantum ad perſonas interrogantes. Quantum ad tempus quidem primo in ſpeciali, dicens: *Facta ſunt encænia in Hieroſolymis*.

Ad cuius intellectum ſciendum eſt, quod, ut Auguſtinus dicit, encænia feſtivitas erat dedicationis in Eccleſiis. Cænos enim Græce, idem eſt quod novum Latine. Unde encænia idem eſt quod innovatio: (a) quo fit ut etiam communi uſu loquendi quando aliquod alicui uſui dedicatur, dicatur encæniari, quod idem eſt quod innovari. *Facta ſunt* ergo *encænia Hieroſolymis*, ideſt feſtum, & memoria dedicationis templi. Nam quando de novo aliquam Eccleſiam divino cultui dedicamus, agitur feſtum conſecrationis eiuſdem, & eadem die ſingulis annis in memoriam ipſius. Hoc modo Iudæi ſingulis annis encænia faciebant, ideſt memoriam dedicationis templi.

Ad ſciendum autem rationem feſti conſecrationis, & cauſam, notandum eſt, quod omnia feſta celebrantur in Eccleſia in commemorationem divinorum beneficiorum. Eſai. LXIII. 7. „ Miſerationum Domini recordabor „ &c. “ Et in Pſal. CXVII. 1. poſtquam David commemoravit multa beneficia Dei, dicens: „ Confitemini Domino, quoniam bonus &c. “ ſubdit: „ Conſtituite diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu altaris. “ Recolimus autem divina beneficia nobis exhibita tripliciter. Quandoque quidem ut exhibita nobis in capite noſtro Domino Ieſu Chriſto; & ſic celebramus feſtum nativitatis, & reſurrectionis, & hujuſmodi. Quandoque ut exhibita nobis in (b) commembris noſtris, ſcilicet in Sanctis, qui ſunt membra Eccleſiæ. Et hoc congruenter: quia, ut dicit Apoſtolus I. Corinth. XII. 26. „ Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. “ Et ſic celebramus feſta Sanctorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum. Quandoque autem prout ſunt exhibita toti Eccleſiæ; puta in miniſterio ſacramentorum, & in aliis communiter Eccleſiæ collatis. Et quia domus materialis eſt quaſi ſignum collectionis Eccleſiæ fidelium, & etiam in ea omnia ſacramenta gratiæ diſpenſantur; ideo in memoriam ipſorum (c) beneficiorum, feſtum dedicationis Eccleſiæ celebramus. Quod quidem feſtum maius eſt quam feſtum alicuius Sancti; ſicut & beneficia toti Eccleſiæ collata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficium collatum alicui Sancto, quod in feſto eius recolitur. Sciendum eſt tamen, quod templum erat Hieroſolymis tribus vicibus conſecratum. Primo quidem a Salomone, ut habetur III. Reg. VIII. ſecundo tempore Eſdræ a Zorobabel, & Ieſu ſacerdote magno ut habetur I. Eſdræ VIII. tertio a Machabæis, ut habetur I. Mach. IV. quod aſcenderunt Hieroſolymam renovare ſancta. Hæc autem encænia non ſunt facta in memoriam dedicationis quæ facta fuit a Salomone, quia hoc fuit in autumno, ſcilicet menſe ſeptimo; nec in memoriam dedicationis, quæ facta fuit tempore Eſdræ, quia illa fuit in vere, ſcilicet 9. die martii; ſed in memoriam dedicationis quæ facta fuit a Machabæis in tempore hiemali. Et ideo ut hoc deſignet, deſcribit tempus in ſpe-

(a) *Al.* quæ fit etiam communi uſu loquendi: quando aliquod alicui dedicatur nomen: unde encæniari idem eſt quod innovari. (b) *Al.* in membris. (c) *Al.* beneficiorum ſuorum.

ſpeciali, dicens, *Et hiems erat* : quod etiam cauſam myſticam habet, ut Gregorius dicit II. Moral. Idcirco Evangeliſta hiemis curavit tempus exprimere, ut ineſſe auditorum cordibus, ſcilicet Iudæorum malitiæ, frigus indicaret. Hierem. vi. 7. „ Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ita frigidam fecit „ malitiam ſuam . “ De hac hieme dicitur Cant. ii. 11. „ Iam enim hiems tranſiit, imber „ abiit , & receſſit. “

Locum autem deſcribit cum dicit: *Et ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis*. Et primo quidem in generali, cum dicit, *In templo*: Pſal. x. 5. „ Dominus in templo ſancto „ ſuo &c. “ ſecundo vero in ſpeciali , dicens, *In porticu Salomonis*. Sciendum eſt enim, quod (a) templum non dicitur ſolum corpus ipſius , ſed etiam porticus circumſtantes , in quibus populus ſtabat ad orandum : nam in templo ſoli ſacerdotes orabant . Dicitur autem porticus Salomonis locus ille in quo Salomon ſtetit quando peracta dedicatione templi oravit . III. Reg. viii. 22. „ Stetit „ ergo Salomon in conſpectu Eccleſiæ Iſ„ rael. “

Sed contra. Templum quod Salomon ædificaverat, deſtructum fuit , & ſimiliter porticus illa: non ergo debet dici porticus Salomonis. Reſponſio . Dicendum , quod templum reparatum fuit ad ſimilitudinem prioris: & ideo ſicut antea porticus illa dicebatur Salomonis , ita & poſtea ob eius reverentiam.

Perſonas autem interrogantes deſcribit quantum ad eorum malitiam : unde dicit : *Circumdederunt ergo eum Iudæi*, frigidi a caritate diligendi, ſed ardentes aviditate nocendi, ut accederent animo circumveniendi, & circumdarent comprimentes , animo perſequendi . Pſal. xxi. 13. „ Circumdederunt me vituli „ multi , tauri pingues obſederunt me . “ Oſeæ xi. 9. „ Circumdederunt me E„ phraim . “

(c) Conſequenter cum dicit , *Et dicebant ei &c.* ponitur Iudæorum interrogatio . Et primo ponit fictam cauſam interrogationis , cum dicit : *Uſquequo animam noſtram tollis ?* Adulatorie loquuntur , volentes per hoc oſtendere ſe deſiderare ſcire veritatem de ipſo; quaſi dicant: Anima noſtra eſt in ſuſpenſo deſiderii, quamdiu mæſtos nos derelinquis. Proverb. xiii. 12. „ Spes quæ differtur affligit „ animam. “ Et ideo ſecundo ſubiungunt interrogationem, dicentes: *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*. Ubi primo attende illorum perverſitatem . Nam quia indignantur contra Chriſtum, quod ſe diceret Filium Dei , ſupra v. non interrogant eum, an ſit Filius Dei; ſed dicunt: *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*: ut per hoc poſſent habere materiam accuſandi eum ad Pilatum, ſicut ſeditioſum, & appetentem regnum: quod erat contra Cæſarem, & odioſum Romanis. Unde & Pilatus quando Iudæi accuſabant Chriſtum, quod Filium Dei ſe faceret , parum curavit . Dum vero dixerunt (infra xix. 12.) *Omnis qui ſe Regem facit , contradicit Cæſari* , magis cœpit contra eum ſolicitari: & ideo dicunt : *Si tu es Chriſtus* , vel Rex, vel unctus, *dic nobis palam*. Secundo conſidera illorum nequitiam , quia dicunt, *Palam*; quaſi dicant: Uſque modo non docuit publice , ſed quaſi in occulto ; cum tamen ipſe palam omnia diceret , in feſtivitatibus ſemper aſſiſtens, & nihil occulte loquebatur. Infra xviii. 20. *Ego palam locutus ſum mundo : in occulto locutus ſum nihil*.

(d) Hic ponitur reſponſio Chriſti : ubi oſtendit eorum infidelitatem , oſtendens falſum eſſe quod dixerant , ſe deſiderare ſcire veritatem, dicentes: *Uſquequo animam noſtram tollis? &c.* Et hoc quantum ad duo . Primo quia non credebant verbis eius; & quantum ad hoc dicit: *Loquor vobis, & non creditis*; (b) quaſi dicat: Dicitis mihi: *Si tu es* Rex *Chriſtus, dic nobis*: ſed *loquor* ego ; ideſt , dico vobis veritatem ; *& vos non creditis* . Luc. xxii. 67. „ Si dixero, non credetis &c. “ Secundo quod non credunt operibus eius ; & quantum ad hoc dicit: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei , hæc teſtimonium perhibent de me*. Ubi primo oſtendit incredulitatem eorum ad ipſa opera; ſecundo incredulitatis rationem, ibi, *Quia vos non eſtis ex ovibus meis*. Quantum ad primum dicit: *Opera quæ ego facio*; quaſi dicat : Nec a ſolo verbo ſuaderi poteſtis , ut vos ſileatis ; ſed nec etiam a tot operibus quæ ego facio *in nomine Patris mei*, ideſt ad gloriam eius : *hæc teſtimonium perhibent de me*: (c) quia ſcilicet non poſſunt niſi a Deo fieri : unde ex eis manifeſte apparet quod a Deo veni. Matth. xii. 33. „ Unaquæque arbor ex fructu eius cognoſcitur. “ Supra v. 36. *Opera quæ ego facio , teſtimonium perhibent de me. Sed vos non creditis*. Infra xii. 37. *Cum ergo tanta ſigna feciſſet, non crediderunt ei*. Et ideo ſunt excuſabiles. Infra xv. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent . Nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*. Ratio autem incredulitatis eorum, eſt ſeparatio eorum ab ovibus Chriſti : unde dicit : *Ideo non creditis , quia non eſtis ex ovibus meis* . Circa hoc

Pppp 2

(a) *Al. deeſt* templum. (b) *Al. omittitur* quaſi dicat. (c) *Al.* quæ.

hoc tria facit. Primo ponit eorum excluſionem a conſortio ovium Chriſti; ſecundo oſtendit ovium dignitatem, ibi, *Oves meæ vocem meam audiunt &c.* tertio probat quoddam quod dixerat, ſcilicet quod non rapiet quiſquam oves ſuas de manu ſua, ibi, *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt*. Separationem eorum ab ovibus ſuis ponit, dicens: *Vos non eſtis ex ovibus meis*, ſcilicet prædeſtinati ad credendum, ſed præſciti ad æternum interitum. Hoc enim ipſum quod credimus, eſt nobis a Deo. Phil. I. 29. „ Vobis datum „ eſt non ſolum ut in ipſum credatis, ſed „ etiam ut pro illo patiamini. " Epheſ. II. 8. „ Gratia ſalvati eſtis, & non ex vobis: Dei „ donum eſt. " Quod quidem nulli datur niſi cui præparatum eſt ab æterno; & ideo illi ſoli credent in ipſum qui ad hoc ordinati ſunt a Deo per æternam prædeſtinationem. Act. XIII. 48. „ Crediderunt quot„ quot præordinati erant ad vitam æter„ nam. " Et eiuſdem XV. 11. „ Per gratiam „ Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſal„ vari. "

Sed numquid debet dici alicui, quod non ſit prædeſtinatus? Videtur quod non: cum enim nullus poſſit ſalvari niſi prædeſtinatus, ſi alicui dicatur, quod non eſt prædeſtinatus, videtur cogi ad deſperationem. Ergo Dominus dicens Iudæis: *Non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis*, cogebat eos deſperare.

Reſponſio. Dicendum, quod (a) in illa turba erat aliquid commune omnibus, ſcilicet quod non erant præordinati a Deo ad tunc credendum: aliquid ſpeciale, quod aliqui ex eis præordinati erant ad credendum in poſterum: unde & poſtea crediderunt, ut habetur Act. II. quod crediderunt (b) ex eis una die tria millia: aliqui autem qui non erant ad hoc præordinati. Non ergo (c) repugnabat ſpei, dicere in turba in qua aliqui erant præordinati ad credendum in poſterum, quod non eſſent ex ovibus: quia nullus de ſe determinate hoc poterat ſuſpicari. Repugnaſſet autem ſpei, ſi hoc alicui (d) perſonæ determinate dixiſſet.

Dignitatem autem ovium ſuarum ponit dicens: *Oves meæ vocem meam audiunt &c.* ubi quatuor ponit. Duo ex parte noſtra, quæ nos facimus quantum ad Chriſtum; & duo ex parte Chriſti, quæ ipſe facit in nobis, viciſſim ſibi (e) correſpondentia. Primum ergo quod nos facimus eſt obedientia ad Chriſtum; & quantum ad hoc dicit: *Oves meæ*, ſcilicet per prædeſtinationem, *vocem meam audiunt*, credendo, & præceptis meis obediendo. Pſal. XCIV. 8. „ Hodie ſi vocem „ eius audieritis, nolite obdurare corda ve„ ſtra. " Secundum quod facit Chriſtus, primo (f) correſpondens, eſt eius dilectio, & approbatio; & quantum ad hoc dicit: *Et ego cognoſco eas*; ideſt, diligo, & approbo. I. Tim. II. 19. „ Novit Dominus qui ſunt „ eius. " Quaſi dicat: Hoc ipſum quod me audiunt eſt per hoc quod *ego eas cognoſco*, ab æterno eligendo.

Sed ſi aliter non poteſt credere quis niſi detur ei a Deo, videtur quod infidelitas non ſit alicui imputanda. Ad quod dicendum eſt, quod ideo eis imputatur, quia in eis eſt cauſa quare eis non datur. Sicut (g) ego non poſſum videre lumen niſi illuminarer a ſole; ſi autem clauderem oculos, non viderem lumen: quod non eſſet ex parte ſolis, ſed ex parte mea, qui claudendo oculos, præbeo cauſam ut non illuminer. Peccatum autem eſt cauſa quare non (h) illuminamur a Deo per fidem; puta originale, vel in aliquibus actuale: quæ quidem cauſa in omnibus eſt: unde omnes illi qui deſeruntur, iuſto Dei iudicio deſeruntur, & illi qui eliguntur, ex Dei miſeratione aſſumuntur.

Tertium, quod eſt ex parte noſtra, eſt imitatio ad Chriſtum; & quantum ad hoc dicit, *Et ſequuntur me*. Iob XXIII. 11. „ Veſtigia „ eius ſecutus eſt pes meus. " I. Petr. II. 21. „ Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis re„ linquens exemplum, ut ſequamini veſtigia „ eius. " Quartum correſpondens ex parte Chriſti eſt præmii retributio; & quantum ad hoc dicit: *Et ego vitam æternam do eis*; quaſi dicat: Ipſi me ſequuntur, hic manſuetudinis, & innocentiæ viam incedendo; & ego faciam quod poſtea me ſequentur, ad gaudia vitæ æternæ intrando. Hoc autem præmium oſtendit Dominus eſſe indeficiens, tripliciter. Nam aliquid poteſt deficere tripliciter. Primo quidem ex natura ipſius, puta ſi ſit corruptibile; ſed præmium iſtum quantum ad naturam ſuam incorruptibile eſt: unde dicit: *Vitam æternam do eis*, quæ eſt fruitio incorruptibilis, & immortalis Dei. Infra XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Et, ut dicit Auguſtinus, iſta ſunt paſcua de quibus ſupra dixerat: & paſcua bona vita æterna dicitur: quia ibi nulla herba areſcit, totum viret. Secundo poteſt deficere ex defectu recipientis, dum recipiens deficit, & dum male cuſtodit; ſed hoc non continget in illo præmio: unde dicit: *Et non peribunt in æternum*, ſcilicet oves:

(a) *Al. deeſt* in. (b) *Al.* ex Iudæis. (c) *Al.* repugnabat dicere in qua &c. (d) *Al. omittitur* perſonæ. (e) *Al.* correſpondentia ad Chriſtum. (f) *Al.* correſpondens huic. (g) *Al.* ergo. (h) *Al.* illuminatur.

Digitized by Google

ves: quod eſt contra Origenem, qui dixit, quod quandoque Sancti qui ſunt in gloria, peccare poterunt. Sed Dominus dixit: *Non peribunt*, quia in æternum conſervabuntur. Apoc. III. 12. „Qui vicerit, ſaciam eum „columnam in templo Dei mei, & foras „non egredietur amplius." Tertio poteſt deficere ex violentia rapientis: forte enim neque Adam excluſus ſuiſſet, niſi affuiſſet ſeductor: in vita autem æterna hoc non erit: unde dicit: *Et non rapiet eas*, ſcilicet oves, *quiſquam de manu mea*, ideſt protectione, & pietate mea. Sap. III. 1. „Iuſtorum animæ „in manu Dei ſunt." Ut enim dicit Auguſtinus, „ibi neque lupus rapit, neque fur „tollit, neque latro interficit."

(e) Hic probat quod ſupra de dignitate ovium dixerat, ſcilicet quod non rapiet eas quiſquam de manu mea, tali ratione. Illud quod eſt in manu Patris mei nullus poteſt rapere; ſed eadem eſt manus Patris, & mea: ergo illud quod eſt in manu mea, etiam nullus poteſt rapere. Circa hoc tria facit. Primo ponit minorem, manifeſtando communicationem divinitatis a Patre ſibi traditæ, cum dicit: *Pater quod dedit mihi*, ſcilicet per æternam generationem, *maius omnibus eſt*: nam ſupra v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic Filio dedit habere vitam in ſemetipſo*. Item *maius eſt*, poteſtate. Supra v. 27. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt*. Item *maius eſt*, reverentia & honore. Phillp. II. 9. „Dedit illi nomen quod eſt ſu„per omne nomen, ut in nomine Ieſu omne „genu flectatur." *Maius eſt* ergo *omnibus, quod dedit mihi Pater*, ut ſcilicet ſim Verbum eius, ſim unigenitus eius, ſim ſplendor lucis eius. Secundo ponit excellentiam poteſtatis paternæ, quod pertinet ad maiorem, cum dicit: *Et nemo poteſt rapere*, ideſt per violentiam auferre, vel per ignorantiam ſurripere, *de manu*, ideſt de poteſtate, *Patris mei*, vel a me, qui ſum virtus paterna; quamvis melius dicatur de poteſtate Patris, quam a me, ut Auguſtinus dicit. Ideo autem *nemo poteſt rapere de manu Patris*, quia ipſe fortiſſimus eſt, cui non poteſt fieri violentia, & ſapientiſſimus, in quem non cadit ignorantia, Iob IX. 4. „Sapiens corde eſt, & fortis robore &c." Tertio ponit unitatem ſui ad Patrem, ex qua ſequitur concluſio: unde dicit: *Ego, & Pater unum ſumus*; quaſi dicat: Ideo *non rapiet eas quiſquam de manu mea*, quia *ego, & Pater unum ſumus*, ſcilicet unitate eſſentiæ. Nam eadem eſt natura Patris, & Filii.

Per hoc autem excluditur duplex error, ſcilicet Arrii, qui dividebat eſſentiam, & Sabellii, qui confundebat perſonas: ut ſic & a Charibdi, & a Scilla liberemur. Nam per hoc quod dicit *unum*, liberat te ab Arrio: nam ſi unum, non ergo diverſum. Per hoc autem quod dicit *ſumus*, liberat a Sabellio: ſi enim *ſumus*, ergo Pater, & Filius eſt alius, & alius.

Sed hoc Arriani, impietatis ſuæ mendacio, negare contendunt, dicentes, quod creatura aliquo modo eſt unum cum Deo: unde & hoc modo Filius poteſt eſſe unum cum Patre. Sed hoc patet eſſe falſum ex tribus. Primo ex ipſo modo loquendi. Manifeſtum eſt enim quod unum dicitur ſicut ens: unde ſicut aliquid non dicitur ens ſimpliciter, niſi ſecundum ſubſtantiam, ita nec unum niſi ſecundum ſubſtantiam, vel naturam. Simpliciter autem dicitur aliquid quod nullo addito dicitur. Quia ergo hoc ſimpliciter dicitur, *Ego, & Pater unum ſumus*, nullo alio addito; manifeſtum eſt quod ſunt unum ſecundum ſubſtantiam, & naturam. Numquam autem invenitur quod Deus, & creatura ſint unum ſine aliquo addito, ſicut illud I. Corinth. VI. 17. „Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt." Ergo patet quod Filius Dei non eſt unum cum Patre, ut creatura. Secundo ex his quæ ſupra dixerat, ſcilicet *Quod dedit mihi Pater, maius omnibus eſt*: & poſtea concludit: *Ego, & Pater unum ſumus*; quaſi dicat: Intantum unum ſumus inquantum dedit mihi id quod maius eſt omnibus. Tertio patet ex ſua intentione: nam Dominus probat quod non rapiet eas quiſquam de manu ſua, per hoc quod nemo poteſt rapere de manu Patris eius: quod non ſequeretur ſi poteſtas eius eſſet minor quam poteſtas Patris. Unum ergo ſunt Pater, & Filius natura, honore, & virtute.

L E C T I O VI.

(a) SUſtulerunt ergo lapides Iudæi, ut lapidarent eum. Reſpondit eis Ieſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo. Propter quod eorum opus me lapidatis?

(b) Reſponderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.

(c) Re-

Digitized by Google

(c) Reſpondit eis Ieſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia Ego dixi, Dii eſtis?

(d) Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum?

(e) Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre.

(f) Quærebant ergo eum apprehendere, & exivit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum ubi erat Ioannes baptizans primum, & manſit illic: & multi venerunt ad eum, & dicebant, quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum. Omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant: & multi crediderunt in eum.

(a) POſita doctrina Chriſti, hic conſequenter ponitur effectus doctrinæ eius in Iudæis. Et primo redarguit eorum ſævitiam; ſecundo excludit a ſe, impoſitam blaſphemiam, ibi, *Reſponderunt ei Iudæi*; tertio declinat eorum pertinaciam, ibi, *Quærebant ergo eum apprehendere*. Circa primum duo facit. Primo ponitur Iudæorum ſævitia, qua excandeſcebant ad Chriſtum lapidandum: unde dicit: *Suſtulerunt lapides Iudæi, ut iacerent in eum*. Quia enim duri erant, & profunda Domini verba intelligere non poterant, lapidibus ſimiles ad lapides currunt. Pſal. cxix. 7. „ Dum loquebar illis, impugnabant me gra- „ tis. “ Secundo cum ſubdit, *Multa bona opera oſtendi vobis*, reprehendit Dominus ipſorum ſævitiam: & primo commemorat eis exhibita beneficia; ſecundo reprehendit ipſorum ſævitiam. Commemorat autem beneficia quæ eis exhibuit in ſanitatibus infirmorum, in exhibitione doctrinæ, & miraculorum: unde *reſpondit eis, dicens: Multa bona opera oſtendi vobis*, ſcilicet ſanando, prædicando, miracula faciendo: Marc. vii. 37. „ Bene omnia „ fecit: “ *ex Patre meo*, cuius gloriam per omnia quæſivi. Supra viii. 50. *Gloriam meam non quæro, ſed eius qui miſit me*. Sævitiam reprehendit dicens: *Propter quod eorum opus me lapidatis*? quaſi dicat: Benefactorem oportebat honorare, non lapidare. Simile dicitur Hier. xviii. 20. „ Numquid redditur pro bo- „ no malum? “

(b) Hic Dominus excuſat ſe de blaſphemia. Et primo ponitur blaſphemiæ impoſitio a Iudæis; ſecundo eius excuſatio a Chriſto, ibi, *Reſpondit eis Ieſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra? &c.* Dicit ergo quantum ad primum: *De bono opere non te lapidamus &c.* Ubi quinque conſideranda occurrunt. Primum quidem videtur pertinere ad motivum lapidationis, quod eſt blaſphemia. Præcipitur enim Levit. xxiv. 14. quod blaſphemi lapidentur. „ Educ (inquit) blaſphemum extra caſtra, & „ ponant omnes qui audierunt, manus ſuas „ ſuper caput eius, & lapidet eum populus „ univerſus. “ Et quantum ad hoc dicunt: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia*. Secundum, quod ſpecificant ipſam blaſphemiam: nam blaſphemia eſt non ſolum attribuere Deo quod ſibi non convenit; ſed etiam attribuere alteri quod ſolius Dei eſt: ſicut blaſphemia eſt non ſolum dicere Deum eſſe corpus, ſed etiam dicere aliquam creaturam creare poſſe. Marc. ii. 7. dicebant: „ Hic blaſphemat. Quis poteſt dimittere pec- „ cata niſi ſolus Deus? “ Dicebant ergo Iudæi Dominum blaſphemum eſſe, non primo modo, ſed uſurpando ſibi quæ divinitatis propria erant: unde dicebant: *Quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum*. Tertium eſt quod Iudæi melius quam Arriani intellexerunt verbum Chriſti, quod dixerat, *Ego, & Pater unum ſumus*. Ideo irati ſunt, quoniam intellexerunt (a) non poſſe dici, *Ego, & Pater unum ſumus*, niſi ubi eſt æqualitas Patris, & Filii: & hoc eſt quod dicunt: *Facis teipſum Deum*, oſtendendo verbis tuis quod Deus ſis; quod non eſt verum, *cum ſis homo*. Quartum eſt quod tanta eſt diſtantia Dei & hominis, quod incredibile eis erat quod idem qui eſt homo, eſſet Deus: unde ſignanter dicunt: *Quia homo cum ſis, facis teipſum Deum*. Quamvis ab iſta incredulitate removeri poſſent per hoc quod dicitur in Pſal. viii. 5. „ Quid eſt „ homo quod memor es eius, aut filius hominis „ quoniam viſitas eum? “ Habac. i. 5. „ Opus ego „ facio in diebus veſtris quod nemo credet „ cum narrabitur; “ ideſt opus incarnationis excedens omnem mentem. Quintum eſt quod in ſuis verbis ſibi ipſis contrariantur: nam ex

una

(a) *Al.* non poſſe dici, niſi &c.

Digitized by Google

una parte confitentur Chriſtum bona opera facere, dicentes: *De bono opere non te lapidamur:* (*a*) ex alia imponunt ei blaſphemiam, ſcilicet quod ſibi falſo uſurpet honorem Dei: quæ quidem contraria ſunt: non enim ex Deo miracula poſſet facere, ſi Deum blaſphemaret: quia, ut dicitur Matth. VII. 18. „ non „ poteſt arbor bona fructus malos facere, nec „ arbor mala bonos fructus facere: “ quod maxime locum habet in Chriſto.

(c) Hic excludit a ſe, impoſitam blaſphemiam: & primo ponit ſuam excuſationem; ſecundo oſtendit veritatem, ibi, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*. Excuſat autem ſe per auctoritatem: unde primo ponit auctoritatem Scripturæ; ſecundo aperit eis intellectum; tertio ex hoc concludit propoſitum. Dicit ergo: *Reſpondit eis Ieſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra*, ſcilicet in Pſal. LXXXI. 6. *Ego dixi, Dii eſtis?*

Ubi ſciendum eſt, quod lex tripliciter accipitur in Scriptura. Quandoque quidem univerſaliter pro toto veteri teſtamento, ſecundum quod continet quinque libros Moyſi, Prophetas, & Agiographa: & hoc modo accipitur hic *In lege veſtra*, ideſt in veteri teſtamento; cum ſcriptum ſit in Pſalmis: quod ideo dicitur lex, quia totum vetus teſtamentum habetur pro auctoritate legis. Aliquando accipitur lex prout dividitur contra Prophetas, (*b*) Pſalmos, & Agiographa: & ſic accipitur Luc. ult. 24. „ Oportet impleri o„ mnia quæ ſcripta ſunt in lege, (*c*) & Pro„ phetis, & Pſalmis de me. “ Aliquando autem accipitur prout lex dividitur contra Prophetas. Et ſic Pſalmi, & alii libri veteris teſtamenti, præter Penthateucum, includuntur ſub Prophetis, eo quod ſpiritu prophetico edita ſit Scriptura veteris teſtamenti: & hoc modo accipitur Matth. XXII. 40. „ In his „ duobus mandatis tota lex pendet, & Pro„ phetæ. “ Sic ergo ſcriptum eſt: *Ego dixi, Dii eſtis*.

Unde ſciendum eſt, quod hoc nomen Deus tripliciter accipitur. Aliquando enim ſignificat ipſam divinam naturam; & ſic dicitur ſingulariter ſolum. Deut. VI. 4. „ Audi Iſrael, „ Dominus Deus tuus unus eſt. “ Quandoque autem dicitur Deus nuncupative; & hoc modo dicuntur idola dii. Pſal. XCV. 5. „ Omnes dii gentium dæmonia. “ Quandoque autem dicitur aliquis Deus (*d*) participatione aliqua divinitatis, ſeu excellentioris virtutis divinitus infuſæ: & hoc modo & iudices dicuntur dii in Scriptura. Exod. XXII. 8. „ Applicabis eos ad deos, “ ideſt ad iudices. Et Exod. XXII. 28. „ Diis non detrahes, “ ideſt prælatis. Et hoc modo accipitur hic hoc nomen Deus, cum dicit: *Ego dixi, Dii eſtis*, ideſt participantes aliquam virtutem divinam ſupra humanam.

(d) Conſequenter cum dicit, *Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt &c.* aperit ſenſum auctoritatis prædictæ; quaſi dicat: Ideo vocavit eos deos inquantum participant aliquid divinitatis ſecundum participationem ſermonis Dei ad eos facti: nam ex ſermone Dei homo aliquam participationem divinæ virtutis & puritatis conſequitur. Infra XV. 3. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. Et Exod. XXXIV. dicitur, quod ſplendida facta eſt facies Moyſi ex conſortio ſermonis Domini. Ex his autem quæ prædicta ſunt, poſſet ſic argumentari. Manifeſtum (*e*) eſt quod aliquis ex participatione Verbi Dei ſit Deus participative; ſed non ſit aliquid participative hoc niſi ex participatione eius quod eſt per eſſentiam ſuam tale: puta non ſit participative ignis niſi participatione ignis per eſſentiam: ergo non ſit aliquid participative Deus niſi ex participatione eius qui eſt Deus per eſſentiam: ergo Verbum Dei, ſcilicet ipſe Filius, cuius participatione aliquis efficitur deus, eſt Deus per eſſentiam. Sed Dominus voluit humanius magis quam ſic profunde contra Iudæos arguere. Dicit autem: *Et non poteſt ſolvi Scriptura*: ut oſtendat irrefragabilem Scripturæ veritatem. Pſal. CXVIII. 89. „ In æternum, Domine, per„ manet verbum tuum. “ Conſequenter cum dicit, *Quem Pater ſanctificavit &c.* concludit propoſitum. Quod quidem ſi, ſecundum Hilarium, referamus ad Chriſtum, ſecundum quod eſt homo, tunc eſt ſenſus: Homines aliqui dicuntur dii ſola participatione ſermonis Dei: quomodo ergo dicitis *quia blaſphemas*; ideſt, reputatis blaſphemiam, quod ille homo dicatur Deus qui eſt unitus Verbo Dei in perſona? Et ideo dicit: *Quem Pater ſanctificavit*. Licet enim omnes qui ſanctificantur, Deus ſanctificet: infra XVII. 17. *Sanctifica eos in veritate*: Chriſtum tamen ſpecialiter ſanctificavit: nam alios ſanctificat ut ſint filii adoptivi: Rom. VIII. 15. „ Accepiſtis ſpiritum „ adoptionis filiorum: “ Chriſtum autem ſanctificavit ut eſſet Filius Dei per naturam, unitus in perſona Verbo Dei: quod hæc verba oſtendunt dupliciter. Primo per hoc quod dicit, *Quem Pater ſanctificavit*, Si enim ut Pater ſanctificat, manifeſtum eſt quod ſanctificat ut Filium. Rom. I. 4. „ Qui prædeſtinatus „ eſt Filius Dei (*f*) in virtute ſecundum ſpi„ ri-

(a) *Al.* ex alia parte. (b) *Al.* Pſalmographos. (c) *Al. omittitur* & Prophetis. (d) *Al.* per participationem divinitatis. (e) *Al.* eſt autem. (f) *Al. deeſt* in.

„ ritum ſanctificationis . “ Secundo per hoc quod dixit: *Et miſit in mundum* . Mitti enim in aliquem locum , non convenit alicui rei niſi ante fueritquam ibi eſſet: ergo ille quem Pater miſit in mundum , ſcilicet viſibiliter , eſt Filius Dei , qui præexiſtit viſibili viſioni: quia, ut dicitur ſupra I. 10. *In mundo erat , & mundus per* (*a*) *ipſum factus eſt* . Supra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum , ut iudicet mundum* . Hunc ergo quem Deus miſir in mundum, *vos dicitis , quia blaſphema· , quia dixi , Filius Dei ſum* ? quaſi dicat : Multo magis poſſum hoc dicere, qui ſum unitus Verbo in perſona , quam illi *ad quos ſermo Dei factus eſt* .

Sed unde Iudæi habuerunt quod Chriſtus eſſet Filius Dei? Non enim hoc Dominus expreſſe dixit . Ad quod dicendum eſt , quod licet Dominus hoc expreſſe non dixerit , nihilominus tamen ex verbis quæ dixit , ſcilicet *Ego , & Pater unum ſumus* ; & *Quod dedit mihi Pater, maius omnibus eſt* : inrellexerunt eum accepiſſe naturam a Patre , & eſſe unum in natura cum eo. Hoc autem, ſcilicet accipere eamdem naturam ab aliquo, & eſſe, habet rationem filiationis.

Si autem hoc quod dicit , *Pater ſanctificavit* , referamus , ſecundum Auguſtinum , ad Chriſtum inquantum eſt Deus ; tunc eſt ſenſus : *Quem pater ſanctificavit* ; ideſt , ſanctum ab æterno genuit . Sed alia quæ ſequuntur , eodem modo exponenda ſunt , ſecundum quod Hilarius exponir . (*b*) Tamen melius exponitur, ſi referatur (*c*) totum ad Chriſtum inquantum homo.

(e) Conſequenter cum dicit , *Si non facio opera Patris mei , nolite credere mihi* , probat veritatem dictorum; quaſi diceret: Licet ſim homo tantum, ſecundum reputationem veſtram, tamen non blaſphemo dicens me vere Deum, quia veriſſime ſum . Unde circa hoc duo facit . Primo proponit argumentum operum ; ſecundo infert concluſionem intentam , ibi , *Ut cognoſcatis , & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre* . Circa primum duo facit . Primo dicit , quod ſine operibus eſſent excuſabiles. Et dicit: *Si non facio opera Patris mei* , eadem ſcilicet quæ ipſe facir, & eadem virtute, & poteſtate , *nolite credere mihi* . Supra v. 19. *Quæcumque Pater facit , hæc & Filius ſimiliter facit* . Secundo quod ex ipſis operibus convincuntur , dicens : *Si autem facio* , ſcilicet eadem opera quæ Pater facit , *ſi mihi* , qui filius hominis appareo, *non vultis credere, operibus credite* ; ideſt, ipſa opera demonſtrant quod ego ſum Filius Dei. Infra v. 24. *Si opera non feciſſem quæ nemo alius fecit , peccatum non haberent* . Conſequenter inferr concluſionem intentam, dicens: *Ut cognoſcatis , & credatis quia Pater in me eſt , & ego in Patre* . Nullum enim tam evidens indicium de natura alicuius rei eſſe poteſt quam illud quod accipitur ex operibus eius . Evidenter ergo cognoſci poteſt de Chriſto, & credi quod ſit Deus, per hoc quod facit opera Dei: & ideo dicit: Ex ipſis operibus convincam, *ut cognoſcatis, & credatis* , quod oculis veſtris videre non poteſtis, ſcilicet *quia Pater in me eſt, & ego in Patre* . Infra XIV. 10. *Ego in Patre , & Pater in me eſt* . Quod intelligendum eſt per unitatem eſſentiæ : & quaſi idem eſt *Pater in me eſt, & ego in Patre*; & *Ego, & Pater unum ſumus* . Hilarius autem hoc bene exponit dicens , quod differentia eſt inter Deum & hominem: nam homo cum ſit compoſitus, non eſt ſua natura, Deus autem cum ſit ſimpliciſſimus, eſt ſuum eſſe, & ſua natura. In quocumque ergo eſt natura Dei, ibi eſt Deus. (*d*) Cum ergo Pater eſt Deus , & Filius eſt Deus ; ubicumque eſt natura Patris , ibi eſt Pater; & ubicumque eſt natura Filii, ibi eſt Filius. Cum ergo natura Patris ſit in Filio , & e converſo: ergo Pater eſt in Filio, & e converſo . Sed, ut dicit Auguſtinus, licet Deus ſit in homine, & homo in Deo, ut dicitur I. Ioan. IV. 16. „Qui manet in caritate, in Deo „ manet , & Deus in eo: “ non eſt inrelligendum per eſſentiæ unitatem; ſed homo in Deo eſt , ideſt ſub divina cura & protectione, & Deus in homine per ſimilitudinem ſuæ gratiæ . Unigenitus autem Filius eſt in Patre , & Pater in illo tamquam æqualis.

(f) Hic Dominus (*e*) declinat Iudæorum pertinaciam. Et primo oſtendit ipſorum pertinaciam; ſecundo declinat eam; tertio oſtendir effectum declinationis. Pertinaciam autem oſtendit per hoc quod poſt tot veritatis documenta, poſt tot miraculorum , & mirabilium operum argumenta , adhuc in malitia perſeverant : unde *quærebant eum apprehendere* : non ad credendum , & intelligendum , ſed ad ſæviendum , & ad nocendum : nam quia æqualitatem ſui ad Patrem evidenrius expreſſerat , magis concitati fuerunt . Hier. VIII. 5. „ Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti . “ Declinat autem eorum ſævitiam Dominus exiens ab eis: unde dicit: *Exivit de manibus eorum* . Ubi primo oſtenditur quomodo eos dimiſit, ſcilicet exeundo de manibus eorum: & hoc propter duo. Primo ut oſtenderet ſe non poſſe detineri niſi quando volebat . Luc. IV. 30. „ Ieſus tranſiens per

„ me-

(a) Al. *Iſum*. (b) *Al.* cum. (c) *Al. omittitur* totum. (d) *Al.* Cum ergo Pater eſt Deus , ubicumque eſt natura Patris &c. (e) *Al.* inclinat.

Google

„ medium illorum ibat. “Supra eodem: *Nemo tollit a me animam meam; ſed ego ponam a meipſo*. Secundo ut daret nobis exemplum declinandi malorum ſævitiam, quando ſine periculo fidei fieri poteſt. Eccli. VIII. 14. „ Ne „ ſtes contra faciem contumelioſi. “ Secundo oſtenditur (*a*) quo exiens ierit: unde dicit: *Et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum ubi erat Ioannes baptizans primum*. Cuius quidem myſtica cauſa eſt, quod aliquando iturus eſſet per Apoſtolos ſuos ad gentes convertendas. Cauſa vero litteralis eſt duplex. Una, quia locus erat vicinus Hieruſalem, & iam imminebat tempus paſſionis: unde nolebat ſe elongare. Secunda, ut reducat ad memoriam teſtimonium quod illic perhibuit Ioannes, dicens (ſupra I. 29.) *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: (*b*) & teſtimonium Patris, & Filii Chriſto perhibitum in baptiſmo. Effectus autem declinationis fuit converſio turbarum ad fidem: quæ quidem converſio deſcribitur quantum ad tria. Quantum ad operationis imitationem: unde dicit: *Et multi venerunt ad eum*, ſcilicet per imitationem operum. Matth. XI. 28. „ Venite ad me „ omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & „ ego reficiam vos. “ Secundo quantum ad oris confeſſionem: unde *& dicebant quia Ioannes quidem nullum fecit ſignum*. Ubi primo confitentur eminentiam Chriſti ad Ioannem: unde dicebant, *quia Ioannes fecit nullum ſignum*. Cuius quidem ratio fuit, quia Ioannes miſſus fuit ut teſtis Chriſti: unde oportebat quod fieret fide dignus, & teſtimonium eius oſtenderetur verum: quod quidem fit convenienter per ſanctitatem vitæ: Chriſtus autem venit ut Deus; & ideo oportebat quod oſtenderet in ſe ſigna poteſtatis divinæ: & ideo Ioannes vitæ ſanctitate pollebat; Chriſtus autem cum hoc exercebat etiam opera poteſtatem divinam manifeſtantia. Hic etiam mos ſervabatur apud antiquas poteſtates, quod in præſentia poteſtatis maioris minor poteſtas non utebatur ſuæ poteſtatis inſigniis: ut ſe in præſentia Dictatoris Conſules inſignia deponebant. Non ergo decens fuit ut Ioannes, qui minoris poteſtatis erat, utpote præcurſor & teſtis, in Chriſti præſentia, divinæ poteſtatis inſigniis uteretur; ſed ſolum Chriſtus. Secundo confitentur veritatem teſtimonii Ioannis de Chriſto: unde dicebant: *Omnia enim quæ dixit Ioannes de hoc*, ſcilicet de Chriſto, *erant vera*; quaſi dicerent: etſi nullum ſignum fecerit Ioannes, tamen de Chriſto omnia veraciter dixit. Tertio (*c*) manifeſtat cordis fidem: unde dicit: *Et multi crediderunt in eum*. Ut Auguſtinus dicit, Chriſtum apprehenderunt permanentem, quem Iudæi volebant apprehendere deſcendentem, quia per lucernam ad diem venerant: Ioannes enim lucerna erat, (*d*) & Dei teſtimonium perhibebat.

CAPITIS UNDECIMI

LECTIO I.

(a) ERat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororum eius. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur.

(b) Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

(c) Audiens autem Ieſus dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

(d) Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum.

(a) SUpra Dominus virtutem ſuam vivificativam oſtendit verbo; hic confirmat eam miraculo, quemdam mortuum, ſcilicet Lazarum, ſuſcitando. Et primo ponitur Lazari infirmitas; ſecundo ipſius iam mortui ſuſcitatio, ibi, *Ut audivit*; tertio ſubiungitur ſuſcitationis effectus, ibi, *Multi ergo ex Iudæis .... crediderunt in eum*. Circa primum tria facit. Primo ponitur Lazari ægrotatio; ſecundo languoris denuntiatio, ibi, *Miſerunt ergo ſorores eius ad eum*; tertio aſſignatur præmiſſorum ratio, ibi, *Audiens autem Ieſus dixit*

(a) *Al.* quomodo. (b) *Forte*, & teſtimonium Patris Filio Chriſto perhibitum. (c) *Al.* confitentur. (d) *Al.* & Dei.

xit eis &c. Circa primum tria facit. Primo deſcribit perſonam ægrotam; ſecundo languentis locum; tertio perſonam coniunctam. Perſona ægrota eſt Lazarus: unde dicit: *Erat quidam languens Lazarus*. Per hunc fidelis ſignatur, qui in Deo ſperat, & tamen patitur infirmitatem peccati: de qua dicitur in Pſal. VI. 3. „ Miſerere mei Domine, quo„ niam infirmus ſum. “ Lazarus enim interpretatur auxiliatus a Domino: unde eum ſignificat qui ſpem habet divini auxilii. Pſal. CXX. 1. „ Auxilium meum a Domino. “ Locus infirmi erat Bethania: unde dicit: *A Bethania de caſtello Mariæ, & Marthæ*: quæ quidem Bethania villa quædam erat prope Hieruſalem, ubi Dominus conſueverat frequenter hoſpitari, ut frequenter ſupra dictum eſt; & interpretatur domus obedientiæ. Per quod datur intelligi, quod ſi infirmus ſit Deo obediens, poteſt ab eo de facili curari; ſicut infirmus obediens medico, facilius ab eo beneficium conſequitur ſanitatis. IV. Reg. V. 13. dixerunt ſervi Naaman ad eum: „ Pater, & „ ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, „ facere debuiſſes. “ Iſta Bethania caſtellum erat Mariæ, & Marthæ ſororum Lazari: per quas duplex vita ſignatur, activa ſcilicet, & contemplativa: ut ſic per hoc detur intelligi quod per obedientiam homo perfectus redditur in vita activa, & contemplativa. Perſona coniuncta erat Maria: unde dicit: *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento*. Quia enim mentionem fecerat de Maria, & plures mulieres huius nominis erant; ideo ne erremus ex nomine, notificat eam ex notiſſima actione, dicens: *Quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis ſuis*. De hac autem Maria diverſitas quædam eſt inter Sanctos. Quidam enim dicunt, ut Hieronymus, & Origenes, quod hæc Maria coror Lazari non eſt eadem cum illa quæ peccatrix erat, de qua dicitur Luc. VII. 37. quod „ attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans re„ tro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit riga„ re pedes eius, & capillis capitis ſui ter„ gebat. “ Unde, ſicut dicit Chryſoſtomus, hæc non fuit illa meretrix, quæ in Luca legitur: hæc enim honeſta fuit, & ſtudioſa circa ſuſceptionem Chriſti: nam peccatricis illius nomen tacetur. Potuit autem Maria iſta erga Chriſtum tempore ſuæ paſſionis ex devotione, & ſpeciali dilectione ſimile opus feciſſe, quod fecit ei peccatrix illa diligens, & compuncta: quod quidem factum hic ab Evangeliſta propter Mariæ nominis magnitudinem per anticipationem recitatur. Quidam alii, ſicut Auguſtinus, & Gregorius, dicunt, quod hæc eadem Maria de qua hic agitur, eſt illa peccatrix de qua agitur Luc. VII. Et argumentum huius ex hoc verbo Auguſtinus aſſumit: nam hic Evangeliſta dicit antequam Maria ungeret Dominum unguento, quia illud fuit imminente paſſione. Infra XII. 3. ubi dicitur: *Maria ergo ſumpſit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Ieſu*. Unde dicit quod hoc quod hic dicit Evangeliſta de ea factum, recitatur Luc. VII. Ambroſius autem utramque partem tenet. Secundum ergo opinionem Auguſtini, manifeſtum eſt quod peccatrix illa de qua dicitur in Luca, eſt Maria iſta. *Cuius frater Lazarus infirmabatur*; ideſt, miſerandum corpus eius fornaceis febribus alendum edax incendium aſſumebat.

(b) Hic ponitur infirmitatis denuntiatio a ſororibus Lazari, quæ languenti aderant, & caſu dolentes iuvenis ægrotantis, *miſerunt ad eum*, ſcilicet Ieſum, *dicentes*: *Domine, ecce quem amas infirmatur*. In qua quidem denuntiatione tria conſideranda occurrunt. (*a*) Unum eſt quod amici Dei quandoque corporaliter affliguntur: unde non eſt ſignum quod aliquis non ſit amicus Dei, ſi aliquando corporaliter affligatur, ſicut Eliphaz (*b*) contra Iob falſo arguit, Iob IV. 7. „ Recordare, ob„ ſecro, quis umquam innocens periit, aut „ quando recti deleti ſunt. “ Et ideo dicunt: *Domine, ecce quem amas infirmatur*. Prov. III 12. „ Quem diligit Dominus corri„ pit, & quaſi pater in filio complacet ſi„ bi. “ Secundum eſt quod non dicunt: Domine veni, ſana eum; ſed tantum infirmitatem exponentes, dicunt, *Infirmatur*. In quo ſignatur quod ſufficit amico tantum neceſſitatem exponere, abſque alicuius petitionis additamento: nam amicus cum velit bonum amici ſicut bonum ſuum, ſicut ſolicitus eſt ad repellendum malum ſuum, ita & ad repellendum malum amici ſui. Et hoc maxime verum eſt de eo qui veriſſime diligit. Pſal. CXLIV. 6. „ Cuſtodit Dominus diligentes ſe. “ Tertium eſt quod iſtæ duæ ſorores deſiderantes curationem fratris languidi, non venerunt perſonaliter ad Chriſtum, ſicut paralyticus, Luc. V. Et Centurio, Matth. VIII. & hoc propter confidentiam, quam habebant ad Chriſtum (*c*) ex ſpeciali dilectione, & familiaritate quam Chriſtus erga eas oſtenderat: & forte a luctu detinebantur, ut Chryſoſtomus dicit. Eccli. VI. 11. „ Amicus ſi perman„ ſerit fixus, erit tibi coæqualis, & in do„ meſticis tuis fiducialiter aget. “

(c) Hic

(a) *Al.* Unum eſt quod non eſt in ſignum &c. (b) *Al.* ſupra. (c) *Al.* ex familiari.

(c) Hic ponitur præmiſſorum ratio: & primo ratio ipſius infirmitatis; ſecundo quare ſorores eius non venerunt ad Chriſtum, ſecundum Auguſtinum, ibi, *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum*. Ratio autem infirmitatis eſt glorificatio Filii Dei: unde dixit: *Dixit eis Ieſus: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei*.

Ubi ſciendum eſt, quod infirmitatum corporalium quædam ſunt ad mortem; quædam autem non. Illæ autem ſunt ad mortem quæ ad aliquid aliud non ordinantur. Nam omnia mala pœnæ ex divina providentia infliguntur. Amos III. 6. „ Si eſt malum in civitate quod Dominus non faciat. " Mali vero culpæ Deus ultor eſt, non tamen auctor. Omnia autem quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt; & ideo omnia mala pœnæ ad aliquid ordinantur: quædam ad mortem, quædam ad aliquid aliud. Hæc autem infirmitas non eſt ordinata ad mortem, ſed ad gloriam Dei.

Sed numquid non fuit mortuus Lazarus ex hac infirmitate? Videtur quod ſic. Alias non fœteret quatriduanus in monumento, nec reſuſcitatio fuiſſet miraculoſa. Reſponſio. Dicendum, quod infirmitas hæc non fuit ordinata ad mortem, ut ad finem ultimum, ſed propter aliud, ut dictum eſt, ut ſcilicet ipſe qui reſuſcitatus fuit, quaſi caſtigatus, iuſte viveret ad Dei gloriam; & populus Iudæus videns miraculum, converteretur ad fidem. Pſal. CXVII. 18. „ Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me. " Unde ſequitur: *Sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam*. Ubi, ſecundum Chryſoſtomum, *ly pro*, & *ly ut* non tenentur cauſaliter, ſed conſecutive. Non enim ideo infirmatus eſt ut ex hoc Deus glorificaretur; ſed aliunde quidem infirmitas hæc venit, & ex ea conſecutum eſt hoc ut glorificaretur Filius Dei, inquantum eum reſuſcitando, uſus eſt ea ad gloriam Dei. Hoc autem uno quidem modo veritatem habet, ſed alio modo non: poteſt enim infirmitas Lazari duplex cauſa conſiderari. Una naturalis; & ſecundum hanc verificatur dictum Chryſoſtomi: quia infirmitas Lazari ſecundum cauſam naturalem non ordinabatur ad reſuſcitationem. Alia cauſa poteſt conſiderari divina providentia; & tunc non habet veritatem dictum Chryſoſtomi: nam ex divina providentia (a) huiuſmodi infirmitas ordinabatur ad gloriam Dei. Et ſecundum hoc ly *pro*, & ly *ut* tenentur cauſaliter; quaſi dicat: *Sed pro gloria Dei*: quia licet ad hoc non ordinaretur ex intentione cauſæ naturalis, ordinabatur tamen ex intentione divinæ providentiæ ad gloriam Dei, inquantum facto miraculo crederent homines in Chriſtum, & vitarent veram mortem. Unde dicit: *Ut glorificetur Filius Dei per eam*. Hic manifeſte Dominus Filium Dei ſe nominat: nam ipſe glorificandus erat in reſuſcitatione Lazari, (b) quia ipſe eſt verus Deus. I. Ioan. ult. 20. „ Ut ſimus in vero Filio eius. " Supra IX. 3. *Neque hic peccavit, neque parentes eius; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo*.

(d) Hic, ſecundum Auguſtinum, Evangeliſta aſſignat rationem quare duæ ſorores non venerunt ad Chriſtum: quæ ſcilicet ſumitur ex confidentia ſpecialis dilectionis: unde dicit: *Diligebat autem Ieſus Martham, & Mariam ſororem eius, & Lazarum*. Quippe qui triſtium conſolator erat, ſorores triſtes diligebat; & qui languentium ſalvator erat, languidum, & mortuum Lazarum diligebat. Deut. XXXIII. 3. „ Dilexit populos: omnes ſancti in manu illius ſunt. "

LECTIO II.

(a) UT ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.

(b) Deinde poſt hæc dicit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum.

(c) Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare; & iterum vadis illuc?

(d) Reſpondit Ieſus: Nonne duodecim horæ ſunt diei?

(e) Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.

(f) Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.

(a) HIc agitur de mortui reſuſcitatione: & primo ponitur reſuſcitandi propoſitum; ſecundo ſubditur ſuſcitationis ordo, ibi, *Venit itaque Ieſus &c.* Circa primum tria facit.

)a) *Al.* huius. (b) *Al.* &.

facit. Primo dat Dominus locum morti; ſecundo prænuntiat propoſitum de accedendo ad locum ubi mortuus erat, ibi, *Deinde poſt hac dicit &c.* tertio prænuntiat propoſitum ſuſcitandi, ibi, *Hac ait, & poſt hac dicit illis &c.* Dat autem locum morti, moram trahendo Dominus trans Iordanem: & ideo dicit: *Ut autem audivit quia infirmabatur, manſit in eodem loco duobus diebus.* Ex quo notatur quod eodem die quo Chriſtus recepit nuntium ſororum Lazari, mortuus fuit Lazarus: nam quando Chriſtus venit ad locum ubi mortuus fuit, iam quatriduanus erat; Chriſtus autem duobus diebus poſtquam recepit nuntium, remanſit in eodem loco, & ſequenti die ab illis duobus ivit in Iudæam. Dedit autem locum morti per tot dies propter duo. Primo quidem ne ex præſentia eius mors Lazari impedita fuiſſet: nam ubi vita præſens eſt, mors locum non habet. Secundo ut miraculum credibilius redderetur, & nullus poſſet dicere quoniam nondum defunctum eum ſuſcitavit; ſed potius ſtupefactum.

(b) Conſequenter cum dicit, *Deinde poſt hac dicit diſcipulis ſuis*, Dominus manifeſtat propoſitum acceſſus ſui ad locum: & primo prænuntiat propoſitum; ſecundo ſubditur timor diſcipulorum, ibi, *Dicunt ei diſcipuli &c.* tertio Dominus timorem propellit, ibi, *Reſpondit Ieſus: Nonne duodecim hora ſunt diei?* Dicit ergo quantum ad primum: *Deinde poſt hac*, ſcilicet moram contractam, *dixit*, ſcilicet Ieſus diſcipulis ſuis: *Eamus in Iudæam iterum.*

Hic quæritur quare (*a*) hic ſolum prædixit Apoſtolis iterum iturum in Iudæam, cum hoc alias non fecerit. Sed huius quidem ratio eſt, quia Iudæi nuper in Iudæa perſecuti fuerant Chriſtum, ita ut pene eum lapidaſſent: unde & propterea inde deceſſerat: propter quod credendum erat quod, Chriſto iterato illuc ire volente, diſcipulorum corda timor invaderet. Et quia „ præviſa iacula „ minus feriunt, & mala quæ prævidentur, „ facilius tolerantur, " ut Gregorius dicit; ideo Dominus ut eis timorem auferret, eis itineris ſui propoſitum manifeſtat.

Per hoc autem quod iterum revertitur in Iudæam, myſtice datur intelligi, Dominum in fine mundi iterum reverſurum ad Iudæos, qui convertentur ad Chriſtum. Rom. XI. 25. „ Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, do„ nec plenitudo gentium intraret. "

(c) Timor diſcipulorum ponitur (*b*) cum dicitur: *Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* quaſi dicant: Videtur quod ſpontaneus vadas ad mortem. Sed timor iſte irrationabilis eſt, quia ſecum habebant diſcipuli Deum protectorem, cum quo qui eſt, timere non debet. Eſa. L. 8. „ Stemus ſimul: quis eſt adverſa„ rius meus? " Pſal. XXVI. 1. „ Dominus illu„ minatio mea, & ſalus mea: quem time„ bo? "

(d) Hunc timorem expellit Dominus confortans eos: unde dicit: *Reſpondit Ieſus*, (*c*) ſcilicet diſcipulis: *Nonne duodecim hora ſunt diei?* Ubi primo ponit conditionem temporis; ſecundo oſtendit quod tempus ſit aptum ambulationi; tertio quod non ſit aptum. Secundum ibi, *Si quis ambulaverit in die, non offendit*; tertium, ibi, *Si autem ambulaverit in nocte, offendit.*

Ad (*d*) intelligentiam autem huius litteræ ſciendum eſt, quod tripliciter exponitur. Uno modo a Chryſoſtomo ſic. *Nonne duodecim hora ſunt diei?* quaſi dicat: Vos dubitatis aſcendere in Iudæam, quia nuper Iudæi voluerunt me lapidare; ſed dies habet duodecim horas, & quod contingit in una, non contingit in alia. Unde licet tunc voluiſſent me lapidare, in alia hora hoc nollent. Eccle. III. 1. „ Omnia tempus habent. " Et eiuſdem VIII. 6. „ Omni negotio tempus eſt, & „ opportunitas. "

Sed hic incidit quæſtio litteralis: quia aut loquitur de die naturali, aut de die artificiali. Si quidem loquatur de die naturali, tunc falſum eſt quod dicit; cum non habeat duodecim, ſed vigintiquatuor horas. Similiter ſi loquitur de die artificiali, falſum eſt quod dicit: quia hoc non eſt verum, niſi in æquinoctiali, quia non omnes dies artificiales habent duodecim (*e*) horas.

Sed ad hoc dicendum, quod intelligendum eſt de die artificiali: quia omnes dies artificiales habent duodecim horas. Nam horæ huiuſmodi dierum diſtinguuntur dupliciter. Quædam enim ſunt æquales, & quædam ſunt inæquales. AEquales autem diſtinguuntur ſecundum circulum æquinoctialis: & ſecundum hoc non omnes dies habent duodecim horas; ſed aliqui plures, aliqui pauciores, niſi tantum in æquinoctio. Inæquales autem diſtinguuntur ſecundum aſcenſiones zodiaci propter eius obliquitatem: quia non æqualiter aſcendi zodiacus in omnibus partibus ſuis; æquinoctialis autem æqualiter: & de iſtis horis inæqualibus quilibet dies artificialis habet duodecim horas: quia quolibet (*f*) die aſcendunt ſex ſigna de die, & ſex de nocte; ſed illa quæ aſcendunt in æſtate, ſunt tardioris motus

quam

(a) *Al.* hoc. (b) *Al.* cum dicunt. (c) *Al. deeſt* ſcilicet diſcipulis. (d) *Al.* intellectum. (e) *Al. omittitur* horas. (f) *Al. deeſt* die.

Digitized by Google

quam illa quæ aſcendunt in hieme. Aſcenſus autem cuiuslibet ſigni facit duas horas.

(e) *Si quis ambulaverit in die*, ideſt honeſte, & abſque conſcientia alicuius mali: Rom. xiii. 13. „ Sicut in die honeſte ambulemus: “ *non offendit*; ideſt, non invenit quod ei noceat. Et hoc ideo *quia lucem huius mundi videt*; ideſt, lux iuſtitiæ in eo eſt. Pſal. xcvi. 11. „ Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia; “ quaſi dicat Dominus: Nos ſecure poſſumus ire, cum in die ambulemus.

(f) *Si autem ambulaverit in nocte*, ſcilicet iniquitatum, de facili multa pericula inveniet: de qua nocte I. Theſſ. v. 7. „ Qui dormiunt, nocte dormiunt: “ & talis *offendit*, ideſt impingit, *quia lux*, ſcilicet iuſtitiæ, *non eſt in eo*.

Alio modo exponit quidam Græcus, ſcilicet Theophilactus, ab illo loco, *Si quis ambulaverit in die*, dicens, quod dies eſt præſentia Chriſti in mundo, nox vero eſt tempus poſt paſſionem eius: ut ſit ſenſus: Non eſt timendum de Iudæis: quia quamdiu ego ſum in mundo, vobis non imminet periculum, ſed mihi. Unde quando Iudæi eum capere voluerunt, infra xviii. 8. dixit Dominus turbis: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire: ut impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam*. Sed *in nocte*, ideſt in tempore poſt paſſionem, tunc timendum eſt vobis ire in Iudæam: quia patiemini a Iudæis perſecutionem. Zach. xiii. 7. „ Percute paſtorem, & diſpergentur oves. “

Alio modo exponit Auguſtinus ſic ut per diem intelligatur Chriſtus. Supra ix. 4. *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt*: & *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*. Huius ergo diei duodecim horæ, ſunt duodecim Apoſtoli. Supra vi. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi?*

Sed timendum eſt valde, quod ſequitur (loc. cit.) *Et unus ex vobis diabolus eſt*. Iudas ergo non erat hora huius diei, quia non lucebat. Sed dicendum, quod Dominus hoc dixit, non habito reſpectu ad Iudam, ſed ad ſucceſſorem eius Mathiam.

Eſt ergo ſenſus: *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* quaſi diceret: Vos eſtis horæ, ego ſum dies. Sicut ergo horæ conſequuntur diem, ita & vos me debetis ſequi. Unde ſi ego volo ire in Iudæam, vos non debetis me præcedere, nec mutare voluntatem meam; ſed debetis me ſequi. Simile dicit Petro, Matth. xvi. 23. „ Vade retro poſt me ſatanas; “ ideſt, non præcedas me, ſed me ſequere, voluntatem meam imitando. *Si quis ambulaverit in die*; quaſi diceret: Non debetis timere periculum: quia vos itis mecum, qui ſum dies. Unde ſicut qui in die vadit non impingit, ideſt non offendit, ita nec vos qui mecum itis. Rom. viii. 31. „ Si Deus pro nobis, quis contra nos? “ Et hoc ideo *quia lucem huius mundi videt*, in me. *Si autem ambulaverit in nocte*, ideſt in tenebris ignorantiæ, & peccati, tunc *offendit*; & hoc ideo *quia lux*, ſcilicet ſpiritualis, *non eſt in eo*: non quidem ex defectu lucis, ſed eorum rebellione. Iob xxiv. 13. „ Ipſi fuerunt rebelles lumini. “

LECTIO III.

(a) HAEc ait, & poſt hæc dicit eis: Lazarus amicus noſter dormit; ſed vado, ut a ſomno excitem eum.

(b) Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſalvus erit.

(c) Dixerat autem Ieſus de morte eius; illi autem putaverunt quia de dormitione ſomni diceret.

(d) Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſte: Lazarus mortuus eſt: & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.

(e) Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos & moriamur eum eo.

(a) SUpra prænuntiavit Dominus propoſitum de accedendo ad locum defuncti; hic manifeſtat propoſitum de defuncti ſuſcitatione: & primo prænuntiat ipſum propoſitum; ſecundo diſcipulorum affectum, ibi, *Dicit ei Thomas &c.* Propoſitum autem prænuntiat primo quaſi implicite, & obſcure; ſecundo Evangeliſta oſtendit tarditatem intellectus diſcipulorum, ibi, *Dixerunt ergo diſcipuli*; tertio Dominus ipſum propoſitum denuntiat manifeſte, ibi, *Tunc ergo dixit eis Ieſus*. Dicit ergo: *Hæc ait, & poſt hæc dicit illis*; quaſi diceret: His quæ ſupra poſita ſunt dictis, poſtmodum dicit diſcipulis ſuis: *Lazarus amicus noſter dormit*. Quod quidem, ſecundum Chryſoſtomum, videtur facere ad ſecundam ra-

rationem excludentem timorem diſcipulorum: nam prima procedebat ex diſcipulorum innocentia: quia qui ambulat in die, non offendit; iſta ſumitur ex neceſſitate imminente, quaſi neceſſarium ſit ire. Unde circa hoc tria facit. Primo commemorat priſtinam amicitiam defuncti, dicens, *Lazarus amicus noſter*: amicus ſcilicet propter multa beneficia, & obſequia quæ nobis exbibuit; & ideo non debemus in neceſſitate deficere. Prov. XII. 26. „ Qui negligit damnum propter amicum „ fidelem. “ Secundo ponit neceſſitatis inſtantiam: unde dicit, *Dormit*: unde oportet quod ei ſubveniatur. Prov. XVII. 17. „ Fra„ ter in anguſtiis comprobatur. “ *Dormit*, inquam, ut dicit Auguſtinus, Domino; ſed mortuus erat hominibus, qui eum ſuſcitare non poterant.

Sciendum eſt enim, quod ſomnus accipitur multis modis. Quandoque pro ſomno naturæ. I. Reg. III. 9. „ Dormivit Samuel uſque ma„ ne. “ Et Iob XI. 18. „ Securus dormias „ &c. “ Quandoqne pro ſomno mortis. I. Theſſ. IV. 12. „ Noſumus vos ignorare de „ dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut „ & ceteri qui ſpem non habent. “ Quandoque pro negligentia. Pſal. CXX. 4. „ Ecce „ non dormitabit, neque dormiet qui cuſto„ dit Iſrael. “ Quandoque vero pro ſomno culpæ. Epheſ. V. 14. „ Exurge qui dormis, „ & exurge a mortuis. “ Quandoque pro quiete contemplationis. Cant. V. 2. „ Ego „ dormio, & cor meum vigilat. “ Quandoque pro quiete futuræ gloriæ. Pſal. IV. 9. „ In pace in idipſum dormiam, & requie„ ſcam. “ Mors autem dicitur ſomnus propter ſpem reſurrectionis; & ideo mors conſuevit appellari dormitio, ab eo tempore quo Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit. Pſal. III. 6. „ Ego dormivi, & ſoporatus ſum. “

Tertio oſtendit ſuam ad reſuſcitandum efficaciam, cum dicit: *Sed vado, ut a ſomno excitem eum*. In quo dat intelligere quod tanta facilitate excitabat (*a*) eum de ſepulcro, quanta excitas dormientem in lecto. Nec mirum: quia ipſe eſt qui ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſupra V. (*b*) unde ipſe dicit ibidem (verſ. XXVIII.) *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filii Dei*.

(b) Tarditatem autem intellectus diſcipulorum ponit Evangeliſta cum dicit: *Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſalvus erit*. Et primo ponit ſignum tarditatis eorum, ſcilicet quod non reſponderunt ſecundum intentionem Domini; ſecundo oſtenditur eorum tarditas manifeſte, ibi, *Dixerat autem Ieſus de morte eius*. Circa primum ſciendum eſt, quod id quod dixerat Dominus de ſomno mortis, iſti intellexerunt de ſomno naturæ: & quia ſolet ſomnus ægrotantium ſalutis eſſe indicium, ideo *diſcipuli dixerunt: Si dormit, ſalvus erit*; quaſi dicant: Hoc manifeſte ſalutis eſt ſignum; ut per hoc ulterius concludant: Domine ſi dormit, non videtur utile eſſe ut tu vadas ad excitandum eum.

(c) Tarditatem autem ipſorum ſubdit dicens: *Dixerat autem Ieſus de morte eius*: quia rudes erant: unde Dominus dicit eis, Matth. XV. 16. „ Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? “ De ſapiente vero dicitur Proverb. I. 6. „ Anim„ advertet parabolam, & interpretationem, „ (*c*) verba ſapientum, & ænigmata eo„ rum. “

(d) Manifeſtat autem Dominus explicite ſuſcitandi propoſitum, cum ſubdit: *Lazarus mortuus eſt: & gaudeo propter vos*. Et primo annuntiat eis Lazari mortem, quod pertinet ad eius ſcientiam; ſecundo inſinuat ſuum effectum circa eius mortem, quod pertinet ad eius providentiam; tertio innuit propoſitum de eundo ad locum ubi mortuus erat, quod pertinet ad eius clementiam. Mortem quidem prænuntiat dicens manifeſte: *Lazarus mortuus eſt*; ideſt, ſubiit legem communem mortis, quam nullus hominum ſubterfugere poteſt. Pſal. LXXXVIII. 49. „ Quis eſt homo „ qui vivit, & non videbit mortem? “ Affectum autem ſuum oſtendit circa eius mortem, dicens: *Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi*. Quod poteſt dupliciter exponi. Uno modo ſic. Nos audivimus infirmitatem Lazari, ſed ego abſens annuntio mortem eius, *& gaudeo propter vos*, ideſt propter veſtram utilitatem, ut ex hoc (*d*) ſumatis experimentum divinitatis meæ, quia in abſentia video. Hebr. IV. 13. „ Omnia nuda „ & aperta ſunt oculis eius. “ Nec mirum, quia ipſe eſt omnibus præſens. Hier. XXIII. 24. „ Cælum, & terram ego impleo. “ *Ut credatis*, non ut de novo inciperent credere, ſed ut firmius robuſtiuſque crederent: ſecundum illud Marc. IX. 23. „ Credo, Domine, „ adiuva meam incredulitatem. “ Alio modo ſic. *Gaudeo*, ſcilicet quod mortuus eſt; & hoc *propter vos*, ideſt propter (*e*) veſtram utilitatem, ſcilicet *ut credatis*: ideo, inquam, *gaudeo .... quia non eram ibi*: nam ſi ibi fuiſſem, non fuiſſet mortuus: ſed quia defunctus eſt, maius apparebit miraculum cum reſuſcitabo defunctum putreſcentem: & ex hoc vos magis corroborabimini in fide. Maius eſt

enim

(a) *Al. deeſt* eum. (b) *Al.* unde dicit. (c) *Al.* verba ſcilicet &c. (d) *Al.* ſumentes. (e) *Al. omittitur* veſtram.

enim defunctum ſuſcitare quam viventem a morte præſervare. Ex quo datur intelligi quod aliquando mala ſunt ratio gaudii, inquantum ordinantur ad bonum. Rom. VIII. 28. „ Diligentibus Deum omnia cooperantur „ in bonum. “ Propoſitum autem eundi innuit dicens: *Sed eamus ad eum*: in quo oſtenditur Dei clementia, inquantum homines in peccatis exiſtentes, & quaſi mortuos per ſe ad eum accedere non valentes, miſericorditer præveniendo attrahit: ſecundum illud Hier. XXXI. 3. „ In caritate perpetua dilexi te, „ ideo attraxi te miſerans. “

(e) Hic ponitur diſcipulorum affectus: quod poteſt quidem dupliciter exponi. Uno modo ut importet affectum dubitantis; alio modo ut importet affectum diligentis. Et primo modo exponitur a Chryſoſtomo. Nam, ut ſupra dictum eſt, omnes diſcipuli timebant Iudæos, & ſuper alios Thomas. Nam ante paſſionem infirmior erat aliis, & infidelior; qui tamen poſtea fortior factus eſt, & irreprehenſibilis, qui ſolus orbem terrarum percurrit. Unde ex hac dubietate dicit ad condiſcipulos: *Eamus & nos, & moriamur cum illo*; quaſi dicat: Iſte non timet mortem, penitus vult ire, ſe, & nos volens tradere morti. Secundo modo exponit Auguſtinus. Thomas enim, & alii diſcipuli ita Chriſtum amabant ut vel cum eo præſente vivere, vel cum eo mori vellent, ne poſt mortem deſerti iterum inconſolati remanerent. Unde ex hoc affectu Thomas dicit ad condiſcipulos: *Eamus & nos, & moriamur cum eo*; quaſi dicat: Ire vult, periculum mortis ei imminet: numquid & nos remanebimus ut vivamus? Abſit. Sed *eamus, & moriamur cum illo*. Rom. VIII. 17. „ Si „ compatimur, & conregnabimus. “ II. Corinth. V. 14. „ Si unus pro omnibus mortuus „ eſt, ergo omnes mortui ſunt. “

LECTIO IV.

(a) VEnit itaque Ieſus, & invenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

(b) Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim. Multi autem ex Iudæis venerunt ad Martham, & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo.

(c) Martha autem, ut audivit quia Ieſus venit, occurrit illi; Maria autem domi ſedebat. Dixit ergo Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus.

(d) Dicit illi Ieſus: Reſurget frater tuus.

(e) Dicit ei Martha: Scio, quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.

(f) Dixit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio, & vita.

(g) Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.

(h) Credis hoc? Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.

(a) POſtquam prænuntiavit defuncti ſuſcitationem, hic deſcribit Evangeliſta reſuſcitationis ordinem: & primo præmittit quædam præambula pertinentia ad alios; ſecundo proponit quædam quæ pertinent ad affectum Chriſti, ibi, *Ieſus autem ut vidit eam plorantem .... infremuit ſpiritu*; tertio ſubdit ſuſcitationis effectum, ibi, *Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum*. Præambula autem ad alios pertinentia primo præmittit quantum ad defuncti conditionem; ſecundo quantum ad Iudæorum erga ſorores conſolationem, ibi, *Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam*; tertio quantum ad ſororum devotionem, ibi, *Martha autem, ut audivit quia Ieſus venit, occurrit illi*. Defuncti autem conditio deſcribitur quantum ad tempus mortis, quia quatriduanus: unde dicit: *Venit itaque Ieſus, & invenit eum quatuor dies habentem*: & quantum ad locum, quia in monumento. Ex quo apparet, ſecundum litteram, ut dictum eſt ſupra, quod primus dies mortis fuit quando nuntiata fuit ei infirmitas.

Per hos autem quatuor dies, ſecundum Auguſtinum, ſignantur quatuor dies quadruplicis mortis. Unus dies eſt peccati originalis, quod homo trahit de mortis propagine. Rom. V. 12. „ Per unum hominem peccatum intra- „ vit in mundum. “ Alii tres dies referuntur ad mortem peccati actualis: nam quodlibet peccatum mortale quædam mors dicitur. Pſal. XXXIII. 22. „ Mors peccatorum peſſi- „ ma. “ Et dividuntur ſecundum tranſgreſſio-

ſionem triplicis legis. Primo quidem legis naturæ, quam homines tranſgrediuntur; & ſic eſt (a) ſecundus dies mortis. Eſa. XXIV. 5. „ Tranſgreſſi ſunt legem, & pactum ſempiternum, “ ideſt legem naturæ. Secundo legis ſcriptæ, quam etiam homines tranſgrediuntur; & ſic eſt tertius dies. Supra VII. 19. *Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Tertio legis Evangelii, & gratiæ, quam homines tranſgrediuntur; & ſic eſt quartus dies, & gravior ceteris. Hebr. x. 18. „ Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? “ Vel aliter, primus dies eſt peccatum cordis. Eſa. I. 16. „ Auferte malum cogitationum veſtrarum &c.“ Secundus dies eſt peccatum oris. Epheſ. IV. 29. „ Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat. “ Tertius dies eſt peccatum operis: de quo Eſa. I. 16. „ Quieſcite agere perverſe. “ Quartus dies eſt peccatum perverſæ conſuetudinis: de quo Hier. XIII. 23. „ Sic & vos poteritis bene facere, cum didiceritis male. “ Qualitercumque tamen exponatur, Dominus quandoque ſanat mortuos quatuor dies habentes, ideſt legem Evangelii tranſgredientes, & in conſuetudine peccati detentos.

Viſitantium autem conditio deſcribitur & quantum ad viſitandi opportunitatem, & quantum ad eorum quantitatem. Quantum ad opportunitatem quidem, quia locus defuncti erat prope Hieroſolymam: unde dicit: *Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim*, quod erat fere milliaria duo: nam milliare habet octo ſtadia: & ſic facilis multis Iudæorum a Hieroſolymis patebat illuc acceſſus.

Myſtice autem per Bethaniam quæ interpretatur domus obedientiæ, & Hieruſalem viſio pacis, datur intelligi, quod qui ſunt in ſtatu obedientiæ, ſunt propinqui ad pacem vitæ æternæ. Supra x. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.* Et dicit, *Quindecim ſtadiis*, quia qui vult de Bethania, ideſt de ſtatu obedientiæ, ire in Hieruſalem cæleſtem, oportet quod tranſeat ſtadia quindecim. Primo quidem ſeptem, quæ pertinent ad obſervantiam veteris legis: nam ſeptenarius numerus pertinet ad legem veterem, quæ diem ſeptimum ſanctificat; deinde vero octo, ideſt impletionem novi teſtamenti, ad quem pertinet numerus octonarius propter octavam reſurrectionis.

Quantum vero ad quantitatem deſcribitur, quia multi: unde dicit: *Multi autem ex Iudæis venerant ad Mariam, & Martham, ut conſolarentur eas*: quod quidem pietatis erat. Rom. XII. 15. (b) „ Gaudere cum gaudentibus oportet. “ Eccli. VII. 38. „ Non deſis plorantibus in conſolationem. “

(c) Sorores autem deſcribit Evangeliſta primo quantum quidem ad Martham; ſecundo vero quantum ad Mariam, ibi, *Hæc cum dixiſſet, abiit, & vocavit Mariam*. Martham autem deſcribit quantum ad tria. Primo quantum ad eius occurſum quo Chriſto obviavit; ſecundo quantum ad devotionis affectum quem Chriſto exhibuit; & tertio quantum ad inſtructionis profectum ad quem Chriſtus eam erexit. Occurſus autem Marthæ deſcribitur feſtinus: quia *Martha, ut audivit quia Ieſus venit, occurrit illi*, abſque moræ dilatione. *Venit* autem præſentis temporis eſt: forte enim Chriſto prope caſtrum exiſtente, aliquis præceſſit, & nuntiavit Marthæ adventum Chriſti; quo audito ſtatim cucurrit. Ratio autem quare Martha primo audivit, & ſola occurrit, eſt, quia Martha ſolicita erat: unde Dominus dicit, Luc. x. 41. „ Martha Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima: “ & ideo occupata circa diſpoſitionem negotiorum diſcurrebat per domum, & nuntianti facilius occurrit. Maria autem ſedebat domi cum illis qui venerant de Hieroſolymis; & ideo non ita cito potuit ſibi indicari ſicut Marthæ. Ratio autem quare Martha non ſtatim indicavit Mariæ, aſſignatur a Chryſoſtomo. Quia Maria ſedebat cum Iudæis, & Martha ſciebat quod Iudæi perſequebantur Chriſtum, & iam conſpiraverant in eius mortem; & ideo timens ne ſi nuntiaret ei, & illa iviſſet in occurſum Chriſti, iviſſent cum ea: propter hoc ergo ſibi nuntiare noluit.

Sed ſi Iudæi conſpiraverant contra Chriſtum, quomodo viſitabant Lazarum, & ſorores ſuas, qui Chriſti familiares erant, & quaſi diſcipuli? Ad quod reſpondet Chryſoſtomus, quod hoc faciebant propter neceſſitatis calamitatem, & propter nobilitatem harum mulierum, quas, ſpreto principum mandato, conſolabantur. Vel quia hi qui aderant, non mali erant, ſed bene ſe habebant ad Chriſtum: multi enim ex populo credebant.

Myſtice autem ſignantur per hæc vita activa, quæ ſignatur per Martham, quæ occurrit Chriſto ad exhibendum obſequii beneficium membris eius;

(a) *Al.* ſecundum, *item* ſenſus. (b) *Ibi*: „ Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. “

Digitized by Google

eius; (*a*) & vita contemplativa, quæ per Mariam ſignatur: quæ domi ſedet quieti contemplationis, (*b*) & puritati conſcientiæ vacans. Sapient. VIII. 16. „ Intrans in domum „ meam, conquieſcam cum illa. “

Affectus autem devotionis in Martha oſtenditur præcipuus: unde dicit: *Dixit Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſset mortuus*. Ubi duo Chriſto devote proponit: unum quod reſpicit ad præteritum, & aliud quod reſpicit ad futurum. Ad præteritum quidem reſpicit quod dicit: *Domine, ſi fuiſses hic, frater meus non fuiſſet mortuus*: credebat enim quod præſente Chriſto mors locum non haberet, cum vidiſſet mulierem ad ſolum tactum fimbriæ Ieſu ſanatam, Matth. XIV. Et quidem rationabiliter move'atur: nam vita contrariatur morti; Chriſtus autem vita eſt, & lignum vitæ. Proverb. III. 18. „ Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint „ eam. “ Si ergo lignum vitæ poterat præſervare a morte, multo magis Chriſtus. Nihilominus tamen imperſectam habebat fidem, æſtimans Chriſtum minus poſse abſentem quam præſentem: unde dicebat: *Domine, ſi fuiſses hic, frater meus non fuiſſet mortuus*: quod quidem de virtute limitata, & creata dici poteſt; ſed de virtute infinita, & increata, quæ Deus eſt, non eſt dicendum: quia æqualiter ſe habet ad præſentia, & abſentia; immo ſibi omnia ſunt præſentia. Hier. XXIII. 23. „ Putas ne Deus e vicino ego ſum? &c. “ Ad futurum (*c*) autem reſpicit hoc quod ſubdit: *Sed & nunc ſcio quia* (*d*) *quæcumque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus*. In quo quidem licet aliquo modo verum dixerit: nam Chriſto ſecundum quod homo pertinebat a Deo petere: unde & frequenter oraſſe legitur, & ſupra IX. 13. dicitur: *Si quis Dei cultor eſt* .... *hunc exaudit*: tamen minus dixit: nam per hæc verba arbitrari videtur Chriſtum ſicut unum ſanctum hominem, qui præteritam mortem orando poſſet excludere; ſicut Eliſeus orando mortuum ſuſcitavit.

(d) Profectus autem ponitur cum addit: *Dicit illis Ieſus: Reſurget frater tuus*. Quia enim adhuc imperſecte cognoſcebat, ideo Dominus ad altiora eam inſtruendo provehit: & primo prænuntiat fratris reſurrectionem; ſecundo oſtendit reſuſcitationis poteſtatem, ibi, *Ego ſum reſurrectio, & vita &c.* Circa primum duo facit. Primo prænuntiat futurum miraculum; ſecundo ponitur intellectus Marthæ de reſuſcitatione, ibi, *Dixit ei Martha &c.* Miraculum autem quod futurum Dominus prænuntiat, eſt reſuſcitatio Lazari: unde dicit: *Reſurget frater tuus*. Eſai. XXVI. 19. „ Vivent, „ & mortui tui reſurgent. “

Sciendum eſt autem, Chriſtum tres mortuos ſuſcitaſſe. Puellam archiſynagogi, ut habetur Matth. IX. filium viduæ qui efferebatur extra portam, ut habetur Luc. X. & Lazarum quatuor dies habentem in monumento. Sed puellam quidem in domo, iuvenem extra portam, Lazarum in monumento. Item puellam paucis arbitris ſecum habens, patrem videlicet, & matrem puellæ, & tres ex diſcipulis ſuis, Petrum ſcilicet, Iacobum, & Ioannem; iuvenem vero magna turba præſente; ſed Lazarum aſſiſtente multitudine, & cum gemitu. Nam per hos tres ſuſcitatos tria genera peccatorum intelliguntur. Quidam enim peccant per conſenſum peccati mortalis in corde; & iſti ſignantur per puellam mortuam in domo. Alii vero ſunt qui per exteriora ſigna, & actus peccant; & ſignantur per mortuum qui effertur extra portam. Sed quando per conſuetudinem in peccato firmantur, tunc clauduntur in monumento. Et tamen Domious omnes reſuſcitat. Sed illi qui per conſenſum ſolum peccant, & mortaliter peccando moriuntur, facilius ſuſcitantur. Et quia ſecretum eſt, ideo ſecreta emendatione curatur. Quando autem peccatum procedit extra, tunc publico indiget remedio.

(e) Intellectus autem Marthæ de reſuſcitatione promiſſa ponitur cum dicit: *Dicit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die*: non enim auditum eſt a ſæculo quod quis quatriduanum fœtentem in monumento reſuſcitaverit: & ideo non poterat cadere in corde Marthæ quod ſtatim eum ſuſcitaret a mortuis; ſed credebat hoc in communi reſurrectione futurum: unde dicit: *Scio*, ideſt certiſſime teneo, *quod reſurget in noviſſimo die*. Supra VI. 40. *Ego reſuſcitabo eum in novi ſimo die*.

(f) Conſequenter cum dicit, *Dixit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio, & vita*, Dominus Martham ad altiora elevans, primo oſtendit virtutem, & poteſtatem ſuam; ſecundo ſubdit poteſtatis effectum, ibi, *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet*; tertio expoſcit fidem, ibi, *Credis hoc?* Poteſtas autem ſua eſt vivificativa: unde dicit: *Ego ſum reſurrectio, & vita*; quaſi diceret Marthæ: Credis quod frater tuus reſurgat in noviſsimo die? Totum autem hoc quod homines reſurgent, erit mea virtute; & ideo ego, cuius virtute tunc omnes reſurgent, poſſum etiam fratrem tuum ſuſcitare in præſentia. Dicit autem duo, ſci-

(a) *Al.* Vita contemplativa: *item* Vita autem contemplativa &c. (b) *Al.* & pietati. (c) *Al. deeſt* autem.
(d) Al. *omnia quæcumque*.

licet quod eſt *reſurrectio*, & quod eſt *vita*. Sciendum eſt enim, quod effectum vitæ aliqui participare indigent. Quidam quidem, quia vitam amiſerunt; quidam vero, non quia ipſam amiſerunt, ſed ut iam habitam conſervent. Sic ergo quantum ad primum dicit: *Ego ſum reſurrectio*, qua qui vitam per mortem amiſerunt, reparantur; quantum ad ſecundum dicit, *Et vita*, qua ſcilicet viventes conſervantur. Sciendum eſt autem, quod hoc quod dicit, *Ego ſum reſurrectio*, eſt locutio cauſalis; quaſi dicat: Ego ſum reſurrectionis cauſa. Hic autem locutionis modus in illis tantum fieri conſuevit qui ſunt cauſa alicuius rei; Chriſtus autem eſt tota cauſa reſurrectionis noſtræ, tam animarum, quam corporum: & ideo hoc quod dicit, *Ego ſum reſurrectio*, eſt cauſalis locutio; quaſi dicat: Totum hoc quod reſurgent in animabus, & in corporibus, per me erit. I. Corinth. xv. 21. „ Quoniam quidem per hominem mors, „ & per hominem reſurrectio mortuorum. " Hoc, inquam, quod *ſum reſurrectio*, eſt mihi per hoc quod ſum *vita*: nam vitæ eſt quod aliqui reparentur ad vitam, ſicut ignis eſt quod aliquod extinctum reignitur. Supra 1. 4. (*a*) *In Chriſto vita erat*, & *vita erat lux hominum*.

(g) Effectus autem poteſtati reſpondet: unde dicit: *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet*. Primo ergo agit de effectu qui reſpondet primæ poteſtati; ſecundo de effectu qui reſpondet ſecundæ. Primum autem quod de poteſtate ſua dixerat, eſt quod ipſe ſit reſurrectio; & huic reſpondet effectus quod ipſe mortuos vivificat: & quantum ad hoc dicit: *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet*. Cuius quidem cauſa eſt, quia ego ſum reſurrectionis cauſa, cuius cauſæ effectum aliquis conſequitur credendo in me. Unde dicit: *Qui credit in me, vivet, etiam ſi mortuus fuerit*: nam per hoc quod credit, habet me in ſe: Epheſ. III. 17. „ Habitare Chriſtum „ per fidem in cordibus veſtris: " qui autem habet me, habet reſurrectionis cauſam: ergo *qui credit in me, vivet*. Quod autem per fidem aliqui reſurgant habetur ſupra v. 25. *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent*, vita ſcilicet ſpirituali, reſurgentes de morte culpæ, & etiam vita naturali, reſurgentes de morte pœnæ. Secundum autem quod de poteſtate ſua dixerat, eſt quod ipſe ſit vita; & huic reſpondet effectus præſervationis in vita: unde dicit: *Et omnis qui vivit, & credit in me*, vita iuſtitiæ: de qua Habac. II. 4. „ Iuſtus „ meus ex fide vivit: " *non morietur in æternum*, ideſt morte æterna; ſed habebit vitam æternam. Supra VI. 40. *Hæc eſt voluntas Patris mei, ut omnis qui* (*b*) *videt Filium, & credit in eum habeat vitam æternam*. Et hoc non eſt intelligendum quin moriatur ad tempus morte carnis; ſed quod aliquando ſic morietur, ut tamen reſuſcitatus vivat in æternum in anima, donec reſurgat caro numquam poſtea moritura; unde ſubdit ibidem: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*.

(h) Expoſcit autem fidem, ut eam perficiat: unde dicit, *Credis hoc*? Et primo ponitur quæſtio Domini dicentis, *Credis hoc*? Non interrogat Dominus quaſi ignorans, ſed ſciens fidem eius, quippe qui ipſam fidem ſibi infuderat: credere enim a Deo eſt. Quærit autem ut fidem, quam habebat in corde, confiteatur ore. Rom. x. 10. „ Corde creditur „ ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſa- „ lutem. " Secundo ponitur reſponſio mulieris cum dicit: *Ait illi: Utique Domine ego credidi quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Quæ quidem reſponſio impertinens videtur ad ea quæ Dominus dixerat. Dixit enim: *Ego ſum reſurrectio, & vita*: & poſtea quæſivit utrum hoc crederet. Mulier autem non reſpondit: Credo quod tu es reſurrectio, & vita; ſed *Ego credidi quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti*. Quod quidem dupliciter exponitur. Chryſoſtomus enim dicit, quod hæc mulier non intelligens alta verba Domini, quaſi ſtupefacta reſpondit dicens: Domine, ego non intelligo hoc quod dicis, ſcilicet quod tu es reſurrectio, & vita; ſed hoc *credidi*; *quia tu es*] *Chriſtus Filius Dei vivi*. Auguſtinus vero dicit, quod mulier reſpondit hoc ideo quia hoc quod dicit eſt ratio omnium præmiſſorum a Domino; quaſi diceret: Quicquid dicis de poteſtate tua, & effectu ſalutis, totum credo: quia ego credo quod plus eſt, & radix omnium; ſcilicet *quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Hæc autem confeſſio Marthæ perfecta eſt. Confitetur enim Chriſti dignitatem, naturam, & diſpenſationem, ſcilicet incarnationis. Dignitatem quidem & regiam, & ſacerdotalem; & hoc, cum dicit: *Tu es Chriſtus*: Chriſtus enim Græce, Latine dicitur unctus. Inunguntur autem Reges, & Sacerdotes: eſt ergo Chriſtus Rex, & Sacerdos. Unde Angelus Luc. II. 11. „ Natus eſt „ nobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Do- „ minus. " Et vere ipſe eſt ſingulariter Chriſtus, quia alii unguntur oleo viſibili, iſte vero oleo inviſibili, ſcilicet Spiritu ſancto, & ceteris aliis abundantius. Pſal. xliv. 8. „ Unxit

(a) Ibi, *In ipſo*. (b) Al. *vivit*.

Digitized by Google

„ xit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ „ conſortibus tuis. “ Ideo præ conſortibus, quia, ut dicitur ſupra III. 34. *non ad menſuram dat ei Deus ſpiritum*. Naturam autem in Chriſto confitetur divinam Patri æqualem: unde dicit: *Filius Dei vivi*: nam ex hoc quod ſingulariter vocat eum Filium Dei vivi, veritatem filiationis annuntiat; non autem eſt verus Dei Filius, niſi ſit Patri connaturalis: unde de Chriſto dicitur I. Ioan. ult. xx. „ Ut „ ſimus in vero Filio eius Chriſto: hic eſt ve„ rus Deus, & vita æterna. “ Diſpenſationis autem myſterium confitetur cum dicit: *Qui in hunc mundum veniſti*, ſcilicet carnem aſſumens. Simile confitetur Petrus, Matth. XVI. 16. „ Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. “ Infra XVI. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum*.

LECTIO V.

(a) ET cum hæc dixiſſet, abiit, & vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te.

(b) Illa, ut audivit, ſurrexit cito, & venit ad eum.

(c) Nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha.

(d) Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum vidiſſent Mariam, quia cito ſurrexit, & exiit, ſecuti ſunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

(e) Maria ergo cum veniſſet ubi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius,

(f) Et dixit ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus.

(g) Ieſus ergo, ut vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum.

(h) Et dixit: Ubi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide.

(i) Et lacrymatus eſt Ieſus.

(k) Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum.

(l) Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?

(a) POſtquam Evangeliſta præmiſit conditiones ſororum quantum ad Martham, hic deſcribit eas quantum ad Mariam: & primo deſcribit vocationem Mariæ; ſecundo occurſum eius ad Chriſtum, ibi, *Illa, ut audivit*; tertio eius devotionem, quam exhibuit Chriſto, ibi, *Maria ergo cum veniſſet ubi erat Ieſus.... cecidit ad pedes eius*. Vocatur autem Maria per Martham, quæ conſolata, & inſtructa per Chriſtum nolens ſororem ſuam eſſe tantæ conſolationis expertem, *cum dixiſſet*, verba prædicta cum Domino, *abiit* ſtatim, *& vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te &c.*

Ubi quidem duo dubitanda occurrunt. Primo de hoc quod dicit, *Silentio*: nam ſilentium nihil aliud eſt quam privatio locutionis, vel ſoni. Non ergo eam ſilentio vocare potuiſſet. Reſponſio. Dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod ſilentium ſuppreſſam vocem nuncupavit; quaſi dicat, vocavit eam ſubmiſſe: ſecundum illud Eccle. IX. 17. „ Verba ſapientum au„ diuntur in ſilentio. “ Ideo autem eam ſilenter vocat, quia multitudo Iudæorum erat cum ea, ut dictum eſt, & forte erant inter eos aliqui qui non diligerent Chriſtum, qui vel recederent, vel hoc audito Mariam non ſequerentur. Myſtice autem per hoc datur intelligi quod ad Chriſtum quis vocat exteriore voce tantum, ſed efficacius ſilenter: unde dicitur Eſai. XXX. 15. „ In ſilentio, & ſpe „ erit fortitudo veſtra. “

Secundo dubitatur de hoc quod dicit: *Magiſter adeſt, & vocat te*. Videtur falſum dixiſſe: non enim dixit Dominus Marthæ, quod vocaret Mariam. Reſponſio. Dicit Auguſtinus, quod Evangeliſta cauſa brevitatis dat intelligere quod in ſua narratione intermiſerat: nam forte Dominus dixit Marthæ quod eam vocaret. Alii autem dicunt, quod Martha ipſam præſentiam vocationem reputavit; quaſi diceret: Inexcuſabile eſt ut eo præſente tu non exeas obviam ipſi.

(b) Conſequenter cum dicit, *Illa, ut audivit, ſurrexit cito, & venit ad eum*, ponitur occurſus Mariæ. Et circa hoc duo facit. Primo ponitur promptitudo Mariæ ad occurrendum; ſecundo locus in quo ei occurrit, ibi, *Nondum enim venerat Ieſus in caſtellum*; tertio comitiva, quæ eam ſequitur, ibi, *Iudæi ergo qui erant cum ea in domo... ſecuti ſunt eam*. Promptitudo autem Mariæ ad occurrendum

Digitized by Google

deſcribitur, quia non diſtulit propter luctum, non tardavit propter aſtantes; ſed ſtatim *ut audivit, ſurrexit cito*, de domo in qua erat, *& venit ad eum*, ſcilicet Ieſum. Ex quo patet quod non illam præveniſſet Martha, ſi ei a principio notus fuiſſet adventus Ieſu. Datur etiam per hoc nobis exemplum non tardandi, cum vocamur ad Chriſtum. Eccli. v. 8. „ Ne tardes converti ad Dominum, & „ ne differas de die in diem. “ Eſai. l. 4. „ Audiam eum quaſi magiſtrum. “

(c) Locus autem ubi Maria Chriſto occurrit, eſt idem ille ubi Martha cum Chriſto locuta fuerat: unde dicit: *Nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha*: quod ideo ponit Evangeliſta ne credatur ſuperfluus occurſus Mariæ, cum Chriſtus potuerit adeo cito in caſtellum venire, ſicut & Martha. Ideo autem Chriſtus in illo loco remanſit, ut non videatur ſeipſum ingerere miraculo; ſed dum rogatus, & inductus miraculum operatur, confiteantur ipſum mortuum eſſe, & miraculum nullam calumniam patiatur. Datur etiam per hoc intelligi quod cum volumus Chriſto frui, eum venientem anticipemus, non expectantes quod ipſe nobis condeſcendat; ſed ut ipſi potius condeſcendamus ad eum. Hier. xv. 19. „ Ipſi convertentur ad te, & tu non con„ verteris ad eos. “

(d) Comitiva autem quæ ſequitur Mariam, deſcribitur cum dicit: *Iudæi ergo qui erant cum ea in domo ..... ſecuti ſunt eam*. Cauſam autem quare eam ſequebantur ponit, dicens: *Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi*. Credebant enim quod ex impetu doloris hoc faceret: non enim audierant verba quæ Martha dixerat Mariæ. In quo quidem Iudæi commendandi ſunt: quia, ut dicitur Eccli. vii. 38. „ non deſis plorantibus in conſola„ tionem. “ Nihilominus divina providentia factum eſt ut eam ſequerentur, ut cum plures eſſent ibi cum Lazarus ſuſcitatus eſt, tam grande miraculum quatriduani reſurgentis teſtes plurimos inveniret, ut dicit Auguſtinus.

(e) Conſequenter cum dicit, *Maria ergo cum veniſſet ubi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius*, commendatur devotio Mariæ ad Ieſum: & primo devotio quam exhibuit facto; ſecundo devotio quam exhibuit verbo, ibi, *Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus*. Circa primum nota in Maria ſecuritatem, & humilitatem. Securitatem quidem, quia contra mandatum principum, quod nullus confiteretur Chriſtum, non verecundatur turbam, nec ſuſpicionem Iudæorum de Chriſto veretur: cum aliqui inimicorum Chriſti intereſſent, ad Chriſtum currit. Proverb. xxviii. 1. „ Iuſtus quaſi leo confidens, „ abſque terrore erit. “ Humilitatem autem, quia *cecidit ad pedes eius*, quod non de Martha legitur. I. Pet. v. 6. „ Humiliamini ſub „ potenti manu Dei, ut vos exaltet in tem„ pore viſitationis. “ Pſal. cxxxi. 7. „ Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius. “

(f) Verbo autem devotionem exhibuit, cum dixit ei: *Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus*. Credebat enim eſſe vitam, & ubi ipſe eſſet, mortem locum non habere. II. Corinth. vi. 14. „ Non eſt conventio lu„ cis ad tenebras. “ Quaſi dicat: (a) „ Dum „ nobiſcum præſens fuiſti (ut Auguſtinus di„ cit) non morbus, non infirmitas aliqua „ apparere auſa eſt, apud quas vita noverat „ hoſpitari. O infidelis conventio! Te adhuc „ poſito in ſæculo Lazarus amicus tuus mor„ tuus eſt. Si amicus moritur, inimicus quid „ patietur? “

(g) Conſequenter cum dicit, *Ieſus ergo ut vidit eam plorantem ...... infremuit ſpiritu, & turbavit ſe*, ponuntur ea quæ pertinent ad (b) affectum Chriſti. Chriſtus enim non reſpondet eadem Mariæ quæ reſpondit Marthæ; ſed propter aſtantem turbam nihil loquitur, factis demonſtrans ſuam virtutem. Primo ergo ponitur affectus Chriſti oſtenſus Mariæ; ſecundo ſubditur diſceptatio de Chriſti affectu, ibi, *Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum*. Circa primum tria facit. Primo ponitur affectus Chriſti quem corde habuit; ſecundo quomodo eum verbis expreſſit, ibi, *Et dixit, Ubi poſuiſtis eum?* tertio quomodo eum lacrymis demonſtravit, ibi, *Et lacrymatus eſt*. Dicit ergo quantum ad primum: *Ieſus ergo, ut vidit eam plorantem &c.* Ubi notandum eſt, Chriſtum verum Deum eſſe, & verum hominem: & ideo ubique fere in ſactis ſuis mixta leguntur humana divinis, & divina humanis: & ſi quandoque ponitur aliquid humanum de Chriſto, ſtatim additur aliquid divinum. Nihil enim infirmius de Chriſto legimus quam eius paſſionem; & tamen eo in cruce pendente, divina facta patent, quod ſol obſcuratur, petræ ſcinduntur, corpora ſanctorum qui dormierant reſurgunt. In nativitate etiam, & eo iacente in præſepio, ſidus de cælo fulget, Angelus laudes cecinit, Magi & Reges munera offerunt. Simile autem habemus in hoc loco: nam Chriſtus ſecundum humanitatis affectum aliquid infirmum patitur, turbationem quamdam de morte

te

(a) *Al.* Deus. (b) *Al.* effectum.

Digitized by Google

te Lazari concipiens: unde dicit: *Infremuit ſpiritu, & turbavit ſemetipſum*.

Circa quam quidem turbationem primo quidem attende pietatem, ſecundo diſcretionem, tertio poteſtatem. Pietatem quidem ex cauſa, quæ eſt iuſta. Tunc enim iuſte turbatur (*a*) quis, ſi ex aliorum triſtitia & malo turbetur: & quantum ad hoc dicit: *Ut vidit eam plorantem*. Rom. XII. 15. „ Gaudete „ cum gaudentibus, & flete cum flentibus.“ Diſcretionem autem, quia ſecundum iudicium rationis turbatur: unde dicit, *Fremuit ſpiritu*; quaſi iudicium rationis ſervans. In turbatione enim ſpiritus dicitur mens, vel ratio, ſecundum illud Epheſ. IV. 23. „ Renovamini „ ſpiritu mentis veſtræ. “ Quandoque autem contingit quod huiuſmodi paſſiones ſenſitivæ partis nec fiunt ſpiritu, nec ſervant moderamen rationis, quin potius magis ipſam perturbant: quod quidem in ipſo non fuit, quia *infremuit ſpiritu*.

Sed quid ſignificat fremitus Chriſti? Videtur quod ſignificet iram. Proverb. XIX. 12. „ Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis. “ Item videtur quod ſignificet indignationem: ſecundum illud Pſal. CXI. 10. „ Dentibus ſuis „ fremet, & tabeſcet. “ Reſponſio. Dicendum, quod hic fremitus in Chriſto iram quamdam, & indignationem cordis ſignificat. Omnis autem ira, & indignatio ex aliquo dolore, & triſtitia cauſatur. Duo autem hic ſuberant: unum de quo Chriſtus (*b*) turbatur, quod erat mors homini inflicta propter peccatum; aliud autem de quo indignabatur, erat ſævitia mortis, & diaboli. Unde, ſicut quando aliquis vult repellere hoſtem, dolet de malis illatis ab ipſo, & indignatur ad animadvertendum in eum, ita & Chriſtus doluit, & indignatus eſt.

Poteſtatem autem, quia ipſe ſuo imperio turbavit ſemetipſum. Nam huiuſmodi quidem paſſiones aliquando inſurgunt ex cauſa indebita, ſicut cum aliquis de malis gaudet, & de bonis triſtatur. Proverb. II. 14. „ Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in „ rebus peſſimis. “ Et hoc non fuit in Chriſto: unde dicit: *Ut vidit eam plorantem* ..... *turbavit ſeipſum*. Aliquando inſurgunt ex aliqua cauſa bona, non tamen ratione moderantur: & propter hoc dicit, *Infremuit ſpiritu*. Aliquando autem etſi moderentur ab aliquo, præveniunt tamen iudicium rationis; cuiuſmodi ſunt ſubiti motus. Quod quidem in Chriſto non fuit: quia omnis motus appetitus ſenſitivi fuit in eo ſecundum modum, & imperium rationis: & ideo dicit, *Turbavit ſemetipſum*; quaſi dicat: Iudicio rationis hanc ſibi triſtitiam aſſumpſit.

Sed contra eſt quod dicitur Eſai. XLII. 4. „ Non erit triſtis, neque turbulentus. “ Reſponſio. Dicendum, quod hoc intelligitur de triſtitia præveniente, & immoderata. Voluit etiam Chriſtus ſe turbare & triſtari ex triplici cauſa. Primo quidem ad probandum conditionem, & veritatem humanæ naturæ; ſecundo ut dum triſtatur, & cohibet ſeipſum, doceat modum ſervandum eſſe in triſtitiis. Stoici enim dixerunt quod nullus ſapiens triſtatur. Sed valde inhumanum eſſe videtur quod aliquis de morte alicuius non triſtetur. Aliqui autem ſunt qui in triſtitiis de malo amicorum, nimis excedunt. Sed Dominus triſtari voluit, ut ſignificet tibi quod aliquando debeas contriſtari, quod eſt contra Stoicos: & modum in triſtitia tenuit, quod eſt contra ſecundos. Unde Apoſtolus Theſſal. IV. 12. „ Nolumus vos ignorare de „ dormientibus, ut non contriſtemini ſicut „ ceteri qui ſpem non habent. “ Eccli. XXII. 10. „ Super mortuum plora, quia defecit „ lux eius. “ Et poſtea ſubdit: „ Modicum plora ſupra mortuum, quoniam re„ quievit. “ Tertia ratio eſt ut inſinuet quod nos pro mortuis corporaliter triſtari, & plorare debemus: ſecundum illud Pſal. XXXVII. 9. „ Afflictus ſum, & humiliatus ſum ni„ mis. “

(*h*) Conſequenter Dominus affectum ſui cordis verbis demonſtrat: unde dicit: *Ubi poſuiſtis eum*?

Sed contra. Numquid Dominus locum ubi poſitus erat ignorabat? Videtur quod non: nam ſicut virtute divinitatis abſens ſcivit mortem eius, ita ſcivit etiam locum ſepulcri. Quare ergo quærit, ex quo ſcivit?

Reſponſio. Dicendum, quod non ut ignorans interrogat, ſed dum a populo ſibi ſepulcrum oſtenditur, vult eos confiteri Lazarum mortuum, & ſepultum: (*c*) ut ſic miraculum ab omnium ſuſpicione eripiat. Sunt ad hoc etiam duæ rationes myſticæ. Una eſt, quia qui interrogat, videtur neſcire ea de quibus interrogat. Per Lazarum autem in monumento, ſignantur mortui in peccatis. Oſtendit ergo Dominus ſe ignorare locum Lazari, dans per hoc intelligere quod quaſi neſciat peccatores, ſecundum illud Matth. VII. 23. „ Non novi vos: “ & Geneſ. III. 9. „ Adam ubi es? “ Alia ratio eſt, quia quod aliqui a peccato reſurgant ad ſtatum iuſtitiæ divi-

(a) *Al. omittitur* quis. (b) *Al.* turbatur. (c) *Al.* & ſic.

Digitized by Google

divinæ, eſt ex profundo prædeſtinationis divinæ: quod quidem profundum homines ignorant. Rom. XI. 34. „ Quis cognovit ſenſum „ Domini, aut quis conſiliarius eius fuit ? “ Et Hier. XXIII. 18. „ Quis enim affuit in „ conſilio Domini, & vidit, & audivit ſermonem eius ? “ Et ideo Dominus hoc innuens, ad modum neſcientis ſe habuit, cum & ipſi hoc neſciamus.

Sic ergo ponitur Domini interrogatio; & ſequitur populi reſponſio: unde dicit: *Dicunt ei: Domine, veni, & vide. Veni*, miſerando, *vide*, conſiderando. Pſal. XXIV. 18. „ Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea. “

(i) Conſequenter Dominus affectum ſuum lacrymis demonſtrat: unde ſubditur: *Et lacrymatus eſt Ieſus*: quæ quidem lacrymæ non erant ex neceſſitate, ſed ex pietate, & cauſa: fons enim pietatis erat; & ideo flebat ut oſtenderet non eſſe reprehenſibile ſi aliquis ploret ex pietate. Eccli. XXXVIII. 16. „ Fili, „ ſuper mortuum produc lacrymas. “ Flevit ex cauſa, ut doceret hominem propter peccatum fletibus indigere: ſecundum illud Pſal. VI. 7. „ Laboravi in gemitu meo, lavabo per „ ſingulas noctes lectum meum. “

(k) Conſequenter (a) cum dicit, *Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum*, ponit Evangeliſta diſceptationem de affectu Chriſti: & primo inducit quoſdam admirantes Chriſti affectum; ſecundo quoſdam in dubium revocantes miraculum prius factum, ibi, *Quidam autem ex ipſis dixerunt &c.* Admirantes autem miraculum Chriſti inducit Evangeliſta per modum concluſionis, cum dicit: *Dixerunt ergo Iudæi*, oſtenſis ſcilicet ſignis affectus Chriſti, tam verbis, quam lacrymis: *Ecce quomodo amabat eum*: nam amor maxime in triſtitiis hominum manifeſtatur. Proverb. XVII. 17. „ In triſtitia amicus cognitus eſt. “ Myſtice autem per hoc datur intelligi quod Deus homines etiam in peccatis amat: niſi enim eos amaſſet, non utique diceret: „ Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. “ Matth. IX. 13. „ Unde Hier. XXXI. 3. „ In „ caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi „ (b) te miſerans. “

(l) Vertentes autem in dubium miraculum factum, erant ex invidis Ieſu: unde dicit: *Quidam autem ex ipſis*, ſcilicet Iudæis, *dixerunt: Non potuit hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur*? quaſi dicant: Si ſic amabat eum ut etiam pro eius morte lacrymaretur, videtur quod voluiſſet enm non mori: nam triſtitia eſt de his quæ nobis non volentibus acciderunt. Si ergo eo nolente mortuus eſt, videtur quod non potuit mortem impedire; multo magis videtur qnod non potuerit aperire oculos cæci nati. Vel dicendum, quod hoc dixerunt admirando, eo modo loquendi quo Eliſeus dixit IV. Reg. II. 14. „ Ubi eſt Deus Eliæ etiam nunc ? “ Et David in Pſal. LXXXVIII. 50. „ Ubi ſunt „ miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine? “

LECTIO VI.

(a) IEſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo venit ad monumentum.

(b) Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Ieſus, Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus enim eſt. Dixit ei Ieſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem.

(c) Ieſus autem, elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis; ſed propter populum qui circumſtat dixi, ut credant quia tu me miſiſti.

(d) Hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras.

(e) Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat ligata.

(f) Dixit eis Ieſus: Solvite eum, & ſinite abire.

(a) POſtquam autem Evangeliſta poſuit quædam præambula ad ſuſcitationem, hic conſequenter agit de ipſa ſuſcitatione: circa quam quatuor agit. Primo de Chriſti ad monumentum perventione; ſecundo de lapidis ſublatione, ibi, *Erat autem ſpelunca &c.* tertio de Chriſti oratione, ibi, *Ieſus autem, elevatis ſurſum oculis, dixit &c.* quarto de mortui

(a) *Al. incipit* Ponit ergo Evangeliſta &c. (b) *Al.* te mihi miſerans.

tui reſuſcitatione, ibi, *Hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras*. Dicit ergo quantum ad primum: *Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo venit ad monumentum*. Studioſe autem Evangeliſta frequenter dicit, quod lacrymatus eſt, & quod infremuit, ut Chryſoſtomus dicit, quia in futuro oſtenſurus erat ſuæ divinitatis poteſtatem. Ne ergo dubites de veritate ſuæ humanitatis, infirmiora, & humiliora noſtræ naturæ de Chriſto aſſerit. Et ſicut Ioannes ceteris Evangeliſtis expreſſius divinam naturam, & poteſtatem oſtendit, ita etiam quædam infirmiora de eo loquitur, ſicut quod lacrymatus eſt, quod infremuit, & huiuſmodi, quæ maxime affectum in Chriſto demonſtrant humanæ naturæ. Myſtice autem infremuit, ut detur intelligere, eos qui a peccatis reſurgunt, in continuo debere perſiſtere luctu: ſecundum illud Pſalm. xxxvii. 7. „ Tota die contriſtatus ingrediebar. " Vel dicendum, quod ſupra infremuit ſpiritu, propter mortem Lazari; hic autem rurſum in ſemetipſo propter infidelitatem Iudæorum. Unde Evangeliſta præmiſerat dubietatem miraculi, dicentium: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur*? Qui quidem fremitus fuit ex compaſſione, & miſeratione ad Iudæos. Matth. xiv. 14. „ Videns Ieſus turbas, miſertus eſt eis. "

(b) Hic agitur de lapidis ſublatione: ubi quatuor facit. Primo deſcribit lapidem; ſecundo ſubdit mandatum Chriſti de lapide ſubmovendo; tertio addit diſceptationem de lapidis amotione; quarto inſinuat mandati impletionem. Lapis autem deſcribitur ſuperpoſitus monumento: unde dicit: *Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei*. Sciendum eſt enim, quod in partibus illis cavernas quaſdam in modum ſpeluncæ habent ad hominum ſepulturas, ubi poſſunt plura mortuorum corpora ponere diverſis temporibus; & ideo habent foramen quoddam, quod de lapide claudunt, & aperiunt, quando eſt neceſſe: & ideo dicitur hic, quod *lapis erat ſuperpoſitus ei*, ſcilicet oſtio ſpeluncæ. Simile habetur Geneſ. xxiii. ubi Abraham emit agrum, & ſpeluncam ad ſepeliendum Saram uxorem ſuam. Myſtice autem per ſpeluncam intelligitur profunditas peccatorum: de qua habetur in Pſal. lxviii. 3. „ Infixus ſum in limo profundi, & „ non eſt ſubſtantia. " Per lapidem ſuperpoſitum intelligitur lex, quæ in lapide ſcripta eſt, & peccatum non tollebat, ſed tenebat eos in peccato: quia ex hoc gravius peccabant, quod contra legem faciebant: unde dicitur Galat. iii. 22. „ Concluſit Scriptura omnia ſub peccato. " Mandatum Chriſti de lapide ſubmovendo ponit, dicens: *Ait Ieſus, Tollite lapidem*.

Sed (a) quæritur, cum maius ſit ſuſcitare mortuum, quam removere lapidem, quare non etiam ſimul cum hac ſua virtute lapidem ſuſtulit? Ad quod reſpondet Chryſoſtomus, quod hoc factum eſt ad maiorem certitudinem miraculi: ut ſcilicet eos teſtes faciat miraculi, ut non dicant quod in cæco dixerunt: Non eſt hic, qui mortuus fuit: ſupra ix.

Myſtice, ſecundum Auguſtinum, remotio lapidis ſignat amotionem ponderis legalium obſervantiarum a fidelibus Chriſti ex gentibus ad Eccleſiam venientibus, quod eis aliqui imponere volebant. Unde dicit Beatus Iacobus Actor. xv. 28. „ Viſum eſt Spiritui ſancto, & „ nobis, nihil ultra imponere vobis oneris. " Et Petrus dicit eodem (10.) „ Cur tentatis „ imponere iugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos „ portare potuimus? " De hoc ergo dicit Dominus, *Tollite lapidem*, ideſt legis pondus, & gratiam prædicate. Vel per lapidem ſignificat eos qui in Eccleſia corrupte vivunt, & offenſioni ſunt credere volentibus, dum eos a converſione retrahunt: de quo lapide in Pſal. xc. 12. „ Ne forte offendas ad lapidem „ pedem tuum. " Qui quidem Dominus præcipit ut removeatur. Eſa. lvii. 14. „ Auferte „ offendicula de via populi mei. "

Diſceptatio autem ponitur ex parte Marthæ: & primo ponuntur verba Marthæ diſceptantis; ſecundo verba Chriſti reſpondentis. Verba quidem Marthæ ponit dicens: *Dixit ei Martha, ſoror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus enim eſt*. Quod quidem ad litteram factum eſt ad oſtenſionem veritatis miraculi, quaſi iam per putrefactionem inciperent membra reſolvi.

Myſtice autem de illo qui (b) peccare conſuevit: *Iam fœtet*, ſcilicet per peſſimam famam, cuius odor deterrimus per peccatum conſurgit. Nam ſicut ex bonis operibus fragrat odor bonus, ſecundum quod dicit Apoſtolus II. Corinth. ii. 15. „ Chriſti bonus odor „ ſumus Deo: " ita ex malis operibus fœtor, & malus odor evaporat: qui etiam recte quatriduanus dicitur, quaſi preſſus pondere terrenorum peccatorum, & cupiditatum carnalium: terra enim eſt ultimum de quatuor elementis. Ioel. ii. 20. „ Aſcendet „ fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia „ ſuperbe egit. "

Illi autem Chriſtus reſpondit dicens: *Nonne di-*

(a) *Al.* Sed quare quærit, cum maius eſſet ſic ſuſcitare mortuum quam removere lapidem? Quia non etiam ſimul &c. (b) *Al.* peccata.

Digitized by Google

dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? Ubi Dominus videtur Martham arguere, quod non memor erat eius quod Chriſtus ei dixerat: *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet:* nam Martha diffidebat an Chriſtus poſſet reſuſcitare mortuum quatriduanum. Licet enim aliquos recenter mortuos ſuſcitaſſet, impoſſibile tamen hoc de fratre credebat ob dierum diuturnitatem. Et ideo Dominus dixit ei: *Nonne dixi tibi: Si credideris, videbis gloriam Dei?* ideſt ſuſcitationem fratris tui, per quam Deus glorificabitur.

Sed cum ſupra Dominus hoc miraculum Apoſtolis dixerit futurum ad gloriam ſuam, inquiens: *Ut glorificetur Filius Dei per eum*, ſcilicet per mortem; hic tamen dicit Marthæ boc miraculum futurum ad gloriam Dei: & hoc ideo, quia eadem eſt gloria Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ideo autem non expreſſit hic gloriam Filii, ne turbaret aſtantes Iudæos, ad contradictionem promptos.

Innuitur autem in his Domini verbis duplex fructus fidei noſtræ. Primus eſt miraculorum operatio, quæ debetur fidei. Matth. XVII. 19. „ Si habueritis fidem, ſicut granum „ ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc il„ luc, & tranſibit; & nihil impoſſibile erit „ vobis. " Unde & Apoſtolus I. Corinth. XIII. 2. „ Si habuero fidem, ita ut montes „ transferam. " Et Marc. ult. 20. dicitur: „ Illi autem prædicaverunt ubique, Domino „ cooperante, & ſermonem confirmante, ſe„ quentibus ſignis. " Quæ quidem miraculorum operatio eſt ad gloriam Dei: & ideo dicit: *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Secundus fructus eſt viſio æternæ gloriæ, quæ debetur fidei pro præmio: undo dicit: *Videbis gloriam Dei.* Eſai. VII. 9. ſecundum aliam litteram: „ Si non credideritis, non intelli„ getis. " I. Corinth. XIII. 12. „ Videmus „ nunc per ſpeculum, & in ænigmate (per „ fidem) tunc autem facie ad faciem. "

Impletionem mandati ponit (a) inſerens: *Tulerunt ergo lapidem.* Ubi conſiderandum eſt, ſecundum Origenem, quod mora tollendi lapidem adiacentem, ex ſorore defuncti cauſata eſt, & ideo tamdiu reſuſcitatio fratris dilata eſt, quamdiu Chriſtum per verba detinuit; ſed ſtatim cum Chriſti mandatum obediendo exequitur, frater reſuſcitatur: ut per hoc diſcamus nihil interponere inter iuſſa Ieſu, & ipſorum executionem, ſi cupimus quod ſtatim ſalutis ſequatur effectus. Pſal. XVII. 45. „ In auditu auris obedivit mihi. "

(c) Hic agitur de Chriſti oratione, in qua gratias agit: circa quam Evangeliſta quatuor ponit. Primo ponit orandi modum; ſecundo orationis efficaciam; tertio excludit orandi neceſſitatem; quarto ſubiungit orationis utilitatem. Modum autem orandi ponit congruentem: quia *elevatis ſurſum oculis*; ideſt, intelligentiam ſuam erexit, adducens illam per orationem ad excelſum Patrem. Nobis autem, ſi ad exemplum orationis Chriſti orare volumus, neceſſe eſt levare oculos mentis noſtræ ad eum, removendo illos a præſentibus rebus, memoria, cogitationibus, & intentionibus. Levamus etiam oculos ad Deum quando non confidentes de meritis noſtris, de ſola miſericordia ſperamus, ſecundum illud Pſal. CXXII. 1. „ Ad te levavi oculos meos „ qui habitas in cælis. " Et „ Sicut oculi „ ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita ocu„ li noſtri ad Dominum Deum noſtrum, do„ nec miſereatur noſtri. " Thren. III. 41. „ Levemus corda noſtra cum manibus ad Do„ minum in cælis. " (b) Orationis autem efficaciam ponit, cum dicit: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me.* In quo argumentum habemus, quod Deus facilis eſt ad largiendum, ſecundum illud Pſal. IX. 17. „ Deſide„ rium pauperum exaudivit Dominus: " ut ſic deſiderium, etiam antequam proferat verba, exaudiat. Eſai. XXX. 19. „ Ad vocem cla„ moris tui ſtatim ut audierit, reſpondebit „ tibi. " Et LXV. 24. „ Adhuc illis loquenti„ bus, dicam, Ecce adſum. " Multo ergo magis expedit arbitrari de Domino ſalvatore, quod Deus Pater præveniens eius orationem, (c) eum exaudierit: nam lacrymæ quas Chriſtus pro morte Lazari fuderat, vicem orationis habuerunt. Per hoc autem quod in principio orationis gratias agit, datur nobis exemplum quod cum orare volumus antequam futura petamus, pro perceptis beneficiis Deo gratias referamus. I. Theſs. V. 18. „ In omnibus gratias agite. "

Quod autem dicit, *Quoniam audiſti me*, ſi exponatur de Chriſto, ſecundum quod homo, non habet difficultatem: ſic enim Chriſtus minor Patre erat, & ſecundum hoc competit ſibi orare Patrem, & exaudiri ab eo. Si vero, ut Chryſoſtomus vult, exponatur de Chriſto, ſecundum quod Deus, tunc verbum difficultatem habet: nam ſecundum hoc, ei orare non convenit nec exaudiri; ſed potius aliorum orationes exaudire. Et ideo dicendum, quod tunc aliquis auditur quando voluntas eius impletur. Voluntas autem Patris ſemper impletur: quia, ut dicitur in Pſalm. CXIII. 3. „ omnia quæcumque voluit Dominus „ fecit. " Cum ergo eadem ſit voluntas Patris,

(a) *Al.* inferius. (b) *Al.* Oris. (b) *Al. deeſt* cum.

tris, & Filii, quandocumque Pater implet voluntatem ſuam, implet voluntatem Filii. Dicit ergo Filius, ſecundum quod Verbum: *Quoniam audiſti me*; ideſt, feciſti quæ erant in Verbo tuo ut fierent. Dixit enim, & perfecta ſunt.

Neceſſitatem autem orandi excludit dicens: *Ego autem ſciebam quoniam ſemper me audis &c.* Ubi quaſi obumbrate Dominus ſuam divinitatem oſtendit; quaſi diceret: Ad hoc ut fieret voluntas mea, non indigeo oratione, quia ab æterno voluntas mea impleta eſt. Hebr. v. 7. „In omnibus exauditus eſt pro ſua re„verentia.“ Nam *ego ſciebam*, ſcilicet certitudinaliter, *quoniam ſemper me*, Verbum, *audis*: quia quicquid (*a*) facis, in me eſt ut fiat. Item *me*, hominem, *ſemper audis*: quia voluntas mea ſemper eſt conformis voluntati tuæ. *Sed propter populum qui circumſtat, ut credant quia tu me miſiſti*. In quo datur intelligi quod multa fecit, & dixit propter utilitatem aliorum. Infra XIII. 15. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Nam omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio. Voluit autem Chriſtus ſpecialiter per iſtam orationem demonſtrare, ſe non eſſe alienum a Patre; ſed recognoſcebat eum ut ſuum principium: & ideo ſubdit: *Ut credant quia tu me miſiſti*. Infra XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Galat. IV. 4. „Miſit Deus Filium ſuum factum ex „muliere, factum ſub lege.“ Et in hoc ponitur orationis utilitas.

(d) Hic agitur de ſuſcitatione Lazari: & circa hoc tria facit. Primo ponitur vox excitantis; ſecundo vocis effectus, ibi, *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus*; tertio mandatum de ſolutione excitati, ibi, *Dicit eis Ieſus: Solvite eum*. Vox autem excitantis ponitur magna: unde dicit: *Hæc cum dixiſſet*, ſcilicet Ieſus, *voce magna clamavit*: & hoc ad litteram, ut deſtrueret errorem Gentilium, & quorumdam Iudæorum, dicentium animas mortuorum commorari in tumulis cum corporibus: & ideo *clamat*, quaſi animam ex longinquo evocans in tumulo non exiſtentem. Vel dicendum, & melius, quod vox Chriſti magna dicitur propter virtutis eius magnitudinem: nam tanta virtus eius fuit quod ſuſcitavit Lazarum quatriduanum a morte, quomodo (*b*) excitaretur dormiens a ſomno. Pſal. LXVII. 34. „Dedit voci ſuæ vocem vir„tutis.“ Vox etiam iſta magna, repræſentativa eſt illius magnæ vocis quæ erit in communi reſurrectione, per quam omnes de monumentis reſuſcitabuntur. Matth. XXV. 6. „Me„dia nocte clamor factus eſt &c.“ Clamat, inquam, dicens: *Lazare veni foras*. Quem ideo ex proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus vocis eius quod pariter omnes mortui cogerentur exire, niſi per expreſſionem nominis virtutem ſuam ad unum determinaſſet, ut Auguſtinus dicit de Verbo Domini. Datur etiam per hoc intelligi quod Chriſtus vocat peccatores foras exire de converſatione peccati. Apocal. XVIII. 4. „Exite de illa „populus meus.“ Item de ocultatione eius, per confeſſionem ipſum peccatum manifeſtando. Iob XXXI. 33. „Si abſcondi quaſi homo „peccatum meum.“

(e) Conſequenter cum dicit, *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus*, ponitur vocis effectus: & primo ponitur mortui reſurrectio; ſecundo reſurgentis mortui diſpoſitio. Reſurrectio quidem mortui fuit feſtina ad Domini imperium: unde dicit: *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus*. Tanta enim erat virtus vocis Chriſti ut abſque temporis dilatione vitam conferret: ſicut erit in reſurrectione communi, quando in ictu oculi, mortui audientes tubam canentem: „mortui qui in Chriſto ſunt, „reſurgent primi:“ ut dicitur I. Theſſal. IV. 15. Iam enim anticipatur officium Chriſti, quod dicitur ſupra v. 25. *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent*. Sic ergo impletum eſt quod dixerat Dominus: *Vado, ut excitem eum*. Quantum autem ad diſpoſitionem reſurgentis, dicitur, *Ligatus*, ideſt habens ligatas *manus, & pedes inſtitis*, ideſt faſciis, quibus antiqui mortuos involvebant, *& facies eius ſudario erat ligata*, ne ſcilicet horrorem faceret. Ideo autem ligatum, & coopertum reſurgere iuſſit, ut miraculum magis approbaretur.

(f) Conſequenter cum dicit, *Solvite eum, & ſinite abire*, mandat ut ſolvatur. Cuius quidem ratio eſt, ut ipſimet qui ſolverent fidentiores teſtes eſſent miraculi, & eius quod fit tenaciorem memoriam haberent. Similiter etiam dum eum tangunt, & ſibi appropinquant, videant quod vere eſt ille. Ideo autem addit, *Et ſinite abire*, ut oſtendat miraculum non eſſe phantaſticum. Aliqui enim magi viſi ſunt aliquando mortuos ſuſcitaſſe, non tamen ad hoc eos perducere potuerunt ut priſtina officia exequerentur: & hoc quidem erat, quia eorum reſuſcitatio phantaſtica tantum erat, & non vera.

Sciendum eſt autem, quod hoc totum quod dicitur, *Et ſtatim prodiit*, myſtice exponitur ab

(a) *Al.* facis me. (b) *Al.* excitavit.

ab Auguſtino ; & hoc dupliciter , ſecundum duplicem modum prodeundi . Prodit namque peccator quando exit pœnitendo a conſuetudine peccati ad ſtatum iuſtitiæ . II. Corinth. IV. 17. „ Exite de medio eorum , & ſeparamini . “ Qui tamen habet manus ligatas inſtitis, ideſt carnalibus concupiſcentiis: quia adhuc in corpore conſtituti , alieni a moleſtiis eſſe non poſſunt , etiam a peccatis ſurgentes: unde Apoſtolus dicit , Rom. VII. 25. „ Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati . “ Quod autem facies eius ſudario tecta erat , hoc eſt quod in hac vita plenam cognitionem Dei habere non poſſumus. I.Corinth. XIII. 12. „ Videmus nunc „ per ſpeculum in ænigmate , tunc autem „ facie ad faciem. “ Et ideo ſolvere eum iubet, & abire: quia poſt hanc vitam auferentur a peccato ſurgentibus omnia velamina , ut Deum facie ad faciem contemplentur, ut dicitur I. Corinth. XIII. Tunc enim ſolvetur corruptibilitas corporis, quæ eſt quaſi quoddam vinculum ligans, & aggravans animam, ab omni huiuſmodi plena , & clara contemplatione. Eſa. LII. 2. „ Solve vincula colli tui, „ captiva filia Sion. “ Sic ergo apparet unus modus ſpiritualiter prodeundi, qui ponitur ab Auguſtino Lib. LXXXIII. Quæſt. Alius modus prodeundi eſt per confeſſionem , de quo dicitur Prov. XXVIII. 13. „ Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam „ conſequetur. “ Sic enim prodire eſt ab occultis exeundo , per confeſſionem manifeſtari; ſed ut confitearis, Deus facit voce, ideſt gratia magna vocando . Mortuus autem procedens adhuc ligatus , eſt confitens adhuc reus . Ut autem (a) ſolvantur peccata eius, miniſtris mandatur ut ſolvant eum, & ſinant abire. Nam quem Chriſtus per ſeipſum interius vivificat , diſcipuli ſolvunt , quia miniſterio ſacerdotum vivificati abſolvuntur . Matth. XVI. 19. Quodcumque ſolveris ſuper terram , „ erit ſolutum & in cælis. “

Dicunt autem quidam hoc (b) myſterium proſequentes , quod ſicut Chriſtus Lazarum per ſeipſum vivificavit , vivificatum a diſcipulis abſolvendum mandavit; ita Deus interius vivificat animam per gratiam, remittendo culpam, & abſolvendo a reatu pœnæ æternæ ; ſed ſacerdotes virtute clavium abſolvunt a parte pœnæ temporalis . Sed hæc poſitio nimis parum attribuit Eccleſiæ clavibus . Hoc eſt enim proprium ſacramentorum novæ legis quod in eis gratia conferatur. Sacramenta autem in diſpenſatione miniſtrorum conſiſtunt ; unde in ſacramento pœnitentiæ contritio , & confeſſio ſe tenent materialiter , ex parte ſuſcipientis ſacramentum; vis autem cauſativa ſacramenti eſt in abſolutione ſacerdotis, ex virtute clavium, per quas effectum dominicæ paſſionis quodammodo applicat ad eum quem abſolvit, ut remiſſionem conſequatur. Si ergo ſacerdos non abſolveret niſi ſolum a pœna, ſacramentum pœnitentiæ non eſſet gratiæ collativum, per quam culpa remittitur , & per conſequens non eſſet ſacramentum novæ legis. Eſt ergo dicendum , quod ſicut in ſacramento baptiſmi ſacerdos verba proferens, & exterius abluens , miniſterium baptiſmi exhibet, Chriſto interius baptizante ; ita ſacerdos exterius virtute clavium miniſterium abſolutionis impendit, Chriſto per gratiam culpam remittente.

Sed hoc dubium facere videtur , quod ad baptiſmum plerumque accedunt pueri , non ante baptiſmum iuſtificati , qui in baptiſmo remiſſionis gratiam conſequuntur ; ſed ad abſolutionem conſequendam accedunt adulti plerumque antea per contritionem, peccatorum remiſſionem conſecuti: ut ſic ſequens abſolutio nihil facere videatur ad peccatorum remiſſionem. Sed ſiquis diligenter conſideret, ex utraque parte adultos accipiens , invenietur omnimoda ſimilitudo. Contingit enim aliquos adultos, antequam actu ſacramentum baptiſmi conſequantur, habentes illud in voto, remiſſionem peccatorum conſequi, baptiſmo flaminis baptizari ; & tamen baptiſmus ſequens , quantum eſt de ſe , remiſſionem peccatorum operatur, licet in iſto cui iam ſunt remiſſa, hoc locum non habeat , ſed ſolum augmentum gratiæ conſequatur. Si quis autem adultus ante baptiſmum non perfecte fuiſſet diſpoſitus ad conſequendum remiſſionem peccatorum, in ipſo actu dum baptizatur remiſſionem conſequitur virtute baptiſmi, niſi ponat per fictionem obſtaculum Spiritui ſancto . Et ſimiliter eſt dicendum in pœnitentia. Si quis enim ante abſolutionem ſacerdotis plene contritus fuerit, conſequitur remiſſionem peccatorum, eo quod habet in voto ut ſubiiciat ſe Eccleſiæ clavibus, ſine quo vera contritio non eſſet . Si autem antea non plena fuiſſet contritio ſufficiens ad remiſſionem, in ipſa abſolutione remiſſionem culpæ conſequitur , (c) niſi ponat obſtaculum Spiritui ſancto . Et ſimiliter eſt in euchariſtia & extrema unctione, & in aliis ſacramentis.

(a) *Al.* ſolverentur. (b) *Al.* miniſterium. (c) *Al.* dummodo non ponat.

LE-

LECTIO VII.

(a) MUlti ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipſis abierunt ad phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus.

(b) Collegerunt ergo pontifices, & phariſæi concilium, & dicebant:

(c) Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?

(d) Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.

(e) Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet pontifex anni illius, dixit eis:

(f) Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

(g) Hoc autem a ſemetipſo non dixit; ſed cum eſſet pontifex anni illius, prophetavit, quia Ieſus moriturus erat pro gente:

(h) Et non tantum pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum.

(i) Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

(a) POſtquam Evangeliſta poſuit Lazari mortem, & eius reſurrectionem, hic conſequenter ponit effectum reſurrectionis: & primo ponit effectum eius in turba; ſecundo ponit effectum eius in principibus, ibi, *Collegerunt ergo pontifices, & phariſæi concilium.* Circa primum duo facit. Primo inducit quoſdam credentes, dicens: *Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam, & Martham*, ad eas conſolandas, *& viderant quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.* Nec mirum, quia tale miraculum non eſt auditum a ſæculo, quod ſcilicet mortuus quatriduanus in monumento reſuſcitaretur ad vitam. Similiter etiam Dominus dicit, miraculum iſtud (*a*) ſe facturum propter populum qui circumſtabat, ut ſcilicet credant in eum: & ideo verbum iſtud non ivit incaſſum; ſed ex miraculo viſo multi crediderunt. I. Corinth. 1. 22. „ Iudæi ſigna „ quærunt. " Secundo inducit quoſdam denuntiantes, dicens: *Quidam autem ex ipſis venerunt ad phariſæos &c.* Quod quidem poteſt dupliciter intelligi. Uno modo quod dixerunt ea quæ Ieſus fecit principibus ſacerdotum, ut mitigarent eos adverſus Ieſum, & ut confutarent eos de hoc quod adverſus Ieſum, qui tam mira faciebat, machinarentur. Alio modo, & melius, quia hoc dixerunt ut concitarent eos contra Chriſtum. Nam infideles erant, & de miraculo ſcandalizabantur. Et hoc patet ex ipſo modo loquendi: nam cum dixerat: *Multi ergo ex Iudæis .... crediderunt in eum*: ſubiungit quaſi adverſantem, dicens: *Quidam autem ex ipſis abierunt ad phariſæos &c.* Hi ſunt de quibus dicitur infra XII. 37. quod, *cum tanta ſigna feciſſet Ieſus coram eis, non crediderunt in eum .... dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.*

(b) Conſequenter cum dicit, *Collegerunt ergo pontifices, & phariſæi concilium*, ponit Evangeliſta effectum miraculi in principibus: & primo ponit malitiam quam contra Chriſtum excogitaverunt; ſecundo oſtendit quomodo Chriſtus eam declinavit, ibi, *Ieſus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos.* Circa primum tria facit. Primo ponit conſilii congregationem; ſecundo ſubdit congregatorum dubitationem, ibi, *Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* tertio aſſignat dubitationis determinationem, ibi, *Unus autem ex ipſis &c.* Oſtenditur autem circa primum pontificum nequitia ex tribus. Primo ex perſonarum conditione, quia non plebei, ſed pontifices, & phariſæi: pontifices autem, quia erant principes ſacrorum; phariſæi vero, quia ſpeciem religionis habebant: ut ſic impleatur quod dicitur Geneſ. penult. 5. „ Simeon, & Levi fratres, vaſa „ bellantia iniquitatis. " Nam de Simeone fuerunt adinventores ſectæ phariſæorum. Pontifices autem manifeſtum eſt de tribu Levi fuiſſe. I. Eſd. IX. 2. „ Manus principum „ prima erat in tranſgreſſione hac. " Secundo ex malitiæ deliberatione: unde dicit, *Collegerunt concilium*, quod eſt factum ad conſiliandum. Geneſ. penult. 6. „ In conſilium eo„ rum non veniat anima mea. " Pſal. 1. 1. „ Beatus vir qui non abiit in conſilio impio„ rum &c. " Sed, ut dicitur Prov. 21. 30. „ non eſt conſilium contra Dominum. "

(a) *Al. deeſt ſe.*

rabant, ut Ioſephus de iſto narrat. Et ad hoc oſtendendum dicit, *Anni illius*.

(f) Conſequenter cum dicit, *Vos neſcitis quicquam &c.* ponit verba determinantis: qui quidem primo exprobrat aliis ignaviam, dicens: *Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis*; quaſi dicat: Vos eſtis ignavi, & adhuc ſegnius rem attenditis: & ideo ſecundo ponit ſuam malitiam, dicens: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo*. Quæ quidem verba alium intellectum habent, ſecundum intentionem Caiphæ, & alium, ſecundum expoſitionem Evangeliſtæ. Ut ergo primo exponatur ſecundum eius pravam intentionem, ſciendum eſt, quod, ut dicitur Deut. XIII. mandatum eſt Domini: Si fuerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & voluerit te a Domino retrahere, Propheta ille, ut fictor ſomniorum, interficiatur. Secundum hanc ergo legem credebat iſte, quod Chriſtus averteret populum a cultu Dei. Luc. XXIII. 2. „ Hunc invenimus ſubvertentem gentem no„ ſtram. " Et ideo dicebat iſte: *Vos neſcitis*, ſcilicet legem, *nec cogitatis quia expedit vobis*, ſcilicet *ut unus*, ideſt iſte homo, *moriatur*, ne totus populus ſeducatur; quaſi dicat: Unius hominis ſalutem pro communi republica oportet contemnere. Unde ſequitur Deuter. XIII. 5. „ Et auferes malum de me„ dio populi tui. " I. Corinth. v. 13. „ Auferte „ malum ex vobis ipſis. "

(g) Sed aliter Evangeliſta exponit, dicens: *Hoc autem a ſemetipſo non dixit &c.* Ubi tria ponit. Primo horum verborum auctorem; ſecundo ipſorum rectum ſenſum, ibi, *Quia Ieſus moriturus erat pro gente*; tertio addit Evangeliſta ad verba Caiphæ, ibi, *Et non tantum pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum*. Circa primum ſciendum eſt, (a) quod quia poſſet aliquis credere Caipham inſtinctu proprio verba dicta protuliſſe, Evangeliſta hoc excludens, dicit: *Hoc autem a ſemetipſo non dixit*. In quo datur intelligi, quod aliquis aliquando a ſemetipſo loquitur. Homo enim eſt illud quod principale eſt in ipſo; hoc autem eſt intellectus, & ratio: unde homo id quod eſt, per rationem eſt. Quando ergo homo loquitur ex propria ratione, tunc loquitur a ſemetipſo; ſed quando loquitur ab aliquo ſuperiori, & exteriori inſtinctu, non loquitur a ſemetipſo. Dupliciter tamen hoc contingit. Quandoque ut motus a Spiritu divino, ſecundum illud Matth. x. 20. „ Non enim vos eſtis qui loquimini, „ ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vo„ bis. " Quandoque autem ut motus a ſpiritu maligno, ſicut arreptitii: & utique aliquando dicuntur prophetare. Quod quidem moti a Spiritu divino prophetent, dicitur II. Petr. I. 21. „ Non enim voluntate humana „ allata eſt aliquando prophetia, ſed a Spiri„ tu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei „ homines. " Quod autem moti a ſpiritu maligno prophetent, habetur Hierem. XXIX. 26. „ Dedit te Dominus ſacerdotem pro Io„ iada ſacerdote, ut ſis dux in domo Domi„ ni ſuper omnem virum arreptitium, & „ prophetantem. " Sciendum eſt etiam, quod aliquando loquitur aliquis inſtinctu Spiritus ſancti, vel ſpiritus maligni, qui tamen amittit uſum rationis, & arripitur. Aliquando autem manet ei liber uſus rationis, nec arripitur. Nam quando ſuperabundant vires ſenſitivæ ex ſuperiori impreſſione, ligatur ratio, & movetur, & arreptus eſt. Quia vero dæmon habet poteſtatem imprimendi in phantaſiam, cum ſit potentia affixa organo, poteſt in eam aliquando ſic imprimere quod ex impreſſionis abundantia ratio efficiatur quaſi ligata, non tamen quod cogatur ad conſenſum; & tunc homo arripitur a ſpiritu maligno.

Reſtat ergo quæſtio an Caiphas verba iſta inſtinctu Spiritus ſancti dixerit, vel maligni. Et videtur quod non dixerit inſtinctu Spiritus ſancti, nam Spiritus ſanctus eſt ſpiritus veritatis, ut dicitur Hierem. xv. Spiritus autem malignus eſt ſpiritus mendacii. III. Reg. ult. 22. „ Egrediar, & ero ſpiritus mendax „ in ore omnium prophetarum. " Conſtat autem quod Caiphas locutus fuerit mendacium, dicens: *Expedit vobis ut unus moriatur*. Non ergo locutus eſt inſtinctu Spiritus ſancti, ut videtur, ſed prophetavit inſtinctu ſpiritus maligni arreptitii. Hoc autem non videtur conſonare dictis Evangeliſtæ: nam ſi ita eſſet, Ioannes non addidiſſet: *Cum eſſet pontifex anni illius*. Ideo ergo Caiphæ dignitatem addidit ut inſinuaret eum inſtinctu Spiritus ſancti fuiſſe locutum. Ex quo datur nobis intelligi quod etiam malos in dignitate conſtitutos Spiritus ſanctus movet ad loquendum aliqua vera, & futura pro utilitate dumtaxat ſubditorum.

Ad illud ergo quod in contrarium dicitur, ſcilicet falſum eſſe quod dixit, *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo*, dupliciter reſponderi poteſt. Uno modo quod mors Chriſti quantum eſt de ſe, expediens fuit omnibus, etiam his qui eum occiderunt. I. Tim. IV. 10. „ Qui eſt ſalvator omnium hominum, „ maxime fidelium. " Heb. II. 9. „ Ut gra„ tia

(a) *Al. deeſt* quod.

Digitized by Google

„ tia Dei pro omnibus guſtaret mortem." " Alio modo ut dicatur: *Expedit vobis*, ideſt populo. Unde Evangeliſta ubi Caiphas dicit, *Ut moriatur pro vobis*, ponit, *Pro gente*.

Sed videtur ex verbis Evangeliſtæ, quod fuit Propheta, cum dicit, *Prophetavit*. Si enim prophetat quis, ſequitur eum eſſe Prophetam. Sed, ſecundum Origenem, non ſequitur quod quicumque prophetat ſit Propheta; ſed ſi Propheta eſt, utique prophetat: nam alicui quandoque conceditur actus alicuius rei, cuius tamen conditio ei non conceditur; ſicut non quicumque facit aliquid iuſtum, eſt iuſtus; ſed qui iuſtus eſt, iuſta facit.

Notandum eſt autem, quod duplex actus concurrit ad hoc quod aliquis prophetet: ſcilicet videre: I. Reg. IX. 9. „ Qui nunc dicitur Propheta, olim vocabatur Videns: " item annuntiare: I. Cor. XIV. 3. „ Propheta „ omnibus loquitur ad ædificationem." Contingit autem quandoque quod utrumque aliquis habet, non tamen proprie dicitur Propheta: nam quandoque aliquis habet propheticam viſionem, ſicut Nabuchodonoſor, & Pharao; & ſimiliter ipſam viſionem aliis annuntiaverunt; non tamen Prophetæ dici poſſunt, quia defuit eis aliquid, ſcilicet intelligentia viſionis, qua opus eſt in viſione, ut dicitur Daniel. X. I. Caiphas autem licet viſionem propheticam non habuerit, habuit tamen denuntiationem rei propheticæ; inquantum ſcilicet denuntiavit utilitatem mortis Chriſti. Quandoque namque Spiritus ſanctus movet ad totum quod pertinet ad prophetiam, quandoque autem ad aliquid tantum. Caiphæ autem nec mentem illuminavit, nec imaginationem; & ideo eius mens, & imaginatio ad malum intenta manſit: movit tamen linguam eius, ut proferret modum quo ſalus populi impleretur. Unde non dicitur Propheta niſi inquantum habuit propheticum actum in denuntiatione; imaginatione, & ratione eius ad contrarium exiſtente. Ex quo patet quod non magis poteſt dici Propheta quam aſina Balaam.

(h) Conſequenter cum dicit, *Et non tantum pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum*, addit Evangeliſta ad verba pontificis, dicens, quod Ieſus non tantum moriturus erat pro gente populi, ſcilicet Iudæorum, ut Caiphas dixit: Hebr. ult. 12. „ Ieſus ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem „ populum, extra portam paſſus eſt: " ſed addit etiam pro toto mundo: unde ſubdit: *Ut filios Dei qui diſperſi erant, congregaret in unum*.

Ubi cavenda eſt hæreſis Manichæorum dicentium, animas aliquas eſſe de ſubſtantia divina, & vocari filios Dei; & ad has congregandas in unum dicunt Deum veniſſe. Sed hoc eſt erroneum, quia, ut dicitur Ezech. XVIII. 4. „ omnes animæ meæ ſunt, " ſcilicet creatione: & ideo quod dicit, *Ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum*, non eſt intelligendum quod tunc iam accepiſſent adoptionis ſpiritum: quia, ut Gregorius dicit, nec oves eius, neque filii Dei adhuc erant per adoptionem; ſed eſt intelligendum ſecundum prædeſtinationem, ut dicatur: *Ut filios Dei*, ſcilicet ab æterno prædeſtinatos: Rom. VIII. 29. „ Quos præſcivit conformes fieri „ imagini Filii eius, ut ſit ipſe primogenitus „ in multis fratribus: " *qui erant diſperſi*, per diverſos ritus, & gentes, *congregaret in unum*, ſcilicet in unitatem fidei. Supra X. 16. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere .... & fiet unum ovile, & unus paſtor*. Pſal. CXLVI. 2. „ AEdificans Hieruſalem Dominus diſperſiones Iſraelis congregabit. "

(i) Conſequenter cum dicit, *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum*, ponit Evangeliſta conſenſum Iudæorum in mortem Chriſti.

Sed numquid non ante cogitaverunt eum occidere? Videtur quod ſic: quia ſupra in pluribus locis dicitur, quod Iudæi quærebant eum interficere. Reſponſio. Dicendum, quod ante habuerunt (*a*) quidem inſtinctum ad eum occidendum; ſed *ab illo die* concitati ad iram ex verbis Caiphæ, tractaverunt firmo propoſito (*b*) eum occidere. Proverb. I. 16. „ Pedes eorum ad malum currunt. "

LECTIO VIII.

(a) IEſus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos; ſed abiit in regionem iuxta deſertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.

(b) Proximum autem erat paſcha Iudæorum, & aſcenderunt multi Hieroſolymam de regione, ante paſcha, ut ſanctificarent ſeipſos.

(c) Quæ-

(a) *Al.* emittitur quidem. (b) *Al.* occidere Dominum.

Digitized by Google

(c) Quærebant ergo Ieſum, & colloquebantur adinvicem, in templo ſtantes: Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum iſtum?

(d) Dederant autem pontifices, & phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum.

(a) HIc Evangeliſta ponit quomodo Chriſtus eorum malitiam declinavit: & primo ponit modum declinationis ex parte Chriſti; ſecundo effectum admirationis ex parte populi, ibi, *Proximum autem erat paſcha Iudaorum*. Modus autem declinationis fuit per occultationem, & receſſum Chriſti a Iudæis: nam poſt conſilium cautius ſe obſervans, *non in palam ambulabat apud Iudaos*; ſed nec ad aliquam civitatem abiit populatam, *ſed in regionem*, remotam, *iuxta deſertum in civitatem qua dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipuli ſuis*.

Sed numquid defecerat potentia eius, in qua, ſi vellet, inter Iudæos palam converſaretur, & nihil ei facerent? Abſit. Sed hoc fecit non propter defectum potentiæ; ſed ut exemplum diſcipulis demonſtraret. In quo apparet non eſſe peccatum, ſi fideles eius, oculis perſequentium ſe ſubtraherent, & furorem ſceleratorum latendo potius evitarent, quam ſe oſtendendo eis, magis accenderent: ſecundum illud Matth. x. 23. „ Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. " Origenes autem dicit, quod nullus debet ſe periculis ingerere; tamen valde laudabile eſt quod quando iam pericula imminent, nec leſu vitare confeſſionem, nec recuſare ſubire mortem, gratia veritatis: & hoc propter duas rationes. Primo (*a*) quia valde præſumptuoſum eſt periculis ſe ingerere propter inexperientiam propriæ virtutis, quæ quandoque fragilis invenitur, & propter futuri eventus incertitudinem. I. Corinth. x. 12. „ Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. " Secundo ne nos ingerentes perſecutoribus, occaſionem præſtemus eis, ut magis impii, & noxii fiant. I. Corinth. x. 32. (*b*) „ Sine offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei. "

(b) Ponitur effectus admirationis in populo: & primo ponitur admirandi occaſio; ſecundo ponitur ipſa admiratio; tertio admirationis ratio. Occaſio autem quærendi, & admirandi ponitur duplex. Prima quidem ex conditione temporis, quia *proximum erat paſcha Iudaorum*: in quo recolitur memoria tranſitus Hebræorum de AEgypto. Exod. xii. 11. „ Eſt enim phaſe, ideſt tranſitus, Domini. " Addit autem, *Iudaorum*, quia ipſum paſcha Iudæi male, & indebite celebrabant: nam quando devote paſcha celebramus, tunc dicitur paſcha Dei, Eſaiæ 1. 13. „ Solemnitates veſtras non feram. " Secunda vero ex concurſu populi: quia *aſcenderunt multi Hieroſolymam de regione*: nam, ut legitur Exod. xxiii. tribus temporibus in anno, ſeu feſtivitatibus, filii Iſrael ſe debebant Domino præſentare: inter quæ primum erat paſcha; & ideo magna multitudo aſcendebat Hieroſolymam, ubi erat templum. Sed quia nondum erat tempus paſchæ, quo debebant aſcendere, ideo Evangeliſta conſequenter cauſam aſcenſus aſſignat, ſubdens: *Ut ſanctificarent ſeipſos*: nullus enim audebat comedere agnum niſi mundus: & ideo præveniebant tempus paſchæ, ut interim purificantes ſeipſos, poſſent in paſcha agnum rite comedere. In quo datur nobis exemplum, ut tempore quadrageſimali ieiuniis, & bonis operibus nos purificemus, ut in paſcha rite ſumamus corpus Domini noſtri.

(c) Admiratio autem ponitur ex cauſa abſentiæ Domini: & hoc eſt quod dicit: *Quarebant ergo Ieſum*, non quidem ad honorandum, ſed ad occidendum, *& colloquebantur adinvicem in templo ſtantes: Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum iſtum?*

Sed notandum, quod quando dies feſtus agitur (*c*) ſancte, ſemper Dominus eſt in die feſto. Matth. xviii. 20. „ Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. " Et ideo (*d*) nos congregati in domo Dei, quæramus Ieſum, mutuo nos conſolando, & exorando ut veniat ad diem feſtum noſtrum. Quando vero non ſancte agitur feſtum, tunc non venit Ieſus. Eſa. 1. 14. „ Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea. "

(d) Ratio autem admirationis, & abſentiæ Ieſu ſubditur: quia *dederant pontifices, & phariſai mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit*, ſcilicet Ieſus, *indicet, ut apprehendant eum*, ſcilicet ad occidendum. Supra viii. 21. *Quaretis me, & in peccato veſtro moriemini*. Sed, ut Auguſtinus dicit, nos qui ſcimus ubi Chriſtus eſt, quia ad dexteram Patris, indicemus eis, ut ſic utinam apprehendant eum per fidem.

CA-

(a) *Al.* quia præſumptuoſum. (b) *Al. omittitur ſequens ſententia.* (c) *Al.* deeſt ſancte. (d) *Al.* non.

dum. Unde & Dominus decimo die primi menſis, hoc eſt ſexta die ante decimum quintum (a) diem, Hieruſalem intrare voluit, quaſi ad locum immolationis accedens: ut patet per id quod dicitur infra eodem: *In craſtino autem turba multa quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent quia venit Ieſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei.*

(b) Deinde deſcribitur locus: *Venit Bethaniam &c.* Bethania autem erat vicus prope Hieruſalem; & interpretatur domus obedientiæ: unde congruit myſterio, primo quidem quantum ad cauſam paſſionis, ſecundum illud Philip. II. 8. „ Factus eſt obediens patri uſque ad mortem: “ ſecundo quantum ad fructum paſſionis, quem conſequuntur ſoli illi qui ei obediunt, ſecundum illud Heb. v. 9. „ Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ &c. “ Signanter autem additur: *Ubi fuerat Lazarus mortuus, quem ſuſcitavit Ieſus*: quia in domo obedientiæ illi qui ſunt ſpiritualiter mortui in peccatis, reſuſcitantur reducti ad viam iuſtitiæ. Rom. v. 19. „ Per unius hominis obedientiam, iuſti conſtituentur multi. “ Sed ſecundum litteram hoc dicitur ad oſtendendum quod Chriſtus in Bethaniam venit ut memoriam reſurrectionis Lazari revocaret. Pſal. CX. 4. „ Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus. “

(c) Deinde (b) cum dicit, *Fecerunt autem ei cœnam ibi*, ponit obſequium Chriſto exhibitum a ſuis familiaribus: & primo in communi quantum ad omnes; ſecundo in ſpeciali quantum ad ſingulos, ibi, *Et Martha miniſtrabat*. Convenit autem myſterio, quod *ibi*, ideſt in Bethania, *fecerunt ei cœnam*: quia Dominus in domo obedientiæ ſpiritualiter reficitur, delectatus in obedientia noſtra: ſecundum illud Apoc. III. 20. „ Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, (c) introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. “

(d) Deinde ponuntur tres perſonæ ei aſſiſtentes, vel miniſtrantes, ſcilicet Martha, Lazarus, & Maria. Per Martham ſignificantur prælati, qui ad miniſterium in Eccleſiis inſtituuntur, ſecundum illud I. Corinth. IV. I. „ Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. “ Unde dicitur, *Et Martha miniſtrabat*. Luc. X. 40. „ Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. “ Per Lazarum autem reſuſcitatum ſignificantur ſubditi miniſterio prælatorum, a peccatis ad ſtatum iuſtitiæ reducti, qui cum aliis iuſtis ſpiritualiter cum Domino epulantur: unde dicitur: *Lazarus autem unus erat ex diſcumbentibus cum eo*. Pſal. LXVII. 4. „ Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. “ Per Mariam ſignificantur contemplativi. Dicitur enim Luc. X. 39. quod „ Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verba illius. “ Circa cuius miniſterium tria tanguntur, quantum ad litteram pertinet. Primo enim tangitur unguentum in quo obſecuta eſt; ſecundo obſequium quod exhibuit, ibi, *Et unxit pedes Ieſu*; tertio effectum obſequii, ibi, *Et domus impleta eſt ex odore unguenti*. Circa primum tria tangit. Primo quantitatem unguenti, quia multum fuit: unde dicit, *Libram unguenti*. Tob. IV. 9. „ Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. “ Secundo materiam, quia fuit ex nardo confectum: unde dicit, *Nardi*. Cantic. I. 11. „ Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. “ Eſt autem nardus herba brevis, & ſpicoſa, & nigra, ex qua fit unguentum, quod vim confortandi habet ex ſua aromaticitate. Tertio compoſitionis formam, in eo quod dicit, *Piſtici pretioſi*. Et, ſecundum Auguſtinum, dicitur *piſtici* a loco, in quo nardus oriebatur. Sed melius eſt quod exponatur *piſtici*, ideſt fidelis; hoc eſt, non ſophiſticati per aliquam admixtionem: nam piſtis in Græco idem eſt quod fides. Addit autem *pretioſi*, quia confectum erat ex ſpica nardi, ex qua pretioſum unguentum fit, & forte admixtis aliis pretioſis rebus. In quo docemur quod ea quæ pretioſiſſima ſunt apud nos, Deo debemus offerre, ſecundum illud Pſal. LXV. 15. „ Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum. “ Et Malach. I. 14. „ Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, offert Domino debile. “ Circa obſequium eius primo nota humilitatem in hoc quod dicitur, *Unxit pedes Ieſu*, ad pedes procidens, ſecundum illud Pſal. CXXXI. 7. „ Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius. “ Secundo devotionem, quia *extersit capillis ſuis*, ut de ſeipſa quodammodo obſequium offerret. Rom. VI. 13. „ Exhibete membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. “ Effectus autem obſequii tangitur conſequenter, cum dicit: *Et domus impleta eſt ex odore unguenti*: per quod inſinuatur unguenti bonitas, cuius odor totam domum implevit. Cantic. I. 3. „ Curremus in odorem unguentorum tuorum. “

Dubitatur autem utrum hæc eadem mulier fuerit de qua dicitur hic, quod unxit Domi-

(a) *Al. deeſt* diem. (b) *Al.* Deinde dicit. (c) *Al.* introibo cum illo &c.

minum, & de qua dicitur Luc. VII. & Matth. XXVI. & Marc. XIV. Multis quidem videtur, ſecundum Hieronymum, & Chryſoſtomum, quod mulier peccatrix de qua Lucas narrat, non ſit Maria ſoror Lazari, quæ Dominum dicitur unxiſſe. Origenes autem addit, quod non ſit eadem etiam de qua Matthæus, & Marcus narrant, ſed illa ſit quædam alia tertia: & hoc vult probare ex tribus. Primo quidem ex tempore: nam hæc unxit Dominum ante ſex dies paſchæ; illa vero de qua Matthæus, & Marcus narrant, infra biduum ante paſcha. Præmittit enim Matthæus (XXVI. 2.) Dominum dixiſſe: „ Scitis, quia „ poſt biduum paſcha fiet. “ Marcus autem (XIV. 1.) „ Erat paſcha, & azyma poſt bi„ duum. “ Secundo ex loco: nam illa mulier legitur Dominum unxiſſe in domo Simonis leproſi; hoc autem colligitur eſſe factum in domo Marthæ, ex hoc quod dicitur quod Martha miniſtrabat, ut etiam Auguſtinus dicit. Tertio ex ipſo facto: nam illa mulier legitur unxiſſe caput, hæc autem pedes. Auguſtinus vero, & Gregorius dicunt, quod una & eadem mulier fuit, quam quatuor Evangeliſtæ narrant Dominum unxiſſe; ſed bis hoc fecit. Primo quidem in principio ſuæ converſionis intermedio tempore prædicationis Chriſti, quod Lucas narrat; ſecundo vero imminente Chriſti paſſione hoc fecit, quod tres alii Evangeliſtæ narrant: unde idem factum eſt quod hic narratur, & quod habetur Matth. XXVI. & Marc. XIV. Ad primum ergo quod dicitur de diſſonantia temporis, dicendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod Ioannes ipſe ſervat ordinem hiſtoriæ; Matthæus, & Marcus per recordationem interponunt quod prius fuerat factum immediate ante proditionem Iudæ, quæ ex hoc facto creditur occaſionem habuiſſe. Ad ſecundum quod obiicitur de diſſonantia loci, poteſt intelligi quod eadem ſit domus Simonis leproſi, & etiam Mariæ, & Marthæ, ita quod Simon fuerit paterſamilias domus. Dicitur autem leproſus, quia primo leproſus fuerat, & a Chriſto curatus. Ad tertium quod obiicirur de diſſonantia facti, dicendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod mulier unxit & pedes, & caput.

Et ſi quis obiiciat, quod Marcus dicit, quod, fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ipſius recumbentis, poteſt dupliciter reſponderi. Uno modo, quod non fuit ita fractum quin aliquid remanſerit, unde pedes (a) poſſent iniungi. Alio modo poteſt dici, quod prius inunxit pedes, poſtea, fracto alabaſtro, totum ſupra caput effudit.

Secundum myſterium autem, per libram quam Maria accepit, deſignatur opus iuſtitiæ: nam ad iuſtitiam pertinet ſingula librare, & ponderare. Ezech. XLV. 11. „ Iuxta „ menſuram cori, erir libratio eorum. “ Opus autem iuſtitiæ debet quadruplici virtute adiuncta eſſe perfectum. Primo quidem pietate: unde dicit, *Unguenti*; quod quia lenitivum eſt, miſericordiam ſignificat. Iac. II. „ 13. „ Iudicium ſine miſericordia illi qui non „ fecit miſericordiam. “ Secundo humilitate: unde dicit, *Nardi*; quæ cum ſit herba brevis, ſignificat humilitatem. Eccli. III. 20. „ Quanto magnus es, humilia te in omni„ bus. “ Tertio fide: unde dicit, *Piſtici*, ideſt fidelis. Habac. II. 4. „ Iuſtus autem meus „ ex fide vivit. “ Quarto caritate: unde dicit, *Pretioſi*: ſola enim caritas pretium præſtat vitæ æternæ. I. Corinth. XIII. 3. „ Si „ diſtribuero pauperibus omnes ſaculrates „ meas .... caritatem autem non habuero, „ nihil mihi prodeſt. “ Opere autem iuſtitiæ unguntur pedes Ieſu, & caput ſuum. Per pedes intelligimus myſterium humanitatis; per caput vero divinitatem: ſecundum illud I. Corinth. XI. 3. „ Caput Chriſti Deus: “ (b) ut intelligatur, caput, & pedes Chriſti ungere qui divinitatem, & humanitatem eius veneratur. Vel per caput poſſumus intelligere ipſam Chriſti perſonam: ſecundum illud Epheſ. I. 22. „ Ipſum dedit caput ſuper o„ mnem Eccleſiam. “ Per pedes autem Chriſti fideles, de quibus Matth. XXV. 40. „ Quod „ uni ex minimis meis feciſtis, mihi feci„ ſtis. “ Eſa. LII. 7. „ Quam pulchri pedes „ ſupra montem annuntiantis, & prædican„ tis pacem! “ Unde caput Chriſti inungit qui ipſum Chriſtum veneratur; pedes autem qui eius fidelibus obſequitur. Quia vero capilli ex ſuperfluitate generantur, pedes Domini capillis terguntur, quando aliquis ex ipſis quæ ſibi ſuperfluunt, defectui ſubvenit proximorum. Luc. XI. 41. „ Verumtamen quod „ ſupereſt, date eleemoſynam. “ Unde Auguſtinus dicit: „ Si habes ſuperflua, da paupe„ ribus, & Domini pedes terſiſti. “ Per hoc autem quod dicitur, *Et domus impleta eſt ex odore unguenti*, ſignificatur quod propter opera iuſtitiæ, bona fama totam replet Eccleſiam. II. Corinth. II. 14. „ Odorem ſuæ no„ titiæ manifeſtat per nos in omni loco: quia „ Chriſti bonus odor ſumus. “

(e) Deinde cum dicit, *Dixit ergo unus ex diſcipulis eius &c.* ponitur zelus proditoris ex prædicto miniſterio concitatus. Et circa hoc duo facit. Primo oſtendit proditoris zelum; ſe-

(a) *Al.* poſſunt. (b) *Al.* Ut ergo intelligatur.

Digitized by Google

ſecundo ponitur zeli repreſſio, ibi, *Dixit ergo ei Ieſus &c.* Circa primum tria facit. Primo deſcribitur perſona proditoris; ſecundo ponuntur verba eius, ibi, *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis? &c.* tertio manifeſtatur eius malitioſa intentio, ibi, *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat*. Perſona autem eius manifeſtatur ex tribus. Primo quidem ex dignitate, cum dicitur: *Dixit ergo unus ex diſcipulis eius*: ut oſtendatur quod nullus in quacumque excellentia conſtitutus de ſe præſumere debet: quia, ut dicitur Iob IV. 18. „ in Angelis ſuis reperit pravitatem. “ Secundo ex nomine, cum dicit, *Iudas Scariotis*, nomine. Interpretatur autem Iudas, Confitens, ut ſignificetur quod præter confeſſionem virtuoſam, de qua Rom. X. 10. dicitur: „ Confeſſio fit ad ſalutem: “ eſt quædam confeſſio vituperabilis, & mercenaria, de qua dicitur in Pſal. XLVIII. 19. „ Confi„ tebitur tibi cum benefeceris ei. “ Tertio deſcribitur ex crimine, cum dicitur: *Qui erat eum traditurus*. Pſal. XL. 10. „ Qui edebat „ panes meos, magnificavit ſuper me ſupplan„ tationem. “

(f) Deinde ponuntur verba ipſius, ex quibus oſtenditur quod de bono odore unguenti ſpiritualiter mortuus erat: ſecundum illud II. Corinth. II. 15. „ Chriſti bonus odor ſumus: „ aliis odor mortis in mortem, aliis autem odor „ vitæ in vitam. “ Diſplicebat enim ei quod unguentum non erat venditum, ſed effuſum in obſequium Chriſti: unde dicit: *Quare hoc unguentum non veniit*, ideſt (*a*) venditum eſt, *trecentis denariis*? Sed ſicut dicitur II. Cor. XI. miniſtri ſatanæ transfigurantur velut miniſtri iuſtitiæ. Unde iniquitatem ſuam ſub ſpecie pietatis occultavit, dicens: *Et datum eſt egenis*. Eſa. XXXII. 6. „ Cor eius fa„ ciet iniquitatem, ut perficiat ſimulatio„ nem, & loquatur ad Dominum fraudulen„ ter. “

(g) Unde Evangeliſta eius fraudulentam aperit intentionem, ſubdens: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat*. Non enim curabat quod eis (*b*) ſubveniretur: quia Prov. XII. 10. dicitur: „ Viſcera impiorum crudelia: “ *ſed quia fur erat*, conſuetudinem furandi habens, (*c*) dolebat ſibi occaſionem furandi ſublatam per effuſionem unguenti, & ex hac avaritia ductus eſt ad proditionem. Dicitur enim Eccli. X. 9. „ Avaro nihil eſt ſceleſtius. “ Et ſupra X. 10. *Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat*. Unde autem furari conſueverit, exponit ſubdens: *Et loculos habens*; ideſt, cuſtos loculorum Domini conſtitutus, *ea quæ mittebantur*, ſcilicet in loculis, donata a fidelibus ad uſum Chriſti, & pauperum, *portabat*, (*d*) miniſterio; ſed aſportabat furto.

Ubi duo notantur. Primo quod Chriſtus tamquam pauper de eleemoſynis vivebat. Pſal. XXXIX. 18. „ Ego autem mendicus ſum, „ & pauper. “ Secundo quod non derogat perfectioni, ſi eleemoſynæ in loculis reſerventur: unde quod dicitur Matth. VI. 34. „ Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum, “ non intelligitur quod nihil in craſtinum debeat reſervari, cum Dominus hoc fecerit, qui fuit ſummum exemplar perfectionis.

Sed quæritur quare Dominus Iudæ, quem furem ſciebat, cuſtodiam loculorum commiſit? Ad quod reſpondendum eſt tripliciter. Primo quidem, ſecundum Auguſtinum, hoc fecit Chriſtus, ut eius Eccleſia cum fures patitur toleraret: non enim eſt bonus qui malos tolerare non potuit: unde dicitur Cant. II. 2. „ Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea „ inter filias. “ Secundo ei loculos Dominus commiſit, ut perditionis occaſionem auferret, cum haberet ex loculis concupiſcentiæ mitigationem; ſed, ſicut dicitur Eccle. V. 9. „ A„ varus non implebitur pecunia. “ Tertio, ſecundum alios, ut doceret quod ſpiritualia ſunt maioribus committenda, temporalia vero minus dignis: unde dicitur Act. VI. 2. ab Apoſtolis: „ Non eſt æquum relinquere nos „ verbum Dei, & miniſtrare menſis: “ ſed uni de diaconibus hoc miniſterium commiſerunt.

Quæritur etiam quomodo (*e*) hic dicatur, quod ſolus Iudas de hoc unguento effuſo dixerit, cum Matthæus narret diſcipulos hoc dixiſſe. Sed dicendum eſt, quod Matthæus ponit numerum pluralem pro numero ſingulari, ſicut Matthæi II. 20. dicitur „ Defun„ cti ſunt enim qui quærebant animam pue„ ri. “ Vel poteſt dici, quod Iudas primo murmuravit, & ab eo ſunt poſtmodum alii provocati ut ſimilia verba proferrent, licet non ex eadem intentione.

(a) *Al.* venditur. (b) *Al.* ſubveniret. (c) *Al.* & dolebat. (d) *Al.* myſterio. (e) *Al.* hoc.

LECTIO II.

(a) Dixit ergo Ieſus: Sinite illam ut in diem ſepultutæ meæ ſervet illud.
(b) Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum; me autem non ſemper habebitis.

(c) Cognovit ergo turba multa ex Iudæis quia illic eſt, & venerunt non propter Ieſum tantum, ſed ut Lazarum viderent, quem ſuſcitavit a mortuis.

(d) Cogitaverunt autem principes ſacerdotum ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.

(a) POſito zelo proditoris propter obſequium mulieris, hic conſequenter ponitur ipſius zeli repreſſio. Et primo Dominus repellit calumniam quam mulieri Iudas iniecerat; ſecundo excludit piam cauſam quam prætenderat, ibi, *Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum &c.* Dicit ergo, *Sinite illam*; ideſt, ne prohibeatis eam. Sciendum enim, quod multa bona opera fiunt, de quibus ſi peteretur conſilium antequam fiant, non conſuleremus quod fierent, quia forte poſſent fieri meliora; poſtquam tamen incipiunt fieri, dummodo iam bona ſint, non ſunt prohibenda. Et, ut Chryſoſtomus dicit, forte Ieſus antequam mulier effudiſſet unguentum, potius illud dari panperibus elegiſſet; nunc vero quia iam factum erat, prohibentes comprimit, dicens, *Sinite illam*. Proverb. III. 27. „ Nolite prohibere eum qui bene facit: „ ſi vales, & ipſe benefac. “ Et ſubdit: *Ut in diem ſepultura mea ſervet illud*: ubi primo prænuntiat ſuam mortem imminere, & obſequium huius mulieris, quod parata fuit ei impendere in ſepultura, niſi præventa fuiſſet celeri Chriſti reſurrectione: nam, ut in Marco legitur (cap. XVI.) Maria Magdalena cum aliis emit aromata, ut venientes ungerent Ieſum. Ideo ergo dicit: *Ut in diem ſepultura mea ſervet illud*, ſcilicet non idem quod effuſum fuit, ſed ſimile in ſpecie, vel in genere, vel etiam opere; quaſi dicat: Non prohibeatis eam ſacere mihi iam vivo quod non poterit facere mortuo: nam, ut dictum eſt, fuit celeri Chriſti reſurrectione præventa. Et hoc magis exprimitur Marc. XIV. 8. (a) ibi enim dicitur: „ Prævenit enim ungere „ corpus meum in ſepulturam. “

Sed numquid præſcivit mortem Chriſti? Dicendum, quod non: non enim intelligebat quod fecit; ſed quodam inſtinctu interiori mota eſt ad hoc faciendum. Frequenter enim aliqui moventur ad faciendum quod non intelligunt, ſicut Caiphas, ſupra XI. 49. *cum eſſet pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam*. Et huiuſmodi vocantur præſagia, inquantum primo ante facta aguntur.

(b) Conſequenter cum dicit, *Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum &c.* excludit piam cauſam quam Iudas prætendebat, dicens: *Quare hoc unguentum non venditur trecentis denariis, & datur egenis?* Unde Dominus ſubdit: *Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum*. Ubi ſciendum eſt, quod quandoque faciendum eſt (b) illud quod minus eſt neceſſarium, ſi remanet locus implendi quod eſt magis neceſſarium: & ideo Dominus, licet magis neceſſarium eſſet quod hoc unguentum daretur pauperibus quam quod ungerentur pedes eius ex eo; quia tamen adhuc poteſt fieri, cum pauperes ſemper habeamus nobiſcum, ideo Dominus permiſit fieri iſtud, quod eſt minus neceſſarium. In hoc autem quod dicit, *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum*, datur intelligi familiaritas quam divites debent habere ad pauperes &c. Eccli. IV. 7. „ Congregationi pauperum affabilem te fa„ cito. “ *Me autem non ſemper habebitis*.

Sed contra. Matth. ult. XX. „ Ego vobiſcum „ ſum uſque ad conſummationem ſæculi. “ Reſponſio, ſecundum Auguſtinum. Dominus dicens, *Me autem non ſemper habebitis*, loquebatur de præſentia corporis ſui, prout in ſua ſpecie apparet, ſecundum quam iturus erat ad cælum. Infra XVI. 28. *Iterum relinquo mundum*. Sed quantum ad præſentiam divinitatis ſemper eſt nobiſcum; & etiam ſacramentaliter in Eccleſia. Vel aliter dicendum, quod Dominus hoc dicens, intelligit de præſentia divinitatis ſuæ. Quidam enim videntur habere Chriſtum ſpiritualiter vel in ſacramento, vel in confeſsione fidei, qui tamen non ſunt ſemper (c) eum habituri, cum ſint tantum de Eccleſia quantum ad numerum, non quantum ad meritum: & huiuſmodi ſunt ſervi. Filii autem ſemper ſunt eum habituri: quia, ut dicitur ſupra VIII. 35. *Filius manet in domo in æternum*. Dicit ergo Iudæ: *Me autem non ſemper habebitis*: quia indignum te feciſti ad hoc. Ut, autem Chryſoſtomus dicit, in hoc Dominus obiurgat Iudam: nam per hoc quod moleſte tulit obſequium (d) Chriſto impenſum,

(a) *Al. deeſt* ibi enim dicitur. (b) *Al. omittitur* illud. (c) *Al.* per eum. (d) *Al. omittitur* Chriſto.

ſum, videtur gravari de præſentia Chriſti: & ideo Chriſtus dicit: *Me autem non ſemper habebitis*; quaſi diceret: Gravis ſum tibi, & oneroſus; ſed expecta parum, & abibo.

(c) Conſequenter cum dicit, *Cognovit ergo turba multa ex Iudæis quia illic eſt &c.* oſtendit quomodo Ieſus glorificatus eſt a turbis Iudæorum: & primo quomodo a turbis Chriſtum viſitantibus; ſecundo quomodo a turbis ei obviantibus, ibi, *In craſtinum autem &c.* Circa primum duo facit. Primo ponitur devotio turbarum viſitantium; ſecundo exagitatur concitatus zelus phariſæorum invidentium, ibi, *Cogitaverunt autem principes ſacerdotum*. Prima pars dividitur in duas. In prima ponitur turbarum viſitatio; in ſecunda ſubditur viſitationis occaſio. Quantum ad primum dicit: *Cognovit ergo turba multa ex Iudæis quia Ieſus illic eſſet*, in Bethania, *& venerunt*: ad quod Dominus invitat, *Matth.* XI. 28. „ Venite ad „ me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; „ & ego reficiam vos. “ Et ideo ubi ſcimus eſſe eum, debemus feſtinanter accedere. Cauſa autem viſitationis ponitur duplex. Una ut fruerentur viſione, & doctrina Chriſti; alia ut viderent Lazarum. Et hoc propter duo. Primo quia illud quod factum erat circa ipſum, inquantum quatriduanus in monumento ſuſcitatus fuit, valde mirabile erat: & hoc homines videre deſiderant. *Pſal.* CXXXVIII. 14. „ Mirabilia opera tua, & anima „ mea cognoſcet nimis; “ ideſt, laborabit ad cognoſcendum. Secundo quia ſperabant, Lazaro referente, aliquod de alia vita perpendere, & audire; cuius cognitionis deſiderium innatum eſt hominibus. Hoc autem eſt contra illud quod ſtulti dicunt, *Sap.* II. 1. „ Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ „ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine ho„ minis; & non eſt qui agnitus ſit reverſus „ ab inferis. “ Ecce enim Lazarus, quem ſuſcitavit a mortuis, ab inferis rediit.

(d) Concitatum autem zelum phariſæorum invidentium ponit, dicens: *Cogitaverunt autem principes ſacerdotum ut & Lazarum interficerent*: in quo videbantur obviare Deo: ipſe enim (*a*) vivificavit Lazarum, & iſti volebant occidere. *Iob* XV. 26. „ Cucurrit adverſus (*b*) eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt. “ Ratio autem zeli ponitur: *Quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum*.

Sed contra. Chriſtus multos ſanaverat, puta paralyticum, ſupra V. Cæcum natum, ſupra IX. Quare Lazarum tantum volebant occidere? Ad quod Chryſoſtomus quatuor rationes aſſignat. Unam, quia iſtud miraculum erat evidentius, coram multis factum, & inopinabile, videre mortuum quatriduanum, ambulantem, (*c*) & loquentem. Alia ratio erat, quia Lazarus perſona inſignis erat, cæcus autem perſona ignobilis: unde & eiecerunt eum de templo. Tertia ratio eſt, quia miraculum iſtud factum eſt imminente feſtivitate, quando totus populus Iudæorum ad diem feſtum conveniens admirabantur, & dimittentes feſtivitates, Bethaniam veniebant. Quarta ratio, quia in aliis Chriſti miraculis nitebantur criminari violationem ſabbati, & per hoc ab eo turbas adducere: (*d*) ſed hic nihil tale facere poterant. Unde quia in nullo habebant conqueri contra Ieſum, adverſus Lazarum faciunt conatum, tamquam hæc eſſet potiſſima via ad miraculum occultandum, *Proverb.* I. 16. „ Pedes eorum ad malum cur„ runt, & feſtinant ut effundant ſangui„ nem. “

LECTIO III.

(a) IN craſtinum autem turba multa quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent quia venit Ieſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei, & clamabant: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael.

(b) Et invenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum:

(c) Sicut ſcriptum eſt: Noli timere filia Sion: Ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ.

(d) Hæc non cognoverunt diſcipuli eius primum; ſed quando glorificatus eſt Ieſus, tunc recordati ſunt quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei.

(e) Teſtimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum a mortuis. Propterea & obviam venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.

(f) Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus poſt eum abiit.

Hic

(*a*) *Al.* vivificat: *item* vivificabit. (*b*) *Al.* Deum. (*c*) *Al.* etiam. (*d*) *Al.* Sed hoc tale facere non poterant.

(a) HIc ponitur devotio turbæ obviantis Chriſto: & primo ponitur obviatio turbarum; ſecundo zelus phariſæorum, ibi, *Phariſæi autem dicebant &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur turbæ obviatio; ſecundo adventus Domini, ibi, *Et invenit Ieſus aſellum &c.* tertio obviationis cauſa, ibi, *Teſtimonium ergo perhibebat turba*. Obviatio autem deſcribitur quo ad quatuor. Primo quantum ad tempus, quia *in craſtinum*, ſcilicet ab illo die de quo dixerat, *Ante ſex dies paſcha*, qui eſt decimus dies menſis. Et congruit figuræ Exod. XII. ubi dicitur, quod agnus paſchalis qui immolandus erat quartodecimo die ad veſperam, debebat accipi decimo die menſis. Secundo deſcribitur quantum ad perſonas obviantes: quia *turba multa quæ convenerat ad diem feſtum*: per quod ſignificatur populorum multitudo qui convertendi erant ad Chriſtum. Pſal. VII. 8. ,, Synagoga populorum circumdabit me." Dicit autem, *Ad diem feſtum*, quia ad hoc fideles convertuntur ad Chriſtum ut ad diem feſtum cæleſtis Hieruſalem perveniant. Matth. VIII. 11. ,, Multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum." Tertio deſcribitur quantum ad motivum obviandi, quod eſt auditus de adventu Ieſu: unde dicit: *Cum audiſſent quia venit Ieſus Hieroſolymam*. Ad Chriſtum enim omnes fideles convertuntur propter auditum fidei. Rom. X. 17. ,, Fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti. Exod. IV. 31. ,, Audierunt filii Iſrael quod viſitaſſet Dominus filios Iſrael, & credidit populus." Quarto deſcribitur quantum ad modum obviandi: & primo quantum ad ea quæ fecerunt: quia *receperunt ramos palmarum*: palma enim, quia viriditatem ſuam conſervat, ſignificat victoriam: unde & apud antiquos triumphantibus in ſignum victoriæ dabatur. Et de martyribus triumphantibus legitur Apocal. VII. 9. quod ,, palmæ erant in manibus eorum." Rami ergo palmarum, ſecundum Auguſtinum, laudes ſunt, ſignificantes victoriam, quia Dominus erat mortem moriendo ſuperaturus, in trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. *Et proceſſerunt obviam ei*. Amos IV. 12. ,, Præparare in occurſum Dei tui, Iſrael." Secundo quantum ad ea quæ dixerunt: quia *clamabant: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael*. Ubi ponit petitionem, & laudem. Petitionem quidem cum dicunt, *Hoſanna*; id eſt, ſalva obſecro; quaſi dicant: Hoſy, quod eſt ſalva, & anna, quod eſt obſecro. Quod, ſecundum Auguſtinum, non eſt verbum, ſed interiectio deprecantis. (a) Recte a Domino Ieſu ſalutem petunt: quia dicitur Eſai. XXXV. 4. ,, Dominus ipſe veniet, & ſalvabit nos." Pſal. LXXIX. 3. ,, Excita potentiam tuam, & veni." Laudant autem quantum ad duo, ſcilicet quantum ad eius adventum, & quantum ad potentiam regni eius. Adventum quidem eius laudant, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Unde ſciendum eſt, quod benedicere eſt bonum dicere. Aliter autem Deus benedicit nobis; aliter nos Deo. Deus enim benedicendo nobis, facit nos bonos: nam dicere ſuum, eſt eius facere: ,, dixit enim, & facta ſunt:" Pſal. CXLVIII. 5. Nos autem benedicendo Deo, confitemur eius bonitatem. Pſal. CXVII. 26. ,, Benediximus vobis de domo Domini." Geneſ. XXVII. 29. ,, Qui benedixerit tibi, ſit ille benedictus &c." *Benedictus* ergo *qui venit in nomine Domini*. Chriſtus enim operabatur in nomine Dei: quia omnia opera quæ faciebat, ad gloriam Dei ordinabat. Quia vero & Pater Dominus eſt, & Filius Dominus eſt; ideo hoc quod dicitur, *In nomine Domini*, poteſt intelligi dupliciter. Uno modo. *Benedictus qui venit in nomine Domini*; ideſt, (b) in nomine ſui ipſius, tamquam Dominus. Eſai. XXXIII. 22. ,, Dominus legifer noſter." Moyſes ergo hoc modo non venit in nomine Domini, quia venit ſicut ſervus. Heb. III. 5. ,, Moyſes in omni domo ſua tamquam famulus fidelis erat, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant." Sed, ſecundum Auguſtinum, melius dicitur, *In nomine Domini*, ſcilicet Patris. Nam verba eius ad hoc noſtrum dirigunt intellectum. Supra V. 43. *Ego veni in nomine Patris mei &c.* Dupliciter autem dicitur venire in nomine Patris. Primo quidem in quantum venit ut Filius, per quod datur intelligi Pater; ſecundo inquantum venit ut manifeſtans Patrem. Infra XVII. 6. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Potentiam vero regni eius laudant cum dicunt, *Rex Iſrael*. Ad litteram enim credebant Iudæi quod veniſſet regnaturus temporaliter ſuper eos, & redempturus eos a ſervitute Romanorum; & ideo applaudebant ei tamquam Regi. Hier. XXIII. 5. ,, Regnabit Rex, & ſapiens erit." Eſai. XXXII. 1. ,, Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerunt."

Sed ſciendum, quod omnia verba prædicta poterant haberi ex Pſalmis: nam cum Pſal. CXVII. 22. diceret: ,, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes:" ſubdit (verſ. 25.) ,, O Domine ſalvum me fac... Benedictus qui ,, venit

(a) *Al.* Recte ad Deum in Hieruſalem petunt: quia ut dicitur Eſai. &c. (b) *Al.* in nomine Ieſus ipſius.

Digitized by Google

„ venit in nomine Domini. “ Ubi Hieronymus, ſecundum Hebræam veritatem, tranſtulit Hoſanna, Benedictus. Sed hoc quod ſubdunt, *Rex Iſrael*, non eſt in Pſalmis; ſed eſt ibi (verſ. 27.) „ Deus Dominus, & illuxit „ nobis. “ In quo ex eorum cæcitate minuunt eius laudem: quia Pſalmus laudat eum tamquam Deum, ipſi vero tamquam Regem temporalem.

(b) Conſequenter cum dicit, *Et invenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum*, ponit Domini adventum: & primo ponit modum veniendi; ſecundo inducit prophetiam; tertio oſtendit diſpoſitionem diſcipulorum circa hoc factum. Notandum eſt circa primum, quod Ioannes Evangeliſta Evangelium ſuum poſt omnes alios Evangeliſtas conſcripſit: unde omnia Evangelia diligenter perlegerat; & quæ per alios diffuſe dicta erant, ipſe compendio tradidit; quæ vero omiſerant, ipſe ſupplevit. Quia vero diffuſe in aliis Evangeliſtis habetur quomodo Dominus miſit duos de diſcipulis ſuis ut aſinam adducerent, ideo hoc Ioannes breviter pertranſivit, dicens: *Et invenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum*. Sciendum autem, quod facta Chriſti ſunt quaſi media inter facta veteris teſtamenti, & novi: & ideo tam turba quæ præcedebat quam quæ ſequebatur, eum laudabat, inquantum facta Chriſti ſunt regula, & exemplar eorum quæ fiunt in novo teſtamento, & præfigurata a patribus veteris teſtamenti. Aſellus autem, quod eſt animal rude, ſignificat populum gentium, ſuper quem ſedit, ut ſignificaret quod ipſe redempturus eſſet gentes. Eſai. xlix. 6. „ Dedi te in lu„ cem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad „ extremum terræ. “ Ibid. xxxii.20.„ Bea„ ti qui ſeminatis ſuper omnes aquas, mitten„ tes pedes bovis, & aſinæ; “ ideſt, coniungentes in unitatem fidei populum Iudæorum, & gentium. Quia autem Matthæus Evangelium ſuum ſcripſit Iudæis, mentionem facit de aſina, per quam ſignatur ſynagoga Iudæorum, quæ fuit quaſi mater gentium in ſpiritualibus: quia „ de Sion exibit lex, & ver„ bum Domini de Hieruſalem: “ Eai. 2. v. 3. Alii vero Evangeliſtæ, quia gentibus Evangelia ſcripſère, faciunt etiam mentionem de pullo &c.

(c) Conſequenter cum dicit, *Sicut ſcriptum eſt &c.* inducit prophetiam quæ ſcripta eſt Zachar. ix. 9. in qua primo dat ſecuritatem; ſecundo promittit regiam maieſtatem; tertio ſubdit utilitatem Regis. Securitatem dat cum dicit: *Noli timere filia Sion*. Sion arx erat in Hieruſalem, ubi erat habitatio Regis. Filia ergo Sion eſt plebs Hieroſolymorum, & Iudæorum qui ſubditi erant Regi Hieruſalem. Iudæis ergo dicitur, *Noli timere*, quia Dominus defenſor tuus. Eſai. li. 12. „ Quis tu „ ut timeas ab homine mortali? “ Pſal. xxvi. 1. „ Dominus defenſor vitæ meæ: a quo tre„ pidabo? “ In quo excludit Evangeliſta timorem mundanum, & ſervilem. Regiam autem maieſtatem promittit, dicens: *Ecce Rex tuus venit &c.* Eſai. ix. 6. „ Parvulus datus „ eſt nobis. “ Et infra ibid. 7. „ Super ſolium „ David, & ſuper regnum eius ſedebit. “ Dicit autem *tuus*, ideſt ex te carnem ſumens: quia „ nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſe„ men Abrahæ: “ Hebr. ii. 16. Iterum *tuus*, ideſt ad utilitatem tuam: unde ſubdit, *Venit tibi*. Luc. xix. 42. „ Si cognoviſſes & tu, & „ quidem nunc quæ ad pacem tibi: nunc au„ tem abſcondita ſunt ab oculis tuis. “ Sed tamen ipſi reſiſtendo, eorum utilitatem impedierunt. *Venit*, inquam, *tibi*, non ad terrorem, ſed ad liberationem: unde ſubdit, *Sedens ſuper pullum aſinæ*: in quo ſignatur Regis clementia, quæ valde eſt accepta ſubditis. Proverb. xx. 28. „ Clementia roboratur thro„ nus eius. “ E contra dicitur Proverb. xix. 12. „ Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira. “ Quaſi dicat: Non venit in faſtu regio, propter quod poſſet eſſe odioſus; ſed venit in manſuetudine. Eccli. xxxii. 1. „ Rectorem „ te poſuerunt? Noli extolli. “ Noli ergo timere regni oppreſſionem. Vetus autem lex in timore data eſt, quia lex ſervitutem generabat. Item ſignatur in hoc Regis potentia, inquantum in humilitate, & infirmitate veniens, totum mundum attraxit. I. Corinth. i. 25. „ Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt ho„ minibus. “

(d) Conſequenter cum dicit, *Hæc non cognoverunt diſcipuli eius primum*, ponit diſpoſitionem diſcipulorum ad prophetiam inductam; in quo Evangeliſta confitetur ignorantiam & ſui, & diſcipulorum: quia, ut dicitur Proverb. xviii. 17. „ iuſtus in principio accuſator eſt „ ſui. “ Unde dicit, quod *hæc* quæ prædicta ſunt, *non cognoverunt diſcipuli eius primum*, ideſt ante paſſionem; *ſed quando glorificatus eſt Ieſus*, ideſt quando virtutem ſuæ reſurrectionis oſtendit, *tunc recordati ſunt quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei*. Ideo autem quando glorificatus eſt cognoverunt, quia tunc receperunt virtutem Spiritus ſancti, ex qua effecti ſunt omnibus ſapientibus ſapientiores. Iob xxxii. 8. „ Inſpiratio Omnipotentis dat „ intelligentiam. “ Hoc autem ideo introducit Evangeliſta ut oſtendat non fuiſſe quod factum eſt, ſerio a diſcipulis procuratum.

(e) Conſequenter cum dicit, *Teſtimonium ergo perhibebat turba &c.* ponit cauſam obviationis, quæ fuit exhibitio teſtimonii, *quod perhibebat tur-*

turba quæ cum eo erat, de reſurrectione Lazari, *quando* ſcilicet *vocavit Lazarum de monumento.... Propterea & obviam venit ei turba*. I. Corinth. I. 22. „ Iudæi ſigna quærunt. “ Iſtud enim evidentius ſignum erat, & mirabilius; & ideo ultimo ipſum reſervavit, ut magis imprimeretur eorum memoriæ.

(f) Conſequenter cum dicit., *Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos &c.* ponit phariſæorum zelum, qui concitabatur ex fruſtratione conatus eorum: unde dicebant: *Videtis quia nihil proficimus? &c.* quod quidem eſt verbum phariſæorum invidentium, ut dicant: *Nihil proficimus*, ſcilicet in malitia noſtra, non valentes eum impedite. Hoc modo accipitur proficere II. Tim. III. 13. „ Mali autem homines, & ſeductores proficient in peius, „ errantes, & in errorem mittentes. “ Sed quid invidet cæca turba? Quia *poſt eum abiit mundus*, per quem factus eſt mundus. Sed tamen ſignatur per hoc, quod totus mundus eum ſecuturus erat. Oſeæ VI. 3. „ Vivemus in „ conſpectu eius, ſequemurque, ut cognoſcamus Dominum. “ Chryſoſtomus autem vult quod hæc ſint verba phariſæorum credentium, occulte tamen proprer metum Iudæorum; & dicunt hoc, ut retraherent eos a perſecurione Chriſti; ac ſi dicerent: Quantumcumque inſidiamini, tanto hic augetur, & gloria eius intenditur. Quid ergo non deſiſtitis a tantis inſidiis? Quod quidem quaſi idem eſt cum conſilio Gamalielis, de quo habetur Act. V.

LECTIO IV.

(a) Erant autem quidam Gentiles ex his qui aſcenderant ut adorarent in die feſto.

(b) Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat a Bethſaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Ieſum videre.

(c) Venit Philippus, & dicit Andreæ; Andreas, & Philippus rurſum dixerunt Ieſu.

(d) Ieſus autem reſpondit eis, dicens: Venit hora ut clarificetur Filius hominis.

(e) Amen amen dico vobis: niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.

(f) Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

(g) Qui amat animam ſuam, perdet eam.

(h) Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

(i) Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur; & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.

(k) Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.

(a) Poſita gloria quam Chriſtus habuit ex miniſterio domeſticorum, & ex devotione turbarum, hic Evangeliſta ponit gloriam quam Chriſtus habuit ex devotione Gentilium. Et primo ponitur Gentilium devotio; ſecundo devotionis ipſorum denuntiatio, ibi, *Venit Philippus &c.* tertio paſsionis Chriſti prænuntiatio, ibi, *Ieſus autem reſpondit: Venit hora ut clarificetur Filius hominis*. Devotio autem Gentilium ponitur quantum ad duo. Primo ponitur quantum ad ſacramenta veteris teſtamenti; ſecundo quantum ad Chriſtum, ibi, *Hi ergo acceſſerunt ad Philippum*. Devotio autem Gentilium ad ſacramenta veteris teſtamenti oſtenditur per hoc quod templum viſitabant: unde dicit: *Erant autem Gentiles quidam qui aſcenderunt*, ſupple in Hieruſalem, *ut adorarent in die feſto*; quaſi dicat: Non ſolum turba Iudæorum, ſed etiam ipſi Gentiles honorabant Chriſtum. Ratio autem quare aſcendebant, ſecundum interlinearem quamdam, aſsignatur, quia erant proſelyti, & converſi ad ritum Iudæorum, ad prædicationem Iudæorum: quia per mundum habitabant, & conabantur multos ad ſe convertere: Matth. XXIII. 15. „ Circuitis mare, & aridam, „ ut faciatis unum proſelytum: “ & ideo ſecundum ritum Iudæorum aſcendebant cum aliis. Sed melius dicendum eſt, ſecundum Chryſoſtomum, quod ſicut habetur II. Mach. III. templum Dei quod erat in Hieruſalem, in veneratione habebatur cunctis populis, & Regibus univerſæ terræ; ita ut ipſum templum maximis muneribus illuſtrarent; & ideo contingebat quod in diebus feſtivis multi etiam Gentiles aſcenderent Hieruſalem. Simile habetur

betur Act. VIII. de Eunucho Candacis Reginæ AEthiopum, qui venerat adorare in Hieruſalem. Unde & Eſai. LVI. 7. dicitur: „ Domus mea domus orationis vocabitur cunctis Gentibus, ait Dominus. “ Iſti autem Gentiles ex devotione quam habebant, ad templum aſcenderant: in quo præfigurabatur converſio Gentilium ad fidem.

(b) Devotio autem Gentilium ad Chriſtum oſtenditur per hoc quod deſiderabant eum videre: unde dicit: *Hi ergo*, ſcilicet Gentiles, *acceſſerunt ad Philippum &c.* Sciendum autem, quod Chriſtus Iudæis tantum perſonaliter prædicavit. Rom. XV. 8. „ Dico Chriſtum Ieſum „ miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones „ patrum. “ Gentilibus autem prædicavit per Apoſtolos. Eſai. ult. 19. „ Mittam ex eis „ qui ſalvati fuerint ad Gentes .... & annuntiabunt gloriam meam Gentibus. “ Matth. ult. XIX. „ Euntes, docete omnes „ Gentes &c. “ Hoc ergo hic iam præſagiebatur, inquantum Gentiles Chriſtum videre volentes, non venerunt immediate ad eum; ſed ad unum ex diſcipulis eius, ſcilicet ad Philippum: & hoc congruenter, quia ipſe primus prædicavit his qui erant extra ritum Iudæorum, ſcilicet Samaritanis, ut habetur Act. VIII. 5. „ Philippus autem deſcendit in „ civitatem Samariæ, & prædicabat illis „ Chriſtum. “ Et hoc convenit ei ſecundum nominis interpretationem: Philippus enim interpretatur os lampadis. Prædicatores autem ſunt os Chriſti. Hier. XV. 19. „ Si ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os meum eris. “ Chriſtus autem lampas eſt. Eſai. XLII. 6. „ Dedi te in lucem Gentium &c. “ Convenit etiam ei quantum ad locum: *Qui erat a Bethſaida*, quæ interpretatur venatio: quia prædicatores venantur eos quos ad Chriſtum convertunt. Hier. XVI. 16. „ Mittam eis piſcatores, & piſcabuntur eos. “ Item *Galilææ*, quæ interpretatur tranſmigratio; & Gentiles ad prædicationem Apoſtolorum tranſmigrati ſunt de ſtatu gentilitatis ad ſtatum fidei. Ezech. XII. 3. „ Fili hominis, fac tibi vaſa „ tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem „ coram eis. “ Accedentes autem ad Philippum exprimunt eorum deſiderium, dicentes, quia *volumus Ieſum videre*: in quo ſignatur quod Gentiles qui Chriſtum corporaliter non viderant, miniſterio Apoſtolorum ad fidem converſi, deſiderant eum videre glorificatum in patria. III. Reg. X. 24. „ Omnis terra deſiderabat videre faciem Salomonis. “

(c) Hic ponitur denuntiatio devotionis Gentilium ad Chriſtum: in qua quidem ordo attenditur: quia, ut dicitur Rom. XIII. 1. „ quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt. “ Eſt autem hic divinus ordo, ut inferiora reducantur in Deum per ſuperiora; Andreas autem ſuperior fuit in Apoſtolatu Philippo, quia prius eo converſus fuit: & ideo Philippus non per ſeipſum tantum, ſed per Andream iſtos Gentiles voluit ad Chriſtum adducere, memor forte eius quod Dominus dixerat (Matth. X. 5.) „ In viam Gentium „ ne abieritis. “ Et hoc eſt quod dicit, quod *Philippus dicit Andreæ; Andreas, & Philippus rurſum dixerunt Ieſu*: in quo datur nobis exemplum, omnia de conſilio maiorum facienda. Sic & Paulus aſcendit Hieroſolymam, & contulit Apoſtolis Evangelium quod in Gentibus prædicabat, ut habetur ad Galat. II. Poſſumus autem in nominibus iſtorum duorum intelligere duo neceſſaria prædicatoribus, ut homines ad Chriſtum adducant. Primum eſt diſertitudo ordinatæ locutionis, quæ notatur in nomine Philippi, quod interpretatur os lampadis. Secundum eſt virtus bonæ operationis, quod notatur in nomine Andreæ, quod interpretatur virilis. Pſal. XXXII. 6. „ Verbo Domini cæli firmati ſunt, „ & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. “

(d) Hic prænuntiatur paſſio Chriſti. Et primo prænuntiat Chriſtus, imminere ſuæ paſſionis tempus: ſecundo inſinuat paſſionis neceſſitatem, ibi, *Amen amen dico vobis: niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit &c.* tertio inducit neceſſitatem paſſionis aliorum, ibi, *Qui amat animam ſuam, perdet eam*. Dicit ergo: *Venit hora ut clarificetur Filius hominis*. Ubi notandum eſt, quod Dominus videns Gentiles iſtos properare ad fidem, & intelligens in eis quodammodo converſionem Gentium inchoari, prænuntiavit ſuæ paſſionis tempus imminere, a ſimili, ſicut qui videt ſegetem dealbatam, dicit: Venit hora ut falx mittatur in meſſem. Supra IV. 35. *Videte regiones, quia alba ſunt iam ad meſſem*. Sic ergo hic Dominus loquitur. Ex quo, inquit, Gentes quærunt me videre, *venit hora ut glorificetur Filius hominis*: qui quidem glorificatus eſt tripliciter. Primo in ſua paſſione. Hebr. V. 5. „ Non ſemetipſum glorificavit ut Pontifex fieret (ſcilicet in ara „ crucis) ſed qui locutus eſt ad eum: Filius „ meus es tu, ego hodie genui te. “ Et ſecundum hoc dicit: *Venit hora ut glorificetur Filius hominis*, ideſt patiatur: quia ante eius paſſionem Gentes non convertentur ad eum: in qua quidem paſſione clarificatus fuit & quantum ad ſigna viſibilia, ſicut in obſcuritate ſolis, in ſciſſione veli, & aliis huiuſmodi, & quantum ad ſigna inviſibilia, ſicut in triumpho quo palam in ſemetipſo de tarta-

reis principibus triumphavit, ut dicitur Coloſſ. II. Ideo autem ſupra (II. 4.) dixit: *Nondum venit hora mea*: quia nondum parata erat devotio Gentium ſicut modo. Secundo clarificatus fuit in reſurrectione, & aſcenſione. Prius enim oportuit Chriſtum reſurgere, & in cælum aſcendere, & ſic clarificatus mittere Spiritum ſanctum in Apoſtolos, per quos gentes convertendæ erant. Supra VII. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*. Pſal. lxvii. 19. „ Aſcendens „ Chriſtus in altum, cepit captivitatem. “ Tertio glorificatus eſt per converſionem gentium. Philip. II. 11. „ Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. “

(e) Conſequenter cum dicit, *Amen amen dico vobis &c.* inſinuat neceſſitatem ſuæ paſſionis: & primo ponit eam; ſecundo eius utilitatem, ibi, *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Neceſſitas autem ſuæ paſſionis cauſatur ex converſione Gentium, quæ eſſe non poteſt niſi Filio hominis per paſſionem, & reſurrectionem glorificato: & hoc eſt quod dicit: *Amen amen dico vobis*, ideſt in veritate, *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*. Circa quod quantum ad litteram ſciendum eſt, quod grano frumenti utimur ad duo; ſcilicet ad panem, & ad ſemen. Hoc autem quod dicitur hic, intelligitur de frumento ſecundum quod eſt ſemen, non prout eſt materia panis: quia ſecundum hoc numquam pullulat, ut faciat fructum. Dicit autem, *Mortuum fuerit*, non quod amittat virtutem ſeminativam, ſed quia mutatur in aliam ſpeciem. I. Corinth. xv. 36. „ Tu quod ſeminas, „ non vivificatur, niſi prius moriatur. “ Sicut autem verbum Dei eſt ſemen in anima hominis, ſecundum quod eſt voce ſenſibili indutum, ad fructum bonæ operationis producendum: Luc. VIII. 11. „ Semen eſt Verbum Dei: “ ita Verbum Dei carne indutum, eſt ſemen miſſum in mundum, ex quo maxima ſeges pullulare debebat: unde & grano ſinapis comparatur, Matth. XIII. Dicit ergo: Ego veni ut ſemen (a) ad fructificandum; & ideo vere dico vobis: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*; ideſt, niſi ego moriar, fructus converſionis gentium non ſequetur. Ideo autem grano frumenti ſe comparat, quia ad hoc venit ut reficeret, & ſuſtentaret mentes humanas: hoc autem præcipue efficit panis frumenti. Pſal. CIII. 15. „ Panis cor hominis confirmat. “ Supra VI. 52. *Panis, quem ego dabo vobis, caro mea eſt pro mundi vita*.

Sed numquid non erat convertenda multitudo Gentium niſi per mortem Chriſti? Erat quidem ſecundum Dei virtutem; ſed non ſecundum Dei determinationem ordinatam ab ipſo ut per hunc modum fieret, utpote qui congruentior erat. Hebr. IX. 22. „ Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. “ Infra XVI. 7. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*.

(f) Utilitas autem paſſionis ponitur cum dicit: *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; quaſi diceret: Niſi cadens in terram per paſſionis humilitatem: Philip. II. 2. „ Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: “ nulla utilitas ſequitur, quia *ipſum ſolum manet*. *Sed ſi mortuum fuerit*, ideſt mortificatus, & occiſus a Iudæis, *multum fructum affert*. Et primo quidem fructum remiſſionis peccati. Eſa. XXVII. 9. „ Hic „ eſt omnis fructus ut tollatur peccatum. “ Quem quidem fructum attulit paſſio Chriſti ſecundum illud I. Petr. III. 18. „ Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, ut nos offerret Deo. “ Secundo vero fructum converſionis Gentium ad Deum. Infra XV. 16. *Poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*. Quem fructum attulit paſſio Chriſti. Infra eodem: *Ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*. Tertio fructum gloriæ. Sap. III. 15. „ Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. “ Supra IV. 36. *Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam*. Et hunc fructum etiam attulit paſſio Chriſti. Hebr. X. 19. „ Habemus fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine „ Chriſti, quam initiavit vobis viam (b) novam, „ & viventem per velamen, ideſt carnem „ ſuam. “

(g) Hic ponit neceſſitatem mortis aliorum, qui amore Chriſti paſſionibus ſe exponunt: & primo ponit mortis huius neceſſitatem; ſecundo ad mortem ipſam hortatur, ibi, *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur*. Circa primum duo facit. Primo præmittit, (c) ſubeundam neceſſitatem mortis propter Chriſtum; ſecundo ſubdit mortis huius utilitatem, ibi, *Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*. Dicit ergo quantum ad primum: *Qui amat animam ſuam*. Et quidem omnis homo animam ſuam amat. Sed quidam ſimpliciter, & quidam ſecundum quid. Amare enim aliquem eſt velle ei bonum: ille ergo animam ſuam amat, qui vult ei bonum. Qui ergo vult animæ ſuæ id quod eſt bonum ſimpliciter, ſimpliciter amat eam; qui autem vult ei aliquod particulare bo-

(a) *Al. deeſt* ad. (b) *Al.* bonam. (c) *Al.* ſecundum.

Digitized by Google

bounm, amat eam ſecundum quid. Bona autem animæ ſimpliciter ſunt illa quibus anima fit bona, ſcilicet ſummum bonum, quod eſt Deus. Qui ergo vult animæ ſuæ bonum divinum, & ſpirituale, ſimpliciter amat eam; qui autem vult ei bona terrena, puta divitias, & honotes, voluptates, & huiuſmodi, amat eam ſecundum quid. Pſal. x. 6. „ Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. “ Eccli. xviii. 31. „ Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ſuas, faciet te in gaudium inimicis tuis. “ Poteſt ergo hæc littera dupliciter intelligi. Uno modo ſic. *Qui animam ſuam amat*, ſupple ſimpliciter ad bona æterna, *perdet eam*; ideſt, exponet ſe morti propter Chriſtum. Sed hic non eſt ſenſus verus; & ideo dicitur: *Qui amat animam ſuam*, ſecundum quid, ſcilicet ad bona temporalia, *perdet eam*, ſimpliciter ſcilicet. Matth. xvi. 26. „ Quid enim proficit homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? “ Et veritas huius ſenſus patet ex hoc quod ſequitur: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*. Igitur *qui amat animam ſuam*, in hoc mundo, ideſt ad bona mundana, *perdet eam*, quantum ad bona æterna. Luc. vi. 25. „ Væ vobis qui ridetis, quia flebitis. “ Luc. xvi. 25. „ Recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. “

(h) Utilitas autem huius mortis ſubditur cum dicit: *Et qui odit animam ſuam in hoc mundo*; ideſt, qui denegat bona præſentia animæ ſuæ, & ſuſtinet propter Deum quæ videntur mala in hoc mundo; *in vitam æternam cuſtodit eam*. Matth. v. 10. „ Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. “ Luc. xiv. 26. „ Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem .... adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. “ Attendendum autem, quod illud quod ſupra de grano frumenti dictum eſt, competit huic ſententiæ: nam ſicut Chriſtus miſſus fuit in mundum quaſi quoddam ſemen ad fructificandum, ita quicquid nobis temporaliter datur a Deo, non confertur nobis ut fructus; ſed per illud ad fructum æternæ remunerationis pervenimus. Vita autem noſtra eſt quoddam temporale donum a Deo nobis collatum. Qui ergo eam propter Chriſtum exponit, fructum multum affert. Hic ergo eſt qui odit animam ſuam; ideſt, qui vitam ſuam exponit, & ſeminat propter Chriſtum in vitam æternam. Pſal. cxxv. 6. „ Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. “ Et ſimiliter qui divitias ſuas, & alia bona quæ habet, exponit propter Chriſtum, & communicat aliis in vitam æternam. II. Corinth. ix. 6. „ Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. “

(i) Sed quia durum videtur quod homo habeat animam ſuam odio, ideo Dominus ad hoc conſequenter hortatur dicens: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur*. Et primo ponitur exhortatio; ſecundo exhortationis ratio, ibi, *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus*. Circa primum tria facit. Primo deſcribit ſuorum fidelium conditionem; ſecundo inducit ad ſui imitationem; tertio ſubdit imitantium remunerationem. Et quidem attende, quantum ad primum, fidelium Chriſti dignitatem, quia miniſtri Chriſti. II. Corinth. xi. 23. „ Miniſtri Chriſti ſunt, & ego. “ Illi ergo Chriſto miniſtrant, qui ea quæ ſunt Chriſti, quærunt: qui commoda propria quærunt, non ſunt miniſtri Chriſti, ſed ſui ipſorum. Phil. ii. 21. „ Omnes quæ ſua ſuot quærunt. “ Prælati autem ſunt miniſtri, inquantum eius ſacramenta fidelibus diſpenſant. I. Corinth. iv. 1. „ Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. “ Item quilibet fidelis qui mandata Chriſti ſervat. II. Corinth. vi. 4. „ In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros &c. “ Quantum ad ſecundum attende fidelium Chriſti gloriam, & nobilitatem: unde dicit, *Me ſequatur*; quaſi dicat: Homines ſequuntur dominos ſuos, quibus miniſtrant: *qui* ergo *mihi miniſtrat*, *me ſequatur*; ut ſcilicet ſicut ego mortem ſubeo, ut multum fructum afferam, ita & ipſe. Sequi autem Chriſtum eſt magna gloria. Eccli. xxiii. 38. „ Magna gloria eſt ſequi Dominum. “ Supra x. 27. *Oves mea vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me*. Quantum ad tertium attende fidelium beatitudinem: quia *ubi ego ſum*, non ſolum in loco, ſed etiam in ipſa participatione gloriæ, *illic & miniſter meus erit*. Matth. xxiv. 28. „ Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. “ Apoc. iii. 21. „ Qui vicerit, faciam illum ſedere mecum in throno meo. “

(k) Ratio autem exhortationis ſubditur cum dicit: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus*: qui enim miniſtrat Chriſto, honorat eum Pater. Sed ſupra v. 23. dicitur: *Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*. Idem eſt ergo honorificare Filium, & honorificare Patrem. Pater autem dicit, I. Reg. ii. 30. „ Qui glorificaverit me, glorificabo eum &c. “ Qui ergo miniſtrat Ieſu,

non ſua quærens, ſed quæ Ieſu Chriſti, honorificabit eum Pater Ieſu. Non autem dixit, Ego honorificabo eum, ſed *Pater meus*, quia nondum opinionem de eo habebant, quod ſcilicet eſſet æqualis Patri. Vel dicendum, quod hæc dicit in ſignum maioris familiaritatis, inquantum ab eodem honorificabuntur a quo & Filius. Nam honorem quem habet Filius per naturam, ipſi habebunt per gratiam. Unde Auguſtinus dicit: „ Maiorem honorem non poterit recipere adoptatus, „ quam ut ſit ubi eſt unicus. “ Rom. VIII. 29. „ Quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in „ multis fratribus. “

L E C T I O V.

(a) NUnc anima mea turbata eſt.

(b) Et quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum.

(c) Venit ergo vox de cælo, dicens: Et clarificavi, & iterum clarificabo.

(d) Turba ergo quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum. Alii autem dicebant: Angelus ei locutus eſt.

(e) Reſpondit Ieſus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.

(f) Nunc iudicium eſt mundi.

(g) Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.

(h) Et ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicebat ſignificans qua morte eſſet moriturus.

(a) SUpra actum eſt de gloria Chriſto exhibita a diverſis hominibus; hic agit de gloria Chriſto exhibita a Deo. Et primo ponitur huius gloriæ petitio; ſecundo ſubditur gloriæ promiſſio, ibi, *Venit ergo vox de cælo &c.* Circa primum duo facit. Primo præmittit animæ ſuæ affectionem; ſecundo proponit petitionem, ibi, *Et quid dicam? &c.* Sed attende circa primum quod eſt mirabile quod dicit: *Nunc anima mea turbata eſt*. Supra enim fideles ſuos exhortatus eſt animam ſuam in hoc mundo odio habere; & nunc imminente morte audivimus ipſum Dominum dicentem: *Nunc anima mea turbata eſt*. Propter quod Auguſtinus dicit: „ Domine, ſe„ qui iubes animam meam, turbari video ani„ mam tuam: quale fundamentum quæram, „ ſi petra ſuccumbit? “ Et ideo videndum eſt primum quid ſit hæc turbatio in Chriſto; ſecundo quare voluit eam ſubire.

Sciendum eſt autem quantum ad primum, quod proprie dicitur turbari aliquid quando commovetur: unde & mare commotum, dicimus eſſe turbatum. Quandocumque ergo aliquid excedit modum ſuæ quietis & tranquillitatis, tunc illud dicitur turbari. In anima autem humana eſt pars ſenſitiva, & pars rationalis. In ſenſitiva quidem parte animæ accidit turbatio, quando aliquibus motibus commovetur; puta cum timore contrahitur, ſpe elevatur, gaudio dilatatur, ſeu aliqua alia paſſione afficitur. Sed hæc quidem turbatio quandoque quidem ſub ratione ſiſtit; quandoque vero limitem rationis excedit, cum ſcilicet ipſa ratio perturbatur: quod quidem pluries in nobis contingit; ſed in Chriſto hoc locum non habet, cum ſit ipſa ſapientia Patris; nec etiam in aliquo ſapiente: unde ſententia Stoicorum eſt, quod ſapiens non turbatur, ſcilicet quantum ad rationem. Secundum hoc ergo eſt ſenſus: *Nunc anima mea turbata eſt*; ideſt, affecta eſt paſſionibus timoris, & triſtitiæ, quantum ad ſenſitivam; quibus tamen ratio non (*a*) turbabatur nec ſuum ordinem deſerebat. Marc. XIV. 33. „ Cœ„ pit Ieſus pavere, & tædere. “ Huiuſmodi autem paſſiones aliter ſunt in nobis, & aliter fuerunt in Chriſto. In nobis enim ſunt ex neceſſitate, inquantum quaſi ab extrinſeco commovemur, & afficimur; in Chriſto autem non ſunt ex neceſſitate, ſed ex imperio rationis, (*b*) cum in eo nulla paſſio fuerit, niſi quam ipſe concitavit: nam intantum inferiores vires erant ſubditæ rationi in Chriſto quod nihil agere, & pati poterant niſi quod eis ratio ordinabat: & ideo dicitur ſupra XI. 33. quod Ieſus *infremuit ſpiritu, & turbavit ſemetipſum*. Pſal. LIX. 4. „ Commoviſti „ terram (ideſt, humanam naturam) & tur„ baſti eam. “ Sic ergo turbata eſt anima Chri-

(a) *Al.* turbatur. (b) *Al.* cum nulla paſſio fuerit.

Chriſti quod nec contra rationem, ſed ſecundum rationis ordinem turbatio in eo fuit.

Quantum ad ſecundum autem ſciendum eſt, quod Dominus turbari voluit propter duo. Primo quidem propter fidei documenta, ut ſcilicet veritatem humanæ naturæ approbaret: & ideo iam ad paſſionem appropinquans omnia humanitus agit. Secundo propter exemplum: nam ſi omnia conſtanter egiſſet, & nullam paſſionem ſenſiſſet in anima, non fuiſſet ſufficiens exemplum ad mortem ſuſtinendam hominibus; & ideo turbari voluit, ut cum turbamur, non recuſemus mortem ſuſtinere, nec deficiamus. Hebr. IV. 15. „ Non habemus Pontificem qui non poſſit (*a*) compati infirmitatibus noſtris, tentatum per „ omnia, pro ſimilitudine abſque peccato. “ Unde ex hoc apparet continuatio cum præcedentibus: quia enim dixerat: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam aeternam cuſtodit eam*: in quo ad paſſionem diſcipulos exhortatus fuerat: ne dicant aliqui: O Domine, ſecurus potes diſputare, (*b*) & philoſophari de morte, qui extra dolores humanos exiſtens, propter mortem non turbaris: & ideo ut hoc excluderet, turbari voluit. Hæc autem Chriſti turbatio naturalis fuit: nam ſicut anima naturaliter amat corporis unionem, ita & naturaliter refugit eius ſeparationem, præſertim cum ratio Chriſti permiſerit agere animæ, & viribus inferioribus quæ eis propria erant.

Propter hoc etiam quod dicit, *Nunc anima mea turbata eſt &c.* deſtruitur error Arrii, & Apollinaris dicentium, in Chriſto non eſſe animam, ſed Verbum loco eius.

(b) Conſequenter ponit Dominus petitionem gloriæ dicens: *Et quid dicam? Pater ſalvifica me ex hac hora*: ubi Dominus transfert ad ſe affectum hominis turbati: ad cuius modum quatuor circa ſuam petitionem facit: primo enim ponit quæſtionem deliberantis; ſecundo proponit petitionem, quæ ex uno motu procedit; tertio per rationem illum motum excludit; quarto ponit aliam petitionem ex alio motu cauſatam. Quæſtionem autem dubitantis proponit, quia naturale eſt hominibus in anguſtiis conſtitutis, quod deliberent: unde Philoſophus in Rhetoricis dicit, quod timor facit conſiliativos. Ideo Chriſtus poſt manifeſtationem ſuæ turbationis, ſtatim ſubdit: *Et quid dicam?* quaſi diceret: Quid faciendum eſt poſt turbationem? Simile habetur in Pſal. LIV. 6. „ Timor & tremor venerunt ſuper me. “ Et ſtatim ſequitur: „ Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, „ & volabo, & requieſcam? “ Nam & anguſtiati, & paſſione turbati gravantur, & auxilium quærunt quo liberentur. Petitionem ex uno motu cauſatam ponit: quia cum quis eſt in ambiguo quid agere debeat, debet recurrere ad Deum. II. Paralip. XX. 12. „ Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc „ ſolum habemus refugii, ut oculos noſtros „ dirigamus ad te, Deus noſter. “ Pſal. CXX. 1. „ Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. “ Et ideo ad Patrem recurrens, dicit: *Pater ſalvifica me*; ideſt, libera me a tribulatione quæ imminet in hora paſſionis. Pſal. LXVIII. 1. „ Salvum me fac „ Domine, quoniam intraverunt aquæ uſque „ ad animam meam. “ Et, ut Auguſtinus dicit, idem eſt quod hic Dominus dicit, *Nunc anima mea turbata eſt*, & *Pater ſalvifica me*, cum eo quod dicit, Matth. XXVI. 38. „ Triſtis „ eſt anima mea uſque ad mortem. “

Sed notandum, quod hæc petitio non proponitur ex proprio motu rationis; ſed ipſa ratio quaſi advocata loquitur in perſona naturalis affectionis, quæ deſiderabat non mori: & ideo ratio deſignat motum affectionis naturalis in hac petitione. Ex quo ſolvitur quæſtio quæ fieri conſuevit: quia, ut dicitur ad Hebr. V. 7. „ In omnibus exauditus eſt pro ſua „ reverentia. “ Et tamen in hoc quod petiit, non fuit exauditus. Ad quod dicendum, quod in illis eſt exauditus quæ ipſa ratio ex parte ſua petebat, & ut exaudienda. Hoc autem quod hic petit, non proponit ex parte ſua, nec ut exaudienda, ſed ut exprimens naturalem affectum: & ideo, ſecundum Chryſoſtomum, legitur interrogative. *Et quid dicam? Numquid hoc, Pater ſalvifica me ex hac hora?* quaſi diceret, non dicam hoc. Petitionem autem hanc ex motu naturalis appetitus propoſitam repellit, dicens: *Propterea veni in horam hanc*; quaſi diceret: Non eſt iuſtum ut liberer ex hac hora paſſionis, quia ideo veni ut paterer, non fatali neceſſitate ductus, non humana violentia coactus; ſed ſponte oblatus. Eſa. LIII. 7. „ Oblatus eſt, „ quia ipſe voluit. “ Supra X. 18. *Nemo tollet eam*, ſcilicet animam meam, *a me*; *ſed ego pono eam*. Petitionem autem ſuam proponit ratio, cum dicit: *Pater clarifica nomen tuum*. Ubi per nomen tuum poſſumus duo intelligere. Scilicet ipſum Filium. Nomen enim a notitia dicitur, quaſi notamen: unde nomen eſt (*c*) quo manifeſtatur res; Filius autem manifeſtat Patrem. Infra XVII. 6. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Et de hoc nomine dicitur Eſa. XXX. 27. „ Ecce nomen Domi- „ ni

(a) *Al.* comparari. (b) *Al.* prophetari. (c) *Al.* quo manifeſtat Patrem

„ ni venit de longinquo. “ Eſt ergo ſenſus : *Pater clarifica nomen tuum*, ideſt Filium tuum. Infra XVII. 5. *Clarifica me, Pater, claritate quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te*. Vel nomen Domini eſt noticia Patris; & tunc eſt ſenſus: Fac hoc, *Pater clarifica nomen tuum*; ideſt, fac illud quod gloria eſt tui nominis; & in idem redit: quia clarificato Filio, clarificatum eſt nomen Patris. Ideo autem hoc dicit, quia paſſione Filius glorificandus erat. Philip. II. 8. „ Factus eſt obediens (Patri) „ uſque ad mortem, mortem autem crucis. „ Propter quod & Deus exaltavit illum. “ Quaſi dicat : Affectus naturalis petit ut ſalver; ſed ratio petit nt clarificetur nomen tuum; ideſt, ut Filius patiatur : quia ſcilicet paſſione Chriſti notitia Dei clarificanda erat : nam ante paſſionem Deus notus erat in Iudæa tantum, & in Iſrael magnum nomen eius; ſed poſt paſſionem ſuam nomen eius clarificatum eſt in Gentibus.

(c) Conſequeuter cum dicit, *Venit ergo vox de cælo &c.* ponitur gloriæ promiſſio : & primo inducitur vox gloriam promittentis; ſecundo ponitur opinio turbæ devotæ dubitantis, ibi, *Turba autem quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum factum eſſe*; tertio ponitur expoſitio prolatæ vocis, ibi, *Reſpondit Ieſus, & dixit : Non propter me hæc vox venit*. Dicit ergo quantum ad primum : *Venit ergo vox de cælo*. Vox iſta, vox eſt Dei Patris, ſicut illa quæ ſupra Chriſtum baptizatum, Matth. III. 17 „ Hic eſt Filius meus dilectus. “ Et ſimiliter quæ venit ſuper eum transfiguratum, Matth. XVII. Licet autem omnis talis vox formata ſit virtute totius Trinitatis, ſpecialiter tamen formatur ad repræſentandum perſonam Patris: unde & vox Patris dicitur: ſicut columba formata eſt a tota Trinitate, ad ſignificandum perſonam Spiritus ſancti; & ſimiliter corpus Chriſti a tota Trinitate formatum eſt, ſed ſpecialiter a perſona Verbi aſſumptum, quia ad hoc formatum eſt ut ei uniretur. Vox ergo iſta duo facit. Primo manifeſtat præteritum, dicens, *Et clarificavi*; ideſt, clarum genui ab æterno: quia Filius non eſt niſi quædam claritas, & ſplendor Patris. Sap. VII. 26. „ Candor eſt lucis æternæ, & „ ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis. “ Hebr. I. 3. „ Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & „ figura ſubſtantiæ eius. “ Vel *clarificavi*, in nativitate, quando Angeli cecinerunt : „ Glo„ria in excelſis Deo : “ Luc. II. 14. & in miraculis per eum factis. Secundo prænuntiat futurum: *Et iterum clarificabo*, in paſſione, in qua triumphavit de diabolo, & in reſurrectione, & aſcenſione, & in totius mundi converſione. Actor. III. 13. „ Deus pa„trum noſtrorum clarificavit Filium ſuum „ Ieſum. “

(d) Opinio turbæ dubitantis de voce ponitur, cum dicit : *Turba ergo quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum* : in qua qnidem turba, & in omni turba quidam erant groſſioris, & tardioris intellectus, quidam vero acutioris; quamvis omnes imperfecte ſe haberent ad ipſius vocis cognitionem. Nam deſidioſi, & carnales non perceperunt vocem ipſam niſi quantum ad ſonum; & ideo dicebant, *tonitruum factum eſſe*; ſed non uſquequaque decipiebantur : vox enim Domini tonitruum erat, tum quia mirabilem ſignificationem habebat, tum quia maxima continebat. Iob XXVI. 14. „ Cum vix parvam ſcintillam „ ſermonum eius audierimus, quis poterit „ tonitruum magnitudinis illius intueri ? “ Pſal. lxxvi. 14. „ Vox tonitrui tui in rota. “ Acutiores vero perceperunt de ipſa voce quod eſſet ſonus vocis articulatæ, & ſignificativæ: unde dixerunt eam eſſe locutionem. Sed credentes Chriſtum eſſe purum hominem, defecerunt, locutionem illam Angelo tribuentes: unde dicebant : *Angelus ei locutus eſt* : qui quidem ſimilia patiebantur diabolo, qui credebat Chriſtum Angelorum adminiculo indigere: unde dicebat, Matth. IV. „ Angelis ſuis „ mandavit de te, & in manibus tollent te. “ Non enim Angelorum cuſtodia indiget, & adiutorio; ſed ipſe Angelos glorificat, & cuſtodit.

(e) Expoſitio vocis ſubditur, cum dicit : *Reſpondit Ieſus, & dixit &c.* Et primo exponit vocem prolatam; ſecundo ponit contradictionem, ibi, *Reſpondit ei turba*; tertio ſubdit Domini reſponſionem, ibi, *Dixit ergo eis Ieſus*. Circa primum duo facit. Primo ponit cauſam vocis; ſecundo ſubdit eius ſignificationem, ibi, *Nunc iudicium eſt mundi &c.* Sciendum eſt circa primum, quod quia dixerant : *Angelus locutus eſt ei* : Angelus autem loquitur alicui revelando ad utilitatem eius cui loquitur, ſicut patet Apocal. I. & Ezech. I. ideo Dominus oſtendens ſe non indigere alicuius vocis, ſeu angelicæ revelationis adminiculo, dicit : *Non propter me*, ſcilicet inſtruendum, *venit hæc vox, ſed propter vos*. Nihil enim ſignificavit quod ipſe ante neſciret: quia „ in ipſo ſunt omnes theſauri ſapien„tiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi : “ Coloſs. II. 3. ita ut noverit omnia quæ Pater novit. *Sed propter vos venit*, ſcilicet inſtruendos. In quo datur intelligi, quod multa diſpenſative circa Chriſtum propter nos facta ſunt, non quod eis Chriſtus indigeret. Rom. XV. 4. „ Quæ„cumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam „ ſcripta ſunt. “

(f) Con-

Digitized by Google

(f) Conſequenter cum dicit, *Nunc iudicium eſt mundi*, ponit vocis ſignificationem: & primo ponit iudicium quo erat glorificandus; ſecundo ſubdit iudicii effectum, ibi, *Nunc princeps mundi huius eiicietur foras*; & tertio clarificationis modum, ibi, *Et ſi ego exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*. Dicit ergo: *Nunc iudicium eſt mundi*.

Sed ſi hoc eſt, quid ergo expectamus quod Dominus veniat iterum iudicaturus? Ad quod dicendum, quod iam venit ad iudicandum iudicio diſcretionis, quo diſcerneret ſuos a non ſuis. Supra IX. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni*: & de hoc dicit: *Nunc iudicium eſt mundi*. Sed venturus eſt ad iudicandum iudicio condemnationis, ad quod primo non venit. Supra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut* (*a*) *iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*. Vel dicendum, quod duplex eſt iudicium. Unum quo condemnatur mundus, & de hoc non dicitur hic: aliud eſt iudicium mundi quo iudicatur pro mundo, inquantum mundus a ſervitute diaboli liberatur. Hoc modo intelligitur illud Pſal. XXXIV. 1. „ Iudica Domine nocentes „ me, expugna impugnantes me &c. “ Et hæc duo in idem redeunt, quia hoc ipſo quod iudicatur pro mundo, excluſo diabolo, diſcernuntur boni a malis.

(g) Effectus iudicii eſt excluſio diaboli: unde dicit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, per virtutem paſſionis Chriſti: unde ſua paſſio eſt eius clarificatio; ut quaſi per hoc exponat quod dicit, *Et clarificabo*, inquantum ſcilicet *princeps huius mundi eiicietur foras*, quaſi per paſſionem victoriam de diabolo habeat. I. Ioan. III. 8. „ In hoc apparuit „ Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli. “

Sed circa hoc dubitatur de tribus. Primo de hoc quod dicit diabolum principem huius mundi: ex quo Manichæi dicunt eum creatorem, & dominum omnium viſibilium. Ad hoc dicendum, quod diabolus dicitur princeps mundi huius, non naturali dominio, ſed uſurpatione, inquantum homines mundani, contempto vero Domino, ſe ſibi ſubdiderunt. II. Corinth. IV. 4. „ Deus huius ſæculi excæ„ cavit mentes infidelium. “ Eſt ergo princeps mundi huius, inquantum in mundanis hominibus principatur, ut Auguſtinus dicit, qui toto orbe terrarum diffuſi ſunt. Nam nomen mundi quandoque accipitur in malam partem pro hominibus mundum amantibus: ſupra I. 10. *Mundus eum non cognovit*: quandoque autem in bonam pro bonis hominibus (*b*) ſic in mundo viventibus ut tamen eorum converſatio ſit in cælis. II. Corinth. V. 19. „ Deus „ erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. “

Secundo dubitatur de hoc quod dicit, *Eiicietur foras*: nam ſi eiectus eſſet foras, non ita tentaret nunc ſicut ante tentabat, cum tamen tentare non deſierit: non ergo eiectus eſt. Ad quod dicendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod licet diabolus tentet homines qui deſierunt eſſe de mundo, non tamen eo modo tentat quo prius: (*c*) quia tunc tentabat, & regnabat ab interiori; ſed poſtmodum ab exteriori tantum. Nam quamdiu homines ſunt in peccato, tunc regnat ab interiori, & tentat. Rom. VI. 12. „ Non regnet „ peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis eius. “ Sic ergo eiectus eſt foras, quia effectus peccati in homine non eſt ab interiori, ſed ab exteriori.

Tertio quæritur de hoc quod dicit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*: ex quo videtur ſequi quod ante paſſionem Chriſti non erat eiectus foras, & per conſequens cum tunc eiiciatur foras quando homines liberantur a peccatis, quod Abraham, Iſaac, & alii veteris teſtamenti non fuerunt liberati a peccato. Ad quod dicendum eſt, ſecundum Auguſtinum, quod ante paſſionem Chriſti eiectus erat a ſingularibus perſonis, ſed non a mundo, ſicut poſt. Nam illud quod tunc in pauciſſimis hominibus factum eſt, nunc in multis magniſque populis Iudæorum, & Gentium ad Chriſtum converſis, virtute paſſionis Chriſti factum eſſe dignoſcitur. Vel dicendum, quod diabolus eiicitur per hoc quod homines liberantur a peccato; ſed ante paſſionem Chriſti, omnes iuſti liberati erant a peccato, ſed non totaliter, quia adhuc detinebantur ne introducerentur in regnum: & quantum ad hoc in eis aliquid iuris habebat, quod tamen per paſſionem Chriſti totaliter ſublatum eſt, quando flammeus gladius amotus eſt, quando dictum eſt homini (Luc. XXIII. 43.) „ Hodie „ mecum eris in paradiſo. “

(h) Modus autem paſſionis eſt per exaltationem: unde dicit: *Et ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*. Circa quod ſciendum, quod Chryſoſtomus utitur tali exemplo: quod ſi aliquis tyrannus, qui conſueviſſet aliquos ſubditos opprimere, ferire, & in vincula mittere, deinde ex eadem dementia etiam eum qui in nullo ſibi ſubditur eodem modo afficiat, ut in eumdem carcerem ducat; merito hoc etiam aliorum qui ſibi ſubiiciebantur dominio privari debet: ita & Chriſtus contra diabolum fecit. Diabolus enim propter peccatum primi parentis, aliquod ius habebat

(a) Al. *iudicaret*. (b) *Al.* ſicut hoc in mundo. (c) *Al. deeſt* quia.

Digitized by Google

bat in hominibus: unde poterat aliquo modo iuſte in eos ſævire. Quia vero etiam in Chriſto, in quo nullum ius habebat, ſimilia tentare auſus eſt, dum eum tentator invaſit in quem non habebat quicquam, ut dicitur infra XIII. ideo (*a*) dignum fuit ut etiam dominio privaretur per mortem Chriſti. Et hoc (*b*) eſt quod dicit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. Ubi primo præmittit modum mortis; ſecundo Evangeliſta exponit quod dicit, ibi, *Hoc autem dicebat ſignificans qua morte eſſet moriturus*. Modus autem mortis eſt per exaltationem in ligno crucis. Expoſitio autem eſt, quod in hoc ſignavit *qua morte eſſet moriturus*.

Sciendum eſt autem quod duplici de cauſa Dominus voluit mori morte crucis. Una quidem propter mortis turpitudinem. Sapient. II. 20. „ Morte turpiſſima condemnemus „ eum. “ Unde & Auguſtinus dicit: „ Ideo „ hoc modo Dominus mori voluit, ut homi- „ nem neque ipſa mortis turpitudo a perfe- „ ctione iuſtitiæ repellat. “ Secundo quia ſic mors eſt per modum exaltationis: unde & Dominus dicit: *Si exaltatus fuero*. Quod quidem genus mortis conveniebat fructui, cauſæ, & figuræ paſſionis. Fructui quidem, quia per paſſionem erat exaltandus. Philip. II. 8. „ Factus eſt obediens uſque ad mortem, „ mortem autem crucis: propter quod Deus ex- „ altavit illum, & donavit illi nomen quod „ eſt ſuper omne nomen. “ Et ideo Pſal. XX. 14. dicebat: „ Exaltare, Domine, in vir- „ tute tua. “ Cauſæ vero paſſionis conveniebat dupliciter: quia & (*c*) ex parte dæmonis, & ex parte hominum. Ex parte quidem hominum, quia pro ipſorum ſalute moriebatur; ipſi autem perierant, quia deiecti, & demerſi erant ad terrena. Pſal. XVI. 11. „ Statuerunt oculos ſuos declinare in terram. “ Voluit ergo mori exaltatus, ut corda noſtra ad cæleſtia elevaret. Sic enim ipſe eſt via noſtra in cælum. Ex parte vero dæmonum, ut ſcilicet eos qui in aere principatum, & poteſtatem exercebant, ipſe elevatus in aera conculcet. Figuræ vero conveniebat, quia Dominus fieri præcepit ſerpentem æneum in deſerto, ut habetur Num. 21. Supra III. 14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis &c.* Sic ergo exaltatus *omnia traham*, per caritatem, *ad meipſum*. Hierem. XXXI. 3. „ In caritate per- „ petua dilexi te, ideo attraxi te, miſerans. “ In hoc etiam maxime apparet caritas Dei ad hominem, inquantum pro ipſis mori dignatus eſt. Rom. V. 8. „ Commendat Deus ſuam ca- „ ritatem in nobis, quoniam cum adhuc pec- „ catores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus „ pro nobis mortuus eſt. “ In hoc complevit quod ſponſa petit Cant. I. 3. „ Trahe me poſt te, & curremus in odorem unguentorum tuo- „ rum. “

Notandum eſt autem quod trahit Pater, trahit & Filius. Supra VI. 44. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Ideo autem dicit hic, *Omnia traham*, ut oſtendat quod eadem eſt operatio utriuſque. Dicit autem, *Omnia*, non Omnes, quia non omnes trahuntur ad Filium. *Omnia*, inquam, *traham*, ideſt animam, & corpus. Vel omnia genera hominum, ſcilicet Gentiles, & Iudæos, ſervos, & liberos, mares, & feminas. Vel omnia prædeſtinata ad ſalutem.

Et notandum, quod hoc ipſum quod dicit omnia trahere ad ſeipſum, eſt principem huius mundi foras eiicere: non enim eſt conventio Chriſti ad Belial, nec lucis ad tenebras. (II. Corinth. VI.)

LECTIO VI.

(a) RESpondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Et quis eſt Filius hominis?

(b) Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum lumen in vobis eſt.

(c) Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.

(d) Et qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat.

(e) Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis.

(f) Hæc locutus eſt Ieſus, & abiit, & abſcondit ſe ab eis.

(a) POſita promiſſione de glorificatione Domini, & expoſitione vocis, hic conſequenter ponitur dubitatio turbæ: ubi primo introducit auctoritatem legis; ſecundo ex ea dubitationem movet, ibi, *Et quomodo tu dicis &c.* Dicit ergo quantum ad primum: Reſpon-

(a) *Al.* ſignum. (b) etiam *Al.* . (c) *Al.* ex parte quidem dæmonis.

Reſpondit ei turba, ſcilicet Domino de ſua morte loquenti: *Nos audivimus ex lege*. Lex hic accipitur communiter pro tota Scriptura veteris teſtamenti, *quod Chriſtus in æternum manet*. Et hoc poteſt ex multis locis veteris teſtamenti haberi, & præcipue Eſai. IX. 7. „ Multiplicabitur eius imperium, (*a*) & pacis non erit finis. “ Daniel. VII. 14. „ Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, „ & regoum eius quod non corrumpetur. “ Et ex hac auctoritate duas dubitationes formant: unam de facto, aliam de perſona. De facto, cum dicunt: *Quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis?*

Sed cum Chriſtus non dixerit, *Opertet exaltari Filium hominis*; ſed *Ego ſi exaltatus fuero &c.* quomodo Iudæi dicunt: *Oportet exaltari Filium hominis?* Sed dicendum, quod Iudæi iam aſſueti erant (*b*) verbis Domini: unde memoriter tenuerunt, quod dicebat ſe eſſe Filium hominis. Ideo cum dixit: *Ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*: pro eodem intellexerunt ac ſi dixiſſet: Si Filius hominis eſſet exaltatus: ut Auguſtinus dicit. Vel dicendum, quod licet hic non fecerit mentionem de Filio hominis, tamen ſupra III. 14. hoc dixit: *Oportet*, inquam, *exaltari Filium hominis*.

Sed videtur hoc quod ipſi dicunt, *Oportet exaltari Filium hominis*, in nullo contrariari ei quod dixerat, *quod Chriſtus manet in æternum*. Sed dicendum ad hoc, quod quia Dominus conſueverat eis parabolice loqui; ideo multa eorum quæ dicebantur, intelligebant. Unde & hoc quod Dominus dixit, exaltationem in mortem crucis ſuſpicati ſunt. Supra VIII. 28. *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum*. Vel dicendum, quod hoc ideo intellexerunt, quia iam id facere cogitabant. Unde eis verborum iſtorum intellectum non aperuit acumen ſcientiæ, ſed ſtimulata conſcientia malitiæ.

Sed attende eorum malitiam: quia non dicunt: *Nos audivimus ex lege*, quod Chriſtus nihil patitur: nam in multis locis de paſſione, & reſurrectione eius agitur, ſicut illud Eſa. LIII. 7. „ Tamquam ovis ad occiſionem ducetur: “ & illud Pſal. III. 6. „ Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi. “ Sed dicunt: *Quoniam Chriſtus manet in æternum*. Cuius ratio eſt, quia in hoc nulla fuiſſet contrarietas, cum immortalitati Chriſti ex paſſione eius nullum factum fuiſſet impedimentum. Volebant enim oſtendere eum ideo non eſſe Chriſtum, *quoniam Chriſtus manet in æternum*: ut Chryſoſtomus dicit.

De perſona autem quæſtionem movent, cum dicunt: *Quis eſt iſte Filius hominis?* Hoc ideo quærunt, quia Dan. VII. 13. dicitur: „ Vidi, & ecce quaſi „ Filius hominis veniebat, & uſque ad an„ tiquum dierum pervenit: “ quia per illum Filium hominis intelligebant Chriſtum; quaſi dicerent: Dicis, quod oportet exaltari Filium hominis; & Filius hominis, quem intelligimus Chriſtum, manet in æternum: *quis eſt* ergo *iſte Filius hominis?* Si non manet in æternum, nec eſt Chriſtus. In hoc autem reprehendenda eſt eorum tarditas: quia adhuc dubitant poſt tot viſa, tot audita, an ipſe eſſet Chriſtus. Eccli. XXII. 9. „ Cum dormien„ te loquitur qui narrat ſtulto ſapientiam. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Dixit ergo eis Ieſus &c.* ſatisfacit Dominus eorum dubitationi aliqualiter: & primo commendat bonum quod habebant; ſecundo hortatur eos ad profectum, ibi, *Ambulate dum lucem habetis*; tertio admonitionem exponit dicens: *Dum lucem habetis, credite in lucem*. Dixit ergo eis Ieſus: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt*. Quod quidem poteſt dupliciter legi. Uno modo, ſecundum Auguſtinum, ut ſcilicet *modicum* ſit adiectivum determinans hoc quod dicit, *lumen*; quaſi dicat: Quoddam lumen in vobis eſt, inquantum recognoſcitis quod Chriſtus manet in æternum. Hæc enim veritas quædam eſt; omnis autem manifeſtatio veritatis eſt quoddam lumen infuſum a Deo. Sed tamen lumen iſtud, quod eſt in vobis, *modicum eſt*: quia licet cognoſcatis Chriſti æternitatem, eius tamen mortem, & reſurrectionem non creditis: in quo patet quod non habetis fidem perfectam. Iſtis ergo convenit quod dictum eſt Petro, Matth. XIV. 31. „ Modicæ „ fidei, quare dubitaſti? “ Secundum Chryſoſtomum vero dicitur: *Adhuc modicum*, ſcilicet tempus extat, quod *lumen in vobis eſt*, ideſt ego, qui ſum lumen; quaſi diceret: Parvo tempore ego lux vobiſcum ſum. Infra XVI. 16. *Modicum & iam non videbitis me*.

(c) Et ideo conſequenter exhortatur eos ad complementum, & profectum boni: & primo ponit ſuam exhortationem; ſecundo oſtendit periculum imminens, niſi proficiant, ibi, *Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat*. Dicit ergo: Dico quod modicum lumen habetis; tamen dum illud habetis, *ambulate*; ideſt accedite, & proficite, ut ſimul cum æternitate intelligatis moriturum Chriſtum, & reſurrecturum. Et hoc ſecundum primam expoſitionem. Vel *ambulate dum lucem habetis*; ideſt, dum vobiſcum ſum, proficite, & ſatagite ſic me habere ut numquam perdatis.

(a) *Al.* & pacis eius &c. (b) *Al.* in verbis.

Pſal. lxxxviii. 16. „ Domine, in lumine vul„ tus tui ambulabuot." Et hoc *ne tenebræ*, infidelitatis, ignorantiæ, & perpetuæ damnationis, *vos comprehendant*; & ſic ulterius procedere non poſsitis. Tunc eoim homo comprehenditur (*a*) tenebris quando totaliter in infidelitate demergitur: quod eſſet, ſi eo modo credideritis Chriſti æternitatem ut negetis in eo mortis humilitatem. Iob iii. 23. „ Vi„ ro cui abſcondita eſt via. " Ibid. xxxvii. 19. „ Omnes involvimur quippe tenebris. "

(d) Periculum imminens niſi proficiant, ſubdit dicens: *Et qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat*. Nam lumen ſioe exterius, ſive interius dirigit homioem. Exterius quidem dirigit quantum ad exteriores actus corporales; ſed interius dirigit ipſam voluntatem. Qui ergo non ambulat in luce, non perfecte credendo in Chriſtum, ſed *ambulat in tenebris, neſcit quo vadit*; ideſt, ad quem terminum dirigatur. Pſal. lxxxi. 5. „ Neſci„ erunt, neque iotellexerunt: in tenebris „ ambulant. " Quod quidem & ipſis Iudæis contingit: quia neſciunt quid agant; ſed ut in tenebris ambulantes, putant quidem rectam incedere viam, & unde Deo placere credunt, magis diſplicent. Similiter & hæretici errantes, unde mereri credunt lumen veritatis, & gratiæ, privari potius demerentur. Proverb. xiv. 12. „ Eſt via quæ videtur „ homini recta; noviſsima autem eius dedu„ cunt ad mortem. "

(e) Conſequenter cum dicit, *Dum lucem habetis, credite in lucem*, exponit quod dixit, ſcilicet quid ſit ambulare: & hoc dupliciter, ſecundum duas præmiſſas expoſitiones. Primo ſecundum primam: *Dum lucem habetis*; ideſt, dum aliquid habetis de notitia, & lumine veritatis; *credite in* (*b*) *lucem*, ideſt in veritatem perfectam, *ut filii lucis ſitis*; ideſt, ut renaſcamini veritati. I. Theſſal. v. 6. „ Non „ ſumus noctis, neque tenebrarum: igitur „ non dormiamus. " Vel ſecundum aliam expoſitiooem: *Dum lucem habetis*, ideſt me qui ſum lux: ſupra 1. 9. *Erat lux vera qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: *credite in lucem*, ideſt in me; hoc eſt, proficite in cognitione mea; *ut filii lucis ſitis*: quia ex hoc quod creditis in me, eritis filii Dei. Supra 1. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*.

(f) Hic Evangeliſta narrat factum quod fecit Ieſus, ſcilicet quod abſcondit ſe.

Sed cum ſupra viii. legerimus, Chriſtum hoc idem feciſſe, in promptu eſt ratio, quia tulerunt lapides, ut iacerent in eum; ſed hic ſuæ abſcooſionis nulla ratio aſſignatur, ut cum nec lapides levareot, nec eum blaſphemarent: quare ergo abſcondit ſe? Ad quod dicendum, quod Dominus ſcrutans eorum corda, cognovit ſurorem, & malitiam eorum, quam iam conceperant de eo occidendo. Unde volens eos prævenire, non expectavit ut in opus exireot, ſed abſcondendo ſe, eorum invidiam, & iracundiam mitigavit. In quo nobis dedit exemplum, ut cum de aliquorum malitia nobis conſtat, iam antequam patrare opere tentent, fugere debemus. Nihilominus tamen Dominus oſtendit facto quod dixit verbo: dixerat enim: *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant*. Has tenebras cuiuſmodi ſint, inſinuavit per ſuam abſconſionem. Eſa. viii. 17. „ Expectabo eum „ qui abſcondit ſe a domo Iacob. "

LECTIO VII.

(a) CUm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum,

(b) Ut ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?

(c) Propterea non poterant credere.

(d) Quia iterum dixit Eſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.

(e) Hæc dixit Eſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.

(a) SUpra Evangeliſta tractavit multipliciter de gloria Chriſti, ex qua Iudæi ex iovidia commoti ſunt ad occidendum eum; hic agit de alia occaſiooe paſſionis eius, ſcilicet de infidelitate Iudæorum. Et primo tangitur eorum infidelitas; ſecundo ipſa reprehenditur a Domioo, ibi, *Ieſus autem clamavit &c.* Circa primum duo facit. Primo reprehendit infidelitatem omnino non credentium; ſecundo infidelitatem eorum qui credebant, tamen in occul-

(a) *Al.* in tenebris. (b) Al. *lumen*.

occulto, ibi, *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum*. Circa primum duo facit. Primo proponit eorum mirabilem infidelitatis duritiam; ſecundo ne credatur irrationabiliter, vel ſortuito factum, inducit prophetiam, ibi, *Ut ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur*. Dicit ergo Evangeliſta, quaſi admirans: Dictum eſt, quod Dominus multa ſigna fecit, puta quod aquam mutavit in vinum, ſupra II. quod paralyticum curavit, ſupra V. quod illuminavit cæcum, ſupra IX. quod reſuſcitavit mortuum, ſupra XI. & tamen *cum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum*. Conſueverunt ergo dicere (ſupra VI. 30.) *Quod ſignum oſtendis nobis, ut credamus tibi?* Sed ecce quod Evangeliſta dicit: *Cum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum*. Infra XV. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Unde non poterant dicere illud Pſal. LXXIII. 9. „ Signa „ noſtra non vidimus. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Ut ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur*, introducuntur ad hoc teſtimonia Prophetarum: & primo introducuntur prophetiæ; ſecundo oſtenditur quod de Chriſto loquuntur, ibi, *Hæc dixit Eſaias &c.* Circa primum duo facit. Primo inducit prophetiam prædicentem eorum infidelitatem; ſecundo ſubdit prophetiam prædicentem infidelitatis cauſam, ibi, *Propterea non poterant credere*. Dicit ergo: Dico quod non credebant in eum, *ut ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur &c.*

Ubi ſciendum eſt, quod ly *ut* in ſacra Scriptura quandoque accipitur cauſaliter, ſicut illud ſupra X. 10. *Ego veni ut vitam habeant*; quandoque autem tenetur conſecutive, & ſignificat eventum futurum: & ſic accipitur hic. Non enim ideo non credebant, quia prædixerat (a) Eſaias; ſed quia non erant credituri, ideo prædixit: unde ex non credentibus ſermo Eſaiæ impletur. Luc. ult. 44. „ Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt. “ Matth. V. 18. „ Iota unum, aut unus apex „ non præteribit a lege, donec omnia fiant. “

Sed ſi neceſſe erat ut impleretur ſermo Eſaiæ, videtur quod Iudæi ſint excuſabiles de eo quod non crediderunt: non enim poterant facere contra prophetiam. Reſponſio. Dicendum, quod ſic prophetatum erat, ut eorum arbitrio uterentur: Deus enim futurorum præſcius eorum infidelitatem per prophetiam prædixit, non fecit: non enim propterea Deus quemquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam novit. Illud ergo (b) peccatum quod Iudæi fecerunt Dominus, quem nihil latet, facturos eos prædixit. Quid autem Propheta dicat, ſubiungit dicens: *Domine, quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?*

Ubi ſciendum eſt, quod duplex eſt modus credendi. Aliquando quidem per inſtructionem alterius; & hic eſt communis modus credendi. Rom. X. 17. „ Fides ex auditu; auditus „ autem per verbum Chriſti. “ Aliquando autem per revelationem divinam; & hic eſt ſingularis modus, de quo Apoſtolus dicit (Galat. I. 12.) „ Neque ab homine didici il„ lud, neque accepi, ſed per revelationem „ Ieſu Chriſti. “ Eſaias LIII. ergo prædixit quidem credentium raritatem, dicens: *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Et primo quantum ad modum communem, qui eſt per inſtructionem, cum dicit: *Quis credidit auditui noſtro?* Quod quidem habetur loc. cit. & poteſt dupliciter intelligi. Uno modo ut ſit ſenſus: *Quis credidit auditui noſtro?* quod ſcilicet nos audivimus a te. Abdiæ I. „ Au„ ditum audivimus a Domino exercituum „ &c. “ Pſal. LXXXIV. 9. „ Audiam quid lo„ quatur in me Dominus Deus. “ Quaſi dicant: Nos audivimus a te; ſed, Domine, quis credet nobis quæ de nativitate, & paſſione tua te loquente audivimus? Unde & totum illud capitulum Eſaiæ loquitur de his. Dicit autem Prophetas audire, ut inſinuet modum illuminationis Prophetarum. Nam per viſum accipit homo cognitionem immediate de re viſa; ſed per auditum non habetur immediate cognitio a re viſa, ſed ab aliquo ſigno illius rei. Quia ergo Prophetæ non immediate videbant eſſentiam divinam, ſed quædam ſigna divinorum, ideo dicit eos audire. Num. XII. 6. „ Si quis fuerit inter vos Propheta „ Domini, in viſione apparebo ei, vel per „ ſomnium loquar ad illum, “ quaſi per quædam ſigna. Filius autem æternaliter videt ipſam divinam eſſentiam. Supra I. 18. *Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. *Quis ergo credidit auditui noſtro?* ideſt, quis credidit his quæ audivimus, & narravimus? Eſa. XXI. 10. „ Quæ audivi a Domino exercituum Deo „ Iſrael, annuntiavi vobis. “ Alio modo *quis credidit auditui noſtro?* ideſt, his quæ a nobis audiunt. Ezech. XXXIII. 31. „ Audiunt ſer„ mones meos ex ore tuo, & non faciunt „ eos: quia in canticum oris ſui vertunt il„ los. “ Quantum autem ad modum ſingularem, qui eſt per revelationem, dicit: *Et brachium Domini cui revelatum eſt?* Brachium dicitur

Xxxx 2

(a) *Al.* deeſt Eſaias. (b) *Al.* per peccatum.

Digitized by Google

citur Filius, per quem Pater omnia operatur, ſicut bracbium hominis dicitur per quod homo operatur. Et ſi homo ſolo verbo interiori operaretur, tunc verbum eius poſſet dici brachium ſuum. Sic ergo dicitur brachium Dei, non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, & brachium habeat corporale; ſed quia *per ipſum omnia facta ſunt*: ſupra I. 3. Et Iob xl. 4. „Si habes brachium „ ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas? “ Luc. I. 51. „ Fecit potentiam in brachio ſuo, diſ„ perſit ſuperbos mente cordis ſui. “

Notandum ergo, quod ex hoc verbo occaſionem ſumpſit erroris ſui Sabellius, dicens, eamdem perſonam eſſe Patris, & Filii; & Arrius dicens, Filium eſſe Patre minorem. Non enim duæ perſonæ, ſed una eſt homo, & brachium eius; nec brachium homini æquale dici poteſt. Ad quod dicendum eſt, quod in talibus non eſt ſufficiens ſimilitudo: nam ea quæ in creaturis ſunt, non perfecte repræſentant ea quæ ſunt in Deo. Unde Dionyſius dicit, quod ſymbolica Theologia non eſt argumentativa. Non ergo dicitur brachium Filius quaſi eiuſdem perſonæ cum Patre ſit, vel minor eo; ſed quia per eum omnia operatur. Dicit ergo: *Et brachium Domini cui revelatum eſt?* quaſi dicat, paucis, ſcilicet ipſis Apoſtolis. I. Corinth. II. 10. „ Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum „ ſuum. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Propterea non poterant credere*, ponit prophetiam prædicentem infidelitatis cauſam. (*a*) Et ſi intendamus hæc verba Evangeliſtæ, videntur quidem ſecundum ſuperficiem litteræ habere obſcurum intellectum. Et primo quia ſi dicatur quod *propterea non poterant credere*, quia hoc dixit Eſaias, videntur Iudæi excuſabiles eſſe. Quod enim peccatum eſt hominis (*b*) non facientis quod non poteſt facere? Et, quod gravius eſt, in Deum culpa retorquetur, quod excæcavit oculos eorum. Tolerabile autem eſſet, ſi hoc de diabolo diceretur: quia, ut dicitur II. Corinth. IV. 4. „ Deus huius ſæculi „ excæcavit mentes infidelium. “ Sed hic dicitur de Domino noſtro. Nam Eſa. VI. I. dicit: „ Vidi Dominum ſedentem ſuper ſo„ lium excelſum. “ Et ſequitur (verſ. 10.) „ Excæca cor populi huius, & aures eius „ aggrava, & oculos eius claude, ne forte „ videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, „ & corde ſuo intelligat, & convertatur, „ & ſanem eum. “

Sed ad evidentiam huius, primo exponamus hoc quod dicit: (*c*) *Propterea non poterant credere*. Ubi ſciendum, quod aliquid dicitur impoſſibile vel neceſſarium dupliciter: abſolute ſcilicet, & ex ſuppoſitione. Abſolute quidem, ſicut impoſſibile eſt hominem eſſe aſinum; ex ſuppoſitione vero, ſicut impoſſibile eſt me eſſe extra domum, dum intus in ea ſedeo. Secundum hoc ergo dicendum, quod homo excuſatur, ſi non facit ea quæ abſolute ſunt ſibi (*d*) impoſſibilia; ſed ſi non facit ea ſi qua ſunt ſibi impoſſibilia ex ſuppoſitione, non excuſatur: ſicut ſi detur quod aliquis habeat malam voluntatem omnino ſurandi, & dicat impoſſibile ſibi (*e*) eſſe non peccare quamdiu voluntatem obſtinatam illam habeat, non excuſatur: quia huiuſmodi impoſſibilitas non eſt ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione: poteſt enim voluntatem malam diſponere. Dicit ergo: *Propterea non poterant credere*, quia ſcilicet habent (*f*) voluntatem obſcuratam in ſua malitia. Hier. XIII. 23. „ Quomodo ſcilicet poteſt AEthiops mutare „ pellem ſuam, & pardus varietates ſuas; & „ vos poteritis bene facere, cum didiceritis „ malum. “ Matth. XII. 34. „ Quomodo poteſtis „ bona facere, cum ſitis mali? “ Et ſimile eſt ſicut ſi dicerem de aliquo: Ego nullo modo poſſum eum diligere; ſed habeo eum odio. Quantum (*g*) ad ſecundum, ſciendum, quod excæcatio, & induratio Dei non intelligitur quaſi Deus immittat malitiam, vel ad peccandum impellat; ſed per hoc quod non infundat gratiam: quam quidem gratiam infundit ex ſua miſericordia; ſed cauſa huius quod non infundit, eſt ex parte noſtra, inquantum ſcilicet in nobis eſt aliquid gratiæ divinæ repugnans. Nam ipſe quantum in ſe eſt, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ſupra I. 9. I. Tim. II. 4. „ Vult o„ mnes homines ſalvos fieri. “ Sed quia nos a Deo recedimus, ideo gratiam ſuam nobis ſubtrahit. Oſeæ IV. 6. „ Quia tu ſcientiam „ repuliſti, repellam te. “ Ibid. XIII. 9. „ Per„ ditio tua, Iſrael, ex te: tantummodo in „ me auxilium tuum. “ Et eſt ſimile ſicut ſi aliquis clauſiſſet feneſtram domus, & diceretur (*h*) ei: Tu non potes videre, quia privaris lumine ſolis. Sed hoc non eſſet ex defectu ſolis, ſed quia ipſe ſibi lumen ſolare intercluſiſſet. Et ſimiliter hic dicitur quod *non poterant credere*, quia Deus excæcavit eos: quia ſcilicet ipſi cauſam præſtiterant ut excæcarentur: ſecundum illud Sap. II. 21. „ Ex„ cæcavit illos malitia eorum. “

(d) His ergo viſis, conſideranda ſunt verba

(a) *Al.* Et intendamus verba Evangeliſtæ nunc in ſuperficie litteræ habere obſcurum intellectum. (b) *Al. deeſt* non. (c) *Al.* quod *propterea*. (d) *Al.* impoſſibilia ex ſuppoſitione, non excuſatur. (e) *Al.* non eſſe. (f) *Al.* voluntatem in ſua malitia. (g) *Al.* ad ſecundum dicit. (h) *Al. deeſt* ei.

ba prophetiæ huius, quæ quidem habentur Eſa. VI. 10. non ſecundum eadem verba, ſed ſecundum eamdem ſententiam. In his ergo verbis tria continentur. Primo Iudæorum induratio, & excæcatio; ſecundo utriuſque effectus, ibi, *Ut non videant*; tertio finis, ibi, *Et convertantur, & ſanem eos*. Circa primum conſiderandum eſt, quod Dominus inducebat ad fidem dupliciter, ſcilicet miraculis, & doctrina: unde utrumque eis improperat, dicens (infra XV. 24.) *Si opera non feciſſem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent*. Et iterum (verſ. 22.) *Si non veniſſem, & non loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Utrumque enim contempſerunt. In quantum ergo Chriſti miracula non attendebant diligentia debita, dicit: *Excæcavit oculos eorum*, ſcilicet cordis: de quibus habetur Epheſ. I. 18. „ Illuminatos oculos cordis veſtri; " ſi per intellectum conſiderarent quod talia miracula fieri non poterant niſi virtute divina. Eſa. XLII. 20. „ Qui vides multa, nonne conſideras? " Et iterum ibid. 19. „ Quis cæcus, niſi ſervus meus, & ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? " Quia quantum ad doctrinam Chriſti non movebantur, ſubdit: *Et induravit cor eorum*. Videtur enim duriſſimum quod forti calore non reſolvitur, & divina percuſſione non conteritur. Verba autem Chriſti „ ſunt quaſi ignis, & ſicut malleus conterens petras, " ut dicitur Hier. XXIII. 29. Ignis quidem, quia inflammant per caritatem; malleus autem, quia terrent per comminationem, & confringunt per manifeſtiſſimam veritatem. Et tamen verbum Chriſti cor Iudæorum non attendebat. Unde patet quod fuit induratum. Iob XLI. 15. „ Cor eius indurabitur quaſi malleatoris incus. " Rom. IX. 18. „ Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. " Effectus autem excæcationis ponitur cum dicit: *Ut non videant oculis*, ſcilicet ſpiritualibus, intelligendo Chriſti divinitatem. Pſal. CXIII. 5. „ Oculos habent, & non videbunt. " E contra dicitur Luc. X. 23. „ Beati oculi qui vident quæ vos videtis. " Effectus indurationis ponitur cum dicit contra: *Nec intelligant corde*: ut ſubintelligatur, *Ut non intelligant corde*. Iob IV. 20. „ Et quia nullus intelligit, in æternum peribit. " Pſal. XXXV. 4. „ Noluit intelligere, ut bene ageret. " Eſt autem hic advertendum, quod ly *ut* non ponitur hic cauſaliter, ſed conſecutive. Finis autem excæcationis, & indurationis ponitur conſequenter, cum dicit: *Et convertantur, & ſanem eos*. Et poteſt intelligi dupliciter, ut Auguſtinus dicit in Libro de Quæſtionibus Evangel. Uno modo, ut repetatur hæc dictio *non*, ut ſit ſenſus: Et non convertantur, & non ſanem eos. Via enim ſalvationis a peccato eſt converſio ad Deum. Thren. V. 21. „ Converte nos Domine ad te, & convertemur. " Et ſtatim ſubditur: „ Innova dies noſtros ſicut a principio. " Illis autem qui indignos ſe præſtiterunt, quibus remitterentur peccata, non præſtat Deus beneficia, quibus convertantur, & ſanentur; ſicut patet de omnibus non approbatis. Alio modo poteſt intelligi, ut non reiteretur hæc dictio *non*, ut ſit ſenſus: Ideo excæcati ſunt, & indurati ut ad tempus nec viderent, nec intelligerent; & ſic non videntes, & non intelligentes, ideſt non credentes in Chriſtum, eum occiderent, & poſtmodum compuncti converterentur, & ſanarentur. Permittit enim aliquos quandoque cadere in peccatum, ut humiliati ad iuſtitiam firmius reſurgant. Et utraque expoſitio locum habet in diverſis Iudæis. Prima quidem in illis qui in ſua incredulitate finaliter permanſerunt; ſecunda vero in illis qui poſt Chriſti paſſionem ſunt ad Chriſtum converſi, qui ſcilicet compuncti corde ex verbis Petri, dixerunt Apoſtolis: „ Quid faciemus viri fratres? " ut dicitur Act. II. 37.

(e) Deinde cum dicit, *Hæc dixit Eſaias &c.* oſtendit prædicta ad propoſitum pertinere: unde dicit: *Hæc dixit Eſaias quando vidit gloriam Dei*. Simul enim vidit gloriam Dei, & excæcationem Iudæorum, ut patet Eſa. VI. ubi primo dicitur (verſ. 1.) „ Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum: " & poſtea (verſ. 10.) ſubditur: „ Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava, & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum. " Et quia quod viderat conveniens erat ut teſtaretur, ut dicitur I. Ioan. I. ideo ſequitur: *Et locutus eſt de eo*, ſcilicet de Chriſto, cuius gloriam vidit: ſecundum illud Act. X. 43. „ Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. " Rom. I. 2. „ Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo. "

Circa prima duo quæ hic tanguntur, cavendus eſt error Arrianorum, qui dicunt ſolum Patrem inviſibilem omni creaturæ, Filium autem viſum fuiſſe in viſionibus veteris teſtamenti. Sed cum dicatur infra XIV. 9. *Qui videt me, videt & Patrem meum*; manifeſtum eſt quod uno & eodem modo eſt Filius viſibilis ut Pater. Videns ergo Eſaias gloriam Filii, vidit & gloriam Patris; immo totius Trinitatis, quæ eſt unus Deus ſedens ſuper ſo-

ſolium excelſum, cui Seraphim proclamant: Sanctus, ſanctus, ſanctus. Non autem ita quod Eſaias eſſentiam Trinitatis viderit, ſed imaginaria viſione, cum intelligentia, quædam ſigna maieſtatis expreſſit, ſecundum illud Num. XII. 6. „ Si quis fuerit inter vos Propheta „ Domini, per ſomnium (*a*) aut in viſione „ loquar ad eum. “ Per illud vero quod ſecundo dicitur, *Et locutus eſt de eo*, excluditur error Manichæorum, qui dixerunt nullas prophetias in veteri teſtamento præceſſiſſe de Chriſto, ut Auguſtinus narrat in Lib. contra Fauſtum, & Theodorum Mopſueſtenum, qui dixit omnes Prophetias veteris teſtamenti eſſe de aliquo negotio dictas, per quamdam tamen appropriationem eſſe (*b*) adductas ab Apoſtolis, & Evangeliſtis, ad miniſterium Chriſti: ſicut ea (*c*) quæ dicunt in uno facto, poſſunt adaptari ad aliud factum. Omnia autem excluduntur per hoc quod dicitur: *Et locutus eſt de eo*, (*d*) de me: ſicut de Moyſe ſupra v. 46. dixit Chriſtus: *De me enim ille ſcripſit*.

LECTIO VIII.

(a) VErumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum.

(b) Sed propter phariſæos non confitebantur, ut de ſynagoga non eiicerentur.

(c) Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.

(d) Ieſus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me.

(e) Et qui videt me, videt eum qui miſit me.

(f) Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

(g) Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit; ego non iudico eum. Non enim veni ut iudicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.

(h) Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum.

(i) Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in noviſſimo die.

(k) Quia ego ex meipſo non ſum locutus.

(l) Sed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.

(a) SUpra Evangeliſta expoſuit defectum omnino non credentium; hic exponit defectum credentium in occulto, qui puſillanimes erant: & primo proponit eorum dignitatem; ſecundo oſtendit eorum defectum, ibi, *Sed propter phariſæos non confitebantur*; tertio inſinuat defectus radicem, ibi, *Dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei*. Dignitas autem eorum qui in occulto credebant magna eſt, quia principes; & quantum ad hoc dicit: *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum*; quaſi dicat: Dixi, quod *cum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum*: quod quidem verum eſt pro maiori parte, non tamen quin aliqui in eum crederent, quia *ex principibus*, ſcilicet populi, *multi crediderunt in eum*; quorum unus fuit Nicodemus, qui venit ad Ieſum nocte, ut dicitur ſupra III. Sic impletur quod in Pſal. XLVI.10. dicitur: „ Principes populorum con„ gregati ſunt cum Deo Abraham. “ Sic etiam falſum oſtenditur quod phariſæi dixerunt ſupra VII. 48. *Numquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex phariſæis?*

(b) Defectus horum principum eſt puſillanimitas: unde dicit: *Sed propter phariſæos non confitebantur*: ut enim ſupra IX.22. dictum eſt, phariſæi conſpiraverant, *ut ſi quis eum confiteretur Chriſtum, extra ſynagogam fieret*. Licet crederent corde, non tamen confitebantur ore. Sed eorum fides inſufficiens erat: quia, ut dicitur Rom. X. 10. „ corde creditur ad „ iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. “ Luc. IX. 26. „ Qui erubuerit me, & meos „ ſermones, hunc Filius hominis erube„ ſcet. “

(c) Radix autem defectus iſtorum eſt inanis gloria: unde ſequitur: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei*: ex hoc enim quod publice confitebantur, amittebant glo-

riam

(a) *Al.* autem. (b) *Al.* adductas Apoſtolis Evangeliſtis. (c) *Al.* quæ Domini. (d) *Al.* ſicut & de me Moy. &c.

Google

riam hominum; ſed ex hoc conſequebantur gloriam Dei. Iſti autem magis elegerunt privari gloria Dei, volentes publice confiteri, quam gloria hominum, cupientes in mundanis gloriari. Supra v. 44. *Quomodo poteſtis credere qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis?* Galat. 1. 10. „ Si adhuc hominibus placerem, ſervus Chri„ ſti non eſſem. “

(d) Hic oſtendit quomodo Chriſtus Iudæorum infidelitatem redarguit: & primo oſtendit credendi debitum; ſecundo ſubdit fidei fructum, ibi, *Ego lux in mundum veni &c.* tertio comminatur infidelium ſupplicium, ibi, *Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non iudico eum &c.* Quia autem fidei ſuccedit viſio, ideo circa primum primo agit de fide; ſecundo de viſione, ibi, *Qui videt me, videt eum qui miſit me*. Quantum ad primum dicit: *Ieſus autem clamavit*, & propter magnitudinem dicendorum, & propter libertatem animi ad redarguendum peccata. Eſa. LVIII. 1. „ Clama, ne ceſſes, quaſi tuba ex„ alta vocem tuam, & annuntia populo meo „ ſcelera eorum. “

Et dixit: *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me*; quod quidem videtur contradictionem implicare; dicit enim: *Qui credit in me, non credit in me*. Ad cuius intellectum ſciendum eſt primo, ſecundum Auguſtinum, hoc eſſe dictum a Domino ad diſtinguendum in ſe naturam divinam, & naturam humanam. Cum enim proprium obiectum fidei ſit Deus, poſſumus quidem credere creaturam eſſe, ſed non debemus credere in creaturam, (*a*) ſed in Deum ſolum. In Chriſto autem eſt natura creata, & natura increata. Requiritur ergo ad fidei veritatem ut fides noſtra tendat in Chriſtum, quantum ad naturam increatam; & ſecundum hoc dicit: *Qui credit in me*, ſcilicet in perſonam, *non credit in me*, ſecundum quod homo, *ſed in eum qui me miſit*, ideſt in me ſecundum quod ſum miſſus a Patre. Supra VII. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me*. Secundum Chryſoſtomum vero notandum eſt, quod Dominus dicit hoc ad inſinuandam eius originem tantum; & eſt ſimilis modus loquendi, ſicut ſi (*b*) aliquis hauriens de aqua fluminis dicat: Iſta aqua non eſt fluminis, ſed eſt fontis: non eſt quidem fluminis originalis &c. Sic ergo Dominus dicit: *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me*; quaſi dicat: Non ſum principium mei ipſius, ſed divinitas eſt mihi ab alio, ideſt a Patre: unde *qui credit in me*, (*c*) *non credit in me* niſi in quantum ſum a Patre.

(e) Conſequenter cum dicit, *Et qui videt me, videt eum qui miſit me*, agit de viſione. Circa quod ſciendum eſt, quod ſicut Pater miſit Filium ad convertendum Iudæos, ita & Chriſtus miſit diſcipulos ſuos. Infra XX. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Nullus autem diſcipulorum auſus fuit dicere, nec debuit, quod crederetur in eum; quamvis dicere potuiſſet quod crederetur ei: quia hoc non potuiſſet eſſe ſine hoc quod derogaret mittenti: quia ſi crederent in diſcipulum, deſinerent credere in magiſtrum. Poſſent ergo Iudæi dicere, quod eodem modo, cum ſis miſſus a Patre, qui credit in te, deſinit credere in Patrem: & ideo Dominus contra hoc oſtendit quod qui non credit in eum, non credit in Patrem; & hoc eſt quod dicit: *Qui videt me, videt eum qui miſit me*. Viſio hic dicitur non corporalis intuitus, ſed veri conſideratio, quæ eſt per intellectum. Ideo autem qui videt Filium, videt & Patrem, quia eſt in eo per eſſentiæ unitatem. Dicitur (*d*) enim aliquid videri in aliquo, vel quia ſunt idem, vel omnino conformes. Pater autem, & Filius ſunt idem in natura, & omnino conformes: quia Filius eſt imago Patris in nullo diſſimilis. Coloſ. 1. 15. „ Qui eſt ima„ go inviſibilis Dei. “ Hebr. 1. 3. „ Qui „ cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtan„ tiæ eius. “ Et ideo ſicut credit in Patrem, ita & in me. Infra XIV. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* quaſi dicat: Iſta eſt ratio quare qui videt me, videt & Patrem, quia Pater in me eſt, & ego in eo. Sic ergo apparet fidei debitum, ut ſcilicet fides tendat in Chriſtum inquantum Deus, ſicut in Patrem.

(f) Fructum autem fidei conſequenter oſtendit: & primo oſtendit ſuam dignitatem, & virtutem, cum dicit: *Ego lux in mundum veni*. Quomodo Chriſtus ſit lux, expoſitum eſt ſupra 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*: & VIII. 12. *Ego ſum lux mundi*. In hoc etiam oſtendit ſe habere divinam naturam: eſſe enim lucem eſt proprium Dei; alia vero ſunt lucentia, ideſt participantia lucem; ſed Deus lux eſt per eſſentiam. I. Ioan. 1. 5. „ Deus lux eſt, & tenebræ non ſunt in „ eo ullæ. “ Sed quia I. ad Timoth. VI. 16. dicitur, quod „ lucem habitat inacceſſibilem, „ quam nemo hominum videt: “ non poteramus accedere ad eum: & ideo oportuit

quod

(a) *Al.* niſi. (b) *Al.* aliquid. (c) *Al.* intantum *credit in me &c.* item, *credit in me* inquantum ſum a Patre. (d) *Al. deeſt* enim.

quod ipſe ad nos veniret; & hoc eſt quod ſubdit: *In mundum veni*; ſcilicet, ego ſum lux inacceſſibilis, qui ab errore eripio, & intellectuales tenebras ſolvo. Infra XVI. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum*. Supra I. 11. *In propria venit &c.* Licet Apoſtoli dicantur lux, Matth. V. 14. „ Vos eſtis lux mun-„ di; " non tamen ea ratione qua Chriſtus: ipſi enim ſunt lux illuminata; quamvis aliquo modo, ſcilicet miniſterio, illuminantes eſſent. Nec alicui Apoſtolorum convenit dicere: *Ego lux in mundum veni*: quia quando in mundum venerunt, adhuc tenebræ erant, & non lux: quia, ut dicitur Iob XXXVII. 19. „ omnes involvimur tenebris. " Secundo ſubdit dicens: *Ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*. Illuminatio ergo eſt effectus fidei. Supra VIII. 12. (*a*) *Ut omnis qui credit in me, non ambulet in tenebris*. *In tenebris non maneat*, ſcilicet ignorantiæ infidelitatis, & damnationis perpetuæ: per quod patet quod omnes naſcuntur in tenebris culpæ. Epheſ. V. 8. „ Eratis aliquando tenebræ, „ nunc autem lux in Domino. " Item in tenebris ignorantiæ. Iob III. 23. „ Viro cui „ abſcondita eſt via, & circumdedit eum „ Deus tenebris. " Et tandem niſi convertantur ad Chriſtum, deducentur ad tenebras damnationis perpetuæ. Qui ergo non credit in me, in tenebris manet. Supra III. 36. *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*.

(g) Supplicium autem infidelium inſinuat dicens: *Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit; ego non iudico eum*: quod incurrent per iudicii condemnationem. Et primo proponit dilationem iudicii; ſecundo pronuntiat ipſum iudicium futurum eſſe, ibi, *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum*; tertio oſtendit dilationis cauſam, ibi, *Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in noviſſimo die*. Circa primum duo facit. Primo proponit iudicii dilationem; ſecundo aſſignat dilationis rationem. Dicit ergo quantum ad primum: *Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit; ego non iudico eum*.

Notandum ergo, quod illi beatificantur qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, credendo interius in corde, & exequendo exterius in opere. Qui vero audiunt illud, & cuſtodire non ſatagunt, magis rei ex hoc efficiuntur. Rom. II. 13. „ Non enim audi-„ tores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed fa-„ ctores legis iuſtificabuntur. " Et Iac. I. 22. „ Eſtote factores, & non auditores tantum. " Et ideo *ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit; ego non iudico eum*.

Sed hoc videtur contrarium ei quod dicitur ſupra V. 22. *Pater omne iudicium dedit Filio*: & ideo intelligendum eſt, *Non iudico eum*, ſcilicet modo. Potuiſſet enim ſibi ad infirmitatem putari, (*b*) ſi qui ipſum contemnunt, illos dimittit; & ideo dicit, qnod huiuſmodi iudicabuntur, ſed non modo: nam, ut dicitur Eccle. XII 14. „ omnia quæ fecit Deus, „ adducet in iudicium. " Et Iob XIX. 29. „ Fugite a facie iniquitatis, quoniam ultor „ iniquitatis eſt gladius, & ſcitote eſſe iudi-„ cium. "

Cauſam vero dubitationis dilationis ſubdit dicens: *Non veni ut iudicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum*. Duplex enim eſt adventus Filii Dei: unus quo venit ut ſalvator; alius quo venit ut iudex. Sed cum omnes eſſent in peccatis, ſi primo veniſſet ut iudex, nullum ſalvaſſet, quia omnes (*c*) eramus filii iræ: & ideo oportuit ut veniret primo ad ſalvandum credentes, & poſtmodum ad iudicandum & fideles, & peccatores. Et hoc eſt quod dicit: Ideo ſcilicet non iudico eum modo, *quia non veni*, ſcilicet in primo adventu, *ut iudicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum*. Supra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*.

(h) Conſequenter cum dicit, *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum*, prænuntiat iudicium futurum; quaſi dicat: Licet qui verba mea non cuſtodiunt, non iudicentur modo, tamen non evadent impunes, quicumque ſint illi: quia *qui ſpernit me, & non accipit verba mea*, credendo, & opere implendo, *habet qui iudicet eum*. Cuius ratio eſt, quia ſi non accipit verba eius, contemnit dictum Dei, cuius ipſe eſt Verbum; ſicut qui non obedit mandato domini ſui. Iob XIX. 29. „ Fu-„ gite a facie iniquitatis, quoniam ultor ini-„ quitatis eſt gladius, & ſcitote eſſe iudi-„ cium. " Eccle. XII. 14. „ Cuncta quæ fe-„ cit Deus adducet in iudicium pro omni „ errato. " Eſa. XXXIII. 1. „ Væ qui ſper-„ nis, nonne & ipſe ſperneris? " I. Reg. II. 30. „ Qui autem contemnunt me, erunt „ ignobiles. "

(i) Conſequenter cum dicit, *Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in noviſſimo die*, aſſignat cauſam dilationis iudicii. Et primo ponitur cauſa dilationis indicii; ſecundo aſſignatur ſufficientia ipſius cauſæ, ibi, *Quia ego ex meipſo non ſum locutus*. Dicit ergo: Dico quod qui eſt huiuſmodi, habet qui iudicet eum. Quis autem hic erit? *Sermo*, inquit, *quem locutus ſum, ille iudicabit eum in noviſſimo die*. Quod tantum valet, ut dicit Augu-

ſti-

(a) Ibi: *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris*. (b) *Al.* ſi eum quos ipſi contemnunt. (c) *Al.* eſſemus

ſtinus, ac ſi dixiſſet: Ego iudicabo eum in noviſſimo die. Seipſum quippe Chriſtus expreſſit in ſuo ſermone, ſeipſum annuntiavit. Ipſe ergo eſt ſermo quem locutus eſt: quia de ſe locutus eſt. Supra XIII.14. *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde veni, & quo vado*. Quaſi dicat: Hoc ipſum quod locutus ſum eis, & tamen contempſerunt, iudicabit eos. Act. x. 42. „ Hic eſt qui conſtitutus eſt a Deo iudex vivorum, & mortuorum: huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. “

(k) Sufficientiam autem cauſæ oſtendit, dicens: *Quia ex meipſo non ſum locutus*: & primo oſtendit eam ex origine ſermonis; ſecundo ex dignitate ipſius, ibi, *Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt*. Circa primum duo facit. Primo excludit falſitatem; ſecundo aſtruit veritatem. Falſitas quidem eſt quod Filius aliquid operetur, vel loquatur, vel ſit a ſeipſo tantum, & non ab alio: hoc enim eſſet ponere, quod Filius non ſit a Patre; & hoc eſt quod dicit: Ideo dico, quod verbum quod ego locutus ſum, iudicabit eos: *quia ego ex meipſo non ſum locutus*: Supra v. 19. *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*. Et infra XIV. 10. *A meipſo non loquor*. Idem autem eſt *Ex meipſo non ſum locutus*, quod Ego non ex me ſum natus, ſed ex Patre; quaſi dicat: Iudicabo eum in noviſſimo die, in forma ſervi apparens. Supra v. 27. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt*. Sed tamen non iudicabo ex poteſtate humana, quia ſcilicet Filius ſum hominis; ſed ex poteſtate divina, quia ſum Filius Dei. Non ergo iudicabo ex meipſo, ſed ex Patre, ex quo virtutem iudicandi habeo.

(l) Veritatem aſtruit, dicens: *Sed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*. Ex quibus quidem verbis, niſi pie intelligantur, patet locus duplici errori. Primo quidem quia mandans maior eſt eo cui mandat: Filio ergo maior eſt Pater. Deinde quia illud quod datur alicui, non habebatur ab eo antequam ſibi daretur; & per conſequens neſciebat illud. Si ergo Pater dat mandatum Filio, ſequitur quod Filius quandoque illud non habuerit, & per conſequens ignoraverit: ergo eſt ei aliquid additum. Non igitur Filius eius eſt verus Deus.

Ad quod ſciendum eſt, quod omnia mandata divina ſunt in mente Patris, cum ipſa mandata nihil aliud ſint quam rationes agendorum. Sicut ergo in mente Patris ſunt rationes omnium creaturarum quæ a Deo producuntur, quas ideas vocamus, ita & in ea ſunt rationes omnium per nos agendorum. Sicut ergo a Patte derivantur in Filium, qui eſt ſapientia Patris, rationes omnium rerum, ita & rationes omnium agendorum. Sic ergo dicit Filius: *Sed qui miſit me Pater, ipſe mihi dedit*, (a) inquantum Deus, *mandatum*; ideſt, per æternam generationem communicavit, *quid dicam* interius, & *quid loquar* exterius: (b) ſicut etiam noſtrum verbum (ſi vera fateri volumus) ea profert quæ ſuggerit mens.

Chryſoſtomus autem hæc omnia, ſcilicet *Si quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non iudico eum &c.* aliter exponit, & planius: ut dicatur: *Si quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, non iudico eum*. Dupliciter enim poteſt dici aliquis aliquem condemnare: vel ſicut iudex, vel ſicut cauſa condemnationis. Homicidam enim condemnat ad ſuſpendium & iudex qui profert ſententiam, & ipſum homicidium perpetratum, quod eſt cauſa ſuæ condemnationis. Dicit ergo: *Ego non iudico eum*; ideſt, non ſum cauſa ſuæ condemnationis, ſed ipſe. Oſeæ XIII.9. „ Perditio tua, Iſrael ex te (ſcilicet eſt) tantummodo in me auxilium, tuum. “ Et hoc ideo, *quia non veni ut iudicem mundum*; ideſt, non ſum miſſus ad condemnandum, ſed ad ſalvandum.

Sed numquid talis non iudicabitur? Immo: *quia qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum*. Quis autem ſit iſte qui iudicat, oſtendit dicens: *Sermo quem locutus ſum*, auditus a nobis, qui ſtabit in ordine accuſatoris, *ille iudicabit eum in noviſſimo die*. Infra XV. 22. *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. (c) Quod autem ſermo quem locutus eſt, iudicabit eos, oſtendit dicens: *Quia ego ex meipſo non ſum locutus*. Quod quidem non ponitur cauſaliter, ſed quaſi materialiter: ut ſit ſenſus: Dicis, quod ſermo tuus iudicabit eum; ſed quis eſt iſte ſermo? Ille ſcilicet quem dixi: *quia ego ex meipſo non ſum locutus*; ideſt, quem ego locutus ſum a Patre, & (d) ea quæ mihi dedit ut dicerem, & loquerer: alias ſi fuiſſem locutus contrarium Patri, vel quæ ab eo non habuerim, & non credidiſſent mihi, excuſationem haberent; ſed quia ſic locutus ſum, certum eſt quod non ſolum me, ſed etiam Patrem meum contempſerunt.

Et ſecundum hanc expoſitionem, hoc quod dixit, *Qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*, oſtendit ſufficientiam cauſæ ex parte dignitatis ipſius ſer-

(a) *Al.* inquam, Deus. (b) *Al.* & ſicut. (c) *Al.* Quis enim. (d) *Al.* eam.

ſermonis. Et primo ponitur eius dignitas; ſecundo concluditur ipſius ſermonis executio. Dignitas quidem, cum dicit: *Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt*. *Eſt*, inquam, *vita æterna*. I. Ioan.ult. 20. „ Hic eſt verus Deus, „ & vita æterna. “ Ipſe enim Filius eſt mandatum Patris. Vel *eſt vita æterna*, ideſt ducens in vitam æternam. Matth.XIX. 17. „ Si „ vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. “ Quia ergo Pater dedit mihi mandatum, quod quidem mandatum eſt vita æterna; ego autem ad hoc veni ut homines ducam in vitam æternam: ideo mandatum Patris per omnia exequor. Et hoc eſt quod dicit: *Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor*. Quod, ſecundum Chryſoſtomum, planum eſt: ut ſit ſenſus: *Quæ ego loquor*, exterius prædicando, *ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor*; ideſt, (*a*) inquantum accepi notitiam ab eo; ut intelligantur de Chriſto ſecundum quod homo.

Sed ſi intelligantur, ſecundum Auguſtinum, de Chriſto ſecundum quod Filius Dei: quomodo dicit ei Pater, cum ipſe ſit Verbum? Ad quod dicendum, quod non ita dixit ei quaſi per verba locutus ſit unico Verbo ſuo; ſed ſic dixit Pater Filio ſicut generavit eum Pater, & ſicut dedit ei vitam habere in ſemetipſo. Pſal.II. 7. „ Dominus dixit ad me: „ Filius meus es tu. “

CAPITIS DECIMITERTII

LECTIO I.

(a) ANte diem feſtum paſchæ ſciens Ieſus quia venit hora eius ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

(b) Et cœna facta,

(c) Cum diabolus iam miſiſſet in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes:

(d) Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit:

(a) SUpra Evangeliſta poſuit quaſdam occaſiones paſſionis, & mortis Chriſti; in parte iſta oſtendit quomodo Chriſtus diſcipulos ſuos præparat ante ſuam paſſionem: & primo oſtendit quomodo informavit eos exemplo; ſecundo quomodo confortavit verbo, & hoc infra XIV. capit. *Non turbetur cor veſtrum*; tertio quomodo præmunivit eos orationum ſuffragio, infra XVII. *Hæc locutus eſt Ieſus, & ſublevatis oculis in cælum, dixit &c.* Circa primum duo facit. Primo ponit exemplum quod Chriſtus præbuit ſuis diſcipulis imitandum; ſecundo diſcipulorum defectum, qui nondum erant idonei ad ſequendum, ibi, *Cum hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt*. Circa primum tria facit. Primo ponit exemplum; ſecundo ſubdit exempli utilitatem, ibi, *Venit ergo ad Simonem Petrum*; tertio ad imitandum inducit, ibi, *Poſtquam ergo lavit pedes eorum .... dixit eis*. Circa primum duo facit. Primo proponit Chriſti exemplum, dantis affectum; ſecundo innuit factum in quo dedit exemplum, ibi, *Et cæna facta &c.* Circa primum tria tanguntur. Primo quidem feſtum præſens; ſecundo mors Chriſti imminens; tertio Chriſti dilectio fervens. Feſtum præſens, paſcha erat; & hoc eſt quod dicit: *Ante diem feſtum paſchæ &c.*

Hic notandum eſt, quod hoc nomen *Paſcha* quidam dicunt eſſe Græcum, ita quod dicatur a paſſione, quaſi inde feſtum iſtud vocetur paſcha, quia tunc celebratur paſſio dominica: & quidem concordat cum Græco: nam paſcha in Græco idem eſt quod pati. Prima autem origo huius vocabuli ex Hebræo habetur: paſcha enim dicitur quaſi phaſe, ideſt tranſitus Domini, ut dicitur Exod. XII. (*b*) Interpretatur autem hic iſto modo Evangeliſta propter duplicem tranſitum. Unum qui præceſſit, ſcilicet Angeli percutientis primogenita Ægypti, & ſalvantis primogenita Hebræorum: alium, qui ſequitur, filiorum Iſrael tranſeuntium mare rubrum. Et ideo bene factum eſt ut vocetur paſcha feſtum iſtud. Et ſic poſſumus dicere, quod paſcha noſtrum habet ſignificationem utriuſque linguæ, Hebrææ ſci-

(a) *Al.* inquam. (b) *Al.* Interpretatio autem hæc eſt enumerata propter duplicem tranſitum.

ſcilicet, & Græcæ, quia in ipſa paſſione Domini fuit tranſitus Chriſti ex hoc mundo ad Patrem. Actor. x. 38. „ Pertranſivit benefa- „ ciendo, & ſanando. " Item tranſitus omnium noſtrum, ſequendo Chriſtum, vel per pœnitentiam, & martyrium: ſecundum illud Pſal. lxv. 12. „ Tranſivimus per ignem, & a- „ quam; & eduxiſti nos in refrigerium: " vel mentis deſiderio ad cæleſtia anhelando: ſecundum illud Eccli. xxiv. 26. „ Tranſite ad „ me omnes qui concupiſcitis me, & a ge- „ nerationibus meis implemini. "

Hoc autem quod dicit, *Diem feſtum*, anthonomaſice dicitur: nam, ut legitur Exod. xxiii. rres dies anni ſolemnes erant, in quibus Iudæi convenire debebant in locum quem elegerat Dominus: ſcilicet phaſe, quando immolabatur paſcha, & pentecoſten, & feſtum tabernaculorum, ſcilicet ſcenopegiæ. Sed dies paſchæ inter alios celeberrimus erat.

Sed dubium hic incidit de hoc quod dicit: *Ante diem feſtum paſcha*: nam dies feſtus paſchæ dicitur ille dies in quo immolabatur agnns, quod erat luna quartadecima. Cum ergo dicat, quod hoc fuit ante diem feſtum paſchæ, videtur quod hoc fuerit factum luna tertiadecima, quæ præcedebat quartamdecimam lunam: quod quidem Græci ſequentes, dicunt quod Dominus paſſus eſt luna quartadecima quando Iudæi ſuum paſcha celebrare debebant: & ideo Dominus ſciens ſibi imminere paſſionem prævenit celebrationem paſchæ, & in præcedenti die celebravit paſcha ſuum, ante feſtum paſchæ Iudæorum. Sed quia Exod. xii. præcipitur ut a decimaquarta die ad veſperam uſque ad vigeſimam primam diem menſis non inveniretur (*a*) fermentum apud Hebræos; dicunt ulterius, quod Dominus confecit non in azymis, ſed in fermentato: nam *ante diem feſtum paſcha*, ideſt tertiadecima luna, inveniebatur fermentatum apud Hebræos.

Huic autem ſententiæ tres alii Evangeliſtæ contrariantur: nam ipſi dicunt, ſcilicet Matth. xxvi. Marc. xiv. & Luc. xxii. quod hoc fuit prima die azymorum quando debebat immolari paſcha. Ex quo ſequitur quod cœna Domini eo die facta fuit quo immolabatur paſcha Iudæorum. Ad quod quidem Græci reſpondent dicentes, alios Evangeliſtas non vere narraſſe hoc factum; & ideo Ioannes qui ultimum Evangelium ſcripſit, eos correxit. Sed hæreticum eſt dicere, quod aliquid falſum, non ſolum in Evangeliis, ſed etiam in quacumque canonica Scriptura inveniatur: & ideo neceſſarium eſt dicere, quod omnes Evangeliſtæ dicunt idem, & in nullo diſcordant.

Ad huius igitur evidentiam ſciendum eſt, quod, ſicut habetur Levit. xxiii. ſolemnitates Iudæorum incipiebant a veſpera præcedentis diei. Cuius ratio eſt, quia numerabant dies ſecundum lunam, quæ de ſero primo apparet: unde (*b*) & diem computabant de uno ſero in alium; & ſic apud eos ſolemnitas paſchæ incipiebat (*c*) a veſpera præcedentis diei, & terminabatur in veſpere diei paſchæ; ſicut & apud nos feſta celebrantur. Sic ergo aliquid factum apud nos in vigilia Natalis Domini, poteſt dici factum eſſe in feſto Natalis. Quem quidem modum ſervantes alii Evangeliſtæ, dixerunt cœnam eſſe factam primo die azymorum: quia facta fuit die præcedenti ad veſperam, qui iam pertinebat ad primum diem azymorum. Ioannes autem Evangeliſta hic diem feſtum paſchæ accipit pro illo die qui totus celebris erat, non autem pro illo cuius veſpere ſolum erat celebre, qui erat dies præcedens paſcha: & ideo dicit: *Ante diem feſtum paſcha*.

Patet ergo quod cœna Domini facta eſt luna quartadecima ad veſperam. Mors autem Chriſti imminens, erat tranſitus eius ex hoc mundo per paſſionem; & quantum ad hoc dicit: *Sciens Ieſus quia venit hora eius*: nam illa ſolemnitas Iudæorum, figura erat paſſionis Chriſti: „ omnia enim in figura contin- „ gebant illis: " I. Corinth. x. 11. & ideo ſtatim ponit veritatem, ſcilicet paſſionem Chriſti, & quaſi exponens, quod paſcha dicatur a phaſe, ideſt tranſitu, mentionem facit de tranſitu: *Ut tranſeat*, inquit, *ex hoc mundo ad Patrem*. Ubi tria ponit circa paſſionem Chriſti. Primo quod fuit prævisa; ſecundo quod fuit congrua; tertio quod fuit promotiva, & exaltativa. Prævisa quidem fuit, non caſualis: & quantum ad hoc dicit, *Sciens Ieſus*; quaſi dicat: Non invitus, non inſcius, ſed *ſciens*, & voluntarius paſſus eſt &c. Infra xviii. 4. *Sciens Ieſus omnia quæ ventura erant*. E converſo dicitur de nobis. Eccle. viii. 6. „ Multa hominis afflictio: quia neſcit præter- „ ita, & quæ ventura ſunt nullo modo ſci- „ re poteſt. " Congrua autem fuit quantum ad tempus; & quantum ad hoc dicit: *Quia venit hora eius*, ideſt ipſe dies paſchæ, quo tranſiret per crucem. Eccle. viii. 6. „ Omni „ negotio tempus eſt, & opportunitas. " Hæc eſt hora illa de qua dicitur ſupra ii. 4. *Nondum venit hora mea*. Nec eſt intelligenda hora iſta fatalis, quaſi ſubiecta curſui, & diſpoſitioni ſtellarum, ſed determinata diſpoſitione, & pro-

(*a*) *Al.* frumentum. (*b*) *Al.* & idem. (*c*) *Al.* ideſt veſpera.

Digitized by Google

& providentia divina. Ideo, inquam, determinata in paſcha Iudæorum, quia congruebat ſolemnitati Iudæorum ut veritas ſequererur figuram, dum quando agnus, qui figurabat Chriſtum, immolaretur Chriſtus, qui eſt vere agnus Dei. I. Petr. I. 18. „ Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis „ de vana veſtra converſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo ſanguine agni immaculati Chriſti, & incontaminati. " Congruebat etiam negotiis. Iam enim Chriſtus clarificatus erat. Infra eodem: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo*. Iam Patrem manifeſtaverat mundo. Infra XVII. 6. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo*. Reſtabat ergo ut conſummaret opus paſſionis, & humanæ redemptionis: de quo dicitur infra XIX. 30. *Conſummatum eſt*: & ſequitur: *Inclinato capite, emiſit ſpiritum*. Promotiva fuit paſſio Chriſti, & exaltativa, & non oppreſſiva: quia *ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*; ideſt, faciendo humanam naturam participem paternæ gloriæ. Infra XX. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*. Non autem intelligendum eſt quod tranſeat de loco ad locum, cum Deus Pater non comprehendatur loco. Hierem. XXIII. 24. „ Cælum & terram ego impleo. " Sed ſicut Chriſtus dicitur veniſſe a Patre non eum deſerendo, ſed aſſumendo naturam inferiorem ſimilem nobis, ita & intantum dicitur ad eum rediiſſe inquantum etiam ſecundum humanitatem factus eſt conſors paternæ gloriæ. Roman. VI. 10. „ Quod „ autem vivit, vivit Deo. " Philip. II. 11. „ Omnis lingua confiteatur, quia Dominus „ Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. "

Conſequenter cum dicit, *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, commendatur fervens Chriſti dilectio; & hoc quantum ad quatuor. Primo quantum ad hoc quod fuit præveniens, ſecundum illud I. Ioan. IV. 10. „ Non quaſi nos dilexerimus Deum, „ ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. " Et quantum ad hoc dicit: *Cum dilexiſſet ſuos*, quaſi antea: dilexit, inquam, antequam crearet. Sap. XI. 25. „ Diligis omnia quæ ſunt, „ & nihil odiſti eorum quæ feciſti. " Dilexit antequam vocaret. Hier. XXXI. 3. „ In caritate perpetua dilexi re, ideo attraxi te, „ miſerans. " Dilexit antequam redimeret. Infra XV. 13. *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Secundo commendatur eius dilectio quantum ad hoc quod fuit congrua: quia *dilexit ſuos*.

Ubi ſciendum eſt, quod ſecundum quod aliqui diverſimode ſunt ſui, ſecundum hoc a Deo diverſimode diliguntur. Sunt autem aliqui ſui tripliciter. Primo creatione; & hos diligit conſervando eis bona naturæ. Supra I. 11. *In propria venit, & ſui*, per creationem, *eum non receperunt*. Aliqui vero ſunt ſui dedicatione, qui ſcilicet dati ſunt a Deo Patre per fidem. Infra XVII. 6. *Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt*. Et hos diligit conſervando in bonis gratiæ. Aliqui vero ſunt ſui ſpeciali devotione. I. Paralip. XI. 1. „ Tui ſumus, o David, & caro „ tua. " Hos diligit ſpecialiter conſolando.

Tertio commendatur dilectio Chriſti quantum ad hoc quod fuit neceſſaria: quia *dilexit ſuos, qui erant in mundo*. Nam aliqui ſunt ſui, qui iam erant in gloria Patris, quia etiam antiqui patres ſui erant, inquantum ſperaverunt liberari per eum. Deut. XXXIII. „ 3. Omnes ſancti in manu illius ſunt. " Sed iſti non tantum indigent huiuſmodi dilectione quantum hi qui erant in mundo; & ideo dicit: *Qui erant in mundo*, corpore ſcilicet, ſed non mente. Quarto commendatur quantum ad hoc quod fuit perfecta: unde dicit: *In finem dilexit eos*. Finis autem dicitur dupliciter: quia finis intentionis, & finis executionis. Illud quidem eſt finis intentionis ad quod noſtra ordinatur intentio; & huiuſmodi finis debet eſſe vita æterna, ſecundum illud Rom. VI. 22. „ Habetis fructum „ veſtrum in ſanctificationem, finem vero vi„ tam æternam. " Iterum finis huiuſmodi Chriſtus debet eſſe. Rom. X. 4. „ Finis legis „ Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. " Et hæc duo ſunt unus finis: quia nihil eſt aliud vita æterna quam fruitio Chriſti, ſecundum divinitatem. Infra XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum*. Secundum hoc ergo dicit: *In finem dilexit eos*: ut perduceret in ſe finem, vel in vitam æternam, quæ nihil aliud eſt. Hierem. XXXI. 3. „ In caritate dilexi te, propterea attraxi te, miſe„ rans. " Illud autem eſt finis executionis quod eſt terminus rei; & ſic mors poteſt dici finis: ut dicatur: *In finem dilexit eos*, ideſt in mortem: quod poteſt habere triplicem ſenſum. Uno modo, ſecundum Auguſtinum, ut quodam humano modo dicatur: Chriſtus dilexit ſuos uſque ad mortem tantum, & non ultra. Sed hic ſenſus eſt falſus: abſit enim ut dilectionem morte finierit qui non eſt in morte finitus. Alio modo poteſt intelligi, ut ly *in* indicet cauſam; & ſic eſt ſenſus: *In finem dilexit eos*; ideſt, uſque ad mortem illum dilectio ipſorum perduxit. Galat. II. 20. „ Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro

„ no-

„ nobis. “ Tertio modo poteſt intelligi ut ſit ſenſus: *In finem*; ideſt, cum multa ſigna dilectionis oſtenderit eis ante, *in finem*, ideſt circa mortem, maioris eis ſigna dilectionis oſtendit. Infra XVI. 5. *Hæc ab initio vobis non dixi, quia vobiſcum eram*: quaſi diceret: Non tunc neceſſarium fuit vobis, ut oſtenderem quantum vos diligerem, niſi in receſſu, ut ſic amor, & memoria mei in cordibus veſtris profundius imprimeretur.

(b) Conſequenter cum dicit, *Et cœna facta*, innuit factum, in quo dabat exemplum: & primo deſcribit horam facti; ſecundo ſubdit dignitatem facientis, ibi, *Sciens itaque Ieſus quod omnia dedit ei Pater in manus &c.* tertio proſequitur de facti humilitate, ibi, *Surgit a cœna*. Tempus autem deſcribit ex duobus. Ex uno quod pertinebat ad eius caritatem, & ex alio quod exaggerabat (a) Iudæ iniquitatem, ibi, *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes*. Dicit ergo quantum ad primum: *Et cœna facta*. Ubi ſciendum eſt, quod aliter dicitur eſſe factum in permanentibus, & aliter in ſucceſſivis. In permanentibus autem dicitur aliquid eſſe factum quando pervenit ad perfectionem propriæ ſpeciei, & formæ; ſicut domus dicitur eſſe facta quando habet propriam formam: in ſucceſſivis vero dicitur aliquid eſſe factum quando iam eſt conſummatum; ſicut mundus factus eſſe dicitur quando completus. Hoc etiam modo aliquid factum eſſe dicitur quando accipit propriam ſpeciem. Cum ergo dicit, *Et cœna facta*, non intelligendum eſt quod cœna fuerit completa, & peracta: quia poſtquam lavit pedes diſcipulorum, recubuit, & bucellam tradidit Iudæ. Eſt ergo intelligendum, *Cœna facta*, ideſt parata, & ad propriam ſpeciem iam perducta: iam enim cœnare inceperant, & poſtea ſurrexit. Unde inter cœnandum lavit pedes diſcipulorum. De iſta cœna habetur Luc. XIV. 16. „ Homo quidam fecit „ cœnam magnam. “ Differt autem prandium a cœna. Prandium enim dicitur quod fit in prima parte diei; cœna vero quæ fit in ultima. Sic ergo ſpiritualis refectio dicitur prandium, ſecundum quod congruit incipientibus; cœna vero, ſecundum quod congruit perfectis.

(c) Conſequenter cum dicit, *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes*, deſcribit tempus, ex eo quod exaggerat iniquitatem proditoris: quod quidem deſcribit Evangeliſta propter duo. Primo quidem ut oſtendatur magis iniquitas Iudæ, qui inter tot caritatis indicia, & tot humilitatis officia, tantam iniquitatem committere cogitabat. Pſal. XL. 10. „ Qui mandu- „ cabat panes meos, magnificavit ſuper me „ ſupplantationem. “ Secundo vero ut reddatur magis admirabilis caritas Chriſti, qui licet hoc ſciret, tamen ei caritatis, & humilitatis præbens officium, eius pedes lavit. Pſal. CXIX. 6. „ Cum his qui oderunt pacem „ eram pacificus. “

Sed numquid diabolus aliquid mittere poteſt in cor hominis? Videtur quod ſic. In Pſal. LXXVII. 49. enim dicitur: “ Immiſſiones per „ angelos malos. “ Sed ad hoc dicendum, quod id dicitur eſſe in corde hominis, quod eſt in cogitatione, & voluntate eius: unde quod dicitur, *Cum iam miſiſſet in cor &c.* intelligendum eſt, ideſt in voluntate eius.

Sed ſic mittere in cor, poteſt eſſe dupliciter. Directe; & ſic ſolus ille poteſt aliquid mittere in cor hominis qui habet poteſtatem movendi interius voluntatem eius: & hoc poteſt ſolus Deus; & ideo ſolus ipſe poteſt directe in voluntatem hominis imprimere. Prov. XXI. 1. „ Cor Regum in manu (ideſt in „ poteſtate) Domini: quocumque voluerit in- „ clinabit illud. “ Quia vero voluntas movetur ab exteriori obiecto ſicut a bono apprehenſo, inde eſt quod qui ſuggerit aliquid eſſe bonum, dicitur illud mittere in cor hominis, indirecte faciendo ipſum apprehendere aliquid ut bonum, ex quo voluntas movetur. Sed hoc contingit dupliciter: quia aut ſuggerendo exterius; & hoc modo etiam homo poteſt in cor aliquid mittere: aut ſuggerendo interius; & hoc modo immittit diabolus. Nam vis imaginativa cum ſit corporalis, quando Deus permittit, ſubiecta eſt poteſtati dæmonis. Unde ſive vigilando, ſive dormiendo, format in ea aliquas ſpecies, ex quibus apprehenſis movetur voluntas hominis ad aliquid appetendum. Sic ergo immittit diabolus in cor hominis, non directe per modum moventis, ſed indirecte per modum ſuggerentis.

(d) Conſequenter cum dicit, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, agit de dignitate facientis: quia Eccli. III. 20. dicitur „ Quanto maior es, humilia te. “ Ideo Evangeliſta dicturus de Chriſti humilitate, præmittit eius maximam dignitatem; & hoc quantum ad quatuor. Primo quantum ad ſcientiam; & quantum ad hoc dicit: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*. Talia enim ſunt ſpiritualia dona, quod data non ignorantur. I. Corinth. II. 12. „ Nos ſpiritum non „ hu-

(a) Al. Inde.

„ huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui „ ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo dona- „ ta ſunt nobis. " Et ideo Chriſtus ſciebat ea quæ ſibi data erant a Deo. Hoc autem ideo dicit ut humilitas magis ſit commendabilis. Quandoque enim contingit quod aliquis magnæ dignitatis eſt, & tamen propter ſimplicitatem ſuam, dignitatem ſuam non recognoſcit. Talis ergo ſi faceret aliquid humile, non reputaretur ſibi ad magnam laudem, ſecundum illud Cant. 1.7. „ Si ignoras te, pul- „ cherrima inter mulieres. " Sed ſi aliquis cognoſcit ſuæ dignitatis ſtatum, & tamen affectus eius ad humilia inclinatur, eius humilitas eſt commendanda. Et ideo dicit Evangeliſta: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*; tamen non omiſit quæ humilia ſunt facere. Secundo quantum ad poteſtatem: *quia omnia dedit ei Pater in manus*; ideſt, in poteſtate eius. Dedit Deus Chriſto homini ex tempore, quæ tamen fuerant in poteſtate Filii ab æterno. Matth. ult. 18. „ Data eſt mihi o- „ mnis poteſtas in cælo, & in terra. " Dicit autem: *Omnia dedit ei Pater in manus*, propter duo: ut oſtendat quod Chriſtus non invitus patiebatur: nam (*a*) ſi omnia erant in manu eius, ideſt in poteſtate, manifeſtum eſt quod eius adverſarii inde nihil ei contra eius voluntatem facere poterant. Secundo quia quando aliquis parvi momenti exaltatur, de facili ſuperbit, nec aliquid humile facit, ne videatur derogare ſuæ dignitati; ſed qui in magno ſtatu exiſtens exaltatur, non negligit humilia: & ideo de dignitate Chriſti mentionem facit. Tertio quantum ad nobilitatem eius; & quantum ad hoc dicit: *Quia a Deo exivit, & ad Deum vadit*. Sapient. VIII. 3. „ Contubernium habens Dei. " Quarto quantum ad ſanctitatem: quia *ad Deum vadit*. In hoc eſt ſanctitas hominis quod ad Deum vadat. Et hoc ideo ponit infra, quia ex quo ipſe ad Deum vadit, proprium eſt ſibi alios ad Deum reducere: quod quidem ſpecialiter fit per humilitatem, & caritatem; & ideo humilitatis, & caritatis eis exemplum præbuit.

LECTIO II.

(a) Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe.

(b) Deinde miſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.

(c) Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dixit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?

(d) Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quod ego facio tu neſcis modo; ſcies autem poſtea.

(e) Dixit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum.

(f) Reſpondit ei Ieſus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

(g) Dixit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput.

(h) Dixit ei Ieſus: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet; ſed eſt mundus totus.

(i) Et vos mundi eſtis; ſed non omnes.

(k) Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum: propterea dixit: Non eſtis mundi omnes.

(a) Poſtquam Evangeliſta commendavit Chriſti maieſtatem, hic commendat eius humilitatem, quam oſtendit in pedum ablutione. Et primo præmittitur præparatio Chriſti ad humilitatis obſequium; ſecundo deſcribitur ipſum obſequium, ibi, *Deinde miſit aquam in pelvim &c.* Circa primum ſciendum eſt, quod Chriſtus in humilitatis obſequio ſe miniſtrum exhibet, ſecundum illud Matth. XX. 28. „ Filius hominis non venit miniſtra- „ ri, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam „ redemptionem pro multis. " Ad bonum autem miniſtrum tria requiruntur. Primo quod ſit circumſpectus ad omnia videnda quæ deeſſe poſſunt miniſterio; & hoc maxime impediretur, ſi ſederet, vel iaceret: unde miniſtrorum eſt ſtare; & ideo dixit: *Surgit a cœna*. Luc. XXII. 27. „ Quis maior eſt, qui re- „ cumbit, an qui miniſtrat? " Secundo quod ſit expeditus ut poſſit omnia congrue peragere quæ neceſſaria ſunt miniſterio; & ad hoc multum impedit veſtium multitudo: & ideo Dominus *ponit veſtimenta ſua*. Quod quidem ſignificatum eſt Gen. XVII. quod Abraham elegit

(a) *Al. omittitur* ſi.

git expeditus vernaculos. Tertio quod ſit promptus ad ſerviendum, ut ſcilicet omnia habeat quæ ad miniſterium neceſſaria ſunt. Luc. x. 40. dicitur de Martha, quod „ ſatagebat circa frequens miniſterium. “ Et inde eſt quod Dominus *cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe*, ut ſic paratus eſſet non ſolum ad lavandum pedes, ſed etiam ad tergendum: ex quo univerſum conculcat tumorem, dum is qui ad Deum vadit, & a Deo exivit, pedes lavit.

Myſtice autem poteſt hoc factum ad duo referri, ſcilicet ad incarnationem Chriſti, & ad paſſionem eius. Si quidem referatur ad incarnationem, ſic tria hic accipiuntur de Chriſto. Primo quidem voluntas ſubveniendi humano generi, in hoc quod *ſurgit a cœna*: nam Deus quamdiu patitur nos tribulari, reſidere videtur; ſed cum nos a tribulatione eripit, videtur exurgere. Pſal. xliii. 26. „ Exurge Domine, adiuva nos. “ Secundo exinanitio eius, non quidem quod ſuæ dignitatis maieſtatem deponeret, ſed eam occultaret, parvitatem aſſumendo. Eſai. xlv. 15. „ Vere tu es Deus abſconditus. “ Et hoc ſignatur in hoc quod *ponit veſtimenta ſua*. Philip. ii. 7. „ Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens. “ Tertio aſſumptio noſtræ mortalitatis in hoc quod *præcinxit ſe linteo*. Philip. ii. 7. „ Formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. “ Si vero referatur ad paſſionem Chriſti, tunc ad litteram veſtimenta depoſuit quando milites exuerunt eum, & ſuper veſtem ſuam miſerunt ſortem: infra xix. Tunc etiam linteo præcinctus eſt in ſepulcro. In paſſione etiam depoſuit veſtimenta noſtræ mortalitatis, & aſſumpſit linteum, ideſt candorem immortalitatis. Rom. vi. 9. „ Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Deinde miſit aquam in pelvim &c.* ponit Chriſti obſequium: in quo commendatur eius humilitas quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obſequii genus, quod fuit valde humile, ut Dominus maieſtatis ſe ad lavandum pedes ſervorum inclinaret; ſecundo quantum ad obſequii multitudinem, quia miſit aquam in pelvim, lavit pedes, & terſit &c. tertio quantum ad faciendi modum, quia non per alios, nec aliorum ſubſidio, ſed per ſeipſum. Eccli. iii. 20. „ Quanto maior es, humilia te in omnibus. “

Myſtice autem per hæc, tria poſſunt intelligi. Nam primo per hoc quod aquam miſit in pelvim, ſignatur effuſio ſanguinis eius in terram. Sanguis enim Ieſu aqua dici poteſt, quia habet vim ablutivam. Apoc. i. 5. „ Lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. “ Et inde eſt quod ſimul exivit aqua & ſanguis de latere eius, ut daretur intelligi quod ſanguis ille peccatorum ablutivus eſſet. Vel per aquam poteſt intelligi paſſio Chriſti: nam in Scriptura aqua tribulationes ſignificat. Pſalm. lxviii. 1. „ Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam, “ ideſt tribulationes. *Miſit* ergo *aquam in pelvim*; ideſt, memoriam paſſionis fidelium animabus impreſſit per fidem, & devotionem. Thren. iii. 19. „ Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis meæ, abſinthii, & fellis. “ Secundo per hoc quod dixit, *Et cœpit lavare*, inſinuatur humana imperfectio: nam Apoſtoli poſt Chriſtum perfectiores erant, & tamen lotione indigebant, aliquas habentes immunditias: ut ſic detur intelligi quod quantumcumque homo ſit perfectus, nihilominus tamen magis perfici indiget, & aliquas immunditias contrahit: ſecundum illud Prov. xx. 9. „ Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, & purus ſum a peccato? “. Sed tamen huiuſmodi immunditias habent in pedibus tantum. Quidam autem non ſolum in pedibus, ſed etiam totaliter ſunt infecti. Illi enim totaliter terrenis immunditiis ſordidantur qui ſupra eas iacent: unde qui totaliter & ſecundum affectum, & ſecundum ſenſum amori terrenorum inhærent, totaliter immundi ſunt; ſed illi qui ſtant, ideſt mente, & deſiderio tendunt ad cæleſtia, immunditiam contrahunt ſolum in pedibus. Sicut enim hominem ſtantem oportet ad minus pedibus terram contingere, ita quamdiu vivimus in hac vita mortali, quæ rebus terrenis ad ſuſtentationem corporis indiget, ad minus ex parte ſenſualitatis aliquid contrahimus. Et ideo Dominus præcepit diſcipulis, Luc. ix. quod excuterent pulverem de pedibus eorum. Dixit autem, *Cœpit lavare*, quia ablutio affectuum terrenorum hic incipit, & in futuro conſummatur. Tunc enim implebitur quod dicitur Eſa. xxxv. 8. „ Via ſancta vocabitur. “ Sed attendendum, ſecundum Origenem, quod diſcipulorum pedes imminente paſſione cœpit lavare: quia ſi diu ante laviſſet eos, fuiſſent iterum ſorditati. Unde tunc incepit quando poſt modicum abluturus erat eos aqua Spiritus ſancti, ſcilicet poſt paſſionem. Actor. i. 5. „ Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. “ Sic ergo apparet ſanguinis eius effuſio per hoc quod miſit aquam in pelvim; & peccatorum noſtrorum ablutio per hoc quod cœpit lavare pedes

des diſcipulorum. Apparet tertio pœnarum noſtrarum in ſeipſo ſuſceptio: non enim ſolum maculas noſtras lavit, ſed pœnas pro eis debitas in ſeipſo aſſumpſit. Non enim pœnæ, & pœnitentiæ noſtræ ſufficerent, niſi fundarentur in merito, & virtute paſſionis Chriſti. Quod quidem apparet in hoc quod exterſit pedes diſcipulorum linteo, ſcilicet corporis ſui: I. Petr. II.

(c) Conſequenter cum dicit, *Venit ergo ad Simonem Petrum &c.* ponit exempli utilitatem per quamdam concertationem diſcipuli, & magiſtri: in qua quidem concertatione Dominns oſtendit de iſto exemplo, primo quid ſit myſticum, & quid ſit neceſſarium, ibi, *Dixit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes*; ſecundo quid ſit congruum, ibi, *Dixit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput*. Circa primum duo facit. Primo ponitur occaſio verborum Chriſti; ſecundo ipſa verba Chriſti ſubduntur, ibi, *Reſpondit Ieſus, & dixit ei &c.* Occaſio quidem verborum Chriſti fuit recuſatio Petri recuſantis ſuſcipere humilitatis exemplum: & hoc eſt quod dicit: *Venit ergo ad Simonem Petrum &c.* Quod quidem tripliciter exponitur. Primo quidem, ſecundum Origenem, quod Dominus cœpit lavare ab ultimis; & hoc ideo, quia ſicut medicus plurimorum ægrorum intentus curæ, ab his qui magis indigent, propriam curam incipit; ſic & Chriſtus, qui pedes abluit diſcipulorum fœdos, exorditur ab his qui erant magis fœdi; & ſic venit ad Petrum quaſi minus aliis indigentem. Matth. xx. 8. „ Incipiens a noviſſimis uſque ad primos. “ Et hoc quidem ſonare videntur verba Evangelii: *Cœpit lavare pedes diſcipulorum*: & poſtmodum ſequitur: *Venit ergo ad Simonem Petrum*. Ex quo videtur quod prius lavit pedes aliorum.

Si vero quæratur quare Petrus hoc præ aliis recuſavit, reſpondet Origenes, quia hoc fecit propter nimium fervorem amoris quem habebat ad Chriſtum. Alii vero diſcipuli cum timore quodam reverebantur Chriſtum; & ideo abſque diſcuſſione omne factum ſuſtinebant. Petrus vero eis ferventior: ſecundum illud Ioan. ult. 15. *Simon Iona diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu ſcis quia amo te*: ex amore fiduciam aſſumens, ferre recuſat factum, & cauſam inquirit. Eccli. VI. II. „ Amicus ſi permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis, & in domeſticis tuis fiducialiter aget. “ Et ideo Petrus invenitur in Scriptura frequenter inquirere, & prompte proferre quæ ſibi meliora videntur.

Secundo exponitur, ſecundum Chryſoſtomum, ut ſcilicet Chriſtus inceperit prius lavare pedes a primis Apoſtolorum. Sed quia proditor ille ſtultus erat, & ſuperbus, ſcilicet Iudas, prior ad pedum ablutionem recubuit ante Petrum. Nullus enim aliorum auſus fuiſſet Petrum prævenire: unde de Iuda loquitur Evangeliſta, dicens: *Cœpit lavare pedes diſcipulorum*, ſcilicet Iudæ, qui quidem utpote ſuperbus, & ſtultus, in nullo reniſus eſt, nec recuſavit ferre quod Dominus faciebat. Sed poſtquam venit ad Petrum, qui reverebatur, & diligebat magiſtrum, cum timore recuſat, & cauſam facti inquirit: & ſimile feciſſet quilibet aliorum.

Tertio vero exponitur, ſecundum Auguſtinum, quod ex verbis Evangeliſtæ non debemus intelligere quod Dominus laverit prius pedes aliis diſcipulis, & poſtmodum venerit ad Petrum; ſed quod Evangeliſta, ſecundum conſuetudinem ſuam, primo ponit factum, & poſtmodum narrat ordinem facti, ſicut & ſupra VI. facit. Unde primo inſinuat totum factum, ſcilicet quod lavit pedes diſcipulorum; & poſtmodum ſi quæratur quomodo factum fuit, dicit quod primo venit ad Simonem Petrum. Et ideo primo ipſe recuſavit dicens: *Domine, tu mihi lavas pedes?* Quæ quidem verba magnum pondus habent. *Domine*, inquit, *tu*, qui es Filius Dei vivi, *mihi lavas pedes?* qui ſum Simon Bariona, ideſt Simon Iona, Matth. XVI. Item *Domine, tu*, qui es agnus incontaminatus, ſpeculum ſine macula, & candor lucis æternæ, *mihi lavas pedes*, qui homo peccator ſum? ſecnndum illud Luc. v. 8. „ Exi a me, quia homo peccator ſum. “ *Domine, tu*, qui es creator, *mihi lavas pedes*, qui ſum creatura, & modicæ fidei? Hæc dicebat Petrus territus ex conſideratione maieſtatis Chriſti: ſecundum illud Habac. III. I. „ Conſideravi opera tua, „ & expavi. “

(d) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus &c.* ponuntur verba Chriſti, ex quibus oſtenditur factum illud eſſe myſticum: unde dixit ei: *Quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autem poſtea*. Quod quidem factum, exemplum eſt, & myſterium. Exemplum quidem humanitatis exhibendæ: Infra eodem: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Myſterium autem interioris mundationis. Infra eodem: *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet &c* Dupliciter ergo poteſt intelligi hoc quod dicit, *Quod ego facio*. Uno modo. *Quod ego facio*; ideſt, quomodo ego facio in exemplum, *tu neſcis modo*, ideſt non intelligis; *ſcies autem poſtea*, tunc ſcilicet quando expoſuit eis dicens: *Scitis quid ego fecerim vobis?* infra eodem. Alio modo. *Quod ego facio, tu neſcis modo*; ideſt, hoc myſterium eſt, & ſecretum eſt, & ſignificat interio-

Digitized by Google

tetiorem mundationem, quæ non poteſt fieri niſi per me: quod non intelligis modo; *ſcies autem poſtea*, ſcilicet recipiens Spiritum ſanctum. Intra xvi. 12. *Multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veeitatis, docebit vos omnem veritatem.*

(e) Conſequenter cum dicit, *Dixit eis Petrus &c.* oſtendit factum illud eſſe myſticum: & primo ponir verba Petri præſtantia occaſionem verbis Chriſti, ſecundo ſubiungit Chriſti verba. Dicit ergo primo Petrus: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, ideſt numquam; quaſi diceret: Abſit a me ut hoc ſuſtineam a Magiſtro, Domino, & Deo meo. Et licet Petrus hoc ex zelo faceret, eius tamen zelus indiſcretus, & inordinatus erar. Rom. x. 2. „ Zelum Dei habent, ſed non ſecun„ dum ſcientiam. " Qui quidem zelus inordinatus erat propter tria. Quia recuſar quod utile erat, & neceſſarium: nam, ſicut dicitur Rom. viii. 26. „ quid oremus, ſicut „ oportet, neſcimus: " & ideo indiſcrete recuſamus recipere quod Deus nobis largitur, eriam ſi contrarium videatur. Sic etiam & Paulus petebat remotionem ſtimuli, II. Corinth. xi. qui tamen ei utilis erat. Item quia videtur quamdam irreverentiam ad Chriſtum imporrare in hoc quod eius ordinationem infringere vult. Item quia videtur vergere in derogationem ſociorum, dum quod alii, ſecundum Origenem, a Chriſto abſque contradictione ſuſceperant, ipſe recipere recuſabat, dicens: *Non lavabis mihi pedes in æternum.*

(f) Er ideo redarguir eum Dnminus dicens: *Si non lavero te non habebis partem mecum*: quod quidem ad duo referri poteſt, videlicet ad factum, quod Chriſtus faciebat, & ad ſignatum eius. Sed ſi quidem referarur ad ſignatum, tunc planum eſt quod dicitur. Nullus enim æternæ hereditatis particeps fieri poteſt, & Chriſti coheres, niſi ſpiritualiter ſir mundatus: quia hoc dicitur Apoc. xxi. 27. „ Nihil coinquinatum (a) intrabir: " In Pſal. xiv. 1. „ Domine quis habitabir in ra„ bernaculo tuo? " Et reſpondens ſubdit: „ Innocens manibus, & mundo corde. " Quaſi ergo dicat: *Si non lavero te*, non eris mundus; & ſi non es mundus, *non habebis partem mecum.*

Sed ſi referatur ad factum, tunc dubium eſt utrum hæc ablutio ſit de neceſſitate ſalutis. Ad quod dicendum eſt, quod ſicut quędam ſunt prohibita, quia mala, & quædam mala, quia prohibita; ita quædam ſunt præcepta, quia neceſſaria, & quædam neceſſaria, quia præcepta. Hoc ergo ablutionis factum de quo Dominus dicit, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, in ſe conſideratum non eſt neceſſarium ad ſalutem; ſed ſuppoſito quod mandetur a Chriſto, iam factum eſt neceſſarium. I. Reg. xv. 22. „ Melior eſt obedien„ tia quam victima: " & ita „ quaſi ſcelus „ idolatriæ nolle acquieſcere. "

(g) Hic oſtendir factum illud eſſe congruum. Et ponuntur primo verba Petri; ſecundo ſubditur reſponſio Chriſti. Sed in verbis Petri inſinuatur ferventiſſimus amor eius ad Chriſtum. Nam ſupra, quando Dominus dixir ei, *Quod ego facio, tu neſcis modo*, dederat ei intelligere hoc factum utile fore; tamen, hac utilitate neglecta, induci non poterat ad pedum ablutionem recipiendam. Sed quando Dominus comminatus eſt ſeparationem ſuam ab ipſo, dicens, *Non habebis partem mecum*, non ſolum ad illa, ſed ad ulteriora recipienda ſe obtulit, dicens: *Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput.* In hac enim reſponſione territus totum ſe offert ad abluendum, amore turbatus, & timore. Ur enim legitur in itinerario Clementis, Perrus adeo afficiebatur ad Chriſti corpotalem præſentiam, quam ferventiſſime dilexerat, quod poſt Chriſti aſcenſionem cum dulciſſimæ præſentiæ, & ſanctiſſimæ converſationis memor erat, totus reſolvebatur in lacrymas, ita ur genæ eius viderentur aduſtæ.

Sciendum eſr autem, quod in homine tria ſunt: caput, quod eſt ſummum; pedes, qui ſunr infimi; manus, quæ ſunt mediæ. Et ſimiliter in interiori homine, ſcilicet in anima eſt caput, ratio ſcilicet ſuperior, qua anima inhæret Deo: I. Corinth. xi. 3. „ Ca„ put mulieris vir, " ideſt ſuperior ratio: manus autem, ideſt inferior ratio, quæ vacat operibus activæ: pedes autem (b) ſunt ſenſualitas. Sed Dominus ſciebar diſcipulos ſuos mundos quantum ad caput, quia Deo coniuncti erant per fidem, & caritatem; & quantum ad manus, quia eorum ſancta opera: ſed quantum ad pedes, aliquos affectus terrenorum ex ſenſualitate habebant. Petrus autem timens Chriſti comminationem, conſentit non ſolum ad ablutionem pedum, ſed etiam manus, & capitis, dicens: *Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput*; quaſi dicat: Neſcio an indigeam ablutione manus, & capitis: „ nihil enim (c) mihi „ conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus „ ſum: " I. Corinth. iv. 4. & ideo paratus ſum lavare *non tantum pedes*, ideſt affectus inferiores: Cantic. v. 3. „ Lavi pedes meos,

(a) *Al.* incurrit. (b) *Al. deeſt* ſunt. (c) *Al. omittitur* mihi.

„ quomodo inquinabo illos? " *ſed & manus*, ideſt opera: Pſal. xxv. 6. „ Lavabo inter in„ nocentes manus meas: " *& caput*, ideſt rationem ſuperiorem. Matth. vi. 17. „ Faciem „ tuam lava. "

(h) Conſequenter cum dicit, *Dixit ei Ieſus*, ponitur reſponſio Domini. Et primo dat quoddam generale documentum; ſecundo adaptat illud ad propoſitum, ibi, *Et vos mundi eſtis, ſed non omnes*; tertio Evangeliſta exponit verba Chriſti, ibi, *Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum*. Dicit ergo primo: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*; *ſed eſt mundus totus*: ſupple, præter pedes, quibus terram tangit. Per quod datur intelligi quod Apoſtoli iam baptizati erant. Dicit enim: *Qui lotus eſt &c.* & poſtea ſubdit: *Vos mundi eſtis &c.* quia ſcilicet baptizati erant.

Sed quidam dicunt, quod baptizati erant ſolum baptiſmate Ioannis: quod non videtur verum, quia ſic non erant loti: nam baptiſma Ioannis non mundabat interius a culpa. Et ideo dicendum, quod baptizati erant baptiſmo Chriſti, ſecundum Auguſtinum.

Et ſi obiicis, quod (a) Chriſtus non baptizabat, ſed diſcipuli eius, ut dicitur ſupra iv. dico, quod non baptizabat turbas; ſed diſcipulos ſuos ſibi familiares, & domeſticos baptizavit.

Sed cum baptiſmus abſtergat etiam ſordes pedum, videtur quod qui lotus eſt, ideſt baptizatus, non indiget (b) ut pedes lavet. Sed ad hoc dicendum, quod ſi ſtatim poſt baptiſmum tranſirent de mundo, non utique indigerent hac ablutione: quia cum ſint mundi toti, ſtatim evolarent. Sed qui poſt baptiſmum vivunt, in hac vita mortali non poſſunt ad tantum culmen perfectionis aſcendere quin etiam inordinati motus ſenſualitatis de affectibus terrenis inſurgant: & ideo oportet quod pedes lavent vel per martyrium, quod eſt baptiſmus ſanguinis, vel per pœnitentiam, quæ eſt baptiſmus flaminis, ut evolare poſſint.

(i) Conſequenter cum dicit, *Et vos mundi eſtis, ſed non omnes*, adaptat Dominus ad propoſitum generale documentum.

Sed ſi mundi erant, quare iterum Dominus eos abluebat? Ad quod Auguſtinus dicit, quod mundi erant quantum ad manus, & caput: ſed indigebant quantum ad pedes. Chryſoſtomus vero dicit, quod mundi erant non quidem ſimpliciter, quia nondum mundi erant ab immunditia originali; cum nondum Chriſtus paſſus eſſet, nondum ſolutum eſſet pretium noſtræ redemptionis: ſed quantum ad aliquid, mundi erant, ſcilicet ab erroribus Iudæorum. Origenes vero dicit, quod mundi erant, ſed adhuc maiori mundatione opus erat: quia ſemper ratio æmulari debet chariſmata meliora, ſemper debet virtutum alta conſcendere, iuſtitiæ candore niteſcere. Apocal. ult. 11. „ Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. " *Sed non omnes*: quia unus eorum & caput, & manus immundas habebat.

(k) Et ideo conſequenter Evangeliſta ponit verba Domini, dicens: *Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum*; quaſi dicat: Ideo dixit, *Non omnes*, quia ſciebat immunditiam Iudæ proditoris. Duo enim hominem univerſaliter emundat, ſcilicet eleemoſyna & miſericordia in pauperes: Luc. xi. 41. „ Date eleemoſy„ nam, & ecce omnia munda ſunt vobis: " & amor Dei: Luc. vii. 47. „ Dimiſſa ſunt „ ei peccara multa, quoniam dilexit mul„ tum. " Prov. x. 12. „ Univerſa delicta o„ perit caritas. " Hæc enim duo deficiebant Iudæ. Miſericordia quidem, quia fur erat, & loculos habens, & defraudabat eleemoſynas pauperum. Item amor ad Chriſtum, quia iam diabolus miſerat in cor eius ut traderet eum principibus ſacerdotum ad crucifigendum &c.

LECTIO III.

(a) Poſtquam ergo lavit pedes eorum, accepit veſtimenta ſua, & cum recubuiſſet iterum, dixit eis:

(b) Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine; & bene dicitis: ſum etenim. Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus, & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes.

(c) Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

(d) Amen amen dico vobis: non eſt ſervus maior domino ſuo, neque Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum.

(e) Si

(a) *Al. deeſt* Chriſtus. (b) *Al.* niſi ut.

(e) Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.

(f) Non de omnibus vobis dico. Ego ſcio quos elegerim.

(g) Sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem , levabit contra me calcaneum ſuum.

(h) Amodo dico vobis priuſquam fiat , ut cum factum fuerit , credatis quia ego ſum.

(i) Amen amen dico vobis: qui accipit, ſi quem miſero, me accipit ; qui autem me accipit, accipit eum qui me miſit.

(a) POſtquam Dominus oſtendit humilitatis obſequium eſſe neceſſarium , hic conſequenter inducit ad imitationem: & primo præmittit circumſtantias admonitionis ; ſecundo ipſam admonitionem proponit , ibi , *Scitis quid fecerim vobis ? &c.* Circa primum duo facit. Primo inſinuat Evangeliſta admonitionis ordinem; ſecundo manifeſtat admonentis diſpoſitionem , ibi , *Accepit veſtimenta ſua &c.*. Ordo autem admonitionis eſt ut quod primo fecit opere, doceat ſermone; & quantum ad hoc dicit: *Poſtquam ergo lavit pedes eorum, accepit veſtimenta ſua &c.* Act. I. 1. „ Cœpit (a) „ Ieſus facere , & docere . “ Matth. v. 19. „ Qui fecerit, & docuerit , hic magnus vo„ cabitur in regno cælorum. “ Diſpoſitio autem admonentis inſinuatur & quantum ad habitum , & quantum ad ſitum . Ad habitum quidem: quia diverſus habitus diverſis perſonis convenit , ſecundum propriorum actuum diverſitatem. Eccli. XIX. 27. (b) „ Amictus „ hominis annuntiat de illo. “ Alius ergo habitus competit miniſtro, alius doctori. Miniſtro autem , quia debet eſſet expeditus ad obſequium, competit ut veſtium impedimenta deponat ; & ideo Chriſtus cum miniſtrare voluit, *ſurgit a cœna , & ponit veſtimenta ſua*. (c) Doctori autem , qui debet eſſe gravis , & auctoritate præeminens , competit veſtium decens ornatus: & ideo Dominus docere volens, *accepit veſtimenta ſua* . Quantum ad ſitum vero: quia miniſtrare volens ſurrexit , unde dicit, *Surrexit a cœna*; nunc autem volens docere , recumbit : unde dicit : *Et cum recubuiſſet iterum , dixit eis*: & hoc ideo , quia doctrina debet eſſe in tranquillitate . Sedendo enim , & quieſcendo anima fit ſapiens , & prudens.

Poſſunt hæc tria habere myſterium . Cum enim Chriſtus perfectam doctrinam diſcipulis præbuerit, quando Spiritum ſanctum eis miſit : infra XIV. 26. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus , quem mittet Pater in nomine meo , ipſe vos docebit omnia , & ſuggeret vobis omnia quacumque dixero vobis*. Tria præceſſerunt ipſam miſſionem . Scilicet peccatorum ablutio per paſſionem. Apoc. I. 5. „ Lavit nos a pecca„ tis noſtris in ſanguine ſuo. “ Et quantum ad hoc dicit: *Poſtquam ergo lavit pedes eorum* ; ideſt , impleta purgatione per ſanguinem . Item reſurrectio: Chriſtus enim ante paſſionem ſuam mortale corpus habuit : quæ quidem mortalitas non competebat ei ex parte perſonæ Filii Dei, ſed ex parte humanæ naturæ aſſumptæ : ſed poſtquam reſurrexit ex virtute divinitatis, accepit corporis immortalitatem: & quantum ad hoc dicit : *Accepit veſtimenta ſua* ; ideſt , ſurgens factus eſt immortalis. Et dicit *ſua*, quia ſua virtute accepit . Rom. VI. 10. „ Quod autem vivit , „ vivit Deo , “ ideſt virtute Dei . De iſtis veſtimentis dicitur Apoc. III. 5. „ Qui vi„ cerit, veſtietur veſtimentis albis , & non „ delebo nomen eius de libro vitæ . “ Item præceſſit ſeſſio; & hoc in aſcenſione . Infra XVI. 7. *Si enim non abiero , Paraclitus non veniet ad vos &c.* Et quantum ad hoc dicit : *Cum recubuiſſet iterum* , ſcilicet ad dexteram Patris reſidens , & ſedens . Marc. ult. 19. „ Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locu„ tus eſt , aſſumptus eſt in cælis , & ſedet „ (d) a dextris Dei. “ Et dicit *iterum* , non quod inquantum Filius Dei umquam ſedere deſierit, quinimmo ab æterno eſt in ſinu Patris; ſed quia inquantum homo exaltatus eſt ad potiora bona Patris. Philip. II. 9. „ Pro„ pter quod & Deus exaltavit illum, & de„ dit illi nomen quod eſt ſuper omne no„ men. “ Sic ergo antequam Spiritum ſanctum perfecte docentem infunderet , lavit ſanguine fuſo; accepit veſtimenta, reſurgendo ; recubit, in gloria aſcendendo.

(b) Conſequenter cum dicit, *Scitis quid fecerim vobis*? proponit ipſam admonitionem: & primo interrogat ; ſecundo aſſumit ; tertio concludit ; quarto concluſionem confirmat . Interrogat quidem, cum dicit: *Scitis quid fecerim vobis*? quaſi dicat: Facta quidem vidiſtis, ſed tamen quare hoc fecerim , non intelligitis : & ideo ſic quærit ut oſtendat facti magnitudinem , & ad conſiderandum inducat . Opera enim Dei conſideranda ſunt, quia profunda.

(a) *Al.* omittitur Ieſus. (b) *Al.* amicus. (c) *Al.* Doctor. (d) *Al.* a dextris Dei Patris omnipotentis.

ſunda . Pſal. xci. 6. „ Quam magnificata „ ſunt opera tua Domine ! Nimis profundæ „ factæ ſunt cogitationes tuæ . “ Vix enim ſufficienter opera Dei ſcire poſſumus: ſecundum illud Eccle. viii. 17. „ Intellexi quod „ rationem operum Dei nullam poſſit homo „ invenire . “ Sunt etiam delectabilia ad conſiderandum. Pſal. xci. 5. „ Delectaſti me Do„ mine in factura tua , & in operibus ma„ nuum tuarum exultabo. “ Sunt etiam utilia, quia ducunt in cognitionem auctoris. Sap. xiii. (*a*) „ Si operibus intendiſſent &c. “ Supra v. 36. *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut faciam , ipſa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Poteſt etiam, ſecundum Origenem , hoc quod dicitur, *Scitis quid fecerim vobis* ? accipi imperative; quaſi dicat: Sciatis quid fecerim vobis. Et tunc hoc dicit Dominus, ut eorum erigat intellectum.

Aſſumit eorum confeſſionem, dicens: *Vos vocatis me Magiſter*, *& Domine* . Et primo proponit eorum confeſſionem ; ſecundo commendat eam, ibi, *Et bene dicitis* . Circa primum ſciendum eſt , quod Apoſtolus I. Corinth. i. duo dicit de Chriſto , ſcilicet quod ſit Dei virtus, & Dei ſapientia . Inquantum eſt virtus Dei, omnibus dominatur: ut enim dicit Ambroſius , „ Dominus nomen eſt pot„ eſtatis ; “ inquantum eſt Dei ſapientia , omnes inſtruit ; & ideo diſcipuli vocabant eum Dominum. Supra vi.69. *Domine , ad quem ibimus*? Et magiſtrum . Supra iv. 31. *Rabbi manduca*. Et merito: ipſe enim Dominus eſt ſolus creans , & recreans : Pſal. xcix. 3. „ Scitote quoniam ipſe eſt Dominus : “ ipſe ſolus eſt magiſter interius docens : Matth. xxiii. 10. „ Magiſter veſter unus eſt Chri„ ſtus, omnes autem vos fratres eſtis. “ Conſequenter cum dicit, *Et bene dicitis*, commendat eorum confeſſionem . Circa quod ſciendum eſt, qood aliquid redditur commendabile dupliciter . Uno modo ſi id quod dicitur conveniat rei de qua dicitur ; quod fit per veritatem, quia ſi ſit falſum , non convenit ei: unde bene dicitur Epheſ. iv. 25. „ De„ ponentes mendacium loquimini veritatem.“ Adeo enim vitanda ſunt mendacia, ut etiam ſi (*b*) cedere videantur ad laudem Dei, non ſunt dicenda . Quantum ad hoc ergo dicit , *Bene dicitis* ; & hoc ideo, quia verum eſt quod dicitis; quia competit mihi: *ſum etenim*, ſcilicet Magiſter, & Dominus. Magiſter, inquam, propter ſapientiam quam doceo verbis; Dominus propter potentiam quam oſtendo miraculis. Alio modo redditur commendabile, ſi quod dicitur conveniat perſonæ dicentis . Aliqui enim ſunt qui vocant Chriſtum Magiſtrum , & Dominum , quibus non competit , cum non ſubiiciant ſe diſciplinæ, & mandato Dei; & iſti non bene dicunt : unde Matth. xxv.12. illis qui dicunt, „ Domine „ aperi nobis, “ reſpondetur: „ Amen amen „ dico vobis , neſcio vos : “ quia hoc non corde dicunt, ſed ore tantum. Iſtud Apoſtoli bene dicebant , quia hoc eis competebat : unde dicit eis, *Et bene dicitis* , ideſt verum : *ſum etenim* , ſcilicet (*c*) vobis Magiſter , & Dominus : nam me auditis ut Magiſtrum : ſupra vi. 69. *Ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes*: ſequimini ut Dominum : Matth. xix. 27. „ Ecce nos reliquimus omnia , & „ ſecuti ſumus te. “

Sed contra hoc eſt qood dicitur Prov.xxvii. 2. „ Laudet te alienus, & non os tuom; ex„ traneus, & non labia tua.“ Videtur ergo quod Dominus non bene fecerit laudando ſe. Sed ad hoc reſpondet Auguſtinus dupliciter. Uno modo, quia vituperabile eſt quod quis ſe commendet propter periculum ſuperbiendi: nam periculoſum eſt ſibi placere (*d*) cui cavendum eſt ſuperbire . Ubi ergo non imminet periculum ſuperbiendi , non eſt vituperium propria commendatio. In Chriſto autem hoc periculum non timebatur: ille enim qui ſuper omnia eſt, quantumcumque ſe lauder, non ſe extollit excelſus. Alio modo quia aliquando laudabile eſt quod homo ſe commendet, quando ſcilicet cedit ad utilitatem fidelium:& ſic Apoſtolus commendat ſe, II.Corinth. xi. Sed valde nobis utile eſt, & per omnem modum neceſſarium ut Deum cognoſcamus , cum in hoc conſiſtat tota perſectio noſtra : unde expedit nobis ut revelet nobis magnitudinem ſuam: alioquin nullo modo eam ſcire poſſemus, ſi non indicet ſe ipſe qui novit: & ideo oportet quod ipſe ſe nobis laudet : quia, ut dicit Auguſtinus, ſi non ſe laudando quaſi arrogantiam vitare voluerit , nobis ſapientiam denegabit. Eccli. xxiv. 1. „ Sa„ pientia laudabit animam ſuam. “

Concludit vero cum dicit: *Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus*, *& Magiſter*, *& vos debetis alter alterius lavare pedes* . Ubi arguit ab eo quod minus videtur ad id quod magis . Minus enim videtur quod maior debeat facere aliqood humile, quam minor : & ſecundum hoc concludit : *Si ergo ego*, qui ſum maior , quia Magiſter, & Dominus, *lavi pedes veſtros*; *& vos* multo magis, qui eſtis miaores , qui eſtis diſcipuli, & ſervi , *debetis alter alterius lava-*

(a) *Ibi verſ.4.*„ Aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis quomodo qui hæc fecit, „ fortior eſt illis: a magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri . „ (b) *Al.* credere. (c) *Al.* verbis. (d) *Al.* cum.

Digitized by Google

lavare pedes. Matth. xx. 26. „ Qui maior eſt „ veſtrum, ſit veſter miniſter .... nam Filius „ hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. “

Sed contra videtur quod hoc quod dicitur, *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, habeat rationem præcepti; ſed qui negligit præceptum peccat mortaliter: ergo &c. Reſponſio. Dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod omnis homo debet lavare pedes alterius vel corporaliter, vel ſpiritualiter; & multo melius eſt, & ſine controverſia verius, ut aliquis faciat opere, (*a*) ne dedignetur quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo (*b*) vel excitatur, vel, ſi iam inerat, confirmatur humilitatis affectus. Quod ſi non fiat opere, ſaltem hoc corde facere debemus. In lotione enim pedum datur intelligi lotio macularum. Tunc ergo ſpiritualiter lavas pedes fratris tui, cum, quantum in te eſt, abluis maculas eius. Et hoc fit tripliciter, remittendo ſcilicet ei offenſam: ſecundum illud Coloſſ. III. 13. „ Donantes invicem vobismetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & „ vos. “ Item orando pro peccatis eius: ſecundum illud Iacob. ult. 16. „ Orate pro invicem ut ſalvemini. “ Et iſte duplex lavandi modus communis eſt omnibus fidelibus. Tertius modus pertinet ad prælatos, qui lavare debent remittendo peccata auctoritate clavium: ſecundum illud infra xx. 22. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Poſſumus etiam dicere, quod hoc in facto Dominus oſtendit omnia opera miſericordiæ. Nam qui dat panem eſurienti, pedes eius lavat, ſimiliter qui eum hoſpitio recipit, & qui operit nudum, & ſic de aliis. Roman. XII. 13. „ Neceſſitatibus ſanctorum communicantes. “

(e) Confirmat autem concluſionem cum dicit: *Exemplum enim dedi vobis &c.* & hoc quidem ex quatuor. Primo quidem ex ſua intentione; ſecundo vero ex auctoritate, ibi, *Amen amen dico vobis*; tertio ex præmio, quod ipſi operi debetur, ibi, *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea*; quarto ex dignitate eorum quibus pedes lavat, ibi, *Amen amen dico vobis: qui accipit, ſi quem miſero, me accipit*. Dixit ergo, quod hoc ideo feci ut darem vobis exemplum: & ideo *debetis alter alterius lavare pedes*: quia hoc in facto illo intendebam. Nam in actibus hominum plus movent exempla quam verba. Id enim homo agit, & eligit quod videtur ei bonum: unde magis oſtendit eſſe bonum quod ipſemet eligit, quam quod docet eſſe eligendum. Et inde eſt quod quando aliquis dicit aliquid, & tamen aliud facit, magis ſuadet aliis quod facit, quam illud quod docet: & ideo maxime neceſſarium eſt ex ipſo facto exemplum dare. Sed exemplum quidem puri hominis humano generi non erat ſufficiens ad imitandum: tum quia ratio humana ab omni conſideratione deficit; tum quia in ipſa rerum conſideratione decipitur: & ideo datur nobis exemplum Filii Dei, quod eſt (*c*) infallibile, & ad omnia ſufficiens. Unde dicit Auguſtinus: „ Quæ ſuperbia non „ ſanatur, ſi humilitate divina non ſanatur;“ ſimiliter quæ avaritia; & ſic de aliis. Sed attende, quod ſatis convenienter Filius Dei eſt nobis in exemplum virtutum: ipſe enim eſt ars Patris, ut ſicut fuit exemplar creationis, eſſet etiam exemplar iuſtificationis. I. Pet. II. 21. „ Chriſtus paſſus eſt pro nobis, „ vobis relinquens exemplum ut ſequamini „ veſtigia eius. “ Iob XXIII. 11. „ Veſtigia „ eius ſecutus eſt pes meus, viam eius cuſtodivi, & non declinavi ex ea. “

(d) Conſequenter cum dicit, *Amen amen dico vobis: non eſt ſervus maior domino ſuo &c.* confirmat concluſionem ex auctoritate: & primo tangit diſcipulorum conditionem; ſecundo ipſorum officium. Conditio autem diſcipulorum eſt quod ſunt ſervi. Luc. XVII. 10. „ Cum „ omnia bene feceritis, dicite quia ſervi inutiles ſumus. “ Officium autem eorum eſt quod ſint Apoſtoli. Luc. VI. 13. „ Elegit duodecim, quos Apoſtolos nominavit. “ Sic ergo dicit: Dico, quod *debetis alter alterius lavare pedes, ſicut & ego lavi*: quia *non eſt ſervus maior domino ſuo*, quantum ad primum, *neque Apoſtolus*, ideſt miſſus, *maior eo qui miſit illum*. Licet autem ipſe Filius Dei, qui eſt Apoſtolus confeſſionis noſtræ, ut dicitur ad Hebr. III. ſit æqualis illi qui miſit eum, ſcilicet Patri; de omnibus tamen aliis verum eſt quod hic dicitur: *Neque Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum*.

Sed contra: infra enim XV. 15. Dominus dicit diſcipulis ſuis: *Iam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat dominus eius*. Reſpondeo dicendum, quod duplex eſt ſervitus. Una quæ procedit ex timore filiali, quæ facit bonum ſervum: ſecundum illud Matth. XXV. 23. „ Euge ſerve bone, & fidelis: “ & hoc modo Dominus vocat eos ſervos. Alia eſt ſervitus, quam facit timor ſervilis: de qua dicitur Matth. XVIII. 32. „ Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: “

& de

(a) *Al.* ne dignetur. (b) *Al. deeſt* vel. (c) *Al.* ineffabile.

Digitized by Google

& de hac dicit Dominus: *Iam non dicam vos ſervos &c.*

(e) Conſequenter cum dicit, *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea*, confirmat concluſionem ex præmio: & primo proponit præmium; ſecundo excipit aliquem ab eo, ibi, *Non de omnibus vobis dico*. Dicit ergo: *Si hæc ſcitis;* quaſi dicat: Tu hæc dicis nobis, quæ quidem non ignoramus. Quare ergo dicis nobis? Ideo, inquam, quia & *ſi hæc ſcitis*, quod quidem eſt omnium, tamen *beati eritis, ſi feceritis ea*, quod eſt paucorum. Et dicit, *Si ſcitis, & feceritis*, ſcilicet quia, ut dicitur Luc. XI. 28. „ beati qui audiunt verbum Dei, & „ cuſtodiunt illud. “ Et Pſal. CX. 10. „ Intellectus bonus omnibus facientibus eum. “ E contra dicitur Iacob. IV. 17. „ Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi. “

(f) Excipit autem (a) quemdam, cum dicit: *Non de omnibus vobis dico*: & primo proponit exceptionem; ſecundo aſſignat exceptionis rationem, ibi, *Sed ut impleatur Scriptura*; tertio aſſignat rationem quare ponit exceptionem, ibi, *Amodo dico vobis priusquam fiat*. Circa primum duo facit. Primo ponit exceptionem; ſecundo reſpondet tacitæ quæſtioni. Exceptionem ponit cum dicit: *Non de omnibus vobis dico &c.* quaſi dicat: Beati eritis, tamen non omnes: quia *non dico de omnibus vobis*, quod ad beatitudinem perveniatis. I. Corinth. IX. 24. „ Omnes quidem currunt, „ ſed unus accipit bravium. “ Eſt enim aliquis inter vos, ideſt Iudas, qui non erit beatus, neque faciet ea. Sed, ſecundum Origenem, Dominus non dicit, *Beati eritis* abſolute, ſed appoſuit conditionem, dicens: *Si feceritis ea*: quod quidem verum eſt in omnibus, etiam in Iuda: ſi enim Iudas feciſſet ea, beatus fuiſſet. Unde vult quod magis excipiat hoc quod dicit: *Non eſt ſervus maior domino ſuo &c.* quaſi diceret: Dico quòd eſtis ſervi, & Apoſtoli; *non tamen de omnibus hoc dico*: Iudas enim dum eſſet ſervus peccati, non erat ſervus divini Verbi, neque Apoſtolus, diabolo ingreſſo in cor eius.

Sed quia poſſet aliquis dicere: Ex quo non dicit de omnibus ut ſint beati, vel eius Apoſtoli, ergo ex improviſo aliquis eſt de eius collegio periturus: (b) ideo Dominus ad hæc reſpondens, dicit: *Ego ſcio quos elegerim*; quaſi diceret: Electi non peribunt; ſed non omnes ſunt electi. Ille ergo peribit qui electus non eſt, ſcilicet Iudas. Infra XV. 16. *Non me elegiſtis, ſed ego elegi vos*.

Sed contra eſt quod dicitur ſupra VI. 71. *Nonne ego vos elegi duodecim?* Cum ergo Iudas eſſet unus ex duodecim, videtur quod fuerit electus. Sed dicendum, quod duplex eſt electio. Una eſt ad præſentem iuſtitiam; & ad hanc electus fuit Iudas: alia electio eſt ad finalem gloriam; & ſecundum hanc Iudas non fuit electus.

(g) Ratio autem huius exceptionis eſt, *ut impleatur Scriptura*: quæ hic prædicit, non quod cogat, ſed quia hoc quod futurum erat, non tacuit. Luc. ult. 44. „ Oportet impleri „ omnia quæ ſcripta ſunt, in lege Moyſi, & „ Prophetis, & Pſalmis de me. “ Matth. V. 18. „ Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiant. “ Quæ quidem Scriptura dicit: *Qui manducat panem mecum, levabit contra me calcaneum ſuum*. Hoc eſt, ſecundum aliam translationem, ubi nos habemus (Pſal. XL. 10.) „ Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem: “ ubi oſtenditur Iudæ ad Chriſtum familiaritas, cum dicit: *Qui manducat panem mecum*: Iudas enim panem cum aliis diſcipulis cum Chriſto comedit, etiam conſecratum. Item oſtenditur eius malignus conatus contra Chriſtum, cum dicit: *Levabit contra me calcaneum ſuum*; ideſt, conabitur ad meam conculcationem. Calcaneo enim comprimimus hoſtes: Geneſ. III. 15. „ Ipſa conteret caput tuum, „ & tu inſidiaberis calcaneo eius. “ Tunc ergo dicitur aliquis levare calcaneum ſuum contra aliquem, quando conatur eum opprimere. Sed hoc Iudas non poterit: quia unde ipſe credit me opprimere, inde exaltabor. Supra XII. 32. *Ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*. In quo habemus exemplum ut ſiquando a famulis, aut ab aliquibus vilioribus patiamur aliquod malum, non ſcandalizemur, reſpicientes Iudæ exemplum, qui infinitis (c) potitus bonis, in contrarium remuneravit benefactorem. Ideo autem Dominus Iudam, quem futurum noverat eſſe malum, elegit, ut daret intelligere quod nulla ſocietas hominum ſine alicuius mali admixtione futura erat. Cant. II. 2. „ Sicut „ lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. “ Unde Auguſtinus dicit in quadam epiſtola: „ Non audeo mihi arrogare quod do„ mus mea ſit melior cœtu Apoſtolorum. “ Item ut ſi contingat quod aliquis ab aliquo prælato in ſocietatem Eccleſiæ aſſumptus, malus efficiatur, non ſit in condemnationem ipſius prælati. Ecce enim quod Iudas electus a Chriſto, proditor efficitur. Sic etiam Act. VIII. Philippus aſſumpſit Simonem magnum. Hier. XVIII.

(a) *Al.* quædam. (b) *Al.* & ideo. (c) *Al.* potius, *item* potitur.

Digitized by Google

xviii.20. „ Numquid redditur pro bono ma- „ lum, quia foderunt foveam animæ meæ? “ Matth. x. 36. „ Inimici hominis , domeſtici „ eius. “

(h) Conſequenter cum dicit , *Amodo dico vobis priuſquam fiat*, aſſignat cauſam quare exceptionem poſuit; quaſi dicat: Diu tacui eius malitiam; ſed quia tempus eſt ut prodeat in publicum , ideo *dico vobis* , ideſt manifeſto , *antequam fiat , ut credatis quia ego ſum* , qui futura prædico, & occulta cordis manifeſto; quod eſt proprium Dei . Hier. xvii. 9. „ Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis „ cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, „ & probans renes . “ Eſai. xli. 23. „ Secu„ tura quoque annuntiate nobis, & ſciemus „ quia dii eſtis vos . “ Vel „ Ego ſum qui „ ſum: “ Exod. iii. 14.

(i) Conſequenter cum dicit , *Amen amen dico vobis &c.* confirmat concluſionem inductam ex dignitate eorum quibus pedes lavit: quorum tanta eſt dignitas ut obſequia eis impenſa quodammodo videantur redundare in Deum ; ſed tamen ſecundum quemdam gradum: quia quæ fiunt fidelibus per Chriſtum, redundant in Deum Patrem . Oſtendit ergo primo quomodo ea quæ fiunt diſcipulis Chriſti, redundant in Chriſtum : & quantum ad hoc dicit: *Amen amen dico vobis* ; quaſi diceret: Vere debetis lavare pedes, quia *qui recipit , ſi quem miſero, me accipit* ; ideſt , obſequium quod exhibetur his quos ego mitto , mihi attribuo factum . Matth. x. 40. „ Qui vos „ recipit, me recipit . “ Secundo oſtendit quomodo obſequium Chriſto exhibitum redundat in Patrem, dicens: *Qui autem me accipit , accipit eum qui me miſit*. Supra v. 23. *Ut omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem*. Secundum autem Origenem, poteſt intelligi dupliciter. Uno modo connexim ; & ſic eſt ſenſus: *Qui accipit , ſi quem miſero , me accipit &c.* ideſt, qui recipit miſſos a me, recipit & Patrem. Qui ergo recipit, ſi quem miſero, recipit Patrem. Alio modo diſtinctim; & ſic eſt ſenſus: *Qui recipit , ſi quem miſero, me accipit*: verum eſt corporaliter : ſed *qui recipit me* , ſcilicet ſpiritualiter ad animas venientem : ſecundum illud Epheſ. iii. 17. „ Habitare „ Chriſtum per fidem in cordibus veſtris : “ *accipit eum qui me miſit* , ſcilicet Patrem . Non tantum ego in eo manebo, ſed & Pater . Infra xiv. 23. *Ad eum veniemus , & manſionem apud eum faciemus* .

Sed ex hoc Arrius errorem ſuum confirmare nititur hoc modo . Dominus dicit , (a) quod qui recipit ipſum, recipit Patrem: ergo eadem eſt comparatio Patris mittentis ad Filium, quæ eſt Filii mittentis ad diſcipulos; ſed Chriſtus mittens, eſt maior diſcipulis miſſis: ergo Pater eſt maior Filio . Sed ad hoc dicendum, ſecundum Auguſtinum , quod in Chriſto fuerunt duæ naturæ , humana ſcilicet, & divina: & ſecundum hoc loquitur ex una parte ſecundum humanam naturam , dicens: *Qui accipit , ſi quem miſero , me* , hominem, *accipit* , qui communico cum eis in una natura: & ex alia parte loquitur ſecundum divinitatem : *Qui autem me* , Deum , *accipit* , *accipit eum qui me miſit*, qui cum eo ſum unius naturæ. Vel qui accipit eum quem ego mitto, accipit me , cuius auctoritas eſt in eis; & qui me accipit, accipit Patrem , cuius auctoritas eſt in me: ut ſic in verbis iſtis importetur quaſi mediatio Chriſti inter Deum & hominem: ſecundum illud I. Tim. ii. 5: „ Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus „ Ieſus. “

L E C T I O IV.

(a) CUm hæc dixiſſet Ieſus , turbatus eſt ſpiritu , & proteſtatus eſt , & dixit : Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.

(b) Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret.

(c) Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu , quem diligebat Ieſus .

(d) Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt de quo dicit?

(e) Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu , dicit ei : Domine , quis eſt ?

(f) Reſpondit Ieſus : Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero . Et cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Scariotæ.

(g) Et poſt bucellam, introivit in eum ſatanas.

(a) Su-

(a) *Al. deeſt* quod.

(a) SUpra oſtendit exemplum Evangeliſta quod Chriſtus præbuit ſuis diſcipulis ad imitandum; hic oſtendit defectum diſcipulorum, quem prænuntiat eis Ieſus, qui nondum erant idonei ad ſequendum: & primo ponit defectum diſcipuli qui eum tradidit; ſecundo defectum diſcipuli qui eum negavit, ibi, *Dixit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis?* Circa primum duo facit. Primo denuntiat diſcipuli proditionem; ſecundo eius ſeparationem, ibi, *Cum ergo exiſſet dixit Ieſus &c.* Circa primum duo facit. Primo ponitur prænuntiatio futuræ proditionis; ſecundo ipſius proditionis executio, ad veritatem prænuntiantis comprobandam, ibi, *Quod facis, fac citius*. Circa primum duo facit. Primo prænuntiat ſcelus proditionis; ſecundo perſonam proditoris, ibi, *Aſpiciebant ergo diſcipuli ad invicem*. Circa primum primo præmittit prænuntiantis affectum; ſecundo ponit prænuntiatum effectum. Prænuntians ergo Chriſtus eſt, qui afficitur ad turbationem: & quantum ad hoc dicit: *Cum hoc dixiſſet Ieſus*, reinvitans eos ad caritatem, qua privatum videbat proditorem diſcipulum, *turbatus eſt ſpiritu*.

Circa quod ſciendum eſt, quod turbatio deſignat commotionem quamdam: & hoc apparet per hoc quod habetur ſupra v. 4. *Angelus Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua*. Et poſtea ſequitur: *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam*: quod pro eodem accipit aquam turbari, & moveri. Secundum hunc etiam modum dicimus mare turbatum, quando eſt commotum. Turbatio ergo animi, eius commotionem deſignat. Sed ſunt quidam actus animæ ſine commotione corporis, ideſt actus intellectivæ partis. Actus (*a*) autem appetitus ſenſitivi ſunt cum corporis commotione: unde affectiones appetitus ſenſitivi, paſſiones dicuntur. Inter omnes autem affectiones ſeu paſſiones appetitus ſenſitivi, triſtitia magis vim commotionis habet. Delectatio enim, cum dicat quietem in bono præſenti, magis rationem quietis habet quam commotionis. Timor etiam, cum ſit de malo futuro, minus movet quam triſtitia, quæ eſt de malo præſenti. Et inde eſt quod turbatio animi præcipue dicitur triſtitia. Turbatus eſt ergo Ieſus, ideſt triſtatus.

Sed attendendum, quod quidam Philoſophi fuerunt, ſcilicet Stoici, dicentes, quod huiuſmodi turbatio, & huiuſmodi paſſiones in ſapientem non cadunt: quamvis enim ſapiens ſecundum eos timeat, gaudeat, & deſideret; nullo modo tamen triſtatur. Sed horum falſitas manifeſte apparet ex hoc quod Ieſus, qui eſt ſumma ſapientia, turbatur.

Sciendum tamen, quod duplex (*b*) eſt turbatio. Quædam procedit ex carne, quando ſcilicet quis turbatur (*c*) præter iudicium rationis ex apprehenſione ſenſuali: quæ quidem turbatio quandoque quidem conſiſtit intra limites rationis, in nullo eam obnubilans; quæ non perfecta paſſio, ſed propaſſio dicitur a Hieronymo; & hæc in ſapientem cadit; quandoque autem rationis limitem excedit, & eam turbat, & eſt non ſolum paſſio, ſed etiam turbatio; & hæc in ſapientem non cadit. Alia eſt turbatio quæ procedit ex ratione, quando ſcilicet ex rationis iudicio, & deliberatione turbatur quis in appetitu ſenſitivo: & hæc turbatio fuit in Chriſto: unde ſignanter dicit Evangeliſta, quod *turbatus eſt ſpiritu*; ideſt turbatio quæ fuit in appetitu ſenſitivo, in Chriſto fuit ex iudicio rationis. Unde ſupra XI. 33. dicit, quod *turbavit ſemetipſum*. In Chriſto enim omnia ex deliberatione rationis etiam in inferiori appetitu ſenſitivo proveniebant: unde nec ſubiti motus ſenſualitatis in Chriſto fuerunt.

Voluit autem hic Ieſus turbari propter duo. Primo quidem propter fidei noſtræ inſtructionem. Nam imminebat ei paſſio, & mors, quam naturaliter refugit natura humana; & cum eam ſibi ſentit imminere, triſtatur tamquam de malo, & nocivo ſibi præſente. Ut ergo oſtenderet ſe veram naturam humanam habere, voluit turbationis affectum ex iudicio rationis etiam quantum ad ipſam animam pati. Per quod excluditur error Apollinaris dicentis, in Chriſto non fuiſſe animam, ſed Verbum loco animæ. Secundo propter noſtram ædificationem. Videbat enim, ſecundum Auguſtinum, quod proditor ille exiturus erat, ut Iudæos qui eum caperent, adduceret: ex quo ſeparabatur a collegio ſanctorum, & ſententiam mortis contra ſe accipiebat: & ideo ex quodam pietatis affectu ad eum triſtabatur, dans per hoc exemplum prælatis, quod ſi duram ſententiam quandoque contra ſubditos proferre contingat, cum dolore cordis proferant: ſecundum illud Pſal. CXL. 5. „Corripiet me iuſtus in miſericordia.“ Nam ipſe proditionem Iudæ aliis manifeſtare volens, *turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt*, ne ſcilicet quaſi ignorans proderetur, *& dixit: Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet*. Signanter autem dicit, *Unus ex vobis*, electis ſcilicet ad ſanctum collegium, ut det intelligere quod nullum

(a) *Al.* *deeſt* autem. (b) *Al.* eſt hic turbatio. (c) *Al.* poſt.

lum futurum foret adeo ſanctum collegium quin aliquis peccator, & malus in ipſo inveniatur. Iob 1. 6. „ Cum veniſſent filii „ Dei ut aſſiſterent coram Domino, affuit „ inter eos etiam ſatan. “ Dicit autem, *Unus*, non duo, vel plures, ne collegium deteſtari videatur, ſed proditorem ex collegio: nam propter unum malum ex collegio, collegium malum reputari non debet. Ideo autem (*a*) quia ſi plures mali eſſent, collegium poſſet malnm reputari, *Unus*, inquit, *ex vobis*, numero, non merito, & ſpiritus vinculo: I.Ioan. 11. 19. „ Ex nobis prodierunt; ſed „ non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex no„ bis, permanſiſſent utique nobiſcum: “ *me tradet*. Ecce enunciatio: me, inquam, Magiſtrum, me Dominum, me Salvatorem.

(b) Conſequenter cum dicit, *Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli &c.* occulte deſignat perſonam proditoris. Et primo ponitur deſignationis occaſio; ſecundo perſonæ deſignatio, ibi, *Reſpondit Ieſus: Ille eſt cui intinctum panem porrexero*; tertio deſignationis effectus, ibi, *Et poſt bucellam introivit in eum ſatanas*. Eſt autem deſignationis duplex occaſio. Una diſcipulorum communis hæſitatio; alia fuit prædicta interrogatio. Primo ergo ponit primam; ſecundo ſecundam, ibi, *Erat ergo recumbens*. Sciendum eſt circa primum, quod boni diſcipuli habebant ad Chriſtum maximam caritatem, & maximam fidei firmitatem. Ex caritate quidem præſumebat quilibet ex ſe, quod nullus eum erat negaturus; ſed ex fidei firmitate certiſſime tenebant quod verbum Chriſti falſum eſſe non poterat: & ideo licet (*b*) nullius ſibi ipſis conſcii eſſent mali, tamen prænuntiationem Chriſti propriis cogitationibus veriorem, & credibilem eſſe putabant. Unde ſe homines eſſe memores, & alterabilem eſſe affectum, etiam ad hoc provectornm, ita ut contrarium velit ei quod prius voluit, magis de ſe dubitabant quam de Chriſti veritate: & ideo *aſpiciebant ad invicem, haſitantes de quo diceret*. I. Corinth. x. 12. „ Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne ca„ dat. “ Iob ix. 30. „ Si lotus fuero quaſi „ aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſimæ „ manus meæ; tamen ſordibus intinges me. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu*, ponitur inquiſitio diſcipuli: & primo deſcribitur eius ad Chriſtum familiaritas; ſecundo excitatio eius ad interrogandum, ibi, *Innuit huic ergo Simon Petrus*; tertio ſubditur eius interrogatio, ibi, *Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei*. Familiaritas autem diſcipuli ad Chriſtum oſtenditur in hoc qnod ſuper eum recumbit: unde dicit: *Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu*. Diſcipulus iſte Ioannes Evangeliſta fuit, qui hoc Evangelium ſcripſit, & de ſe in perſona alterius loquitur, volens vitare iactantiam, ſecutus morem aliorum qui ſacras Scripturas conſcripſerunt. Sic enim Moyſes in libris ſuis de ſe, ſicut de quodam altero loquitur, dicens: „ Locutus eſt Dominus ad Moyſen di„ cens &c.“ Sic & Matthæus (ix. 9.) „ Vi„ dit hominem ſedentem in telonio Matthæum „ nomine &c. “ Et Paulus II. Corinth. xii. 2. „ Scio hominem in Chriſto ..... raptum „ huiuſmodi uſque ad tertium cælum. “ Tria autem hic Ioannes de ſe tangit. Primo quidem amorem qno quieſcebat in Chriſto, dicens, quod *erat recumbens*, ideſt quieſcens. Iob xxii. 26. „ Tunc ſuper Omnipotentem deli„ ciis afflues, & elevabis ad Deum faciem „ tuam.“ Pſal. xxii. 3. „ Super aquas refectionis „ educavit me. “ Secundo ſecretorum notitiam, quæ ei Chriſtus revelabat, & ſpecialiter in conſcriptione huius Evangelii, unde dicit, quod recubuit *in ſinu Ieſu*: per ſinum enim ſecretum ſignificatur. Supra 1. 18. *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Tertio (*c*) ſpecialem dilectionem qua eum Chriſtus diligebat: unde dicit: *Quem diligebat Ieſus*: non quidem ſingulariter, ſed quaſi quodammodo excellentius præ aliis dilexit. Quomodo autem (*d*) eum excellentius præ aliis dilexerit, magis in fine huius libri dicetur. Quantum ad præſens autem ſciendum, quod Ioannes fuit magis dilectus a Chriſto propter tria. Primo quidem propter munditiam puritatis: quia virgo eſt electus a Domino, & virgo in ævum permanſit. Et Prov. xxii. 11. „ Qui diligit cordis munditiam, „ propter gratiam labiorum ſuorum habebit „ amicum Regem. “ Secundo propter ſublimitatem ſuæ ſapientiæ, quia ceteris altius arcana divinitatis intuitus eſt: unde & aquilæ comparatur. Prov. xiv. 35. „ Acceptus eſt „ Regi miniſter intelligens. “ Tertio propter vehementem fervorem affectus ſui ad Chriſtum. Prov. viii. 17. „ Ego diligentes me „ diligo. “

(d) Conſequenter cnm dicit, *Innuit ergo huic Simon Petrus*, ponitur excitatio ad interrogandum.

Sed cum innuere ſit abſque verbo inſinuare; ad quid eſt hoc quod dicit: *Innuit ergo ... & dicit*? Ad hoc dicendum, quod nos dicimur aliquid innuere quando aliquid interius cogitamus: ſecundum illud Pſal. lii. 1. „ Di-

(a) *Al.* *deeſt* quia. (b) *Al.* nulli. (c) *Al.* ſpecialis dilectio. (d) *Al.* *omittitur* eum.

„ xit inſipiens in corde &c. “ Multo ergo magis dicimur aliquid dicere innuendo iam exterius quibuſcumque, vel qualibuſcumque ſignis, quod fuerat corde conceptum. Et ſic eſt ſenſus: *Innuit .... & dicit*; ideſt, innuendo dicit. Vel poteſt dici, quod primo innnit ſigno, & poſtea dicit verbo, hoc ſcilicet quod ſequitur: *Quis eſt de quo dicit*? quod ſcilioet eum tradet:

Sed cum Petrus ubique in Evangeliis ſemper audax, & primus ad reſpondendum propter amoris ſervorem inveniatur; quid eſt quod hic tacet? (*a*) Quid eſt quod alteri interrogationem committit? Cuius quidem ratio poteſt eſſe triplex, ſecnndnm Chryſoſtomnm. Una, quia cum ſupra eſt reprehenſus a Domino de hoc quod lavari ſibi pedes non patiebatur a Domino, & audiviſſet: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*: dubitabat nunc de hoc Dominum moleſtare. Alia ratio eſt, qnia Petrus nolebat quod Dominus hoc publice, (*b*) ita quod alii poſſent audire, manifeſtaret. Unde quia ipſe remotus erat a Chriſto, nec ipſe tantum audiviſſet, Ioannem, qui proximus erat Chriſto, ad interrogandum excitat. Habet etiam rationem myſticam. Per Ioannem enim contemplativa; per Petrum activa vita ſignatur. Petrus vero mediante Ioanne inſtruitur a Chriſto: quia vita activa de divinis inſtruitur mediante contemplativa. „ Maria enim ſedens ſecus pe„ des Domini audiebat verba illius; ſed Mar„ tha ſatagebat circa frequens miniſterium: “ Luc. x. 39.

(e) Conſequenter cum dicit, *Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei &c.* ponitur interrogatio.

Sed notandum, quod cum Petrus innuit ut interrogaret, recumbebat Ioannes in ſinu Ieſu; nunc vero eum interrogat Ioannes, qui ſupra pectus eius recumbit. Pectus enim vicinius eſt ori quam ſinus. Ioannes ergo ſecretius andire volens reſponſum, & magis ſilenter, de ſinu conſcendit ad pectus.

Myſtice autem per hoc datur intelligi, quod quanto magis homo vult divinæ ſapientiæ ſecreta capere, tanto magis conari debet, ut propinquior fiat Ieſu: ſecundum illud Pſal. xxxiii. 6. „ Accedite ad eum, & il„ luminamini. “ Nam divinæ ſapientiæ ſecreta illis præcipue revelantur qui Deo innecti ſunt per amorem. Iob xxxvi. 33. „ An„ nuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio „ eius ſit. Prov. xviii. 17. „ Venit amicus „ eius, & inveſtigavit eum. “

(f) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus &c.* deſignat perſonam proditoris: & primo verbo; ſecundo facto. Verbo quidem, cum dicit: *Ille eſt cui intinctum panem porrexero*: quod poteſt dno ſignificare, ſecundum quod poteſt dupliciter accipi. Quia ſi accipiatur hic in malum, ſignificat Iudæ ſimulationem: nam ſicut panis intinctus infectus eſt ex eo quod intingitur, & mutat colorem; ita & ſimulator, dum aliud gerit in corde, & aliud prætendit ore: & ſic erat Iudas, qui exterius prætendebat ſe Magiſtrum diligere, in corde proditionem tractabat. Pſal. xxvii. 3. „ Loquuntur pacem cum proximo „ ſuo, mala autem in cordibus eorum. “ Si vero accipiatur in bonum, ſic ponitnr ad exaggerandam eius malignitatem. Panis enim intinctus magis ſapidus eſt. Ut ergo oſtendat quod licet multa bona a Chriſto receperit Iudas, eorum tamen immemor prodit eum, panem ſibi intinctum porrigit. Pſal. liv. 14. „ Tu vero homo unanimis, dux meus, & „ notus meus, qui dulces ſimul mecum ca„ piebas cibos. “ Facto autem oſtendit, cum dicit: *Et cum intinxiſſet panem, dedit Iuda Simonis Scarioth*. Hinc aliqni dicunt, (*c*) hunc panem fuiſſe corpus Chriſti conſecratum. Sed hoc, ſecundum Auguſtinum, non eſt verum: nam ſicut ex aliis Evangeliis habetur, Dominus cum cœnaret, diſcipulis corpus ſuum dedit: & ideo patet quod Iudas cum aliis diſcipulis ſimul corpus Chriſti accepit in cœna. Chriſtus autem poſtquam aliquantulum in cœna proceſſerat, ſurrexit a cœna, & lavit pedes diſcipulotum, quibus lotis reſedit, & poſtmodum panem tinctnm Iudæ rradidit. Unde patet quod non erat corpus Chriſti.

(g) Sequitur deſignationis effectus, cum dicit: *Et poſt bucellam introivit in eum ſatanas*.

Sed quæritur hic quomodo ſatanas in hominem intrat? Ad quod dicendum, quod ſatanam intrare in hominem, poteſt intelligi dupliciter. Quia intrare poteſt in corpus hominis, ſicut patet in his qui corporaliter a dæmonio vexantur; & ſic poteſt diabolus eſſentialiter in hominem intrare. Vel poteſt intelligi intrare in mentem, ita quod menti dæmon eſſentialiter illabatur. Et ſic nullus poteſt intrare in hominem niſi ſolus Deus. Anima enim rationalis non habet dimenſiones quantitatis, ut aliquid in ea eſſe dicatur, quaſi infra eius dimenſionem contentum ſit. Nihil poteſt in ea eſſe (*d*) niſi quod ei dat eſſe, quod eſt ibi per virtutem ſuam. Ubi autem eſt virtus Dei, ibi eſt & eſſentia Dei: in Deo (*e*) enim idem eſt eſſentia, & virtus. (*f*) Manifeſtum eſt ergo quod

Deus

(a) *Al.* Quod quidem alteri. (b) *Al.* & quod. (c) *Al. omittitur* hunc. (d) *Al.* niſi quod eſt ibi per virtutem ſuam. (e) *Al.* autem. (f) *Al.* Manifeſtatum.

Digitized by Google

Deus eſſentialiter eſt in anima. Dicitur tamen diabolus illabi menti humanæ per effectum, & affectum malitiæ, inquantum ſcilicet homo ab eo ſeductus, ſequitur eum ad perpetrandum malum.

Sed cum ſupra dixerit: *Cum diabolus iam miſiſſet in cor ut traderet eum Iudas*; hic autem dicit: *Introivit in eum ſatanas*: videtur aliud eſſe mittere, & intrare. Sed ad hoc dicendum, quod hoc non eſt dictum ad ſignificandum differentiam, (*a*) ſed ad inſinuandum augmentum malitiæ. Tunc enim dicitur diabolus immittere aliquod malum in cor hominis cum homo præbet ei aſſenſum ad malum, tamen cum quadam trepidatione an hoc facere debeat; ſed tunc intrat in cor quando homo totaliter dat ſe ad ſequendum eius inſtinctum, & in nullo ei reſiſtit. *Intravit ergo in eum ſatanas*, ut plenius poſſideret, & ad perpetrandum malitiam duceret, in quem prius miſerat ut deciperet.

Quæritur quare Luc. XXII. dicatur, quod intravit ſatanas in eum; quod quidem fuit antequam bucellam acciperet. Et hoc eſt contra illud quod Ioannes hic dicit, ſcilicet quod *poſt bucellam introivit ſatanas in eum*. Reſponſio. Dicendum, quod tunc introivit ad proditionem faciendam; ſed nunc introivit ad (*b*) eam exequendam, & complendam.

Sed numquid bucellam dare Iudæ, poſtquam introivit in eum ſatanas, fuit malum? Reſponſio. Dicendum, quod non. Sed ipſe Iudas cum eſſet malus, bono uſus eſt male. Sic cum quis indigne accipit euchariſtiam, quod bonum eſt, & optimum, male accipit, & vertitur ſibi in malum, quia „ iudicium ſibi „ manducat, & bibit: “ I. Corinth. XI 29.

LECTIO VI.

(a) ET dicit ei Ieſus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quod dixiſſet ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixiſſet ei Ieſus: Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum; aut egenis ut aliquid daret.

(b) Cum ergo accepiſſet ille bucellam, exivit continuo. Erat autem nox.

(a) POſita prænuntiatione futuræ proditionis, hic ponitur conſummatio ipſius rei prænuntiatæ, ſcilicet perpetratio proditionis. Et primo promittit Iudæ adimplere quod dixerat; ſecundo oſtendit quomodo adimpletur, ibi, *Cum ergo accepiſſet ille bucellam, exivit continuo*. Circa primum tria facit. Primo ponit verba Domini permittentis; ſecundo manifeſtat ipſorum verborum obſcuritatem; tertio ſubdit quomodo illa verba fuerunt ab Apoſtolis intellecta. Verba autem Domini ſunt iſta: *Quod facis, fac citius*: quæ quidem verba non ſunt præcipientis, ſeu conſulentis, cum peccatum cadere non poſſit ſub præcepto, & conſilio divino: quia dicitur in Pſal. XVIII. 9. „ Præceptum Domini lucidum „ illuminans oculos: “ ſed ſunt verba permittentis. Nam ut dictum eſt, diabolus miſerat in cor Iudæ ut traderet eum, ſcilicet Ieſum, quod iam tractaverat cum principibus; ſed implere non poterat niſi ipſe Chriſtus permitteret: quia ſupra X. 18. *Nemo tollet a me animam meam*; *ſed ego pono eam a me ipſo*. Eſa. LIII. 7. „ Oblatus eſt, quia ipſe vo„ luit. “ Sunt etiam verba crimen proditionis exprobrantis, ut oſtenderet quod dum ille conferret beneficia, iſte intentaret mortem. Pſal. XLIX. 21. „ Arguam te, & ſtatuam „ contra faciem tuam. “ Sunt etiam verba ad opus noſtræ redemptionis anhelantis, ut Auguſtinus dicit. Non tamen præcepit facinus, ſed prædixit, non tam in perniciem perfidi ſæviendo, quam ad ſalutem fidelium feſtinando. Luc. XII. 50. Baptiſmo habeo bapti„ zari, & quomodo coarctor donec perficia„ tur? “ Verba autem Domini obſcura erant quantum ad diſcipulos; & ideo dicit: *Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit*. In quo datur intelligi quod verba Chriſti adeo profunda ſunt, & humanum intellectum excedentia, quod non plus inde capere poſſumus niſi quantum ipſe revelat. Prov. XXV. 2. „ Gloria Domini eſt celare ver„ bum. “

Sed hic oritur quæſtio: cum enim Ioanni Dominus perſonam proditoris deſignaſſet, dicens: *Ille cui intinctum panem porrexero*; & dediſſet panem intinctum Iudæ: nimium videntur rudes fuiſſe diſcipuli, quod verbum Domini non intellexerunt. Ad quod dicendum eſt, quod Dominus verba illa occulte dixerat Ioanni tantum, ut non fieret proditor ma-

(a) *Al.* ſcilicet augmentum malitiæ. (b) *Al. deeſt* eam.

manifeſtus. Cuius ratio eſt, quia Petrus ita ſervidus erat in amore Chriſti quod ſi pro certo ſciviſſet Iudam fuiſſe Chriſtum traditurum, ſtatim occidiſſet eum.

Sed cum Ioannes unus eſſet ex diſcumbentibus, adhuc incidit alia quæſtio, cur dixerit, quod *nemo ſcivit diſcumbentium*. Ad quod dicendum eſt, quod conſuetudo boni animi, & innocentis eſt ut etiam alios procul ab iniquitate eſſe credat, a qua ſeipſos noverunt immunes. Quia igitur Ioannes innocentiſſimus erat, & a proditionis iniquitate ſemotus, nequaquam ſuſpicabatur quod diſcipulus in tantum iniquitatis prodiret.

Quid autem diſcipuli veram cauſam verborum ignorantes de ipſis verbis æſtimarent, ſubdit Evangeliſta, dicens: *Quidam autem ex ipſis*, ſcilicet diſcipulis, *putabant, quia loculos habebat Iudas &c.* Ubi ſciendum eſt, quod Dominus Deus cæli, qui dat eſcam omni carni, loculos habuit, non quod poſſideret aliquid terrenum, ſed a fidelibus oblata conſervans, ſuis neceſſitatibus, & aliis indigentibus ſubveniret: quos quidem loculos Iudas conferebat. In quo datur exemplum, ut Auguſtinus dicit, (a) quod Eccleſia poteſt habere pecuniam, & reſervare pro neceſſitatibus imminentibus. In quo etiam inſtruimur, quod eccleſiaſtica pecunia ſit expendenda ſolum in duobus. Primo quidem in his quæ pertinent ad cultum divinum: unde dicit: *Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*, ideſt quibus Deum colere poſſumus in die feſto. Malach. III. 10. „ Inferte omnem decimam in horreum meum, „ & ſit cibus in domo mea. “ Deinde vero in his quæ pertinent ad pauperum ſuſtentationem, ut ſubdit: *Aut egenis aliquid daret*.

Sed ſi obiicias contra id quod dicit Dominus, Matth. VI. 34. „ Nolite cogitare in craſtinum: “ ad hoc reſpondet Auguſtinus, & dicit, quod hoc non fuit præceptum a Domino ad hoc ut nihil pecuniæ, ſeu aliarum rerum unins diei a ſanctis ſervetur in craſtinum; ſed ideo Dominus dixit, “ Nolite cogitare in craſtinum, “ ne ſcilicet prædicaremus, & alia Dei ſervitia faceremus ut provideatur nobis in poſterum: vel ne deſiſtamus ab his quæ virtutis ſunt, propter diei craſtini ſolicitudinem. Ex quo patet quod Dominus dicens, „ Nolite ſoliciti eſſe de craſtino, “ duo prohibet. Unum ut non faciamus bona propter craſtinum; aliud ut non retrahamur a bonis propter timorem craſtinæ inopiæ &c. Chryſoſtomus autem planius exponit dicens: „ Nolite cogitare de craſtino; „ ideſt, curam quæ incumbit diei craſtino, „ nolite anticipare in diem hodiernnm: ſufficit enim diei malitia ſua. “

Dubitatur etiam hic, quod Dominus præcepit diſcipulis ſuis Luc. X. 4. Nolite portare „ in via ſacculum, neque peram, neque calceamenta. “ Quomodo ergo ipſe loculos habebat? Sed, ſecundum Chryſoſtomum, Dominus loculos ferebat ad inopum miniſterium, ut hinc diſcas quod quantumcumque pauperem, & mundo crucifixum, oportet de pauperibus curam habere: ſecundum illud Pſal. CXI. 9. „ Diſperſit, dedit pauperibus &c. “ Vel dicendum, quod hoc quod dicit, „ Nihil tuleritis in via &c. “ referendnm eſt ad ſingulares prædicatores, & Apoſtolos, qui nihil portare debent quando ad prædicandum vadunt. Non autem referendum eſt ad totum collegium, quod oportet aliqnid habere & pro ſeipſis, & pro egenis.

(b.) Conſequenter cum dicit, *Cum ergo accepiſſet ille bucellam, exivit continuo*, ponitur adimpletio rei prænuntiatæ: & primo ponitur executio; ſecundo temporis determinatio. Executio quidem feſtina: qnia *cum bucellam accepiſſet, exivit continuo*. Ubi attende, ſecundum Origenem, quod non dicit Evangeliſta, Cum comediſſet bucellam; ſed *Accepiſſet*: quod poteſt dupliciter intelligi. Uno modo quod proditor in hoc tantum ſolicitus obedire magiſtro, accepto pane non comederit eum; ſed forte in menſa dimiſſo, nullam traxit moram, vadens ad proditionem perpetrandam. Cuius quidem ratio eſſe poteſt, quod diabolus, qui iam intraverat in cor Iudæ, timens ne ſi panem comederet, eum cedere oporteret, non valentem in eodem loco cum Ieſu eſſe, non permiſit Iudam panem comedere. II. Corinth. VI. 15. „ Quæ conventio Chriſti ad Belial? “ I. Corinth. X. 21. „ Non poteſtis ſimul eſſe participes menſæ „ Domini, & menſæ dæmoniorum. “ Alio modo poteſt intelligi, quod panem acceptum comedit; & ſic eſt ſenſus: *Cum ergo accepiſſet ille bucellam*, non ſolum in manu, ſed etiam comedendo, ſic *exivit continuo*, male utens bono. Sicut & qui indigne manducat panem Domini, aut bibit eius calicem, in præiudicium ſibi manducat, atque bibit, & magis aggravatut peccatis; ſic panis a Ieſu datus Iudæ, fuit in damnum, ut poſt panem intraret in eum ſatanas.

Tempus autem, ſeu hora determinatur tenebroſa: unde dicit: *Erat autem nox*: quod quidem determinat propter duo. Primo ad eius malitiam aggravandam, quæ intantum invaluerat in cor eius, ut nec propter tem-

poris

(a) *Al.* quod etiam poteſt.

poris inopportunitatem uſque mane perſtitiſſet. Iob xxiv. 14. „ Mane primo conſurgit „ homicida ..... & de nocte efficitur fur. " Secundo ad deſignandam mentis qualitatem: *Erat enim nox*; quia mens Iudæ proditoris obſcura erat a luce divina. Supra xi. 9. *Qui ambulat in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: qui autem ambulat in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.*

LECTIO VI.

CUm ergo exiſſet, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo; & continuo clarificabit eum.

POſt egreſſum Iudæ ad mortem Domini procurandam, agit Dominus de receſſu ſuo ad gloriam: & primo annuntiat eis gloriam ad quam vadit, ut inde conſolentur; ſecundo prænuntiat eis ſuum receſſum, ibi, *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum &c.* Gloria autem ad quam vadit eſt glorificatio, & exaltatio Chriſti, inquantum eſt Filius hominis: & hoc eſt quod dicit: *Cum ergo exiſſet*, ſcilicet Iudas, *dixit Ieſus*, diſcipulis ſuis: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis &c.* Ubi ſciendum eſt, quod clarificari idem eſt quod glorificari: gloria enim dicitur quaſi claria. Unde ſecundum Ambroſium, „ gloria eſt clara cum laude notitia. " Unde expoſitores ubi in Græco eſt *clarificare*, transferunt *glorificare*, & e converſo. Et ſic idem eſt quod hic dicitur, *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*, quod glorificatus. Poteſt ergo exponi quadrupliciter, ſcilicet referendo ad quadruplicem gloriam Chriſti. Primo quidem ad gloriam crucis; ſecundo ad gloriam iudiciariæ poteſtatis; tertio ad gloriam reſurrectionis; quarto ad gloriam cognitionis Chriſti in fide populorum. Hanc enim quadruplicem gloriam Scriptura attribuit Chriſto. Primo ergo Chriſtus clarificatus fuit in crucis exaltatione: unde etiam Paulus in ipſa cruce gloriam ſuam dicit eſſe, Galat. ult. 14. „ Mihi abſit „ gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu „ Chriſti. " Et de hac gloria exponit Chryſoſtomus. Unde circa hoc Dominus quatuor tangit de gloria crucis. Primo ipſam gloriam; ſecundo gloriæ fructum; tertio gloriæ actorem; quarto gloriæ tempus. Quantum ad primum dicit: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis &c.* Sciendum eſt enim, quod quando aliquid incipit fieri, videtur quaſi eſſe factum. Iuda autem exeunte ad ducendum milites, videtur negotium paſſionis Chriſti, per quam glorificandus erat, inchoatum eſſe; & ideo dicit: *Nunc glorificatus eſt Filius hominis &c.* ideſt, incipit paſſio in qua glorificabitur. Clarificatus eſt enim Chriſtus per paſſionem crucis, quia per eam de inimicis, ſcilicet morte, & diabolo, triumphavit. Hebr. ii. 14. „ Ut per „ mortem deſtrueret eum qui habebat mor„ tis imperium. " Item quia per eam coniunxit terrena cæleſtibus. Coloſ. i. 20. „ Pacificans per ſanguinem crucis eius ſive quæ „ in terris, ſive quæ in cælis ſunt. " Item quia per eam omnia regna obtinuit. Pſal. xcv. 9. ſecundum aliam litteram: " Dicite in „ gentibus, quia Dominus regnavit a ligno. " Item quia in ea multa miracula oſtendit: nam velum templi ſciſſum eſt, mota eſt terra, petræ ſunt ſciſſæ, & ſol obſcuratus eſt, & multa corpora ſanctorum ſurrexerunt, ut dicitur Matth. vii. Propter hoc ergo imminente paſſione dicit: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*; quaſi, nunc incipit paſſio mea, quæ eſt mea glorificatio. Fructus autem huius gloriæ eſt quod inde Deus glorificetur; & ideo dicit: *Et Deus clarificatus eſt in eo*; ideſt, in Filio hominis glorificato: quia gloria paſſionis ad hoc tendit, ut Deus inde glorificetur. Si enim Deus glorificatur de morte Petri: infra ult. 19. *Hoc dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum*: multo magis clarificatus eſt per mortem Chriſti. Actor autem huius gloriæ non eſt Angelus, neque homo, ſed ipſemet Deus; & ideo dicit: *Si Deus glorificatus eſt in eo*; ideſt, ſi tanta eſt gloria quod Deus inde glorificetur, non debuit per alium clarificari; ſed *ipſe Deus clarificavit ipſum in ſemetipſo*, ideſt per ſemetipſum. Infra xvii. 5. *Clarifica me, Pater, claritate quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.* Tempus autem huius gloriæ eſt feſtinum: quia *continuo*, ideſt ſtatim, *clarificabit eum*; ideſt, dabit ei clarificationem crucis. Crux enim, licet gentibus, & his qui pereunt ſit ſtultitia, nobis tamen credentibus eſt maxima Dei ſapientia, & Dei virtus: I. Corinth. i.

Secunda autem gloria Chriſti, eſt gloria iudiciariæ poteſtatis. Marc. xiii. 26. „ Tunc „ videbunt Filium hominis venientem in nubi„ bus, cum virtute multa, & gloria. " Et de hac gloria exponit Auguſtinus, ut in Gloſſa tangitur. Unde ſecundum hoc quatuor hic fa-

facit . Primo ponit gloriam iudiciariæ poteſtatis; ſecundo oſtendit meritum quo ad hanc pervenitur ; tertio hoc exponit ; quarto demonſtrat huius gloriæ principium . Dicit ergo quantum ad primum : *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*. Ubi ſciendum eſt, quod in ſacra Scriptura (*a*) res ſignificatæ appellantur nomine rerum ſignificantium , ſignificatione non expreſſa, ſecundum illud I. Corinth. x. 4. „ Petra autem erat Chriſtus. “ Ubi non dicit, Petra ſignificat Chriſtum . In hoc autem facto quod Iudas exivit ab Apoſtolis , repræſentatur figura futuri iudicii, ubi mali ſeparabuntur a bonis , cum ſtatuet oves a dextris , hædos autem a ſiniſtris , ut habetur Matth. xxv. In hoc ergo quod Iudas exivit , quia futurum iudicium figurabatur; ideo Dominus poſt exitum Iudæ agit de gloria iudiciariæ poteſtatis , qua iudicaturus eſt , dicens: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*; ideſt, per eius exitum repræſentata eſt gloria Filii hominis , quam habebit in iudicio, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit . Non autem dicitur: Nunc ſignificata eſt glorificatio Filii hominis ; ſed *Nunc glorificatus eſt Filius hominis*, more Scripturæ ſacræ prædicto . Meritum autem huius glorificationis eſt ut Deus glorificetur in eo . In illis enim clarificatur Deus qui quærunt facere voluntatem eius, non ſuam; talis autem erat Chriſtus. Supra vi. 58. *Non veni facere voluntatem meam , ſed eius qui miſit me* . Et ideo *Deus clarificatus eſt in eo*. Exponit autem hoc , cum dicit : *Si Deus clarificatus eſt in eo*; ideſt , ſi voluntatem Dei faciens , (*b*) Deum clarificat, merito *Deus clarificabit eum in ſemetipſo*, ut ſcilicet natura humana, quæ a Verbo æterno ſuſcepta eſt , (*c*) etiam immortali æternitate donetur; & ideo *in ſemetipſo*, ideſt in gloria ſua. Philip. ii. 9. „ Propter quod exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt „ ſuper omne nomen. “ Ipſa ergo glorificatio qua Deus glorificatus eſt in Chriſto, eſt meritum in quo Chriſtus ſecundum quod homo glorificatus eſt *in ſemetipſo* , ideſt in gloria Dei . Et hoc fuit quando humana natura , depoſita infirmitate per mortem crucis, accepit gloriam immortalitatis in reſurrectione . Inde ipſa reſurrectio fuit principium quo inchoata eſt iſta gloria : ideo dicit: *Et continuo clarificabit eum* , in reſurrectione , quæ ſcilicet ſtatim erit : ſecundum illud Pſal. cvii. 3. „ Exurgam diluculo. “ Et alibi, Pſal. xv. 10. „ Non dabis Sanctum tuum „ videre corruptionem. “

Tertia Chriſti gloria , eſt gloria reſurrectionis, de qua dicitur Rom. vi. 4. „ Quomodo „ ſurrexit Chriſtus per gloriam Patris, ita & „ nos in novitate vitæ ambulemus. “ Et de hac gloria exponit (*d*) hic Hilarius, & etiam partim Auguſtinus . Et ſecundum hoc primo prænuntiat Chriſtus hanc ſuam gloriam , dicens: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*. Et loquitur de futuro per modum præteriti : quia quæ ſtatim fieri credimus , quaſi facta habemus. Gloria autem reſurrectionis in proximo imminebat ; & ideo dicit : *Nunc clarificatus eſt*; quaſi, corpus naturæ divinæ (*e*) conſociatione , gloriam quodammodo divinitatis adeptus eſt . Secundo ſubingit cauſam huius glorificationis, & valde ſubtiliter : nam , ut ipſe dicit, humanitas Chriſti in reſurrectione glorificata eſt ex coniunctione divinæ naturæ eam aſſumentis in perſona Verbi , quia hoc dicitur in Pſal. xv. 10. „ Non derelinques „ animam meam in inferno , nec dabis Sanctum tuum (qui eſt Sanctus ſanctorum) „ videre corruptionem . “ Debetur etiam Chriſto homini talis gloria inquantum eſt Deus. Nos etiam intantum gloriam reſurrectionis habebimus, inquantum paticipes ſumus divinitatis. Rom. viii. 11. „ Qui ſuſcitavit „ Ieſum Chriſtum a mortuis, (*f*) reſuſcitabit „ & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis . “ Et ideo dicit, quod *Filius hominis* , ſcilicet Chriſtus , ſecundum humanam naturam, *clarificatus eſt*, per reſurrectionem. Et quis clarificabit eum? *Deus*, inquit, *clarificabit eum in ſemetipſo* , ut ſcilicet Chriſtus homo, (*g*) qui regnat in gloria quæ ex Dei gloria eſt , & ipſe exinde in Dei gloriam tranſeat, ſcilicet manſurus totus in Deo; quaſi deificatus ex ea qua homo eſt diſpenſatione ; ſicut ſi dicerem : Lampas clara eſt, quia ignis clareſcit in ea. Illud ergo quod emittit radios claritatis ad humanitatem Chriſti ; eſt Deus ; & ſic humanitas Chriſti clarificatur a gloria divinitatis eius , & humanitas Chriſti inducitur in gloriam divinitatis , non per (*h*) tranſmutationem naturæ , ſed per participationem gloriæ , inquantum ipſe Chriſtus homo adoratur tamquam Deus . Philip. ii. 9. „ Propter quod „ & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen , ut in „ nomine Ieſu omne genu flectatur. “ Et ideo dicit: *Et Deus clarificatus eſt in eo*; ideſt , ſi ita eſt quod gloria divinitatis ad gloriam humanitatis redundet, *Deus clarificavit eum*; ideſt, fecit eum participem ſuæ gloriæ , eum

ad

(a) *Al.* res ſignatæ appellantur nomine rerum ſignantium. (b) *Al.* eum clarificavit. (c) *Al.* etiam immortali æternitati debetur. (d) *Al.* hoc. (e) *Al.* conſolatione. (f) *Al.* ſuſcitabit & mortalia corpora noſtra. (g) *Al.* qui regnat in gloria Dei eſt, ipſe &c. (h) *Al.* tranſumptionem.

Digitized by Google

ad ſuam gloriam aſſumendo. Philip. II. II. „ Omnis lingua confiteatur quia Dominus „ Ieſus in gloria eſt Dei Patris. “ Et ſic duplex eſt gloria Chriſti. Una quæ eſt in humanitate eius a divinitate derivata; alia eſt divinitatis, ad quam quodammodo aſſumitur humanitas, ut dictum eſt: ſed aliter & aliter. Nam prima gloria habuit principium temporis; & ideo (a) de ipſa loquitur in præterito dicens: *Et Deus clarificavit eum in ſemetipſo*, quod fuit in die reſurrectionis. Secunda gloria eſt perpetua, quia ab æterno Verbum Dei eſt Deus, ad quam humanitas Chriſti aſſumpta in perpetuum glorificabitur: unde de iſta loquitur in futuro dicens: *Et continuo clarificabit eum*; ideſt, ſemper faciet eum in illa gloria in perpetuum eſſe.

Quarta gloria Chriſti eſt gloria cognitionis in fide populorum; & de hac exponit Origenes. Ubi notandum eſt, quod gloria, ſecundum eum, aliter accipitur in communi uſu hominum, & aliter in Scriptura. Nam ſecundum communem uſum, gloria nihil aliud eſt quam a pluribus collata præconia, vel „ clara cum laude notitia, “ ut Ambroſius dicit: in ſacra Scriptura gloria importat aliquod divinum indicium ſuper homines. Unde Exod. xl. 32. (*b*) „ Gloria Domini apparuit „ ſuper tabernaculum; “ ideſt, aliquod divinum indicium requievit ſuper ipſum. Et ſimiliter illud quod dicitur de facie Moyſi, quod glorificata eſſet. Et ſicut gloria corporaliter dicit aliquod divinum indicium ſuper homines, ita etiam & ſpiritualiter intellectus hominis dicitur glorificari quando ita deificatus, ac tranſcendens omnia materialia, elevatur ad Dei cognitionem: per hoc enim efficitur particeps gloriæ ipſius. II. Corinth. III. 18. „ Nos autem revelata facie gloriam Domini „ ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur. “ Si ergo quicumque cognoſcit Deum, glorificatur, & particeps gloriæ effectus eſt; manifeſtum eſt quod Chriſtus, qui perfectiſſime Deum cognovit, utpote totius divinæ gloriæ ſplendor exiſtens, Hebr. I. & totius gloriæ divinæ fulgorem capere valens, Luc. XI. ſi, inquam, ita eſt; Chriſtus perfectiſſime eſt glorificatus, & etiam omnes qui Deum cognoſcunt, hoc a Chriſto habent. Sed Chriſtum ſic glorificatum eſſe in perfectiſſima cognitione, & participatione divinitatis, nondum homines cognoſcebant: & ideo, licet in ſe glorificatus eſſet, non tamen glorificatus erat in notitia hominum. Sed hanc gloriam incepit habere in reſurrectione, & in paſſione, in quibus homines cognoſcere cœperunt ſuam virtutem, & ſuam divinitatem. De hac ergo ſua glorificatione Dominus hic loquens, dicit: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*; ſcilicet, ſecundum humanitatem, in ſua paſſione, quæ imminebat, clarus effectus eſt in notitia hominum; *& Deus*, ſcilicet Pater, *glorificatus eſt in eo*. Filius enim non ſolum revelat ſe, ſed etiam (*c*) Patrem. Infra XVII. 6. *Pater, manifeſtavi nomen tuum*. Et ideo non ſolum clarificatus eſt Filius, ſed etiam Pater. Matth. XI. 27. „ Patrem nemo novit niſi Filius, & cui vo- „ luerit Filius revelare. “ Et dicit, *In eo*: quia qui videt Filium, videt & Patrem: infra XIV. Maioris autem eſt ut aliquid maius rependat; & ideo ſubdit: *Et ſi Deus clarificatus eſt in eo*; ideſt, ſi ex (*d*) claritate Filii hominis quodammodo creſcit gloria Deo Patri, inquantum magis ab omnibus cognoſcitur; *& Deus clarificavit eum in ſemetipſo*; ideſt, notificavit, quod Chriſtus Ieſus eſt in ſua gloria. Et hoc non differtur, quia *continuo clarificabit eum*, ideſt ſtatim &c.

L E C T I O VII.

(a) Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum.

(b) Quæretis me, & ſicut dixi Iudæis, Quo ego vado, vos non poteſtis venire, & vobis dico modo.

(c) Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.

(d) In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.

(a) SUpra poſuit Dominus claritatem quam adepturus erat per ſuum receſſum; hic ipſum ſuum receſſum prænuntiat eis: & primo prænuntiat eis ſuum receſſum; ſecundo oſtendit quod nondum diſcipuli idonei erant ad eum ſequendum, ibi, *Quæretis me*;

tertio

(a) *Al.* de ipſo. (b) *Ibi*: „ Operuit nubes tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini implevit illud. “
(c) *Al.* Pater. (d) *Al.* caritate.

tertio docet quomodo idonei fiant, ibi, *Mandatum novum de vobis*. Receſſum autem futurum in brevi prænuntiat eis, dicens, *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum*. Et utitur verbo filiationis ad maiorem inflammationem. Nam quando amici ab invicem diſcedunt, tunc maxime affectu amoris inardeſcunt. Supra eodem: *Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Sed dicit, *Filioli mei*, in diminutivo, ut oſtendat eorum imperfectionem: nondum enim erant perfecte filii, quia nondum perfecte diligebant: nondum erant in caritate perfecti. Galat. IV. 19. „ Filioli „ mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. " Nihilominus tamen ſatis creverant in perfectione: quia ex ſervis facti ſunt filioli, ut hic habetur, & fratres, infra XX. 17. *Vade ad fratres meos, & dic eis &c.* Notandum tamen, quod hoc quod dicitur, *Adhuc modicum*, tripliciter exponi poteſt, ſecundum quod Chriſtus eſt tripliciter cum ſuis diſcipulis. Chriſtus enim cum ſuis diſcipulis erat corporaliter. Corpus autem eius poteſt conſiderari dupliciter. Primo ſecundum ſimilitudinem conditionis naturæ humanæ: nam Chriſtus ſecundum corpus mortalis erat, ſicut & ceteri homines, & ſic ly *modicum* accipitur pro tempore quod erat inter verba ſermonis huiuſmodi, & mortem ſuam: ut ſit ſenſus: *Adhuc modicum vobiſcum ſum*; ideſt, modicum temporis extat quod capiar, & moriar, & tunc reſurgam, deinceps immortalis, etiam ſecundum corpus, exiſtens. Rom. VI. 9. „ Chriſtus reſurgens ex mortuis, „ iam non moritur, mors illi ultra non do„ minabitur. " Et ideo dicitur Luc. ult. 44. „ Hæc dicebam vobis, dum adhuc eſſem vo„ biſcum &c. " Secundo fuit cum eis præſentia corporali, ſed ſecundum quod corpus eius erat iam glorificatum; & ſic ly *modicum* accipitur pro tempore quod erat uſque ad aſcenſionem. Infra XVI. 16. *Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem*. Aggæi II. 7. „ Adhuc modicum & ego movebo cælum, „ & terram, & mare, & aridam. " Tertio exponitur ſecundum quod Chriſtus fuit cum eis ſpiritualiter ſecundum ſuæ divinitatis præſentiam, & in ſacramentis; & ſic ly *modicum* accipitur pro tempore quod exiſtebat uſque ad conſummationem ſæculi: quod quidem tempus dicitur eſſe modicum in comparatione ad æternitatem. I. Ioan. II. 18. „ Filioli mei, „ noviſſima hora eſt. " Et ſic eſt ſenſus: *Modicum vobiſcum ſum*; ideſt, licet a vobis corporaliter diſcedam, tamen ſpiritualiter adhuc *ſum vobiſcum modicum* iſtud temporis quod extat uſque ad conſummationem ſæculi. Matth. ult. 20. „ Ecce ego vobiſcum „ ſum uſque ad conſummationem ſæculi. " Sed hæc expoſitio non congruit, ſecundum præſentiam divinitatis ſuæ, quia non ſolum uſque ad conſummationem ſæculi, ſed etiam in perpetuum erit cum eis; & ideo Origenes aliter exponit, dicens, quod Chriſtus cum perfectis non peccantibus mortaliter, eſt ſemper; ſed cum imperfectis non eſt, quia cum peccant, recedit ab eis. Diſcipuli vero poſt modicum tempus receſſuri erant a Chriſto, & ſcandalum paſſuri, & eum relicturi. Matth. XXVI. 31. „ Omnes vos ſcandalum patiemini „ in me in iſta nocte. " Et ſic Chriſtus (a) ſpiritualiter recedebat ab eis; & quantum ad hoc dicit: *Adhuc modicum vobiſcum ſum*; ideſt, modicum temporis eſt quod vos fugietis, me relicto, & ſic non ero vobiſcum.

(b) Conſequenter cum dicit, *Quæretis me &c.* oſtendit eorum inſufficientiam ad ſequendum: & primo ponit eorum conatum, dicens: *Quæretis me*, quem ſpiritualiter dereliquiſtis, & fugientes, & negantes. *Quæretis*, inquam, per pœnitentiam, ſicut Petrus qui flevit amare. Eſai. LV. 6. „ Quærite Domi„ num dum inveniri poteſt. " Oſeæ VI. 1. „ In tribulatione ſua mane conſurgent ad „ me. " *Vel quæretis me*, ideſt præſentiam corporalem per deſiderium. Luc. XVII. 22. „ Venient dies in quibus deſiderabitis videre „ unum diem Filii hominis, & non videbitis." Secundo eorum defectum oſtendit dicens: *Et ſicut dixi Iudæis* (ſupra VIII. 22.) *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*. Sed aliter & aliter: quia cum inter Iudæos eſſent aliqui qui numquam convertendi erant, de illis dictum eſt ſimpliciter, quod non poterant ire quo Chriſtus ibat; ſed iam Iuda egreſſo, nullus erat inter diſcipulos a Chriſto ſeparandus: & ideo non dixit ſimpliciter, *Non poteſtis venire*; ſed addidit, *Vobis dico modo*; quaſi dicat: Iudæis dixi, quod numquam, ſcilicet quantum ad obſtinatos; *ſed vobis dico*, quod *modo* non poteſtis me ſequi: quia non eſtis perfecti in caritate, ut velitis mori pro me: ego enim per mortem diſceſſurus ſum. Item ego iturus ſum ad gloriam Patris, ad quam nullus venire poteſt, niſi ſit caritate perfectus. Item ego ſum glorificandus modo: quia, ut dictum eſt, *nunc clarificatus eſt Filius hominis*; ſed nondum eſt tempus quod corpora veſtra glorificentur: & ideo *quo ego vado, vos non poteſtis venire*.

(c) Conſequenter cum dicit, *Mandatum novum do vobis*, docet quomodo idonei efficiancian-

(a) *Al.* ſpiritualiter etiam.

ciantur ad ſequendum. Et primo ponit conditionem mandati; ſecundo oſtendit cauſam quare illud debeant implere, ibi, *In hoc cognoſcent omnes quod mei diſcipuli eſtis*. Circa primum tria facit. Primo ponit mandati qualitatem; ſecundo eius tenorem; & tertio tenoris exemplum. Sed qualitas mandati commendatur ex novitate: unde dicit: *Mandatum novum*.

Sed numquid in veteri teſtamenti vel lege datum (*a*) non eſt mandatum de dilectione proximi? Datum quippe eſt, quia Matth. XXII. 37. (*b*) Chriſtus interrogatus a legiſperito quod eſſet primum mandatum, reſpondit: „ Diliges Dominum Deum tuum: “ & ſubditur: „ & proximum tuum ſicut teipſum. “ Quod habetur Levit. XIX. 18. „ Diliges proximum tuum ſicut teipſum. “ Specialiter autem mandatum iſtud dicitur novum propter tria. Primo propter effectum innovationis quem efficit. Coloſs. III. 9. „ Exuentes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius qui creavit illum. “ Hæc autem novitas eſt per caritatem, ad quam hortatur Chriſtus. Secundo iſtud mandatum dicitur novum propter cauſam quæ hoc efficit, quia eſt a novo ſpiritu. Eſt enim duplex ſpiritus, ſcilicet vetus, & novus. Vetus quidem eſt ſpiritus ſervitutis; novus autem ſpiritus amoris: ille generat ſervos, hic filios adoptionis. Rom. VIII. 15. „ Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. Ezech. XXXVI. 26. „ Dabo vobis cor (*c*) novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri. “ (*d*) Et hic ſpiritus inflammat ad caritatem: quia „ caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum: “ Rom. V. 5. Tertio per effectum quem conſtituit, ſcilicet novum teſtamentum. Nam brevis differentia novi & veteris teſtamenti eſt timor, & amor: ut enim dicit Hier. XXXI. 31. „ Feriam (*e*) domui Iſrael fœdus novum. “ Quod autem mandatum iſtud in veteri teſtamento ex timore, & amore ſancto erat, pertinebat ad novum teſtamentum: unde hoc mandatum erat in veteri lege, non tamquam proprium eius, ſed ut præparativum novæ legis.

Tenor autem mandati eſt mutua dilectio: unde dicit: *Ut diligatis invicem &c.* De ratione enim amicitiæ eſt quod non ſit latens; alias enim non eſſet amicitia, ſed benevolentia quædam: & ideo oportet ad veram amicitiam, & firmam, quod amici ſe mutuo diligant, quia tunc amicitia iuſta eſt, & firma, quaſi duplicata. Dominus ergo volens inter ſuos fideles, & diſcipulos perfectam amicitiam eſſe, dedit eis præceptum de mutua dilectione. Eccli. VI. 17. „ Qui timet Deum, habebit amicitiam bonam. “ Exemplum tenoris ponit cum dicit: *Sicut dilexi vos*. Tripliciter enim dilexit nos Chriſtus: gratuite, efficaciter, & recte. Gratuite, quia ipſe incepit, nec expectavit quod nos inciperemus amare. I. Ioan. IV. 10. „ Non quaſi dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit (*f*) nos. “ Sic & nos debemus prius diligere proximos, nec expectare præveniri, ſeu beneficari. Efficaciter autem dilexit quod patet per opus: probatio enim dilectionis exhibitio eſt operis. Maius autem quod homo pro amico poteſt facere, eſt ut det ſeipſum pro eo, quod & Chriſtus fecit. Epheſ. V. 2. „ Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis: “ unde (*g*) dicebat, infra XV. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Nos ergo huius exemplo efficaciter, & fructuoſe invicem diligamus. I. Ioan. III. 18. „ Non diligamus verbo, neque lingua; ſed opere, & veritate. “ Recte vero, quia cum omnis amicitia fundetur ſuper aliquam communicationem (ſimilitudo enim eſt cauſa amoris) illa eſt recta amicitia quæ eſt propter ſimilitudinem, ſeu communicationem in bono. Chriſtus autem intantum dilexit nos, inquantum ſimiles ſumus ei per gratiam adoptionis, diligendo ſecundum hanc ſimilitudinem, ut ad Deum traheret. Hierem. XXXI. 3. „ In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans. “ Sic ergo & nos (*h*) in amato non tantum quod beneficii eſt, ſeu delectationis, ſed quod Dei eſt, debemus diligere. Et in tali dilectione proximi includitur etiam dilectio Dei.

(d) Conſequenter cum dicit, *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis &c.* ponitur rationem implendi hoc præceptum. Sciendum eſt autem, quod quicumque connumeratur militiæ alicuius Regis, debet portare eius inſignia. Inſignia autem Chriſti ſunt inſignia caritatis. Quicumque ergo vult annumerari militiæ Chriſti, debet caritatis charactere inſigniri: & hoc eſt quod dicit: *In hoc cognoſcent omnes quod mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem*: dilectionem, inquam, ſanctam. Eccli. XXIV. 24. „ Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. “

Attende autem, quod cum Apoſtoli multa dona

(a) *Al.* deeſt non. (b) *Al.* legiſperitus interrogatus a Chriſto quod eſſet &c. (c) *Al.* meum. (d) *Al.* Et Spiritus. (e) *Al.* Domini. (f) *Al.* omittitur nos. (g) *Al.* dicebat ſupra. (h) *Al.* in amico.

dona receperunt a Chriſto, ſicut vita, & intellectus, & bona habitudo corporis; quædam vero ſpiritualia, ſicut opera miraculorum: Luc. XXI. 15. „ Ego dabo vobis os, & ſapientiam &c. “ omnia iſta non ſunt ſigna diſcipulatus Chriſti, cum poſſint eſſe communia bonis, & malis. Sed ſpeciale diſcipulatus Chriſti ſignum eſt caritas, & mutua dilectio. II. Corinth. I. 22. „ Signavit nos, & dedit „ Spiritum. “

LECTIO VIII.

(a) DIcit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Reſpondit Ieſus: Quo ego vado, non potes me modo ſequi; ſequeris autem poſtea.

(b) Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modo? Animam meam ponam pro te.

(c) Reſpondit ei Ieſus: Animam tuam pro me pones?

(d) Amen amen dico tibi: non cantabit gallus donec ter me neges.

(a) POſito defectu diſcipuli, ſcilicet Iudæ tradentis, hic ponit defectum diſcipuli, ſcilicet Petri negantis. Et primo ponitur prænuntiandi occaſio; ſecundo negationis prænuntiatio, ibi, *Reſpondit Ieſus: Animam tuam pro me pones*? Circa primum duo facit. Primo ponit Petri deſiderium; ſecundo ponit eius fiduciam, ibi, *Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modo*? Circa primum duo facit. Primo ponit deſiderii oſtenſionem; ſecundo dilationem, ibi, *Reſpondit Ieſus: Quo ego vado, non potes me modo ſequi*. Oſtenditur autem Petri deſiderium in prompta interrogatione, cum dicit: *Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis*? Audierat enim a Domino quod adhuc modicum cum eis eſſet: ex quo ſolicitus eſt de Chriſti receſſu ab eis; & ideo quærit dicens, *Quo vadis*? ubi Chryſoſtomus dicit: „ Magnus profecto eſt Petri amor, & „ ipſo igne vehementior, (a) cuius nulla prohibitio promptum impetum impedire poteſt. “ Et inde eſt quod etiam Chriſto dicente (ſupra hoc cap.) *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*: ipſum Petrus ſequi volebat: & ideo interrogabat quo iret, quaſi una (b) de adoleſcentulis quærentibus in Cant. V. 17. „ Quo abiit dilectus (c) tuus, o pulcherrima „ mulierum, quo abiit? & quæremus eum „ tecum. “ Dilatio autem huius deſiderii eſt, quia ad præſens impeditur a ſequendo: & hoc eſt quod dicit: *Quo ego vado, non potes me modo ſequi; ſequeris autem poſtea*; quaſi dicat: Adhuc imperfectus es, & ideo non potes me modo ſequi; poſtea autem, quando perfectus eris, ſequeris me. Simile eſt quod dicit infra ult. 18. *Amen dico tibi, cum eſſes iunior*, quaſi imperfectus, *cingebas te* . . . *Cum autem ſenueris*, & perfectionis arcem conſcenderis, *extendes manus tuas, & alius te cinget.*

(b) Conſequenter cum dicit, *Dicit ei Petrus &c.* ponit Petri fiduciam. Intellexerat enim Petrus quod Dominus verba prædicta dixerat, quaſi de perfectione ſui amoris diffidens. Perfectus autem amor eſt cum quis ſeipſum pro amicis exponit morti. Infra XV. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Quia ergo Petrus paratus erat pro Chriſto mori, oſtendebat ſe in amore perfectum, cum dicit: *Animam meam ponam pro te*; ideſt, paratus ſum pro te mori. Hoc dicebat, quantum ſibi videbatur, non ficto animo. Sed tamen neſcit homo virtutem affectus ſui, tunc potiſſime cum periculum imminet. I. Corinth. IV. 4. „ Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in „ hoc iuſtificatus ſum. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit ei Ieſus &c.* negationem Petri prænuntiat: & primo redarguit præſumptionem; ſecundo prædicit negationem, ibi, *Amen amen dico tibi: non cantabit gallus donec ter me neges*. Circa primum ſciendum eſt, quod Petrus de ſe præſumens, Chriſto ſibi dicente, *Non potes me modo ſequi*, dicebat ſe eum ſequi poſſe, & mori pro ipſo: & ideo Dominus eum reprimens, dicit: *Animam tuam pro me pones*? quaſi diceret: Conſidera quid loquaris. Magis ſcio quid in te ſit, quam tu ſcias; tu non ſcis ponderare amoris tui pondus. Noli ergo de te ultra modum præſumere. Roman. XI. 20. „ Noli altum ſapere, ſed time. “ Et huiuſmodi ratio aſſignatur Matth. XXVI. 41. „ Spiritus quidem promptus eſt, caro autem „ infirma. “ Permiſit autem Dominus Petrum tentari, & cadere, ut exaltatus ad principatum Eccleſiæ, diſcat de ſe humilia ſentire, & peccantibus ſubditis compati. Hebr. IV. 15. „ Non habemus Pontificem qui non poſſit

(a) *Al.* cui profecto nulla prohibitio &c. (b) *Al.* de adoleſcentibus. (c) *Al. deeſt* tuus.

Digitized by Google

„ ſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum „ per omnia pro ſimilitudine, abſque pecca- „ to. “ Sed in Petro invaluit tentatio uſque ad culpam, in Chriſto autem fuit intentatio uſque ad ſimilitudinem pœnæ: quia peccatum non fecit.

(d) Negationem prædicit, dicens: *Amen amen dico tibi: non cantabit gallus donec ter me neges.*

Hic primo dubitatur de hoc quod dicit: *Non cantabit gallus donec ter me neges.* Videtur enim eſſe falſum: quia ſtatim poſt primam negationem Petri, gallus cantavit, ut habetur Marc. XIV. Sed ad hoc Auguſtinus reſpondet dupliciter. Uno modo, ut Dominus magis affectionem Petri, quam actus (a) expreſſerit: nam animam Petri tantus timor invaſerat quod paratus erat ad primum cantum galli, non ſolum ſemel, ſed ter negare; & ſic eſt ſenſus: Antequam gallus cantet, paratus eris ter me negare. Alio modo ut referatur ad negationis initium: quia aliquid dicitur fieri (b) ante aliud, etiam ſi incipiat tantum fieri. Dominus autem prædixit trinam negationem, quæ incepit ante primum galli cantum, licet non ante perfecta fuerit; & tunc eſt ſenſus: *Non cantabit gallus donec ter me neges*; ideſt, trinam negationem incipies antequam gallus cantet.

Item quæritur de loco ubi hæc verba fuerunt: nam & Matthæus, & Marcus (c) dicunt, quod Dominus dixit hæc verba Petro poſtquam exiverat de loco ubi cum diſcipulis cœnaverat; Lucas autem, & Ioannes dicunt quod hæc verba dixit in loco ubi cœnaverat: nam poſt ſermonem iſtum Dominus dixit infra XIV. 31. *Surgite, eamus hinc.* Ad hoc autem dicendum, quod verum eſt, Dominum hæc verba dixiſſe in loco in quo cœnaverat; Matthæus autem, & Marcus ſequuntur ordinem memoriæ, non hiſtoriæ. Poteſt autem dici, ſecundum Auguſtinum, quod Dominus hæc verba ter dixit. Nam ſi quis diligenter conſideret verba Domini, ex quibus proceſſum eſt ad prænuntiationem negationis Petri; inveniet tripliciter eſſe dicta: nam in Matthæo, & Marco habetur, quod dixit Dominus (Matth. XXVI. 31.) „ Omnes vos ſcan„ dalum patiemini in me in nocte iſta. “ Et Petrus reſpondet: „ Et ſi omnes ſcandaliza„ ti fuerint in te, ego numquam ſcandaliza„ bor. “ Et ait illi Ieſus: „ Quia hodie in „ hac nocte antequam gallus cantet ter me „ negabis. “ In Luca autem (XXII. 31.) habetur: „ Dixit eis Ieſus: Ecce ſatanas „ expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. „ Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat „ fides tua. “ Et tunc Petrus dixit ei: „ Domine tecum paratus ſum & in carce„ rem, & in mortem ire. “ Et Dominus illi: „ Dico tibi Petre: non cantabit hodie „ gallus donec ter abneges noſſe me. “ Hic autem cum Petrus quæreret a Domino, *Quo vadis? &c.* dixit ei Dominus: *Amen amen dico tibi: non cantabit gallus donec ter me neges.* Unde colligitur quod pluries Dominus negationem Petri prædixerat.

CAPITIS DECIMIQUARTI

LECTIO I.

(a) ET ait diſcipulis ſuis: Non turbetur cor veſtrum.

(b) Creditis in Deum, & in me credite.

(c) In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.

(d) Si quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum.

(e) Et ſi abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.

(a) SUpra Dominus informavit diſcipulos ſuos exemplis; hic confortat eos verbis. Et primo ponitur multiplex verborum exhortatio; ſecundo ipſorum quæ dicta ſunt explicatio, cap. XVI. *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.* Circa primum ſciendum eſt, quod duo imminebant diſcipulis, de quibus conturbari poterant. Unum de præſenti, ſcilicet receſſus Chriſti imminens; aliud de futuro, ſcilicet tribulationes quas paſſuri erant. Primo ergo confortat eos contra primum, ſcilicet contra eius receſſum; ſecundo con-

Bbbbb 2

(a) *Al.* expreſſit. (b) *Al.* ante aliquid. (c) *Al.* deeſt dicunt.

contra tribulationes quas paſſuri erant, xv. cap. *Ego ſum vitis vera &c.* Circa primum duo facit. Primo confortat eos ex parte ipſorum remanentium; ſecundo ex parte ſui recedentis, ibi, *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet*. Circa primum tria facit. Primo præmittit ſuum acceſſum ad Patrem; ſecundo promittit eis donum Spiritus ſancti, ibi, *Si diligitis me, mandata mea ſervate*; tertio ſuam præſentiam, ibi, *Non relinquam vos orphanos &c.* Circa primum duo facit. Primo præmittit ſuum acceſſum ad Patrem; ſecundo agit de via per quam acceſſurus erat, ibi, *Et quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis*. Circa primum tria facit. Primo excludit turbationem; ſecundo innuit ſui poteſtatem, ibi, *Creditis in Deum, & in me credite*; tertio ſubiungit promiſſionem, ibi, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Circa primum ſciendum eſt, quod diſcipuli perturbari poterant ex verbis Domini ſupradictis de proditione Iudæ, & negatione Petri, & receſſu ſuo. Et vere omnia turbationem, & dolorem ingerebant. Pſal. lix. 4. „ Commoviſti terram (ſcilicet cor„ dium diſcipulorum) & conturbaſti eam. " Et ideo Dominus ſanare volens eorum contritionem, dicit: *Non turbetur cor veſtrum*.

Sed contra. Act. 1. 1. „ Cœpit Ieſus face„ re, & docere. " Sed ſupra xiii. 21. dicitur: *Turbatus eſt Ieſus ſpiritu &c.* Quomodo ergo docet non turbari qui primo turbatus eſt? Reſponſio. Dicendum, quod non docuit contrarium eius quod fecit. De eo autem dicitur quod turbatus eſt ſpiritu, non quod ſpiritus eius ſit turbatus. Hic autem non prohibet quin turbentur ſpiritu; ſed prohibet quod eorum cor, ideſt ſpiritus, non turbetur. Eſt enim quædam turbatio ex ſpiritu, ex ratione procedens, quæ laudabilis eſt, nec prohibetur. II. Corinth. iii. 10. „ Quæ enim „ ſecundum Deum triſtitia eſt, (a) pœniten„ tiam in ſalutem ſtabilem operatur. " (b) Alia eſt triſtitia, ſeu turbatio ipſius rationis; quæ non eſt laudabilis, quia abducit a propria rectitudine: & hæc prohibetur Pſal. xxxvi. 24. „ Iuſtus non conturbabitur, quia Dominus „ ſupponit manum ſuam. " Non enim turbari poteſt qui Deum ſemper habet.

(b) Et ideo Dominus ſuæ divinitatis poteſtatem ſubiungit, dicens: *Creditis in Deum, & in me credite*: ubi unum ſupponit, & aliud præcipit. Supponit quidem eorum fidem in Deum, dicens: *Creditis in Deum*: io hoc enim iam inſtructi erant ab ipſo. Heb. xi. 6. „ Ac„ cedentem ad Deum oportet credere. " Præcipit autem ut credant in ipſum, dicens: *Et in me credite*. Si enim in Deum creditis; ego autem ſum Deus: conſequens eſt quod in me credatis. Et tenet hæc conſequentia, ſive ly *Deus* teneatur eſſentialiter, cum ipſe Filius ſit Deus, ſive ly *Deus* ſupponat pro perſona Patris. Nullus enim poteſt io Patrem credere niſi credat in Filium. Supra v. 23. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem*. In hoc autem quod dicit, *Et in me credite*, conteſtatur ſe verum eſſe Deum: (c) nam etſi homini, vel creaturæ credere liceat, in nullum tamen niſi in Deum credere debemus. Eſt ergo in Chriſtum credendum, ſicut in Deum. I. Ioan. ult. 20. „ Ut ſitis in ve„ ro Filio eius Chriſto. Hic eſt verus Deus, „ & vita æterna. " Supra vi. 29. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille*.

(c) Conſequenter cum dicit, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ſubiungit promiſſionem quæ eſt ut per Chriſtum accedant, & introducantur ad Patrem. Promiſſio autem de acceſſu aliorum ad aliquem locum duo includit. Unum eſt præcedens, ſcilicet loci præparatio; aliud ſequens, ſcilicet in locum introductio: & ideo Dominus duas hic promiſſiones facit: unam quæ pertinet ad loci præparationem; aliam ad loci introductionem. Prima autem non eſt neceſſaria, cum iam locus ſit præparatus; ſed ſecunda: & ideo circa hoc duo facit. Primo excludit neceſſitatem primæ promiſſionis; ſecundo ponit ſecundam promiſſionem, ibi, *Et ſi abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum*. Circa primum duo facit. Primo excludit neceſſitatem præparationis; ſecundo oſtendit facultatem ſuam ad præparandum, ſi neceſſe eſſet, ibi, *Si quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum*. Dicit ergo: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*.

Ubi ſciendum eſt, quod cum uniuſcuiuſque domus ſit in qua habitat, illa dicitur domus Dei in qua habitat Deus. Deus autem habitat in ſanctis. Hierem. xiv. 9. „ Tu in no„ bis es, Domine &c. " Sed in quibuſdam quidem per fidem. II. Corinth. vi. 16. „ Inha„ bitabo in illis, & inambulabo inter eos. " In quibuſdam vero per fruitionem perfectam. I. Corinth. xv. 28. „ Ut ſit Deus omnia in o„ mnibus. " Duplex eſt ergo domus Dei. Una eſt militans Eccleſia, ſcilicet congregatio fidelium. I. Tim. iii. 15. „ Ut ſcias „ quomodo oporteat te in domo Dei conver„ ſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi. " Et hanc inhabitat Deus per fidem. Apocal. xxi. 3. „ Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, „ &

(a) *Al.* præſentiam. (b) *Al.* Alia triſtitia, ſeu turbatio ipſius rationis non eſt laudabilis. (c) *Al.* nam ſi homini alicui creaturæ.

„ & habitabo in illis. “ Alia eſt triumphans, ſcilicet ſanctorum collectio in gloria Patris. Pſal. lxiv. 6. (*a*) „ Replebimur in bonis domus tuæ. Sanctum eſt „ templum tuum, mirabile in æquitate. “ Sed domus Patris dicitur non ſolum illa quam ipſe inhabitat, ſed etiam ipſemet, quia ipſe in ſeipſo eſt. Et in hac domo nos colligit. Quod autem ipſe Deus ſit domus, habetur II. Corinth. v. 1. „ Domum habemus a „ Deo, non manufactam, æternam in cælis. “ Et hæc domus eſt gloriæ, quæ eſt ipſe Deus. Hier. xvii. 12. „ Solium altitudinis gloriæ tuæ a principio, locus ſanctificationis noſtræ. “ Manet autem homo in hoc loco, ſcilicet Deo, quantum ad voluntatem & affectum per fruitionem caritatis: I. Ioan. iv. 16. „ Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo: “ & quantum ad intellectum per notitiam veritatis. Infra xvii. 17. *Sanctifica eos in veritate*. In hac ergo domo, ideſt in gloria, quæ Deus eſt; *manſiones multæ ſunt*, ideſt diverſæ participationes beatitudinis ipſius: quia qui plus cognoſcit, maiorem locum habebit. Diverſæ ergo participationes divinæ cognitionis, & fruitionis, ſunt diverſæ manſiones.

Sed hic eſt quæſtio utrum unus poſſit eſſe beatior alio. Videtur quod non. Beatitudo enim eſt finis; & perfectum non recipit maius & minus: ergo non poteſt magis & minus haberi. Reſponſio. Dicendum, quod aliquid dicitur perfectum dupliciter: abſolute, & ſecundum quid. Perfectio quidem beatitudinis abſoluta eſt ſolius Dei: quia ſolus ipſe tantum cognoſcit ſe, & amat quantum cognoſcibilis eſt, & amabilis (infinite enim cognoſcit, & amat infinitam veritatem, & bonitatem ſuam) & quantum ad hoc, ipſum ſummum bonum, quod eſt beatitudinis obiectum, & cauſa, non poteſt eſſe mains & minus: non enim eſt niſi unum ſummum bonum, quod eſt Deus. (*b*) Secundum quid autem, ideſt ſecundum aliquas conditiones temporis, naturæ, & gratiæ; & ſic unus poteſt eſſe beatior alio ſecundum adeptionem huius boni, & capacitatem uniuſcuiuſque hominis: quia qnanto homo magis eſt eius capax, tanto magis participat ipſam, inquantum ſcilicet eſt melius diſpoſitus, & ordinatus ad eius fruitionem: ad quod diſponitur (*c*) dupliciter. Conſiſtit enim beatitudo in duobus, ſcilicet in divina viſione; & ad hanc diſponitur per munditiam: & ideo quanto quis habet cor magis elevatum a terrenis, tanto magis, & perfectius Deum videbit. Item in fruitionis delectatione; & ad hanc diſponitur per amorem: & ideo qui habet cor magis ſervens amore Dei, magis delectabitur in divina fruitione. De prima dicitur Matth. v. 8. „ Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. “

Item quæritur de hoc quod dicitur Matth. xx. quod unus denarius datur omnibus laborantibus. Hic autem denarius nihil aliud eſt quam manſio in domo Patris. Non ergo ſunt multæ manſiones. Reſponſio. Dicendum, quod merces vitæ æternæ & una eſt, & multæ. Multæ quidem ſecundum diverſam capacitatem participantium, ſecundum quam ſunt diverſæ manſiones in domo Patris; una vero tripliciter. Primo quidem propter unitatem obiecti: idem enim eſt quod omnes beati vident, & quo omnes fruuntur; & ideo unus denarius: ſed diverſimode videbitur, & amabitur. Iob xxii. 26. „ Tunc ſuper Omnipotentem deliciis affluens. “ Eſa. xxviii. 5. „ In illo die erit (*d*) Dominus exercituum „ (*e*) ſceptrum exultationis reſiduo populi „ ſui, & corona gloriæ. “ Et ſimile eſt ac ſi aliquis præberet alicui fontem, ut ad libitum omnes biberent, de quo qui maius vas haberet, plus acciperet, & qui minus, minus. Unus ergo fons ex parte ſua eſt; ſed non eadem menſura recipientium. Et hæc eſt ſententia Beati Gregorii XXII. Moral. Secundo propter eamdem æterniratis menſuram, ſecundum Auguſtinum: quia omnes habebunt æternam beatitudinem, quia ibunt iuſti in vitam æternam; ſed diverſæ ſunt propter capacitatem. Tertio propter caritatem, quæ omnia unit, gaudia ſingulorum faciens omnium, & e converſo: Rom. xii. 15. „ Gaudere cum gaudentibus &c. “

Sed notandum, quod ex hoc verbo Pelagiani acceperunt occaſionem errandi. Dicunt enim, quod pueri non baptizati decedentes, erunt in domo Dei ſalvati, ſed non in regno: quia ſupra iii. 5. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum Dei*. Sed contra hoc dicit Auguſtinus, quod Dominus dicit, quod manſiones huiuſmodi ſunt in domo Dei; nihil autem magis eſt in regno quam domus: nam regnum conſtituitur ex civitatibus; civitates autem ex vicis; vici autem ex domibus. Si ergo manſiones ſunt in domo, manifeſtum eſt quod ſunt in regno.

(d) Conſequenter cum dicit, *Si quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum*, oſtendit facultatem ſuam ad præparandum eis locum, ſi neceſſe eſſet. Poſſet enim aliquis dicere: Verum eſt quod in domo Patris ſui man-

(a) *Al.* „ Replebitur ab ubertate domus tuæ &c. “ (b) *Al.* Secundam aliquas conditiones. (c) *Al.* deeſt dupliciter. (d) *Al.* domus. (e) *Bis* ſertum.

Digitized by Google

manſiones multæ paratæ ſunt; quod ſi non eſſet, non poſſet eas parare. Et ideo Dominus hoc excludens dicit, quod *ſi minus*, ideſt manſiones non eſſent paratæ, *dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum*]. Ubi videndum eſt quid eſt hoc quod dixit, *Parare vobis locum*. Paratur autem locus dupliciter. Uno modo cum in ſe diſponitur, puta cum purgatur, vel ampliatur locus. Eſa. LIV. 2. „ Dilata locum tentorii tui. “ Alio modo cum datur alicui facultas intrandi: unde Pſal. LXX. 3. petebat: „ Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum; “ quaſi diceret: Semper ſit mihi facultas intrandi. Et ſecundum hoc poteſt dupliciter intelligi. Si enim locus iſte eſſet tale aliquid quod defectum haberet, aut quodcumque creatum, ſubiaceret meæ poteſtati ut perficerem illum: nam omnis creatura poteſtati Verbi ſubiecta eſt. Supra I. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Si ergo ita eſſet, quod haberet defectum, *dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum*. Sed locus in ſe paratus eſt. Locus enim iſte eſt ipſe Deus, ut dictum eſt, in quo eſt omnium perfectionum excellentia. Sed forte non eſt vobis facultas intrandi; & ideo *ſi quo minus*, ideſt ſi non haberetis facultatem intrandi, & non eſſetis prædeſtinati ad locum illum, *dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum*. Nam in poteſtate mea eſt ut prædeſtinarem vos ad locum illum. Nam ipſe cum Patre, & Spiritu ſancto prædeſtinavit eos ad vitam æternam. Epheſ. I. 4. „ Elegit nos in ipſo. “

(e) Sed quia ſupra dixerat: *Quo ego vado, non poteſtis me modo ſequi*: ne crederent ſe finaliter ab eo abſciſſos eſſe, ideo ſubiungit: *Et ſi abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum*: ubi ponit ſecundam promiſſionem, ſcilicet inductionem in regnum.

Ubi videtur eſſe verborum contrarietas. Dixit enim: *Si quo minus, dixiſſem, quia vado parare vobis locum*: ubi innuit quod non vadit ad parandum locum. Hic autem dicitur: *Si abiero, & præparavero vobis locum*: ubi innuit, quod vadit ad parandum locum. Sed dicendum, quod uno modo poſſet legi coniunctim, ut ſit ſenſus: *Si quo minus*, ideſt ſi neceſſe eſſet, *dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum*. Et iterum: *Si quo minus*, ideſt ſi neceſſe eſſet, *dixiſſem vobis*, ideſt *ſi abiero, & præparavero vobis locum*. Secundum Auguſtinum autem legitur diſtinctim, ut ſcilicet hæc ſic alia clauſula ab illa. Dominus præparavit ab æterno prædeſtinando, præparavit exequendo. (a) Præparavit autem per receſſum ſuum: unde illud quod primo dixit, quod manſiones paratæ erant, hoc intelligitur quantum ad primam præparationem ab æterno: quod autem hic dicit, *Si abiero, & præparavero*, intelligitur quantum ad executionem æternæ prædeſtinationis. Præparavit autem Dominus per receſſum ſuum nobis locum quinque modis. Primo quidem dando locum fidei. Fides enim, cum ſit eorum quæ non videntur, non erat de Chriſto apud diſcipulos, quando eum perſonaliter videbant. Subtraxit ergo ſe eis, ut quem habebant præſentia corporali, & videbant oculis corporis, haberent præſentia ſpirituali, & cernerent oculo mentis: quod eſt habere per fidem. Secundo demonſtrando eis viam ad locum eundi. Mich. II. 13. „ Aſcendit pandens iter ante eos. “ Tertio pro eis orando. Heb. VII. 25. „ Accedens per ſemetipſum ad Deum ſalvare poteſt. “ Deut. XXXIII. 26. „ Aſcenſor cæli auxiliator tuus. “ Quarto ſurſum attrahendo. Cant. I. 3. „ Trahe me poſt te “ Coloſſ. III. 1. „ Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite. “ Quinto Spiritum ſanctum eis mittendo. Supra VII. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Ieſus glorificatus*. Complementum autem glorificationis Chriſti fuit in eius Aſcenſione: & ideo ſtatim cum aſcendit, Spiritum ſanctum miſit diſcipulis ſuis. Sic ergo prædixit eis corporalem receſſum, dicens: *Si abiero, & præparavero vobis locum*; deinde promittit eis ſpiritualem reditum, dicens: *Iterum veniam, & recipiam*. Veniam in fine mundi. Act. I. 11. „ Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum, ſic veniet. “ *Et accipiam vos ad meipſum*, glorificatos in anima, & corpore. I. Theſſ. IV. 16. „ Similiter rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera. “

Sed numquid ſpiritus Apoſtolorum (*b*) non accipiuntur a Chriſto uſque in finem mundi? Ad quod dicendum eſt, quod Græcorum opinio eſt, quod ſancti non vadunt ad paradiſum uſque ad diem iudicii. Sed ſi hoc eſſet, tunc Apoſtolus fruſtra haberet deſiderium eſſe cum Chriſto, Phil. I. Et ideo dicendum, quod ſtatim diſſoluta huius habitationis domo, quantum ad animam ſumus cum Chriſto. Et ſic hoc quod dicit, *Iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum*, poteſt exponi de adventu ſpirituali, quo Chriſtus ſemper viſitat Eccleſiam fidelium, & quemlibet ſanctorum vivificat in morte: ut ſit ſenſus: *Iterum veniam* ad Eccleſiam ſpiritualiter continue, *& accipiam vos ad meipſum*; ideſt firmabo in fide, & dilectione mea. Cant. VI. 1. „ Dilectus meus aſcendit „ ad

(a) *Al.* Præparavit autem Dominus per receſſum &c. (b) *Al. deeſt* non.

„ ad areolam aromatum (ideſt ad congregationem ſanctorum) ut paſcatur (ideſt delectetur in virtutibus) & lilia colligat; “ ideſt, animas puras ad ſe trahat, cum vivificat ſanctos in morte.

Deinde ſubdit fructum, dicens: *Ut ubi ego ſum, & vos ſitis*; ideſt, ubi eſt caput, ſint membra; ubi Magiſter, ſint diſcipuli. Matth. XXIV. 28. „ Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. “ Supra XII. 26. *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.*

LECTIO II.

(a) ET quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis.
(b) Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quo vadis, Et quomodo poſſumus viam ſcire?
(c) Dicit eis Ieſus: Ego ſum via, veritas, & vita.
(d) Nemo venit ad Patrem niſi per me.
(e) Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis:
(f) Et amodo cognoſcetis eum, & vidiſtis eum.

(a) SUpra Dominus confortavit diſcipulos de ſuo receſſu, promittens eis quod acceſſum haberent ad Patrem; hic conſequenter agit de via per quam ad Patrem accedunt. Via autem non cognoſcitur ſine termino; & ideo etiam agit de termino. Et primo proponit viam, & terminum, ut eis nota; ſecundo quæ propoſuit manifeſtat, ibi, *Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quo vadis.* Circa primum ſciendum, quod Dominus dixerat: *Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam ad vos.* Quia forte diſcipuli quærerent ab eo quo iret, ſicut ſupra XIII. 36. quæſivit Petrus: *Domine, quo vadis?* ideo Dominus hæc ſciens, dixit eis: *Et quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis.* Vado enim ad Patrem, quem ſcitis per me vobis manifeſtatum. Infra XVII. 9. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi.* Via autem per quam vado, ſum ego, quem ſcitis. Supra I. 14. *Vidimus gloriam eius.* Recte ergo dixit: *Quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis*: quia Patrem ſciebant per Chriſtum, & Chriſtum per ſuam converſationem, & præſentiam noverant.

(b) Conſequenter cum dicit, *Dicit ei Thomas &c.* manifeſtat Dominus quæ propoſuit. Et primo præmittitur manifeſtationis occaſio; ſecundo ſubditur propoſitorum manifeſtatio, ibi, *Dicit eis Ieſus: Ego ſum via, veritas, & vita.* Occaſio autem manifeſtationis fuit dubitatio Thomæ interrogantis. Unde *dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quo vadis &c.* Ubi attende, quod Thomas utrumque negat, quod Dominus affirmavit: nam Dominus dixit, eos & viam, & terminum viæ ſcire; Thomas autem negat ſe ſcire viam, & terminum: tamen utrumque verum eſt. Verum eſt enim quod ſciebant, tamen neſciebant ſe ſcire. Multa enim ſciebant de Patre, & Filio, quæ a Chriſto didicerant; ſed ignorabant Patrem eſſe ad quem Chriſtus iret, & Filium eſſe viam qua iret. Difficile enim eſt quod eatur ad Patrem. Nec mirum, ſi ignorabant: quia licet Chriſtum perfecte ſecundum hominem ſcirent, eius tamen divinitatem imperfecte cognoſcebant. Iob XXVIII. 7. „ Semitam eius ignoravit avis. “ Et ſubdit: *Quomodo poſſumus viam ſcire?* Cognitio enim viæ dependet ex cognitione termini: quia ergo terminus ignotus eſt nobis: I. Tim. VI. 16. „ Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: “ ideo via eius eſt nobis inveſtigabilis: ſecundum illud Rom. XI. 33. „ Inveſtigabiles viæ eius. “

(c) Conſequenter cum dicit: *Dicit eis Ieſus: Ego ſum via, veritas, & vita*, ponitur quæſitorum manifeſtatio. Duo autem Dominus manifeſtanda propoſuerat eis. Primo quidem viam, & terminum eius; ſecundo quod utrumque ſcirent. Primo ergo manifeſtat primum; ſecundo ſecundum, ibi, *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis.* Circa primum duo facit. Primo manifeſtat quid ſit via; ſecundo quid ſit terminus, ibi, *Nemo venit (a) ad Patrem niſi per me.* Via autem, ut dictum eſt, eſt ipſe Chriſtus: & ideo dicit: *Ego ſum via &c.* Quod quidem ſatis habet rationem: nam per ipſum acceſſum habemus ad Patrem, ut dicitur Rom. V. Competit etiam propoſito quo intendit (b) declarare dubitationem diſcipuli dubitantis. Sed quia iſta via non eſt diſtans a termino, ſed coniuncta, addit, *Veritas, & vita*: & ſic ipſe ſimul eſt via,

&

(a) Al. *ad me &c.* (b) Al. declinare.

(*a*) & terminus. Via quidem ſecundum humanitatem, terminus ſecundum divinitatem. Sic ergo ſecundum quod (*b*) homo, dicit, *Ego ſum via*; ſecundum qund Deus, addit, *Veritas*, & *vita*. Per quæ duo terminus huius viæ convenienter deſignatur: nam terminus huius viæ finis eſt deſiderii humani; homn autem duo præcipue deſiderat: primo quidem veritatis cognitionem, quæ eſt ſibi propria; ſecundo ſui eſſe cnntinuationem, quod eſt commune omnibus rebus. Chriſtus autem eſt via perveniendi ad veritatis cognitionem, cum tamen ipſe ſit veritas. Pſal. lxxxv. 11. „ Deduc me, Domine in veritate, & ingrediar „ in via tua. " Chriſtus etiam eſt via perveniendi ad vitam, cum tamen ipſe ſit vita. Pſal. xv. 11. „ Notas feciſti vias vitæ. " Et ideo huius (*c*) viæ terminum per veritatem, & vitam deſignavit: quæ duo ſupra 1. de Chriſto dicta ſunt. Primo quidem quod ipſe ſit vita: unde (ſupra 1. 4.) *in ipſo vita erat*; deinde quod ſit veritas, quia *erat lux hominum*; lux autem veritas eſt.

Sed notandum, quod hæc duo proprie, & per ſe Chriſto conveniunt. Veritas enim convenit ei per ſe, quia ipſe eſt Verbum. Nihil enim aliud eſt veritas quam adæquatio rei ad intellectum, quod fit quando intellectus concipit rem prout eſt. Veritas ergo intellectus noſtri pertinet ad verbum noſtrum, quod eſt conceptio eius. Sed tamen licet verbum noſtrum ſit verum, non tamen eſt ipſa veritas, cum non ſit a ſeipſo, ſed ex hoc quod rei conceptæ adæquatur. Veritas ergo intellectus divini pertinet ad Verbum Dei. Sed quia Verbum Dei eſt verum a ſeipſo, cum non menſuretur a rebus, ſed res intantum ſint veræ inqnantum ad ſimilitudinem eius accedunt: inde eſt quod Verbum Dei eſt ipſa veritas. Et qnia nullus poteſt veritatem cognoſcere, niſi adhæreat veritati, oportet omnem qui veritatem cngnoſcere deſiderat, huic Verbn adhærere. Vita autem proprie convenit ſibi: quia omne quod aliquam operationem ex ſe habet, dicitur vivens; non viventia autem dicuntur quæ ex ſeipſis motum non habent. Inter operationes vitæ præcipuæ ſunt operationes intellectuales: unde & ipſe intellectus dicitur vivens, & actio eius eſt vita quædam. In Deo autem idem eſt intelligere, & intellectus: unde manifeſtum eſt quod Filius, qui eſt Verbum intellectus Patris, eſt vita ſua. Sic ergo Chriſtus ſeipſum deſignavit viam, & coniunctam termino: quia ipſe eſt terminus, habens in ſe quicquid deſiderari poteſt, ſcilicet exiſtens veritas, & vita. Si ergo quæras, qua tranſeas, accipe Chriſtum, quia ipſe eſt via. Eſa. xxx. 21. „ Hæc eſt via, ambulate in ea. " Et Auguſtinus dicit: „ Ambula per hominem, & pervenies ad Deum. " Melius eſt enim in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. Nam qui in via claudicat, etiam ſi parum proficiſcatur, appropinquat ad terminum; qui vero extra viam ambulat, quanto fortius currit, tanto magis a termino elongatur. Si vero quæras qun vadis; (*d*) adhære Chriſto, quia ipſe eſt veritas, ad quam deſideramus pervenire. Prover. viii. 7. „ Veritatem meditabitur guttur meum &c. " Si quæris quo permaneas; adhære Chriſto, quia ipſe eſt vita. Prover. viii. 35. „ Qui „ me inveniet, inveniet vitam, & hauriet „ ſalutem a Domino. " Adhære ergo Chriſto, ſi vis eſſe ſecurus: non enim poteris deviare, quia ipſe eſt via. Unde qui ei adhærent, non ambulant in invio, ſed per viam rectam. Proverb. iv. 11. „ Viam ſapientiæ „ monſtrabo tibi. " E contra dicitur de quibuſdam (Pſal. cvi. 4.) „ Viam veritatis habitaculi non invenerunt. " Item non poteſt decipi, quia ipſe eſt veritas, & docet omnem veritatem. Infra xviii. 37. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni, ut teſtimonium perhibeam veritati*. Item non poteſt perturbari, quia ipſe eſt vita, & vitam dans. Supra x. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Nam, ut Auguſtinus dicit, Dominus dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita*; tamquam diceret: Qua vis ire? *Ego ſum via*. Quo vis ire? *Ego ſum veritas*. Ubi vis permanere? *Ego ſum vita*. Non enim, ut Hilarius dicit, in erratica ducit ille qui eſt via, nec illudit per falſa qui veritas eſt, neque in mortis relinquit errore qui vita eſt. Vel aliter. Tria ſunt in homine quæ ad ſanctitatem pertinenr, ſcilicet actio, & contemplatin, (*e*) & intentio: & iſta perficinntur a Chriſto: nam activam exercentibus Chriſtus eſt via; in contemplativa vero perſeverantibus Chriſtus eſt veritas: ſed activorum, & contemplantium intentionem dirigit ad vitam, ſcilicet æternam. Docet enim ire, & prædicare pro futuro ſæculo. Sic ergo Dominus eſt nobis via qua imus ad ipſum, & per ipſum ad Patrem.

Sed cum ipſemet qui via eſt vadit ad Patrem, numquid ipſe eſt ſibi via? Sed, ut Auguſtinus dicit, ipſe eſt via, & qui vadit per viam, & quo vadit: unde ipſe per ſeipſum ad ſeipſum vadit. Nam ipſe inquantum eſt homo, via eſt: unde per carnem venit, manens

ens

(a) *Al.* &c. (b) *Al. deeſt* homo. (c) *Al.* vitæ. (d) *Al.* adhæcere: *Sic etiam infra*. (e) *Al. omittitur* & intentio.

Digitized by Google

nens ubi erat; & per caroem vadit, non relinquens qoo venerat; per carnem etiam ad ſe redit veritatem, & vitam: nam Deus venerat per carnem ad homioes, veritas ad mendaces, vita ad mortales. „ Eſt enim Deus „ verax, omnis autem homo mendax: “ Rom. III. 4. Cum autem ſe ab hominibus abſtulit, atque illuc obi nemo mentitur, carnem ſuam levavit, idem ipſe qui Verbum caro factum eſt, per carnem ſuam ad veritatem, quæ eſt ipſe, remeavit. Et ſimile eſt ſi dicerem: Et mens mea dum loquor aliquibus, ad eos exit, nec tamen me relinquit; cum autem tacuero, quodammodo ad me redeo, & cum illis quibus loquor, maneo. Sic ergo Chriſtus, qui nobis eſt via, etiam ſibi ipſi, ideſt caroi, factus eſt via, ut ad veritatem, & vitam iret.

(d) Conſequenter cum dicit, *Nemo venit ad Patrem niſi per me*, manifeſtat quod quæſitum fuerat quantum ad termioum viæ. Via autem, quæ eſt Chriſtus, ut dictum eſt, ducit ad Patrem. Sed quia Pater, & Filius ſuot unum, ideo hæc via ducit etiam ad ſeipſum: & ideo dicit Chriſtus ſe eſſe terminum viæ. *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem niſi per me*.

Sed ſciendum quod, ſicut Apoſtolus dicit (I. Corinth. II. 11.) „ nemo novit quæ ſunt „ hominis, niſi ſpiritus eius qui in ipſo eſt. “ Quod intelligendum eſt niſi inquantum homo vult ſe manifeſtare. Secretum autem ſuum manifeſtat quis per verbum ſuum: & ideo nullus poteſt venire ad ſecretum hominis niſi per verbum hominis. Quia ergo & „ qoæ Dei „ ſunt nemo novit, niſi ſpiritus Dei; “ (ibid.) nullus poteſt venire ad notitiam Patris, niſi per Verbum ſuum, quod eſt Filius (*a*) eius. Matth. XI. 27. „ Neque Patrem quis novit „ niſi Filius. “ Et ſicut homo volens revelare ſe verbo cordis, quod profert ore, (*b*) induit quodammodo ipſum verbum litteris, vel voce; ita Deus volens ſe manifeſtare hominibus, Verbum ſuum (*c*) conceptum ab æterno, carne ioduit in tempore. Et ſic nullus ad notitiam Patris pervenire poteſt niſi per Filium. Unde ſupra X. 9. dicit: *Ego ſum eſtium. Per me ſi quis introierit ſalvabitur*.

Sed notandum, ſecundom Chryſoſtomum, quod ſupra VI. 44. Dominus dicit: *Neme poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*: hic autem dicit: *Nemo venit ad Patrem niſi per me*. In quo oſtenditur æqualitas Filii ad Patrem.

Patet ergo quæ ſit via, quia Chriſtus; quis terminus, quia Pater.

(e) Conſequenter cum dicit, *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis*, oſtendit quod diſcipuli utrumque coguoſcunt, ſcilicet quo vadit, & viam. Et primo proponit manifeſtationem; ſecundo excludit emergentem dubitationem, ibi, *Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis Patrem*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit concomitantiam notitiæ habitæ de Filio ad notitiam habitam de Patre; ſecundo manifeſtat quomodo diſcipuli ſe habeant ad notitiam Patris, ibi, *Et amodo cognoſcetis eum*. Dicit ergo primo: Dixi quod ſum via, & quod ſcitis viam, ſcilicet me: ergo & quo vado ſcitis, quia notitia de me non poteſt haberi ſine notitia Patris. Et hoc eſt quod dicit: *Si cognoviſsetis me, & Patrem meum utique cognoviſsetis*.

Supra VIII. 19. Iudæis dicit: *Si me ſciretis, & Patrem meum forſitan ſciretis*. Quid eſt ergo quod dicit: *Si cognoviſsetis me, & Patrem meum utique cognoviſsetis*: ibi autem dicit, *Forſitan*. Videtur quod ibi dubitaverit de eo quod hic aſſerit. Sed dicendum, quod ibi loquebatur Iudæis quos increpabat; & ideo addit *forſitan*, non dubitans, ſed increpans eos. Hic autem loquitur diſcipulis quos inſtruit; & ideo veritatem eis cum aſſertione proponit, dicens: *Si cognoviſsetis me, & Patrem meum utique cognoviſsetis*; quaſi dicat: Si ſciretis meam gratiam, & dignitatem, & eam utique quæ Patris eſt ſciretis. Per nihil enim aliud res melius ſcitur quam per verbum, & imaginem ſuam; Filius autem eſt Verbum Patris. Supra I. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. Ibid. 14. *Verbum care factum eſt, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Unigeniti a Patre*. Filius etiam eſt imago Patris. Coloſ. I. 15. „ Qui „ eſt imago inviſibilis Dei. “ Hebr. I. 3. „ Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſub„ ſtantiæ eius. “ In Filio ergo cognoſcitur Pater, ut in Verbo & imagine propria.

Sed notandum, quod inquantum aliquid accedit ad ſimilitudinem paterni Verbi, intantum in ipſo cognoſcitur Pater, & ſimiliter inquantum habet de imagine Patris. Cum autem omne verbum (*d*) creatum ſit aliqua ſimilitudo illius Verbi, & in qualibet re inveniatur ſimilitudo divinitatis, vel imaginis, vel veſtigii, ſed imperfecta: inde eſt quod per nullam creaturam, & a nulla intelligentia, & conceptione intellectus creati poteſt cognoſci perfecte idipſum quod Deus eſt; ſed ſolum Verbum unigenitum quod eſt perfectum & perfecta imago Patris, ipſum quod quid eſt Patris cognoſcit, & comprehendit.

(a) *Al. deeſt* eius. (b) *Al.* inducit. (c) *Al.* conſpectum. (d) *Al. deeſt* creatum.

Digitized by Google

Unde, ſecundum Hilarium, poſſunt hæc verba aliter continuari. Nam cum Dominus dicit, *Nemo venit ad Patrem niſi per me*, (a) interrogatus Arrius, quomodo itur ad Patrem per Filium, reſpondet, quod per doctrinæ admonitionem, inquantum ſcilicet Filius ſua doctrina inſtruit homines de Patre: ſecundum illud infra XVII. 6. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Sed Dominus hoc excludens dicit: *Si cognoviſsetis me, & Patrem meum utique cognoviſsetis*; quaſi dicat: Arrius, vel alius quicumque homo annuntiare quidem poteſt de Patre; ſed nullus eſt tantus quod eo cognito, cognoſcatur Pater, niſi ſolus Filius, qui eſt eiuſdem naturæ cum ipſo.

(f) Conſequenter cum dicit, *Et amodo cognoſcetis eum*, oſtendit quomodo diſcipuli ſe habeant ad cognitionem Patris. Dixerat autem Dominus ſupra diſcipulis, quod Patrem cognoſcunt, *Quo*, inquiens, *vado ſcitis*. Et hoc Thomas negavit, dicens: *Domine, neſcimus quo vadis*. Et ideo hic Dominus oſtendit quod aliquo modo cognoſcunt Patrem, ut oſtendat verbum ſuum verum eſſe; & aliquo modo non cognoſcunt, ut verbum Thomæ ſit verum. Et ponit ad hoc duplicem Patris cognitionem: unam quæ erit in futuro; aliam quæ fuit in præterito. Dicit ergo, quod *amodo cognoſcetis eum*. Dicit autem, *Amodo*, quia duplex cognitio habetur de Patre. Una perfecta, quæ eſt per immediatam eius viſionem, quæ erit in patria. I. Ioan. III. 2. „ Cum apparuerit, ſimiles ei erimus: “ alia eſt imperfecta, quæ eſt per ſpeculum, & in ænigmate, quam habemus per fidem. I. Corinth. XIII. 12. „ Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate. “ Poteſt ergo hic intelligi de utraque; ut ſit ſenſus: *Palam de Patre annuntiabo vobis*; quaſi dicat: Verum eſt, quod non cognoſcitis eum perfecta cognitione; ſed *amodo cognoſcetis eum*, peracto myſterio paſſionis meæ. Vel *amodo*, ideſt poſt reſurrectionem meam, & aſcenſionem, & miſſionem Spiritus ſancti, *cognoſcetis eum*, cognitione fidei perfecta: quia cum venerit Spiritus paraclitus, *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*: infra XIV. 26. Sic ergo verum dicis, quod neſcis eum cognitione perfecta; ſed ego verum dico, quia *vidiſtis eum*. Baruch III. 38. „ Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum „ hominibus converſatus eſt. “ Viderunt enim Chriſtum, ſecundum carnem aſſumptam, in qua erat Verbum, & in Verbo Pater: unde in ipſo viderunt Patrem. Supra VIII. 29. *Qui me miſit, mecum eſt*.

Sed attende, quod Pater non erat in carne per unitatem perſonæ, ſed erat in Verbo incarnato per unitatem naturæ, & in Chriſto incarnato videbatur Pater. Supra I. 14. *Vidimus gloriam eius, quaſi Unigeniti a Patre*.

LECTIO III.

(a) Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.

(b) Dicit ei Ieſus: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?

(c) Verba quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor. Pater autem in me manens ipſe facit opera.

(d) Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite.

(e) Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet: quia ego ad Patrem vado.

(f) Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam:

(g) Ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

(a) Hic Dominus ſolvit emergentem dubitationem diſcipuli. Et primo ponitur ipſius dubitantis poſitio; ſecundo dubitationis remotio, ibi, *Dicit ei Ieſus &c.* Circa primum ſciendum, quod Dominus ſupra diſcipulis promiſit quoddam futurum, ſcilicet perfectam Dei cognitionem, cum dixit: *Amodo cognoſcetis eum*: aliud præteritum, ſcilicet quod viderunt eum. Quod audiens Philippus, credebat ſe vidiſſe Patrem; ſed petit eius cogni-

(a) *Al.* interrogans.

gnitionem, dicens: *Domine, oſtende nobis Patrem*: ut petitio huius oſtenſionis non referatur ad viſionem, ſed ad cognitionem: *& ſufficit nobis*. Nec mirum, quia viſio Patris eſt finis omnium deſideriorum, & actionum noſtrarum, ita ut nil amplius requiratur. Pſal. xv. 11. „ Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; “ id-eſt, in viſione vultus tui. Pſal. c11. 5. „ Qui „ replet in bonis deſiderium tuum. “

(b) Hic removetur dubitatio. Et primo ponitur dubitationis remotio; ſecundo ſubditur dictorum manifeſtatio, ibi, *Verba quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor*. In prima primo arguit tarditatem; ſecundo inſtruit veritatem, ibi, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*; tertio reprobat petitionem, ibi, *Quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem*? Dicit ergo primo: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me*? quaſi dicat: Ex diuturna converſatione qua tanto tempore vobiſcum converſatus ſum, debuiſſetis me cognoſcere. Et ſi cognoviſſetis me, cognoſceretis utique & Patrem. Ex hoc ergo quod tu non cognoſcis Patrem, das intelligere quod tu non cognoſcis me: in quo arguendus es tarditatis. Matth. v. 12. „ Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? “ Hebr. xv. 16. „ Cum deberetis magiſtri eſſe „ propter tempus, rurſum indigetis ut vos „ doceamini. “

Sed hic incidit dubitatio: quia ſupra Dominus dixit diſcipulis, quod eum ſciebant, cum dixit, *Viam ſcitis &c.* hic autem videtur dicere contrarium, dicens: *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis*. Sed dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod inter diſcipulos aliqui erant qui Chriſtum, ſecundum quod erat Verbum Dei, cognoſcebant, quorum unus erat Petrus, ubi dixit (Matth. xvi. 16.) „ Tu es Chriſtus Filius Dei vi- „ vi. “ Alii erant qui vere eum (a) non cognoſcebant, intra quos erat Philippus. Quantum ergo ad primos dicit Dominus, *Quo ego vado ſcitis*, ſed quantum ad ſecundos dicit: *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis*. Vel aliter. Chriſtus dupliciter cognoſci poterat: ſcilicet ſecundum humanam naturam; & ſic omnes ſciebant: & quantum ad hoc dicit: *Et quo ego vado, ſcitis, & viam ſcitis*: & ſecundum divinam; & ſic enim nondum perfecte cognoverant: & quantum ad hoc dicit: *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis*. Et hoc patet per hoc quod ſubdit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*; quaſi diceret: Si cognoſceretis me, cognoſceretis Patrem; & ſic non diceres: *Oſtende nobis Patrem*: quia iam vidiſſes eum, me viſo. Supra viii. 19. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*.

Sed ex hoc Sabellius erroris ſui fulcimentum ſumit, dicens: Quid eſt hoc quod dixit, *Qui videt me, videt & Patrem*, niſi quia idem ipſe ſit Pater, & Filius? Ad hoc dicit Hilarius: Si hoc ita eſſet, Dominus dixiſſet, *Qui videt me, videt Patrem*, nulla coniunctione appoſita; ſed quia coniunctionem addidit, dicens, *Videt & Patrem*, diſtinctionem oſtendit: & eſt ſimilis modus loquendi, ſecundum Auguſtinum, ſicut quis de duobus ſimilibus loquens dicit: Si vidiſti iſtum, vidiſti & illum. In Filio autem eſt perfectiſſima ſimilitudo Patris; & ideo dicit: *Qui videt me, videt & Patrem*. Sed adhuc in Filio eſt maior ſimilitudo quam in hominibus: quia in eis numquam poteſt eſſe ſimilitudo ſecundum eamdem formam, vel qualitatem numero, ſed ſolum ſecundum ſpeciem; in Filio autem eſt eadem natura numero, quæ eſt in Patre; & ideo magis in viſione Filii videtur Pater, quam in viſione alicuius hominis, quantumcumque ſimillimi videantur.

Sed notandum, quod ex verbis quæ hic dicuntur, excluditur error Arrii quantum ad duo. Primo quantum ad hoc quod negabat conſubſtantialitatem. Impoſſibile eſt enim quod in viſione ſubſtantię creatæ poſſit videri ſubſtantia increata; ſicut per cognitionem ſubſtaotiæ unius generis non poteſt haberi cognitio ſubſtantiæ alterius generis. Manifeſtum eſt ergo quod Filius non eſt ſubſtantia creata, ſed eſt (b) conſubſtantialis Patri: alias qui videt Filium, non videret Patrem. Secundo quantum ad hoc quod dicunt ſuper illud I. Tim. 1. 17. „ Regi ſæ- „ culorum immortali, inviſibili, ſoli Deo; “ ſcilicet quod ſolus Pater eſt inviſibilis, Filius vero in ſua natura multoties ſit viſus: quod ſi eſſet, ſequeretur etiam quod Pater viſus eſſet frequenter: quia qui videt Filium, videt & Patrem. Cum ergo Pater inviſibilis ſit ſecundum ſuam naturam, impoſſibile eſt quod Pater ſecundum ſuam naturam ſit viſus.

Sed obiicit aliquis, cur Dominus reprehenderit Philippum, qui videns Filium, quærebat videre Patrem, cum non ſit reprehendendus quiſpiam qui videns imaginem, videre (c) velit rem imaginatam. Ad quod Chryſoſtomus reſpondet dicens, quod Philippus audiens de viſione Patris, & cognitione eius, volebat ipſum Patrem corporeis oculis videre, ſicut & ipſum Filium æſtimabat vidiſſe:

(a) *Al. omittitur* non. (b) *Al.* ſubſtantialis. (c) *Al.* vellet.

& ideo hoc Dominus improbavit, oſtendens ei quod neque ipſum Filium in ſui natura vidit oculo corporali. Auguſtinus autem dicit, quod Dominus non improbavit petitionem, ſed petentis animum. Nam Philippus dicit: *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*; quaſi dicat: Nos cognoſcimus te, ſed hoc non ſufficit. Et ſic credebat quod in cognitione Filii non eſſet perfecta ſufficientia, ſed in cognitione Patris. Ex quo videbatur ſentire Filium eſſe minorem Patre. Et hoc Dominus increpavit, oſtendens quod in cognitione Filii ſit eadem ſufficientia quæ eſt in cognitione Patris, dicens: *Qui videt me, videt & Patrem*. Et ideo conſequenter cum dicit: *Quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem?* improbat primo eius petitionem; ſecundo radicem petitionis. Petitionem improbat quidem dicens: *Quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem?* ex quo ſcilicet Pater in Filio videtur. Poterat quidem Philippus dicere, quod habetur Iob XXXIX 34. „ Qui leviter locutus ſum, „ reſpondere quid poſſum? Manum meam po- „ nam ſuper os meum. “ Radicem petitionis improbat cum dicit: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* quaſi dicat: Tu vis habere Patrem, credens in eo habere ſufficientiam; ſed ſi ita credis, *non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Nam ſi hoc crederes, ſperares quod in me haberes omnem ſufficientiam quam in Patre. Hoc autem quod dicit, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, dicitur propter eſſentiæ unitatem, de qua dicitur ſupra X. 30. *Ego, & Pater unum ſumus*.

Sciendum eſt enim, quod eſſentia aliter ſe habet in divinis ad perſonam, & aliter in hominibus. Nam in hominibus eſſentia Sortis non eſt Sortes, quia Sortes eſt quid compoſitum; ſed in divinis eſſentia eſt idem perſonæ ſecundum rem, & ſic eſſentia Patris eſt Pater, & eſſentia Filii, Filius. Ubicumque ergo eſt eſſentia Patris, eſt ipſe Pater, & ubicumque eſt eſſentia Filii, eſt ipſe Filius. Eſſentia autem Patris eſt in Filio, & eſſentia Filii eſt in Patre. Ergo Filius eſt in Patre, & Pater in Filio. Et ſic exponit Hilarius.

(c) Hic Dominus manifeſtat ſuam reſponſionem: & primo per opera quæ facit per ſeipſum; ſecundo per opera quæ facturus erat per diſcipulos, ibi, *Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet*. In prima ergo præmittit opera quæ ipſe facit; ſecundo concludit fidei concluſionem, ibi, *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Fides autem de Chriſto, quod eſſet Deus, poterat ex duobus manifeſtari, ſcilicet ex eius doctrina, & ex miraculis. Et hæc duo infra (XV. 24.) Dominus dicit: *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Quantum ad primum ibid. 22. *Et ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*. Et ſupra VII. 46. *Numquam ſic locutus eſt homo*. Quantum ad ſecundum ſupra IX. 32. dixit de eo cæcus: *A ſæculo non eſt auditum, quod quis aperuerit oculos cæci nati*. Ex his ergo duobus Dominus divinitatem ſuam oſtendit. Quantum ad primum dicit: *Verba quæ ego loquor vobis*, ſcilicet organo humanitatis, *a meipſo non loquor*, ſed ab eo qui eſt in me, ſcilicet a Patre. Supra VIII. 26. *Ego quæ audivi a Patre meo hæc loquor in mundo*. Pater ergo qui in me loquitur, eſt in me. Sed quia quicquid homo loquitur, neceſſe eſt quod a primo Verbo hoc habeat; primum autem Verbum, ſcilicet Verbum Dei, eſt a Patre: ergo neceſſe eſt quod omnia verba quæ loquimur ſint a Deo. Cum ergo quis loquitur verba quæ habet a Patre, Pater eſt in eo. Quantum ad ſecundum dicit: *Pater in me manens ipſe facit opera*: quia nullus opera quæ ego facio poſſet facere. Supra V. 19. *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*.

Sed quærit Chryſoſtomus quomodo Chriſtus a verbis incipiens venit ad opera. Dixit enim: *Verba quæ ego loquor vobis, a meipſo non loquor*: & poſtea dicit: *Ipſe facit opera*. Sed hoc ſolvitur dupliciter. Uno modo ſecundum Chryſoſtomum, qui dicit, ſecundum coniunctionis modum prædictum, quod primo loquitur de doctrina, & poſtea loquitur de miraculis. Secundum Auguſtinum, dicendum, quod verba quæ Dominus loquebatur, vocat opera. Supra VI. 29. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*. Ideo cum dicit, *Ipſe facit opera*, dat intelligere quod verba ipſius ſunt quædam opera.

Sed nota, quod ex his duobus diſtinctim duæ hæreſes fulcimentum ſuum ſumunt: quia quod dicit, *Ego in Patre*, ſumit (a) pro ſe Sabellius dicens, eumdem eſſe Patrem, & Filium; quod autem dicit, *A me ipſo non loquor*, aſſumit Arrius, concludens ex hoc Filium eſſe minorem Patre. Sed per ipſa eadem dictæ hæreſes excluduntur. Nam ſi idem eſſet Pater, & Filius, ut Sabellius fingit, non diceret Filius: *Verba quæ ego loquor vobis, a meipſo non loquor*. Si vero Filius eſſet minor Patre, ut blaſphemat Arrius, non diceret *Pater in me manens, ipſe facit opera*.

(d) Quia

(a) *Al.* per ſe.

(d) Quia ergo ex duobus prædictis manifeſtatur fides Trinitatis, ideo contra concludit fidem ipſam, dicens: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Hoc quidem quomodo intelligendum ſit, expoſitum eſt ſupra. In Græco habetur: *Credite*, ſcilicet mihi, *quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Vel mirum, quia non creditis, *quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Sed attende, quod antea locutus eſt ſolum Philippo; ſed ab eo loco ubi dicit, *Verba quæ ego loquor &c.* loquitur omnibus Apoſtolis ſimul. Quod ſi non ſufficiunt ad oſtendendum (*a*) conſubſtantialitatem verba quæ ego dico, ſaltem *propter opera ipſa credite*. Supra v. 36. *Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam ea, ipſa teſtimonium perhibent de me*. Et x. 8. *Si mihi non creditis, operibus credite*.

(e) Poſtquam Dominus manifeſtavit ea quæ dixerat, per opera quæ faciebat per ſeipſum, hic manifeſtat ea per opera quæ facturus erat per diſcipulos. Et primo proponit opera diſcipulorum; ſecundo inſinuat modum operandi, ibi, *Quodcumque petieritis*. In prima primo proponit opera diſcipulorum; ſecundo aſſignat rationem dicti, ibi, *Quia ad Patrem vado*. Dicit ergo primo: *Amen amen dico vobis*; quaſi dicat: Opera quæ ego facio adeo magna ſunt quod præbent ſufficienter argumentum divinitatis meæ; ſed ſi hæc vobis non ſufficiant, reſpiciatis ad opera quæ per alios facturus ſum. Potiſſimum enim ſignum magnæ virtutis eſt ut homo non ſolum per ſe, ſed etiam per alios eximia operetur: & ideo dicit: *Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet*: quæ verba non ſolum monſtrant virtutem divinitatis in Chriſto, ſed etiam virtutem fidei, & coniunctionem Chriſti cum fidelibus. Sicut enim Filius operatur propter Patrem in ſe manentem per unitatem naturæ; ita & fideles operantur propter Chriſtum in ſe manentem per fidem. Epheſ. III. 17. „ Habitare Chriſtum per fidem „ in cordibus veſtris. “ Opera autem quæ Chriſtus fecit, & diſcipuli faciunt virtute Chriſti, ſunt opera miraculorum. Marc. ult. 17. „ Signa autem eos qui crediderint, hæc „ ſequentur: in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, ſerpentes „ tollent &c.“ Sed mirabile eſt quod ſubdit: *Et maiora horum faciet*. Uno modo ut dicamus quod Dominus per Apoſtolos plura, & maiora facit quam per ſeipſum. Maximum enim inter miracula Chriſti fuit quod ad tactum fimbriæ eius ſanabantur infirmi, ut habetur Matth. XIV. Sed de Petro legitur Actor. V. quod ad eius umbram ſanabantur infirmi. Magis autem eſt quod ſanet umbra quam fimbria. Alio modo ut dicamus, quod Chriſtus plura fecit per verba diſcipulorum, quam per ſua. Loquitur enim hic Dominus de operibus quæ facta erant per verba, ut Auguſtinus dicit, quæ opera tunc dicebat ubi verba quæ loquebatur, & eorumdem verborum fructus erat fides illorum. Legitur enim de Chriſto Matth. XIX. 22. quod adoleſcens non fuit inductus ad vendendum quæ habebat, & eum ſequendum. Nam cum diceret adoleſcenti: „ Vade, & vende omnia quæ habes, & da „ pauperibus: “ ſubditur: „ Abiit triſtis: “ Sed de Petro, & aliis Apoſtolis legitur Act. IV. quod eis prædicantibus vendebant poſſeſſiones, & omnia quæ habebant, & afferebant pretium earum ad pedes Apoſtolorum.

Sed obviat aliquis, quod Dominus non dicit, quod Apoſtoli maiora facient; ſed, *Qui credit in me*. Numquid ergo qui non facit maiora quam Chriſtus, non eſt computandus inter credentes in Chriſtum? Abſit. Durum enim eſſet hoc. Ideo dicendum eſt aliter, quod Chriſtus duplex opus facit. Unum ſine nobis, videlicet creare cælum, & terram, ſuſcitare mortuos, & huiuſmodi; aliud operatur in nobis, ſed non ſine nobis, quod eſt opus fidei, per quod vivificatur impius. De iſtis ergo loquitur hic Dominus, quæ ſunt communia credenti. Et hoc eſt opus quod facit Chriſtus in nobis, ſed non ſine nobis: quia eadem facit quicumque credit: quia quod fit in me per Deum, fit in me etiam per meipſum, ſcilicet per liberum arbitrium. Unde dicit Apoſtolus (I. Corinth. XV. 10.) „ Non „ autem ego (ſupple, ſolus) ſed gratia Dei „ mecum. “ Et de iſtis dicit: *Opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*: quia maius eſt iuſtificare impium quam creare cælum & terram. Nam iuſtificatio impii quantum eſt de ſe, perſeverat in æternum. Sap. I. 15. „ Iuſtitia perpetua eſt, & immorta„ lis. “ Cælum autem, & terra tranſibunt, ut dicitur Luc. XXI. 33. Item quia opus corporale ordinatur ad ſpirituale: cælum autem, & terra opus corporale eſt; iuſtificatio vero impii opus ſpirituale.

Sed hic incidit dubium. Nam in creatione cæli, & terræ (*b*) includitur creatio etiam ſanctorum Angelorum. Numquid ergo maiora facit qui cooperatur Chriſto ad ſuam iuſtificationem, quam creare Angelum? Quod Auguſtinus non determinat; ſed dicit: „ Iu„ dicet qui poteſt, utrum maius ſit iuſtos „ creare Angelos, quam impios homines iu- „ ſti-

(a) *Al.* ſubſtantialitatem. (b) *Al.* inducitur.

Digitized by Google

„ ſtificare: certe ſi æqualis eſt utrumque pot-„ entiæ, hæc maioris eſt miſericordiæ. “ Si autem diligenter attendamus de quibus operibus Dominus hic loquatur, non præferimus creationem Angelorum iuſtificationi impii: non enim per hoc quod dicit, *Et maiora horum faciet*, oportet nos intelligere omnia opera Chriſti; ſed illa tantum fortaſſis quæ tunc faciebat; tunc autem verba fidei faciebat: & utique minus eſt verba iuſtitiæ prædicare, quod fecit præter nos, quam impios iuſtificare, quod ita facit in nobis ut faciamus & nos.

Conſequenter aſſignat rationem dicti, Ideo maiora faciet, dicens, *quia ad Patrem vado*. Quod poteſt tripliciter adaptari. Uno modo ſecundum Chryſoſtomum. Ego operor quamdiu ſum in mundo; ſed me recedente, vos eritis loco mei: & ideo quæ ego facio, vos facietis, & etiam maiora: *Quia ego vado ad Patrem*, & ultra per meipſum nihil operor, ſcilicet prædicando. Alio modo, ut ſit ſenſus: Iudæi credunt quod me occiſo fides mea extinguatur; & hoc non eſt verum, immo magis approbabitur, & vos maiora facietis: *quia vado ad Patrem*; ideſt, non pereo, ſed in propria maneo dignitate, & in cæliſ ero. Supra XIII. 31. *Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo*. Tertio modo maiora facietis; & hoc, *quia vado ad Patrem*; quaſi diceret: Dum (a) ero magis glorificatus, decet me maiora facere, & etiam dare vobis virtutes maiora faciendi. Unde antequam Ieſus eſſet glorificatus, Spiritus non fuit datus diſcipulis in ea plenitudine in qua datus eſt poſtmodum. Supra VII. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*.

(f) Hic inſinuat modum operandi: & primo ponit intentum; ſecundo rationem aſſignat, ibi, *Ut glorificetur Pater in Filio &c.* Circa primum ſciendum eſt, quod cum Dominus dixerit, *Et maiora horum faciet*, ut ex magnitudine operum cognoſcatur magnitudo facientis; poſſet aliquis credere quod qui credit in Filium Dei, eſſet maior ipſo futurus: & ideo hoc Dominus excludit ex modo faciendi: quia Filius facit ipſa opera auctoritate propria; ſed qui credit in eum, facit ipſa cum interpellatione: & ideo dicit: *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*. Ubi excluditur æqualitas credentium ad Filium tripliciter. Primo quidem, quia ipſi, ut dictum eſt, faciunt interpellando: unde dicit, *Quodcumque petieritis*. Matth. VII. 8. „ Omnis qui petit, accipit. “ Secundo quia faciunt in virtute Filii: unde dicit, *In nomine meo*; ideſt, in virtute nominis mei. Actor. IV. 12. „ Non eſt aliud nomen datum ſub cæ-„ lo hominibus, in quo oporteat nos ſalvos „ fieri.“ Hoc enim nomen eſt ſuper omne nomen. Pſal. CXIII. 9. „ Non nobis Domine, non no-„ bis; ſed nomini tuo da gloriam. “ Tertio quia ipſe Filius in eis, & per eos omnia opera facit: unde dicit, *Hoc faciam*. Et attende, quod Pater petitur, & Filius facit: quia indiviſibilia ſunt opera Patris, & Filii. Supra V. 19. *Quæcumque Pater facit, hæc ſimiliter & Filius facit*. Omnia enim Pater (b) facit per Filium. Supra I. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt*.

Sed quid eſt quod dicit: *Quodcumque petieritis, hoc faciam*: cum videamus eius fideles petere, & non accipere? Sed, ſecundum Auguſtinum, conſiderandum eſt hic primo, quod dicit, *In nomine meo*; deinde quod ſubdit, *Hoc faciam*. Nomen enim Chriſti eſt nomen ſalutis. Matth. I. 21. „ Vocabis nomen eius Ieſum: „ ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a „ peccatis eorum. “ Qui ergo petit aliquid pertinens ad ſalutem, petit in nomine Chriſti. Contingit autem quod aliquis petit (c) non pertinens ad ſalutem ex duobus. Scilicet ex prava affectione; puta cum petit aliquid ad quod afficitur, quod tamen ſi haberet, ſalutem ſuam impediret. Et ideo qui ſic petit, non exauditur, quia male petit. Iac. IV. 3. „ Petitis, & non accipitis, eo quod male pe-„ tatis. “ Cum enim quis ex pravo affectu male uſurus eſt eo quod vult accipere, Domino potius miſerante non accipit, quia non exaudivit ad votum, ſed ad utilitatem magis. Nam bonus Dominus ſæpe negat quod petimus, ut tribuat quod mallemus. Secundo ex ignorantia, dum quis aliquando petit quod credit ſibi expedire, & tamen non expedit. Sed iſtis potius conſulendo, Deus quæ petunt non facit. Nam Paulus qui plus omnibus laboravit, ter Dominum rogavit ut diſcederet ab eo ſtimulus carnis; nec tamen quod rogavit obtinuit, quia non erat ſibi expediens: II. Corinth. XII. & Rom. VIII. 26. „ Nam quid „ oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe „ Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenar-„ rabilibus. “ Matth. XX. 26. „ Neſcitis quid pe-„ tatis. “ Patet ergo quod cum petimus in nomine eius, ſcilicet in nomine Ieſu Chriſti, ipſe hoc faciet. Dicit autem, *Hoc faciam*, in futuro, non autem, Hoc facio, in præſenti, quia quandoque differt facere quod petimus, ad augendum deſiderium noſtrum, & ut tempore congruo fiat. Levit. XXVI. 3. „ Dabo vo-„ bis

(a) *Al.* ergo. (b) *Al. deeſt* facit. (c) *Al. omittitur* non.

„ bis pluviam temporibus ſuis. “ Eſa. xlix. 8. „ In die ſalutis exaudivi te. “ Contingit etiam aliquando quod petimus pro aliquo, pro quo fortaſſis non exaudimur, tunc ſcilicet quando eius merita obſtant. Hier. VII. 16. „ Tu ergo noli orare pro populo, iſto, quia „ non exaudiam te. “ Et xv. 1. „ Si ſteterint „ Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. “

(g) Conſequenter cum dicit, *Ut glorificetur Pater in Filio*, ponit rationem. Et hoc ſic legitur ab Auguſtino: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*: (a) ut hic ſit punctus. Et reſumit: *Ut glorificetur Pater in Filio, ſi quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*; quaſi diceret: Ideo *faciam quod petieritis in nomine meo, ut glorificetur Pater in Filio &c.* & omnia quæ facit Filius, ordinantur ad gloriam Patris. Supra VIII. 50. *Non quæro gloriam meam*. Sic etiam & nos omnia opera noſtra ad gloriam Dei ordinare debemus. I. Corinth. x. 31. „ Omnia in gloriam Dei facite. “

L E C T I O IV.

(a) SI diligitis me, mandata mea ſervate; & ego rogabo Patrem;
(b) Et alium Paraclitum dabit vobis,
(c) Ut maneat vobiſcum in æternum Spiritus veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum.
(d) Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

(a) SUpra conſolatus eſt Dominus diſcipulos de ſuo receſſu, promittens eis acceſſum eorum ad Patrem: ſed quia poſſet videri eis longum quod ad Patrem accederent, & interim ſine magiſtro eſſe dolerent, ideo conſolatur eos, promittens eis Spiritum ſanctum. Et (b) ponitur primo ad receptionem Spiritus ſancti præparatio; ſecundo promittitur Spiritus ſancti donatio, ibi, *Et alium Paraclitum dabit vobis*; tertio exponitur Spiritus ſancti promiſſio, ibi, *Ut maneat vobiſcum in æternum*. Præparatio autem ad receptionem Spiritus ſancti una quidem erat neceſſaria ex parte diſcipulorum, alia ex parte Chriſti. Ex parte quidem diſcipulorum neceſſaria erat duplex præparatio, ſcilicet amor cordis, & obedientia operis. Quorum unum Dominus ſupponit eos habere; & quantum ad hoc dicit, *Si diligitis me*; & hoc apparet, quia triſtamini de meo receſſu. Infra xv. 27. (c) *Vos me amaſtis, quia ab initio mecum eſtis.* Aliud vero imperat futurum; & quantum ad hoc dicit: *Mandata mea ſervate*; quaſi dicat: Non oſtendatis amorem quem habetis ad me in fletu, ſed in obedientia mandatorum meorum: (d) hoc enim eſt manifeſtum dilectionis ſignum. Infra XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*. Hæc ergo duo præparant ad receptionem Spiritus ſancti. Cum enim Spiritus ſanctus ſit amor, non datur niſi amantibus. Prov. VIII. 17. „ Ego diligentes me „ diligo. “ Item datur obedientibus. Actor. III. 15. „ Nos huius rei teſtes ſumus &c. “ Eſa. LXVI. 2. (e) „ Super quem requieſcit Spiritus „ meus &c. “

Sed numquid obedientia diſcipulorum, & amor eorum ad Chriſtum præparant ad Spiritum ſanctum? Videtur quod non: quia dilectio qua diligimus Deum, eſt per Spiritum ſanctum. Rom. v. 5. „ Caritas Dei diffuſa eſt in „ cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui „ datus eſt nobis. “ Obedientia autem eſt nobis a Spiritu ſancto. Rom. VIII. 14. „ Qui „ ſpiritu Dei aguntur hi filii Dei ſunt. “ Et in Pſal. CXVIII. 22. „ Viam mandatorum tuo„ rum cucurri, cum dilataſti cor meum. “ Sed poſſet aliquis dicere, quod per dilectionem Filii promeremur Spiritum ſanctum, quo habito, amamus Patrem. Sed huic repugnat, quia idem eſt amor Patris, & Filii.

Et ideo aliter dicendum eſt, quod hoc eſt in donis Dei, ut qui bono utitur dono ſibi conceſſo, amplioris gratiæ, & doni acceptionem mereatur; & qui male utitur, hoc ipſum quod accepit, auferatur ab eo. Nam, ut legitur Matth. xxv. ſervo pigro ablatum eſt talentum, quod acceperat a Domino ſuo, quia non bene uſus eo fuit, & datum eſt ei qui acceperat quinque, cum quibus lucratus fuerat alia quinque. Sic ergo eſt & de dono Spiritus ſancti. Nullus enim poteſt Deum diligere niſi habeat Spiritum ſanctum: non enim nos prævenimus gratiam Dei, ſed ipſa prævenit nos. „ Ipſe enim prior dilexit nos, “ ut dicitur I. Ioan. IV. 10. Et ideo dicendum, quod Apoſtoli primo quidem receperunt Spiritum

(a) *Al.* ut hoc ſit. Et reſumit &c. (b) *Al. deeſt* ponitur. (c) Ibi: *Vos teſtimonium perhibetis, quia ab initio mecum eſtis.* (d) *Al.* hoc etiam eſt meum dilectionis ſignum. (e) *Ibi*: Ad quem autem reſpiciam niſi „ ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? “

ritum ſanctum, ut diligerent Deum, & obedirent mandatis eius; ſed neceſſe erat ad hoc ut ampliori plenitudine Spiritum ſanctum reciperent, quod bene uterentur, diligendo, & obediendo, dono Spiritus ſancti prius accepto. Et ſecundum hoc eſt ſenſus: *Si diligitis me*, per Spiritum ſanctum, quem habetis, & obeditis mandatis meis, (*a*) recipietis Spiritum ſanctum, quem habebitis in ampliori plenitudine.

Alia præparatio neceſſaria erat ex parte Chriſti; & quantum ad hoc dicit: *Ego rogabo Patrem &c.* Ubi ſciendum eſt, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, inquantum homo, mediator eſt Dei, & hominum, ut dicitur I. Tim. II. Unde inquantum eſt homo, accedens ad Deum, impetrat nobis dona cæleſtia, & veniens ad nos elevat nos, & reducit ad Deum. Quia ergo iam ad nos venerat, & dando nobis mandata Dei reduxit credentes ad ipſum, reſtabat ut rediret ad Patrem, & impetraret dona ſpiritualia. Hebr. VII. 25. „ Accedens per ſemetipſum ad Deum ſal„ vare in perpetuum poteſt. " Et hoc facit rogando Patrem. Et hoc eſt quod dicit: *Ego rogabo Patrem &c.* Epheſ. IV. 8. „ A„ ſcendens in altum captivam duxit captivi„ tatem, dedit dona hominibus. " Sed attende, quod idem eſt qui rogat ut detur, & qui dat Paraclitum. Rogat inquantum homo, dat inquantum Deus. Dicit autem, *Et rogabo*, ut eorum repellat triſtitiam de ſuo receſſu, quoniam ipſe receſſus eſt, ratio, ut acciperent Spiritum ſanctum.

(b) Hic ponitur Spiritus ſancti promiſſio. Sed attende, quod hoc nomen Paraclitus eſt Græcum, & ſignificat conſolatorem; & ideo dixit: *Alium Paraclitum dabit vobis*, ſcilicet Pater, non tamen ſine Filio, ideſt Spiritum ſanctum, qui eſt conſolator, cum ſit ſpiritus amoris; amor autem facit ſpiritualem conſolationem, & gaudium. Galat. v. 22. „ Fructus „ Spiritus, caritas, gaudium &c. " Ipſe eſt interpellator &c. Rom. VIII. 26. „ Nam quid „ oremus ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe „ Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus ine„ narrabilibus. " Hoc autem quod dixit, *Alium*, deſignat diſtinctionem perſonalem in divinis contra Sabellium.

Sed obiicitur: quia hoc quod dicitur, *Paraclitus*, importat actionem Spiritus ſancti: ergo in hoc quod dixit, *Alium Paraclitum*, videtur deſignare alietatem naturæ: nam alietas operationis deſignat alietatem naturæ: eſt ergo Spiritus ſanctus alterius naturæ a Filio. Reſponſio. Dicendum, quod Spiritus ſanctus eſt conſolator, & advocatus, & Filius ſimiliter. Quod enim Filius ſit advocatus, dicitur I. Ioan. II. I. „ Advocatum habe„ mus apud Patrem Ieſum Chriſtum. " Quod conſolator, Eſa. LXI. I. „ Spiritus Domini ... „ miſit me ut ponerem conſolationem lugenti„ bus Sion. " Tamen alia, & alia ratione eſt conſolator, & advocatus, Filius, & Spiritus ſanctus, ſi accipiamus per appropriationem perſonarum: nam Chriſtus dicitur advocatus inquantum ſecundum quod homo interpellat pro nobis ad Patrem; Spiritus autem ſanctus inquantum nos poſtulare facit. Item Spiritus ſanctus dicitur conſolator inquantum eſt amor formaliter; Filius vero inquantum eſt Verbum. Et hoc dupliciter: quia per doctrinam, & inquantum ipſe Filius dat Spiritum ſanctum, (*b*) & incendit amorem in cordibus noſtris. Sic ergo ly *alium* non deſignat alietatem naturæ in Filio, & Spiritu ſancto; ſed deſignat alium modum, quo uterque eſt conſolator, & advocatus.

(c) Hic ponitur promiſſio: & primo quantum ad ipſam dationem; ſecundo quantum ad ipſum donum; tertio quantum ad recipientes donum. Sed donatio eſt vera, quia perpetua: unde dicit: *Ut maneat vobiſcum in æternum Spiritus veritatis*. Alicui enim datur aliquid ad tempus tantum, & hæc non eſt vera donatio; ſed tunc eſt vera quando datur ad ſemper habendum: & ideo Spiritus ſanctus vere datur, quia ut maneat cum eis in æternum, hic quidem illuſtrans, & docens, & ſuggerens, poſt ad videndam ſpeciem introducens. I. Reg. XVI. 13. „ Directus eſt Spi„ ritus Domini in David a die illa & de„ inceps. " Iudas autem licet acceperit eum, non tamen ſemper cum ipſo manſit: quia non accepit ut maneret cum ipſo in æternum, ſed tantum ſecundum præſentem iuſtitiam. Secundum Chryſoſtomum autem dici poteſt, quod Dominus hæc dicit ad excludendum carnalem quamdam ſuſpicionem diſcipulorum. Poſſent enim ſuſpicari, quod ille Paraclitus eis datus poſtmodum per paſſionem ab eis recederet, ſicut ipſe; & hoc excludit dicens: *Ut maneat vobiſcum in æternum*; quaſi dicat: Non patietur mortem ut ego, nec a vobis recedet.

Sed contra. Supra I. 33. hoc dictum eſt Ioanni Baptiſtæ: *Super quem videris Spiritum deſcendere, & manere, hic eſt qui baptizat*. Ex quo videtur proprium Chriſti ut Spiritus ſanctus ſemper maneat cum ipſo; quod non eſt verum, ſi cum diſcipulis manet in æternum. Reſponſio. Secundum Chryſoſtomum, dicendum,

(a) *Al.* recipientes Spiritum ſanctum, quem habetis in ampliori plenitudine. (b) *Al.* & intendit amorem.

Digitized by Google

dum, quod Spiritus ſanctus dicitur in nobis manere per dona ſua. Donorum autem Spiritus ſancti quædam ſunt neceſſaria ad ſalutem; & hæc ſunt communia omnibus ſanctis, & ſemper in nobis manent, ut eſt caritas, quæ numquam excidit, ut dicitur I. Corinth. XIII. quia etiam in futuro erit. Quædam autem non ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed dantur fidelibus ad manifeſtationem Spiritus. I. Corinth. XII. 7. „ Unicuique datur manifeſta„ tio Spiritus ad utilitatem. " Sic ergo quantum ad prima dona, Spiritus ſanctus manet cum diſcipulis, & ſanctis in æternum; ſed quantum ad ſecunda dona, ſic eſt proprium Chriſto ut maneat cum eo ſemper: quia ſemper in plenitudine poteſtatis ſuæ habet ut poſſit miracula facere, & prophetare, & alia huiuſmodi; ſed non ſic eſt de aliis; quia, ut dicit Gregorius, ſpiritus Prophetarum non ſunt Prophetis ſubiecti.

Donum autem eſt excellentiſſimum, quia *Spiritus veritatis*. Spiritum quidem dixit, ut oſtendat naturæ ſubtilitatem: ſpiritus enim dicitur aliquid occultum, & inviſibile: unde quod inviſibile eſt, ſpiritus dici conſuevit. Sic & Spiritus ſanctus occultus eſt, & inviſibilis. Supra III. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat*. Item ut oſtendat eius virtutem, quia movet nos ad bene agendum, & operandum: ſpiritus enim impulſionem quamdam inſinuat: unde & ventum ſpiritum appellamus. Rom. VIII. 14. „ Qui Spiritu Dei agun„ tur, hi filii Dei ſunt. " Pſal. CXLII. 10. „ Spi„ ritus tuus bonus deducet me in terram re„ ctam. " Addit autem, *Veritatis*, quia a veritate procedit, & veritatem dicit. Spiritus enim ſanctus nihil aliud eſt quam amor. Quando ergo quis impellitur ad amandum terrena, & mundum, tunc impellitur a ſpiritu mundi. I. Corinth. II. 12. „ Nos autem non „ ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpi„ ritum qui ex Deo eſt. " Quando vero impellitur ad opera carnis, tunc non impellitur a Spiritu ſancto. Ezech. XIII. 3. „ Væ Pro„ phetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum „ ſuum. " Sed iſte Spiritus ducit ad cognitionem veritatis, quia procedit a veritate, quæ dicit ſupra eodem: *Ego ſum via, & veritas, & vita*. Nam ſicut in nobis ex veritate concepta, & conſiderata ſequitur amor ipſius veritatis, ita in Deo concepta veritate, quæ eſt Filius, procedit Amor. Et ſicut ab ipſa procedit, ita in eius cognitionem ducit. Infra XVI. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet &c.* Et ideo dicit Ambroſius, quod omne verum a quocumque (*a*) dicatur, a Spiritu ſancto eſt. I. Corinth. XII. 3. „ Nemo poteſt „ dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſan„ cto. " Infra XV. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis*. Manifeſtare autem veritatem convenit proprietati Spiritus ſancti. Eſt enim amor qui facit ſecretorum revelationem. Infra XV. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Iob XXXVI. 33. „ Annuntiat de ea (ſcilicet veritate) amico „ ſuo. " Recipiunt autem Spiritum ſanctum credentes; & quantum ad hoc dicit: *Quem mundus non poteſt accipere*. Et primo oſtendit qui ſunt quibus non datur; ſecundo oſtendit quibus datur, ibi, *Vos autem cognoſcetis &c.* Primo autem oſtendit quod non datur mundo; ſecundo autem aſſignat cauſam quare non detur. Quantum ad primum dicit: *Quem mundus non poteſt accipere*. Mundum hic mundi dilectores vocat Dominus. Hi quidem quamdiu mundum diligunt, Spiritum ſanctum non poſſunt accipere, eſt enim amor Dei: non poteſt autem quis finali dilectione Deum, & mundum diligere. I. Ioan. II. 15. „ Si quis di„ ligit mundum, non eſt caritas Patris in „ eo. " Nam Gregorius dicit V. Moral. XX. „ Spiritus ſanctus omne quod repleverit ad „ deſiderandum inviſibilia accendit. Et quoniam „ mundana corda ſola viſibilia diligunt, hunc „ mundus non accipit, quia ad diligenda (*b*) „ inviſibilia non aſſurgit. Sæculares etenim „ mentes quanto ſe foras per deſideria dila„ tant, tanto ad receptionem illius ſinum „ cordis anguſtant. " Sap. I. 5. „ Spiritus ſan„ ctus diſciplinæ effugiet fictum. " Quantum ad ſecundum dicit: *Quia non videt eum, nec ſcit eum*. Nam dona ſpiritualia non accipiuntur niſi deſiderata. Sapient. VI. 14. „ Præoc„ cupat (ſcilicet divina ſapientia) eos qui ſe „ concupiſcunt: " nec deſiderantur niſi aliqualiter cognita. Quod autem non cognoſcantur, ex duobus contingit. Primo quidem ex hoc quod homo non ponit intentionem ſuam ad eorum cognitionem; ſecundo vero quia quis non poteſt eſſe capax illius cognitionis. Hoc autem mundani non habent. Nam primo non intendunt ad ea deſideranda; & quantum ad hoc dicit: *Quia non videt eum*; ideſt, non ponit intentionem ſuam ad eum cognoſcendum. Pſal. XVI. 11. „ Oculos „ ſuos ſtatuerunt declinare in terram. " Item non poſſunt ea cognoſcere: unde dicit, *Neſcit eum*: nam, ut Auguſtinus dicit, „ non habet „ inviſibiles oculos mundana dilectio: per quos „ videri Spiritus ſanctus niſi inviſibiliter non „ pot-

(a) Al. ducatur. (b) Al. viſibilia.

„ poteſt. “ I. Corinth. 11. 14. „ Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. “ Sicut lingua infecta non ſentit bonum ſaporem propter corruptionem humoris, ſic anima infecta a corruptione muodi, cæleſtium dulcedinem non guſtat. Vel, ſecuodum Chryſoſtomum, dico, quod *alium P araclitum dabit vobis, Spiritum veritatis*; ſod hic non aſſumet carnem: *quia mundus non videt eum, nec ſcit eum*; ideſt, non aecipiet eum; ſed ſolum vos.

(d) Hic oſtendit primo qnibus datur Spiritus ſanctus; ſecundo rationem aſſignat. Datur autem fidelibus: unde dicit: *Vos autem*, qui movemini a Spiritu ſancto, *cognoſcetis eum*. I. Corinth. 11. 12. „ Nos autem non ſpiritum „ huius mundi aecepimus, ſed ſpiritum qui „ ex Deo eſt. “ Et hoc ideo: quia mundum contemnitis. II. Corinth. IV. 18. „ Non con„ templantibus nobis quæ videntur, ſed quæ „ oon videntur. “ Ratio autem huius eſt, *quia apud vos manebit*. Ubi primo nota Spiritus ſancti ad Apoſtolos familiaritatem: *quia apud vos manebit*, ideſt ad utilitatem veſtram. Pſal. CXLII. 10. „ Spiritus (*a*) tuus bonus de„ ducet me in viam rectam, “ Sap. XII. 1. „ O quam bonus ſpiritus tuus, Domine, eſt in „ omnibus! “ Secundo quamdam eius intimam inhabitationem: quia *in nobis erit*, ideſt in intimo eordis noſtri. Ezech. 11. 19. „ Et ſpiri„ tum novum tribuam in viſceribus eorum. “

LECTIO V.

(a) NOn relinquam vos orphanos: veniam ad vos.

(b) Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis.

(c) In illa die vos cognoſcetis quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

(d) Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & maniſeſtabo ei meipſum.

(a) SUpra Dominus promiſit Spiritum ſanctum conſolatorem. Sed quia Apoſtoli non multum ad notitiam Spiritus ſancti conſcenderant, & ad Chriſti præſentiam valde detioebaotur, huiuſmodi conſolatio eis parva videbatur: & ideo in parte iſta promittit eis primo reditum ſuum; ſecuodo dona ſua, ibi, *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens &c.* Circa primum primo promittit eis iteratam viſitationem; ſecundo (*b*) aſſignat rationem, ibi, *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*; tertio excludit diſcipuli dubitationem, ibi, *Dicit ei Iudas &c.* Circa primum primo maoiſeſtat eis ſuum reditum; ſecundo manifeſtat redeundi modum, ibi, *Adhuc modicum & mundus me iam non videt*; tertio prædicit reditus fructum, ibi, *In illa die vos cognoſcetis &c.* Circa primum primo oſtendit neceſſitatem redeundi; ſecundo promittit reditum. Neceſſitas autem redeundi eſt ut diſcipuli orphani non remaneant; & hoc eſt quod dicit: *Non vos relinquam orphanos*. Orphani enim in Græco pupilli ſunt in Latino; & dicuntur hi parvuli patre carentes: ſecundum illud Thren. ult. 3. „ Pupilli facti „ ſumns abſque patre, matres noſtræ quaſi „ viduæ. “ Cooſiderandum eſt autem, quod homo poteſt habere triplicem patrem. Scilicet patrem originis. Hebr. XII. 9. „ Patres „ quidem habuimus carnis (*c*) noſtræ &c. “ Item pravæ imitationis. Supra VIII. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis*. Item gratuitæ adoptionis. Rom. VIII. 15. „ Aeeepiſtis ſpiritum ad„ optionis filiorum. “ Sed eos qui imitantut patrem diabolum, Deus non adoptat in filios: quia non eſt conventio lucis ad tenebras, ut dicitur II. Corinth. VI. Similiter nec illos qui nimium afficiuntur carnaliter ad parentes: quia hoc dicitur Matth. X. 37. „ Qui amat pa„ trem ſuum, aut matrem ſuam pluſquam „ me, non eſt me dignus. “ Qui ergo fuerit orphanus, ideſt deſtitutus affectu peccati, & deſerens affectum carnalem ad pareotes, illum Deus ſibi adoptat in filium. Pſal. XXVI. 10. „ Quoniam pater meus, & mater mea de„ reliquerunt me; Dominus autem aſſumpſit „ me. “ Multo autem magis qui relinquit eos. Pſal. XLIV. 11. „ Obliviſcere populum tuum, „ & domum patris tui; & concupiſcet Rex de„ corem tuum. “ Sed notandum, quod Chriſtus exhibet ſe diſcipulis ſuis ut patrem: quamvis (*d*) enim hoc nomen Pater perſonaliter acceptum, ſit proprium perſonæ Patris; eſſentialiter tamen acceptum eompetit toti Tri-

(a) *Al. omittitur* tuus bonus. (b) *Al.* aſſignationem. (c) *Al.* non noſtræ. (d) *Al. deeſt* enim.

Digitized by Google

Trinitati. Unde ſupra XIII. 33. dixit eis: *Filioli mei, adhuc modicum vobiſcum ſum*. Adventum ſuum promittit eis dicens, *Veniam ad vos*. Venerat iam Chriſtus ad eos, carnem aſſumendo. I. Timoth. I. 15. ,, Chriſtus Ieſus in hunc ,, mundum venit. " Reſtabat ergo triplex adventus eius: quorum duo ſunt corporales: unus ſcilicet poſt reſurrectionem, & ante aſcenſionem, quando ſcilicet recedens ab eis per mortem, poſt reſurrectionem venit Ieſus, & ſtetit in medio diſcipulorum, ut dicitur infra XX. alius erit in fine mundi: de quo dicitur Actor. I. 11. ,, Quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum, ita veniet. " Luc. XXI. 27. ,, Videbunt Filium hominis ve- ,, nientem in nube cum poteſtate magna, & ,, maieſtate. " Sed tertius eſt ſpiritualis, & inviſibilis, quando ſcilicet venit ad fideles ſuos per gratiam in vita, vel in morte. Iob IX. 11. ,, Si venerit ad me, non videbo eum. " Dicit ergo, *Veniam ad vos*, poſt reſurrectionem quantum ad primum adventum. Infra XVI. 22. *Iterum autem videbo vos*. Item in fine mundi. Eſa. III. 14. ,, Dominus ad iudicium ,, veniet &c. " Item in morte ad ſuſcipiendum vos ad me. Supra eodem: *Veniam ad vos, & tollam vos ad meipſum*. Item *veniam ad vos*, ſpiritualiter viſitando. Infra eodem: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*.

(b) Hic exponit viſitationis modum, oſtendens hanc viſitationem Apoſtolis ſingulariter exhibendam. Et quia poſſent credere, quod adhuc ad eos rediret mortalis exiſtens, ideo conſequenter excludit hoc, dicens: *Adhuc modicum & mundus me iam non videt*. Ut primo exponamus de reditu poſt reſurrectionem, tunc eſt ſenſus: *Adhuc modicum*, ideſt modicum tempus vobiſcum ſum in hac carne mortali, & tunc crucifigar; ſed poſt *mundus iam me non videt*. Et hoc quia poſt reſurrectionem non omnibus manifeſtavit ſe, ſed teſtibus præordinatis a Deo, ſcilicet diſcipulis ſuis: Actor. I. & ideo dicit: *Vos autem videbitis me*, ſcilicet in corpore glorificato, & immortali. Rationem horum aſſignat dicens: *Quia ego vivo, & vos vivetis*. Ubi removet dubitationem. Poſſent enim diſcipuli dicere: Quomodo videbimus te, qui morieris, & nos etiam moriemur tecum? Et ideo dicit, quod hoc non erit ita, quia *ego vivo*; ideſt, vivam poſt reſurrectionem. Apoc. I. 18. ,, Fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcu- ,, la ſæculorum. " *Et vos vivetis*: quia non occidemini modo mecum. Infra XVIII. 8. *Si me quæritis, ſinite hos abire*. Vel *ego vivo*, per reſurrectionem, *& vos vivetis*, ideſt gaudebitis inde: quia (infra XX. 20.) *gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino*. Hoc modo accipitur vivere Gen. XLV. 27. ,, Cum audiſſet Iacob quod ,, Ioſeph regnaret in terra AEgypti, revixit ,, ſpiritus eius, " ſcilicet propter gaudium.

Sed contra hanc expoſitionem obiicit Auguſtinus: quia ex hoc quod Dominus dicit, *Adhuc modicum & mundus me iam non videt*, ſequitur quod homines mundi numquam ſint eum viſuri; quod eſt falſum, quia in iudicio videbunt eum, ſecundum illud Apoc. I. 7. ,, Videbit eum omnis oculus. " Ad quod poſſet dici, quod verum eſt quod homines mundi: (*a*) .... adhuc modicum mundus non videbit eum in iſta carne mortali; & propter hoc Auguſtinus exponit hoc, *Adhuc modicum*, referens ad ſecundum adventum, in quo veniet ad iudicandum.

Et dicitur iſtud tempus modicum uſque ad iudicium, in reſpectu ad æternitatem. Nam ,, mille anni ante oculos tuos quaſi dies he- ,, ſterna, quæ præteriit: " Pſal. LXXXIX. 4. Et hoc modo Apoſtolus Hebr. XII. vocat iſtud tempus (*b*) modicum, exponens illud Aggæi II. 7. ,, Adhuc modicum, & ego movebo cæ- ,, lum, & terram &c. " *Et mundus me iam non videt*: quia ulterius poſt iudicium homines mundi amatores, & pravi eum non videbunt, euntes in ignem æternum. Unde Eſa. XXVI. 10. ſecundum aliam litteram, dicitur: ,, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. " *Vos autem*, qui ſecuti eſtis me, & permanſiſtis mecum in tentationibus meis, *videbitis me*, in æternitate perpetua. Eſa. XXXIII. 17. ,, Regem in decore ſuo videbunt. " I. Theſ. IV. 16. ,, Semper cum Domino erimus. " Et hoc ideo, quia *vivo, & vos vivetis*; quaſi diceret: Sicut ego habeo vitam glorioſam in anima, & in corpore, ita & vos. Philipp. III. 21. ,, Reformabit corpus humilitatis no- ,, ſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. " Et hoc ideo dicit, quia vita noſtra glorioſa creatur ex vita glorioſa Chriſti. I. Corinth. XV. 22. ,, Sicut in Adam omnes moriuntur, ,, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. " Sed de ſe dicit in præſenti, *Vivo*, quia ſua reſurrectio differenda non erat poſt mortem eius; ſed ſtatim ſecutura: ſecundum illud Pſal. CVII. 3. ,, Exurgam diluculo: " quia ut dicitur in Pſal. XV. 10. ,, Non dabis Sanctum ,, tuum videre corruptionem. " Sed de diſcipulis dicit, *Vivetis*, in futuro, quia reſurrectio corporum eorum differenda erat uſque in finem mundi: ſecundum illud Eſai. XXVI. 19. ,, Vivent mortui tui, interfecti mei re- ,, ſurgent. "

(a) *Sententia mutila*. (b) *Al.* modicum, & ego movebo &c.

(c) Hic ponitur viſitationis fructus, qui eſt cognitio eorum quæ Apoſtoli ignorabant: ut enim ſupra (XIII. 36.) dictum eſt, Petrus ignorabat quo Chriſtus iret: unde dicebat: *Domine quo vadis?* Etiam Thomas hoc ignorabat, & viam per quam iret: unde dicebat (ſupra XIV. 5.) *Neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?* Philippus autem Patrem ignorabat, unde petebat dicens (ibid. 9.) *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*. Quæ quidem cauſabantur ex ignorantia unius rei, ex hoc ſcilicet quod ignorabant quomodo Pater in Filio, & Filius in Patre: unde & Philippo dixit (ibid. 10.) *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Huius ergo notitiam promittit eis Dominus, dicens hic: *In illa die vos cognoſcetis qu'a ego in Patre meo ſum &c.* Ex quo omnis dubietas a cordibus diſcipulorum excluditur. Poteſt autem exponi de adventu tempore reſurrectionis, & de adventu ad iudicium. Sed diſtinguenda eſt duplex cognitio myſteriorum divinitatis. Una eſt imperfecta quæ habetur per fidem; alia perfecta quæ habetur per ſpeciem: de quibus dicitur I. Corinth. XIII. 12. „ Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate (quantum ad primum) tunc autem facie ad faciem, " quantum ad ſecundum. Dicit ergo: *In illa die*, poſt reſurrectionem meam, *cognoſcetis quia ego ſum in Patre*; & hoc cognitione fidei: quia tunc videntes eum reſurrexiſſe, & eſſe cum eis, certiſſimam fidem de eo habuerunt, præcipue qui acceperunt Spiritum ſanctum, qui omnia eos docebat. Vel *in illa die*, ultimæ reſurrectionis in iudicio, *cognoſcetis*, ſcilicet manifeſte per ſpeciem. I. Corinth. XIII. 12. „ Tunc cognoſcam „ ſicut & cognitus ſum. " Sed quid cognoſcent? Duo quæ dicit ſupra: unum ſcilicet quod *Pater in me manens ipſe facit opera*; & quantum ad hoc dicit: *Quia ego ſum in Patre meo*, ſcilicet per conſubſtantialitatem naturæ. Aliud quod dicit ſe facturum opera per diſcipulos, dicens (ſupra hoc cap.) *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet*: & quantum ad hoc dicit: *Et vos in me, & ego in vobis*.

Ubi attendendum eſt, quod quia hic Dominus videtur ſimilem habitudinem ponere ſui ad Patrem, & diſcipulorum ad ipſum, volebant Arriani, quod ſicut diſcipuli ſunt minores Chriſto, & non conſubſtantiales ei, ita eſſet Filius minor Patre, & alterius ſubſtantiæ ab ipſo. Et ideo dicendum eſt, quod hoc quod dicit, *Ego ſum in Patre meo*, dicitur per conſubſtantialitatem naturæ. Supra X. 30. *Ego, & Pater unum ſumus*. Et ſupra I. *Verbum erat apud Deum*.

Hoc autem quod dicit, *Et vos in me &c.* intelligitur uno modo quod diſcipuli ſunt in Chriſto: nam illud quod protegitur ab aliquo, dicitur eſſe in eo, ſicut contentum in continente: & hoc modo dicitur, quod in Rege ſunt ea quæ ſunt in regno: & ſecundum hoc dicitur Act. XVII. 28. „ In ipſo vi„ vimus, movemur, & ſumus. " *Et ego ſum in vobis*, manendo interius, & operando, & inhabitando interius per gratiam. Epheſ. III. 17. „ Habitare Chriſtum per fidem in cor„ dibus veſtris. " Et II. Corinth. XIII. 3. „ An „ experimentum eius quæritis qui in me lo„ quitur Chriſtus? " Alio modo ſecundum Hilarium: *Vos in me*: ſupple, in me eritis per naturam veſtram, quam aſſumpſi: aſſumendo enim naturam noſtram, aſſumpſit nos omnes: Hebr. II. 26. „ Nuſquam enim Angelos ap„ prehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehen„ dit: " *& ego ſum in vobis*, per mei ſacramenti ſumptionem: quia qui ſumit corpus Chriſti, Chriſtus eſt in eo. Supra VI. 57. *Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Alio modo. *Vos in me, & ego in vobis*: ſupple, ſumus, per mutuam dilectionem: quia hoc dicitur I. Ioan. IV. 16. „ Deus caritas eſt, & qui ma„ net in caritate, in Deo manet, & Deus „ in eo. " Et hæc vobis ignota erant; ſed tamen in illa die ea cognoſcetis.

(d) Hic aſſignatur viſitationis ratio. Et ponit Dominus duplicem rationem quare a fidelibus Dominus videatur, & non a mundo. Prima eſt vera eorum dilectio ad Deum; ſecunda vero dilectio Dei ad eos, ibi, *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo*. Quantum ad primum dicit: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. Ubi notandum eſt, quod illa eſt vera dilectio quæ ſe prodit, & probat in opere: nam per exhibitionem operis dilectio manifeſtatur. Cum enim diligere aliquem ſit velle ei bonum, & deſiderare quæ ipſe vult, non videtur vere diligere qui non facit voluntatem amati, nec exequitur quæ ſcit eum velle. Qui ergo non facit voluntatem Dei, non videtur eum vere diligere: & ideo dicit: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*, ideſt qui habet veram dilectionem ad me.

Sed nota, quod aliquis habet mandata Dei primo quidem in corde per memoriam, (*a*) & iugem meditationem. Pſal. CXVIII. 11. „ In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non „ peccem tibi. " Sed hoc non ſufficit, niſi ſervet

(a) *Al.* & ignem meditationum.

Digitized by Google

vet in opere. Pſal. cx. 10. „ Intellectus bonus omnibus facientibus eum. " Quidam vero habent in ore, dicendo, & exhortando. Pſal. cxviii. 103. „ Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! " Et hi etiam debent ea ſervare in opere: quia „ qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum: Matth. v. 19. Unde vituperantur a Deo illi qui dicunt, & non faciunt, Matth. xxiii. Quidam autem habent in aure, ea libenter, & diligenter audiendo. Supra viii. 47. *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit*. Nec hoc ſufficit, niſi ſervent: quia „ non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur: " Rom. ii. 13. Supra vi. 27. *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*. Ergo qui ſic habet mandata Dei, (*a*) aliqualiter ſervat ea; ſed adhuc imponitur ei ut ſervet perſeverando. Unde dicit Auguſtinus: „ Qui habet in memoria, & ſervat in vita, qui habet in ſermonibus, & ſervat in moribus, qui habet audiendo, & ſervat faciendo, qui habet faciendo, & perſeverando, ipſe eſt qui diligit me. " Quantum ad ſecundum dicit: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo*. Sed hoc in primo aſpectu videtur abſurdum. Numquid enim Deus diligit nos, quia diligimus eum? Abſit. Dicitur enim I. Ioan. iv. 10. „ Non quaſi dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. " Et ideo dicendum, (*b*) quod intellectum huius habemus ex his quæ dicta ſunt ſupra, ſcilicet *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. Non enim ibi dicitur, quod ideo diligit, quia ſervat mandata; ſed quia diligit, ideo mandata implet: & hoc modo dicendum eſt hic, quod ideo quis diligit Chriſtum, quia diligitur a Patre, & non ideo diligitur, quia diligit. Diligimus ergo Filium, quia Pater diligit nos. Habet enim hoc verus amor ut amatos ad amantis dilectionem trahat. Hier. xxxi. 3. „ In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miſerans. " Sed quia amor Patris non eſt ſine amore Filii, cum idem ſit amor utriuſque: *quæcumque enim Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit*: ſupra v. 19. ideo ſubdit: *Et ego diligam eum*.

Sed cum Pater, & Filius omnia diligant ab æterno, quare dicit, *Diligam*, in futuro? Dicendum eſt ergo, quod dilectio conſiderata prout eſt in divina voluntate, ſic eſt æterna; ſed conſiderata ſecundum quod (*c*) manifeſtatur in executione operis, & effectus, eſt temporalis: & ideo eſt ſenſus: *Et ego diligam eum*, ideſt effectum dilectionis oſtendam, quia ſcilicet *manifeſtabo ei meipſum*: quia ad hoc diligam ut manifeſtem.

Sciendum eſt autem, quod dilectio alicuius ad aliquem aliquando eſt ſecundum quid, aliquando ſimpliciter. Secundum quid quidem, quando vult ei aliquod bonum particulare; ſimpliciter autem, quando vult ei omne bonum. Deus autem omnia cauſata diligit ſecundum quid, quia omni creaturæ vult aliquod bonum, etiam ipſis dæmonibus, ut ſcilicet vivant, & intelligant, & ſint; quæ ſunt quædam bona. Simpliciter autem diligit illos quibus vult omne bonum, ſcilicet ut habeant ipſum Deum, quem habere eſt habere veritatem, quia Deus veritas eſt. Sed veritas tunc habetur quando cognoſcitur. Illos ergo vere, & ſimpliciter diligit quibus manifeſtat ſeipſum, qui eſt veritas. Et hoc eſt quod dicit: *Manifeſtabo ei meipſum*, ſcilicet in futuro per gloriam, qui eſt ultimus futuræ beatitudinis effectus. Iob xxxvi. 33. „ Annuntiat de ea amico ſuo quod poſſeſſio eius ſit. " Sapient. vi. 14. „ Præoccupat eos qui ſe concupiſcunt. "

Sed poſſet quis dicere: Numquid Pater non manifeſtabit ſe? Immo & Pater, & Filius: nam Filius & Patrem ſimul, & ſe manifeſtat, cum ſit Verbum eius. Matth. xi. 27. „ Neque Patrem quis novit niſi Filius &c. " Et tamen ſi interim Filius manifeſtat ſe alicui aliquo modo, hoc eſt ſignum divinæ dilectionis. Unde & hæc poteſt eſſe ratio quare mundus eum non videbit, (*d*) quia ſcilicet non manifeſtabit eis ſeipſum; & hoc quia non diligit eum.

LECTIO VI.

(a) DIxit ei Iudas, non ille Iſcariotis: Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?

(b) Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.

(c) Et Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

(d) Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.

(e) Et

(a) *Al.* qualiter. (b) *Al.* quod ad intellectum. (c) *Al.* manifeſtatur executione operis, effecta eſt temporalis. (d) *Al.* quam.

(e) Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus, ſed eius qui miſit me Patris.

(f) Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

(a) Supra promiſit Dominus diſcipulis ſuam viſitationem; hic removet diſcipuli dubitationem. Et primo ponitur diſcipuli dubitatio; ſecundo Chriſti reſponſio, ibi, *Reſpondit Ieſus &c.* Sciendum eſt circa primum, quod ſanctorum, & humilium conſuetudo eſt ut cum magna de ſe audiunt, ſtupeant, & admirentur. Audierant autem diſcipuli Dominum dicentem: *Adhuc modicum & mundus me iam non videt; vos autem videbitis me &c.* ex quo videbatur Apoſtolos toti mundo præferre: & ideo Iudas frater Iacobi, cuius Epiſtola inter Canonicas legitur, in admirationem, & ſtuporem poſitus, dicit: *Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis te ipſum?* quaſi diceret: Quæ cauſa erit? Numquid nos ſupra totum mundum ſumus? Simile dixit David II. Reg. VII. 18. „ Quis ego „ ſum, aut quæ eſt domus mea?" Matth. XXV. 37. dicunt iuſti: „ Domine, quando te vidi„ mus eſurientem, & pavimus te? "

(b) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus &c.* ponitur Chriſti reſponſio: ubi primo aſſignat cauſam ſuæ manifeſtationis diſcipulis, & non mundo; ſecundo manifeſtat quoddam quod dixit, ibi, *Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus*. In prima primo oſtendit quare manifeſtaturus eſt ſe diſcipulis; ſecundo oſtendit quare non manifeſtaturus eſt ſe mundo, ibi, *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Et in prima primo ponitur idoneitas diſcipulorum ad Chriſti manifeſtationem habendam; ſecundo inſinuatur proceſſus manifeſtationis, & ordo, ibi, *Et Pater meus diliget eum.* Circa primum duo ponit, quæ reddunt hominem idoneum ad Dei manifeſtationem. Primum eſt caritas; ſecundum eſt obedientia. Quantum ad primum dicit: *Si quis diligit me*. Tria enim neceſſaria ſunt homini volenti Deum videre. Primo ut Deo appropinquet. Deut. XXXIII. 3. „ Qui appropinquant pedibus eius, acci„ pient de doctrina illius. " Secundo ut ad eum videndum oculos elevet. Eſai. xl. 26. „ Levate in excelſum oculos veſtros, & vide„ te quis creavit hæc. " Tertio ut viſioni vacet: nam ſpiritualia videri non poſſunt, niſi quis vacet a terrenis. Pſal. XXXIII. 9. „ Va„ cate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus." Et hæc tria facit caritas. Nam ipſa animam hominis Deo coniungit. I. Ioan. IV. „ Qui „ manet in caritate, in Deo manet, & Deus „ in eo. " Ipſa ipſum intuitum ad Deum erigit. Matth. VI. 21. „ Ubi eſt theſaurus „ tuus, ibi eſt cor tuum. " Unde dicitur: Ubi eſt amor tuus, ibi oculus. Ipſa enim a mundanis vacare facit. I. Ioan. II. 15. „ Qui „ diligit ſæculum, non eſt perfecta caritas „ Dei in illo. „ Ergo econtrario qui perfecte Deum diligit, non eſt in illo amor ſæculi. Ex caritate autem ſequitur obedientia: unde dicit: *Sermonem meum ſervabit*. Ut dicit Gregorius, „ probatio dilectionis, exhibitio eſt „ operis. Numquam eſt Dei amor otioſus, „ operatur enim magna ſi eſt; ſi autem ope„ rari (a) renuit, amor non eſt. " Voluntas enim, & maxime quæ eſt de fine, movet alias potentias ad actus ſuos: non enim quieſcit homo niſi faciat ea per quæ ad finem intentum perveniat, præcipue ſi eſt intenſa ad ipſum. Quando ergo voluntas hominis intenſa eſt ad Deum, qui eſt finis eius, movet omnes vires ad faciendum ea quæ ad ipſum ducunt. Intenditur autem in Deum per caritatem; & ideo caritas eſt quæ nos ſervare mandata facit. II. Corinth. V. 14. „ Caritas Chriſti urget „ nos. " Cant. VIII. 6. „ Lampades eius, „ lampades ignis. " Et per obedientiam homo efficitur idoneus ad videndum Deum. Pſal. CXVIII. 103. „ A mandatis tuis (ſcilicet a „ me ſervatis) intellexi. " Et iterum: „ Su„ per ſenes intellexi. "

(c) Conſequenter cum dicit, *Et Pater meus diliget eum*, ponitur proceſſus, & ordo manifeſtationis. Tria autem ſunt per quæ fit homini divina manifeſtatio. Primum eſt divina dilectio; & quantum ad hoc dicit: *Pater meus diliget eum*. Supra eſt dictum quare dicit, *Diliget*, in futuro, quantum videlicet ad effectum dilectionis, qui tamen ab æterno dilexit quantum ad voluntatem benefaciendi. Malach. I. 2. „ Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. " Non autem dicit, Ego diligam eum: quia hoc iam eis patuit ſupra. Proverb. VIII. 17. „ Ego „ diligentes me diligo. " Reſtabat ergo ut inſinuaret eis quia Pater diligeret eos. Deut. IV. 37. „ Dilexit populos: omnes ſan„ cti in manu eius ſunt. " Secundum eſt divina viſitatio; & quantum ad hoc dicit: *Et ad eum veniemus*.

Sed contra. Venire mutationem localem ſigni-

(a) Al. definit.

gnificat ; ſed Deus non mutatur : ergo &c. Reſponſio. Deus dicitur venire ad nos, non quod ipſe moveatur ad nos, ſed quia nos movemur ad ipſum. Dicitur enim aliquid venire in locum in quem prius non fuit: hoc autem Deo non convenit, cum ſit ubique;. Hier. xxiii. 24. „ Cælum, & terram ego impleo.“ Dicitur etiam (*a*) venire in aliquem, inquantum eſt ibi novo modo, ſecundum quem prius non fuerat ibi, ſcilicet per effectum gratiæ: & per hunc effectum gratiæ facit nos ad ſe accedere.

Sed attendendum, ſecundum Auguſtinum, quod tribus modis Deus venit ad nos, & iiſdem nos imus ad eum. Primo quidem venit ad nos implendo ſuis effectibus, & nos imus ad eum capiendo ipſos. Eccli. xxiv. 26. „ Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, „ & a generationibus meis implemini.“ Secundo illuminando; & nos imus ad eum conſiderando. Pſal. xxxiii. 6. „ Accedite ad eum, „ & illuminamini.“ Tertio vero adiuvando; & nos ad eum obediendo: quia nec obedire poſſumus niſi adiuti a Chriſto. Eſai. ii. 3. „ Venite, aſcendamus ad montem Domi„ni.“

Sed quare non fecit mentionem de Spiritu ſancto? Auguſtinus dicit, quod non dicitur hoc, quod ipſe ſit excludendus adveniente Patre, & Filio, quia ſupra dicitur: *Ut maneat vobiſcum in æternum*: ſed cum in Trinitate ſint duo, ſcilicet perſonarum diſtinctio, & eſſentiæ unitas; aliquando quidem fit mentio de tribus perſonis, ad inſinuandum diſtinctionem perſonarum; aliquando vero facit mentionem de duabus ſine tertia, ad inſinuandum eſſentiæ unitatem. Vel dicendum, quod cum Spiritus ſanctus nihil ſit aliud quam amor Patris, & Filii, poſito Patre, & Filio intelligitur Spiritus ſanctus.

Tertio ad Dei manifeſtationem (*b*) neceſſaria eſt perſeverantia utriuſque, ſcilicet in dilectione Dei, & in eius viſitatione; & quantum ad hoc dicit: *Et manſionem apud eum faciemus*. In quo duo tangit. Primo quidem (*c*) firmitatem adhæſionis ad Deum, cum dicit, *Manſionem*. Nam Deus venit ad quoſdam per fidem, ſed non manet: „ quia ad tempus cre„dunt, & in tempore tentationis recedunt:“ Matth. viii. 13. Ad quoſdam venit per peccati compunctionem, non tamen manet cum eis: quia revertuntur ad peccata. Proverb. xxvi. 11. „ Sicut canis qui revertitur ad vo„mitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtul„titiam ſuam.“ Sed in ſuis prædeſtinatis permanet ſemper.‘ Matth. ult. 20. „ Ec„ce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque „ ad conſummationem ſæculi.“ Secundo oſtendit familiaritatem Chriſti ad homines: quia *apud eum*, ſcilicet diligentem, ad obediendum, inquantum ſcilicet delectatur nobiſcum, & facit nos delectari in ipſo. Proverb. viii. 31. „ Deliciæ meæ eſſe cum fi„liis hominum.“ Eſai. vi. 5. „ Gaudebit ſuper „ te Dominus Deus tuus.“ Chryſoſtomus autem referens hoc ad aliam intentionem, dicit, quod Iudas audiens, *Non relinquam vos orphanos &c. Vos autem videbitis me &c.* exiſtimavit, quod Chriſtus poſt mortem venturus eſſet ad eos, ſicut mortui veniunt ad nos in ſomno: unde quærit: *Quid eſt factum, quia nobis manifeſtaturus es teipſum, & non mundo?* quaſi diceret: Væ nobis, quoniam morieris, & ut mortuus debes nobis aſſiſtere. Ut ergo hoc excludat dicit: Ego, & Pater *ad eum veniemus*; ideſt, ſicut Pater manifeſtat ſeipſum, ita & ego, *& manſionem apud eum faciemus*; quod ſomniorum non eſt, in quibus nulla mora contrahitur.

(d) Hic ponit cauſam quare non eſt manifeſtaturus ſe mundo: quæ quidem cauſa eſt remotio eorum per quæ dicit ſe hominibus manifeſtaturum. Remota enim cauſa removetur effectus; ſed ipſi non habent cauſam ut divina eis manifeſtatio fiat: ergo mundo, & mundanis Deus non eſt manifeſtaturus ſeipſum. Quod non habeant cauſam, apparet, quia mundus non diligit me; & quantum ad hoc dicit: *Qui non diligit me*. Iterum non obedit mihi: unde dicit: *Sermones meos non ſervat*. Ut enim Gregorius dicit; „ De dilectio„ne conditoris lingua, & mens, & vita (*d*) „ requiritur.“ Patet ergo cauſa quare ſuis manifeſtaturus eſt ſe, & non alienis: quia (*e*) hi quidem diligunt: dilectio namque ſanctos diſcernit a mundo Iob xxxvi. 32. „ In manibus „ (ſcilicet ſuperbis) abſcondit lucem; & ita „ annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio „ eius ſit.“ Ibid. xxviii. 14. „ Abyſſus dicit, „ Non eſt in me; mare (ideſt turbulentus) Non „ eſt mecum.“

(e) Conſequenter cum dicit, *Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus*, manifeſtat hoc quod ſupra dixit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Et Pater meus diliget eum &c.* Poſſet enim aliquis dicere, quod hoc dictum nullam rationem habet; quin potius rationabilius dixiſſet: Ego diligam eum, & ad eum veniam. Et ideo hoc excludit dicens: *Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus*; ideſt, non eſt mihi a meipſo, ſed eſt mihi ab alio, ſcilicet a Patre, qui me miſit; quaſi diceret: Non me

ſolum,

(a) *Al.* venire aliquid ad aliquem locum, inquantum &c. (b) *Al. deeſt* neceſſaria. (c) *Al.* infirmitatem. (d) *Al.* requiratur. (e) *Al.* hic.

ſolum, ſed nec Patrem amat qui hunc non audit ſermonem. Et ideo qui eum diligit, & Patrem, utriuſque manifeſtationem meretur. Dicit ergo: *Et ſermonem*, ſive ſermo, *quem audiſtis*, a me homine prolatum, eſt quidem meus, inquantum ipſum pronuntio, & *non eſt meus*, inquantum eſt mihi ab alio. Supra VII. 16. *Mea doctrina non eſt mea*. Supra eodem: *Verba quæ ego loquor vobis, a meipſo non loquor*.

Sed attende, ſecundum Auguſtinum, quod cum loquitur Dominus de ſermonibus ſuis, pluraliter dicit Sermones meos; ubi autem loquitur de ſermone Patris, loquitur in ſingulari, dicens: *Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus*: quia per Verbum Patris ſeipſum intelligi voluit, qui eſt unicum Verbum eius. Unde nec ſuum ſe eſſe dicit, ſed Patris, quia nec ſua imago eſt, nec (*a*) ſuus Filius, ſed Patris. Sermones autem omnes in cordibus noſtris ſunt ab unico Verbo Patris.

(f) Hic Dominus promittit diſcipulis ſuis dona. (*b*) Promiſerat eis Spiritum ſanctum, & ſeipſum: & ideo hic primo oſtendit quid conſequentur ex adventu Spiritus ſancti; ſecundo quid conſequentur ex ipſo, ibi, *Pacem relinquo vobis*. Ex adventu Spiritus ſancti magna conſequentur, ſcilicet intellectum omnium verborum Chriſti. Et ideo circa hoc primo commemorat eis ſua documenta; ſecundo promittit eis intellectum eorum, ibi, *Paraclitus autem Spiritus ſanctus ...vos docebit omnia*. Dicit ergo quantum ad primum: *Hæc*, ſcilicet quæ dixi, *locutus ſum vobis*, organo humanitatis, *manens apud vos*, præſentia corporali. Et hoc quidem maximum beneficium eſt ut ipſe Filius nobis loquatur, & nos doceat. Hebr. I. 1. „ Multifarie multiſque modis olim Deus „ loquens patribus in Prophetis, noviſſime lo„ cutus eſt nobis in Filio. “ Deut. V. 26. „ Quæ eſt omnis caro ut audiat Dominum „ ſuum? “ Intellectum autem ipſorum documentorum promittit eis per Spiritum ſanctum ſe daturum: unde dicit: *Paraclitus autem .... vos docebit omnia*. Ubi tria facit circa Spiritum ſanctum. Primo deſcribit ipſum; ſecundo eius miſſionem; tertio eius effectum. Ipſum quidem deſcribit multipliciter: quia Paraclitum, Spiritum, & Sanctum. Paraclitus quidem eſt, quia conſolatur nos & quantum ad triſtitias de turbationibus huius mundi, de quibus nos conſolatur. II. Corinth. VII. 5. „ Foris pugnæ, intus timo„ res. “ II. Corinth. I. 4. „ Qui conſolatur „ nos in omni tribulatione noſtra. “ Et hoc facit inquantum eſt amor, faciens nos amare Deum, & eum pro magno habere: propter quod cum gaudio contumelias patimur: ſecundum illud Act. VIII. 39. „ Ibant Apo„ ſtoli gaudentes a conſpectu concilii, quoniam „ digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contu„ meliam pati. “ Matth. V. 12. „ Gaudete, „ & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt „ in cælis. “ Item conſolatur nos contra triſtitias de peccatis præteritis: de quibus dicitur Matth. V. 5. „ Beati qui lugent. “ Et hoc facit inquantum dat nobis ſpem veniæ. Infra XX. 23. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Eſai. LXI. 3. „ Ut ponerem conſolationem lugen„ tibus in Sion. “ Spiritus quidem eſt, quia movet corda ad obediendum Deo. Eſai. LIX. 19. „ Cum venerit quaſi fluvius violentus, „ quem Spiritus Domini cogit. “ Rom. VIII. 14. „ Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii „ Dei. “ Sanctus autem eſt, quia conſecrat nos Deo: omnia autem conſecrata dicuntur (*e*) ſancta. I. Corinth. VI. 19. „ Neſciris „ quoniam corpora noſtra templum ſunt Spi„ ritus ſancti? “ Pſal. XLV. 5. „ Fluminis im„ petus lætificat civitatem Dei &c. “

Conſequenter cum dicit, *Quem mittet Pater in nomine meo*, agit de eius miſſione. Non eſt autem intelligendum quod per motum localem ad nos veniat, ſed quia quodam novo modo in eis eſſe debeat, quo prius non fuerat. Pſal. CIII. 30. „ Emitte Spiritum tuum, „ & creabuntur, “ ſcilicet in eſſe ſpirituali.

Sed attende, quod Spiritus ſanctus a Patre, & Filio mittitur: & ideo ad hoc oſtendendum, quandoque dicit, quod Pater mittit eum, ſicut hic, quandoque quod ipſe: infra XVI. 7. *Quem ego mittam vobis &c.* Sed numquam dicit eum a Patre mitti, quin faciat commemorationem de ſeipſo: unde dicit: *Quem mittet Pater in nomine meo*. Nec dicit eum mitti a ſe Filio, quin commemoret Parrem: unde dicit: *Quem ego mittam vobis a Patre*.

Sed quid eſt hoc quod dicit, *In nomine meo*? Numquid Spiritus ſanctus nominabitut Filius? Poſſet dici, quod hoc dicitur pro tanto, quia Spiritus ſanctus dabatur fidelibus ad invocationem nominis Chriſti. Sed melius eſt ut dicamus, quod ſicut Filius venit in nomine Patris: ſupra V. 44. *Ego veni in nomine Patris mei*; ita & Spiritus ſanctus venit in nomine Filii. Filius aurem in nomine Patris venit, non quod eſſet Pater, ſed quod eſſet Filius Patris: ſimiliter Spiritus ſanctus venit in

(a) *Al. deeſt* ſuus. (b) *Al.* Promiſerat enim eis. (c) *Al. deeſt* ſancta.

in nomine Filii, non quod diceretur Filius, ſed quod eſſet ſpiritus Filii . Rom. VIII. 9. „ Si quis ſpiritum Chriſti non habet , hic „ non eſt eius. “ Galat. IV. 6. „ Miſit Deus „ ſpiritum Filii ſui in corda veſtra : “ non quod diceretur Filius , ſed quod eſſet ſpiritus Filii . Rom. VIII. 29. (*a*) „ Prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui : “ & hoc quidem propter conſubſtantialitatem Filii ad Patrem , & Spiritus ſancti ad Filium . Item ſicut Filius veniens in nomine Patris, fideles ſuos Patri ſubiecit : Apoc. V. 10. „ Feciſti nos Deo noſtro regnum &c. “ ita Spiritus ſanctus conſignravit nos Filio , inquantum adoptat nos in filios Dei . Rom. VIII. 15. „ Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater . “

Conſequenter agit de effectu Spiritus ſancti , dicens : *Ille vos docebit omnia* . Nam ſicut effectus miſſionis Filii fuit ducere ad Patrem , ita effectus miſſionis Spiritus ſancti eſt ducere fideles ad Filium . Filius autem , cum ſit ipſa ſapientia genita , eſt ipſa veritas . Supra XIV. 6. *Ego ſum via , veritas , & vita* . Et ideo effectus miſſionis huiuſmodi eſt ut faciat homines participes divinæ ſapientiæ , & cognitores veritatis. Filius ergo tradit nobis doctrinam, cum ſit Verbum ; ſed Spiritus ſanctus doctrinæ eius nos capaces facit . Dicit ergo : *Ille vos docebit omnia* : quia quæcumque homo doceat extra , niſi Spiritus ſanctus interius det intelligentiam , fruſtra laborat : quia niſi Spiritus adſit cordi audientis, otioſus erit ſermo doctoris . Iob XXXII. 8. „ Inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam: “ & intantum , quod etiam ipſe Filius organo humanitatis loquens, non valet, niſi ipſemet interius operetur per Spiritum ſanctum.

Sed attende , quod ſupra VI. 43. dicit : *Omnis qui audivit a Patre , & didicit , venit ad me* . Hic exponit quid ſit , quia non diſcit, non docente Spiritu ſancto ; quaſi ille qui recipit Spiritum ſanctum a Patre , & Filio , ille Patrem cognoſcit, & Filium , & ad eos venit . Facit autem nos ſcire omnia interius inſpirando, dirigendo, & ad ſpiritualia elevando . Sicut enim qui habet guſtum infectum non habet veram cognitionem de ſaporibus , ita & qui infectus eſt amore mundi , non poteſt guſtare divina: ſecundum illud . I. Corinth. II. 14. „ Animalis autem homo non „ percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei . “

Sed cum ſuggerere ſit minorum , puta officialium in divinis, numquid Spiritus ſanctus, qui ſuggerit nobis , eſt nobis (*b*) minor ? Ideo dicendum, ſecundum Gregorium, quod Spiritus ſanctus ſuggerere dicitur , non quod nobis ſcientiam ab imo inferat , ſed ab occulto ſubminiſtrat vires ad cognoſcendum . Vel (*c*) docet , inquantum nos facit participare ſapientiam Filii . Suggerit, inquantum nos impellit prout eſt amor. Vel *ſuggeret vobis omnia* ; ideſt , ad memoriam reducet . Pſal. XXI. 28. „ Reminiſcentur , & convertentur „ ad Dominum univerſi fines terræ . “ Sciendum eſt enim, quod eorum quæ Chriſtus dixit diſcipulis , quædam non intellexerunt , quorumdam autem memoriam non habebant . Dicit ergo Dominus : *Ille vos docebit omnia* , quæ intelligere nunc non poteſtis , *& ſuggeret vobis omnia* , quæ non poteſtis memoriæ commendare . Quomodo enim Evangeliſta Ioannes poſt quadraginta annos potuiſſet omnium verborum Chriſti , quæ in Evangelio ſcripſit , habere memoriam , niſi ei Spiritus ſanctus ſuggeſſiſſet?

L E C T I O VII.

(a) **P**Acem relinquo vobis, pacem meam do vobis. (b) Non quomodo mundus dat , ego do vobis.

(a) SUpra promiſit Dominus diſcipulis ſuis quid conſecuturi erant ex præſentia Spiritus ſancti; hic promittit donum quod conſecuturi erant ex adventu, & præſentia ſua. Sciendum tamen , quod ſi conſideretur proprietas perſonarum , ſcilicet Filii , & Spiritus ſancti, videtur Dominus alternare dona. Cum enim Filius ſit Verbum, ad eum appropriate pertinere videtur ſapientiæ, & cognitionis donum . Spiritui vero ſancto cum ſit amor, qui eſt cauſa pacis, pax appropriatur.

Verumtamen quia Spiritus ſanctus eſt Filii , & hoc quod dat Spiritus ſanctus , habet a Filio ; ideo Spiritui ſancto attribuit hoc donum cognitionis , ubi dicit : *Ille vos docebit omnia &c.* quod tamen appropriatur Filio . Quia vero Spiritus ſanctus a Filio procedit , ideo quod Spiritus ſanctus appropriate facit , attribuitur Filio . Et ſecundum hunc modum Chriſtus attribuit ſibi pacem, dicens : *Pacem relinquo vobis* : ubi primo promittit donum pacis , quam relinquit ; ſecundo diſtinguit pa-

(a) *Al.* „ Filii ſui &c. “ (b) *Al.* minoris. (c) *Al.* docebit.

cem iſtam a pace mundi, ibi, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Dicit ergo, *Pacem relinquo*.

Sciendum eſt, quod pax nihil aliud eſt quam tranquillitas ordinis: tunc enim aliqua dicuntur pacem habere quando eorum ordo inturbatus manet. In homine autem eſt triplex ordo, ſcilicet hominis ad ſeipſum, hominis ad Deum, & hominis ad proximum: & ſic eſt triplex pax in homine. Quædam intrinſeca, ſecundum quam pacificatur ſibi ipſi, abſque perturbatione virium: Pſal. cxviii. 165. „ Pax multa diligentibus legem tuam. “ Alia eſt per quam homo pacificatur Deo, totaliter eius ordinationi ſubiectus: Rom. v. 1. „ Iuſtificati igitur ex fide, pacem habeamus ad „ Deum, “ Tertia pax eſt ad proximum; Heb. xii. 14. „ Pacem ſequimini cum omnibus ſanctis, & ſanctimoniam. “ Sed notandum, quod in nobis tria ordinari debent, ſcilicet intellectus, voluntas, & appetitus ſenſitivus: ut videlicet voluntas dirigatur ſecundum mentem, ſeu rationem; appetitus vero ſenſitivus ſecundum intellectum, & voluntatem. Et ideo Auguſtinus in Lib. de Verbis Domini, pacem ſanctorum diffiniens, dicit: “ Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, amoris vinculum, conſortium caritatis: “ ut ſerenitas mentis referatur ad rationem, quæ debet eſſe libera, non ligata, nec abſorpta aliqua inordinata affectione; tranquillitas animi referatur ad ſenſitivam, quæ debet a moleſtatione paſſionum quieſcere; ſimplicitas cordis referatur ad voluntatem, quæ debet in Deum obiectum ſuum totaliter ferri; amoris vinculum referatur ad proximum; conſortium caritatis ad Deum. Hanc autem pacem hic ſancti habent, & habebunt in futuro; ſed hic quidem imperfecte, quia nec ad nos, nec ad Deum, nec ad proximum pacem ſine perturbatione aliqua poſſumus habere; ſed in futuro habebimus eam perfecte, quando ſine hoſte regnabimus: ubi numquam poterimus diſſentire. Et utramque hic Dominus nobis promittit. Primam cum dicit: *Pacem relinquo vobis*, in hoc ſcilicet ſæculo, ut hoſtem vincatis, & ut invicem diligatis; quod eſt quaſi teſtamentum ſervandum nobis ſtatutum a Chriſto. Eccli. xlv. 30. „ Statuit illi „ teſtamentum pacis, & principem fecit eum. “ Sicut Auguſtinus dicit, non poterit ad hereditatem Domini pervenire, qui teſtamentum eius noluerit obſervare: nec poteſt concordiam habere cum Chriſto qui diſcors eſſe voluerit cum Chriſtiano. Secundam vero, cum dicit: *Pacem meam do vobis*, ſcilicet in futuro. Eſa. ult. 12. „ Declinabo ſuper eam „ (ſcilicet Hieruſalem cæleſtem) quaſi flu„ men pacis. “

Sed cum ſive in mundo, ſive in patria tota pax ſanctorum proveniat eis per Chriſtum: infra xvi. 33. *In me pacem habebitis*: quare Dominus loquens de pace ſanctorum in via, non dicit, *Pacem meam do vobis*; ſed tantum cum loquitur de pace ſanctorum in patria? Ad quod dicendum, quod utraque pax, ſcilicet præſens, & futura, eſt Chriſti; ſed præſens ut actoris tantum; futura autem eſt eius ut actoris, & poſſeſſoris: nam ipſam ſemper habuit, quia ſemper fuit abſque contradictione. Pax autem præſens, ut dictum eſt, eſt cum contradictione aliqua: & ideo licet eam faciat, non tamen eam poſſidet. Et ſecundum prædicta, expoſitio procedit de pace temporis, & pace æternitatis. Sed, ſecundum Auguſtinum, poteſt utrumque exponi de pace temporis: & dicit: *Pacem relinquo vobis*, exemplo; ſed *do pacem meam*, poteſtate, & virtute.

(b) Conſequenter cum dicit, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*, ipſam pacem a pace mundi diſtinguit. Diſtinguitur autem pax ſanctorum a pace mundi quantum ad tria. Primo quantum ad intentionem; nam pax mundi ordinatur ad quietam, & pacificam fruitionem temporalium; quo fit ut quandoque cooperetur hominibus ad peccandum: Sap. xiv. 22. „ In magno viventes inſcientiæ „ bello tot & tam magna mala pacem ap„ pellant: “ ſed pax ſanctorum ordinatur ad bona æterna. Eſt ergo ſenſus: *Non quomodo mundus dat, ego do*; ideſt, non ad eumdem finem: quia mundus dat quantum ad exteriora quiete poſſidenda, ego vero do quantum ad æterna adipiſcenda. Secundo vero quantum ad ſimulationem, & veritatem: quia pax mundi eſt ſimulata, quia tantum exterius: Pſal. xxvii. 3. „ Loquuntur pacem cum „ proximo ſuo; mala autem in cordibus eo„ rum: “ pax vero Chriſti eſt vera, quia eſt interius, & exterius. Et ſic eſt ſenſus: *Non quomodo mundus dat*, ideſt ſimulatam pacem do, ſicut mundus, ſed veram. Tertio quantum ad perfectionem: quia pax mundi eſt imperfecta, cum ſit tantum quantum ad quietem exterioris hominis, & non interioris: Eſa. lvii. 21. „ Non eſt pax impiis, dicit Do„ minus: “ ſed pax Chriſti quietat interius, & exterius. Pſal. cxviii. 165. „ Pax multa „ diligentibus legem tuam. “ Et eſt ſenſus: *Non quomodo mundus dat*; ideſt, non ita imperfectam,

L'E-

LECTIO VIII.

(a) NOn turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.

(b) Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.

(c) Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio; ſurgite, eamus hinc.

(a) SUpra Dominus conſolatus eſt diſcipulos ſuos rationibus acceptis ex parte ipſorum diſcipulorum, promittendo eis acceſſum ad Patrem, adventum Spiritus ſancti, & ſuum redditum; hic vero conſolatur eos rationibus acceptis ex parte ſui ipſius, ex quo poterat eis eſſe duplex cauſa conſolationis. Una ex utilitate fructus, qui ſequebatur ex receſſu Chriſti; alia ex cauſa mortis. Et ideo primo ponit primam; ſecundo ſecundam, ibi, *Iam non multa loquar vobiſcum*. Fructus autem qui ſequebatur ex receſſu Chriſti, erat exaltatio ſua &c. unde diſcipuli poterant conſolari: mos enim amicorum eſt ut cum amicus ad ſuam exaltationem vadit, de eius receſſu minus deſolentur: & ideo Dominus hanc cauſam ponit ad eorum conſolationem. Et primo excludit cordis dubitationem; ſecundo commemorat quoddam quod eos in parte conſolabatur, & in parte turbabat; tertio ſubdit cauſam totaliter conſolantem; quarto reſpondet cuidam tacitæ quæſtioni. Turbationem quidem cordis excludit dicens: *Non turbetur cor veſtrum &c.* Turbatio ad triſtitiam refertur; formido ad timorem. Triſtitia autem, & timor in aliquo quidem conveniunt, in hoc ſcilicet quod utrumque eſt de malo; ſed differunt, quia triſtitia eſt de malo præſenti, formido autem de malo futuro. Dicit autem Dominus: *Non turbetur cor veſtrum*, de malo præſenti: Pſal. cxi. 6. (*a*) „ Iuſtus non commovebitur: “ *neque formidet*, ſcilicet de futuro. Eſa. li. 12. „ Quis tu ut „ timeas ab homine mortali? “ quod intelligendum eſt de timore humano: nam timorem divinum non excludit. Conſequenter cum dicit, *Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos*: (*b*) turbabantur enim ex receſſu Chriſti, ſed in parte conſolabantur, quod ſubdit, *Et venio ad vos*. Supra (*c*) *Vado, & venio ad vos*. Non tamen ex hoc conſolabantur totaliter, timentes ne forſitan gregem lupus hoc intervallo invaderet in paſtoris abſentia: ſecundum illud Zachar. xiii. 7. „ Percute paſtorem, & diſpergentur oves. “ Dicit ergo: *Non turbetur, quia vado*; ſed *nec formidet, quia venio ad vos*. Vadit quidem ſua poteſtate moriendo, & venit reſurgendo. Matth. xx. 18. „ Filius hominis tradetur principibus „ ſacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt „ eum morte .... & tertia die reſurget. “ Ivit aſcendendo. Eſa. lxiii. 1. „ Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine „ fortitudinis ſuæ. “ Veniet ad iudicandum. Luc. xxi. 27. „ Videbunt Filium hominis „ venientem in nube cum poteſtate magna, „ & maieſtate. “ Totaliter autem conſolatur eos cum dicit: *Si diligeretis me, gauderetis utique*; quaſi dicat: Si diligitis me, non debetis contriſtari; ſed potius debetis gaudere de receſſu meo, quia vado ad exaltationem meam: *quia* ſcilicet *vado ad Patrem*, qui *maior me eſt*.

Sed ex hoc Arrius inſultat, dicens Patrem maiorem eſſe Filio. Cuius error ex ipſis verbis Domini excluditur. Nam ex intellectu eius, quomodo intelligitur, *Vado ad Patrem*, ex eodem intelligitur, *Pater maior me eſt*. Filius autem non vadit ad Patrem, nec venit ad nos inquantum eſt Filius Dei, ſecundum quod cum Patre fuit ab æterno. Supra 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. Sed dicitur ire ad Patrem, ſecundum humanam naturam. Sic ergo hoc quod dicit, *Maior me eſt*, non dicit inquantum Filius Dei, ſed inquantum Filius hominis, ſecundum quod non ſolum eſt minor Patre, & Spiritu ſancto, ſed etiam ipſis Angelis. Hebr. 11. 9. „ Eum autem qui modico quam Angeli mi„ noratus eſt, videmus Ieſum propter paſſio„ nem mortis, gloria, & honore corona„ tum. “ Item quibuſdam hominibus, ſcilicet parentibus, ſubditus erat quantum ad aliquid, ut legitur Luc. 11. Sic ergo minor eſt Patre ſe-

(a) *Al.* Iuſtus non commovebitur, neque formidabit, ſcilicet &c. (b) *Supple* partim eos turbat, & partim conſolatur: *vel quid ſimile*. (c) Supra hoc cap. lect. 1. *Vado parare vobis locum: & ſi abiero, & praeparavero vobis locum, iterum venio*.

ſecundum humanitatem, æqualis ſecundum divinitatem. Philip. II. 6. „ Non rapinam „ arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſe- „ metipſum exinanivit, formam ſervi acci- „ piens. “ Poteſt etiam dici, ſecundum Hilarium, quod Pater etiam ſecundum divinitatem maior eſt Filio; ſed tamen Filius non eſt minor, ſed æqualis. Eſt enim Pater maior Filio non poteſtate, æternitate, & magnitudine; ſed donantis, ſeu principii auctoritate. Nam Pater nihil ab alio accipit, Filius autem naturam, ut ita dicam, a Patre accipit per æternam generationem. Eſt ergo Pater maior, quia (*a*) dat; ſed Filius non eſt minor, ſed æqualis, quia totum quod Pater habet, accipit. Philip. II. 9. „ Dedit ei „ nomen quod eſt ſuper omne nomen. “ Minor enim iam non eſt donante, cui unum eſſe donatur. Chryſoſtomus autem ita exponit dicens, quod Dominus loquitur ſecundum ſuſpicionem Apoſtolorum, qui nondum noverant quid ſit reſurrectio, nec eum æqualem Patri exiſtimabant: & ideo dicit eis: Et ſi non creditis mihi quod non poſſum mihi aſſiſtere, nec confiditis quod poſt crucem rurſus vos videbo; tamen credatis mihi, *quia vado ad Patrem, qui maior me eſt*.

Reſpondet autem tacitæ quæſtioni, dicens: *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, ut cum factum fuerit credatis*. Poſſent enim quærere quare iſta diceret: & ideo præveniens (*b*) dicit: *Nunc dixi vobis &c.*

Sed quærit Auguſtinus: Cum fides ſit de his quæ non videntur, non debet homo credere poſtquam factum eſt; ſed ante. Sed dicendum, quod aliud videbant, & aliud credebant. Viderunt ante mortem Chriſti, & eius reſurrectionem, quo viſo, crediderunt quod ipſe eſſet Chriſtus Filius Dei. Unde cum factum fuit, non crediderunt fide nova, ſed aucta; aut certe cum mortuus eſſet, defecta, cum ſurrexiſſet, refecta, ut Auguſtinus dicit.

(b) Conſequenter cum dicit, *Iam non multa loquar vobiſcum*, ponit aliam cauſam conſolationis ex parte receſſus ſui, quæ ſumitur ex cauſa mortis. Sciendum eſt autem, quod cauſa mortis quædam eſt inducens dolorem, cum quis pro culpa occiditur; quædam eſt inducens conſolationem, cum quis ſcilicet moritur pro bono virtutis. I. Petr. IV. 15. „ Nemo veſtrum patiatur ut fur, aut homi- „ cida .... Si autem ut Chriſtianus non eru- „ beſcat. “ Circa hoc ergo primo oſtendit Dominus quod peccatum non fuit cauſa ſuæ mortis; ſecundo quod eius cauſa fuit virtus obedientiæ, & caritatis, ibi, *Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem*. Dicit ergo: *Iam non multa loquar vobiſcum*, propter temporis brevitatem. Supra XIII. 33. *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum*. Vel quia nondum capaces eſtis. Infra XVI. 12. *Adhuc multa habeo vobis loqui, ſed non poteſtis portare modo*. Vel ideo *non multa loquar vobiſcum*, quia in uno brevi ſermone explicabo vobis quod non moriar ex culpa mea. Et hoc facit conſequenter cum dicit: *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, ſcilicet diabolus, qui dicitur princeps, non ratione creationis, (*c*) neque per naturalem poteſtatem, ut Manichæi blaſphemant; (*d*) ſed ratione culpæ huius, ideſt amatorum mundi: unde dicitur princeps mundi, & peccati. Epheſ. ult. 12. „ Non eſt nobis colluctatio adverſus „ carnem, & ſanguinem; ſed adverſus recto- „ res, & principes tenebrarum harum. “ Non ergo eſt princeps creaturarum, ſed peccatorum, & tenebrarum. Iob XLI. 25. „ Ille eſt „ Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. “ Hic ergo princeps venit ad perſequendum: intravit enim in cor Iudæ, ut proderet, Iudæorum vero, ut occiderent; ſed *in me non habet quicquam*: nam in nobis non habet poteſtatem niſi propter peccatum. Supra VIII. 34. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. In Chriſto autem nullum peccatum erat, neque ſecundum animam: I. Pet. II. 22. „ Qui pec- „ catum non fecit &c. “ neque ſecundum carnem, quia ex Virgine abſque originali peccato de Spiritu ſancto conceptus. Luc. I. 35. „ Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vo- „ cabitur Filius Dei. “ Quia ergo diabolus Chriſtum, in quo nullum ius habuit, etiam invaſit, perdere meruit quod iuſte poſſidebat. Marc. V. 7. „ Quid nobis, & tibi Ie- „ ſu Fili Dei altiſſimi? “ Sic ergo patet quod cauſa mortis ſuæ non fuit culpa; ſed nec erat cur moreretur, ſi non habet peccatum.

(c) Conſequenter veram cauſam adiungit, quæ eſt bonum virtutis; & ideo dicit: *Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem*: quod, ſecundum Auguſtinum, ſic punctatur: *Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*; ſuſpenſive; *ſurgite, eamus hinc*. Ubi ſciendum eſt, quod duo moverunt Chriſtum ad mortem ſuſtinendam, ſcilicet amor Dei, & dilectio proximi. Epheſ. V. 2. „ Ambulate in dile- „ ctione. “ Et hoc probat per indicium, quia mandata ſua implet. Supra (hoc cap.) *Si diligitis me, mandata mea ſervate*. Et quantum

tum

(a) *Al.* datur. (b) *Al. emittitur* dicit. (c) *Al.* ſcilicet. (d) *Al.* ſed ratione culpæ: unde dicitur &c.

tum ad hoc dicit: *Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem &c.* & hoc efficaciter, quia ſcilicet morior: unde ſubdit: *Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*: quod eſt ſecundum quod Pater movit eum ad mortem ſuſcipiendam, ſcilicet obedientia, quæ ex amore cauſatur. Mandatum autem hoc dedit mihi Pater non Filio Dei, qui cum ſit Verbum, eſt etiam mandatum Patris; ſed dedit Filio hominis, inquantum animæ eius inſpiravit neceſſarium eſſe ſaluti humanæ ut Chriſtus in humana natura moreretur. Ut ergo hoc mundus cognoſcat, *ſurgite*, de loco ubi cœnaverant, *& eamus*, ad locum ubi ego ſum tradendus, ut videatis quod non ex neceſſitate, ſed ex caritate, & obedientia morior. Iob XXXIX. 21. „ Audacter in occurſum pergit „ armatis. "

Secundum Chryſoſtomum autem aliter legitur: ut in hoc ſcilicet quod dicit, *Sic facio*, ſit finis ſententiæ; & in hoc quod reſumit, *Surgite, eamus hinc*, ſit principium alterius: ut ſit ſenſus: Non morior, quaſi princeps mundi huius habeat in me quicquam; ſed *quia diligo Patrem*, ideo hoc facio. Vos autem *ſurgite, & eamus hinc*. Videbat enim eos formidare, & propter tempus, quia nox profunda erat, & propter locum, quia in villa manifeſte ſiſtebant, ita ut ſemper circumvolverent ad oſtium oculos, quaſi expectando hoſtes eos invadentes, & propter hoc non attendentes his quæ dicebantur. Et ideo ut melius verba quæ dicturus erat intelligerent, ducit eos in locum alium ſecretum, ut æſtimantes ſe ſecuros eſſe, attentius audiant quæ diceret eis. Oſeæ II. 14. „ Ducam eam in ſolitudi„ nem, & loquar ad cor eius. "

CAPITIS DECIMIQUINTI

LECTIO I.

(a) EGo ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

(b) Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.

(c) Manete in me, & ego in vobis.

(d) Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, & vos palmites.

(e) Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere.

(f) Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.

(g) Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.

(h) In hoc clarificatus eſt Pater meus ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.

(a) DOminus in hoc ſermone ſpecialiter intendebat animos diſcipulorum confortare contra duo: ſcilicet contra unum quod imminebat in præſenti, quod erat paſſio eius; & aliud quod timebatur futurum, ſcilicet tribulatio eis ſuperventura. Unde contra iſta duo dixerat eis: *Non turbetur cor veſtrum*, quantum ad primum, *neque formidet*, quantum ad ſecundum. Poſtquam ergo confortavit eos de receſſu ſuo, hic confortat eos contra tribulationes eis ſuperventuras: & primo proponit eis quamdam ſimilitudinem; ſecundo ex illa procedit ad propoſitum, ibi, *Iam vos mundi eſtis*. Similitudo autem eſt de vite, & agricola. Unde primo proponit vitem; ſecundo introducit agricolam; tertio ſtudium agricolæ circa palmites commendat. Sed vitis eſt ipſe: unde dicit: *Ego ſum vitis*, per quamdam ſimilitudinem: quia ſicut vitis licet deſpecta videatur, omnia tamen ligna excedit in dulcedine fructus; ita Chriſtus etſi mundo deſpectus videretur, quia pauper erat, & ignobilis videbatur, & ignominiam ſuſtinens, tamen dulciſſimos fructus protulit: ſecundum illud Cant. II. 3. „ Fructus eius dulcis gut„ turi meo: " & ideo Chriſtus eſt vitis aſ-

ſe-

ferens vinum interius inebrians, quod eſt vinum compunctionis. Pſal.lx. 5. „ Potaſti nos „ vino compunctionis. “ Iterum vinum confortans, ſcilicet noſtræ refectionis. Supra VI. 56. *Sanguis meus vere eſt potus*. Sic enim ſupra comparavit ſe grano frumenti, quia caro eius vere eſt cibus. Hæc eſt vitis illa de qua dicitur Gen. xl. 9. „ Videbam coram me vi„ tem habentem propagines tres, “ ideſt Chriſtum, in quo ſunt tres ſubſtantiæ, ſcilicet corpus, & anima, & divinitas. Hæc eſt etiam vitis de qua Iacob dicit Geneſ. penult. 11. „ Ligabis ad vitem, fili mi, aſinam „ tuam, “ ideſt Eccleſiam. Sed hæc vitis eſt vera.

Ubi ſciendum, quod verum aliquando dividitur contra ſimilitudinarium, ſicut homo verus ab homine picto; aliquando a corrupto, ſicut acetum a vino, quia eſt vinum corruptum. Hoc ergo quod dicitur, *Ego ſum vitis vera*, accipitur ſecundo modo, ut diſcernat ſe a vite corrupta, ſcilicet a populo Iudæorum: de quo dicitur Hier. xI. 21. „ Quomo„ do converſa es in amaritudinem vitis alie„ na? “ Et hoc ideo, quia non faciebat uvas, ſed labruſcas. Eſa. v. 4. „ Expectavi ut fa„ ceret uvas, & fecit labruſcas. “

Sed notandum, quod in Chriſto eſt duplex natura, divina ſcilicet, & humana: & ſecundum humanam convenit nobiſcum, & minor eſt Patre; ſecundum divinam convenit cum Deo, & eſt ſupra nos. Eſt ergo vitis vera ſecundum hoc quod eſt caput Eccleſiæ homo Chriſtus Ieſus; & hoc inſinuat introducens agricolam, qui eſt Pater: unde dicit: *Et Pater meus agricola eſt*. Si enim eſt vitis ſecundum divinam naturam, Pater vitis eſſet ſicut & Filius: quia ergo ſecundum humanam naturam vitis eſt, ideo Pater ſe habet ad ipſum ſicut agricola ad vitem. Ipſe etiam ſecundum quod Deus agricola eſt. Dicitur autem agricola a cultura: unde & vinitor inquantum colit, agricola eſt. Sed cum colere ſit ſtudium impendere, dupliciter aliquid colimus: vel ut id quod colimus melioretur; & hoc modo colimus agrum, vel aliquid tale: alio modo ut nos melioremur per ipſum; & hoc modo homo colit ſapientiam. Deus ergo colit nos, ut nos ex eius opere melioremur, inquantum extirpat mala ſemina de cordibus noſtris. Aperit cor noſtrum aratro ſermonis, plantat ſemina præceptorum, colligit fructum pietatis, ut dicit Auguſtinus. Nos autem colimus eum ut nos per ipſum melioremur, ſed hoc adorando, non arando. Supra IX. 31. *Si quis Dei cultor eſt .... hunc exaudit*. Eſt ergo Pater agricola huius vitis ad bonum alterius. Ipſe enim plantat. Hier. II. 21. „ Ego te „ plantavi vineam electam, omne ſemen ve„ rum. “ Ipſe augmentat. I. Corinth. III. 6. „ Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem „ incrementum dedit: “ quia ſolus Deus interius augmentat, & fructificare facit: quantumcumque (*a*) homo cooperetur exterius, ipſe cuſtodit, & conſervat. Matth. XXI. & Eſa. v. dicitur, quod ædificavit in vinea turrim, & ſepem circumdedit. Studium autem agricolæ eſt circa duo, circa vitem, & circa palmites. Sed vitis de qua hic agitur, perfecta erat, non indigens agricolæ ſtudio: unde totum ſtudium agricolæ erat circa palmites impendendum: & ideo dicit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum*. Palmites autem ſunt de natura vitis: unde adhærentes Chriſto ſunt palmites huius vitis. Ezech. XVII. 6. „ Facta eſt vitis in „ palmites. “ Circa hoc ergo duo facit. Primo ponit ſtudium huius agricolæ circa palmites malos; ſecundo circa palmites bonos. Studium autem eius circa malos eſt ut ſcindantur a vite: unde dicit: *Omnem palmitem*, ideſt omnem fidelem, *non ferentem fructum*, ſcilicet in vite, *in me*, ſine quo nihil fructificare poteſt, *tollet eum*, ſcilicet a vite. Ex quo apparet quod non ſolum a Chriſto reſcinduntur aliqui, quia mala faciunt, ſed etiam quia bona facere negligunt. II. Corinth. VI. 1. „ Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei „ recipiatis. “ Unde de ſe dicebat Apoſtolus I. Corinth. XV. 10. „ Gratia Dei ſum id quod „ ſum, & gratia eius in me vacua non fuit. “ Et Matth. XXV. dicitur, quod ablatum eſt talentum ei qui ex eo non fructificavit, ſed abſcondit illud. Luc. XIII. Dominus ficum ſterilem præcepit (*b*) abſcindi. Studium autem eius circa bonos palmites eſt ut foveantur ad magis fructificandum: unde dicit: *Et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Ad litteram enim in vite naturali contingit quod palmes multos ſurculos habens, minus fructificat propter humoris diffuſionem ad omnes; & ideo cultores, ut magis fructificet, purgant eum a ſuperfluis ſurculis. Ita eſt in homine. Nam homo bene diſpoſitus, & Deo coniunctus, ſi ſuum affectum ad diverſa inclinet, virtus eius minoratur, & magis inefficax fit ad bene operandum. Et inde eſt quod Deus ut bene fructificet, frequenter præſcindit huiuſmodi impedimenta, & purgat, immittens tribulationes, & tentationes, quibus fortior fiat ad operandum: & ideo dicit, *Purgabit eum*, etiamſi purus exiſtat: quia nullus eſt adeo purus in hac vita ut non ſit magis magiſque pur-

(*a*) *Al.* hoc cooperetur. (*b*) *Al.* abſcondi.

Digitized by Google

purgandus. I. Ioan. I. 8. „ Si dixerimus quia „ peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, „ & veritas in nobis non eſt. “ Et hoc *ut plus fructum afferat*, ideſt creſcat in virtute, ut tanto ſint fructuoſiores quanto ſunt mundiores. Apoc. ult. 11. „ Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc. “ Col. I. 6. „ Verbum Evangelii fructificat, & creſcit. “ Pſal. lxxxiii. 8. „ Ibunt de virtute in virtutem. “

(b) Hic ex ſimilitudine proſequitur intentum. Duo autem in prædicta ſimilitudine tangebantur in comparatione palmitum ad vitem. Unum eſt palmitum ad vitem inhæſio, ſecundum eſt palmitum purgatio. Primo ergo agit de inhæſione; ſecundo de purgatione, ibi, *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit*. Circa primum primo monet diſcipulos ut viti inhæreant; ſecundo rationes inhæſionis adducit, ibi, *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo &c.* tertio modum inhæſionis aſſignat, ibi, *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*. Circa primum duo facit. Primo commemorat eis ſuſceptum beneficium; ſecundo monet ut in eo permaneant, ibi, *Manete in me, & ego in vobis*. Beneficia ſuſceperunt mundationis: unde dicit: *Iam vos mundi eſtis*; quaſi dicat: Talia dixi de palmitibus; ſed vos eſtis palmites præparati purgari ad fructum ferendum; & hoc *propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. Verbum enim Chriſti mundat primo quidem ab erroribus, inſtruendo. Ad Tit. I. 9. „ Amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam „ eſt, fidelem ſermonem, ut potentes ſit ex„ hortari in doctrina ſana, & eos qui con„ tradicunt arguere. “ Et hoc ideo quia in verbis Dei nulla falſitas invenitur. Prov. VIII. 9. „ Recti ſunt ſermones mei. “ Dicit ergo, *Mundi eſtis*, ab erroribus Iudaicis. Secundo mundat corda a terrenis affectibus, ad cæleſtia inflammando. Verbum enim Dei cor hominis ad terrena depreſſum concutit ſua virtute, ex quo (*a*) inflammatur. Hier. XXIII. 29. „ Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis?“ Tertio mundat ſermo Dei a peccatis, invocatus in baptiſmo. Nam homines in baptiſmo purgantur: quia in aqua verbum mundat: quia, ut dicit Auguſtinus, (*b*) „ detrahe „ verbum, quid eſt aqua, niſi aqua? Acce„ dit verbum ad elementum, & fit ſacra„ mentum. “ Verbum ergo facit ut aqua corpus tangat, & cor abluat. Verbum, inquam, non quia dicitur, ſed quia creditur. Hoc enim verbum fidei tantum valet in Eccleſia ut etiam ipſos parvos infantes mundet, quamvis credere non valentes, ex fide credentium offerentium, benedicentium, & tangentium prolatum. Matth. ult. 29. „ Baptizantes eos „ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ ſancti. “ Quarto mundat per virtutem fidei. Actor. XV. 9. „ Fide purificans corda eo„ rum. “ Dicit ergo eis: (*c*) *Vos iam* inſtructi, iam commoti, iam baptizati, iam in fide firmati, *mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. Supra eodem: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*. Sed cum ſupra dixerit officium agricolæ eſſe purgare, manifeſte oſtendit ſe eſſe agricolam, dicens, ſermonem ſuum purgativum. Et vere ipſe, inquantum Deus, mundator eſt palmitum, & agricola.

(c) Hic inducit eos ad perſeverantiam; quaſi diceret: Quia mundi eſtis, & tantum beneficium recepiſtis, debetis in eo perſeverare: unde dicit: *Manete in me*, per caritatem: I. Ioan. IV. 16. „ Qui manet in caritate, in Deo „ manet: “ & per ſacramentorum participationem. Supra VI. 57. *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet*. Dicit ergo: *Manete in me*, gratiam ſuſcipiendo; *& ego in vobis*, vos adiuvando.

(d) Conſequenter cum dicit, *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis*, inducit rationes inhæſionis, quæ ſunt quatuor. Prima ſumitur ex inhærentium ſanctificatione; ſecunda ex non inhærentium punitione, ibi, *Si quis in me non manſerit, mittetur foras*; tertia ex voluntatis inhærentium aſſecutione, ibi, *Si manſeritis in me... quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis*; quarta ex Dei glorificatione, ibi, *In hoc clarificatus eſt Pater &c.* Circa primum duo facit. Primo oſtendit quod inhæſio ad Chriſtum eſt neceſſaria ad fructificandum; ſecundo quod eſt efficax, ibi, *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Circa primum duo facit. Primo proponit ſimilitudinem; ſecundo oſtendit eam eſſe convenientem. Dicit ergo quantum ad primum: Dico, quod debetis in me manere ad hoc quod fructificetis: quia *ſicut palmes*, ad litteram, palmes materialis, *non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite*, ex cuius radice humor ad vegetationem palmitum aſcendit; *ita & vos*, ſupple, non poteſtis ferre fructum, *niſi in me manſeritis*. Manſio ergo in Chriſto eſt ratio fructificationis. Unde de his qui in Chriſto non manent, dicitur Rom. VI. 21. „ Quem „ ergo fructum habuiſtis in his in quibus nunc „ erubeſcitis? “ Iob XV. 34. „ Congregatio „ hypocritarum ſterilis. “ Hæc autem ſimili-

(a) *Al.* inflammat. (b) *Al.* detrahe verbum &c. & quicquid eſt aqua &c. (c) Al. *Vos iam mundi*, inſtructi &c.

litudo conveniens eſt: quia *ego ſum vitis , & vos palmites* ; quaſi diceret : Talis eſt comparatio veſtrum ad me , qualis palmitum ad vitem . De iſtis palmitibus dicitur in Pſalm. lxxix. 12. „ Extendit palmites ſuos uſque ad „ mare. “

(e) Hic oſtendit quod manſio in Chriſto ſit efficax: & primo oſtendit eius efficaciam; ſecundo ſubdit efficaciæ cauſam . Dicit ergo primo: Dico, quod non ſolum neceſſaria eſt hominis manſio in me, ut fructificet, ſed etiam eſt efficax : quia *qui manet in me* , credendo , obediendo , perſeveraodo , *& ego in eo* , illuminando , ſubveniendo , perſeverantiam dando , *hic* , & noo alius , *fert fructum multum*. Fert, ioquam, triplicem fructum in vita iſta . Primus eſt abſtinere a peccatis . Eſa. xxvii. 4. „ Hic eſt omnis fructus , ut „ tollator peccatum . “ Secuodus eſt vacare operibus ſanctitatis . Rom. vi. 22. „ Habetis „ fructum veſtrum io ſaoctificatione &c. “ Tertius fructus eſt vacare ædificationi aliorum. Pſal. ciii. 13. „ De fructu operum tuo- „ rum ſatiabitur terra . “ Fert etiam quartum fructum in vita æteroa . Supra iv. 36. *Fructum congregat in vitam æternam* . Hic eſt ultimus, & perfectus fructus laborum noſtrorum . Sap. iii. 15. „ Bonorum laborum glo- „ rioſus eſt fructus . “ (*a*) Ratio autem huius efficaciæ eſt, *quia ſine me nihil poteſtis facere*. In quo & corda inſtruit humilium , & ora obſtruit ſuperborum , & præcipue Pelagianorum, qui dicuot bona opera virtutum , & legis ſine Dei adiutorio ex ſeipſis facere poſſe : in quo dum liberum arbitrium aſſerere volunt, eum magis præcipitant . Ecce eoim Dominus hic dicit, quod ſioe ipſo oon ſolum magna , ſed nec minima , immo nihil facere poſſumus . Nec mirum , quia nec Deus ſine ipſo aliquid facit . Supta i. 3. *Sine ipſo factum eſt nihil* . Opera enim noſtra aut ſunt virtute naturæ , aut ex gratia divioa . Si virtute naturæ , cum omnes motus naturæ ſint ab ipſo Verbo Dei , nulla natura ad aliquid facieodum moveri poteſt ſine ipſo . Si vero virtute gratiæ, cum ipſe ſit auctor gratiæ: quia (*b*) *gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* , ut dicitur ſupra i. 17. manifeſtum eſt quod nullum opus meritorium ſine ipſo fieri poteſt . II. Corinth. iii. 5. „ Non quod ſuffi- „ cientes ſimus aliquid cogitare ex nobis qua- „ ſi ex nobis ; ſed ſufficientia noſtra ex Deo „ eſt . “ Si ergo oec etiam cogitare poſſumus niſi ex Deo , multo minus nec alia .

(f) Hic pooitur ſecunda ratio inhæſionis , quæ ſumitur ex comminatione pœoæ : quia niſi manſerimus in ipſo , non evademus pœnam . Et pooit quinque quæ pœnam illam exaggerant , quorum quædam pertinent ad pœnam damni, ſcilicet expulſio a gloria: unde dicit, *Mittetur foras* . Sed aliquando videmus , quod in vite materiali aliqois palmes maoet per exteriorem coniunctionem , oon autem per humoris participationem : ſic & aliqui manent io Chriſto ſolum per fidem , non tameo participant humorem vitis , quia non ſunt in caritate . Unde tales mittentur foras ; ideſt , ſeparabuntur a ſocietate bonorum . Ezech. xxxiv. (*c*) „ Stabo , & ſeparabo „ &c. “ Secunda pœna damni eſt areſactio : unde dicit , *Et areſcet* . Unde ſi quid habebat a radice , amittet denudatus eius auxilio , & vita. Nam mali Chriſtiani viriditatem aliquam habere videntur; ſed quaodo a ſanctis , & a Chriſto ſeparabuntur , eorum ariditas apparebit . Pſal. xxi. 16. „ Aruit tamquam teſta vir- „ tus mea . “ Terria pœoa eſt eorum cum malis aſſociatio: unde dicit , *Et colligent eum*, ſcilicet Angeli meſſores, ad malos: quæ quidem pœna maxima eſt . Si eoim ad horam eſſe cum malis , magna pœna eſt , quanto magis eſſe perpetuo cum peſſimis hominibus , & dæmonibus? Eſa. xxiv. 22. „ Congregabun- „ tur congregatione unius faſcis in lacum . “ Matth. xiii. 30. „ Colligite primum zizania, „ & alligate ea in faſciculos ad comburen- „ dum . “ Quarta pœna eſt ſenſus : uode dicit , *Et in ignem mittent* , ſcilicet æternum . Ezech. xv. 2. „ Quid fiet de ligno vitis? .... „ Ecce igni datum eſt in eſcam . “ Ligna enim ſi in vite non permaoeant , contemptibiliora ſunt ceteris lignis; ſi vero maneant in vite , glorioſiora ſunt . Unde dicit Auguſtinus : „ Unum ex duobus palmiti congruit, aut vi- „ tis, aut ignis : ſi in vite non eſt , erit in igne. “ Matth. xxv. 41. „ Ite maledicti in ignem æter- „ num . “ Quiota pœna eſt perpetuum ignis experimentum: unde ſubdit, *Et ardet* , in perpetuum. Matth. xxv. 46. „ Ibunt hi in ſuppli- „ cium æternum . “

(g) Hic ponitor tertia inhæſionis cauſa , quæ ſumitur ex efficacia impetrationis; quaſi diceret : *Si manſeritis in me* , hunc fructum conſequemini , ſcilicet *quodcumque volueritis , petetis , & fiet vobis* . Sed notandum , quod ſupra in admonitioue iohæſionis duo poſuit , quæ hic reſumit . Primum, ſcilicet *In me manete* , quod hic reſumit dicens , *Si manſeritis in me* . Secundum , *Et ego in vobis* ; & loco huius dicit: *Et verba mea in vobis manſerint* . Quia Chriſtus eſt Verbum Patris, omnia verba ſapientiæ ſuot ab ipſo . Eccli. i. 5. „ Fons „ ſa-

(a) *Al.* Reſponſio. (b) Al. deeſt *gratia*. (c) *Ibi* xxxiv. 22. „ Iudicabo inter pecus & pecus . “

Digitized by Google

„ ſapientiæ Verbum Dei in excelſis . “ Manifeſtum eſt ergo quod Chriſtus eſt in nobis, quando verba ſapientiæ eius ſunt in nobis . Supra v. 38. *Verbum Dei non habetis in vobis manens* . Ideo dicit : *Et verba mea in vobis manſerint* , ſcilicet quadrupliciter , amando , credendo , meditando , & implendo . Prov. xv. 20. „ Fili, auſculta ſermones meos (ſcili- „ cet credendo) & ad eloquia mea inclina „ aurem tuam (ſcilicet obediendo , ſeu im- „ plendo) (*a*) ne recedant ab oculis tuis „ (meditando) (*b*) & cuſtodi ea in medio „ cordis tui, “ amando. Hier. xv. 16. „ In- „ venti ſunt ſermones tui, & comedi eos. “ Tunc ergo in nobis ſunt verba Chriſti quando facimus quæ præcepit , diligimus quod promiſit . Et ex hoc ſequitur quod informamur quid petere debeamus . Rom. VIII. 26. „ Quid oremus ſicut oportet , neſcimus ; ſed „ ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus „ inenarrabilibus. “ Unde & verbis ſuis (*c*) nos orare docuit , Matth. VI. & Luc. x. Sic ergo verba Dei credita , & meditata informant nos ad petendum quæ ſunt nobis neceſſaria ad ſalutem . Sed verba Dei amata , & impleta iuvant nos ad merendum: & ideo ſubdit : *Quodcumque volueritis, petetis* diſcrete, perſeveranter, *& fiet vobis*. Infra XVI. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo , dabit vobis*.

(h) Hic ponitur quarta ratio inhæſionis , quæ ſumitur ex gloria Patris . Omnia opera noſtra ad Dei gloriam referre debemus. Pſal. CXIII. 1. „ Non nobis Domine, non nobis, ſed „ nomini tuo da gloriam. “ I. Corinth. x. 31. „ Si manducatis, aut bibitis, ſive aliquid fa- „ citis ; omnia in gloriam Dei facite . “ Oſtendit ergo Dominus quod ſumus in Chriſto, quia ex hoc fructificamus , & ex fructificatione noſtra Pater glorificatur : unde dicit : *In hoc glorificatus eſt Pater meus* , ideſt ad gloriam Patris redundat, *ut plurimum fructum afferatis*. Ponit hic tria, ordine præpoſtero , quæ ſe invicem conſequuntur . Unum pertinet ad inhæſionem, ſcilicet *Efficiamini mei diſcipuli*, quod idem eſt quod *Manete in me*. Et ex hoc ſequitur ſecundum , ſcilicet *Ut fructum plurimum afferatis* . Et ex hoc glorificatur Pater meus ; quaſi diceret : Ad gloriam Patris eſt quod fructum plurimum afferatis ; & fructum plurimum affertis ex hoc quod eſtis mei diſcipuli . Primo quidem bene vivendo : Matth. XVI. „ Videant opera veſtra „ bona, & glorificent Patrem veſtrum: “ & bene docendo, ex quo ſimiliter Deus glorificatur. Eſa. XXIV. 15. „ In doctrinis glorificate „ Deum. “ Et XLIII. 7. „ Omnem qui invo- „ cat nomen meum, in laudem , & gloriam „ meam, creavi eum . “ Ergo Apoſtoli ſunt terra illa quæ fructum multum attulit , ut dicitur infra (hoc cap.) *Et efficiamini mei diſcipuli* , per inhæſionem , & caritatis fervorem. Hæc enim ſunt ſigna diſcipulatus Chriſti, ſcilicet inhæſio ad Chriſtum. Supra VIII. 31. *Si manſeritis in ſermone meo , vere diſcipuli mei eritis*. Et ex hoc efficiuntur idonei ut ferant fructum doctrinæ. Secundo caritatis obſervatio. Supra XIII. 35. *In hoc cognoſcent omnes quia mei diſcipuli eſtis , ſi dilectionem habueritis ad invicem &c.* Et ex hoc efficiuntur idonei ut afferant fructum bonorum operum. I. Corinth. XIII. 2. „ Si habuero prophetiam, & nove- „ rim myſteria omnia, & omnem ſcientiam „ &c.“ quæ ibi ponuntur ſine caritate nihil valere .

L E C T I O II.

(a) SIcut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. (b) Manete in dilectione mea.

(c) Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea:

(d) Sicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in eius dilectione.

(e) Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.

(f) Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem,

(g) Sicut dilexi vos . Maiorem hac dilectionem nemo habet , quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

(a) SUpra monuit Dominus diſcipulos ſuos ut in eo manerent ; hic oſtendit quid ſit in eo manere ; & hoc tripliciter . Primo quidem quod manere in eo eſt manere in eius dilectione ; ſecundo oſtendit quod præcepta eius ſervare, ſit manere in eius di-

(a) *Al.* ne recedas &c. (b) *Al.* & in medio cordis ſuis. (c) *Al. deeſt* nos.

lectione, ibi, *Si precepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea;* tertio oſteudit quod obſervatio earitatis ſit eius præceptum, ibi, *Hoc eſt preceptum meum &c.* Circa primum duo facit. Primo commemorat collatum diſcipulis beneficium; ſecundo hortatur eos ad perſeverandum, ibi, *Manete in dilectione mea*. Dicit ergo primo, quod hoc quod in Chriſto manemus, eſt ex eius gratia; quæ quidem gratia eſt effectus dilectionis ipſius. Hierem. XXXI. 3. „ In caritate perpetua dilexi te. “ Ex quo patet quod omnia opera noſtra bona ſunt nobis ex beneficio divinæ dilectionis. Non enim eſſent nobis, niſi quia fides per dilectionem operatur; nec diligeremus, niſi prius diligeremur. Et ideo hoc beneficium commemorans dixit: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*.

Sed notandum, quod ly *ſicut* quandoque denotat æqualitatem naturæ, quandoque autem ſimilitudinem actionis. Arriani autem errantes volebant, quod ly *ſicut* importaret æqualitatem, & per hoc quod ſuperius ſæpius expreſſum eſt, concludebant, quod eſſet minor Patre. Sed hoc eſt falſum; & ideo, ſecundum Auguſtinum, dicendum, quod ly *ſicut* dicit ſimilitudinem gratiæ, & dilectionis: nam dilectio qua Filius diligit diſcipulos, eſt quædam ſimilitudo eius dilectionis qua Pater diligit Filium. Cum enim diligere aliquem ſit velle ei bonum, Pater diligit Filium ſecundum divinam naturam, inquantum vult illi infinitum ſuum bonum, quod ipſe habet, communicando ei eamdem naturam numero, quam ipſe habet. Supra V. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit*. Diligit etiam eum ſecundum humanam naturam. Oſeæ XI. 1. „ Puer Iſrael, & dilexi eum, & ex AEgypto vocavi filium meum. “ Et ad hoc ſcilicet ut ſimul eſſet Deus, & homo. Et ad nil horum Filius dilexit diſcipulos: nam neque ad hoc dilexit eos ut eſſent Deus per naturam, neque eſſent uniti Deo in perſona; ſed ad quamdam horum ſimilitudinem eos dilexit, ut ſcilicet eſſent dii per participationem gratiæ. Pſal. LXXXI. 6. „ Ego dixi, Dii eſtis. “ II. Petr. I, 4. „ Per quem magna nnbis, & pretioſa promiſſa donavit, ut divinæ per hoc efficiamur conſortes naturæ. “ Item ut aſſumerentur in unitatem affectus: quia „ qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt: “ I. Corinth. VI. 17. Rom. VIII. 29. „ Quos præſcivit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. “ Sie ergo maius bonum Deus Pater poſuit Filio ſecundum utramque naturam, quam Filius diſcipulis; ſed tamen ſimile, ut dictum eſt.

(b) *Manete in dilectione mea*; quaſi diceret: Ex quo tantum beneficium recepiſtis ex dilectione mea, *manete* in ea, ut ſcilicet me diligatis: vel *manete in dilectione mea*, quia ego diligo vos, ſcilicet in gratia mea, ut non excidatis a bonis quæ præparavi vnbis. Et hæc expoſitio magis congruit, ut ſit ſenſus: Perſeveretis in hoc ſtatu, ut ſcilicet diligamini a me per effectum gratiæ. I. Corinth. VII. 20. „ Unuſquiſque in ea vocatione qua vocatus eſt, in illa permaneat. “ I. Ioan. IV. 16. „ Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. “

(c) Hie oſtendit quid ſit manere in eius dilectione: & primo oſtendit quod hoc eſt ſervare eius mandatum; ſecundo manifeſtat per exemplum, ibi, *Sicut & ego Patris mei precepta ſervavi*; tertio excludit dubium, ibi, *Hæc locutus ſum vobis ut gaudium meum in vobis ſit*. Dicit ergo: *Manete in dilectione mea*; & hoc facietis, *ſi precepta mea ſervaveritis*: ſic enim manebitis in dilectione mea. Obſervatin enim mandatorum eſt effectus divinæ dilectionis, non ſolum eius (*a*) qua nos diligimus, ſed eius qua ipſe diligit nos. Ex hoc enim quod ipſe diligit nos, (*b*) movet nos, & adiuvat ad implendum mandata eius, quæ impleri non poſſunt niſi per gratiam. I. Ioan. IV. 10. „ In hoc eſt caritas, non quaſi nns dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. “

(d) Exemplum autem ad hoc ſubdit, dicens: *Sicut & ego Patris mei precepta ſervavi*. Sicut enim dilectio qua Pater diligit eum, eſt exemplum dilectinnis qua ipſe diligit nos; ita voluit quod obedientia ſua ſit exemplum obedientiæ noſtræ. Chriſtus enim per hoc oſtendit quod manſit in dilectione Patris, quia per omnia, mandata eius ſervavit. Nam & mortem ſuſtinuit. Phil. II. 8. „ Factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis. “ Ab omni peccato abſtinuit. I. Petr. II. 22. „ Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore eius. “ Quæ intelligenda ſunt de Chriſto, ſecundum quod homo. Supra VIII. 29. *Non reliquit me ſolum, quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Et ideo dicit: Maneo in eius dilectione, quia nihil in me, ſecundum quod homo, eſt dilectioni eius contrarium.

(e) Ne credant quod moneat (*c*) eos ad mandata eius ſervanda propter utilitatem propriam, & nnn diſcipulorum, dicit: *Hæc locutus ſum vobis*, ſcilicet ut mandata mea ſerve-

(a) *Al.* qui diligimus. (b) *Al. omittitur* movet nos. (c) *Al.* nos.

vetis, propter bonum veſtrum, ſcilicet *ut gaudium meum in vobis ſit*. Amor enim eſt cauſa gaudii: unuſquiſque enim gaudet de re amata. Deus autem ſe amat, & creaturam præcipue rationalem, cui infinitum bonum communicat. Chriſtus ergo de duobus ab æterno gaudet, ſcilicet de bono ſuo, & Patris. Prov. VIII. 30. „ Delectabar coram eo „ ludens in orbe terrarum. “ Item de bono creaturæ rationalis. Ibid. 31. „ Deliciæ meæ „ (a) ſunt eſſe cum filiis hominum, “ ideſt, in hoc quod communicor filiis hominum: & de his gaudet ab æterno. Eſa. LXII. 5. „ Gaudebit ſuper te Deus tuus. “ Vult ergo Dominus ut per obſervantiam mandatorum ſuorum efficiamur participes gaudii ſui: unde dicit: *Ut gaudium meum*, quo ſcilicet ego gaudeo de divinitate mea, & Patris, *ſit in vobis*: quod nil eſt aliud quam vita æterna, quæ eſt gaudium de veritate, ut Auguſtinus dicit; quaſi diceret: Ut habeatis vitam æternam. Iob XXII. 26. „ Tunc ſuper Omnipo„ tente deliciis afflues. “ *Et gaudium veſtrum*, quo ego gaudeo de humanitate mea, *repleatur*. Nam bona de quibus nos gaudemus, aut ſunt imperfecta, autem imperfecte habentur; & ideo gaudium in hac vita plenum eſſe non poteſt. Tunc aut plenum erit quando perfecta bona perfecte conſequemur. Matth. XXV. 21. „ Intra in gaudium domini „ tui. “

(f) Hic oſtendit Dominus quæ ſint præcepta eius: & primo proponit quid ſit præceptum ſuum; ſecundo inducit exemplum, ibi, *Sicut dilexi vos*; tertio commemorat beneficium, ibi, *Vos amici mei eſtis*. Præceptum autem quod ponit, eſt præceptum caritatis, quod ſervari vult. *Hoc eſt*, inquit, *præceptum meum ut diligatis invicem*.

Sed cum multa ſint alia præcepta Domini in ſacro eloquio, quæritur quare ſolum obſervationem caritatis dicit eſſe præceptum ſuum. Ad quod, ſecundum Gregorium, dicendum eſt, quod caritas eſt radix, & finis omnium virtutum. Radix quidem, quia ex caritate confirmata in corde hominis movetur homo ad implenda omnia alia præcepta. Rom. XIII. 8. „ Qui diligit proximum, legem „ implevit. “ Ergo omnia præcepta quaſi ad hoc ordinantur ut homo benefaciat proximo, & non moleſtet eum; quod quidem potiſſime ex caritate fit. Finis autem eſt quia omnia præcepta ad ipſam ordinantur, & in ſola caritate ſolidantur. I. Tim. 1. 5. „ Finis „ præcepti eſt caritas. “ Dicit ergo: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*; quaſi ſcilicet: A caritate omnia procedunt ſicut a principio, & in caritate omnia ordinantur ſicut in finem. Nam, ſicut dicit Gregorius, ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex una radice generantur: nec habet aliquod viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice caritatis.

Sed cum Matth. XXII. dicatur, quod non ſolum in dilectione Dei, ſed etiam proximi pendeat lex, & Prophetæ; quare ſolum hic de dilectinne proximi mentionem facit? Sed dicendum, quod unum includitur in alio: qui enim diligit Deum, neceſſe eſt ut proximum, & ea quæ ſunt Dei diligat; & qui diligit proximum propter Deum, neceſſe eſt ut diligat Deum: licet enim obiecta ſint diverſa, tamen ipſi actus ſecundum conſequentiam ſunt unum. Eſt autem duplex ratio quare magis de dilectione proximi, quam Dei mentionem facit. Una ſcilicet quia in hoc intendit eos inſtruere, & inducere quomodo proximos ædificent, & quomodo fortes fierent ad tribulationes perſecutorum perferendas; & ad utrumque caritas proximi neceſſaria eſt.

(g) Hic manifeſtat per exemplum quomodo proximum debeamus diligere, ita ſcilicet quomodo Chriſtus dilexit nos. Chriſtus autem dilexit nos ordinate, & efficaciter. Ordinate quidem, quia nil in nobis dilexit niſi Deum, & in ordine ad ipſum. Eccli. XXIV. 24. „ Ego mater pulchræ dilectionis „ &c. “ Efficaciter autem, quia intantum dilexit ut ſemetipſum pro nobis traderet. Epheſ. V. 2. „ Dilexit nos, & tradidit ſemet„ ipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam „ Deo in odorem ſuavitatis. “ Nos ergo debemus proximos diligere, ſcilicet ſancte ad bonum, & efficaciter, ſcilicet ut dilectionem opere oſtendamus. I. Ioan. III. 18. „ Non „ diligamus verbo, neque lingua, ſed ope„ re, & veritate. “ *Maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Hic oſtendit efficaciam dilectionis, quæ eſt ut quis mortem ſuſtineat pro amicis, quod eſt ſignum maximæ dilectionis.

Sed contra hoc obiicitur, quod maioris dilectionis ſignum dicitur quando aliquis animam ſuam ponit pro inimicis ſuis, ut Chriſtus fecit. Rom. V. 8. „ Commendat Deus ca„ ritatem ſuam in nobis: quoniam cum adhuc „ peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chri„ ſtus pro nobis mortuus eſt. “ Ad quod dicendum, quod Chriſtus non poſuit animam

(a) *Al. deeſt* ſunt.

ſuam pro nobis inimicis, ut ſcilicet inimici remaneremus, ſed ut amicos efficeret: vel licet non eſſent amici quaſi amantes, erant tamen amici ut amati. Eſt autem manifeſtum quod maximæ dilectionis eſt ſignum, propter amicos animam ponere: quia in ordine diligibilium quatuor ordinata ſunt; ſcilicet Deus, anima noſtra, proximus, & corpus noſtrum. Et Deum debemus diligere ſuper nos ipſos, & ſupra proximos, ita ut pro Deo nos ipſos, ſcilicet animam, & corpus, & proximum dare debemus. Pro anima autem noſtra corpus eſt ponere, non tamen eam dare. Pro proximo autem vitam corporalem, & corpus debemus exponere pro ſalute proximi: & ideo cum vita corporalis ſit potiſſimum quod nos poſt animam habeamus, ideo potiſſimum eſt ipſam exponere propter proximum, & maioris dilectionis ſignum. I. Ioan. IV. 9. „ In hoc apparuit caritas Dei in „ nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum mi„ ſit Deus in mundum, ut vivamus per „ eum. “

L E C T I O III.

(a) VOs amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.

(b) Iam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat Dominus eius.

(c) Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

(d) Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos:

(e) Et poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat:

(f) Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

(g) Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

(a) SUpra Dominus monuit nos ad dilectionem fraternam; & hoc exemplo ſui: hic oſtendit diſcipulis beneficium præſtitum, per quod obligati erant ad Chriſti imitationem, ſcilicet quod Chriſtus eos ad amorem ſuum aſſumpſit. Et primo ponit amicitiæ ſignum; ſecundo ſubiungit cauſam, ibi, *Non vos me elegiſtis &c.* Ponit autem duplex amicitiæ ſignum: unum ex parte diſcipulorum; aliud ex parte ſui, ibi, *Iam non dicam vos ſervos.* Signum autem ex parte diſcipulorum, quod ſunt amici Chriſti, eſt obſervatio mandatorum eius: unde dicit: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis*; quaſi diceret: Uſque modo monui vos ut diligeretis invicem; ſed modo moneo, & dico de amicitia veſtra ad meipſum. Poteſt autem hoc quod dicit, *Vos amici mei eſtis*, dupliciter intelligi, ſecundum quod amicus dupliciter dicitur, ſcilicet qui amat, & qui amatur; & ſecundum utrumque, verum eſt quod ſubdit: *Si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Et qui Deum amant, mandata illius ſervant: quia cum amicus dicatur quaſi animæ cuſtos, ut Gregorius dicit, non immerito qui voluntatem Dei in præceptis eius (*a*) cuſtodit, amicus eius vocatur. Item, quos Deus amat, mandata Dei ſervant, inquantum conferendo eis gratiam ſuam, adiuvat ad ſervandum: Deus enim nos amando, facit ſuos dilectores. Proverb. VIII. 17. „ Ego diligentes me diligo: “ non quaſi prius fuerint diligentes; ſed quia ipſe eos diligentes facit diligendo.

Sed ſciendum, quod mandatorum obſervatio non eſt divinæ amicitiæ cauſa, ſed ſignum, ſcilicet & quod Deus diligat nos, & quod nos diligimus eum. Sapient. VI. 19. „ Dilectio il„ lius cuſtodia legum eſt. “ I. Ioan. II. 4. „ Qui „ dicit ſe amare Deum, & mandata eius non „ cuſtodit, mendax eſt. “

(b) Ex parte autem Chriſti ponitur amicitiæ ſignum, cum dicit: *Iam non dicam vos ſervos.* Et primo excludit quod videtur amicitiæ contrarium; ſecundo ponit veræ amicitiæ ſignum, ibi, *Vos autem dixi amicos &c.* Amicitiæ autem contrariatur ſervitus; & ideo primo excludit ſervitutem, dicens: *Iam non dicam vos ſervos*; quaſi dicat: Etſi olim fueritis quaſi ſervi ſub lege, nunc eſtis quaſi liberi ſub gratia. Rom. VIII. 15. „ Non accepiſtis „ ſpiritum ſervitutis iterum in timore; „ ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. “ Secundo ſubdit rationem dicens: *Quia ſervus neſcit quid faciat dominus eius*: ſervus enim eſt quaſi extraneus a domino. Supra VIII. 35. *Servus non manet in domo in æternum.* Extraneis autem ſecreta committenda non ſunt. Proverb. XXV. 9. „ Secretum extraneo ne reve„ les. “

(*a*) *Al.* cuſtodivit.

Digitized by Google

„ les. “ Unde nunc ſervis ſecreta committenda non ſunt. Poteſt autem hoc ad præcedentia ſic continuari. Poſſent diſcipuli dicere, quod ſi ſervamus præcepta tua, ſumus amici tui; (*a*) ſed ſervare præcepta eſt magis ſervitutis quam amicitiæ: & ideo hoc excludens Dominus dicit: *Iam non dicam vos ſervos*.

Sed dubitatur hic. Cum ipſi Apoſtoli dicant ſe ſervos Chriſti, ſicut (Rom. I. I.) „Paulus Apoſto-„ lus ſervus Chriſti Ieſu:“ & David (Pſ. CXVIII. 125.) „ Servus tuus ego ſum: “ & etiam ipſi qui introducendi ſunt in vitam ęternam: Matth. XXV. 23. „ Euge ſerve bone, & fidelis..... intra in „ gaudium domini tui: “ quid eſt hoc quod Dominus dicit: *Iam non dicam vos ſervos*?

Dubitatur etiam de hoc: quia cum frequenter domini ſervis ſuis ſecreta revelent, & etiam Deus: Amos III. 7. „ Non faciet Deus „ verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad „ ſervos ſuos Prophetas: “ non videtur verum quod hic dicit: *Servus neſcit quid faciat dominus eius*.

Reſpondeo dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod ſervitus proprie ex timore creatur. Eſt autem duplex timor: ſcilicet ſervilis, quem (*b*) expellit caritas: I. Ioan. IV. [18. „ Timor non eſt in caritate: “ alius eſt timor filialis, qui ex caritate generatur, quia timet perdere quis quod amat; & hic eſt timor bonus, & caſtus, de quo dicitur in Pſal. XVIII. 10. „ Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. “ Et ſecundum hoc ſunt duæ ſervitutes. Una quæ procedit ex timore filiali; & ſecundum hanc ſervi ſunt iuſti omnes, & filii Dei, ut obiiciebatur. Alia ſervitus eſt quæ procedit ex timore pœnæ, & contrariatur dilectioni: & de hac dicit: *Iam non dicam vos ſervos*.

Sciendum eſt etiam, quod ſervus proprie eſt qui non eſt cauſa ſui; liber vero qui eſt ſui cauſa. Eſt ergo differentia inter operationes ſervi, & liberi: quia ſervus operatur cauſa alterius; liber autem cauſa ſui operatur, & quantum ad cauſam finalem operis, & quantum ad cauſam moventem: nam liber propter ſe operatur, ſicut propter finem, & a ſe operatur, quia propria voluntate movetur ad opus; ſed ſervus nec propter ſe operatur, ſed propter dominum, nec a ſe, ſed a domini voluntate, & quaſi quadam coactione. Sed contingit aliquando quod aliquis ſervus operatur cauſa alterius, ſicut cauſa finali; operatur tamen a ſe, inquantum ſe movet ad opus: & hæc eſt bona ſervitus, quia ex caritate movetur ad bona opera facienda; ſed non operatur propter ſe: quia caritas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti, & ſalutis proximorum. Qui autem omnino cauſa alterius operantur, ſunt mali ſervi. Patet ergo quod diſcipuli ſervi erant, ſed bona ſervitute, quæ ex amore procedit.

Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quod ille ſervus qui movetur ſolum ab alio, & non a ſe, habet ſe ad moventem ſicut inſtrumentum ad artificem. Inſtrumentum autem communicat cum artifice in opere, ſed non in operis ratione. Sic ergo & tales ſervi participant (*c*) ſolum in opere; ſed quando ſervus operatur ex propria voluntate, neceſſe eſt quod rationem operis ſciat, & quod revelentur ei occulta, per quæ ea ſcire poſſit quæ agit. Eccli. XXXIII. 31. „ Servus ſi eſt „ tibi fidelis, ſit tibi quaſi anima tua. “ Apoſtoli autem, ut dictum eſt, a ſe movebantur ad bona opera facienda, ſcilicet ex propria voluntate per amorem inclinata: & ideo Dominus ſecreta ſua revelat eis. Sed de malis ſervis verum eſt quod neſciunt quid faciat dominus eorum. Sed quæ ſunt illa quæ neſciunt? Illa proprie quæ in nobis Deus facit. Omnia enim bona quæ facimus, Deus in nobis operatur. Eſai. XXVI. & Phil. II. 13. „ Operatur in nobis & velle, & perfice-„ re. “ *Servus* ergo malus ex ſuperbia cordis ſui obtenebratus, dum quod facit, ſibi attribuit, *neſcit quid faciat dominus eius*.

(*c*) Hic ponit verum ſignum amicitiæ ex parte ſua, quod eſt quia *quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Verum enim amicitiæ ſignum eſt quod amicus amico ſuo cordis ſecreta revelet. Cum enim amicorum ſit cor unum, & anima una, non videtur amicus extra cor ſuum ponere quod amico revelat. Prov. XXV. 9. „ Cauſam tuam tracta „ cum amico tuo. “ Deus autem faciendo nos participes ſuæ ſapientiæ, ſua ſecreta nobis revelat. Sapient. VII. 27. „ Per nationes „ in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, „ & Prophetas conſtituit. “

Sed dubitatur hic primo quæ, & qualiter Filius a Patre audit. Quod quidem pluries iam (*d*) manifeſtatum eſt. Cum enim audire ſit ſcientiam ab alio accipere, audire Filium a Patre nihil aliud eſt quam ſcientiam ab eo accipere; ſcientia autem Filii eſt eius eſſentia: Filium ergo audire a Patre, eſt accipere eſſentiam eius ab eo.

Dubitatur etiam de hoc quod dicit: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Si ergo omnia eis nota fecit, ſequitur quod tot

(a) *Al.* emittitur ſed. (b) *Al.* expulit. (c) *Al.* non ſolum. (d) manifeſtum.

tot ſciebant diſcipuli quot & Filius. Reſponſio. Dicendum, ſecundum Chryſoſtomum: *Omnia quæcumque audivi*, quæ ſcilicet vos audire oportebat, *nota feci vobis*; non autem omnia ſimpliciter. Infra xvi. 12. *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*. Vel dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod Dominus propter certitudinem dicendorum utitur præterito pro futuro; ut ſit ſenſus: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*; ideſt, faciam in illa plenitudine, de qua dicit Apoſtolus I. Corinth. xiii. 12. „ Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. “ Infra xvi. 25. *In illo die palam de Patre meo annuntiabo vobis*, quando ſcilicet introducet nos ad viſionem Patris. Omnia enim quæ ſcit Filius, ſcit Pater. Quando ergo revelabit nobis Patrem, revelabit omnia quæ ſcit, & id quod ſcimus. Vel dicendum, ſecundum Gregorium, & melius: Eiuſdem rei poteſt haberi cognitio perfecta, & imperfecta; ſicut in ſcientiis apparet quod qui ſcit principia omnia unius ſcientiæ, dicitur ſcire ſcientiam illam; ſed imperfecte eam ſcit. Unde qui docet aliqua principia alicuius ſcientiæ, poteſt dicere ſe docuiſſe ſcientiam illam, quia omnia quæ ſunt ſcientiæ illius, ſunt in principiis eius virtute; ſed illam eamdem ſcientiam perfectius ſcit quando concluſiones ſingulas, quæ virtute erant in principiis, novit. Sic ergo & de divinis poteſt haberi duplex cognitio. Una imperfecta, & hæc habetur per fidem, quæ eſt prælibatio illius futuræ beatitudinis, & cognitionis quam habebimus in patria. Hebr. xi. 1. „ Eſt autem fides ſperandarum „ ſubſtantia rerum, argumentum non appa„ rentium. “ Unde de hac cognitione dicit: *Omnia nota feci vobis*, ſcilicet in fide, ſecundum quamdam prælibationem, ſicut concluſiones virtute ſunt in principiis. Unde dicit Gregorius: „ Omnia quæ nota facit ſervis „ ſuis, ſunt gaudia internæ caritatis, & fe„ ſta ſupernæ patriæ, quæ quotidie menti„ bus per aſpirationem ſui amoris imprimit: „ dum enim audita ſuperna cæleſtia amamus, „ amata iam novimus: quia ipſe amor noti„ tia eſt. “

(d) Hic ponit amicitiæ cauſam. Conſuetum eſt autem apud homines ut unuſquiſque ſibi attribuat cauſam amicitiæ. Eccli. xxxvii. 1. „ Omnis amicus dicit: Et ego amicitiam „ copulavi. “ Et ſic multi attribuunt ſibi divinæ amicitiæ cauſam, dum ſibi principium bonorum operum attribuunt, & non Deo. Et Dominus hoc excludens dicit: *Non vos me elegiſtis*; quaſi dicat: Quiſquis ad hanc dignitatem amicitiæ vocatus eſt, non ſibi cauſam amicitiæ attribuat, ſed mihi eum ad hoc eligenti. Et primo (*a*) ponit gratuitam Dei electionem; ſecundo exponit ad quid eliguntur, ibi, *Et poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis*. Dicit ergo: *Non vos me elegiſtis*, ut ſcilicet ego eſſem amicus veſter; *ſed ego elegi vos*, ut facerem amicos meos. I. Ioan. iv. 10. „ Non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed „ quoniam ipſe prior dilexit nos. “ Eſt autem duplex Dei dilectio. Una æterna qua prædeſtinamur: Epheſ. 1. 4. „ Elegit nos in „ ipſo ante mundi conſtitutionem. “ Alia temporalis, qua ab ipſo vocamur, quæ nihil eſt aliud quam executio æternæ prædeſtinationis: quia quos elegit prædeſtinando, hos etiam elegit vocando. Rom. viii. 30. „ Quos „ prædeſtinavit, hos & vocavit &c. “ Luc. vi. 13. „ Elegit duodecim, quos & Apoſtolos „ nominavit. “

Sunt autem aliqui dicentes, electionem Dei temporalem ex meritis electorum cauſari. Sed hoc eſt contra illud quod hic dicitur. Nam ſi ideo elegit te, quia bonus eras, non autem poteras bonus eſſe, niſi bonum eligeres; hoc autem bonum potiſſime eſt Deus: ergo primo elegiſti bonum, quod eſt Deus, quam eligereris. Sed Dominus dicit contrarium: *Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos*. Non ergo dicendum, quod aliquod bonum ex parte noſtra totaliter præcedat electionem Dei. Dico autem totaliter: quia aliquod bonum particulare in nobis exiſtens, poteſt eſſe cauſa alterius boni nobis dandi, & hoc alterius; cum ſit quidam ordo in divinis donis; ſed univerſaliter nihil poteſt eſſe cauſa, & præcedere divinam electionem: quia omnia bona ſunt nobis a Deo. Sed de æterna electione adhuc magis (*b*) erroneum eſſet dicere, quod ab electione noſtra præcederetur. Fuerunt tamen aliqui qui dicerent, quod merita noſtra præcedentia ſunt cauſa illius electionis: & hic fuit error Origenis, qui dixit animas hominum ſimul fuiſſe creatas æquales, & quibuſdam ſtantibus, quædam minus, & quædam magis peccaverunt; & ideo quædam meruerunt habere gratiam, quædam non. Sed contra hoc eſt, quod Dominus dicit: *Non vos me elegiſtis*. Alii autem dicunt, quod verum eſt quod merita in actu exiſtentia non ſunt cauſa prædeſtinationis; ſed præexiſtentia in præſcientia Dei, dicentes, quod quia Deus ſcivit aliquos bonos futuros, & bene uſuros gratia, ideo propoſuit eis gratiam ſe daturum. Sed ſi hoc eſſet, ſequeretur quod ideo elegit nos, quia præſcivit nos ipſum electuros. Et ſic electio noſtra prævia eſſet electioni divinæ; quod eſt contra (*c*) ſententiam Domini.

Sed

(a) *Al.* proponit. (b) *Al.* errorem. (c) *Al.* ſubſtantiam.

Digitized by Google

Sed forſitan diceret aliquis: Quæ electio poterat eſſe, qui nihil eramus, & nulla inter nos erat præeminentia? (a) Sed eum qui huiuſmodi, decipit modus electionis humanæ, ſecundum quem credidit eſſe electionem divinam. Sed aliter & aliter ſe habent: quia electio noſtra cauſatur ex bono iam præexiſtente; ſed electio divina eſt cauſa influentiæ maioris boni in uno quam in alio. Cum enim electio ſit actus voluntatis, ſecundum quod diverſimode voluntas Dei, & hominis ſe habent ad bona, ſic diverſus eſt electionis eorum modus. Voluntas autem Dei ſe habet ad bonum creatum ut cauſa eius. Sapien. xi. 26. „ Quomodo potuiſſent illa eſſe, niſi tu „ voluiſſes? “ Et ſic bonum derivatur ad res creatas ex voluntate Dei. Unde Deus aliquem alteri præeligit, inquantum plus ei de bono influit quam alteri. Voluntas autem hominis movetur ad aliquid ex bono præexiſtente apprehenſo; & ideo oportet in electione noſtra unum bonum præexiſtere alteri. Ideo autem Deus uni magis quam alteri bonum influit, ut reluceat ordo in rebus: ſicut apparet in rebus materialibus, quod materia prima quantum eſt de ſe, eſt uniformiter diſpoſita ad omnes formas. Ipſæ etiam res antequam ſint, non ſunt diſpoſitæ ad hoc, vel illud eſſe; ſed ut ſervetur ordo in eis, diverſas formas, & diverſum eſſe ſortiuntur a Deo. Et ſimiliter in creatura rationali quidam eliguntur ad gloriam, quidam reprobantur ad pœnam. II. Tim. ii. 19. „ Novit Dominus qui ſunt eius .... In magna enim „ domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & ar„ gentea, ſed & lignea, & fictilia; & quæ„ dam quidem in honorem, quædam autem „ in contumeliam. “ Et ſic apparet diverſus ordo, dum in quibuſdam rebus relucet Dei miſericordia, quos abſque ullis meritis præcedentibus ad gratiam præparat; in quibuſdam autem Dei iuſtitia, dum eos ex propriis culpis, citra condignum tamen, deputat pœnæ. Sic ergo elegi vos ab æterno prædeſtinando, & vocando ad fidem ex tempore.

(e) Ad quod autem eos elegit, ſubdit conſequenter (b) cum dicit: *Et poſui vos ut eatis, & fructum afferatis*. Et primo ponit ad quid elegerit; ſecundo rationem dictorum aſſignat, ibi, *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit quod elegit ad aliquid agendum; ſecundo quod elegit ad aliquid recipiendum, ibi, *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis*. Dicit ergo: *Poſui vos*; ideſt, dedi vobis ordinem in Eccleſia mea. I. Corinth. xii. 28. „ Poſuit Deus in Eccleſia primum qui„ dem Apoſtolos &c. “ Item *poſui vos*; ideſt, firmiter vos diſpoſui Gen. i. 16. „ Fecit „ Deus luminaria magna, & poſuit ea in fir„ mamento cæli. “ Iudic. v. 20. „ Stellæ „ manentes in ordine, & curſu ſuo adver„ ſus Siſaram pugnaverunt. “ Poſitio enim ordinem, & firmitatem importat. *Poſui*, inquam, ad tria. Primo quidem ad eundum: unde dicit, *Ut eatis*, per mundum diſcurrendo, ut totum convertatis ad fidem. Marc. ult. 15. „ Euntes in mundum univerſum, „ prædicate Evangelium omni creaturæ. “ Vel *ut eatis*, ideſt proficiatis de virtute in virtutem. Pſal. lxxxiii. 8. „ Ibunt de vir„ tute in virtutem: videbitur Deus deorum „ in Sion. “ Oſeæ ult. 6. „ Ibunt rami eius „ ut Libani. “ Secundo ad fructum afferendum: unde dicit, *Et fructum afferatis*, ſcilicet converſionis fidelium, quantum ad primum iter. Roman. i. 13. „ Ut aliquem fru„ ctum habeam in vobis, ſicut & in ceteris „ gentibus. “ Vel fructum ſpiritualem interiorem, quantum ad ſecundum iter. Gal. v. 22. „ Fructus autem Spiritus eſt caritas, gau„ dium, pax &c. “ Eccli. xxiv. 22. „ Flores mei „ fructus honoris, & honeſtatis. “ Tertio ut fructum afferant qui non perdantur per mortem, ſeu peccatum: unde dicit: *Et fructus veſter maneat*; ſcilicet, congregatio fidelium in vitam æternam perducatur, & fructus, ſpiritualis magis proficiat. Supra iv. 36. *Et fructum congregat in vitam æternam*.

(f) Hic oſtendit quod elegerit ad aliquid recipiendum, ſcilicet omnia quæ petierint; quaſi diceret: Poſui vos ad hoc ut eſſetis digni recipere a Patre in nomine meo. I. Ioan. iii. 21. „ Si cor noſtrum non reprehenderit „ nos, fiduciam habemus ad Deum; & quid„ quid petierimus, accipiemus ab eo. “

(g) Hic aſſignat rationem rerum quæ dixit. Poſſet enim (c) quis dicere, quare hæc omnia Chriſtus diceret eis. Unde Dominus reſpondens dicit: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*; quaſi, omnia quæ dico, ſunt inducentia vos ad dilectionem proximorum. I. Timoth. i. 5. „ Finis præcepti eſt caritas. “ Vel dicendum, ſecundum Chryſoſtomum, quod poſſent diſcipuli dicere: Domine, cur nobis tot de dilectione tua commemoras? Numquid ut improperes? Sed Dominus dicit: Non; immo ut (d) incitem vos ad dilectionem proximi. I. Ioan. iv. 21. „ Hoc mandatum ha„ bemus a Deo, ut qui diligit Deum, dili„ gat & fratrem ſuum. “

LE-

(a) *Al.* Sed eum qui huiuſmodi decipit, modum ſcilicet electionis humanæ. (b) *Al.* dicens. (c) *Al.* omittitur quis. (d) *Al.* invitem.

LECTIO IV.

(a) SI mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. (b) Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret.

(c) Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

(d) Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non eſt ſervus maior domino ſuo.

(e) Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt.

(f) Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum qui miſit me.

(a) POſita ſimilitudine vitis, & palmitum, & explanata quantum ad inhæſionem palmitum ad vitem; hic conſequenter explanat eam quantum ad ipſorum purgationem, quæ futura erit per tribulationes. Conſolatur eos ergo Dominus contra tribulationes quas paſſuri erant: & primo rationes ex quibus eos conſolatur proponit; ſecundo ipſas rationes exponit, ibi, *Mementote ſermonis mei &c.* tertio excuſationes perſequentium excludit, ibi, *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent*. Ponit autem duas rationes ad eorum conſolationem: quarum una ſumitur ex exemplo; ſecunda ex cauſa, ibi, *Si de mundo fuiſſetis &c.* Conſolatur ergo eos Dominus exemplo ſui, qui & paſſus eſt perſecutiones tyrannorum: unde dicit: *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit*. Sciendum eſt enim, quod ſicut omnium beneficiorum principium eſt amor, ita & perſecutionum omnium principium eſt odium: & ideo Dominus prænuntiat eis odium futuſum. Matth. XXIV. 9. „ Odio eritis omnibus „ hominibus. " Luc. VI. 22. „ Beati eritis „ cum vos oderint homines &c. " Dicit ergo: *Si mundus vos odit*; ideſt, futurum eſt quod mundus vos odio habeat, & manifeſtabit odium ſuum perſequendo vos; *ſcitote quia me priorem odio habuit*. Supra VII. 7. *Non poteſt mundus odiſſe vos; me autem odit*. Sed hæc eſt grandis conſolatio iuſtis ad fortiter ſuſtinendum perſecutiones. Heb. XII. 3. „ Recogi„ tate eum qui talem ſuſtinuit a peccatoribus „ adverſus ſemetipſum contradictionem, ut „ ne fatigemini, animis veſtris deficientes." I. Petr. II. 21. „ Chriſtus paſſus eſt pro no„ bis, vobis relinquens exemplum, ut ſequa„ mini veſtigia eius. " Et ideo, ſecundum Auguſtinum, non debent ſe membra ſupra verticem extollere, nec recuſare ſe in corpore eſſe, nolendo mundi odium ſuſtinere cum capite. Mundus autem dupliciter accipitur. Quandoque quidem in bonum, pro bis qui bene vivunt in mundo. II. Corinth. V. 19. „ Deus erat in Chriſto, mundum recon„ cilians ſibi. " Quandoque autem in malum, ſcilicet pro amatoribus mundi. I. Ioan. V. 19. „ Mundus totus in maligno poſitus eſt. " Sic ergo totus mundus totum odit mundum: quia amatores mundi, qui ſunt per totum mundum diffuſi, odiunt mundum totum, ideſt Eccleſiam bonorum per totum mundum roboratam.

(b) Hic ponitur ſecunda ratio ſumpta ex cauſa odii. Quando enim quis odium alicuius ſuſtinet propter culpam ſuam, dolendum eſt, & triſtandum; ſed quando propter virtutem, gaudendum. Primo ergo oſtendit quæ ſit cauſa quare aliqui diliguntur a mundo; ſecundo oſtendit quare Apoſtoli a mundo odio habentur, ibi, *Quia vero de mundo non eſtis ... propterea odit vos mundus*. Cauſa autem quare aliqui diliguntur, eſt ſimilitudo eorum ad mundum: unde dicit: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret*. Omne ſimile, ſibi ſimile diligit. Eccli. XIII. 20. „ Omnis „ caro ad ſimile ſibi coniungetur. " Et ideo mundus, ideſt amatores mundi diligunt mundi amatores: unde dicit: *Si de mundo fuiſſetis*, ideſt ſequentes mundum, *mundus quod ſuum erat diligeret*, ſicut ſuos, & ſibi ſimiles. Supra VII. 7. *Non poteſt mundus odiſſe vos; me autem odit*. I. Ioan. IV. 5. (a) „ De mundo ſunt: ideo „ de mundo loquuntur, & mundus eos au„ dit. "

Sed contra. Per mundum intelligit hic Dominus principes mundi, qui perſecuturi erant Apoſtolos; ſed ipſi idem principes perſequuntur aliquos mundanos inventos, puta homicidas, & latrones: ergo mundus non diligit quod ſuum eſt, ſicut nec Apoſtolos.

Re-

(a) *Al.* „ De mundo non ſunt, & ideo &c.

Reſpondeo. Dicendum eſt, quod eſt reperire aliquid pure bonum; ſed pure malum nihil invenitur, cum ſubiectum mali ſit bonum. Malum ergo culpæ fundatur in bono naturæ. Unde non poteſt aliquis homo eſſe peccator, & malus, quin habeat aliquid boni. Sic ergo ſecundum malum quod habent, ſcilicet infidelitatem, pertinent ad mundum, & odiunt Apoſtolos & eos qui de mundo non ſunt; ſed ſecundum bonum quod habent, non ſunt de mundo, & odio habent eos qui de mundo ſunt, ſcilicet fures, & latrones, & cetera huiuſmodi. Erant tamen aliqui in mundo bene viventes, qui Apoſtolos diligebant, eorum facta approbando.

Sed adhuc magis videtur dubium eſſe: quia ad mundum pertinet omne peccatum, & ſic ſecundum quodlibet peccatum aliquis eſt de mundo. Sed videmus quod aliqui homines convenientes in aliquo peccato, ſe invicem odio habent, ſicut ſuperbi: Prover. XIII. 10. „ Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: " & avarus odit avarum. Unde, ſecundum Philoſophum, figuli conrixantur adinvicem. Mundus ergo odit mundum. Non ergo videtur verum eſſe quod Dominus dicit: *Mundus quod ſuum erat diligeret.*

Reſponſio. Dicendum, quod duplex eſt amor, amicitiæ ſcilicet, & concupiſcentiæ; ſed differunt: quia in amore concupiſcentiæ, quæ ſunt nobis extrinſeca, ad nos ipſos trahimus, cum ipſo amore diligamus alia, inquantum ſunt nobis utilia, vel delectabilia; ſed in amore amicitiæ eſt e converſo, quia noſmetipſos trahimus ad ea quæ ſunt extra nos: quia ad eos quos iſto amore diligimus, habemus nos ſicut ad noſmetipſos, communicantes eis quodammodo noſmetipſos. Unde in amore amicitiæ ſimilitudo eſt cauſa amoris: non enim ſic diligimus aliquem niſi inquantum ſumus unum cum eo: ſimilitudo autem eſt unitas quædam. Sed in amore concupiſcentiæ, ſive ſit utilis, ſive delectabilis, ſimilitudo eſt cauſa ſeparationis, & odii. Cum enim iſto amore aliquem diligam inquantum eſt mihi utilis, vel delectabilis; quicquid eſt impeditivum utilitatis, ſeu delectationis, habeo odio contrarium. Et inde eſt quod ſuperbi iurgantur adinvicem, inquantum unus uſurpat ſibi gloriam, quam alius amat, & in qua delectatur; figuli etiam, inquantum unus trahit ad ſe lucrum, quod alius per ſe volebat. Sed ſciendum, quod amor concupiſcentiæ non eſt rei concupitæ, ſed concupiſcentis, propter hoc enim quis hoc amore aliquem diligit, inquantum eſt ſibi utilis, ut dictum eſt: & ideo magis diligit in hoc ſe quam illum: ſicut qui diligit vinum: quia eſt ſibi delectabile, ſe potius quam vinum diligit. Sed amor amicitiæ eſt potius rei amatæ quam amantis: quia diligit aliquem propter ipſum dilectum, non propter ipſum diligentem. Sic ergo quia in amore amicitiæ ſimilitudo cauſa eſt amoris, diſſimilitudo cauſa odii; (a) inde eſt quod mundus odio habet (b) quod ſuum non eſt, & ſibi diſſimile, & diligit, ideſt dilectione amicitiæ, quod ſuum eſt. Sed de dilectione concupiſcentiæ eſt e converſo; & ideo dicit: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret*, ſcilicet amore amicitiæ.

(c) Hic ponit cauſam quare Apoſtoli habentur odio a mundo, quæ eſt diſſimilitudo. Dicit ergo: *Quia vere de mundo non eſtis*, mentis ſcilicet elevatione, quamvis ſitis per originem: ſupra VIII. 23. *Vos de deorſum eſtis; ego autem de ſupernis ſum*. Et hoc quidem, quia elevati eſtis a mundo, non ex vobis, ſed ex gratia mea: quia ſcilicet *ego elegi vos de mundo*: ſupra eodem: *Ego elegi vos: propterea*, quia ſcilicet de mundo non eſtis, *odit vos mundus*, ideſt mundi amatores, ut eis diſſimiles. Prover. XXIX. 27. „ Abominantur iuſti impios, & abominantur impii eos qui „ in recta ſunt via. " Et ibidem: „ Viri ſanguinum oderunt &c. " Poteſt autem triplex ratio aſſignari quare mundus odit ſanctos. Prima eſt diverſitas conditionis, quia ſcilicet mundus in morte eſt; ſed ſancti ſunt in ſtatu vitæ. I. Ioan. III. 13. „ Nolite mirari, „ fratres, ſi odit vos mundus. Nos ſcimus „ quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, „ quam diligimus fratres. " Et ideo dicit Sapien. II. 15. „ Gravis eſt nobis etiam ad „ videndum. " Secunda ratio eſt diſplicentia correctionis. Nam ſancti viri & verbis, & factis mundi facta reprehendunt; & ideo mundus odit eos. Amos V. 10. „ Odio habuerunt „ corripientem in porta. " Supra VII. 7. *Me autem odit*, ſcilicet mundus, *quia teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt*. Tertia ratio eſt iniquitas emulationis, qua mali invident viris iuſtis, cum eos vident creſcere, & multiplicari in bonitate, & ſanctitate; ſicut AEgyptii videntes creſcere filios Iſrael, habebant eos odio, & perſequebantur: Exod. I. Et Geneſ. XXVII. dicitur, quod videntes fratres Ioſeph, quod cunctis plus amaretur, oderant eum.

(d) Hic explicat rationes ſupradictas: & primo primam, quæ pertinet ad exemplum; ſecundo ſecundam, quæ pertinet ad cauſam odii,

(a) *Al.* tamen. (b) *Al.* quod ſuum eſt.

odii, ibi, *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum*. Circa primum duo facit. Primo commemorat diverſitatem gradus ſui ad diſcipulos; ſecundo oſtendit ſimilitudinem (*a*) factorum, ibi, *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*. Diverſitas gradus Chriſti ad diſcipulos erat, quia ipſe Dominus erat, illi autem ſervi. Unde ſupra XIII. 16. dicit: *Non eſt ſervus maior domino ſuo*. Hanc ergo diverſitatem commemorat, dicens: *Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis*, ſupra XIII. 16. ſcilicet quod *non eſt ſervus maior domino ſuo*. Ergo non debet eſſe vobis indignum, ſi patiamini ea quæ paſſus eſt Dominus (*b*) veſter; immo debetis vobis reputare hoc ad magnam gloriam. Unde Matth. XX. 22. diſcipulis petentibus ſedere unus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram, dixit: „Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?" Eccli. XXIII. 38. „Gloria magna eſt ſequi Dominum." Matth. X. 25. „Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter eius."

Sed contra. Supra eodem dixit: *Iam non dicam vos ſervos*; hic autem (ex cap. XIII. 16.) *Non eſt ſervus maior domino ſuo*. Reſpondeo dicendum, quod duplex eſt ſervitus. Una procedens ex timore ſervili, ſcilicet pœnæ; & ſecundum hanc Apoſtoli non erant ſervi: alia ex timore caſto; & talis ſervitus erat in Apoſtolis. Luc. XII. 37. „Beati ſervi illi quos cum venerit dominus invenerit vigilantes."

(e) Si ergo eſtis ſervi, & ego Dominus, debetis eſſe contenti quod ea fiant vobis quæ facta fuerunt mihi. Me autem quidam contempſerunt, & quidam receperunt: ſupra I. 11. *In propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: & vos ſimiliter ſi aliqui contemnent, aliqui tamen honorabunt. Unde dicit: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*: ubi ponitur ſimilitudo factorum: quia eadem eſt ratio perſecutionis quam exercebant in diſcipulos, & in Chriſtum, quia in diſcipulis Chriſtum perſequebantur. Act. IX. 4. in perſecutione diſcipulorum Chriſtus dicebat ſe perſequi: „Saule, Saule, quid me perſequeris?" Et ideo propter identitatem cauſæ ſequitur conſequentia: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*. Matth. X. 25. „Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos eius?" De iſta perſecutione dicitur Matth. XXIII. 34. „Ecce mitto ad vos ſapientes, & ſcribas; & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem." Et ſimiliter eadem ratio eſt honorationis: & ideo dicit: *Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt*: quia verba veſtra ſunt mea verba. II. Corinth. ult. III. „An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?" Matth. X. 20. „Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis." Et ideo Luc. X. 16. dicit: „Qui vos audit, me audit." Quod autem recepti ſint ab aliquibus Apoſtoli, & honorati, patet I. Theſ. II. 13. „Et vos cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed, ſicut eſt vere, verbum Dei."

(f) Hic explicat rationem conſolationis, quæ ſumitur ex cauſa odii. Apoſtoli enim electi erant, & elevati ſupra mundum, inquantum erant effecti participes divinitatis, & coniuncti Deo; & ideo mundus eos odio habebat: ex quo ſequitur quod potius Deum in eis, quam ipſos mundus odiret. Et huius odii cauſa erat, quia non habebant veram Dei notitiam, ſcilicet per veram fidem, & devotum amorem: alias ſi cognoviſſent eos Dei amicos, eos non fuiſſent perſecuti. Et ideo dicit: *Hæc omnia*, quod odiunt, & perſequuntur vos, *facient vobis propter nomen meum*: & ideo debet vobis eſſe glorioſum. I. Petr. IV. 15. „Nemo noſtrum patiatur quaſi fur, aut homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor: ſi autem ut Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine." Non autem *propter nomen meum*, quaſi ipſum ament, ſed quia ipſum odio habent. Sicut e contrario vos patiemini propter nomen meum, quia ipſum amatis. Et hæc facient, *quia neſciunt eum qui me miſit*. Supra VIII. 19. *Si me ſciretis, & Patrem meum utique ſciretis*. Neſciebant enim Deo eſſe acceptum, quod Chriſto adhærerent. Sed attendendum, quod hic loquitur de cognitione perfecta, quæ conſiſtit in fide perficiente intellectum, & coniungente Deo affectum: de qua cognitione dicitur Hier. IX. 24. „In hoc glorietur qui gloriatur, ſcire, & noſſe me." Sap. XV. 3. „Noſſe te, ſenſus eſt conſummatus &c."

(a) *Al.* ſauctorum. (b) *Al.* noſter.

LECTIO VI.

(a) SI non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent. (b) Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.

(c) Qui me odit, & Patrem meum odit.

(d) Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.

(e) Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.

(f) Sed ut adimpleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis.

(g) Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre ſpiritum veritatis qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.

(a) SUpra Dominus tractans de perſecutione quæ diſcipulis a Iudæis superventura erat, rationem aſſignavit: quia neſciunt eum qui miſit eum. Sed quia ignorantia excuſare ſolet, ideo hic eos oſtendit eſſe inexcuſabiles; & hoc dupliciter. Primo per ea quæ ipſe perſonaliter circa eos fecit, & docuit; secuudo per ea quæ in eius abſentia futura erant, ibi, *Cum autem venerit Paraclitus &c.* Circa primum duo facit. Primo oſtendit eos iuexcuſabiles eſſe propter veritatis doctriuam; ſecundo propter ſignorum evideutiam, ibi, *Si opera non feciſſem*. Circa primum tria facit. Primo oſtendit quid eis poſſit ad excuſationem ſuffragari; ſecundo oſteudit eos hoc ſuffragio carere, ibi, *Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*; tertio oſtendit ex qua radice procedit eorum perſecutio, ibi, *Qui me odit, & Patrem meum odit*. Dicit ergo, quod *hæc omnia facient vobis propter nomen meum*: & quidem de his excuſari poſſent, *ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem*; ideſt, ſi non oſtendiſſem me perſonaliter, & eos perſonaliter non docuiſſem, *peccatum non haberent*.

Sed contra. Rom. III. 23. „ Omnes peccaverunt, & egent gratia Dei. " Sed dicendum, quod non loquitur hic Dominus de quocumque peccato, ſed de peccato iufidelitatis, quod non credunt in Chriſtum, quod anthonomaſice peccatum dicitur, quia iſto peccato exiſtente, nullum aliud peccatum remitti poteſt; cum nullum peccatum remittatur niſi per fidem Ieſu Chriſti, per quam eſt iuſtitia, ut dicitur Rom. v. Et ideo idem eſt quod dicit, *Peccatum non haberent*, ac ſi diceret: Non imputaretur eis quod in me non credunt. Et hoc primo, quia „ fides eſt ex auditu, " Rom. x. 17. Unde ſi non veniſſet, & locutus eis non fuiſſet, non potuiſſent credere. Nulli autem imputatur ad peccatum, ſi non facit quod nullo modo facere poteſt.

Et ſi dicatur, quod tenebantur, & credere poterant, etiam ſi Chriſtus non veniſſet, cum fuerit eis annuntiatum per Prophetas: Rom. I. 2. „ Quod ante promiſerat per Prophetas „ ſuos in Scripturis ſauctis de Filio ſuo &c. " reſpondendum eſt, quod nec ipſa verba Prophetarum Iudæi per ſe credere, & iutelligere poterant, niſi eis divino auxilio oſtenderentur. Dan. XII. 9. „ Clauſi ſunt, ſignati„ que ſermones uſque ad tempus. " Unde Act. VIII. 31. dicebat Eunuchus: „ Quomo„ do iutelligere poſſum niſi aliquis oſtenderit „ mihi? " Sic ergo ſi Chriſtus non veniſſet, hoc peccatum, ſcilicet infidelitatis, nou haberent; quamvis alia peccata actualia habuiſſeut, propter quæ fuiſſent puniti. Et ſimilis ratio eſt de omnibus illis ad quos prædicatio verbi Dei pervenire non potuit. Uude non imputatur eis ad condemnationem, infidelitatis peccatum; ſed privati beneficio Dei propter alia eorum peccata actualia, & originalia, damnabuntur.

Sciendum autem quod multis Chriſti adventus, & doctrina ceſſit in bonum, illis ſcilicet qui eum receperunt, & ſermonem ſuum ſervaverunt; & multis ad malum, illis (a) ſcilicet qui nec eum audire, nec ei credere voluerunt. Eſa. VIII. 14. „ Erit vobis iu la„ pidem offeuſiouis, & in petram ſcandali „ duabus domibus Iſrael; in laqueum, & rui„ nam habitantibus Hieruſalem. " Luc. II. 14. „ Poſitus eſt hic iu ruinam, & iu reſur„ rectionem multorum. "

(b) Sic ergo poſuit per quid ab iufidelitate excuſari poſſent. Sed hoc excuſationis ſuffragio carent, quia & eis perſonaliter ſe exhibuit Chriſtus, & eos docuit: uude dicit: *Nunc autem*, ſcilicet ex quo veni, & locutus fui, *excuſationem non habent*, ſcilicet per ignorantiam, *de peccato ſuo*. Rom. I. 20. „ (b) Ita „ ut ſint inexcuſabiles: quia cum cognoviſ„ ſent Deum, non ſicut Deum glorificave„ runt."

(a) *Al. deeſt* ſcilicet. (b) *Al.* Ut iam.

„ runt. “ Quod autem ipſi cognoverint Chriſtum, patet Matth. xxi. 7. „ Hic eſt heres: „ venite, occidamus eum. “ Sed cognoverunt eum eſſe Chriſtum promiſſum in lege, non autem eſſe Deum: quia „ ſi hoc cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. “ Non ergo eſt eis iguorantia ad excuſatiouem: quia nun ex ignorantia hoc fecerunt, ſed ex alia radice, ſcilicet ex odio, & certa malitia.

(c) Unde ſubdit: *Qui me odit, & Patrem menm odit*; quaſi dicat: Non ignurautia, ſed odium quod habuerunt ad me, eſt eis ad peccatum; & hoc, quia redundat in odium Patris. Cum enim Filius, & Pater unum ſint in eſſentia, veritate, & bonitate, & omnis cugnitio alicuius ſit per veritatem quæ in ipſo eſt; quicumque diligit Filium, diligit & Patrem; (*a*) & quicumque cognoſcit uuum, cognoſcit & alium; & qui odit Filium, odit & Patrem.

Sed hic eſt duplex quæſtiu. Prima, utrum aliquis poſſit Deum odio habere. Ad quod diceudum, quod Deum, inquantum Deus eſt, nullus poteſt odio habere; cum Deus ſit pura eſſentia bonitatis, quæ cum ſit ſecundum ſe diligibilis, impoſſibile eſt quod ſecundum ſe ab aliquo odiatur. Unde hæc eſt ratio quare impoſſibile eſt quod malus Deum videat. Impoſſibile eſt enim Deum videri ab aliquu, quin diligatur: qui autem Deum diligit, bonus eſt: unde hæc ſunt incompoſſibilia, ſcilicet quod aliquis Deum videat, & ſit malus. Poteſt tamen aliquis Deum odio habere, ſecundum aliquid altud; puta, qui amat voluptatem, odit Deum ut prohibentem voluptatum ſruitioues: & qui quærit immuuitatem, odit Dei iuſtitiam punientem.

Secunda quæſtio eſt: quia nullus poteſt habere odiu quod iguorat; Iudæi autem ignorabant Patrem: ſupra eodem: *Neſciunt eum qui me miſit*: nou ergo verum videtur quod dicit: *Et Patrem meum odit*. Sed dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod aliquis poteſt aliquid diligere, vel odire, quod numquam vidit, neque ſecundum veritatem cognoſcit; ſed fama (*b*) de eo bene, ſeu male ſermocinante. Sed hoc poteſt contingere dupliciter. Unu modo quod habeatur odio, ſeu diligatur ſecundum ipſam eius perſonam, (*c*) vel ſecundum id quod de eo narratur: ſicut ſi audiam aliquem eſſe ſurem, odio eum, uon quia ipſam eius perſonam cognoſcam, vel odiam, ſed quia cummuuiter odio omnem furem: unde ſi eſſet fur, & ego eum furem eſſe ueſcirem, haberem eum odio, uec tamen ſcirem me eum odire. Iudæi autem habebaut odio Chriſtum, & veritatem quam prædicabat. Uude cum ipſa veritas, quam Chriſtus prædicabat, eſſet in voluntate Dei Patris, & opera quæ Chriſtus faciebat; ſimiliter (*d*) ſicut Chriſtum odio habebant Patrem; licet ipſi neſcireut illa eſſe in voluntate Patris.

(d) Hic oſtendit eos inexcuſabiles eſſe per ſignorum evidentiam. Poſſent enim dicere, quod ex verbis quæ contra eos dicit, non conviucuutur; & ideo verba mirabilibus ſactis confirmat, dicens: *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et primo oſtendit quod poſſent aliquatenus excuſabiles eſſe; ſecundo radicem peccati eorum oſtendit; tertio inducit auctoritatem. Secundum ſacit ibi, *Nunc autem viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum*; tertium ibi, *Ut impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt*.

Circa primum ponitur duplex quæſtio. Una quæ eſt de veritate autecedentis, ſcilicet *Si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit &c.* & quæritur utrum Chriſtus fecerit aliqua bona opera in eis quæ uullus alius fecerat. Et videtur quod nou: quia ſi dicatur quod Chriſtus ſuſcitavit mortuos, hoc & Elias & Eliſeus fecerunt. Si Chriſtus ambulavit ſupra mare, Moyſes mare diviſit. Sed Ioſue, quod maius eſt, fecit, ſcilicet ſolem ſtare. Inconvenienter ergo videtur Chriſtus eos arguere, uec videtur couſequentia habere veritatem.

Reſponſio. Dicendum, ſecuudum Auguſtinum, quod Duminus non loquitur hic de quibuſcumque miraculis ſactis in eis, ideſt in conſpectu eorum, ſed de factis in eis, ideſt in perſonis eorum. Nam in curatione infirmorum nullus tantum in eis fecit quantum Chriſtus, quamvis etiam iu aliis ſimiliter: quia nullus homo alius factus eſt Deus, & nullus natus de virgine niſi Chriſtus. Fecit ergo in eis opera quæ nullus alius fecit in curatione infirmorum; & hoc iu tribus. Primo quidem in magnitudine: quia mortuum quatriduanum ſuſcitavit, cæcum natum illuminavit, quod a ſæculo non eſt auditum, ut dicitur ſupra ix. Secundo in multitudine, quia umnes quotquot male habebant, curabat, ut dicitur Matth. xiv. quod nullus alius fecit. Tertio in modo: quia alii faciebant invocando, oſtendentes ſe non propria virtute facere; ſed Chriſtus faciebat imperando, quia pruprìa virtute. Marc. i. 27. „ Quæ eſt hæc doctri- „ ua nova? quia in virtute, & poteſtate „ etiam ſpiritibus immundis imperat, & „ ob-

(a) *Al.* & quicumque cognoſcit unum & alium. (b) *Al.* ab eo. (c) *Al.* *omittitur* vel. (d) *Al.* ſicut Chriſtus &c. & odio &c.

Digitized by Google

„ obediunt ei. “ Sic ergo licet alii mortuos ſuſcitarent, & alia miraculoſa facerent, quæ Chriſtus fecit; non tamen eo modo, nec propria virtute, ut Chriſtus. Similiter quod dicitur de ſtatione ſolis minus eſt eo quod Chriſtus moriens lunam retrocedere fecit, & totum curſum firmamenti mutavit, ut Dionyſius dicit.

Secunda quæſtio eſt de veritate conditionalis, utrum ſcilicet, ſi Chriſtus non feciſſet in eis opera quæ nemo alius fecit, immunes eſſent a peccato infidelitatis. Reſponſio. Dicendum: Si nos loquamur de quibuſcumque miraculis, haberent excuſationem, ſi in eis facta non fuiſſent per Chriſtum. Nullus enim poteſt ad Chriſtum venire per fidem niſi tractus. Supra VI. 44. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Et ideo Cant. I. 3. dicit Sponſa: „ Trahe me poſt „ te: curremus in odorem unguentorum tuo„ rum. “ Unde ſi nullus eſſet qui eos traxiſſet ad fidem, excuſabiles eſſent de infidelitate.

Sed eſt attendendum, quod Chriſtus attraxit verbo, ſignis viſibilibus, & inviſibilibus, ſcilicet movendo, & inſtigando interius corda. Proverb. XXI. 1. „ Cor Regum in manu „ Dei. “ Eſt ergo opus Dei inſtinctus interior ad bene agendum: & qui ei reſiſtunt, peccant; alias fruſtra dixiſſet Stephanus Act. VII. 5. „ Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſ„ tiſtis. “ Et Eſai. l. v. „ Dominus aperuit „ mihi aurem (ſcilicet cordis;) ego autem „ non contradico. “ Eſt ergo hoc quod Dominus dicit, *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit*, intelligendum non ſolum de viſibilibus, ſed etiam de interiori inſtinctu, & attractu doctrinæ: quæ quidem ſi in eis non feciſſet, peccatum non haberent. Sic ergo patet quomodo excuſari poſſent, per hoc ſcilicet, ſi in eis non feciſſet opera miraculoſa.

(e) Hic oſtendit ex qua radice peccatum infidelitatis incurrerent, ſcilicet ex odio, propter quod operibus viſis non credebant: unde dicit: *Nunc autem viderunt*, ſcilicet opera quæ in eis fecit, *& oderunt me, & Patrem meum*. Prov. I. 29. „ Eo quod exoſam „ habuerunt diſciplinam, & timorem Do„ mini non ſuſceperunt. “ Et, ſicut Gregorius dicit, ſunt nonnulli in Eccleſia qui non ſolum bona non faciunt, ſed etiam perſequuntur, & quæ ipſi facere negligunt, etiam in aliis deteſtantur: (*a*) unde horum peccatum non ex infirmitate, aut ignorantia, ſed ex ſolo ſtudio perpetratur.

(f) Quia poſſent dicere: Si ita eſt quod Iudæi oderunt te, & Patrem tuum, quare in eis miracula facis? ideo reſpondens dicit, quod hoc facit *ut impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt*.

Sed hic dubitatur de hoc, quod cum ſcriptum ſit in Pſalmis, dicit quod in lege eorum ſcriptum eſt. Ad quod dicendum eſt, quod lex in Scriptura accipitur tripliciter. Quandoque enim communiter pro toto veteri teſtamento; & ſic accipitur hic: quia tota doctrina veteris teſtamenti ordinatur ad obſervantiam legis. (*b*) Matth. ult. „ Me„ mentote mei &c. “ Quandoque ſumitur ſecundum quod dividitur contra agiographa, & Prophetas. Luc. ult. XLIV. „ Oportet im„ pleri omnia quæ ſcripta ſunt in Prophetis, „ & lege (ſcilicet Moyſi,) & Pſalmis; “ quibus etiam (*c*) annumerantur agiographa. Quandoque autem ſumitur lex prout dividitur ſolum contra Prophetas; & tunc agiographa numerantur cum Prophetis. Dicit ergo: *Ut impleatur ſermo qui in lege eorum*, ideſt in Pſal. XXXIV. 19. *ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis*; ideſt, non propter commodum conſequendum, vel incommodum vitandum, propter hoc enim homo aliqua odit quæ non fuerunt in Chriſto; immo dabat eis occaſionem amoris, ſanans, & docens eos. Act. X. 38. „ Pertranſiens benefaciebat. “ Hier. XVIII. 20. „ Numquid redditur pro bono „ malum, quia foderunt foveam animæ „ meæ? “ Ibid. II. 5. „ Quid iniquitatis „ invenerunt in me patres veſtri, quia elon„ gaverunt a me? “

(g) Hic oſtendit quod non ſunt excuſabiles propter ea quæ poſt eum ſuperventura erant: quia habituri erant alia teſtimonia, ſcilicet Spiritus ſancti, & etiam Apoſtolorum: & primo ponit id quod ſuperventurum erat ex parte Spiritus ſancti; ſecundo id quod futurum erat ex parte Apoſtolorum, ibi, *Et vos teſtimonium perhibebitis &c.* Quantum ad Spiritum ſanctum quatuor tangit. Primo quidem libertatem; ſecundo ſuavitatem; tertio proceſſionem; quarto operationem. Libertatem quidem, ſeu poteſtatem, cum dicit: *Cum venerit Paraclitus &c.* Ille enim proprie venire dicitur qui ſponte, & propria auctoritate vadit; & hoc convenit Spiritui ſancto, qui *ubi vult, ſpirat*: ſupra III. 8. Sapient. VII. 7. „ Invocavi, & venit in me Spiritus ſapien„ tiæ. “ Hoc ergo quod dicit, *Mittam*, non coactionem deſignat, ſed originem. Suavitatem tangit cum dicit, *Paraclitus*, ideſt conſolator. Nam cum ſit amor Dei, facit nos ter-

(a) *Al. deeſt* unde. (b) *Citatio redundans*. (c) *Al.* numerantur.

terrena contemnere, & Deo adhærere : unde dolorem & triſtitiam de nobis excludit, & gaudium de divinis miniſtrat. Galat. v. 22. „ Fructus Spiritus eſt caritas, gau-„ dium, pax &c. “ Act. ix. 31. „ Eccleſia „ replebatur conſolatione Spiritus ſancti &c.“ Tertio ponit proceſſionem Spiritus ſancti duplicem. Primo quidem temporalem, cum dicit: *Quem ego mittam vobis a Patre &c.*

Ubi ſciendum eſt, quod Spiritus ſanctus mitti dicitur, non quaſi locum mutans, cum ipſe impleat orbem terrarum, ut dicitur Sap. 1. ſed quia novo modo per gratiam incipit habitare in eis quos templum Dei facit. I. Corinth. iii. 15. „ Templum Dei eſtis, & Spiritus „ Dei habitat in vobis. “ Nec eſt contrarium quod Spiritus ſanctus dicitur mitti, & venire: nam in hoc quod venire dicitur, manifeſte apparet maieſtas divinitatis ipſius, „ qui operatur prout vult, “ I. Corinth. xii. 6. Dicitur autem mitti ut oſtendatur proceſſio ipſius ab alio: quod enim creaturam rationalem inhabitando ſanctificet, ab alio habet, a quo habet ut ſit; ſicut Filius ab alio habet quicquid operatur. Eſt etiam attendendum, quod miſſio Spiritus ſancti communiter eſt a Patre, & Filio: quod ſignatur Apocal. ult. 1. „ Oſtendit mihi fluvium aquæ „ vivæ (ideſt Spiritum ſanctum) proceden-„ tem a ſede Dei, & agni, “ ideſt Chriſti. Ideo circa miſſionem Spiritus ſancti facit mentionem de Patre, & Filio, a quibus æquali & eadem virtute mittitur. Et ideo quandoque introducit Patrem mittentem, non tamen abſque Filio: ſicut ſupra xiv. 26. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo.* (*a*) Quandoque autem introducit ſeipſum mittentem non ſine Patre, ſicut hic cum dicit: *Quem ego mittam vobis a Patre*: quia ſcilicet Filius (*b*) quicquid operatur, habet a Patre. Supra v. 19. *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam.* Secundo ponit proceſſionem æternam, ubi ſimiliter Spiritum ſanctum oſtendit pertinere ad Filium, cum dicit, *Spiritum veritatis*: ipſe enim eſt veritas: ſupra xiv. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*: & ad Patrem, cum dicit, *Qui a Patre procedit*. Sic ergo quod dicit, *Spiritum veritatis*, idem eſt ac ſi diceret ſpiritum Filii. Galat. iv. 6. „ Miſit Deus ſpiritum Filii ſui in cor-„ da veſtra. “ Et quia hoc nomen ſpiritus quamdam impulſionem importat; omnis autem motus habet effectum convenientem ſuo principio, ſicut calefactio facit calidum: conſequens eſt ut Spiritus ſanctus eos in quos mittitur, ſimiles faciat ei cuius eſt ſpiritus: & ideo cum ſit ſpiritus veritatis, *docet omnem veritatem*, ut infra xvi. 13. dicitur: & Iob xxxii. 8. „ Inſpiratio Omnipotentis dat in-„ telligentiam. “ Et ſimiliter quia eſt ſpiritus Filii, facit filios. Rom. viii. 15. „ Ac-„ cepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. “ Dicit autem, *Spiritum veritatis*, ad differentiam ſpiritus mendacii. Eſa. xix. 14. „ Dominus „ miſcuit in medio AEgypti ſpiritum erro-„ ris. “ III. Reg. ult. 22. „ Egrediar, & „ ero ſpiritus mendax in ore omnium Pro-„ phetarum eius. “

Sed quia dicit, *Qui a Patre procedit*; & non addit a Patre, & Filio, dicunt Græci, quod Spiritus ſanctus non procedat a Filio, ſed ſolum a Patre; quod omnino eſſe non poteſt. Non enim poſſet Spiritus ſanctus diſtingui a Filio niſi vel ipſe procedat a Filio, vel e converſo Filius ab eo; quod nullus dicit. Non enim poteſt dici, quod in divinis perſonis, quæ ſunt omnino immateriales, & ſimplices, ſit materialis diſtinctio, quæ eſt ſecundum diviſionem quantitatis, cui ſubſtat materia. Unde oportet quod diſtinctio perſonarum divinarum ſit ad modum diſtinctionis formalis, quam oportet eſſe ſecundum aliquam oppoſitionem. Nam quæcumque formæ non oppoſitæ ſe compatiuntur ad invicem in eodem, non diverſificant ſuppoſitum; ſicut album, & magnum. Unde in divinis perſonis, quia innaſcibilitas, & paternitas non opponuntur, pertinent ad unam perſonam. Si igitur Filius, & Spiritus ſanctus ſunt perſonæ diſtinctæ procedentes a Patre, oportet quod aliquibus proprietatibus (*c*) oppoſitis diſtinguantur, non autem oppoſitis ſecundum affirmationem, & negationem, aut ſecundum privationem, & habitum: quia ſic Filius, & Spiritus ſanctus ſe haberent ad invicem ſicut ens, & non ens, & ſicut perfectum, & privatum; quod repugnat æqualitati ipſorum: nec etiam ſecundum oppoſitionem contrariorum, quorum unus eſt perfectius altero. Unde relinquitur quod per ſolam oppoſitionem relativam diſtinguatur Spiritus ſanctus a Filio. Hæc autem oppoſitio non poteſt niſi ex hoc eſſe quod unus eorum refertur ad alterum: nam diverſæ relationes duorum ad aliquod tertium, non directe ſibi opponuntur, niſi forte ex conſequenti per accidens. Unde relinquitur (*d*) quod ad hoc quod diſtinguatur Spiritus ſanctus a Filio, oportet attribui eis oppoſitas relationes, quibus ad invicem opponantur. Nec poſſunt aliæ inveniri niſi relationes originis, ſecundum quod unus eſt ab alio. Ergo impoſſibile

(a) *Al.* Quoniam. (b) *Al.* quicquid operatur a Patre. (c) *Al.* oppoſitionis, (d) *Al. deeſt* quod.

ſibile eſt, ſuppoſita Trinitate perſonarum, quin Spiritus ſanctus ſit a Filio.

Dicunt autem quidam, quod Spiritus ſanctus, & Filius diſtinguuntur ſecundum differentiam proceſſionum, inquantum Filius eſt a Patre naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo. Sed adhuc redit eadem quæſtio quæ oritur ex opinione præmiſſa, quomodo differant hæ duæ proceſſiones. Non enim poteſt dici, quod diſtinguantur per diverſa per generationem accepta: ſicut generatio hominis, & equi differunt ſecundum diverſas naturas communicatas. Eamdem enim divinam naturam accipit Filius a Patre naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo. Unde relinquitur quod ſolum ſecundum ordinem originis diſtinguantur, inquantum ſcilicet nativitas Filii eſt] principium proceſſionis Spiritus ſancti. Unde ſi Spiritus ſanctus non eſſet a Filio, nec diſtingueretur a Filio, nec proceſſio a nativitate. Unde etiam Græci aliquem ordinem confitentur Filii, & Spiritus ſancti: dicunt enim Spiritum ſanctum eſſe Filii, & Filium operari per Spiritum ſanctum; ſed non e converſo. Et aliqui etiam concedunt, quod Spiritus ſanctus eſt a Filio, nolunt tamen concedere quod Spiritus ſanctus procedat a Filio. Sed in hoc manifeſte proterviunt: utimur enim verbo proceſſionis in omnibus quæ quocumque modo ſunt ab alio. Et ideo hoc verbum ratione communitatis eſt accommodatum ad ſignandum exiſtentiam Spiritus ſancti a Filio, quæ non habet exemplum in creaturis, ex quo poſſit aſſumi aliquod proprium nomen eius, ſicut accipitur nomen generationis Filii: non enim in creaturis invenitur aliqua perſona procedens per modum voluntatis, ut amor, ſicut invenitur aliqua perſona procedens per modum naturæ, ut filius. Et ideo quocumque modo habeat ordinem Spiritus ſanctus ad Filium, poteſt concludi quod ab eo procedat.

Dicunt tamen aliqui Græcorum, quod non eſt dicendum Spiritum ſanctum procedere a Filio: quia hæc præpoſitio *a* vel *ab* apud eos deſignat principium non de principio, quod convenit ſoli Patri. Sed hoc non cogit, quia Filius cum Patre eſt unum principium Spiritus ſancti, ſicut etiam creaturarum. Quamvis autem Filius habeat a Patre quod ſit principium creaturarum, (*a*) tamen dicuntur creaturæ eſſe a Filio: unde eadem ratione poteſt dici, quod Spiritus ſanctus procedat a Filio.

Nec obſtat quod hic dicitur, *Qui a Patre procedit*; non autem a Patre, & Filio: quia ſimiliter dicitur, *Quem ego mittam*; & tamen intelligitur Pater mittere per hoc quod additur, *A Patre*: ita & per hoc quod additur, *Spiritum veritatis*, ideſt Filii, intelligitur quod a Filio procedit. Semper enim, ut dictum eſt, coniungitur Filius Patri, & e converſo circa proceſſionem Spiritus ſancti; & ſic diverſo modo loquendi ad deſignandum diſtinctionem perſonarum.

Quarto ponit operationes Spiritus ſancti cum dicit: *Ille teſtimonium perhibebit*: & hoc tripliciter. Primo quidem inſtruendo diſcipulos, & fiduciam eis præbendo ad teſtificandum. Matth. x. 20. „ Non enim vos eſtis „ qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri „ qui loquitur in vobis. “ Secundo ſuam doctrinam communicando credentibus in Chriſtum. Hebr. 11. 4. „ Conteſtante Deo ſignis „ & prodigiis, & variis Spiritus ſancti di„ ſtributionibus. “ Tertio emolliendo audientium corda. Pſal. CIII. 30. „ Emitte ſpi„ ritum tuum, & creabuntur. “

Ultimo ponit quod futurum erat ex parte diſcipulorum, cum dicit: *Et vos teſtimonium perhibebitis*, Spiritu ſancto inſpirati. Act. 1. 8. „ Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in „ omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ul„ timum terræ. “ Et de hoc duplici teſtimonio dicitur Act. v. 32. „ Nos huius rei te„ ſtes ſumus, & Spiritus ſanctus, quem de„ dit Dominus omnibus obedientibus ſibi. “ Et addit teſtimonii idoneitatem, cum dicit: *Quia ab initio mecum eſtis*, ſcilicet prædicationis, & operationis miraculorum, ut poſſent teſtari de viſu, & auditu, ſecundum illud I. Ioan. 1. 1. „ Quod vidimus, & audivimus, „ annuntiamus vobis. “ Ex quo etiam poteſt accipi quod Chriſtus non fecit miracula in pueritia, ut in quibuſdam apocryphis habetur; ſed ſolum ex tunc ex quo diſcipulos congregavit.

(a) *Al.* cum.

CA-

CAPITIS DECIMISEXTI

LECTIO I.

(a) HAEc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.
(b) Abſque ſynagogis facient vos. Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arb tretur obſe uium te præſtare Deo.
(c) Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.
(d) Sed hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiſcamini quia ego dixi vobis.
(e) Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram.

(a) SUpra conſolatus eſt Dominus diſcipulos quibuſdam rationibus de ſuo receſſu, & de perſecutionibus, & tribulationibus eis ſuperventuris; hic eaſdem rationes maniſeſtius explicat. Et primo ponitur rationum explicatio ſupra poſitarum; ſecundo inſinuatur effectus explicationis in diſcipulis, ibi, *Dicunt ei diſcipuli: Ecce nunc palam loqueris &c.* Dominus autem, ſi bene conſiderentur ea quæ in ſuperioribus duobus capitulis dicta ſunt, diſcipulos conſolari intendebat de duobus: de receſſu ſuo, & tribulationibus eis ſuperventuris; & rationes ad hæc duo hic explicat ordine retrogrado. Cuius ratio eſt, quia cum receſſus ſuus ſtatim immineret, nec adhuc eis tribulationes ſuperventuras prænuntiaverat; ideo primo conſolatus eſt eos de receſſu. Sed quia iam ex prænuntiatis eis tribulationibus videbantur magis affici ad tribulationes, quam ad receſſum Chriſti; ideo hic primum conſolatur eos de bis tribulationibus ſuperventuris; ſecundo de receſſu ſuo, ibi, *Et nunc vado ad eum qui miſit me*. Circa primum tria facit. Primo maniſeſtat ſuam intentionem; ſecundo prænuntiat diſcipulis tribulationum perſecutionem, ibi, *Abſque ſynagogis facient vos &c.* tertio ſubdit perſecutionis rationem, ibi, *Et hac facient vobis*. Dicit ergo: Dixi, quod Iudæi oderunt me, & vos: quia non cognoverunt eum qui me miſit. Et ſunt inexcuſabiles; & Spiritus ſanctus, & vos teſtificabimini contra illos. Sed *hac* omnia ideo *locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini*; ideſt, ut cum venerint tribulationes quas prænuntio vobis, ſitis abſque ſcandalo. Et merito poſt promiſſionem Spiritus ſancti ſcandalum prohibet, quia Spiritus ſanctus eſt amor; „ amor autem Dei diffuſus „ eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſan„ ctum, qui datus eſt nobis: “ Rom. v. 5. & omnem propellit ſcandalum. Pſal. cxviii. 165. „ Pax multa diligentibus legem tuam, „ & non eſt illis ſcandalum. “ Amicorum autem eſt negligere damnum propter amicum, ut dicitur Proverb. xii. Amicis ergo Dei non eſt ſcandalum, pœnas, & damna pati pro Chriſto. Quia vero aute mortem Chriſti diſcipuli Spiritum ſanctum non acceperunt, ideo in paſſione Chriſti ſcandalizati ſunt. Matth. xxvi. 31. „ Omnes vos ſcanda„ lum patiemini in me in nocte iſta. “ Sed poſt adventum Spiritus ſancti omnino abſque ſcandalo fuerunt.

(b) Sed poſſent dicere diſcipuli: Numquid eſt nobis materia ſcandali? Immo, quia tribulationes multæ ſupervenient nobis: & primo quidem excluſionis; ſecundo interſectionis. Excluſionis quidem a conſortio Iudæorum: unde dicit: *Abſque ſynagogis facient vos*. Supra ix. 22. *Iam conſpiraverant Iudai, ut ſi quis confiteretur ipſum eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret*. Et hoc intantum invaluit quod aliqui ex principibus in Chriſtum credentes timebant propter hoc publice confiteri, ut habetur ſupra 12. Hanc excluſionem prænuntiat Luc. vi. 22. „ Beati eritis cum vos oderint „ bomines, & eiecerint nomen veſtrum tam„ quam malum propter Filium hominis. “

Sed numquid malum erat Apoſtolis extra ſynagogam Iudæorum fieri, cum ipſi eſſent ab ea receſſuri? Ad quod dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod in hoc erat eis tribulatio: quia per hoc dabat Dominus intelligere quod Iudæi non erant recepturi Chriſtum: nam ſi Chriſtum recepiſſent, eadem fuiſſet ſynagoga Iudæorum (a) & Eccleſia Chriſti; & qui converterentur ad Eccleſiam Chriſti, converſi ad ſynagogam Iudæorum fuiſſent.

Interſectionis autem: *Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe praſtare Deo*. Hæc quidem verba poſſunt accipi quaſi in conſolationem diſcipulorum dicta, ut ly *ſed* accipiatur adverſative: ut ſit ſenſus:

(a) *Al.* ut Eccleſia Chriſti; & qui couvertentur ad Eccleſiam &c.

Digitized by Google

ſenſus : Quaſi conſolari debetis ex hoc quod vobis facient. *Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*.

Sed qualis conſolatio poterat eis eſſe? Hæc ſcilicet, ut omnis qui interficeret eos, arbitraretur ſe obſequium præſtare Deo? Ad quod dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod per hoc quod dixerat, *Abſque ſynagogis facient vos*, dabatur intelligi quod illi qui converterentur ad Chriſtum, ſtatim a Iudæis occidendi erant: & ideo ad eorum conſolationem dicit eis Dominus, quod ram multos Chriſto acquiſituri erant, expulſi de Iudæorum congregationibus, ut eos extirpare non poſſent; & propter hoc mortem eis intentare ſtuderent, ne omnes ad nomen Chriſti ſua prædicatione converterent. Vel dicendum, quod in hoc prædixit eis tribulationem interfectionis.

Dicit autem, *Arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*, non diis, ut det intelligere hoc dici ſolum de perſecutione Iudæorum. Matth. XXIII. 34. „Ecce ego mitto ad vos ſapien„tes, & ſcribas; & ex illis occidetis, & „crucifigetis.“ Nam Martyres Chriſti occiſi ſunt a Gentilibus, non tamen illi arbitrati ſunt Deo, ſed diis ſuis ſolum obſequium ſe præſtare. Ideo autem Iudæi, Chriſti prædicatores occidentes, putabant Deo ſe præſtare obſequium, quia zelum Dei habebant, ſed non ſecundum ſcientiam: credebant enim quod deſereret Deum Iſrael quicumque converteretur ad Chriſtum. De iſta (*a*) interſectione dicitur in Pſal. XLIII. 22. „Propter te „mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſic„ut oves occiſionis.“

(c) Rationem dictorum aſſignat, dicens: *Et hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*: & primo rationem futuræ perſecutionis; ſecundo rationem prænuntiationis, ibi, *Sed hæc locutus ſum vobis*. Dicit ergo: Perſequentur vos; *& hæc facient vobis*, non propter zelum veritatis, ſed *quia non noverunt Patrem*, inquantum ſcilicet eſt Pater, *neque me*, Filium ſuum. Supra VIII. 19. *Si me ſciretis, & Patrem meum forſitan ſciretis*. I. Timoth. 1. 13. „Qui prius fui blaſphemus, „& perſecutor,... miſericordiam Dei conſecu„tus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.“

(d) Sed poſſet dici: Si per ignorantiam fidei Iudæi vos ſunt perſecuturi, quare ergo prædixit vobis? Et ideo cum dicit, *Sed hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiſcamini quia ego dixi vobis*, primo ponit cauſam prænuntiationis; ſecundo cauſam dilationis ad prænuntiandum, ibi, *Hæc autem ab initio non dixi*. Dicit ergo: Ideo autem *hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiſcamini quia ego dixi vobis*. Hora aliquorum venire dicitur quando poſſunt implere quod deſiderant, & facere quod volunt. Sapient. 11. 7. „Non prætereat nos flos tem„poris,“ ſcilicet apti ad voluptates exercendas. Hora ergo Iudæorum tunc veniet quando poterunt exercere perſecutiones in vobis. Sed hæc eſt hora nocturna. Lucæ XXII. 53. „Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tene„brarum &c.“ *Reminiſcamini quia ego dixi vobis*. Quod quidem ad duo valet. Quia ſcilicet quando recordari ſunt in tribulationibus exiſtentes, quod eas Chriſtus prædixerat eis, cognoverunt eius divinitatem, & magis confiſi ſunt de eius adiutorio. Item per hoc quod aliquis prævidit tribulationes ſibi imminentes, minus affligitur, quia prævifa iacula minus feriunt. Et rationem huius aſſignat Tullius in Lib. de Tuſculanis Quæſt. Bona enim & mala temporalia quanto magis cognoſcuntur, tanto minora reputantur. Divitiæ enim maiores reputantur a non habentibus eas, quam ab eiſdemmet, poſtquam habentur. Similiter etiam tribulationes antequam habeantur magis timentur, (*b*) & contriſtativæ creduntur antequam ſuperveniant, quam poſtquam ſupervenerunt, & præſentes ſunt. Malum autem quando præmeditatur, efficitur quaſi præſens, & ex ipſa præſentia minus reputatur. Unde dicit, quod ſapiens ex præmeditatione poteſt accipere conſolationem de triſtitia ſuperventura, quam aliqui recipiunt aſſiduitate triſtitiæ imminentis. Sic ergo duplici de cauſa eis tribulationes prænuntiat: ad ſpem eorum ſublevandam de eius adiutorio, & ad triſtitiam minuendam.

(e) Hic aſſignat cauſam quare non ante eis prædixit (*c*) hæc, ſcilicet *quia vobiſcum eram*. Quod poteſt referri ad duo prædicta. Primo ad ſublevandam ſpem: nam cum vobiſcum eram, de meo adiutorio confiſi non dubitabatis; modo autem quando videbitis me mori, dubitare poteritis de mea poteſtate: & ideo neceſſarium eſt ut prænuntiem futura per quæ cognoſcatis meam divinitatem, & poteſtatem. Vel poteſt referri ad ſecundum, ut ſit ſenſus: *Vobiſcum eram*, protegens vos, & totum pondus ſuper me ſuſcipiens. Infra XVII. 12. *Pater, cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos quos dediſti mihi*. Sed quia receſſurus ſum a vobis, totum pondus tribulationis remanebit vobis: & ideo oportet ut non ſint vobis improviſæ.

Sed videtur quod Dominus ante hanc horam prædixerit, quia alii tres Evangeliſtæ nar-

(a) *Al.* infectione. (b) *Al.* contriſtatim. (c) *Al.* hanc.

narrant, Dominum ante hoc tempus prædixiſſe diſcipulis quod tradendi eſſent ante Reges, & præſides, & in ſynagogis Iudæorum flagellandi. Sed dicendum, quod hoc non contrariatur huic quod Dominus dicit: *Hæc vobis ab initio non dixi*: quia illi dicunt, Dominum hoc dixiſſe in monte Oliveti, quod fuit imminente paſſione tribus diebus antequam ventum eſſet ad cœnam. Unde hoc quod dicit, *Ab initio*, non refertur ad tempus paſſionis, ſed ad tempus quo primo fuit cum diſcipulis, (*a*) ut Auguſtinus dicit. Sed contra hoc eſt, quod Matth. x. 16. dicitur quod Dominus prænuntiavit diſcipulis tribulationes ſuperventuras, non ſolum imminente paſſione, ſed ab initio electionis eorum. „ Ecce (inquit) mitto vos ſicut oves in medio „ luporum. " Et ideo dicendum, quod hoc quod dicit, *Ab initio*, non eſt intelligendum ſolum de tribulationibus ſuperventuris, ſed de adventu Spiritus ſancti, quem non prænuntiavit eis ab initio, ut Auguſtinus dicit. Vel dicendum, ſecundum Chryſoſtomum, quod intelligendum eſt de tribulationibus; & tunc quod dicit, *Ab initio*, dicit propter duo quæ hic eis de novo prædixit: unum ſcilicet, quod eſſent paſſuri tribulationes a Iudæis, quod eis ante non dixerat, ſed ſolum a Gentibus, ut patet Matth. x. aliud quod ſupra prædixit eis, quod flagella paſſuri eſſent; hic autem addit unum quod maxime poterat eos attonitos facere, ſcilicet quod mors eorum reputaretur a Iudæis obſequium.

LECTIO II.

(a) ET nunc vado ad eum qui miſit me; & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?

(b) Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.

(c) Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.

(a) SUpra explicavit Dominus rationes conſolatorias contra tribulationes diſcipulis ſuperventuras; hic explicat rationes conſolatorias de receſſu ſuo. Conſolatus eſt autem eos Dominus de receſſu ſuo triplici ratione. Primo ratione acceſſus eorum ad Patrem, quem promittebat: unde dicebat (ſupra xiv. 1.) *Non turbetur cor veſtrum ..... In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Secundo ratione Paracliti quem miſſurus erat: unde dicebat (ibid. 16.) *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Tertio ratione iteratæ ſuæ viſionis, quam aſſerebat (ibid. 18.) *Non relinquam*, inquam, *vos orphanos: veniam ad vos*. Has autem tres rationes explicat hic, ſed ordine retrogrado: & primo promiſſionem Spiritus Paracliti; ſecundo iteratam ſui viſionem, ibi, *Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me*; tertio introductionem ad Patrem, ibi, *Et in illo die me non interrogabitis*. Circa primum duo facit. Primo præmittit neceſſitatem conſolationis; ſecundo ponit eam, ibi, *Sed ego veritatem dico vobis &c.* Circa primum duo facit. Primo prænuntiat ſuum receſſum; ſecundo oſtendit huius prænuntiationis effectum, ibi, *Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum*. Recedit ergo ad Patrem vadens; & ideo dicit: *Vobiſcum eram*, uſque modo; ſed *nunc vado ad eum qui me miſit*, ideſt Patrem: quod quidem perfectionis eſt: tunc enim unaquæque res perficitur cum ad ſuum principium redit. Tob. xii. 20. „ Tempus eſt ut revertar ad eum qui me miſit. " Eccle. 1. 7. „ Ad locum unde exeunt „ flumina, revertuntur. " Ibat quidem ſecundum humanitatem ad eum apud quem ab æterno erat ſecundum divinitatem. Et hoc diffuſius expoſitum eſt in præcedentibus. Sed addit: *Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?*

Sed quid eſt hoc quod dicit? Nonne Petrus interrogavit ſupra xiii. 36. *Domine quo vadis?* & Thomas ſupra xiv. 5. *Neſcimus quo vadis?* Et ideo huic quæſtioni reſpondent Chryſoſtomus, & Auguſtinus; ſed aliter & aliter. Chryſoſtomus enim dicit, quod diſcipuli audientes quod deberent interfici, & abſque ſynagogis fieri, ita triſtati, & attoniti facti ſunt ut quaſi obliti de receſſu (*b*) Chriſti, & locutionem amittentes, eum de ſuo receſſu non interrogarent. Unde ſubdit: *Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum*. Et ſic Dominus dicens, *Et nunc vado ad eum qui miſit me*, (*c*) eos potius increpat, ſecundum Chryſoſtomum. Et hoc non interrogabant. Deut. xxxii. 7. „ Interroga pa„ trem tuum, & annuntiabit tibi. " Eccli.

vi.

(a) *Al. deeſt* ut. (b) *Al. deeſt* Chriſti. (c) *Al. omittitur* eos.

vi. 28. „ Inveſtiga illam, & manifeſtabitur tibi. “ Auguſtinus autem vnlt quod hoc quod dicit, *Nunc vado ad eum qui miſit me*, non ſit pro illo inſtanti quo loquebatur; ſed pro tempore quo aſcenſurus erat in cælum; quaſi diceret: Superius interrogaſtis me quo irem; ſed nunc ita vado quod non eſt neceſſe nt aliquis veſtrum interroget me, Quo vadis? Quia, ut dicitur Actor. i. 9. „ videntibus illis elevatus eſt. “

(b) Hic ponitur triſtitia, quæ eſt effectus prænuntiationis, ſecundum Chryſoſtomum; ſed ſecundum Auguſtinum triſtantur de receſſu: gaudebant enim de præſentia Chriſti quodam modo carnali affecti ad humanam eius ſpeciem; ſicut homo delectatur de præſentia amici: & ideo de receſſu eius triſtabantur. Pſal. xxix. 6. „ Ad veſperam (ſcilicet paſſionis) demorabitur fletus (in Apoſtolis) & „ ad matutinum (reſurrectionis) lætitia. “ Sed quia humanum eſt quod triſtitia cor tangat, vitioſum autem quod cor impleat, quia per hoc ratio turbatur; ideo quaſi arguens dicit: *Triſtitia implevit cor veſtrum*. Eccli. xxx. 22. „ Non des triſtitiam animæ tuæ. Supra xiv. 27. *Non turbetur cor veſtrum*.

(c) Hic ponitur ratio conſolationis, quæ eſt promiſſio Spiritus ſancti. Et primo promittit Spiritnm ſanctum; ſecundo prænuntiat eius effectum, ibi, *Et cum venerit ille &c.* Circa primum duo facit. Primo oſtendit receſſus ſui neceſſitatem; ſecundo receſſus utilitatem. Dicit ergo: *Triſtitia implevit cor veſtrum*, ſcilicet de receſſu meo; ſed eſt magis vobis gaudendum, quia *expedit vobis ut ego vadam*, ideſt valde vobis eſt neceſſarium, quia *ſi non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Item eſt vobis fructuoſum & utile: quia *ſi abiero, mittam eum ad vos*, ſcilicet Spiritum ſanctum.

Sed numquid non potuiſſet Chriſtus dare Spiritum vivens in carne? Dicendum quod ſic: quia etiam ſuper eum baptizatum Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit, & numquam ab eo receſſit, quem ab inſtanti ſuæ conceptionis recepit non ad menſuram. Sed noluit eum dare diſcipulis exiſtens cum eis, quadruplici ratione. Primo propter eorum indiſpoſitionem: nam Spiritui ſancto, cum ſit amor ſpiritualis, contrariatur amor carnalis. Diſcipnli autem quodam carnali amore afficiebantur ad Chriſti humanitatem, necdum elevati erant ſpirituali amore ad eius divinitatem; & ideo nondum capaces erant Spiritus ſancti. II. Corinth. v. 16. „ Ex „ hoc iam neminem ſecundum carnem noſcimus (ideſt ſecundum carnis affectum) & „ ſi cognovimus ſecundum carnem (Chriſtum „ ſcilicet ante paſſionem) ſed nunc iam non „ novimus. “ Secundo propter divini auxilii conditionem, quod maxime adeſt in neceſſitatibus. Pſal. ix. 10. „ Adiutor in opportunitatibus. “ Et iterum (Pſal. xxvi. 10.) „ Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me; (*a*) Dominus autem aſſumpſit „ me. “ Quamdiu autem Chriſtus erat cum eis, ſufficiens adiutorium erat cum eis; ſed eo recedente multis tribulationibns exponebantur: & ideo datus eſt eis ſtatim alius conſolator, & (*b*) adiutor. Unde ſignanter dicit (infra xiv. 16.) *Et alium Paraclitum dabit vobis*. Eſai. xxviii. 9. „ Quem docebit ſcientiam? .... Ablactatos a lacte, avnlſos ab „ nberibus. “ Tertio ex dignitatis Chriſti conſideratione: nam, ut Auguſtinus dicit in Libro de Trinitate, Chriſtus inquantum homo, non habet quod det Spiritum ſanctum, ſed inquantum Deus. Quando autem cum diſcipulis erat, videbatur eſſe quaſi homo unus ex eis. Ne ergo videretur quod homo eſſet qui daret Spiritum ſanctum, ideo ipſum ante aſcenſionem ſuam non dedit. Supra vii. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Ieſus erat glorificatus*. Sapien. ix. 10. „ Emitte „ illam a ſede magnitudinis tuæ. “ Quarto propter unitatem Eccleſiæ conſervandam: nam, ut ſupra x. 41. habetur, *Ioannes ſignum fecit nullum*: quod ideo fuit ne populus divideretur a Chriſto, & ut evidentior appareret eminentia ad Ioannem. Diſcipuli autem ipſo Spiritu replendi erant, ut etiam opera maiora facerent quam Chriſtus fecit: ſupra xiv. 12. *Et maiora horum faciet*: & ideo ſi ante paſſionem fuiſſet eis datus, potuiſſet verti in dubium apud populum quis eſſet Chriſtus; & ſic fuiſſet in eo diviſio. Pſal. lxvii. 19. „ Aſcendens in altum, dedit dona hominibus. “

Sed, ſecundum Chryſoſtomum, poteſt hic ſumi argumentum contra (*c*) Macedonianos dicentes, Spiritum ſanctum eſſe creaturam, & miniſtrum Patris, & Filii. Si enim ſic eſſet, non eſſet ſufficiens conſolatio de receſſu Chriſti adventus Spiritus ſancti: ſicut non eſſet ſufficiens conſolatio de receſſu Regis, ſi daretur unus de miniſtris ſuis loco eius. Quia ergo Spiritus ſanctus æqualis eſt Filio, ideo Dominus eos per promiſſionem Spiritus ſancti conſolatur.

Sed ſi æqnales ſunt Filius, & Spiritus ſanctus, quare expedit quod Filius recedat, ut veniat Spiritus ſanctus? Ideo ſcilicet quia re-

(a) *Al.* de inimicis autem. (b) *Al.* auditor. (c) *Al.* Macedones.

recedebat corporaliter, ac ſimul cum Spiritu ſancto veniebat inviſibiliter. Si enim Filius habitaſſet inviſibiliter, & diceret: Expedit ut recedam, quia veniet Spiritus ſanctus, utique maior eo Spiritus ſanctus reputaretur.

LECTIO III.

(a) ET cum venerit, ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.

(b) De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iuſtitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me; de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt.

(c) Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo.

(d) Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

(e) Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis.

(a) SUpra conſolatus eſt Dominus Apoſtolos per promiſſionem Spiritus ſancti; hic oſtendit utilitatem quam Spiritus ſanctus adveniens afferet eis: & ponit triplicem utilitatem: unam ex parte mundi; aliam ex parte diſcipulorum; & tertiam ex parte Chriſti. Ex parte quidem mundi, quia Spiritus ſanctus adveniens mundum arguet; ex parte diſcipulorum, quia eos inſtruet, ibi, *Adhuc multa habeo vobis dicere &c.* ex parte Chriſti, quia ipſum clarificabit, ibi, *Ille me clarificabit &c.* Circa primum duo facit. Primo ponit utilitatem adventus Spiritus ſancti quantum ad mundum; ſecundo exponit eam, ibi, *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Dicit ergo: Expedit vobis ut ego vadam, quia mittam Spiritum ſanctum ad vos; *& cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.* Quod dupliciter legitur. Uno modo ſecundum Auguſtinum, alio modo ſecundum Chryſoſtomum. Secundum Auguſtinum quidem hoc modo, *Cum venerit*, ſcilicet Spiritus ſanctus, *ille arguet*, ideſt reprehendet, *mundum*. Prov. IX. 8. „ Argue ſapientem, & diliget te. "

Sed numquid non etiam Chriſtus arguit mundum? Arguit quidem, ſupra VIII. 41. *Ex patre diabolo eſtis*; & Matth. XXIII. multa contra phariſæos, & ſcribas dicens. Quare ergo dicit, *Ille arguet*; quaſi ipſe non arguerit? Sed forte diceret aliquis, quod Chriſtus ſolos Iudæos arguit, Spiritus autem ſanctus in diſcipulis, & per diſcipulos arguit totum mundum. Sed huic contrariatur quod Chriſtus loquitur in Apoſtolis, & per Apoſtolos ſicut Spiritus ſanctus. II. Corinth. ult. 3. „ Experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? "

Et ideo dicendum, quod dixit: *Ille arguet mundum*, qui inviſibiliter penetrans corda veſtra, diffundet in eis caritatem, qua timore depulſo, arguendi habebitis poteſtatem. Quamdiu enim diſcipuli carnaliter ad Chriſtum afficiebantur, Spiritus ſanctus non erat in eis, ut dictum eſt, eo modo quo poſtea fuit: & ideo non erant ita audaces ſicut poſt eius adventum fuerunt. Pſal. XXXII. 6. „ Spiritu (*a*) oris eius omnis virtus eorum, " ſcilicet Apoſtolorum. II. Paral. XXIV. 20. „ Spiritus Domini induit Zachariam. " *Ille* etiam *arguet mundum*: quia corda quæ ante mundana fuerant, replens fecit quod ea ſe reprehenderent. Iob XIII. 15. „ Arguam vias meas coram illo &c. " Et hoc facit Spiritus ſanctus. Pſal. L. 12. „ Spiritum rectum innova in viſceribus meis. "

Sed de quo arguet? De tribus. *De peccato* quod commiſerunt. Eſai. LVIII. 1. „ Annuntia populo meo ſcelera eorum &c. " Et hoc Apoſtoli fecerunt. Pſal. XVIII. 5. „ In omnem terram exivit ſonus eorum. " Item *de iuſtitia*, quam neglexerunt. Eſai. XXIX. „ Iuſtitiam non fecerunt &c. " Et hoc (*b*) Apoſtoli fecerunt. Rom. III. 10. „ Non eſt iuſtus quiſquam. " Item *de iudicio*, quod contempſerunt: ut enim dicitur Prov. XVIII. 3. „ impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnet. " Ezech. V. 6. „ Contempſit iudicia mea &c. "

(b) Hic exponit: & primo quod dicit de peccato; & hoc *quia non crediderunt in me*. Solum de peccato infidelitatis arguit: quia per fidem omnia alia peccata dimittuntur. Matth. XXV. Dominus damnatis ſolum defectum miſericordiæ imputat: quia per miſericordiam omnia peccata purgantur. Prov. XV. 27.

(a) *Al.* operis. (b) *Al. omittitur* Apoſtoli.

27. „ Per miſericordiam, & fidem purgantur „ peccata. “ Sic ergo & hic, quia infidelitate manente, peccata (*a*) cetera detinentur, & ea diſcedente cetera dimittuntur. Dicit autem: *Quia non crediderunt in me*: & non dicit Mihi, vel Me: quia dæmones credunt Chriſtum eſſe, & contremiſcunt: Iac. II. Sed *in me*, per fidem formatam ſperando, & diligendo. Secundo *de iuſtitia*, & hoc *quia ad Patrem vade &c*. Quod quidem poteſt dupliciter exponi: quia vel de iuſtitia Chriſti, vel de iuſtitia Apoſtolorum. De iuſtitia quidem Apoſtolorum ſic: *de iuſtitia* noſtra, quod non ſunt imitati. Iuſtitia dico non ex lege, ſed ex fide. Rom. III. 22. „ Iuſtitia autem „ Dei per fidem Ieſu Chriſti. “ Fides autem de inviſibilibus eſt: Heb. XI. Diſcipuli autem aliquid videbant, ſcilicet eius humanitatem, & aliquid non videbant, ſcilicet eius divinitatem; ſed hoc promittit eis in præmium. Supra XIV. 21. *Manifeſtabo eis meipſum*. Habebant ergo diſcipuli fidem de Chriſto quantum ad divinitatem tantum; ſed quando ſubtracta fuit eis humanitas Chriſti, tunc eorum fides erat de utroque: & ideo, ſecundum Auguſtinum ſuper Ioan. dicit: *Quia vado ad Patrem, & iam non videbitis me*; quaſi dicat: Vos creditis in me ſecundum divinitatem, & *quia vado ad Patrem*, credetis in me etiam quantum ad humanitatem: quam quidem fidei iuſtitiam mundus non imitatur. Sed dicit: *Et iam non videbitis me*: non quod numquam ſint eum viſuri, ſed quia non viſuri ſunt eum in iſta carne mortali. Viderunt eum in reſurrectione, ſed immortalem exiſtentem; & videbunt eum in iudicio, ſed in maieſtate venientem. De iuſtitia quidem Chriſti exponit de Verbis Domini. Iudæi enim noluerunt recognoſcere, quod Chriſtus iuſtus eſſet. Supra IX. 24. *Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt*. Arguet eos de hac iuſtitia, dicens: *Quia ad Patrem vado*: quia hoc ipſum quod ad Patrem vado, iuſtitiæ meæ eſt. Quod enim Chriſtus deſcendit, miſericordiæ fuit; ſed quod aſcendit, eius iuſtitiæ debitum. Phil. II. 9. „ Propter quod & Deus ex- „ altavit illum &c. “ Tertio arguit mundum *de iudicio*; & hoc *quia princeps huius mundi*, ideſt diabolus, qui eſt princeps mundi, ideſt mundanorum, non creatione, ſed ſuggeſtione, & imitatione. Sap. II. 25. „ Imitantur „ eum qui ſunt ex parte illius. “ Iob XLI. 25. „ Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuper- „ biæ. “ Hic ergo princeps *iam iudicatus eſt*, ideſt expulſus foras. Supra XII. 31. *Nunc iudicium eſt mundi*, ideſt pro mundo, *nunc princeps huius mundi eiicietur foras*. Et hoc dicit ut tollat excuſationem hominum, qui ſe de peccatis excuſant propter tentationem diaboli; quaſi dicat: Excuſari non poſſunt, quia expulſus eſt diabolus per gratiam, & fidem Chriſti, & Spiritum ſanctum a cordibus fidelium; ita ut iam non tentet interius ſicut ante, ſed ſolum exterius per exercitationem permiſſus; & ideo reſiſtere poſſunt ei qui volunt adhærere Chriſto. Et inde eſt quod debiles feminæ diabolum vicerunt, a quo tamen fortiſſimi viri ſuperati ſunt. De hoc ergo iudicio mundus arguitur, quia a diabolo vincitur reſiſtere nolens, & a ſe expulſum, (*b*) per conſenſum peccati reducens. Rom. VI. 12. „ Non regnet peccatum (*c*) in „ veſtro mortali corpore. “ Vel aliter, ſecundum eumdem in Libro de Verbis Domini: ut quod dicit, *Iam iudicatus eſt*, intelligatur de iudicio condemnationis; ideſt, iam condemnatus eſt ipſe; & per conſequens omnes qui adhærent ei. Matth. XXV. 41. „ Ite ma- „ ledicti in ignem æternum, qui paratus eſt „ diabolo, & angelis eius. “ Arguitur etiam mundus de iudicio: quia ſciens mundi huius principem condemnatum eſſe, non evadit etiam ipſe hoc iudicium; ſed cum ſuo principe iudicatur, quoniam ſuperbum, atque impium imitatur.

Secundum Chryſoſtomum, aliter a capite exponitur: *Cum venerit*, ſcilicet Spiritus ſanctus, *ille arguet*, ideſt convincet, *mundum de peccato*; quaſi diceret: Ipſe Spiritus ſanctus erit argumentum quoddam contra mundum. Heb. II. 4. „ Conteſtante Deo ſignis, & pro- „ digiis &c. “ Et de hoc peccato oſtendet eos graviter peccaſſe, *quia non crediderunt in me*, cum videbunt quod Spiritus ſanctus in nomine meo dabitur fidelibus. Actor. V. 32. „ Nos teſtes huius rei ſumus, (*d*) & Spiri- „ tus ſanctus, quem dedit Deus omnibus ob- „ edientibus ſibi. “ *De iuſtitia*, quam ſcilicet ego habeo, quam tamen mundus non reputavit me habere: & hoc quia vado ad Patrem, & mittam vobis Spiritum, ſcilicet qui oſtendet me iuſtum, & irreprehenſibilem duxiſſe vitam. Supra XV. 26. *Quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis*. Quia hoc dicitur in Pſal. LXVII. 19. „ Poſtquam aſcendit Chri- „ ſtus in altum, dedit dona hominibus. “ *De iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt*; ideſt, ex hoc ipſo quod per Spiritum ſanctum iudicatur, ideſt expellitur a cordibus fidelium. Zach. XIII. 2. „ Spiritum im- „ mundum eiiciam. “ I. Corinth. II. 12. „ Nos „ ſpiritum huius mundi non accepimus, ſed „ ſpi-

(a) *Al.* & cetera. (b) *Al.* per confeſſionem peccati. (c) *Al.* in noſtro. (d) *Al.* quoniam Spiritus ſanctus dedit.

„ ſpiritum qui ex Deo eſt. " Et de hoc iudicio arguet, quia ipſi male iudicaverunt, quod dæmonium haberet, & quod in Beelzebub eiiceret dæmonia: de quo convincentur, quia Spiritus ſanctus, quem ego mittam, ipſum dæmonem condemnabit, & eiiciet.

(c) Hic ponit utilitatem adventus Spiritus ſancti ex parte diſcipulorum, quæ eſt ipſorum inſtructio: & primo ponit inſtructionis neceſſitatem; ſecundo promittit inſtructionem, ibi, *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* tertio excludit dubitationem, ibi, *Non enim loquetur a ſemetipſo*. Dicit ergo: Utilis erit adventus Spiritus ſancti mundo, quia arguet eum. Sed & vobis utilis erit ad inſtruendum; qua quidem inſtructione indigetis, quia *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo;* quaſi dicat: Ego vos inſtruxi, ſed non adimplemini. Iob xxvi. 14. „ Ecce hæc ex parte dicta „ ſunt verborum eius: & cum vix parvam „ ſtillam ſermonis eius audierimus, quis pot- „ erit tonitruum magnitudinis illius intue- „ ri? " Quærere autem quæ ſunt iſta multa quæ portare non poterant, eſt ſtultum, ut dicit Auguſtinus. Nam ſi ipſi portare non poterant, multo magis & nos non poſſumus.

Hoc (a) tamen quod dicit, *Non poteſtis portare modo*, diverſi hæretici aſſumunt ad ſui erroris velamentum, dum bis qui eis adhærent, quædam in occulto dicunt turpiſſima, quæ non auderent dicere in manifeſto; quaſi hæc ipſa ſint quæ tunc diſcipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus ſanctus quæ palam docere, atque prædicare ſpiritus hominis erubeſcit. Non eſt ergo intelligendum quod aliqua ſecreta doctrinæ taceantur fidelibus parvulis, ſeorſum docenda maioribus; ſed omnibus fidelibus proponuntur ea quæ fidei ſunt. Matth. x. 27. „ Quod in aure audi- „ ſtis, prædicate ſuper tecta. " Sed aliter proponenda ſunt rudibus, aliter peritis; ſicut quæ ſubtilia ſunt de myſterio incarnationis, & aliis (b) huiuſmodi, non ſunt rudibus proponenda; quia cum intelligere non poſſent, ſcandalizarentur. Omnia ergo quæ fidei erant, Dominus propoſuit eis, ſed non eo modo quo poſtea revelavit, & præcipue in vita æterna. Sic ergo quæ portare non poterant, ſunt plena cognitio divinorum, quam non habebant tunc; puta æqualitatem Filii ad Patrem, & huiuſmodi. Unde Paulus, II. Corinth. 12. 4. „ Audivi arcana verba, quæ non licet „ homini loqui: " quæ non erant de alia veritate quam fidei, ſed altiori modo. Item ſpiritualis intellectus omnium Scripturarum, quem tunc non habebant; ſed quando „ ape- „ ruit eis ſenſum ut intelligerent Scriptu- „ ras: " Luc. ult. 45. Item paſſiones, & pericula quæ paſſuri erant, quæ tunc non poterant, quia animi eorum imbecilles erant. Eccli. vi. 26. „ Subiice humerum tuum, & „ porta illam. " Sic ergo neceſſaria erat eis inſtructio.

(d) Hic promittit eis inſtructionem, quam conſequentur in adventu Spiritus ſancti, qui docebit eos omnem veritatem. Cum enim ſit a veritate, eius eſt docere veritatem, & facere ſimiles ſuo principio. Et dicit, *Omnem veritatem*, ſcilicet fidei, quam docebit poſt per quamdam elevatam intelligentiam in vita iſta, & eamdem plenarie in vita æterna, ubi cognoſcemus ſicut & cogniti ſumus: I. Corinth. xiii. Et I. Ioan. ii. 27. „ Unctio do- „ cebit vos &c. " Vel *omnem veritatem*, figurarum legis, quam adepti ſunt diſcipuli per Spiritum ſanctum. Unde Daniel. 1. dicitur, quod dedit Dominus pueris illis ſapientiam, & intelligentiam.

(e) Hic excludit dubitationem, quæ poterat eſſe. Si Spiritus ſanctus docebit eos, videtur ſcilicet quod eſſet maior Chriſto; quod non eſt, quia docebit eos virtute Patris, & Filii: *quia non loquetur a ſemetipſo*, ſed a me, quia a me erit. Sicut enim Filius non operatur a ſemetipſo, ſed a Patre, ita Spiritus ſanctus, quia eſt ab alio, ſcilicet a Patre, & Filio, *non loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet*, accipiendo ſcientiam, ſicut & eſſentiam ab æterno, *hæc loquetur*, non corporaliter, ſed intrinſecus in mente illuminando. Oſeæ ii. 14. „ Ducam eam ad ſolitudi- „ nem, & loquar ad cor eius. " Pſal. lxxxiv. 9. „ Audiam quid loquatur in me Dominus „ Deus. "

Sed cum audierit ab æterno, quid eſt hoc quod dicit, *Audiet*, in futuro? Sed dicendum, quod æternitas includit omne tempus; & ideo poteſt Spiritus ſanctus, qui ab æterno audit, dici audire in præſenti, in præterito, & futuro. Sed tamen aliquando dicitur audire in futuro propter hoc quia illa quorum notitiam habet ſunt futura. *Loquetur* ergo *quæcumque audiet*: quia non ſolum docebit æterna, ſed futura; & ideo ſubdit: *Et quæ ventura ſunt annuntiabit vobis*; quod eſt proprium divinitatis. Sapient. viii. 8. Signa & „ monſtra ſcit antequam fiant. " Eſa. xli. 23. „ Quæ ventura ſunt annuntiate nobis; & „ ſciemus quia dii eſtis vos. " Hoc enim eſt proprium Spiritus ſancti. Ioel. ii. 28. „ Ef- „ fun-

(a) *Al.* Ex hoc tamen. (b) *Al. deeſt* huiuſmodi.

Digitized by Google

„ fundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem; & prophetabunt filii veſtri, & filiæ „ veſtræ. " Apoſtoli autem habuerunt ſpiritum prophetiæ. Vel *docebit omnem veritatem*, ſcilicet figurarum.

Sed ne dubitarent quomodo ſcirent de futuris tribulationibus, quas eis prænuntiaverat, ideo ſubdit: *Et quæ ventura ſunt*, ſcilicet ſuper vos, *annuntiabit vobis*.

L E C T I O IV.

(a) ILle me clarificabit:
(b) Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.
(c) Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt.
(d) Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

(a) SUpra poſitus eſt duplex fructus adventus Spiritus ſancti, ſcilicet mundi arguitio, & diſcipulorum inſtructio; hic ponitur tertius fructus, ſcilicet Chriſti clarificatio; & primo proponit fructum clarificationis; ſecundo manifeſtat rationem ipſius, ibi, *Quia de meo accipiet*; tertio ſubditur manifeſtatio rationis, ibi, *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*. Dicit ergo: *Docebit omnem veritatem*, quia *ille me clarificabit*, in quo eſt omnis veritas. Supra XIV. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*. Coloſſ. II. 3. „ In quo (ſcilicet „ Chriſto) ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & „ ſcientiæ. " *Clarificabit me*; ideſt, meam notitiam claram faciet, primo quidem diſcipulos illuminando: quia adhuc carnales erant, & ad Chriſtum afficiebantur ſecundum carnem, ideſt ſecundum infirmitatem carnis, non cognoſcentes divinitatis eius maieſtatem, cuius poſtmodum per Spiritum ſanctum ſunt capaces effecti. I. Corinth. II. 10. „ Nobis au„ tem revelavit Deus per Spiritum ſuum. " Secundo fiduciam clare annuntiandi præbendo: nam diſcipuli ante timidi erant, ita ut non auderent Chriſtum publice confiteri; ſed Spiritu ſancto repleti, timore depulſo, annuntiaverunt hominibus Chriſtum, ab ipſo Spiritu quodammodo impulſi. Eſai. LIX. 19. „ Cum venerit quaſi fluvius violentus quem „ Spiritus Domini cogit. " Unde & Apoſtolus dicebat (II. Corinth. V. 14.) Caritas „ Chriſti urget nos. " Tertio opera mirifica in Apoſtolis, & per Apoſtolos faciendo. I. Corinth. XII. 11. „ Hæc omnia operatur unus „ atque idem Spiritus. "

(b) Hic ponitur ratio clarificationis, quæ eſt, quia Filius eſt principium Spiritus ſancti. Omne enim quod eſt ab alio, manifeſtat id a quo eſt: Filius enim manifeſtat Patrem, quia eſt ab ipſo. Quia ergo Spiritus ſanctus eſt a Filio, proprium eſt ut clarificet eum. Dicit ergo: Ideo *me clarificabit*, *quia de meo accipiet*. Accipere autem hoc non eſt intelligendum eo modo quo in creaturis. Tria enim ſunt in acceptione creaturarum, quorum duo non ſunt in divinis. Scilicet quia in creaturis aliud eſt quod accipit, & aliud quod accipitur, quod non eſt in divinis, cum perſonæ divinæ ſimplices ſint, nec in eis ſit aliud, & aliud; immo a quocumque accipit Spiritus ſanctus, accipit totam ſubſtantiam ſuam: ſimiliter & Filius. Aliud eſt quod in creaturis accipiens aliquando fuit non habens id qnod accipit; ſicut ſi materia accipiat formam, vel ſubiectum accidens: aliquando enim materia fuit ſine tali forma, & ſubiectum ſine tali accidente. Et hoc quidem non eſt in divinis, quia Filius ab æterno eſt habens quod accipit a Patre, & Spiritus ſanctus quod a Patre, & Filio accipit. Ergo Spiritus ſanctus a Filio, ſicut Filius accipit a Patre. Supra X. 29. *Pater quod dedit mihi, maius omnibus eſt*. Sic ergo accipere in divinis dicit ordinem originis.

Sed nota, quod cum dicit, *De meo accipiet*, ly *de* non importat participationem, ſed conſubſtantialitatem: quia totum accipit quod Filius habet. (*a*) Sicut enim Filius dicitur de ſubſtantia Patris, quia accipit totam ſubſtantiam Patris, ita & Spiritus ſanctus de ſubſtantia Filii, quia accipit totam ſubſtantiam eius. Quia ergo *de meo accipiet*, & ego ſum Verbum Dei, ideo *annuntiabit vobis*. Spiritus enim animalis nullo modo poteſt eſſe, niſi ſecundum quod procedit a verbo interius concepto.

(c) Hic ponitur rationis manifeſtatio, ubi Chriſtus probat quod Spiritus ſanctus accipiebat de ſuo propter unitatem, & conſubſtantialitatem Patris, & Filii: ubi primo ponit conſubſtantialitatem Patris, & Filii; ſecundo infert concluſionem intentam, ibi, *Propterea*

(a) *Al.* Sic.

ea dixi, quia de meo accipiet. Dicit ergo: *De meo accipiet*, quia *omnia qua habet Pater, mea ſunt*; quaſi dicat: Licet a Patre procedat Spiritus veritatis, tamen quia *omnia qua habet Pater, mea ſunt*, & ipſe Patris Spiritus eſt, & de meo accipiet.

Sed nntandum, quod habere dicimur aliquid dupliciter. Uno modo ſicut poſſeſſionem; alio mndn ſicut quod in nobis eſt; puta vel ſicut ſorma, vel ſicut pars. Pater ergn habet ſicut poſſeſſionem, & rem ſibi ſubiectam totam creaturam: Pſal. xxxii. 5. „ Domini eſt „ terra, & plenitudo eius: " habet etiam aliquid quod in ipſo eſt, immo quod eſt ipſe: quia ipſe eſt quicquid in ipſo Chriſto eſt, cum ipſe ſit ſua eſſentia, ſua bonitas, ſua veritas, & æternitas. De hoc ergo modo habendi loquitur. Et ſic quicquid habet Pater eſt Filii: quia eamdem ſapientiam, eamdem eſſentiam, eamdem bonitatem habet Filius quam habet & Pater. Supra v.26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*. Matth. xi. 27. „ Omnia „ mihi tradita ſunt a Patre meo. "

Sed, ſicut Didymus dicit, obiiciunt aliqui: Si omnia quæcumque habet Pater, & Filius, ergo cum Pater habeat paternitatem, ſequitur quod & Filius. Ad quod reſpondet, quod hæc quidem ratio haberet apparentiam, ſi Dominus diceret: Omnia quæ habet Deus, mea ſunt. Sed dicens, *Omnia qua habet Pater*, ſalvat diſtinctionem Patris, & Filii, dans intelligere quod omnia quæcumque habet Pater, ſua ſunt, præter id in quo diſtinguitur Pater a Filio. Nam Patris nomine ſe Filium declaravit; paternitatem qui Filius erat non ſibi uſurpavit.

Sed notandum, quod ſimpliciter concedimus hanc, ſciiicet Quicquid habet Pater, habet Filius; non tamen quod eo ordine habet Filius quo Pater habet. Nam Filius habet ſicut ab alio accipiens; Pater vero ſicut alii dans. Non ergo eſt diſtinctio in eo quod habetur, ſed in ordine habendi. Huiuſmodi autem relationes, ſcilicet paternitas, & filiatio huius ordinis diſtinctionem important: paternitas enim importat hoc quod eſt dare alii, filiatio vero accipere ab alio.

Sed quæritur utrum relatio in divinis ſit aliquid realiter. Videtur quod ſic: alias cum perſnnæ divinæ relationibus diſtinguantur, eorum diſtinctio non eſſet realis. Dicendum ergo, quod relatio in divinis dupliciter conſideratur. Unn modo per comparationem ad eſſentiam, ſeu perſonam Patris; & ſic relatio Patris non eſt alia res quam eſſentia, ſeu perſona Patris. Alio modo pnteſt conſiderari per comparationem ad oppoſitam relationem, puta ad filiationem; & ſic paternitas eſt relatio realis, quia ſecundum hoc importat ordinem naturæ, quem Pater dat Filio per æternam generationem: qui quidem ordo eſt in Deo ſecundum rei veritatem. Sic ergo ſi paternitas comparetur ad eſſentiam Patris, omnia quæcumque habet Pater, habet Filius, quia paternitas non eſt alia res ab eſſentia Patris; ſed non eo ordine habet, ut dictum eſt.

(d) Hic infert intentam concluſionem, quod Spiritus ſanctus accipiat a Filin. Fx neceſſitate enim oportet quod ſi omnia quæ habet Pater ſint Filii, & Filius ſit conſubſtantialis Patri, quod Spiritus ſanctus procedat a Filio ſicut procedit a Patre, ut Hilarius, & Didymus arguunt.

Ad quod ſciendum eſt, quod in qualibet proceſſione, ſeu origine rei creatæ dicimus, quod idem ſit quo agens agit, ſeu dat qund habet, & quod recipiens recipit: ſicut ignis generatus recipit formam ignis, quam ignis generans dat per ſormam ſuam. Sed hoc in origine divinarum perſonarum eſt quodammodo ſimile, ſcilicet quod idem eſt quo Pater dat naturam ſuam Filio, non voluntate, ſed natura, ideſt per naturam ſuam; ſed in hoc eſt diſſimile, quia in creaturis non eſt idem numero, quod communicatur, & quo communicatur, ſed ſpecie ſolum; ſed in divinis eſt eadem natura numero quam Pater dat Filio, & qua eam dat, ſeu communicat.

Sed attende quod dicimus, quod Filius accipit de ſubſtantia Patris, (*b*) ideſt ſubſtantiam Patris, & Spiritus ſanctus de ſubſtantia Patris, & Filii; & quod Pater virtute naturæ ſuæ dat Filio ſubſtantiam ſuam, & Pater, & Filius Spiritui ſancto. Sed tamen non dicimus, quod Pater de ſubſtantia ſit Filii, vel Pater, & Filius de ſubſtantia Spiritus ſancti: quia ly *de* importat conſubſtantialitatem cum ordine originis. Sic ergo Spiritui ſancto communicatur quod commune eſt Patri, & Filio. Oportet autem quod illud idem ſit principium communicationis in divinis, & quod communicatur. Si ergo eſſentia communicatur Spiritui ſancto, oportet quod communicans ſit eſſentia. Eſſentia autem eſt communis Patri, & Filio: oportet (*c*) ergo quod ſi Pater dat eſſentiam Spiritui ſancto, quod & Filius ſimiliter det: & ideo dicit, quia *omnia quacumque habet Pater, mea ſunt*. (*d*) Et ſi Spiritus ſanctus accepit a Patre, accipiet etiam a Filio:

(a) *Al.* compararetur. (b) *Al. omittitur* ideſt ſubſtantiam Patris. (c) *Al. deeſt* ergo. (d) *Al.* Et Spiritus ſanctus.

lio: & ideo dicit: *Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*: quia ſecundum quod a me accipit, ita annuntiabit vobis.

LECTIO V.

(a) MOdicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.

(b) Dixerunt ergo ex diſcipulis eius ad invicem: Quid eſt hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me; & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid eſt hoc quod dicit modicum? Neſcimus quid loquitur.

(c) Cognovit autem Ieſus quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me?

(d) Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

(e) Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius.

(f) Cum autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.

(g) Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.

(a) SUpra explicavit Dominus unam rationem conſolationis ex promiſſione Spiritus ſancti; hic explicat ſecundam, ſcilicet de iterata viſione ſua. Et primo ponitur viſionis iterata promiſſio; ſecundo inducitur diſcipulorum dubitatio, ibi, *Dixerunt ergo &c.* tercio ſubditur dubitationis ſatisfactio, ibi, *Cognovit autem Ieſus &c.* Iteratam autem viſionem promittit eis Dominus cum prænuntiatione receſſus ſui: quod ideo eis frequenter inculcat, ut dum ſæpe ipſum futurum præmeditantur, ipſum(a) abſentem tolerabilius ferant. Tria autem ponit conſolatoria. Brevem abſentiam, iteratam ſui præſentiam, & honorabilem diſceſſum. Abſentia quidem brevis eſt: quia *modicum & iam non videbitis me*: ut ly *modicum* referatur ad *non videbitis*; quaſi dicat: Futurum eſt ut tollar a vobis per mortem, *& iam non videbitis me*. Sed non debetis contriſtari, quia tempus hoc quo me non videbitis, modicum erit, quia exurgam diluculo, tertia ſcilicet die. Eſa. XXVI. 20. „ Abſcondere modicum ad momentum do„ nec pertranſeat indignatio. “ Sed iterata præſentia mei erit, quia *iterum modicum*, ideſt modico temporis poſt reſurrectionem ſpatio, ſcilicet quadraginta dierum: Act. I. 3. „ Per dies quadraginta apparens eis: “ *& videbitis me*. Infra XX. 20. *Gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino*. Et hoc quia honorabiliter recedo: *quia vado ad Patrem*. Act. I. 9. „ Videntibus illis elevatus eſt. “ Vel aliter, ut ly *modicum* referatur ad tempus ante eius mortem, & ſit ſenſus: *Modicum*, ſcilicet tempus exiſtet quo ſubtrahar a vobis, quia ſcilicet in craſtino. Supra XIII. 33. *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum*. *Et non videbitis me*, ſcilicet mortalem: quia ſupra XIV. 19. *Adhuc modicum & mundus me iam non videt*, ſcilicet mortalem, quia videbit eum in iudicio in maieſtate venientem; diſcipuli vero poſt reſurrectionem immortalem exiſtentem: quia, ut dicitur Act. X. 40. „ dedit eum manifeſtum „ fieri non omni populo, ſed teſtibus præor„ dinatis. “ Et ideo ſubdit: *Modicum*, ſcilicet durabit, *& videbitis*: quia ſcilicet modicum tempus fuit quo manſerit in morte. Eſa. LIV. 8. „ In momento indignationis abſcondi „ faciem meam parumper a te. “ Vel ly *modicum* poteſt referri ad tempus totius vitæ noſtræ uſque ad iudicium; & tunc videbimus eum in iudicio, & in gloria. Dicitur autem *modicum* in comparatione ad æternitatem. Pſal. LXXXIX. 4. „ Mille anni ante oculos „ tuos tamquam dies heſterna quæ præter„ iit. “ *Quia vado ad Patrem*, per reſurrectionem, & aſcenſionem. Supra XIII. 1. *Sciens Ieſus quia venit hora eius ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*.

(b) Hic ponitur diſcipulorum dubitatio: & primo ponitur eorum ad invicem collatio; ſecundo exprimitur dubitationis occaſio; ter-

(a) *Al.* præſentem.

tio deſcribitur dubitantium animus, & affectio. Conferebant quidem ad invicem diſcipuli ex verbis Domini, dicentes: *Quid eſt hoc quod dicit nobis modicum*? In quo commendanda eſt eorum reverentia ad Chriſtum, quæ tanta erat ut non præſumerent eum interrogare. Simile faciunt Angeli. Eſa. lxiii. 1. „ Quis eſt iſte qui venit de Edon, tinctis veſtibus de Boſra? “ Quibus tamen reſpondet, dicens: „ Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. “ Sed in hoc datur nobis intelligi quia nondum perfectum ſenſum habuerunt de verbis Chriſti, aut propter triſtitiam abſorbentem, aut propter verborum obſcuritatem. Matth. xv. 16. „ Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? “ Occaſio autem erat ipſe verborum contextus, quæ videbantur contrarietatem quamdam implicare. Satis enim intelligebant quod dicit, *Non videbitis me*; & *quia vado ad Patrem*: ſed hoc dubium inſerebat quod eumdem exiſtentem, & morientem poſt modicum viſuri erant. Nondum enim nota eis erat reſurrectio, quia hoc dicitur in Pſal. lxxxviii. 44. „ Quis eſt homo qui non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inſeri? “ Sap. ii. 1. „ Non eſt agnitus qui ſit reverſus (*a*) ab inferis. “ Et ideo dicit: *Quid eſt hoc quod dicit nobis modicum*? ſupple, quod videbitis me. Sed ad hanc dubitationem modeſte diſpoſiti erant. *Neſcimus*, inquiunt, *quid loquitur*. Nam, ut dicit Auguſtinus, aliqui non intelligentes verba Scripturæ blaſphemant, ſenſum proprium auctoritati Scripturæ præponentes; ſed alii modeſti, dum non intelligunt, ſuam ignorantiam confitentur: Sap. ix. 5. „ Infirmus homo, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicii, & legum: “ quod & hic diſcipuli faciunt: non enim aiunt, Male dicit, vel nihil; ſed eorum ignorantiæ aſcribunt quod non intelligunt.

(c) Hic ponitur manifeſtatio dubitationis: & primo ponitur dubitationis cognitio; ſecundo (*b*) manifeſtatio eius de quo dubitatur, ibi, *Amen amen dico vobis &c.* tertio inducitur ſimilitudo, ibi, *Mulier cum parit, triſtitiam habet*. Circa primum duo facit. Primo oſtendit quomodo dubitatio diſcipulorum a Chriſto cognoſcitur, cum dicit: *Cognovit autem Ieſus*, virtute divinitatis ſuæ, *quia volebant eum interrogare*, ſcilicet de eo quod dubitabant. Supra ii. 25. *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine*. I. Reg. xvi. 7. „ Homines vident quæ patent, Deus autem intuetur cor. “ Secundo quomodo verbo manifeſtatur: unde dixit eis: *De hoc quæritis inter vos &c.* Eſa. xlviii. 3. „ Audita feci ex tunc; repente operatus ſum, & venerunt. “

(d) Hic exponit dictum ſuum, removens dubitationem, non expreſſe ponens verba quæ dixerat, diſcipulis magis ſatisfaciens quam ſibi; ubi tria facit. Primo oſtendit alternationem gaudii, (*e*) & triſtitiæ; ſecundo interiorem triſtitiam; tertio conſequentem lætitiam. Dicit ergo quantum ad primum: *Amen amen dico vobis*, quia in hoc modico in quo non videbitis me, *plorabitis*, exterius emittendo vocem doloroſam, *& flebitis*, lacrymando. Thren. i. 2. „ Plorans ploravit in nocte (quantum ad primum) & lacrymæ eius in maxillis eius, “ quantum ad ſecundum. Hier. xxxi. 16. „ Quieſcat vox tua a ploratu. “ Interior autem eorum triſtitia erit per contrarietatem ad lætitiam mundi: unde dicit: *Mundus autem gaudebit*: quod poteſt intelligi particulariter quantum ad tempus paſſionis Chriſti; & ſic *mundus*, ideſt ſcribæ, & phariſæi, *gaudebit*, de occiſione Chriſti. Thren. ii. 16. „ Hæc dies quam expectabamus: invenimus, vidimus. “ Vel *mundus*, ideſt mali qui ſunt in Eccleſia, *gaudebit*, in perſecutione ſanctorum. Apoc. xvii. 8. „ Inhabitantes ſuper terram gaudebunt. “ Vel univerſaliter *mundus*, ideſt homines carnaliter viventes, *gaudebit*, in rebus mundanis. Eſa. xxii. 13. „ Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. “ Subſequitur triſtitia diſcipulorum, unde dicit: *Vos autem contriſtabimini*, ſcilicet de paſſionibus quas in mundo ſuſtinebitis, vel potius de occiſione mea. Sic & ſancti triſtantur de paſſionibus ſibi illatis a mundo, & de peccatis. II. Corinth. vii. 10. „ Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. “ Sed triſtitiam conſequetur lætitia: quia *triſtitia veſtra*, quam ſcilicet habebitis in paſſione, *vertetur in gaudium*, in reſurrectione. Infra xx. 20. *Gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino*. Sed univerſaliter omnium ſanctorum triſtitia vertetur in gaudium futuræ vitæ. Matth. v. 5. „ Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Pſal. cxxv. 6. „ Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. “ Flent enim ſancti tempore meriti, ſeminando; ſed gaudebunt tempore præmii, colligendo.

(e) Hic Dominus primo proponit ſimilitudinem; ſecundo adaptat eam, ibi, *Vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis*. Similitudinem autem proponit de muliere parturiente: unde

(a) *Al.* ad infernum. (b) *Al. deeſt* manifeſtatio. (c) *Al.* & iuſtitiæ.

de primo proponit eius triſtitiam de partu; ſecundo eius lætitiam de prole, ibi, *Cum autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium*. Dicit ergo quantum ad primum: *Mulier cum parit, triſtitiam habet*, ſenſibilem, ſcilicet maximam, *quia venit hora eius*, ſcilicet doloris. Pſal. xlvii. 7. „ Ibi dolores „ ut parturientis. " Per hunc dolorem datur intelligi dolor paſſionis Chriſti, qui maximus fuit. Thren. i. 12. „ O vos omnes qui tranſ- „ itis per viam, attendite, & videte ſi eſt „ dolor ſicut dolor meus. " Item ſanctorum pœnitentium de peccatis. Eſai. xxvi. 17. „ Sic- „ ut quæ concepit, dolens clamat in dolori- „ bus ſuis, cum appropinquavit ad partum; „ ſic facti ſumus a facie tua, Domine. "

(f) Hic proponit gaudium de evaſione. Ad partum enim ſequitur duplex gaudium: unum de evaſione doloris; aliud, & maius, de ortu prolis: quod quidem maximum eſt, ſi proles ſit maſculini ſexus; cum maſculus ſit quid perfectum, femina vero quid imperfectum, & occaſionatum. Hier. xx. 15. „ Ma- „ ledictus vir qui annuntiavit patri meo: Na- „ tus eſt tibi puer maſculus. " Gen. xxi. 6. quando Sara concepit, dixit: „ Riſum fecit „ mihi Dominus, & quicumque audierit, „ corridebit mihi. " Et ideo dicit: *Cum autem pepererit, iam non meminit preſſuræ*, gaudens de evaſione doloris, ſed magis *propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum*. Hæc autem ſimilitudo convenit quidem quantum ad Chriſtum, quia patiendo ſolvit mortis preſſuras, & novum hominem regenerans eſſe fecit; ideſt, (a) reddidit ad vitæ gloriæ novitatem, quæ nondum hominibus nota erat: unde non dicit, Natus eſt puer, ſed *Natus eſt homo in mundum*: quia ipſe Chriſtus exiſtens homo, ex mortuis novus reſurgebat, ut puer. Item convenit Eccleſiæ militanti, quæ in novitate vitæ ambulat. Item Eccleſiæ triumphanti, quæ ambulat in novitate gloriæ. Et non dicit, Non erit preſſura; ſed *quoniam non meminit preſſuræ*: quia etſi ſancti recordentur miſeriarum quas paſſi ſunt, cum in illa beatitudine gloriæ erunt, non tamen aliquid miſeriarum ex hoc in affectu experientur.

(g) Hic adaptat ſimilitudinem: & primo quantum ad præſentem triſtitiam, quam Apoſtoli tunc habebant, dicens: *Et vos igitur quidem nunc*, ideſt ex tempore paſſionis, *triſtitiam habetis*, de morte mea. Luc. ult. 17. „ Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad in- „ vicem, & eſtis triſtes? " Vel *nunc*, ideſt in tota vita præſenti, *triſtitiam habetis*. Supra eodem: *Plorabitis, & flebitis vos*. Secundo quantum ad futuram lætitiam, dicens: *Iterum autem videbo vos*. Ubi primo promittit eis futuram viſionem, dicens: *Iterum autem videbo vos*; quod idem eſt ac ſi diceret: Videbitis me, quia non poſſumus eum videre, niſi ſeipſum oſtendat. Sed non dicit, Videbitis me; ſed *Videbo vos*: quia hoc ipſum quod ſeipſum oſtendit, eſt ex miſericordia ſua quæ ſignatur per eius viſionem. Dicit ergo: *Iterum autem videbo vos*, in reſurrectione, & in futura gloria. Eſa. xxxiii. 17. „ Regem in „ decore ſuo videbunt. " Secundo promittit cordis gaudium, & exultationem, dicens: *Et gaudebit cor veſtrum*, ſcilicet ex mea viſione in reſurrectione. Unde cantat Eccleſia: „ Hæc „ dies quam fecit Dominus, exultemus, & „ lætemur in ea. " *Et gaudebit*, viſione gloriæ. Pſal. xv. 11. „ Replebis me lætitia cum „ vultu tuo. " Eſa. lx. 5. „ Tunc videbis, „ & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor „ tuum. " Naturale enim eſt unicuique quod gaudeat in intuitu rei amatæ. Divinam autem eſſentiam nullus niſi eam diligens videre poteſt. Iob xxxvi. 33. „ Annuntiat de ea a- „ mico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit. " Et ideo neceſſe eſt quod illam viſionem ſequatur gaudium. Eſa. ult. 14. „ Videbitis (cognoſcendo „ per intellectum) & gaudebit cor veſtrum; " immo ipſum gaudium uſque ad corpus redundabit, dum glorificabitur: unde ſubdit: „ Et „ oſſa veſtra germinabunt. " Matth. xxv. 21. „ Intra in gaudium domini tui. " Tertio promittit eis perpetuam gaudii durationem, dicens: *Et gaudium veſtrum*, quem habebiris in reſurrectione de me: Eſ. lxi. 10. „ Gaudens „ gaudebo in Domino: " *nemo tollet a vobis*: ſicut Iudæi ante abſtulerunt per paſſionem: quia (Rom. vi. 9.) „ Chriſtus reſurgens ex „ mortuis iam non moritur, mors illi ultra „ non dominabitur. " Vel *gaudium veſtrum*, de gloriæ fruitione, *nemo tollet a vobis*, cum ſit inamiſſibile, & perpetuum. Eſ. xxxv. 10. „ Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum. " Nemo enim ſibimetipſi hoc gaudium tollet per peccatum, cum uniuſcuiuſque voluntas ſit ibi in bono confirmata: nemo etiam alteri hoc gaudium tollet, cum ibi nulla ſit violentia, nulla illatio nocumenti &c.

(a) *Al.* deeſt reddidit.

LECTIO VI.

(a) ET in illo die me non interrogabitis quicquam. (b) Amen amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.
(c) Uſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo.
(d) Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.

(a) SUpra proſecutus eſt Dominus duas rationes confortantes Apoſtolos, ſcilicet ex promiſſione Paracliti, & reditu ſui; hic vero proſequitur tertiam rationem in qua confortavit eos ex promiſſione acceſſus eorum ad Patrem: & primo promittit eis familiarem acceſſum eorum ad Patrem; ſecundo aſſignat rationem dictorum, ibi, *Hac in proverbiis locutus ſum vobis*. Circa primum duo facit. Primo dat fiduciæ ſecuritatem; ſecundo hortatur eos ad uſum fiduciæ, ibi, *Uſque modo non petiſtis quicquam &c.* Circa primum duo facit. Primo excludit interpellationis neceſſitatem; ſecundo promittit impetrandi opportunitatem, ibi, *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Dicit ergo: *In illo die non interrogabitis me quicquam*. Ubi, ſecundum quod Auguſtinus dicit, ubi nos habemus *Rogabitis*, Græci habent quoddam verbum quod duo ſignificat, ſcilicet petere, & interrogare; & ideo poteſt dupliciter intelligi: *In illo die non me rogabitis quicquam*; ideſt nihil a me petetis: vel *nihil me interrogabitis*. Dicit ergo, *In illo die*. Quis autem ſit iſte dies, patet ex ſupra dictis, ſcilicet *Iterum autem videbo vos*. Quod poteſt intelligi de reſurrectione, & de viſione in gloria. De primo exponitur, ſecundum Chryſoſtomum. *In illo die*, ſcilicet quando a mortnis reſurrexero, *me non interrogabitis quicquam*; ideſt non dicetis: *Oſtende nobis Patrem*, & huiuſmodi.

Sed contra hanc expoſitionem obiicit Auguſtinus: quia diſcipuli poſt reſnrrectionem dicunt, Act. I. 6. „ Si in tempore hoc re„ ſtitues regnum Iſrael? “ Et infra uit. 19. interrogat Petrus dicens: *Hic autem quid*? Sed, ſuſtinendo expoſitionem Chryſoſtomi, dicendum, quod Dominus illum diem vocat non ſolum diem reſurrectionis, ſed etiam diem illum qno a Spiritu ſancto docendi erant. Supra eodem: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Et ſic confuſe loquens de tempore illo, includit etiam adventum Spiritus ſancti; quaſi dicat: *In illo die*, dato ſcilicet Spiritu ſancto, *me non interrogabitis*: quoniam ſcietis omnia per Spiritum ſanctum. I. Ioan. II. 27. „ Unctio docet nos „ de omnibus. “ Item, ſecundum eumdem: *In ille die*, adventus Spiritus ſancti, *non me interrogabitis quicquam*; ideſt, nulla erit vobis neceſſitas me rogandi.

Sed numquid poſt reſurrectionem Apoſtoli non fecerunt aliquam orationem Chriſto? Videtur quod ſic. II. Corinth. XII. 8. dicit Apoſtolus: „ Propter quod ter Dominum rogavi, “ ideſt Chriſtum. Reſponſio. Dicendum, quod in Chriſto erat duplex natura: ſcilicet humana, per quam eſt mediator Dei, & hominum: I. Timoth. II. & divina, per quam eſt Deus unus cum Patre. Chriſtus autem ſecundum quod homo, non erat talis mediator ut numquam nos Deo coniungeret, ſicut aliqui mediatores qui numquam extrema coniungunt. Coniungit ergo nos Patri. Eadem autem eſt coniunctio ad Deum Patrem, & ad Chriſtum (a) ſecundum divinam naturam: unde dicit: Non neceſſe habebitis ut utamini mea mediatione inquantum homo. Sic ergo *in ille die non rogabitis me*, quaſi mediatorem, quia per vos habebitis acceſſum ad Deum; ſed rogabitis me ut Deum. Et licet Chriſtus interpellet pro nobis, ut dicit Apoſtolus ad Rom. VIII. Eccleſia tamen non rogat eum interpellantem: unde non dicimus: Chriſte ora pro nobis: ſed rogat ipſum ut Deum, inhærens ei ut Deo, per amorem, & fidem.

Secundum Auguſtinum exponitur de die viſionis gloriæ, hoc modo. *In ille die*, quando videbo vos in gloria, *me non rogabitis*; ideſt, nil petetis, quia nil deſiderandum remanebit; cum omnia bona ſuperabundent nobis in patria. Pſal. XV. 10. „ Adimplebis me lætitia cnm vultu tuo. “ Et iterum, Pſal. XVI. 15. „ Satiabor cum apparuerit gloria tua. “ Item *nil interrogabitis*, quia pleni eritis cognitione Dei. Pſal. XXXV. 10. „ In lumine tuo „ videbimus lumen. “

Sed contra utrumque obiicitur, quia ſancti in patria orant: ſecundum illud Iob V. I. „ Voca ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad ali„ quem ſanctorum convertere. “ Et II. Mach. ult. dicitur, quod hic orabat pro populo ſuo. Nec

poteſt

(a) *Al.* ſecundum naturam.

poteſt dici, quod pro aliis rogent, non pro ſe: quia dicitur Apoc. vi. 10. „ Uſquequo „ non iudicas ſanguinem noſtrum? “ Item ſancti interrogant: erunt enim æquales Angelis, ut dicitur Matth. xxii. ſed Angeli interrogant dicentes (Pſal. xxiii. 8.) „ Quis „ eſt iſte Rex gloriæ? “ & in Eſa. lxiii. 1. „ Quis eſt iſte qui venit de Edom? “ quæ eſt vox Angelorum, ſecundum Dionyſium. Ergo & ſancti interrogant.

Sed quantum ad utrumque eſt duplex reſponſio. Prima, quia tempus gloriæ poteſt conſiderari dupliciter; ſecundum gloriæ inchoationem, & ſecundum plenariam conſummationem. Tempus autem inchoationis gloriæ eſt uſque ad diem iudicii: nam ſancti quantum ad animam receperunt gloriam; ſed aliquid adhuc expectant ad recipiendum, ſcilicet gloriam corporis in ſe, & quantum ad alios, ut impleatur numerus electorum: & ſic uſque ad iudicii diem & petere poſſunt, & interrogare; non tamen de his quæ pertinent ad eſſentiam beatitudinis. Tempus autem gloriæ conſummatæ plenarie eſt poſt diem iudicii, poſt quam nihil reſtat petendum, nihil cognoſcendum: & de eo dicit: *In illo die*, ſcilicet gloriæ conſummatæ, nil petetis, nil interrogabitis. Quod autem dicitur de Angelis, quod interrogant, verum eſt de myſteriis humanitatis & incarnationis Chriſti, non autem divinitatis.

(b) Hic promittit impetrandi opportunitatem: quod quidem continuatur dupliciter. Uno modo, ſecundum Chryſoſtomum, ut referatur ad tempus reſurrectionis, & adventum Spiritus ſancti; quaſi dicat: Verum eſt quod in illo die reſurrectionis, & Spiritus ſancti non interrogabitis me, tamen habebitis meum auxilium, quia petetis *in nomine meo*, a Patre, ad quem babebitis acceſſum per me. Alio modo, ſecundum Auguſtinum: *In illo die*, gloriæ meæ, *non rogabitis quicquam.* Sed interim dum in peregrinatione huius miſeriæ converſamini, *ſi quid petieritis Patrem*, *dabit vobis*. Et ſecundum hoc, *Si quid petieritis Patrem &c.* non refertur ad hoc quod dicit, *In illo die*, ſed ad ea quæ præcedunt illum diem. Ponit autem Dominus ſeptem conditiones bonæ orationis. Prima eſt ut petantur bona ſpiritualia; & hoc cum dicit, *Si quid*. Quod enim eſt penitus terrenum, etſi in ſe ſit aliquid, comparatum tamen ad ſpiritualia, nihil eſt. Sapient. vii. 8. „ Divitias ni„ hil eſſe duxi in comparatione illius. “ Hierem. iv. 23. „ Aſpexi terram, & vacua erat „ & nihil. “

Sed contra. Matth. vi. docet Dominus petere temporalia, ibi (verſ. 11.) „ Panem no„ ſtrum quotidianum. “ Sed dicendum, quod temporale petitum relatum ad ſpirituale iam eſt aliquid.

Secunda conditio eſt ut fiat cum perſeverantia; & quantum ad hoc dicit, *Petieritis*, quaſi perſeverando. Luc. xviii. 1. „ Oportet „ ſemper orare, & non deficere. “ Et I. Theſſ. v. 17. „ Sine intermiſſione orate. “ Tertia quod fiat cum concordia, cum dicit, *Petieritis*, in plurali. Matth. xviii. 19. „ Si „ duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de „ omni re quamcumque petierint fiet illis a „ Patre meo qui in cælis eſt. “ Unde Gloſſa Rom. ult. dicit, quod impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri. Quarta ut procedat ex filiali affectu, cum dicit, *Patrem*. Qui enim ex timore petit, non patrem, ſed dominum petit, vel hoſtem. Matth. vii. 11. „ Si vos noſtis bona data dare filiis veſtris, „ quanto magis Pater veſter qui in cælis eſt „ dabit bona petentibus ſe? “ Quinta ut fiat cum pietate, ideſt cum humilitate: Pſal. ci. 18. „ Reſpexit in orationem humilium, & „ non ſprevit preces eorum: “ cum fide impetrandi: Iac. i. 6. „ Poſtulet autem in fide, „ nihil hæſitans: “ & ordinate: Iac. iv. 6. „ Petitis, & non accipitis, eo quod male pe„ tatis. “ Et quantum ad hoc dicit, *In nomine meo*, quod eſt nomen Salvatoris, in quo nomine petit qui pertinentia ad ſalutem petit, & eo modo quo poteſt ſalutem conſequi. Act. iv. 12. „ Non eſt aliud nomen ſub cæ„ lo datum hominibus, in quo oporteat nos „ ſalvos fieri. “ Sexta ut fiat tempore debito; & ideo dicit, *Dabit*. Non enim oportet ſtatim decidere, ſi non accipiat; ſed profecto dabitur, etſi ut in tempore congruo detur, differatur, ut magis creſcat deſiderium. Pſal. cxliv. 15. „ Tu das eſcam illorum in „ tempore opportuno. “ Septima ut petat pro ſe, unde dicit, *Vobis*: quia aliquando pro aliis non exauditur, contrariantibus eorum demeritis, pro quibus fit petitio. Hier. vii. 16. „ Tu ergo noli orare pro populo iſto: “ & xv. 1. „ Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram „ me, non eſt anima mea ad populum i„ ſtum. “

(c) Hic hortatur eos ad uſum datæ fiduciæ: & primo commemorat defectum præteritum; ſecundo bortatur ad profectum futurum, ibi, *Petite*. Defectus præteritus eſt in non petendo: unde dicit: *Uſque modo non petiſtis quicquam*.

Sed contra. Matth. x. & Lue. ix. 1. „ Dedit eis poteſtatem ſuper omnia dæmonia, „ & ut languores curarent. “ Hæc autem orando faciebant: ergo aliquid petierunt in nomine Chriſti, & præcipue quia Lue. x.

17.

17. dicitur a diſcipulis: ,, Domine, in nomine tuo etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis. “

Et ideo dicendum, quod hoc poteſt dupliciter exponi. Uno modo ſic: *Uſque modo non petiſtis quicquam*, quod ſcilicet eſſet aliquid magnum, *in nomine meo*. Nam petitiones curationum corporalium modicæ ſunt in comparatione ad alia magna, quæ orando facturi erant: nec dum Spiritum adoptionis acceperant, quo ad ſpiritualia, & cæleſtia anhelarent. Et ſi dicis, quod petierunt aliquid magnum, ſupra XIV. 9. *Domine oſtende nobis Patrem*; dicendum, quod hoc non petebant a Patre de quo hic agit; ſed ſolum de Chriſto homine confiſi eum interpellabant mediatorem ut Patrem oſtenderet. Alio modo, quia dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*: in quo ante non petierant, non habentes perfectam cognitionem nominis Chriſti.

(d) Conſequenter cum dicit, *Petite, & accipietis*, hortatur eos ad profectum futurum, ut ſcilicet petant. Matth. VII. 7. ,, Petite, & dabitur vobis. “ *Petite*, inquam, *& accipietis*, ſcilicet quod petitis, *ut impleatur gaudium veſtrum*. Luc. X. 17. ,, Reverſi ſunt diſcipuli cum gaudio dicentes: Domine, in nomine tuo etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis. “ Et hoc modo quod dicit, *Gaudium veſtrum ſit plenum*, ponitur ut finis exauditionis. Vel poteſt poni ſicut res petita, ut ſit ſenſus: *Petite, & accipietis*: hoc, inquam, petatis, *ut gaudium veſtrum ſit plenum*. Ubi ſciendum, quod obiectum gaudii eſt bonum concupitum. Cum enim deſiderium ſit motus appetitus (*a*) in bonum, & gaudium quies eius in eo; tunc gaudet homo quando quieſcit in bono iam habito, ad quod deſiderium movebatur. Sed gaudium proportionatur bono habito; & de bono creato non poteſt haberi gaudium plenum, quia non quietat plene deſiderium & appetitum hominis: tunc ergo gaudium noſtrum erit plenum quando habebimus bonum illud in quo ſuperabundanter ſunt omnia bona quæ deſiderare poſſumus. Et hoc bonum eſt ſolum Deus, qui replet in bonis deſiderium noſtrum, ut dicitur in Pſal. CII. Ideo dicit: *Petite*, illud, *ut gaudium veſtrum ſit plenum*, ſcilicet frui Deo, & Trinitate, ut Auguſtinus dicit, quo amplius non eſt. Pſal. XV. 10. ,, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. “ Et quare? Quia (Sap. VII. 11.) ,, venerunt mihi omnia bona pariter cum illa; “ ideſt, cum contemplatione divinæ ſapientiæ.

LECTIO VII.

(a) HAEc in proverbiis locutus ſum vobis. Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis; ſed palam de Patre meo annuntiabo vobis.

(b) In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis:

(c) Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia a Deo exivi.

(d) Exivi a Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

(a) SUpra promiſit Dominus diſcipulis (*b*) familiaritatem, & acceſſum eorum ad Patrem; hic rationem huius familiaritatis aſſignat. Duo autem ſunt quæ dant homini fiduciam petendi ab aliquo, & familiaritatem, ſcilicet notitia, & dilectio: & ideo Dominus hanc duplicem rationem aſſignat. Prima ſumitur ex manifeſta Patris cognitione; ſecunda ex ſpeciali eius dilectione, ibi, *In illo die in nomine meo petetis*. Circa primum duo facit. Primo commemorat præteritam eorum de Patre cognitionem imperfectam; ſecundo promittit perfectam, ibi, *Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis*. Imperfectam quidem cognitionem habebant: unde dicit: *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis*. Proverbium proprie dicitur quod communiter eſt in ore omnium, ſicut illud (Prov. XXII. 6.) ,, Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea. “ Sed quia hæc quandoque obſcura ſunt, & metaphorica, inde eſt quod proverbium quandoque ſumitur pro parabola, in qua aliud dicitur, aliud ſignatur. Et hoc modo accipitur hic proverbium pro parabola, ideſt pro parabolica locutione. Poteſt autem hoc habere quadruplicem ſenſum. Primus eſt talis ſecundum litteram, ut referatur ad hoc quod immediate dixe-

(a) *Al.* ut bonum. (b) *Al.* familiarem acceſſum.

dixerat, hoc modo: Dixi vobis: *Uſque modo non petiſtis quicquam*, & quod in nomine meo petetis, & ſum quaſi obſcure, & *in proverbiis locutus*; ſed *venit hora* ut quæ obſcure dixi vobis, dicam ſtatim in manifeſto: unde ſubdit: *Ipſe Pater amat vos*; & *Exivi a Patre, & veni in mundum*. Et ſic videntur Apoſtoli intellexiſſe: unde his auditis dicunt ei: *Ecce nunc palam loqueris &c.* Secundus ſenſus eſt ut hoc quod dicit, *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis*, referatur ad totum quod in hoc Evangelio legitur de doctrina Chriſti; quod vero dicitur, *Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis*, referatur ad tempus gloriæ: quia enim nunc videmus per ſpeculum, & in ænigmate, idcirco hæc quæ dicuntur nobis de Deo, in proverbiis proponuntur. Sed quia in patria videbimus facie ad faciem, ut dicitur, I. Corinth. XIII. ideo tunc non in proverbiis, ſed palam de Patre annuntiabitur nobis. Dicit autem, *De Patre*, quia nullus poteſt Patrem videre in illa gloria, niſi Filio manifeſtante. Matth. XI. 27. „ Nemo novit Patrem niſi „ Filius, & cui Filius voluerit revelare. “ Ipſe enim eſt lux vera, dans nobis lucem, qua Patrem videamus. Supra VIII. 12. *Ego ſum lux mundi*. Sed quia huic expoſitioni repugnat quod ſequitur, *In nomine meo petetis*: in quo nil petituri ſumus, ſi de die gloriæ intelligatur, quando (*a*) ſatiabitur in bonis deſiderium noſtrum: ideo eſt alius ſenſus duplex. Unus, ſecundum Chryſoſtomum, ſic. *Hæc*, ſcilicet quæ nunc dixi vobis, *in proverbiis*, ideſt in quadam intricatione verborum, *locutus ſum vobis*, non exprimens totaliter quæ oportet vos cognoſcere de me, & Patre meo: quia *multa habeo vobis dicere quæ non poteſtis portare modo*: ſupra (hoc cap.) ſed *venit hora*, cum a mortuis ſcilicet reſurrexero, *cum iam non in proverbiis*, ideſt obſcure, & per ænigmata, *ſed palam de Patre meo annuntiabo vobis*. Nam per illos quadraginta dies quibus apparuit eis, multa myſteria eos docuit, & multa de ſe, & Patre annuntiavit; & cum iam per fidem reſurrectionis eum firmiter Deum verum eſſe credentes elevati eſſent ad altiora: unde & ſubditur Act. I. 3. „ Loquens eis de regno Dei. “ Luc. ult. 45. „ Aperuit eis ſenſum ut in- „ telligerent Scripturas. “ Alius ſenſus eſt, ſecundum Auguſtinum, ut per hoc quod dicit, *Hæc in proverbiis locutus ſum*, promittat Dominus ſe facturum eos ſpirituales. Differentia enim hæc eſt inter ſpiritualem & animalem virum: quia animalis homo verba ſpiritualia accipit ut proverbia, non quod proverbialiter ſint dicta, ſed quia mens eius ſupra corporalia elevari non valens, ſunt ei obſcura: I. Corinth. II. 14. „ Animalis ho- „ mo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. “ ſpiritualis autem homo accipit ſpiritualia ut ſpiritualia. Diſcipuli autem a principio quaſi animales erant, & quæ dicebantur eis, obſcura erant, & ſicut proverbia; ſed poſtmodum a Chriſto ſpirituales effecti, & per Spiritum ſanctum edocti, ſpiritualia a parte capiebant; & ideo dicit: *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis*; ideſt, fuerunt vobis ut proverbia. Sed *venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis*. II. Corinth. III. 18. „ Nos „ autem revelata facie gloriam Domini ſpe- „ culantes, in eamdem imaginem transfor- „ mamur a claritate in claritatem tamquam „ a Domini ſpiritu. “

(b) Hic ponitur ſecunda ratio fiduciæ ſumpta ex dilectione Patris ad diſcipulos. Et primo oſtendit Patris dilectionem ad eos; ſecundo familiaritatem Patris ad Filium, ibi, *Exivi a Patre, & veni in mundum*. Circa primum duo facit. Primo reſumit eis factam promiſſionem; ſecundo aſſignat promiſſionis rationem, ibi, *Ipſe enim Pater amat vos*. Circa primum duo facit. Primo reſumit unum quod promiſerat; ſecundo promittit eis fiduciam petendi: unde dicit: *In illo die*, ſcilicet quando annuntiabo vobis palam de Patre, *petetis in nomine meo*: quia manifeſte eum cognoſcentes, ſcietis me eſſe ei æqualem & coeſſentialem, & per me habere acceſſum ad eum. Hæc enim eſt petitio in nomine eius, ſperare per Chriſtum habere acceſſum ad Patrem. Pſal. XIX. 8. „ Hi in curribus, & hi „ in equis; nos autem in nomine Domini „ Dei noſtri invocabimus. “ Tacet autem ſe rogaturum Patrem pro eis: unde dicit: *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem &c.*

Sed numquid non ipſe orat pro nobis? Immo. I. Ioan. II. I. „ Advocatum habemus a- „ pud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. “ Hebr. VII. 25. „ Accedens per ſemetipſum ad Deum „ ſalvare poteſt. “ Et ad hoc dicendum primo, ſecundum Auguſtinum, quod hoc dicit ad removendum, ſe de cetero eſſe (*b*) ut perſonam interpellantem, inquantum homo. Sic in illo die, quando palam annuntiabo, & petetis in nomine meo, & cognoſcetis me eſſe unum cum Patre, & quod non ſim perſona interpellans; ſed inquantum Deus ſimul cum eo interpellans exaudiam. Alio modo, ſecundum Chryſoſtomum, hoc forte dicit, ne forte credant diſcipuli quod ita ſint per Filium impetraturi quod ipſi non habeant immediatum acceſſum

(a) Al. ſanabitur. (b) Al ut perſona interpellans.

ſum ad Patrem; quaſi dicat: Modo ad me recurritis, ut pro vobis interpellem; ſed tunc tantam fiduciam habebitis apud eum quod etiam ipſi a Patre petere poteritis in nomine meo non indigentes alio introducente.

Sed numquid Apoſtoli non indiguerunt Chriſto homine ad interpellandum? Alias cum ipſe interpellet, ſuperflua erit eius interpellatio. Sed dicendum, quod non interpellat pro eis tamquam pro abſentibus, & acceſſum habere non valentibus; ſed faciens preces eorum exaudibiliores.

(c) Hic rationem promiſſionis aſſignat, quæ eſt amor Patris ad eos: & primo ponit Patris dilectionem; ſecundo dilectionis probationem, ibi, *Quia vos me amaſtis*. Dicit ergo: Ideo non dico, *quia rogabo Patrem pro vobis* (per hoc enim videretur quod ipſe non amaret eos) ſed utique *ipſe Pater*, qui amat omnia, volendo eis bonum naturæ: Sap. II. 25. „ Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odi„ ſti eorum quæ feciſti:“ *amat vos*, Apoſtolos, & ſanctos quodam privilegiato amore, volendo vobis ſummum bonum, ideſt ſeipſum. Deut. XXXIII. 3. „ Dilexit populos: omnes „ ſancti in manu illius ſunt:“ quia ad hoc dilexit. Sap. III. 1. „ Iuſtorum animæ in ma„ nu Dei ſunt.“ Probationem huius oſtendit ex duobus, ſcilicet ex amore diſcipulorum ad Chriſtum, & ex fide. Quantum ad primum dicit: *Quia vos me amaſtis*: quæ quidem probatio non eſt per cauſam, quia, ut dicitur I. Ioan. IV. 10. „ Non quaſi nos di„ lexerimus eum; ſed quoniam ipſe prior di„ lexit nos:“ ſed eſt per ſignum, quia hoc ipſum quod nos Deum diligimus, eſt ſignum quod ipſe amat nos: quod enim poſſumus eum amare, eſt ex dono Dei. Rom. V. 5. „ Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris „ per Spiritum ſanctum, qui datus eſt no„ bis.“ Supra XIV. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*. Quantum (a) ad ſecundum dicit: *Et credidiſtis quia a Deo exivi*. „ Sine fide enim „ impoſſibile eſt placere Deo:“ Hebr. XI. 6. Fides autem eſt nobis ex amore Dei: „ donum „ enim Dei eſt,“ ut dicitur Epheſ. II. 8. Donum autem non datur niſi ex amore dantis. Credere autem, & amare Chriſtum inquantum a Deo exivit, ſatis eſt evidens ſignum amoris Dei. Quia propter quod unumquodque, & illud magis: qui ergo amat Chriſtum, qui a Deo exivit, amor eius præcipue retorquetur in Deum Patrem; non autem ſi amat eum in quantum hominem.

(d) Sed quia mentionem fecit de exitu ſuo a Patre, hic manifeſtius explicans dicit: *Exivi a Patre, & veni in mundum*. Ubi oſtendit familiaritatem ſuam ad Patrem: & primo ponit eius a Patre exitum; ſecundo eius ad Patrem reditum, ibi, *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Eſt autem duplex proceſſio Filii a Patre: una ſcilicet æterna, alia temporalis. Æternam quidem deſignat cum dicit, *Exivi a Patre*, ab eo æternaliter genitus.

Sed notandum, quod omne quod exit ab aliquo, fuit prius in eo. Aliquid autem eſt in aliquo tripliciter. Uno modo ſicut contentum in continente; alio modo ſicut pars in toto; tertio modo ſicut accidens (b) in ſubiecto, & ſicut effectus in cauſa: & ſecundum hoc dicuntur aliqua ab eis exire. Sed primis duobus modis erit aliquid idem numero exiſtens; puta idem numero vinum de dolio, & eadem pars a toto. Sed aliis duobus modis non exit idem numero. Hæc autem non ſunt dicenda de Deo: quia cum Deus ſit ſumme ſimplex, nec ſit in loco niſi metaphorice, non poteſt (c) dici quod Filius ſit in eo ſicut pars, vel ſicut contentum; ſed in eo erat per unitatem eſſentiæ. Supra VIII. 16. *Ego, & Pater unum ſumus*. Tota enim eſſentia Patris eſt tota eſſentia Filii, & e converſo: & ideo non exit eo modo a Patre quo prædicta. Nam quod exit a toto ut pars, eſt diſtinctum ab eo per eſſentiam: nam pars a toto exiens fit ens actu, quæ in eo erat ens in potentia. Et ſimiliter quod exit a toto continente, loco diſtinguitur; ſed Filius a Patre non exit localiter, quia omnia implet: ſecundum illud Hier. XXIII. 24. „ Cælum „ & terram ego impleo:“ nec diviſibiliter, quia Pater (d) impartibilis eſt; ſed exit ab eo per perſonalem diſtinctionem. Sic ergo in exitu, inquantum præſupponit inhærentiam, deſignatur eſſentiæ unitas; inquantum inſinuat proceſſum quemdam, deſignatur diſtinctio perſonalis. Pſal. XVIII. 7. „ A ſummo cælo „ (ſcilicet Deo Patre) egreſſio eius.“ Et Pſal. CIX. 3. „ Ex utero ante luciferum genui te.“ Sed in rebus corporalibus res exiens ab aliquo iam non eſt in eo, cum exeat per ſeparationem eſſentiæ, vel loci. Hic autem quia non eſt exitus talis, ideo ſic ab æterno a Patre exiit quod tamen ab æterno ſit in eo: & ſic quando eſt in eo, exit; & quando exit, eſt in eo: ita ut ſemper exeat, & ſemper ſit in eo.

Temporalem autem proceſſionem eius deſignat dicens: *Et veni in mundum*. Sicut autem exitus a Patre ab æterno non eſt localiter, ita nec adventus eius in mundum eſt localis:

quia

(a) *Al.* ad hoc. (b) *Al.* in ſubſtantia. (c) *Al.* *omittitur* dici. (d) *Al.* in partibus.

quia cum Filius ſit in Patre, & e converſo, ſicut Pater omnia implet, ita & Filius; oec eſt quo localiter moveatur. Dicitur ergo veniſſe in mundum inquaotum naturam humanam aſſumpſit, quantum ad corpus, habentem originem ex mundo, non mutaodo locum. Supra I. 11. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.*

Conſequenter cum dicit, *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*, agit de reditu ſuo ad Patrem: & primo ponit receſſum eius a mundo, dicens: *Iterum relinquo mundum*, non ſubtrahendo ſuæ gubernationis providentiam: quia ſimul cum Patre ſemper mundum gubernat, & ſemper cum fidelibus eſt per gratiæ opitulationem. Matth. ult. 20. „ Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. " Relinquit ergo mundum ſubtrahendo ſe a conſpectu corporali mundanorum. Secundo ponit reditum ſuum ad Patrem, cum dicit, *Vado ad Patrem*, quem oumquam deſeruerat. Vadit autem inquantum ſe obtulit Patri in paſſione. Epheſ. v. 2. „ Obtulit ſemetipſum oblationem, & hoſtiam „ Deo." Item inquantum per reſurrectionem, ſecuodum quod homo, cooſiguratus eſt Patri io immortalitate. Rom. VI. 10. „ Quod autem „ vivit, vivit Deo. " Item inquantum in aſcenſione aſcendit ad cælos, in quo ſpecialiter reſulget divina gloria. Marc. ult. 19. „ Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt „ eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet a „ dextris Dei. " Supra eodem: *Vado ad eum qui me miſit; & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?*

LECTIO VIII.

(a) Dicunt ei diſcipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget. In hoc credimus quia a Deo exiſti.

(b) Reſpondit eis Ieſus: Modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, ut diſpergamini uouſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis; & non tamen ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.

(c) Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis.

(d) In mundo preſſuram habebitis. Sed confidite: ego vici mundum.

(a) Poſitis ratiooibus, & verbis conſolantibus Apoſtolos, hic ponitur effectus ipſorum in diſcipulos: & primo ponitur diſcipulorum affectio; ſecundo oſtenditur ipſorum conditio, ibi, *Reſpondit eis Ieſus*; tertio aſſignatur prædictorum intentio, ibi, *Hæc locutus ſum vobis &c.* Affectio diſcipulorum eſt confeſſionis, & credulitatis: unde dicunt: *Ecce nunc palam loqueris*. Ubi tria confitentur de Chriſto; ſcilicet doctrinæ claritatem, ſcientiæ certitudinem, & divinam originem. Primum confitentur cum dicunt: *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.* Si enim diligenter advertimus, vix io aliquo loco ſacræ Scripturæ ita exprimitur Chriſti origo, ſicut hic, cum dicit: *Palam de Patre meo annuntiabo vobis*; & *Exivi a Patre, & veni in mundum*. Et ideo credentes haoc promiſſiooem, qua dixit, *Palam de Patre meo annuntiabo vobis*, eis completam eſſe, ita ut non alia maniſeſtatione indigeaot, dicunt: *Ecce nunc palam loqueris*. Sed, ut Auguſtinus dicit, ita adhuc ignorantes erant diſcipuli ut ſe non intelligere ignorent. Non enim promiſerat eis (a) in illa hora ſe ſine proverbiis locuturum, ſed in hora reſurrectionis, vel gloriæ. Tamen quantum ad ipſos diſcipulos iam clarius eis fuit locutus tunc, quamvis alia claritas ſermooum eius eſſet expectanda. Infra XVIII. 20. *Ego palam locutus ſum mundo*. Secundum confitentur cum dicunt: *Nunc ſcimus quia ſcis omnia*. Et quidem in ſuperficie verborum ſatis evidens argumentum eſt certæ, & perfectæ ſcientiæ quando quis maniſeſtat quæ dicit: ſignum enim (b) ſcientis eſt omoino poſſe docere: unde dicitur Proverb. XIV. quod doctrina prudentium ſacilis eſt. Quæ enim noſtrum ſuperaot intellectum, oon plane verbis explicamus. Sed tamen hoc Apoſtoli dicunt propter aliam intentionem, quia ſcilicet Dominus ſcit omnia cordis eorum ſecreta, & de his quæ dubitaot ſatisſacit: conſolatur eos promittendo gaudium Spiritus ſaocti, & iteratam ſui viſionem, & Patris amorem: & ideo dicunt: *Nunc ſcimus quia ſcis omnia*, ſcilicet ſecreta cordium. Infra ult. 17. *Tu omnia noſti*. Sap. VIII. 8. „ Domino Deo „ noſtro nota ſunt omnia, antequam fiant. "

(a) *Al.* nulla hora. (b) *Al.* docentis.

Unde ſubdunt: *Et non eſt opus tibi ut quis te interroget*.

Quod videtor prædictis contradicere. Dicunt enim, quod ſcit omnia; ſcientis (*a*) autem non eſt interrogare, ſed interrogari: quomodo ergo non eſt ei opus ut quis eum ioterroget? Sed dicendum, quod hoc dicunt, ut innuaot quod etiam ſecreta cordium oovit, quia & ante interrogatiooem eis ſatisfecit ſupra cum dicerent inter ſe (hoc cap.) *Quid eſt quod dicit nobis modicum*? Nihilominus tameo Chriſtus interrogat, & interrogatur, non quia opus ſit ei, ſed nobis.

Tertium confitentur cum dicunt: *In hoc credimus quia a Deo exiſti*: & quidem convenienter: ſcire enim omnia, & etiam ſecreta cordium, eſt proprium divinitatis. Hier. xvii. 9. „ Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cogooſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. " Et ideo dicuot, *A Deo exiſti*, conſubſtantialis Patri, & verus Deus.

(b) Hic ponitur diſcipulorum conditio, quæ eſt infirmitatis: ubi primo exprobrat fidei eorum tarditatem; ſecundo tribulationem futuram imminentem; tertio oſtendit ſe immunem ab omni eorum detrimento. Quantum ad primum dicit: *Modo creditis*. Quod ſi accipiatur interrogative, eſt eaprobratio tarditatis eorum ad credendum; quaſi diceret: Uſque modo diſtuliſtis credere? Si vero accipiatur remiſſive, exprobrat fidei ipſorum inſtabilitatem; quaſi diceret: Verum eſt quod nunc creditis; ſed ſtatim quando tradar dimittetis me. Luc. viii. 13. „ Ad tempus „ credunt, & in tempore tentationis rece„ dunt. " *Ecce venit hora, & iam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis*. Hic ponitur eis immineos tribulatio, & ſcaodalum. Unde ſciendum eſt, quod imminente hoiuſmodi ſcaodalo, quæ antea per Chriſtum adepti fuerant amiſerunt. Adepti enim fnerant Chriſti ſocietatem, poſſeſſionem, & rerum exonerationem, & omnem communem modum vivendi. Unde hæc tria enumerat Petrus, Matth. xix. 27. dicens: „ Ecce nos (ſcilicet omnes, quantum ad ter„ tium) reliquimus omnia (quantum ad ſe„ cundum) & ſecuti ſumus te, " qoantum ad primum. Et hæc amiſeruot: & ideo hoc eis prædixit Dominus, dicens: *Ecce venit hora, & iam venit, ut diſpergamini*, quantum ad tertium, propter timorem, qui vobis domlnabitur, ita ut oec ſimul poſſitis fugere. Zach. xiii. 7. „ Percute paſtorem, & „ diſpergentur oves gregis &c. " *Unuſquiſque in propria*, quantum ad ſecundum, ideſt ad animum poſſidendi propria: unde Petrus cum aliis reverſi ſunt ad navem, & propria, iofra ult. 3. *Exierunt, & aſcenderunt in navim*. *Et me ſolum relinquatis*, quaotum ad primum. Iob xix. 14. „ Fratres mei dereliquerunt me, & qui me noverunt, obliti ſunt „ mei. " Eſai. lxiii. 3. „ Torcular calcavi „ ſolus. " Sed diſcipulorum ſcandalo Chriſtus nullum patitur detrimentum: unde dicit: *Et non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt*; quaſi diceret: Etſi ſum unum cum Patre per unitatem eſſentiæ, non ſum ſolus per diſtinctionem perſooalem: unde non ſic a Patre exivi ut ab eo recederem.

(c) Hic ponit Dominus ſuam intentionem de doctrina ſua: & primo ponit doctrinæ ſuæ utilitatem; ſecundo neceſſitatem, *In mundo preſſuram habebitis*. Utilitas doctrinæ eſt pax: unde dicit: Dico quod ad hoc deducemini, ut me ſolum relinquatis: & propter hoc propono vobis doctrinam meam, ne in hac derelictione perſiſtatis: & propter hoc ſcilicet omnia quæ dixi vobis in ſermone, vel omoia quæ in toto Evangelio locutns ſum vobis, ut ad me redeuntes, *in me pacem habeatis*. Fiois enim Evangelii eſt pax in Chriſto. Pſal. cxviii. 165. „ Pax multa diligeotibus nomen tuum. " Cuius ratio eſt, quia paa cordis opponitur eius perturbationi, quæ oritur ea malis ſupervenientibus, & creſcentibus. Si quis autem habeat aliquando luctum, vel gaudium ſnperexcedens illa mala, patet qnod perturbatio non manet. (*b*) Et inde eſt quod homines mundani, qui Deo per amorem non ſunt coniuocti, habent tribulationes abſque pace; ſed ſancti qui Deum per amorem habent in corde, etſi ex muodo habeant tribulationes, in Chriſto habeot pacem. Pſal. cxlvii. 14. „ Qui poſuit fines tuos pacem. " Finis enim noſter hic debet eſſe ut pacem habeamus in Deo. Pſal. laxvi. 3. „ Renuit „ conſolari anima mea (ſcilicet in rebus „ mundi; ſed ubi) memor fui Dei, dele„ ctatus ſum. "

(d) Neceſſitas antem huius pacis eſt illata vexatio a mundo: uode dicit: *In mundo preſſuram habebitis*. Et primo prænuntiat foturam anguſtiam; ſecundo dat contra eam fiduciam. Quantum ad primum dicit: *In mundo preſſuram habebitis*, ideſt a mundanis. I. Ioan. iii. 13. „ Nolite mirari ſi odit vos mun„ dus. " Supra xv. 19. *Quia ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Quantum ad ſecundum dicit: *Confidite: ego vici mundum*. Ipſe enim liberat nos. Eccli. li. 6. „ Liberavit „ me

(a) *Al.* enim. (b) *Al.* Et inde eſt quod perturbatio non manet: & inde eſt &c.

„ me a preſſura flammæ. " Quaſi diceret: Recurratis ad me, & habebitis pacem; & hoc ideo *quia ego vici mundum*, qui vos premit. Vicit Chriſtus mundum, primo quidem auferendo ei arma quibus impugnat: hæc autem ſunt eius concupiſcibilia. I. Ioan. II. 16. „ Omne „ quod eſt io mundo, aut eſt concupiſcentia „ oculorum, aut concupiſcentia carnis, aut ſu„ perbia vitæ: " quia ſcilicet divitias vicit per paupertatem. Pſal. lxxxv. I. „ Inops, & „ pauper ſum ego. Luc. IX. 58. „ Filius ho„ minis oon habet ubi caput ſuum reclinet. " Hoores per humilitatem. Matth. XI. 29. „ Diſcite a me quia mitis ſum, & humi„ lis corde. " Voluptates per paſſiones, & labores. Philipp. II. 8. „ Factus eſt obedieos „ uſque ad mortem, mortem autem crucis. " Item ſupra IV. 6. *Ieſus autem fatigatus ab itinere ſedebat ſic ſupra fontem*. Pſal. lxxxvii. 16. „ In laboribus ſum ego a iuventute mea. " Qui ergo ſic iſta vincit, vincit muodum: & hoc eſt quod facit Fides. I. Ioao. V. 4. „ Hæc „ eſt victoria quæ viocit mundum fides no„ ſtra: " quia cum ſit ſubſtantia ſperandarum rerum, quæ ſunt bona ſpiritualia, & æterna, facit nos contemnere bona caroalia, & tranſitoria. Secundo vicit mundum, mundi principem excludeodo. Supra XII. 31. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*. Coloſs. II. 15. „ Expoliaos principatus, & poteſtates „ traduxit confidenter, palam triumphans il„ los in ſemetipſo. " Ex quo præbuit nobis diabolum ut a nobis viocendum. Iob XL. 24. „ Numquid illudes ei quaſi avi, aut ligabis „ eum ancillis tuis? " Ad litteram poſt paſſionem Chriſti, iuvenculæ ancillæ Chriſti, & parvuli illudunt ei. Tertio homioes mundi ad ſe convertendo. Mundus rebellabat movendo ſeditiones per homines mundi, quos Chriſtus ad ſe traxit. Supra XII. 32. *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*. Unde ſupra VII. 19. dicunt: *Ecce totus mundus poſt eum vadit*. Sic ergo non debemus timere preſſuras, quia victus eſt. I. Corinth. XV. 57. „ Deo autem gratias, qui dedit oobis „ victoriam per Ieſum Chriſtum. "

CAPITIS DECIMISEPTIMI

LECTIO I.

(a) HAEc locutus eſt Ieſus; & ſublevatis oculis in cælum dixit: Pater, venit hora: clarifica Filium tuum,

(b) Ut Filius tuus clarificet te:

(c) Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

(d) Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.

(a) SUpra Dominus confortavit diſcipulos exemplo, & exhortatione; io parte iſta confortat eos oratione: in qua quidem oratione tria facit. Primo orat pro ſeipſo; ſecuodo pro diſcipulorum collegio, ibi, *Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo*. Tertio pro univerſo fideli populo, ibi, *Non pro eis rogo tantum, ſed pro eis qui credituri ſunt*. Circa primum tria facit. Primo proponit petitionem; ſecuodo petitionis fructum, ibi, *Ut Filius tuus clarificet te &c.* tertio petitionis exaudieodæ meritum, ibi, *Ego clarificavi te &c.* Circa primum primo ponitur orandi ordo; ſecundo orandi modus; tertio orationis verba. Ordo orandi eſt congruus: quia poſt exhortationem: unde dicit: *Hæc locutus eſt Ieſus*. In quo datur nobis exemplum, ut quos ioſtruimus verbo, iuvemus orationum ſuffragio: quia ſermo divious maxime habet effectum io cordibus auditorum, cum oratione fulcitur, per quam divinum auxilium imploratur. II. Theſſal. ult. I. „ Orantes ſimul etiam pro nobis, ut Deus ape„ riat oobis oſtium ſermonis. " Unde & finis ſermonis ooſtri debet ad orationem terminari. Eccli. XLIII. 29. „ Conſummatio ſermonum ipſe eſt. " Modus decens: quia *ſublevatis oculis in cælum*. Differentia eſt enim inter orationem Chriſti & orationem noſtram: nam oratio noſtra eſt ſolum ad neceſſitatem; ſed oratio Chriſti eſt ma-

magis ad inſtructionem. Nulla enim neceſſitas inerat ſibi orandi, qui ſimul cum Patre exaudit. Inſtruxit autem nos in hoc, & verbo, & facto. Facto quidem ſublevando oculos, ut & nos in oratione noſtra oculos ad cælum levemus. Pſal. CXXII. 1. „ Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. “ Et non tantum oculos noſtros, ſed etiam operationes noſtras in Deum referendo: ſecundum illud Thren. III. 41. „ Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos. “ Verbo autem, quia manifeſte orationem protulit: unde dicit, *Et dixit*, ut ſcilicet quos inſtruxerat docendo, inſtrueret orando: non ſolum enim verbum Chriſti, ſed & facta eius, noſtra inſtructio eſt. Verba autem eius ſunt efficacia: unde dicit: *Pater, venit hora*: quæ quidem efficacia cauſatur ex tribus. Scilicet ex orantis affectu: Filius enim orat Patrem, cuius eſt Patrem ex amore quærere, & ex amore rogare: unde dicit, *Pater*, ut per hoc det intelligere, ut filiali affectu oremus Deum. Hier. III. 19. „ Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis. “ Secundo ex orandi neceſſitate: unde dicit, *Venit hora*, paſſionis, de qua ſupra II. 4. *Nondum venit hora mea*. Hora, inquam, non tempus, non dies, quia ſtatim capiendus erat &c. nec hora fatalis neceſſitatis, ſed ſuæ ordinationis, & beneplaciti. Et convenienter rogaturus interponit tribulationes, quia in eis maxime Deus exaudit. Pſal. CXIX. 1. „ Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me. “ II. Paralip. XX. 12. „ Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui ut oculos noſtros dirigamus ad te. “ Tertio ex petitionis tenore: unde dicit: *Clarifica Filium tuum*.

Sed cum Filius Dei ſit ipſa ſapientia, I. Corinth. I. hæc autem maximam claritatem habeat: Sapient. VI. 13. „ Clara eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia: “ quomodo dicitur claritas clarificari, præſertim cum ipſe ſit ſplendor Patris? Hebr. I. 3. Sed dicendum, quod Chriſtus tripliciter petebat clarificari a Patre. Scilicet in paſſione; & hoc per multa miracula quæ tunc oſtenſa ſunt, cum ſol obſcuratus eſt, ſciſſum eſt velum templi, & monumenta aperta ſunt. Et de hoc dicitur ſupra XII. 28. *Et clarificavi*, ſcilicet miraculis ante paſſionem, *& iterum clarificabo*, in paſſione: unde dicit, ſecundum hoc, *Clarifica*, in paſſione, me oſtendendo eſſe Filium tuum. “ Unde Centurio viſis miraculis dixit (Matth. XXVII. 54.) „ Vere Filius Dei erat (a) iſte. “ Secundo in reſurrectione. Anima enim illa ſancta ſemper Deo coniuncta fuit habens gloriam ex Dei viſione: ſupra I. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratia, & veritatis*: nam a principio conceptionis quantum ad animam habuit claritatem; ſed in reſurrectione habuit claritatem corporis, de qua Phil. III. 21. „ Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. “ Tertio in notitia omnium populorum. Sap. VIII. 10. „ Habeo per hanc clariratem ad turbas, & honorem apud ſeniores. “ Et ſic dicit, *Clarifica*; ideſt, manifeſta toti mundo me eſſe Filium tuum, ſcilicet proprium, & hoc nativitate, non creatione: contra Arrium dicentem, Filium Dei eſſe creaturam veritate, non nuncupatione: contra Sabellium dicentem, quod idem eſt qui dicitur Pater, & qui dicitur Filius origine, non adoptione: contra Neſtorium, qui dixit Chriſtum eſſe Filium adoptivum.

(b) Hic ponitur fructus clarificationis. Et primo proponit fructum; ſecundo exponit, ibi, *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis*. Fructus autem clarificationis Filii eſt clarificatio Patris: unde dicit: *Ut Filius tuus clarificet te*. Et ſciendum, quod audiens Arrius Dominum dicentem, *Clarifica Filium tuum*, opinatus eſt Patrem maiorem Filio: quod quidem verum eſt ſecundum humanitatem. Supra XIV. 28. *Pater maior me eſt*. Et ideo ut oſtendat æqualitatem eius ad Patrem ſecundum divinitatem, ſubiungit: *Ut Filius tuus clarificet te*, ſcilicet in notitia hominum. Gloria enim eſt clara cum laude notitia. Deus autem olim erat clarus apud Iudæos: quia notus in Iudæa Deus: Pſal. LXXV. 2. ſed poſtea per Filium notus eſt per totum mundum. Sed & ſancti viri bonis operibus notitiam Dei clarificant. Matth. V. 16. „ Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. “ Unde ſupra VIII. 50. *Ego gloriam meam non quæro: eſt qui quærat, & iudicet*.

(c) Hic ponit petitionis fructum: & primo ponit beneficium a Chriſto collatum hominibus; ſecundo oſtendit hoc beneficium ad gloriam Patris pertinere, ibi, *Hæc autem eſt vita æterna*. Dicit ergo: *Ut Filius tuus clarificet te*; & hoc *ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis*. Sciendum eſt enim, quod agentis cuiuſlibet quod agit ab alio, intentio eſt reducere ſuum effectum in cauſæ manifeſtationem: nam ex actione principii quod eſt de principio, manifeſtatur ipſum principium. Filius autem quicquid habet, a Patre habet; & ideo oportet quod per ea quæ facit, Pa-

trem

(a) *Al.* homo iſte.

Digitized by Google

trem manifeſtet; & ideo dicit: *Dediſti ei poteſtatem*, ſuper omnes homines; ſed & Filius per hanc poteſtatem debet eos ad tui eognitionem, quæ eſt vita æterna, perducere. Et ſic eſt ſenſus: *Filius clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis*, ideſt omnis hominis. Luc. III. 6. „ Videbit omnis caro ſalutare „ Dei. “ *Dediſti*, inquam, ſecundum Hilarium, dando per æternam generationem naturam divinam, per quam habet poteſtatem omnia continendi. Matth. XI. 27. „ Omnia mi- „ hi tradita ſunt a Patre meo. “ Et ſupra v. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei qua ipſe facit*. Vel *dediſti ei*, ſcilicet Chriſto homini, propter conſortium perſonale ad Filium tuum, ut ſic caro haberet poteſtatem ſuper carnem. Matth. ult. 18. „ Data eſt mi- „ hi omnis poteſtas in cælo, & in terra. “ Daniel. VII. 14. „ Dedit ei (ſcilicet Filio ho- „ minis) poteſtatem, & honorem, & re- „ gnum. “ Ad hoc, inquit, *dediſti*, ut ſcilicet ſicut tu habes poteſtatem ut non ab homine aliquid accipias, ſed ut teipſum ei conferas, ita & Chriſto homini, ut *omne quod dediſti ei*, per æternam prædeſtinationem, *det eis*, ſibi datis, *vitam aternam*. Supra X. 27. *Oves mea vocem meam audiunt; & ego cognoſco eas*.

Sed numquid vita æterna data hominibus pertinet ad gloriam Patris? Immo, quia *hac eſt vita aterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*; ideſt, ut clarificetur Pater in notitia hominum.

Sed hic duo ſunt exponenda. Primo quidem quid eſt hoc quod dicit, *Hac eſt vita aterna ut cognoſcant*. Circa quod ſciendum eſt, quod illa proprie vivere dicimus quæ ſe ipſa movent ad operandum; quæcumque autem non niſi ab aliis moventur, non dicuntur viventia, ſed mortua: & ideo omnes operationes ad quas operans movet ſe, dieuntur opera vitæ, ſicut velle, intelligere, ſentire, augeri, & moveri. Dicitur autem aliquid vivere dupliciter, aut quia habet opera vitæ in potentia, & ſic dormiens dicitur vivere vita ſenſitiva, quia habet poteſtatem movendi ſe, licet actu non moveatur; aut quia iam exercet opera vitæ in actu, & tunc perfecte dicitur aliquid vivere: unde ſomnus dicitur dimidium vitæ. Inter opera autem vitæ altius eſt opus intelligentiæ, quod eſt intelligere; & ideo operatio intellectus maxime eſt vita. Sicut autem idem eſt ſenſus actu, & ſenſibile in actu, ita intelligens in actu, & res intellecta in actu. Cum ergo intelligentia ſit vita, & Intelligere ſit vivere, ſequitur quod intclligere rem æternam ſit vivere vita æterna; Deus eſt autem res æterna: intelligere ergo, & videre Deum eſt vita æterna. Et ideo Dominus dicit, quod in viſione eonſiſtit vita æterna, ſcilicet principaliter ſecundum toram ſuam ſubſtantiam. Amor autem eſt movens ad hanc, & quoddam eius complementum: nam ex delectatione quæ eſt in fruitione divina, quam facit caritas, eſt complementum, & decor beatitudinis; ſed eius ſubſtantia in viſione conſiſtit. I. Ioan. III. 2. „ Videbimus eum ſicuti eſt. “

Secundo exponendum eſt hoc quod dicit, *Te ſolum verum Deum*. Manifeſtum eſt enim quod Chriſtus loquebatur ad Patrem: cum ergo dicat, *Te ſolum verum Deum*, videtur quod ſolus Deus Pater ſit Dens verus. Quod quidem eoncedunt Arriani dicentes, Filium differre a Patre per eſſentiam cum ſit ſubſtantia creata, magis tamen, & perfectius inter omnes creaturas Patris divinitatem participans, intantum quod dicatur Deus, ſed non verus, quia non eſt Deus per naturam, ſed ſolus Pater. Sed contra hoc arguit Hilarius. Conſtat enim quod cum volumus ſcire de re aliqua utrum ſit vera, ex duobus ſcire poſſumus, ſcilieet ex natura, & ex virtute eius. Verum enim aurum eſt quod habet veri auri ſpeciem; quod quidem ſcimus, ſi facit veri auri operationem. Si ergo habemus de Filio quod habeat veram Dei naturam, & hoc per veram operationem divinitatis, quam exercet, manifeſtum eſt quod eſt verus Deus. Quod autem exerceat Filius vera opera divinitatis, patet ſupra v. 19. *Quacumque Pater facit, hac & Filius ſimiliter facit*. Et iterum dieit (ibid. 26.) *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo*, non quidem participatam, *ita & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo*. I. Ioan. ult. 20. „ Ut ſimus in vero Fi- „ lio eius Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus, „ & vita æterna. “ Dicit autem, *Te ſolum Deum*, ſecundum Hilarium, non excludens aliquid. Unde non dicit abſolute, *Te ſolum*; ſed addit, *Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum*; quaſi diceret: *Ut cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, eſſe unum ſolum, & verum Deum: ſecundum illum modum loquendi: „ Tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte cum ſan- „ cto Spiritu. “ Nec facit mentionem de Spiritu ſancto, quia ubicumque ponuntur Pater, & Filius, & præcipue in bis quæ ad maieſtatem divinitatis pertinent, cointelligitur Spiritus ſanctus, qui eſt nexus amborum. Vel, ſecundum Auguſtinum de Trinitate, hoc dicit ad excludendum errorem quorumdam dicentium, quod hæc eſt falſa: Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus. Sed hæc eſt vera: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt unus Deus.

Et ratio iſtorum erat, quia, ut ab Apoſtolo dicitur (I. Corinth. 1.) Chriſtus eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. Manifeſtum eſt autem quod nullus poteſt dicere aliquem Deum, niſi habeat virtutem, & ſapientiam divinam. Cum ergo iſti vellent quod Pater eſſet ſapientia, quæ eſt Filius, dicebant ulterius, quod Pater ſine Filio conſideratus non eſſet Deus, & etiam Filius, & Spiritus ſanctus. Et quia in miſſione deſignatur incarnatio Filij Dei, ideo per hoc quod dicit, *Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, datur intelligi quod in vita æterna gaudebimus etiam de humanitate Chriſti. Eſa. XXXIII. 17. „ Regem (ideſt „ Chriſtum) in decore ſuo videbunt. " Supra X. 9. *Ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet*.

(d) Hic ponitur meritum exaudiendæ petitionis. Et primo commemorat meritum; ſecundo poſtulat præmium, ibi, *Et nunc clarifica me tu Pater*. Commemorat autem duplex meritum. Scilicet doctrinæ, dicens, *Ego te clarificavi*, ſcilicet in notitia hominum, manifeſtando per doctrinam. Eſai. XXIV. 15. „ In doctrinis glorificate Deum. " Item obedientiæ: unde ſubdit, *Opus conſummavi*. Utitur præterito pro futuro, ſcilicet *clarificavi*, ideſt clarificabo, *& conſummavi*, ideſt conſummabo: & hoc quia iam inchoatum erat; & iterum quia imminebat hora paſſionis, quando hoc opus conſummatum eſt. *Quod dediſti mihi*, non iuſſiſti: non enim ſufficit quod Chriſto, & nobis mandetur divinitus: quia quicquid Chriſtus, ſecundum quod homo, fecit, & nos facere poſſumus, (*a*) eſt ex dono Dei. Sap. VIII. 21. „ Scivi quia „ non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. " *Dediſti*, inquam, *mihi*, per donum gratiæ, *ut facerem*; ideſt, ut conſummarem. Eccli. XXVIII. 31. „ Cor ſuum dabit in conſumma„ tionem. " Sed quia obedientiæ, & doctrinæ Chriſti præmium eſt gloria: Phil. II. 8. „ Factus eſt obediens uſque ad mortem, „ mortem autem crucis: propter quod & Deus „ exaltavit illum, & donavit illi nomen quod „ eſt ſuper omne nomen: " ideo poſtulat (*b*) præmium, dicens: *Et nunc clarifica me tu Pater*. Quod non eſt intelligendum, ut quidam putaverunt, ſicut Auguſtinus dicit, quod natura humana in Chriſto a Verbo ſuſcepta aliquando convertatur in Verbum, & homo mutetur in Deum, quia hoc nihil aliud eſſet quam ipſam naturam annihilari. Omne enim quod ita in aliud convertitur quod illud in quod convertitur non augeatur, annihilari videtur: divino autem Verbo Dei nihil augeri poteſt. Et ideo, ſecundum Auguſtinum, intelligendum eſt, *Et nunc clarifica me tu Pater*, de prædeſtinatione Chriſti hominis: nam aliquid habemus in prædeſtinatione divina, (*c*) & in effectu rei. Homo autem Chriſtus Ieſus, ſicut & alii homines, prædeſtinatus fuit a Deo Patre. Rom. I. 4. „ Qui prædeſtinatus „ eſt Filius Dei &c. " Et ſecundum hoc dicit: *Et nunc*, ideſt poſtquam, *clarificavi te, & conſummavi opus quod dediſti mihi ut faciam*: *clarifica me tu Pater apud temetipſum*; ideſt, fac me ſedere ad dexteram tuam; & hoc *claritate quam habui, priuſquam mundus fieret, apud te*, ideſt in tua prædeſtinatione. Marc. ult. 19. „ Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt „ in cælum, & ſedet a dextris Dei. " Vel aliter, ſecundum Hilarium. Nam gloria hominum eſt quædam conformitas ad gloriam Dei, quamvis inæqualis; Chriſtus autem ſecundum quod Deus, habuit gloriam ab æterno apud Patrem, ſcilicet divinam, & æqualem Patri: petit ergo hic quod in humanitate clarificetur, ut ſcilicet id quod ex tempore erat caro, & in corruptionem transformata, gloriam eius quæ ſine tempore eſt claritatis acciperet; non tamen æqualem, ſed ſimilem, ut ſcilicet ſicut ab æterno apud Patrem immortalis, & ad dexteram conſedens fuit, ita & ſecundum quod homo immortalis efficiatur, & ad Dei dexteram exaltetur.

LECTIO II.

(a) MAnifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt: quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognoverunt vere quia a te exivi, & crediderunt quia tu me miſiſti.

(b) Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt, & mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis. Et iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio.

(a) Su-

(a) *Al.* *omittitur* eſt. (b) *Al.* primum. (c) *Al.* *deeſt* &.

(a) SUpra oravit Dominus pro ſelpſo; hic orat pro Apoſtolorum collegio: & primo aſſignat rationes orandi; ſecundo ponit orationis tenorem, ibi, *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi*. Circa primum duo facit. Primo tangit rationes ex parte diſcipulorum; ſecundo ex parte ſui, ibi, *Ego pro eis rogo &c.* Ex parte autem diſcipulorum ponit tres rationes orandi pro eis. Prima quia ab eo inſtructi; ſecunda quia ſibi dati; tertia quia ei obedientes, & devoti. Primam ponit cum dicit, *Manifeſtavi*; quaſi dicat, ſecundum Auguſtinum: *Ut Filius tuus clarificet te*: quæ quidem clarificatio iam in parte eſt impleta, quia *manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo*. Vel, ſecundum Chryſoſtomum: Dico, quod conſummavi opus quod dediſti mihi ut facerem. Quale autem opus ſit, ſubdit cum dicit: *Manifeſtavi nomen tuum hominibus &c.* quod eſt proprium opus Filii Dei, qui eſt Verbum, cuius eſt proprium manifeſtare dicentem. Matth. xi. 27. „ Neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. “ Supra i. 18. *Deum nemo vidit umquam. Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.*

Sed hic eſt dubium. Cum Deus Pater fuerit notus hominibus ante adventum Chriſti, ſecundum illud Pſal. lxxv. 2. „ Notus in Iudæa Deus: “ quid eſt hoc quod dicit: (a) *Manifeſtavi nomen tuum*? Reſponſio. Dicendum, quod nomen Dei Patris poterat tripliciter cognoſci. Uno modo inquantum eſt omnium creator; & hoc modo notus erat a Gentibus. Rom. i. 20. „ Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. “ Et infra (verſ. 19.) „ Deus illis revelavit. “ Alio modo, ut cui ſoli eſſet latriæ cultus exhibendus; & hoc modo non erat notus a Gentibus, quæ etiam latriæ cultum aliis diis exhibebant, ſed a Iudæis tantum, quibus ſolis præceptum erat in lege quod non niſi Domino immolarent. Exod. xxii. 20. „ Qui immolat diis alienis, occidetur præterquam Domino ſoli. “ Tertio modo ut Pater unigeniti Filii ſui Ieſu Chriſti; & hoc modo nulli erat notus; ſed innotuit per Filium quando Apoſtoli crediderunt eum eſſe Filium Dei.

Secundam rationem ponit cum dicit, *Quos dediſti mihi*: & primo ponit dationem, ex qua ſumitur ratio ſeu modus. Dicit ergo, *Quos dediſti mihi*; ſcilicet, illis hominibus nomen tuum manifeſtavi.

Sed numquid Filius habuit eos ſicut & Pater habuit? Utique inquantum Deus. Sed dicit, *Dediſti mihi*, ſcilicet homini, ut me audirent, & mihi obedirent. Supra vi. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Quod autem aliqui ad Chriſtum veniant, eſt ex dono, & gratia Dei. Epheſ. ii. 8. „ Gratia ſalvati eſtis: hoc enim Dei donum eſt. “ *Dediſti*, inquam, *de mundo*, ideſt a mundo electos. Supra xv. 19. *Quia elegi vos de mundo*. Nam etſi totus mundus quantum ad Deum datus ſit Filio, Apoſtoli tamen dati ſunt Filio ad obediendum.

Rationem dationis ponit, dicens: *Tui erant*; quaſi ideo dati, quia *tui erant*, & mei, & ſecundum divinitatem prædeſtinati ab æterno, ut per gratiam ad futuram gloriam pervenirent. Epheſ. i. 4. „ Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. “ *Et mihi eos dediſti*; ideſt, quod antea de eis mecum, & in me prædeſtinaſti, opere impleſti faciendo ut mihi adhærerent.

Tertiam rationem ponit cum dicit: *Et ſermonem tuum ſervaverunt*: quæ ſumitur ex diſcipulorum devotione. Et primo ponit devotionem ipſorum ad Filium; ſecundo oſtendit quod hæc devotio redundat in gloriam Patris, ibi, *Et cognoverunt quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt*; tertio rationem huius aſſignat, ibi, *Quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis*. Dicit ergo quantum ad primum: *Mihi eos dediſti, quia tui erant*; ſed & ipſi devote ſe habuerunt, *quia ſermonem tuum ſervaverunt*, in corde per fidem, & in opere per impletionem. Prov. vii. 2. „ Serva mandata mea, ut vivas. “ Supra xv. 10. *Si mandata mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea*. Sed & hoc quod ſic ſervaverunt ſermonem redundat in gloriam tuam, Pater: nam hic eſt ſermo meus, quia omnia quæcumque habeo, a te habeo; *& ipſi nunc cognoverunt, quia omnia quæ dediſti mihi*, ſcilicet homini Filio tuo, *abs te ſunt*. Supra i. 14. *Vidimus gloriam eius quaſi Unigeniti a Patre*; ideſt, vidimus eum quaſi omnia a Patre habentem. Et per hoc quod cognoverunt, clarificatur Pater in mente ipſorum. Ratio autem huius clarificationis, quod ſcilicet obedientia diſcipulorum (b) ad Filium, redundet in gloriam Patris, ponitur cum dicitur: *Quia verba quæ dediſti mihi &c.* Ubi primo ponit ordinem proceſſus cognitionis a Patre ad diſcipulos; ſecundo proponit ordinem reductionis mentium diſcipulorum in Patrem. Primum ponit per dationem doctrinæ a Patre. Et ponitur duplex datio. Una quam dedit Pater Filio: unde dicit: *Verba quæ dediſti mihi*, ſecundum gene-

(a) Al. *Manifeſtum*. (b) *Al.* redundet ad Filium &c.

nerationem æternam, in qua dedit Pater verba Filio, cum tamen ipſe ſit Verbum Patris. (a) Huiuſmodi verba nil aliud ſunt quam rationes omnium fiendorum, quas omnes ab æterno Pater dedit Filio, generando ipſum. Vel *dediſti mihi*, ſcilicet Chriſto homini: quia anima ſua ſanctiſſima ab ipſo inſtanti conceptionis repleta fuit omni cognitione veritatis. Supra I. 14. *Plenum gratia, & veritatis*, ideſt cognitione cuiuslibet veritatis. Coloſ. II. 3. „ In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & „ ſcientiæ. " Alia datio eſt quam Chriſtus dat diſcipulis: unde dicit, *Dedi eis*, interius, & exterius docendo. Supra XV. 15. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. In qno ſe oſtendit mediatorem Dei, & hominum, I. Tim. 1. quia ſcilicet qnod accepit a Patre, transfundit in diſcipulos. Deuter. V. 5. „ Ego ſequeſter fui inter Dominum & vos „ in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba eius. " Reductio autem mentium diſcipulorum in Deum ponitur cum dicit, *Et ipſi acceperunt*. Ubi ponitur duplex acceptio correſpondens duplici dationi prædictæ. Una reſpondet ſecundæ dationi, cum dicit, *Et ipſi acceperunt*, a me, non exiſtentes rebelles. Eſa. L. 5. „ Dominus Deus aperuit mihi aurem; „ ego autem non contradico. " Supra VI. 45. *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Et accipientes *cognoverunt*, quia tu omnia mihi dediſti: quod reſpondet primæ dationi.

Er, ſecundum Auguſtinum, hoc quod addir, *Crediderunt quia tu me miſiſti*, eſt expoſitivum præcedentium. Duplex enim eſt cognitio divinorum: una perfecta, quæ eſt gloriæ per apertam viſionem; alia imperfecta, quæ eſt viæ per fidem. I. Corinth. XIII. 12. „ Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, " quantum ad ſecundum: „ tunc autem facie „ ad faciem, " quantum ad primum. Dicit ergo: *Cognoverunt quia a te exivi*. Sed qua cognitione? Numquid patriæ? Non; ſed fidei: unde ſubdit, *Et crediderunt*: quaſi hoc ipſum ſit cognoſcere quod credere. *Crediderunt*, inquam, *vere*, ideſt firmiter, & ſtabiliter. Supra XVI. 31. (b) *Modo creditis*? ſcilicet ſtabiliter. *Ecce venit hora*, ſcilicet cum perfecte creditis. Et utitur præterito pro futuro, tum propter certitudinem rei futuræ, tum propter infallibilitatem divinæ prædeſtinationis. Vel, ſecundum Chryſoſtomum, loquitur de præterito; & hæc dicit eſſe facta, quia iam inchoata erant. Dicendum ergo ut utrumque ſenſum concordemus, quia hæc omnia (c) iam inchoata erant; ſed perficienda reſtabant. Ergo quantum pertinet ad inchoationem, loquitur de præterito; ſed quantum ad conſummationem, loquitur de futuro: quæ fienda erant per adventum Spiritus ſancti. Sed quid crediderunt? *Quia tu me miſiſti*. Galat. IV. 4. „ Miſit Deus Filium ſuum „ &c. " Quod, ſecundum Auguſtinum, idem eſt quod eſt *A te exivi*.

Sed hoc eſt contra Hilarium: quia, ſecundum eum, ur dictum eſt, exire pertinet ad æternam generationem, mitti vero ad incarnationem. Sed dicendum, quod de Chriſto poſſumus loqui dupliciter: ſcilicet ſecundum divinitatem; & ſic quantum ad Filium Dei, alind eſt exire, & aliud mitti, ut Hilarius dicit: vel ſecundum humanitatem; & ſic quantum ad Filium hominis, idem eſt exire, & mitti, ut dicit Auguſtinus.

(b) Hic ponuntur rationes orationis ex parte Chriſti. Et ponit ad hoc tres rationes. Una ſumitur ex dominio quod ſuper eos acceperat; & ad hoc dicit: *Ego pro eis*, ſcilicet diſcipulis, *rogo*. Ubi primo ponit rationem ipſam; ſecundo manifeſtat eam, ibi, *Quia tui ſunt*. Ratio autem quare quis ſit audiendus, & orare debeat pro aliis, eſt ſi illi ſpecialiter pertineant ad ipſum; orationes enim generales minus exaudiuntur: & ideo dicit: *Pro eis rogo, non pro mundo*, ideſt mundi dilectoribus; *ſed pro his quos dediſti mihi*, ut diſcipulos, & obedientes ſpecialiter; quamvis omnia ſint mea, poteſtate. Pſal. II. 8. „ Poſtula a me; & dabo tibi gentes bereditatem tuam. "

Sed contra. Videtur quod pro omnibus rogaverit. I. Ioan. II. 1. „ Advocatum habemus „ apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: & „ ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non „ ſolum autem noſtris, ſed & totius mundi. " I. Tim. II. 4. „ Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. " Reſponſio. Dicendum, quod Chriſtus, quantum eſt de ſe, pro omnibus oravit, quia oratio ſua, quantum eſt de ſe, efficax eſt ut valeat toti mundo; ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in ſanctis, & electis Dei; & hoc propter impedimentum mundanorum.

Et rationem manifeſtat dicens, *Tui erant*, ſcilicet per æternam prædeſtinationem; ſed non erant ita tui ut Filius eos non haberet, nec ita dantur Filio, ut auferantur Patri: unde dicit: *Et omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt*: in quo oſtenditur æqualitas Filii ad Patrem, qui, ſecundum quod Deus, ab æterno habet omnia quæ Pater habet.

Sed notandum, quod Pater habet quædam quæ

(a) *Al.* quia huiuſmodi. (b) Al. *Modo creditis*, inſtabiliter ſcilicet; *venit hora*, ſcilicet cum perfecte credetis. (c) *Al. omittitur* iam.

quæ pertinent ad eſſentiam ſuam, ſicut eſt ſapientia, bonitas, & huiuſmodi, quæ nihil aliud ſunt quam ſua eſſentia; & hoc proteſtatur Filius ſe habere, ſupra xvi. 14. ubi loquitur de proceſſione Spiritus ſancti: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*: & hoc ideo, quia *quæcumque habet Pater, mea ſunt*. Et dicit, *Omnia*, quia licet unum re ſint, tamen multa ratione. Secundo habet quædam quæ pertinent ad poſſeſſionem ſanctitatis, quæ ſunt ei conſecrata per fidem, ſicut ſunt omnes ſancti, & electi, de quibus dicit ſupra eodem, *Tui erant*. Et etiam iſta omnia proteſtatur Filius ſe habere, cum dicit hic, de eis loquens: *Et tua mea ſunt*: quia ſcilicet ad hoc prædeſtinati ſunt ut fruantur Filio, ſicut & Patre. Tertio modo habet Pater quædam per modum poſſeſſionis communiter, ſicut omnes res creatas. Pſal. xxiii. 1. „ Domini eſt terra, & plenitudo eius. “ Et hæc etiam omnia ſunt Filii. Unde in parabola de filio prodigo, Luc. xv. 31. dicit pater filio maiori: „ Omnia mea tua ſunt. “

Secunda ratio ſumitur ex gloria quam Chriſtus habebat in eis: quia gloriam eius iam partim cognoſcebant, & adhuc magis cognoſcituri erant. II. Petr. 1. 16. „ Non indoctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. “ Tertia ratio ſumitur ex abſentia qua ab eis corporaliter recedebat: unde dicit: *Et iam non ſum in mundo*. Ubi ſciendum eſt, quod dupliciter dicitur aliquid eſſe in mundo, ſcilicet adhærendo mundo per effectum. I. Ioan. 11. 16. „ Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. “ Sed hoc modo non eſt dicendum, quod Chriſtus iam non ſit in mundo, cum numquam fuerit in mundo, ei per affectum inhærendo. Sed eſt alio modo intelligendum, ſcilicet quod iam non ſit in mundo præſentia corporali: quia mox futurum erat ut qui in mundo corporaliter fuerat, corporaliter ipſum relinqueret. *Et hi*, ſcilicet diſcipuli, *in mundo ſunt*, ſcilicet præſentia corporali; *et ego ad te venio*, ſecundum quod homo, ſcilicet ad participationem gloriæ tuæ, & exaltationem uſque ad dexteram tuam &c. Et ideo iuſtum eſt ut pro eis orem a quibus corporaliter receſſurus ſum.

LECTIO III.

(a) PAter ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos.

(b) Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi, ego cuſtodivi; & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.

(c) Nunc autem ad te venio.

(d) Et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis.

(e) Ego dedi eis ſermonem tuum;

(f) Et mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo.

(g) Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos a malo. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo.

(a) POſitis rationibus orandi pro Apoſtolis, hic ponit petitiones quas pro eis porrigebat. Et primo petit eorum conſervationem; ſecundo ſanctificationem, ibi, *Sanctifica eos*. Sed conſervationem a malo, ſanctificationem in bono. Circa primum duo facit. Primo petit eorum conſervationem; ſecundo ponit conſervationis neceſſitatem, ibi, *Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos*. Circa primum conſideranda ſunt quatuor. Primo a quo petat; ſecundo quid petat; tertio pro quibus; quarto ad quid petit. Petit quidem a Patre: unde dicit, *Pater*; & merito, quia ipſe eſt principium omnis boni. Iacob. 1. 17. „ Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. “ Sed addit, *Sancte*, quia etiam in ipſo eſt principium, & origo totius ſanctitatis, & quia finaliter ſanctificationem petebat. Levit. xix. 2. „ Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. “ I. Reg. 11. 2. „ Non eſt (a) ſanctus ut eſt Dominus. “ Petit autem conſervationem eorum: unde dicit, *Serva eos*: quia, ut dicitur in

(a) *Al.* ſpiritus.

Google

io Pſal. cxxvi. 1. „ niſi Dominus cuſtodierit „ civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. “ Non eoim bonum noſtrum eſt (*a*) io hoc ſolum quod habemus eſſe a Deo, ſed oportet qood conſervemur ab eo. Quia, ut dicit Gregorius, „ omnia io nihilum redigerentur, „ niſi manus Omnipotentis contineret. “ Hebr. 1. 3. „ Portans omnia verbo virtutis „ ſuæ. “ Et ideo Pſalmiſta petebat (Pſal. xv. 1.) „ Conſerva me Domine, quoniam ſperavi „ io te. “ Conſervatur autem (*b*) homo a malo, & a peccato io nomine Dei: uode dicit, *In nomine tuo*; ideſt, per virtotem oominis tui, & tuæ cognitionis: quia in hoc eſt gloria, & ſalus noſtra. Pſal. xix. 8. „ Hi in „ curribus, & hi in equis; oos autem in no„ mine Domini Dei noſtri iovocabimus. “ Petit autem pro ſibi datis: unde dicit, *Quos dediſti mihi*. Eccle. vii. 14. „ Inſpice in omnia „ opera Domini, quod nemo poſſit corrigere „ quem ille deſpexerit. “ Nullus enim poteſt conſervari a malo, niſi per electionem divinam, quæ deſignatur, cum dicit, *Quos dediſti mihi*, ideſt dono tuæ gratiæ, ut mihi adhærerent. Matth. xix. 11. „ Non omnes ca„ piunt verbum boc; ſed quibus datum eſt. “ Qui eoim ſic daotur Chriſto, conſervantur a malo. Ad quid ergo petit eos conſervari, ſubdit dicens: *Ut ſint unum ſicut & nos*: quod poteſt dupliciter continuari ad præcedentia. Uno modo ut deſignet modum conſervationis: ut ſit ſenſus: Ita ſervabuntur, *ut ſint unum*: nam quælibet res conſervatur io eſſe quamdiu eſt una, quæ deſinit eſſe per diviſionem. Matth. xii. 25. „ Omoe regnum in ſe„ ipſum diviſum deſolabitur. “ Et ideo Eccleſia poteſt conſervari, & homines, ſi ſint unum. Alio modo ut ſit finis conſervationis: ut ſit ſenlus: Et ad hoc conſerventur, *ut ſint unum*: nam in unitate ſpiritus conſiſtit noſtra perfectio tota. Epheſ. iv. 3. „ Soliciti ſervare „ unitatem ſpiritus in vinculo pacis. “ Pſalm. cxxxii. 1. „ Ecce quam bonum, & quam iu„ cundum habitare fratres in unum. “ Sed addit, *Sicut nos unum ſumus*.

Sed contra. Ipſi ſunt unnm ſecundum eſſentiam: ergo & nos erimus unum per eſſentiam. Sed hoc non eſt verum. Reſponſio. Dicendum, quod uoioſcuiuſque perfectio nihil eſt aliod quam participatio divinæ ſimilitudinis. Intantum enim ſumus boni inquantum Deo aſſimilamur. Unitas ergo noſtra intantum eſt perfectiva inquantum participat unitatem divinam. Eſt autem duplex uoitas in diviois, ſcilicet naturæ: ſupra x. 30. *Ego & Pater unum ſumus*: & unitas amoris in Patre, & Filio, quæ eſt unitas ſpiritus. Et utraque eſt in nobis, oon quidem per æquiparationem, ſed per ſimilitudinem quamdam: Pater enim, & Filius ſunt eiuſdem naturæ numero; nos aotem ſumus unum in natura ſecundum ſpeciem. Item ipſi ſunt unum per amorem oon participatum ex dono alicuius, ſed ab eis procedeotem: nam Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto; nos autem per amorem participatum ex aliquo ſoperiori.

(b) Neceſſitatem autem huius conſervationis ponit, dicens: *Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo*: quæ cauſatur ex duobus. Primo quidem ex receſſu ſui; ſecundo ex odio mundi, ibi, *Ego dedi eis ſermonem tuum*. Circa primum tria facit. Primo ponit conſervationis ſtudium, quod Dominus cum eſſet præſens, eis exhibuit; ſecundo inſinoat diſceſſum quo ad Patrem redit, ibi, *Nunc autem ad te venio*; tertio aſſignat rationem quare hæc verba protulit, ibi, *Et hæc loquor &c.* Circa primum tria facit. Primo proponit conſervandi modum; ſecundo conſervationis debitum; tertio conſervationis efficaciam, ſive effectum. Sed modus cooſervandi eſt congruus, quia virtute Patris: oode dicit: *Cum eſſem cum eis*, ſcilicet præſeotia corporali: Baruch iii. 38. „ Poſt hæc in terris viſus eſt, „ & cum hominibus converſatus eſt: “ *ego*, ſcilicet Filius hominis, *ſervabam*, ideſt cuſtodiebam, *eos* a malo, & peccato; ſed non virtute humana, immo divina, quia *in nomine tuo*: qood quidem nomen etiam commune eſt Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Matth. ult. 19. „ Baptizantes cos in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus ſaocti. “ Et (*c*) hoc quidem, tum quia Pater, & Filius ſunt unus Deus, tum quia in nomine Patris intelligitur etiam nomen Filii: pater enim dicitur qui habet filiom. Sed attende, quia ſupra cum negaſſet ſe habere dæmonium, non negavit ſe Samaritanum, ideſt coſtodem eſſe, quia cuſtos eſt. Eſa. xxi. 11. „ Cuſtos quid „ de nocte? “ ſcilicet huius mundi. Ipſe enim ſicut paſtor cuſtodit gregem ſuum. Sed conſervatioois debitum ponit dicens, *Quos dediſti mihi*: (*d*) Cuſtos enim tenetur cuſtodire ſuæ cuſtodiæ deputatos. III. Reg. xx. 39. „ Cu„ ſtodi virum (*e*) iſtum. “ Habac. ii. 1. „ Su„ per cuſtodiam meam ſtabo. “ Sic ſtat prælatus qoando diligenter invigilat ſuper his qui ſibi ſunt deputati. Luc. ii. 8. „ Paſtores erant „ in regione eadem vigilantes, & cuſtodien„ tes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. “ Sed efficacia cuſtodiæ eſt perfecta, quia *nemo ex iis periit*. Supra x. 27. *Oves meæ vocem meam*

au-

(a) *Al.* ut in hoc ſolum. (b) *Al.* deeſt homo. (c) *Al.* hoc idem. (d) *Al.* quibus enim tenetur. (e) *Al.* iuſtum.

audiunt, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Et ſupra VI. 40. *Omnis qui credit in eum, habet vitam æternam*. Sed ab hac efficacia excipitur unus, ſcilicet *filius perditionis*, ſcilicet Iudas; qui dicitur filius perditionis, quaſi ad perpetuam perditionem præſcitus, & præordinatus. Sic enim aliqui deputati ad mortem dicuntur filii mortis. I. Reg. XXVI. 16. „ Omnes vos filii mortis eſtis. " Matth. XXIII. 15. „ Circuitis mare, & aridam ut faciatis „ unum proſelytum .... & facitis eum filium „ mortis duplo quam vos. "

Sed nota, quod Interlinearis habet: „ Filius mortis, ideſt prædeſtinatus perditioni; " cum tamen raro inveniatur quod prædeſtinatio ponatur in malum. Unde hic ſumitur communiter pro ſcientia, vel ordinatione. Ideo prædeſtinatio ſemper in bonum ponitur, quia habet duplicem effectum gratiæ, & gloriæ; & ad utrumque Deus ordinat. Sed in reprobatione duo ſunt, culpa, & pœna temporaliter; & ad unum eorum Deus tantum ordinat, ſcilicet ad pœnam, & non per ſe. *Ut Scriptura*, qua ſcilicet prædixiſti, ſcilicet in Pſal. CVIII. 1. „ Deus laudem meam „ ne tacueris: quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt: " quod ſcilicet eſſet me proditurus: *impleretur*.

(c) *Nunc autem ad te venio*, deſerens eos corporali præſentia. Supra XVI. 28. *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Sed quia hæc verba in corde male intelligentium poſſent infidelitatis ſcandalum generare; quaſi non poſſet eos ſervare ab eis recedens; vel quod Pater eos ante non ſervaſſet: ſed quidem & Pater eos ante ſervabat, unde dixit: *Ego ſervabam eos in nomine tuo*: ſed & Filius poſt ſuum receſſum eos ſervare potuit:

(d) Et ideo rationem dictorum aſſignans, dicit: *Et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis*; quaſi dicat: Locutus ſum ſicut homo orans; ſed *hæc loquor* propter conſolationem diſcipulorum æſtimantium me eſſe hominem purum, ut ſaltem conſolentur in hoc quod eos tibi Patri, quem maiorem credunt, recommendo, gaudentes ſe eſſe in protectione Patris. Et hoc, ſecundum Chryſoſtomum, vel ſecundum Auguſtinum, ut referantur hæc verba ad hoc quod ſupra dixit: *Ut ſint unum ſicut & nos ſumus*. Et ſic ponuntur ut fructus unitatis; quaſi diceret: *Ut habeant gaudium*, iam ſuperius expreſſum, quo ſcilicet in me gaudeant, vel quod eis eſt a me, *plenum in ſemetipſis*: quod quidem conſequentur per unitatem ſpiritus, per quam pervenient ad gaudium vitæ æternæ, quod eſt plenum. Ideo autem gaudium ad unitatem ſequitur, quia unitas, & pax faciunt perfecte gaudere. Proverb. XII. 20. „ Qui ineunt pacis conſilia, ſequitur eos gaudium. " Galat. V. 22. „ Fructus autem Spi- „ ritus eſt gaudium &c. "

(e) Hic ponitur alia conſervationis neceſſitas, quæ cauſatur ex odio mundi. Et primo proponit beneficium quod diſcipulis contulerat; ſecundo odium mundi quod incurrerant, ibi, *Et mundus eos odio habuit*; tertio petit auxilium Patris, quod eos protegat, ibi, *Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos a malo*. Dicit ergo primo: *Ego dedi eis ſermonem tuum*, ideſt quem a te recepi. Supra eodem: *Verba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt*. Vel *dedi*, ideſt dabo per inſpirationem Paracliti, *ſermonem tuum*, ideſt de te; quod quidem eſt maximum donum, & beneficium. Prov. IV. 2. „ Donum bonum „ tribuam vobis: legem meam ne derelinqua- „ tis. "

(f) Sed ex hoc ſecutum eſt odium mundi, quia ſcilicet ex hoc quod ſuſceperunt ſermonem tuum, *mundus eos odio habuit*. Luc. VI. 22. „ Beati eritis cum vos oderint homi- „ nes &c. " I. Ioan. III. 13. „ Nolite mi- „ rari ſi odit vos mundus. " Cauſa autem huius odii eſt, quia receſſerunt de mundo. Sermo enim Dei facit homines a mundo recedere: nam Deo coniungit, cui nullus coniungi poteſt, niſi a mundo recedat: qui enim diligit mundum, non eſt perfecta caritas Dei in illo: & ideo dicit: *Quia non ſunt de hoc mundo*. Supra XV. 19. *Quia ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Naturale enim eſt unicuique quod ſibi ſimile eſt diligere. Eccli. XIII. 19. „ Omne animal diligit „ ſibi ſimile, & odio habet diſſimile. " Sap. II. 15. „ Gravis eſt nobis etiam ad viden- „ dum; " & hoc „ quia diſſimilis eſt aliis „ vita illius. " Et ad hoc ponit exemplum, qualiter ſcilicet non ſunt de mundo, dicens: *Sicut & ego non ſum de mundo*: quod intelligendum eſt quantum ad amorem, quia ſicut Chriſtus in mundo non erat per affectum, ſic nec iſti; non autem quantum ad originem, quia aliquando de mundo fuerunt. Chriſtus autem numquam, quia etiam quantum ad nativitatem carnis natus eſt de Spiritu ſancto, Matth. I. Supra VIII. 23. *Vos de mundo hoc* (a) *eſtis; ego non ſum de hoc mundo*.

(g) Auxilium autem contra odium petit, dicens: *Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos a malo*: & primo ponit ſuam petitionem; ſecundo aſſignat petitionis rationem,

LIIII 2 ibi,

(a) Al. *non eſtis &c*.

ibi, *De mundo non ſunt*. Circa primum duo ponit, quorum unum dicit ſe non perere, ſcilicet (a) ut non tollantur de mundo.

Contra. Quomodo tolli poſſunt de mundo qui de mundo non ſunt? Sed dicendum, quod de mundo quidem non erant per affectum, ſicut ſupra dixit, ſed de mundo per corporalem converſationem; & ſecundum hoc noluit ut tollerentur de mundo; & hoc propter utilitatem fidelium, qui per eos crediturì erant. Marc. ult. 15. „ Euntes in mun„ dum univerſum, prædicate Evangelium o„ mni creaturæ. “ Sed aliud petit, ut ſcilicet in mundo corporaliter converſantes, *ſerves a malo*, ſcilicet mundi: grave enim eſt ut homo inter malos exiſtens a malo immunis exiſtat, præcipue cum torus mundus in maligno poſitus ſit. Eſai. XLIII. 2. „ Cum „ tranſieris per aquas, tecum ero, & flumi„ na non operient te. “

Ratio autem petitionis ponitur cum dicit, *De mundo non ſunt*. Ubi videtur eſſe intricatio verborum, & inutilis repetitio; cum dicat eadem verba ſupra. Sed quidem non eſt inutilis repetitio: quia ad aliud dicuntur ibi, & ad aliud hic: ibi enim dicuntur ad oſtendendam cauſam quare odio habeantur a mundo; hic vero dicuntur ad aſſignandam rationem quare debeant conſervari a Deo. Ex quo datur intelligi quod idem eſt propter quod ſancti odiuntur a mundo, & diliguntur a Deo, ſcilicet contemptus mundi. Iac. II. 5. „ Nonne vos elegit Deus pauperes in hoc „ mundo, divites in fide, & heredes regni „ quod promiſit Deus diligentibus ſe? “ Et ideo quodlibet bonum quod facit reddit hominem mundo odibilem, ſed Deo dilectum. Exod. VIII. 26. „ (b) Abominationes AE„ gyptiorum immolabimus Domino Deo no„ ſtro. “

LECTIO IV.

(a) Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. (b) Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum. (c) Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.

(a) Supra Dominus petiit diſcipulorum conſervationem; hic petit eorum ſanctificationem: & primo petit eorum ſanctificationem; ſecundo ſanctificationis aſſignat neceſſitatem, ibi, *Sicut tu me miſiſti in mundum*; tertio inſinuat huius ſanctificationis inchoationem, ibi, *Et ego pro eis ſanctifico meipſum*. Dicit ergo: Sic petii quod ſerventur a malo; ſed hoc non ſufficit niſi perficiantur in bono. Pſal. XXXVI. 27. „ Declina a malo, & fac „ bonum. “ Et ideo *Pater ſanctifica*, ideſt perfice, *eos*, & ſanctos fac; & hoc *in veritate*, ideſt in me Filio tuo, qui ſum veritas, ſupra XIII. quaſi diceret: Fac eos participes meæ perfectionis, & ſanctitatis. Et ideo addit: *Sermo tuus*, ideſt Verbum tuum, *veritas eſt*: ut ſit ſenſus: *Sanctifica eos in* me *veritate*, quia ego Verbum tuum ſum veritas. Vel *ſanctifica eos*, immittendo eis Spiritum ſanctum; & hoc *in veritate*, ideſt in cognitione veritatis fidei, & tuorum mandatorum. Supra VIII. 32. *Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Nam per fidem, & cognitionem vetitatis ſanctificamur. Rom. III. 22. „ Iuſtitia enim Dei per fidem Ieſu Chriſti, „ in omnes, & ſuper omnes qui credunt in „ eum. “ Et ideo ſubdit: *Sermo tuus veritas eſt*: quia ſcilicet veritas ſermonum Dei nullam habet falſitatem admixtam. Prov. VIII. 8. „ Recti ſunt ſermones mei, non eſt in eis „ pravum quid, neque perverſum. “ Et quia ſermo eius docet veritatem increatam. Vel aliter. In veteri teſtamento erat modus loquendi, quod omne quod deputatur cultui divino, dicitur ſanctificari. Exod. XXVIII. 1. „ Applica ad me Aaron fratrem tuum cum „ filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, ut ſa„ cerdotio fungantur mihi. “ Dicit ergo, *Sanctifica*, ideſt deputa quaſi per modum ſanctificationis, *eos in veritate*, ideſt tuæ veritati prædicandæ: quia *ſermo tuus*, quem debent prædicare, *veritas eſt*.

(b) Et neceſſitas ſanctificationis ſubditur cum dicit: *Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum*; quaſi dicat: Ad hoc ego veni ut prædicarem veritatem: infra XVIII. 37. *In hoc natus ſum .... ut teſtimonium perhibeam veritati*: ita & ego (c) miſi diſcipulos ad veritatem prædicandam. Marc. ult. 15. „ Euntes in mundum univerſum præ„ dicate Evangelium omni creaturæ. “ Neceſſe ergo habent quod in veritate teſtificentur. Infra XX. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*.

(c) Sed debent ſanctificari non ſolum propter officium ad quod deputantur, ſed quia iam

(a) *Al. deeſt* ut. (b) *Al.* Abominantes. (c) *Al. deeſt* miſi.

iam inchoata eſt per me: unde dicit: *Et pro eis ego ſanctifico meipſum*. Secundum Auguſtinum enim ſciendum eſt, quod in Chriſto eſt duplex natura: ſed quantum ad divinam Chriſtus eſt ſanctus per eſſentiam, quantum vero ad humanam Chriſtus eſt ſanctus per gratiam, quæ derivatur a divina natura. Dicit ergo ſecundum divinitatem, *Sanctifico meipſum*, aſſumendo carnem pro eis: & hoc ut ſanctitas gratiæ, quæ eſt a me Deo in me homine, derivetur a me eis: quia *de plenitudine eius omnes accepimus*: ſupra I. 16. Pſal. CXXXII. 2. „ Sicut unguentum quod eſt in capite (Chriſti, quod eſt Deus) quod deſcendit in barbam „ Aaron (ideſt in humanitatem, & ab hac) „ deſcendit in oram veſtimenti eius, “ ideſt in nos. Vel aliter, ſecundum Chryſoſtomum, rogavit ut ſanctificarentur ſanctificatione ſpirituali. In veteri autem teſtamento erant iuſtificationes carnales. Hebr. IX. 10. „ Iuſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis „ impoſitis. “ Sed illæ erant figuræ ſpiritualis ſanctificationis, quæ tamen fiebant per aliquod ſacrificium; & ideo ad ſanctificationem diſcipulorum competebat fieri aliquod ſacrificium; & hoc eſt quod dicit: Ut ſanctificentur ipſi, ego iam ſanctifico me; ideſt, offero me ſacrificium. Heb. IX. 14. „ Obtulit ſemetipſum Deo. “ Ibid. „ XIII. 12. Propter quod Ieſus ut ſanctificaret „ per ſuum ſanguinem populum, extra portam „ paſſus eſt. Et hoc *in veritate*, non in figura, ſicut in veteri teſtamento.

L E C T I O V.

(a) NOn pro eis autem rogo tantum, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me:

(b) Ut omnes unum ſint, ſicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus quia tu me miſiſti.

(c) Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.

(a) POſtquam Dominus oravit pro ſuis diſcipulis, hic rogat communiter pro fidelibus omnibus: & primo proponit orationem; ſecundo ſubiungit exauditionis rationem, ibi, *Pater iuſte, mundus te non cognovit*. In oratione autem duo petit a Patre diſcipulis ſuis. Primo quidem unitatis perfectionem; ſecundo gloriæ viſionem, ibi, *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum*. Circa primum duo facit. Primo petit quaſi homo unitatis perfectionem; ſecundo oſtendit quod ipſe ut Deus fecerit eis (a) poteſtatem ad hanc unitatem conſequendam, ibi, *Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis*. Circa primum duo facit. Primo proponit pro quibus petit; ſecundo ſubdit quid petat, ibi, *Ut omnes unum ſint &c.* Petit autem pro toto cœtu fidelium: unde dicit: Dixi, quod conſerves diſcipulos a malo, & quod ſanctifices eos in veritate; ſed *non pro eis rogo tantum, ſed etiam pro eis qui credituri ſunt*, ideſt pro illis quorum fides confirmabitur; & hoc *per verbum eorum*, ideſt Apoſtolorum. Et iuſte rogat: quia nullus ſalvatur, niſi per interceſſionem Chriſti. Ne autem ſolum Apoſtoli ſalvarentur, ſed etiam alii, ideo etiam pro aliis orandum erat. Deut. IV. 37. „ Dilexit patres „ tuos, & elegit ſemen eorum poſt eos. “ Eccli. XLIV. 11. „ Cum ſemine eorum permanebo, & hereditas ſancta nepotes eorum. “

Sed contra. Videtur quod non oravit pro omnibus fidelibus ſuis. Nam pro his hic orat qui convertendi erant per verba Apoſtolorum; ſed antiqui patres, & Ioannes Baptiſta non fuerunt converſi per verba eorum. Ad quod dicendum, quod ipſi iam pervenerant ad conſummationem; & licet non fruerentur Dei viſione, cum non eſſet ſolutum pretium, tamen cum meritis ſuis hinc abierant, ita ut ſtatim aperta ianua introducendi eſſent: & ideo oratione non indigebant.

Sed adhuc iterum quæritur de aliquibus, qui non per Apoſtolorum verba crediderunt, ſed immediate per Chriſtum, ſicut Paulus. Galat. I. 12. „ Non ab hominibus, neque per „ hominem accepi illud, neque didici, ſed per „ revelationem Ieſu Chriſti. “ Et latro in cruce, Luc. XXIII. Non videtur ergo quod pro eis oraverit. Sed ad hoc dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod per verbum Apoſtolorum dicuntur credere non ſolum qui ab ipſis audierunt, ſed quicumque credunt per verbum quod Apoſtoli prædicaverunt, quod eſt verbum fidei, Rom. X. quod dicitur verbum Apoſtolorum, quia ipſis principaliter commiſſum,

(a) *Al. tribuerit* poteſtatem.

ſum, & prædicatum: qnod etiam Paulo, & latroni in cruce eſt revelatum divinitus. Vel dicendum, quod qui immediate a Chriſto, & per Chriſtum converſi ſunt, ſicut Paulns, & latro in cruce, & ſi qui alii, computantur in parte orationis qua Dominus pro diſcipulis oravit. Unde Dominus dixit (ſupra hoc cap.) *Quos dediſti mihi*, ſeu daturus es.

Sed adhuc quæritur de nobis, qui non credimus per Apoſtolos. Sed ad hoc dicendum, quod licet non crediderimus per Apoſtolos, credimus tamen per diſcipnlos eorum.

(b) Petit autem unitaris perfectionem: nnde dicit: *Ut omnes unum ſint*. Ubi primo proponit unitatem qnam petit; ſecundo unitatis exemplum, & cauſam, ibi, *Sicut tu, Pater, in me, & ego in te*; tertio unitatis fructum, ibi, *Ut mundus credat quia tu me miſiſti*. Dicit ergo: Hoc rogo *ut omnes unum ſint*. Nam, ut Platonici dicunt, ab hoc quælibet res habet unitatem a quo habet bonitatem. Bonum enim eſt quod eſt rei conſervativum; nulla antem res conſervatur niſi per hoc quod eſt una. Et ideo Dominus petens diſcipulorum perfectionem in bonitate, petit quod ſint unum; quod quidem impletum eſt, Act. IV. 32. „ Multitudinis credentinm erat cor unum, „ & anima una. " Pſal. CXXXII. 1. „ Ecce quam „ bonum, & quam iucundum habitare fra- „ tres in unum. " Sed unitatis exemplum, & cauſam ſubdit, dicens: *Sicut tu, Pater, in me, & ego in te*. Aliqui enim ſunt unum, ſed in malo. Unde hanc unitatem Deus non petit, ſed illam ſecundum quam homines uniuntur ad bonum, ſcilicet in Deum: & ideo dicit: *Sicut tu, Pater, in me, & ego in te*; ideſt, hoc modo uniantur quod credant in me, & in te. Rom. XII. 5. „ Multi unum „ corpus ſumus in Chriſto. " Epheſ. IV. 3. „ Soliciti ſervare unitatem ſpiritus .... qui „ eſt unus Deus, una fides, unum baptiſ- „ ma. " Et quidem in Patre, & Filio qui ſunt unum, ſumus unum: quia ſi diverſa quærimus credendo, & deſiderando, affectus noſter diverſificatur ad multa.

Sed Arrius ex hoc arguit, quod eodem modo Filius eſt in Patre, & Pater in Filio, quo nos ſumus in Deo; ſed nos non ſumus per unitatem eſſentiæ, ſed per conformitatem voluntatis, & amoris: ergo & ſimiliter Pater non eſt in Filio per unitatem eſſentiæ. Sed dicendum, quod in Patre, & Filio eſt duplex unitas, ſcilicet eſſentiæ, & amoris: & ſecundum utramque Pater eſt in Filio, & Filius in Patre. Quod ergo hic dicit, *Sicut tu, Pater, in me, & ego in te*, poteſt referri uno modo ad unitatem amoris, ſecundum Auguſtinum, ut ſit ſenſus: *Sicut tu, Pater, es in me*, per amorem: quia caritas facit unum eſſe cum Deo; quaſi diceret: Sicut Pater diligit Filinm, & e converſo; ita ipſi diligant Patrem, & Filium. Et ſic ly *ſicut* non dicit æquiparantiam, ſed quamdam remotam ſimilitudinem. Vel, ſecundum Hilarium, poteſt referri ad unitatem naturæ, non quidem quod eadem natura numero ſit in nobis cum Patre, & Filio, ſicut eſt in eis; ſed quod unitas noſtra per hoc ſit quod (a) aſſimilamur illi divinæ natnræ, per quam Pater, & Filius ſunt unum. Hoc etiam modo ly *ſicut* dicit imitationem quamdam. Et inde eſt quod invitamur ad imitationem dilectionis divinæ. Epheſ. V. 1. „ Eſtote imitatores Dei, ſicut „ filii cariſſimi, & ambulate in dilectione, „ ſicut & Chriſtus dilexit nos. " Et perfectionis, ſeu bonitatis. Matth. V. 48. „ Eſto- „ te perfecti ſicut Pater veſter perfectus „ eſt. "

Fructus autem unitatis ponit cum dicit, *Ut mundus credat*: per nihil enim aliud ſic manifeſtatur veritas Evangelii, ſicut per caritatem fidelium. Supra XIII. 35. *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Erit ergo hic unitatis fructus: quia per hoc quod ſint unum, *mundus credat*, quod doctrina quam dedi eis ſit a te, & cognoſcat *quia tu me miſiſti*. Non enim eſt Deus diſſenſionis cauſa, ſed pacis.

Sed hic eſt quæſtio: quia unum perfecte erimus in patria, ubi non erit tempus credendi: inconvenienter ergo poſt unitatem ſubdit: *Ut mundus credat quia tu me miſiſti*. Sed dicendum, quod hic non loquitur de unitate conſummata, ſed inchoata.

Item eſt alia quæſtio: quia ipſe orat ut ſint unum illi qui credunt in eum: ergo & mundus credens eſt unum. Quomodo ergo dicit, poſtquam ſunt unum, *Mundus credat*? Ad quod poteſt myſtice reſponderi, quod uno modo Dominus petit pro omnibus credentibus, quod ſint unum; qui tamen non ſimul credituri erant, ſed quidam prius, per quos alii convertendi erant. Quod ergo dicit, *Ut mundus credat*, intelligitur quantum ad illos qui non a principio crediderunt, qui cum crediderunt, facti ſunt unum; & ſimiliter alii credentes poſt eos: & ſic uſque ad finem mundi. Alio modo, ſecundum Hylarium, ut ly *mundus credat* ſit finis unitatis, & perfectionis; quaſi diceret: Perfice eos, ut ſic ſint unum, ad hoc ſcilicet *ut mundus credat quia*

tu

(a) *A'*. aſſu mamur.

tu me miſiſti. Unde ly *ut* importat cauſam finalem. Tertio modo, ſecundum Auguſtinum, ut ly *mundus credat* ſit alia petitio: & tunc oportet repeti quod dixit, *Rogo*: quaſi diceret: Rogo ut ſint unum; & rogo ut mundus credat.

(c) Quid autem Chriſtus ad hanc unitatem operatus ſit, ſubdit dicens: *Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis*; quaſi, hoc quod petit ut homo, facit ut Deus. Et primo oſtendit quod ipſe operatus eſt ad hoc quod ſint unum; ſecundo ponit unitatis modum, & ordinem, ibi, *Ego in eis*, *& tu in me*; tertio oſtendit unitatis finem, ibi, *Ut cognoſcat mundus quia tu me miſiſti*. Dicit ergo: Etſi ut homo petam eorum perfectionem, nihilominus tamen ſimul tecum hoc facio: quia *& ego claritatem*, ideſt gloriam reſurrectionis, *quam tu*, Pater, *dediſti mihi*, æterna prædeſtinatione, & daturus es ſtatim in re, *ego dedi illis*, ſcilicet diſcipulis. Et claritas eſt immortalitas, quam in reſurrectione fideles accipient etiam quantum ad corpus. Philip. III. 21. „ Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. " I. Corinth. XV. 43. „ Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. " Et hoc *ut ſint unum*: quia per hoc quod habebunt gloriam, efficientur unum, *ſicut & nos unum ſumus*.

Sed videtur diſtinguere operationem ſuam (a) ab operatione Patris. Dicit, quod Pater ſibi claritatem dedit, & Chriſtus eam dedit fidelibus. Sed ſi bene intelligatur, non ponitur hoc ad diſtinguendum operationem, ſed perſonas. Nam Filius, inquantum Filius, ſimul cum Patre claritatem dat Chriſto homini, & ſimul etiam cum eo fidelibus. Sed tamen inquantum hanc claritatem ſpecialiter per humanitatem ſuam eis tribuit; ideo hanc attribuit ſibi, illam Patri. Et ſic accipitur hic claritas, ſecundum Auguſtinum. Vel, ſecundum Chryſoſtomum. *Ego claritatem*, ſcilicet gratiæ, *quam dediſti mihi*, homini, quantum ad excellentem cognitionem, perfectionem, & miraculorum operationem, *dedi eis*, in parte, & adhuc perfectius dabo. II. Corinth. III. 18. „ Transformamur a claritate in claritatem. " Pſal. LXVII. 19. „ Dedit dona hominibus. " Et hoc *ut ſint unum ſicut & nos ſumus*. Hic enim eſt finis divinorum donorum ut uniamur illa unitate, quæ eſt conformis unitati Patris, & Filii.

Ordo autem unitatis ſubditur, cum dicit: *Ego in eis*, *& tu in me*. Nam per hunc ordinem perveniunt ad unitatem, quia vident quod ego ſum in eis per gratiam, ſicut in templo. I. Corinth. III. 16. „ Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? " quæ eſt quaſi quædam ſimilitudo eius eſſentiæ, qua tu es in me per unitatem naturæ. Supra XIV. 10. *Ego in Patre*, *& Pater in me eſt*. Et hoc *ut ipſi ſint conſummati*, ideſt perfecti, *in unum*.

Sed attende, quod cum ſupra dixiſſet, *Ut ſint unum*, hic addit, *Conſummati*: quod ideo eſt, quia illud refertur ad unitatem gratiæ, hoc autem ad eius complementum. Vel aliter, ſecundum Hylarium. *Ego in eis*: ſupple, ſum per unitatem naturæ humanæ quam eamdem habeo cum illis, & quia etiam do eis corpus meum in cibum: *& tu in me*, per unitatem eſſentiæ.

Sed ſecundum primam expoſitionem, quia per gratiam non ſolum Filius eſt in eis, ſed & Pater: ſupra XIV. 23. *Ad eum veniemus*, *& manſionem apud eum faciemus*: quare dicit: *Ego in eis*, ſine Patre? Reſponſio. Dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod hoc non dicit ut oſtendat Filium in eis eſſe ſine Patre; ſed quia per Filium acceſſum habeant ad Patrem. Rom. V. 1. „ Iuſtificati igitur ex fide per Chriſtum, pacem habeamus ad Deum, per quem & habemus acceſſum. " Vel, ſecundum Chryſoſtomum, ſupra dixit, *Ad eum veniemus*, ut oſtendat pluralitatem perſonarum divinarum contra Sabellium; hic autem dicit, *Ego in eis*, ut oſtendat æqualitatem Patris (b) ad Filium contra Arrium. Per hoc enim datur intelligi quod ſufficit fidelibus, ſi ſolus Filius inhabitet.

Finis autem unitatis ponitur, ibi, *Ut cognoſcat mundus quia tu me miſiſti*. Et quidem ſi conſummata unio referatur ad perfectionem viæ, tunc ly *cognoſcat mundus* idem eſt quod ſupra dixit, *Ut mundus credat*. Tunc dicitur propter inchoationem; hic autem dicit, *Cognoſcat*, quia (c) imperfectam cognitionem non ſequitur fides, ſed plena cognitio. Et dicit, *Cognoſcat mundus*, non quod nunc ſit mundus, ſed quod fuit mundus: ut ſit ſenſus: *Mundus*, iam credens, *cognoſcat*. Vel *mundus*, ideſt amatores mundi, *cognoſcat quia tu me miſiſti*: quia tunc mali (d) per manifeſta indicia cognoſcent Chriſtum eſſe Filium Dei. Apocalyp. I. 7. „ Videbit eum omnis oculus. " Et infra XIX. 37. *Videbunt in quem transfixerunt*. Luc. XXI. 27. „ Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum poteſtate magna, & maieſtate. " Et non ſolum cognoſcat hoc; ſed & ſanctorum claritatem,

(a) *Al.* ad operationem. (b) *Al.* ad alium. (c) *Al.* perfectam. (d) *Al.* per manifeſtationem iudicii.

Digitized by Google

tem, quia *dilexiſti eos*, ſcilicet (*a*) fideles. Nunc enim non poſſumus cognoſcere dilectionem Dei ad nos quanta ſit: quia bona quæ Deus daturus eſt nobis, cum excedant appeti[illegible] desiderium noſtrum, non poſſunt ca[illegible] cor noſtrum. I. Corinth. II. 9. „ [illegible] non vidit, nec auris audivit, nec „ [illegible] hominis aſcendit, quæ præparavit „ [illegible] iis qui diligunt illum. “ Et ideo [illegible] credens, ideſt ſancti cognoſcent per experientiam quantum diligat nos; ſed mundi amatores, ideſt mali, cognoſcent hoc videndo, & admirando gloriam ſanctorum. Sapient. V. 3. „ Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. “ Et infra 5. „ Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. “ Sed dicit, *Sicut tu me dilexiſti*: quod non importat paritatem dilectionis, ſed rationem, & ſimilitudinem; quaſi dicat: Dilectio qua dilexiſti me, eſt ratio, & cauſa quare eos dilexiſti: nam per hoc quod me (*b*) diligis, diligentes me, & membra mea diligis. Supra XVI. 27. *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis*.

Sciendum eſt autem, quod Deus diligit omnia quæ fecit, dando eis eſſe: Sap. XI. 25. „ Nihil odiſti eorum quæ feciſti; nec enim „ odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti: “ maxime autem diligit unigenitum Filium ſuum, cui totam naturam ſuam per æternam generationem dedit. Medio autem modo diligit membra Unigeniti ſui, ſcilicet fideles Chriſti, dando eis gratiam qua Chriſtus inhabitat nos. Deuter. XXXIII. 3. „ Dilexit „ populos: omnes ſancti in manu illius ſunt, “

LECTIO VI.

(a) PAter, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

(b) Pater iuſte, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi, & hi cognoverunt quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

(a) SUpra Dominus petit (*c*) pro diſcipulis perfectionis unitatem; hic petit pro eis viſionis claritatem: & primo tangit perſonas pro quibus petit; ſecundo ponit petendi modum; tertio ſubdit quod petit. Petit quidem pro ſibi datis: unde dicit: *Pater, quos dediſti mihi*. Sciendum eſt, quod illud dicitur alicui dari quod voluntati eius ſubmittitur, ut ſcilicet faciat de eo quod vult. Voluntas autem Chriſti duplex eſt, ſcilicet miſericordiæ, & iuſtitiæ: ſed miſericordiæ quidem primo & per ſe eſt ipſius: quia „ miſerationes eius ſuper omnia opera eius: “ Pſal. CXLIV. 9. & I. Timoth. II. 4. „ Vult omnes homines ſalvos fieri: “ ſed voluntas iuſtitiæ punientis eſt eius non primo, ſed præſuppoſito peccato. „ Deus enim non delectatur in perditione hominum: “ Sapient. I. 13. Ezech. XVIII. 42. „ Nolo mortem peccatoris; “ verum ſecundum ſe; ſed tamen ex conſequenti vult eam propter peccatum. Sunt ergo omnes homines dati Filio. Supra (hoc cap.) *Dediſti ei poteſtatem omnis carnis*, ideſt omnis hominis, ut ſcilicet faciat de eis ſuam voluntatem, vel miſericordiæ ad ſalvandum, vel iuſtitiæ ad puniendum. „ Ipſe enim eſt qui conſtitutus eſt a Deo iudex vivorum, & mortuorum: “ ut dicitur Act. X. 42. Sed illi ſunt ſibi ſimpliciter dati qui ad hoc dati ſunt ei ut de eis faciat voluntatem miſericordiæ ad ſalvandum: unde de his dicit, *Quos dediſti mihi*, in tua ſcilicet prædeſtinatio[illegible] ab æterno. Eſai. VIII. 18. & Hebr. 3. „ Ecce ego, & pueri mei, „ quos dedit mihi Dominus. “ Modus autem petendi deſignatur cum dicit, *Volo*: quod poteſt deſignare auctoritatem, vel meritum. Auctoritatem quidem, ſi intelligamus de voluntate eius, inquantum eſt Deus, quæ eſt eadem cum voluntate Patris: nam ſua voluntate homines iuſtificat, & ſalvat. Rom. IX. 18. „ Cuius vult miſeretur. “ Meritum autem deſignat, ſi intelligamus de voluntate eius inquantum eſt homo, quæ eſt meritoria ſalutis noſtræ. Si enim voluntates iuſtorum, qui ſunt membra Chriſti, habent meritum impetrandi: ſupra XV. 7. *Quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis*: multo magis hoc habet voluntas Chriſti hominis, qui eſt caput ſanctorum omnium. Quid autem petat ſubdit dicens:

(a) *Al.* ad fideles, *item* in fideles. (b) *Al.* diligitis, *& ſic etiam infra*. (c) *Al. omittitur* pro.

Digitized by Google

dicens: *Ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum*. Et primo petit coniunctionem membrorum ad caput; ſecundo demonſtrationem claritatis ſuæ ad membra, *ibi*, *ut videant claritatem meam*. Dicit ergo hic, *Volo*, ſcilicet *ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum*: quod poteſt dupliciter intelligi. Uno modo ut referatur ad Chriſtum hominem: nam Chriſtus, ſecundum quod homo, ſtatim futurus, & aſcenſurus in cælum erat. Infra xx. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*. Et ſic eſt ſenſus: *Volo*, ut in cælo, *ubi ego* mox futurus *ſum*, *& illi*, ſcilicet fideles, *ſint mecum*, etiam loco. Matth. xxiv. 28. „ Ubi fuerit corpus, illic con„ gregabuntur & aquilæ, “ ideſt ſancti. Hoc enim promiſerat Matth. v. 12. & Luc. vi. „ Gaudete & exultate quoniam merces ve„ ſtra copioſa eſt in cælis. “

Sed dubitatur: quia cum nondum eſſet in cælo, debuiſſet dicere, Ubi ego ero; non *Ubi ego ſum &c.* Item quia ſupra iii. 13. dixit: *Nemo aſcendit in cælum niſi qui de cælo deſcendit*. Reſponſio. Dicendum ad primum, quod Chriſtus qui loquebatur, & Deus erat, & homo; & ideo licet ſecundum eius humanitatem non eſſet in cælo, erat tamen ibi ſecundum divinitatem, ut ſic in terra exiſtens eſſet in cælo: & ideo dicit: *Ubi ego ſum*. Ad ſecundum dicendum, quod id quod dicit ſupra (loc. cit.) quod nemo *deſcendit de cælo niſi Filius hominis, qui eſt in cælo*, intelligitur quod eſt in cælo ſecundum divinitatem, & deſcendit, humanam naturam aſſumendo, & aſcendit ſecundum humanam naturam iam glorificatam. Et ſic dum nos cum illo unum ſumus iam facti, unde ſolus venit, in ſe ſcilicet, deſcendendo de cælo, illuc etiam ſolus rediit in nobis aſcendendo in cælum: ſecundum Gregorium XXVIII. Moralium. Dicit autem, *Sum*, præſenti utens pro futuro: vel quia ſtatim illic futurus erat; vel ut referatur ad Chriſtum Deum.

Sed ſecundum hoc, cum Deus ubique ſit: Hier. xxiii. 24. „ Cælum, & terram ego „ impleo: “ videtur ſequi quod etiam ſancti erunt ubique. Ad quod dicendum, quod Deus hoc modo ſe habet ad nos ut lux ad homines. Lux autem ubique diffunditur ſole exiſtente ſuper terram. Et licet lux ſit cum hominibus, non tamen omnes ſunt in luce ſolis, ſed tantum eam videntes. Sic ergo cum Deus ſit ubique, eſt cum omnibus qui ſunt ubicumque; ſed tamen non omnes ſunt cum Deo, niſi qui ei coniunguntur per fidem, & dilectionem, & tandem coniungentur per perfectam fruitionem. Pſal. lxxii. 22. „ Et „ ego ſemper tecum. “ I. Theſ. iv. 16. „ Sic „ ſemper cum Domino erimus. “ Et ſic eſt ſenſus: *Ut ubi ego ſum*, ſcilicet in divinitate tua, quam habeo per naturam, *& illi ſint mecum*, per participationem gratiæ. Supra i. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. I. Ioan. iv. 16. „ Qui manet in caritate, in Deo manet, „ & Deus in eo. “

Demonſtrationem autem ſuæ claritatis ad membra ſubdit dicens: *Ut videant claritatem*. Et primo ponit petitionem; ſecundo oſtendit claritatis originem, ibi, *Quam dediſti mihi*; tertio aſſignat claritatis rationem, ibi, *Quia dilexiſti me &c.* Dicit ergo: Volo ut non ſolum mecum ſint, ſed *ut videant*, ſcilicet viſione beatificante. I. Ioan. iii. 2. „ Cum „ apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbi„ mus eum ſicuti eſt: “ *claritatem meam*: quod poteſt intelligi de claritate eius ſecundum humanitatem, qua illuſtratus eſt in reſurrectione. Philip. iii. 21. „ Reformabit „ corpus humilitatis noſtræ configuratum cor„ pori claritatis ſuæ. “ Vel de claritate eius ſecundum divinitatem: eſt enim ſplendor gloriæ, & figura paternæ ſubſtantiæ: Hebr. i. & Sapient. vii. 26. „ Candor eſt lucis æ„ ternæ. “ Et utramque claritatem ſancti exiſtentes in gloria videbunt. Nam de prima dicitur Eſai. xxxiii. 17. „ Regem in de„ core ſuo videbunt. “ Sed hanc impii videbunt in iudicio tantum. Luc. xxi. 27. „ Tunc „ videbunt Filium hominis venientem, cum pot„ eſtate magna, & maieſtate. “ Sed Marcus dicit (xiii. 26.) „ Venientem in gloria, “ ideſt in claritate. Sed viſio huius claritatis ſubtrahetur eis poſt iudicium. Eſai. xxvi. 10. ſecundum aliam litteram: „ Tollatur impius „ ne videat gloriam Dei. “ Sed ſecundam claritatem videbunt ſancti perpetuo. Pſal. xxxv. 10. „ In lumine tuo (ſcilicet gratiæ) „ videbimus lumen, “ ſcilicet gloriæ, quam numquam videbunt mali. Iob xxxvi. 32. (a) „ In manibus (ideſt in ſuperbis) abſcondit „ lucem.... annuntiat de ea amico ſuo, quod „ poſſeſſio eius ſit. “ Huius autem claritatis origo eſt a Patre: unde dicit, *Quam dediſti mihi*. Gloriam ſcilicet corporis dedit ei in reſurrectione: ſed quia hoc factum erat in divina ordinatione, licet eſſet futurum in re, ideo dicit, *Dediſti*. Pſal. viii. 7. „ Glo„ ria, & honore coronaſti eum. “ Sed claritatem divinam dedit ei ab æterno, quia Filius eſt a Patre ab æterno, ſicut ſplendor a luce. Rationem autem claritatis datæ oſtendit dicens: *Quia dilexiſti me ante mundi conſtitutionem*. Quod quidem ſi referatur ad Chriſtum homi-

(a) *Forte* „ Immanibus (ideſt ſuperbis) abſcondit lucem: “ *ut alibi ſolet*.

hominem, ſic ly *quia* denotat cauſam. Sicut enim dilectio, & æterna prædeſtinatio eſt cauſa quod nos habeamus claritatem gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro: Epheſ. 1. 4. „ Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutio„ nem: “ ſic etiam eſt cauſa claritatis Chriſti ſecundum quod homo. Rom. 1. 4. „ Qui „ prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute. “ Et ſic eſt ſenſus: Dico, quod dediſti mihi claritatem; & huius cauſa eſt *quia dilexiſti me*; & hoc *ante mundi conſtitutionem*, ut ſcilicet homo ille uniretur Filio Dei in perſona. Pſal. lxiv. 5. „ Beatus quem elegiſti, & „ aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis. “ Si vero referatur ad Chriſtum ſecundum quod eſt Deus, ſic ly *quia* denotat ſignum. Non enim dedit quia dilexit: nam in datione, qua Pater dedit Filio, deſignatur æterna eius generatio; in dilectione vero, ſi ſumatur eſſentialiter, importatur voluntas divina; ſi vero notionaliter, deſignatur notio Spiritus ſancti. Sed Pater natura dedit Filio claritatem, non voluntate, quia genuit eum per naturam: nec ideo dedit Filio, quia ſpiravit Spiritum ſanctum.

(b) Hic aſſignatur ratio exauditionis petitionis tuæ. Supra autem Dominus admiſit ad ſuam petitionem etiam fideles, cum dixit: *Non pro eis rogo tantum, ſed pro his qui credituri ſunt per eos*: & quoſdam excluſit, ſcilicet mundum, & infideles: unde dixit: *Pro eis rogo, non pro mundo.* Horum ergo rationem aſſignans, primo ponit defectum mundi; ſecundo profectum diſcipulorum, ibi, *Ego autem te cognovi.*

Sed nota, quod quando petiit eorum ſanctificationem, vocavit Patrem ſanctum, unde dixit, *Pater ſancte*; hic vero petens retributionem, vocat eum iuſtum: Pſal. vii. 12. „ Deus iudex iuſtus. “ In quo excluditur error antiquorum ponentium alium eſſe Deum iuſtum, ſcilicet Deum veteris teſtamenti, & alium Deum bonum, ſcilicet Deum novi teſtamenti. Defectus autem mundi quantum ad cognitionem Dei eſt: unde dicit: *Mundus*, non reconciliatus, ſed damnatus, *non te cognovit*. Supra 1. 10. *Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*.

Sed contra. Rom. 1. 19. „ Quod notum „ eſt Dei, manifeſtum eſt in illis .... Invi„ ſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt, a „ creatura mundi intellecta conſpiciuntur. “ Reſponſio. Dicendum, quod duplex eſt cognitio: una ſpeculativa, & alia affectiva: & neutra mundus Deum cognovit perfecte. Licet enim aliqui Gentilium Deum quantum ad aliqua quæ per rationem cognoſcibilia erant, cognoverint; ipſum tamen ſecundum quod eſt Pater Filii unigeniti, & conſubſtantialis, non cognoverunt: de qua cognitione loquitur Dominus. Et inde eſt quod Apoſtolus dicit, „ Quod notum eſt, “ ideſt cognoſcibile Dei. Sed et ſi quid ſpeculativa cognitione de Deo cognoſcebant, hoc erat cum admixtione multorum errorum, dum quidam ſubtraherent omnium rerum providentiam; quidam dicerent eum eſſe animam mundi; quidam ſimul cum eo multos alios deos colerent. Unde dicuntur Deum ignorare. Licet enim in compoſitis poſſit partim ſciri, & partim ignorari; in ſimplicibus (a) tamen dum non attinguntur totaliter, ignorantur. Unde etſi in minimo aliqui errent circa Dei cognitionem, dicuntur eum totaliter ignorare. Iſti ergo non cognoſcentes ſingularem Dei excellentiam, ignorare dicuntur. Rom. 1. 21. „ Cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum „ glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed „ evanuerunt in cogitationibus ſuis, & ob„ ſcuratum eſt inſipiens cor eorum. “ Sap. xiii. 1. „ Neque operibus attendentes agno„ verunt quis eſſet artifex. “ Similiter etiam mundus eum non cognovit cognitione affectiva, quia eum non diligit. I. Theſ. iv. 5. „ Sicut & gentes quæ ignorant Deum. “ Dicit ergo: *Mundus te non cognovit*, ſine errore, & ut Patrem per dilectionem.

Profectus autem diſcipulorum deſignatur cum dicit: *Ego autem te cognovi, & hi cognoverunt*: & primo quantum ad cognitionem; ſecundo quantum ad cognitionis fructum, ibi, *Ut dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis*. Circa profectum diſcipulorum in cognitione Dei tria facit. Primo ponit radicem & fontem cognitionis Dei; ſecundo ramos, & rivulos ex hoc procedentes; tertio derivationem eorum a radice, ſeu fonte. Radix autem & fons cognitionis Dei eſt Verbum Dei, ſcilicet Chriſtus. Eccli. 1. 5. „ Fons ſapien„ tiæ Verbum Dei in excelſis. “ Humana autem ſapientia in Dei cognitione conſiſtit. Hæc autem cognitio ad homines derivatur a Verbo: quia inquantum homines participant Verbum Dei, intantum Deum cognoſcunt. Ideo dicit: Ita*mundus te non cognovit*; *ego autem*, ſcilicet fons ſapientiæ, Verbum tuum, *cognovi te*, cognitione comprehenſionis æterna. Supra viii. 55. *Si dixero quia neſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax*. Ex hac autem cognitione Verbi, quæ eſt fons & radix, derivantur, ſicut rivuli & rami, omnes cognitiones fidelium: & ideo dicit: *Et hi cognoverunt quia*

tu

(a) *Al.* autem.

tu me miſiſti: ut ly *quia* dicat rationem cognitionis, ſecundum Auguſtinum, ut ſit ſenſus: *Ego cognovi te*, per naturam; *& hi cognoverunt* te per grariam. Et quare? *Quia tu me miſiſti*, ſupple, ad hoc ut te cognoſcerent. Infra XVIII. 37. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*. Supra (hoc cap.) *Manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Vel ly *quia* dicat rem cognitam, ut ſit ſenſus: *Hi cognoverunt*: & quid? hoc ſcilicet *quia tu me miſiſti*: quia qui videt Filium, videt Parrem: ſupra XIV. Sed hoc non a ſeipſis habuerunt, ſed derivatum eſt eis a me: quia (Matth. XI. 27.) „ nemo novit Patrem „ niſi Filius, & cui voluerit Filius revela„ re. “ Er ideo dicit: *Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam*. Et deſignat duplicem cognitionem, quam per eum habent fideles. Scilicet doctrinæ; & quanrum ad hanc dicit: *Notum feci eis nomen tuum*, exterius inſtruendo per verba. Supra I. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Hebr. II. 3. „ Quæ „ cum initium accepiſſet enarrandi per Do„ minum, ab eis qui audierunt, in nos con„ firmata eſt. “ Alia cognirio eſt interior per Spirirum ſanctum; & quanrum ad hanc dicit: *Et notum faciam*, dando ſcilicet eis Spiritum ſanctum. Supra XVI. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Vel dicit: *Notum feci eis nomen tuum*, ſcilicet cognitione fidei: quia „ videmus nunc „ per ſpeculum in ænigmate: “ *& notum faciam*, per ſpeciem gloriæ in patria, ubi videbimus facie ad faciem: I. Corinth. XIII. 12. Fructus autem cognitionis huius eſt, *ut dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis*. Quod poteſt exponi dupliciter. Uno modo, & melius. Quia dictum eſt, quod Pater diligit Filium, ut oſtenditur per claritatem quam dedit (*a*) ei; conſequens ergo eſt ut diligat omnes in quibus eſt Filius, qui eſt in eis, inquanrum habent veritatis cognitionem: & ſic eſt ſenſus: *Ego faciam eis notum nomen tuum*; & per hoc quod cognoſcunt te, ego Verbum tuum ero in eis; & per hoc quod in eis ſum, *dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit*; ideſt, ad eos derivetur, & diligas eos ſicut me dilexiſti. Vel aliter: *Ut dilectio qua dilexiſti me*; ideſt, ſicut tu me dilexiſti, ita ipſi participando Spiritum ſanctum, diligant: & per hoc ego ero in ipſis ſicut Deus in templo, & ipſi in me, ſicur membra in capite. I. Ioan. IV. 16. „ Qui manet in caritate, in Deo manet, „ & Deus in eo. “

C A P I T I S D E C I M I O C T A V I

L E C T I O I.

(a) HAEc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipſe, & diſcipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Ieſus convenerat illuc cum diſcipulis ſuis.

(b) Iudas ergo cum accepiſſet cohortem, & a pontificibus, & phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.

(c) Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis, Quem quæritis? Reſponderunt ei, Ieſum Nazarenum.

(d) Dixit eis Ieſus, Ego ſum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis.

(e) Ut ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.

(f) Iterum ergo interrogavit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire: ut impleretur ſermo quem dixit, quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

(a) SUpra, ante paſſionem, Dominus præparavit diſcipulos ſuos, multipliciter informando exemplis, confortando verbis, & (*b*) promovendo ſuffragiis; hic Evangeliſta ac-

(a) *Al.* eis. (b) *Al.* promittendo.

cedit ad narrandum eius paſſionem: & primo proponit myſterium paſſionis; ſecundo gloriam reſurrectionis, xx. capit. ibi, *Una autem ſabbati &c.* Paſſio autem Chriſti partim completa eſt per Iudæos, partim per Gentiles. Primo ergo deſcribit paſſionem Chriſti quantum ad ea quæ paſſus eſt per Iudæos; ſecundo quantum ad ea quæ paſſus eſt per Gentiles, xix. cap. ibi, *Tunc apprehendit Pilatus &c.* Circa primum tria facit. Primo oſtendit quomodo a diſcipulo Dominus traditur; ſecundo quomodo a miniſtris principibus præſentatur, ibi, *Cohors ergo, & tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum*; tertio quomodo a principibus apud præſidem accuſatur, ibi, *Adducunt ergo Ieſum &c.* Circa proditionem diſcipuli tria tangit Evangeliſta. Primo quidem locum; ſecundo apparatum, ibi, *Iudas ergo cum accepiſſet cohortem .... venit illuc cum lanternis &c.* tertio promptum Chriſti affectum ad proditionem ſuſtinendam, ibi, *Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit &c.* Locus autem oſtenditur proditioni congruus ex tribus: quia a civitate remotus, in ſe occultus, & concluſus, & proditori notus. Remotus quidem erat a civitate: unde facilius Iudas poterat facere quod intendebat: unde dicit: *Hæc cum dixiſſet*, ſcilicet quæ ſupra dicta ſunt.

Sed cum ea quæ dixit, pertinerent ad Chriſti orationem, convenientius dixiſſet Evangeliſta, Hæc cum oraſſet. Sed hoc fecit Evangeliſta ut oſtendat hanc orationem non propter ſui neceſſitatem feciſſe: quia ipſe erat qui orabat ut homo, & exaudiebat ut Deus: ſed hoc propter noſtram inſtructionem. Unde erat quaſi quædam dictio.

Egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis, non quidem continuo, ſecundum Auguſtinum, poſt eius orationem, cum alia quædam intervenerint narrata ab aliis Evangeliſtis, ab iſto autem prætermiſſa, ſcilicet quod facta fuit contentio inter diſcipulos quis eorum videretur eſſe maior: Luc. xxii. Interim etiam dixit Ieſus Petro: „ Ecce Satanas expetivit vos ut cribra„ ret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro „ te, ut non deficiat fides tua: " ut Lucas narrat ibid. 31. Dixerunt etiam diſcipuli hymnum cum Domino, ut narrant Matthæus (xxvi.) & Marcus (xiv.) Sic ergo non eſt intelligendum, quod cum hoc dixiſſet, ſtatim egrederetur; ſed quia non ante egreſſus eſt quam dixiſſet. *Egreſſus eſt*, inquam, *trans torrentem Cedron*.

Sed Matthæus, & Marcus dicunt, quod exierunt in montem Oliveti, & tunc venit cum illis in villam quæ dicitur Gethſemani. In quo nulla eſt contrarietas, quod idem locus eſt quem Ioannes commemorat, & Matthæus: torrens enim Cedron eſt ad radices montis Oliveti, ubi etiam eſt villa quæ dicitur Gethſemani. Cedron autem in Græco eſt genitivus pluralis; quaſi dicat, trans torrentem cedrorum. Forte erant ibi multæ cedri plantatæ. Convenit autem myſterio quod torrentem tranſivit, quia per eum eius paſſio deſignatur. Pſal. cix. 7. „ De torrente in „ via bibet, propterea exaltabit caput. " Convenit etiam quod trans torrentem Cedron. Cedron enim interpretatur obumbratio; & Chriſtus ſua paſſione abſtulit umbram peccati, & legis, & expanſis manibus in cruce protexit nos ſub umbra manus ſuæ. Pſal. xvi. 9. „ Sub umbra alarum tuarum protege „ me. "

Erat autem congruus locus proditioni: unde dicit: *Ubi erat hortus, in quem introivit ipſe, & diſcipuli eius*. Et hoc convenienter, quia ipſe ſatisfaciebat pro peccato primi hominis in horto commiſſo. Paradiſus enim hortus deliciarum interpretatur, Gen. ii. Item quia per paſſionem nos in hortum, & paradiſum coronandos introducit. Luc. xxiii. 43. „ Hodie mecum eris in paradiſo. " Erat (a) etiam congruus locus, quia proditori notus: unde dicit: *Sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum*: & huius ratio eſt, *quia frequenter Ieſus venerat illuc cum diſcipulis ſuis*: inter quos Iudas fuerat ſicut lupus inter oves. Supra vi. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt?* Lupus ovina pelle contectus, & inter oves alto patrisfamilias conſilio toleratus, didicit ubi ad tempus exiguum ovium diſpergeret gregem.

Sed cum Iudas diu ante exierit a cœna, ut proditionem compleret, quæritur quomodo ſcivit, quod Chriſtus illa hora egrederetur illuc? Ad quod dicendum, ſecundum Chryſoſtomum, quod conſuetudo Chriſti erat, & præcipue in magnis feſtis, poſt cœnam diſcipulos ſeorſum ducere, & aliqua ſublimia de feſto docere, quæ non erat fas alios audire: & ideo quia tunc erat feſtum præcipuum, æſtimavit Iudas quod poſt cœnam illuc exiſſet. Fecit autem hoc ut in montibus, & in hortis ſublimia doceret diſcipulos, maxime (b) purum a tumultibus inquirens locum, ne eorum mens impediatur. Oſeæ ii. 14. „ Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor „ eius. "

(b) Hic ponitur proditoris apparatus. Et nota, quod, ſicut dicitur Luc. xxii. Iudas poſt-

(a) *Al.* enim. (b) *Al.* puta a tumultibus.

poſtquam tractaverat proditionem cum principibus, quærebat opportunitatem quomodo ſine turbarum tumultu traderet eum: & ideo voluit eum in ſecreto invenire, & in nocte, quia in die ſemper circa turbarum inſtructionem occupatus erat. Sed quia in nocte poterat impediri vel propter ſubitum concurſum turbarum, vel propter tenebras, quibus poſſet eripi, vel evadere de manibus eorum; ideo contra turbas munivit ſe armis, contra (*a*) tenebras lanternis, & facibus. Sed quia de turba aliqui poterant ſibi reſiſtere per potentiam populi, ideo contra hos accepit cohortem, non Iudæorum, ſed militum a præſide: ut ſic ſervato ordine legitimæ poteſtatis, nullus ei auderet obſiſtere. Item aliqui ex Iudæis zelo legis ducti, præſertim quia a Gentilibus capiebatur, eis fortaſſe reſiſtere voluiſſent: & ideo accepit etiam *a pontificibus, & phariſæis miniſtros, & venit illuc.* Iob xv. 26. „ Cucurrit adverſus Deum erecto collo. “ Luc. XXII. 52. „ Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus. “

(c) Hic ponit Evangeliſta promptum Chriſti affectum ad proditionem voluntarie ſuſcipiendam, dupliciter. Primo ſe voluntarie offerendo; ſecundo diſcipulum reſiſtentem comprimendo, ibi, *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum.* Et circa primum duo facit Evangeliſta. Primo narrat quod Chriſtus oſtendit ſe, ad oſtendendum ſuam potentiam; ſecundo ad demonſtrandum ſuam patientiam, ibi, *Iterum ergo interrogavit eos, Quem quæritis?* Circa primum tria facit. Primo ponit Chriſti interrogationem; ſecundo ſuiipſius manifeſtationem, ibi, *Dixit eis Ieſus, Ego ſum*; tertio manifeſtationis effectum, ibi, *Ut ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum.* Circa primum tria facit. Primo commendat Chriſti ſcientiam, & cognitionem: quia *Ieſus ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit &c.* Supra XIII. 1. *Sciens Ieſus quia venit hora eius &c.* Quod interpoſuit Evangeliſta propter duo. Primo ne videretur interrogationem quam facturus erat eis Chriſtus, ex ignorantia feciſſe; ſecundo ne videatur quod ſe ipſis invitum, & propter ignorantiam obtuliſſet, cum venirent ad eum occidendum. Unde omnia quæ ventura erant ſuper eum, ſciebat. Secundo ponit Chriſti interrogationem, qui cum iſta ſciret, tamen *proceſſit, & dixit ad eos, Quem quæritis?* non ex ignorantia, ut dictum eſt. Tertio ſubdit ipſorum reſponſionem: quia *Ieſum Nazarenum*: ſupple, quærimus, non quidem ad imitandum, ſed ad malignandum, & occidendum. Unde ſupra VIII. 21. *Quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

(d) Hic ponitur ſuiipſius manifeſtatio, (*b*) qua ſe eis capiendum exhibuit: unde dicit, *Ego ſum*, ſcilicet Ieſus Nazarenus quem quæritis. Addit autem Evangeliſta Iudæ præſentiam, ideo quia ſupra dixit quod Iudas ab eo exiverat. Poſſet autem credi quod non eſſet mirum, ſi Chriſtus ab eis non cognoſceretur facie propter tenebras; ſed quod quis non cognoſcatur voce, maxime a multum ſibi familiari, hoc non poteſt tenebris aſcribi. Oſtendit ergo per hoc quod dicit, *Ego ſum*, quod etiam a Iuda familiari ſibi, qui ſtabat cum ipſis, non eſt cognitus: quod eſt maxime divinitatis Chriſti potentiæ oſtenſivum. *Stabat ergo Iudas cum ipſis*; ideſt, perſeverabat in malo, ut eum oſculi ſigno monſtraret. Eſa. XXX. 11. (*c*) „ Os eius erit &c. “

(e) Hic ponitur manifeſtationis effectus: quia *abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Et, ut Gregorius dicit, aliquando legitur de ſanctis quod cadunt in terram. Daniel. II. 46. „ Cecidit in faciem ſuam, & adoravit Danielem &c. “ Ezech. II. 1. „ Cecidi in faciem meam. “ De iniquis autem legitur quod cadunt. Eſa. III. 25. „ Pulcherrimi viri tui cadent. “ Sed hæc eſt differentia, quia de iniquis dicitur quod cadunt retrorſum: I. Reg. IV. 18. „ Cecidit de ſella retrorſum: “ de ſanctis autem quod cadunt in faciem ſuam. Cuius ratio aſſignatur Proverb. IV. 18. „ Quia iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem. “ Et „ via impiorum tenebroſa; neſciunt ubi corruant. “ Omnis enim qui poſt ſe cadit, ibi cadit ubi non videt. Iniqui ergo, quia in inviſibilibus cadunt, retrorſum cadere dicuntur: quia ibi corruunt ubi quid eos tunc ſequatur, modo videre non poſſunt. Sed qui ante ſe cadit, ibi cadit ubi videt: & ideo ſancti qui in iſtis viſibilibus ſemetipſos ſponte deiiciunt, ut in inviſibilibus erigantur, in faciem ſuam cadere dicuntur, quia timore compuncti videntes humiliantur.

Myſtice autem per hoc quod ceciderunt retrorſum, datur intelligi quod populus Iudæorum, qui erat populus peculiaris, vocem Chriſti in prædicatione non audiens, abiit retrorſum excluſus a regno.

(*f*) Hic ponitur ſecunda interrogatio. Et primo ponit iteratam interrogationem; ſecundo Chriſti manifeſtationem; & tertio eius oblationem. Interrogavit autem iterato, ſecundum Chryſoſtomum, propter duo, ut dum ſcilicet indicavit ſuam potentiam, quod inimici contra eum venientes, coram eo retrorſum ceciderunt in terram, inſtruantur fideles

(a) *Al.* turbas. (b) *Al.* qui. (c) *Forte*: Hier. XXXIV. 3. „ Os eius cum ore tuo loquetur. “

Digitized by Google

les quod ſua voluntate captus ſit. Eſa. LIII. 7. „ Oblatus eſt, quia ipſe voluit. “ Secundo ut etiam, quantum in ſe eſt, daret Iudæis materiam converſionis, viſo potentiæ ſuæ miraculo. Eſa. V. 4. „ Quid ultra debui facere? “ Et ideo cum ſtatim ad oſtenſionem ſuæ potentiæ non fuerunt converſi, eis capiendum ſe ſponte obtulit. Unde cum *iterum interrogavit eos, Quem quæritis? & illi dixerunt, Ieſum Nazarenum*, ipſe ſe iterum manifeſtans, *reſpondit: Dixi vobis, quia ego ſum*. In quo patet quia cæci erant, ut eum non poſſent cognoſcere. Oblatio ſui ipſius ponitur cum dicit: *Si ergo me quæritis*, ſcilicet comprehendere, faciatis quod intenditis; ita tamen quod *ſinite hos*, ſcilicet diſcipulos meos, *abire*: quia nondum eſt tempus ut tollantur de mundo per paſſionem. Supra XVII. 15. *Non rogo ut tollas eos de mundo*. In quo patet quod ipſe dedit eis poteſtatem eum capiendi: nam ſicut ex ſua potentia diſcipulos ſuos ſervavit, ita multo magis ſe ſervare potuiſſet. Supra X. 18. *Nemo tollit animam meam; ſed ego pono eam a me ipſo*. Et quod non dimiſerunt miniſtri Apoſtolos ex Chriſti perſuaſione, ſed ex eius poteſtate, oſtendit Evangeliſta dicens: *Ut impleretur ſermo quem dixit*; quaſi, ideo dimiſerunt miniſtri Apoſtolos abire, quia eos tenere non poterant; cum ipſe dixerit ſupra XVII. 12. *Quos dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam*.

Sed contra. Supra dixit hoc Dominus de perditione animæ: quomodo Evangeliſta hoc adaptat ad perditionem corporis? Reſponſio. Dicendum, ſecundum Chryſoſtomum quod Dominus ſupra locutus eſt de perditione animæ, & corporis. Et ſi tantum de perdirione animæ locutus ſit, dicendum, quod Evangeliſta hic per quamdam extenſionem refert ad perditionem corporis. Vel, ſecundum Auguſtinum, dicendum, quod hoc quod dicitur eſt intelligendum etiam quantum ad perditionem animæ: quia Apoſtoli nondum ſic credebant quomodo credunt qui non pereunt. Et ideo ſi tunc exiſſent de hoc mundo, fuiſſent de illis qui pereunt.

LECTIO II.

(a) SImon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſſit pontificis ſervum, & abſcidit auriculam eius dexteram.
(b) Erat autem nomen ſervo Malchus.
(c) Dixit ergo Ieſus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam.
(d) Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?

(a) POſtquam Evangeliſta oſtendit promptitudinem Chriſti ad proditionem ſuſtinendam, ſeipſum voluntarie proditori offerendo, hic oſtendit eum eſſe promptum ad idem, diſcipuli reſiſtentiam prohibendo. Et primo ponitur reſiſtentis diſcipuli manifeſtatio; ſecundo eius cohibitio, ibi, *Dixit Ieſus Petro &c.* Circa primum duo facit. Primo ponit zelum diſcipuli in ſervi percuſſione; ſecundo Evangeliſta inſerit ſervi nuncupationem, ibi, *Erat autem nomen ſervo Malchus*. Dicit ergo ſic: Miniſtri comprehenderunt Ieſum; ſed *Simon Petrus* ceteris diſcipulis ardentior, *habens gladium, eduxit eum, & percuſſit pontificis ſervum*, qui erat inter miniſtros, *& abſcidit eius auriculam dexteram*: non ex ſua principali intentione, cum eum intenderet occidere; ſed ictus quem dirigebat ad caput, relapſus eſt ad aurem. Ideo enim ictum dirigebat ad caput, ut facilius moneat, (a) quod id faciebat ex zelo Domini ſui. III. Reg. XIX. 10. „ Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum. “

Sed hic incidit duplex quæſtio: quia cum Dominus mandaverit diſcipulis, Matth. X. quod nec etiam duas tunicas haberent, quomodo Petrus habebat etiam gladium? Reſpondeo dicendum, quod illud præceptum dedit eis Chriſtus quando miſit eos ad prædicandum, & durabile erat uſque ad tempus paſſionis: unde Chriſtus in paſſione revocavit ipſum. Luc. XXII. 35. „ Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, numquid aliquid defuit vobis? “ Et infra (verſ. 36.) „ Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram; & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. “ Ex hac conceſſione Petrus intellexerat quod licet ei portare gladium.

Sed unde tam cito potuiſſet gladium habere, cum prædicta verba dixiſſet Dominus paulo ante? Dicendum, ſecundum Chryſoſtomum, quod Petrus iamdiu ante, audiens quod Iudæi Chriſtum tradere deberent principibus ſacerdotum ad crucifigendum, timens præ-

(a) *Al.* quod quidem.

præparaverat ſibi gladium. Vel dicendum, ſecundum Interlinearem, quod gladius accipitur hic pro cultello quem forte habuerat in menſa ad eſum agni, & de cœna ſurgens tulerat ſecum.

Secundo quæritur, quod cum Dominus dixiſſet eis, quod non reſiſterent malo, Matth. v. quid eſt, quod Petrus percuſſit ſervum principis? Ad quod dicendum, quod Dominus prohibuit quod non reſiſterent alicui ad defendendum ſeipſos, non autem ad defendendum Dominum. Vel dicendum, quod nondum confirmati erant virtute ſuperveniente ex alto. Luc. ult. 49. „ Sedete in civitate, „ quoadusque induamini virtute ex alto. “ Ideo non erant adhuc perfecti, ut omnino malo non reſiſterent.

(b) Hic ponitur nomen ſervi: & hoc ideo ſpecialiter a Ioanne deſcribitur, quia, ſicut infra dicitur, ipſe erat notus pontifici; & ideo etiam notitiam miniſtrorum eius habebat. Unde ſciens nomen eius, non tacuit ipſum propter certitudinem facti. Sed Lucas addit, quod Dominus ſanavit auriculam eius: Luc. XXII. Et hoc myſterio competit. Nam per hunc ſervum ſignificatur populus Iudæorum, qui opprimebatur a principibus ſacerdotum. Ezech. XXXIV. 3. „ Quod craſſum erat „ comedebatis. “ Iſtius ergo ſervi Petrus Princeps Apoſtolorum amputavit auditum: quia male audiebat verba legis, carnaliter ſcilicet; ſed Dominus reſtituit novum auditum. Pſal. XVII. 45. „ In auditu auris obedivit mihi. “ Et ſecundum hoc congrue vocatur Malchus, ideſt Rex. Quia per Chriſtum in novitate vitæ efficimur Reges. Apocal. v. 10. „ Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes; & regnabimus ſuper „ terram. “

(c) Hic ponitur Petri cohibitio zeli: & primo ponitur Petri cohibitio; ſecundo cohibitionis ratio, ibi, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Dicit ergo, quod Petrus ita eduxit gladium; ſed Dominus dixit ei: *Mitte gladium tuum in vaginam*; quaſi non eſſet opus defenſionis, ſed patientiæ, nec ei licitus uſus gladii materialis. Hier. XLVII. 6. „ (*a*) Uſquequo concideris? „ O mucro Domini uſquequo non quieſces?“ Myſtice autem ſignatur per hoc quod gladius verbi Dei mittendus erat in vaginam, ideſt in fidem Gentilium.

(d) Et ratio cohibitionis ponitur cum dicit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Non enim reſiſtendum his quæ ex divina providentia diſponuntur. Iob IX. 4. „ Quis (*b*) reſtitit ei, & pacem habuit?“ Dicitur autem paſſio calix, quia ex caritate patientis dulcedinem habet, ſed ex natura ſua amaritudinem; ſicut & medicina ſanativa propter ſpem ſanitatis dulcis eſt, ſed amara propter ſaporem. Pſal. CXIV. 13. „ Calicem „ ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. “ Hunc ergo calicem dedit ei Pater, quia paſſionem ex ſua, & Patris voluntate ſponte ſuſcepit. Infra XIX. 11. *Non haberes in me poteſtatem, niſi datum eſſet tibi deſuper.*

L E C T I O III.

(a) COhors autem, & tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum:

(b) Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui conſilium dederat Iudæis, quia expedit unum hominem mori pro populo.

(c) Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus.

(d) Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Ieſu in atrium pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris.

(e) Exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.

(f) Dixit ergo Petro ancilla oſtiaria: Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius?

(g) Dicit ille, Non ſum.

(h) Stabant autem ſervi, & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens ſe.

(i) Pontifex ergo interrogavit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius.

(k) Reſpondit ei Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſyna-

(a) *Al.* „ Uſquequo concideris mucro? “ (b) *Al.* reſiſtit.

nagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt; & in occulto locutus ſum nihil.

(l) Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus ſum ipſis: ecce hi ſciunt quæ dixerim ego.

(a) HIc ponitur quomodo Dominus a miniſtris captus, principibus præſentatur: & primo quomodo ducitur ad unum principem, ſcilicet Annam; ſecundo quomodo ducitur ad alium, ſcilicet Caipham, ibi, *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham*. Circa primum duo facit. Primo dicit quomodo Annæ præſentatur; ſecundo quomodo ab Anna examinatur, ibi, *Pontifex ergo interrogavit*. Circa primum duo facit. Primo ponit quomodo ducitur ad Annæ domum; ſecundo quomodo diſcipuli ſequuntur eum, ibi, *Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus*. Circa primum primo oſtenditur quid circa Ieſum ſit factum; ſecundo deſcribitur (*a*) ipſe pontifex ad quem ducitur, ibi, *Erat autem ſocer Caiphæ*. Circa Chriſtum autem tria acta ſunt. Primo enim comprehenditur: unde dicit: *Cohors ergo*, ideſt militum, *& tribunus*, eorum, *& miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum*, qui incomprehenſibilis eſt. Hier. xxxii. 19. Magnus conſilio, & incoprehenſibilis co„gitatu. “ Forte enim cogitabant (*b*) illud Pſal. lxx. 11. „ Deus dereliquit eum: perſe„quimini, & comprehendite eum, quoniam „non eſt qui eripiat. “ Thren. iv. 20. „ Spi„ritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus „eſt in peccatis noſtris, “ ideſt propter peccata noſtra, ut ſcilicet nos liberaret. Eſa. xlix. 25. „ Equidem captivitas a forti tolle„tur. “ Secundo ligatur: unde dicit, *Et ligaverunt eum*, qui ſolvere venit ligatos, & vincula eorum diſrumpere. Pſal. cxv. 17. „ Dirupiſti vincula mea &c. “ Tertio adducitur: unde dicit: *Et adduxerunt eum ad Annam*, ut eum perderent qui venit omnes ducere in viam ſalutis. Pſal. lx. 4. „ Deduxi„ſti me, quia factus es ſpes mea. “ Poteſt autem duplex ratio aſſignari quare primum ad Annam ducitur. Una ſcilicet (*c*) mandatum Caiphæ pontificis anni illius, qui ſcilicet ideo Ieſum ad Annam miſit, ut excuſabilior eſſet, ſi ab Anna condemnatum ipſe poſtmodum condemnaret. Alia ratio ex propinquitate domus Annæ; quæ in via poſita, propinquior erat: & ideo timentes ne ſi excitaretur tumultus populi, Ieſus de manibus eorum eriperetur, declinaverunt illuc.

(b) Hic primo deſcribitur pontifex ex aſſinitate ad Caipham, quia ſocer eius erat; ſecundo deſcribitur ipſe Caiphas, quia *pontifex erat anni illius*. Sciendum eſt enim, quod ſecundum legem ſummus ſacerdos per totam vitam officio fungebatur, cui poſt mortem filius ſuccedebat. Poſtmodum vero, invidia, & ambitione principum creſcente, non ſolum patri non ſuccedebat filius, ſed nec ultra annum pontificatus fungebatur officio, & hoc ipſum pecunia procurabat, ut Ioſephus dicit. Et ideo non eſt mirum ſi in anno illius pontificatus tam nequiter acquiſiti rem ſic nefariam geſſit. Deſcribitur etiam ex conſilio: unde dixit: *Erat autem Caiphas qui conſilium dederat Iudæis*, ſupra xi. hoc ſcilicet *quia expedit unum hominem mori pro populo*. Quod ideo Evangeliſta commemoravit, ut removeret ſcandalum de cordibus fidelium, oſtendendo & per adverſariorum prophetias, quod non propter infirmitatem, aut impotentiam ſuam captus eſt, & mortuus; ſed propter populi ſalutem, ut ſcilicet non tota gens pereat. Teſtimonium enim adverſarii efficacius eſt; & talis naturæ eſt veritas quod etiam adverſarius eam tacere non poteſt.

(c) Hic ponitur quomodo diſcipuli aſſociaverunt Chriſtum: & primo ponitur quomodo Petrus cum alio diſcipulo ſequebatur Chriſtum; ſecundo quomodo introeunt ad locum ubi Chriſtus erat; tertio quomodo negavit. Dicit ergo quantum ad primum: *Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus*, ex devotione, quamvis a longe propter timorem, *& alius diſcipulus*, ſcilicet Ioannes, cuius nomen ipſemet occultat humilitatis gratia. Datur autem per hoc intelligi quod reliqui diſcipuli auſugerant relicto Ieſu, ut dicitur Matth. xxvi.

Myſtice autem per hos duos diſcipulos duæ vitæ intelliguntur, quæ Chriſtum ſequuntur, ſcilicet activa, quæ ſignatur per Petrum, & contemplativa, quæ per Ioannem. Et activa quidem ſequitur Chriſtum obediendo: ſupra x. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*: contemplativa vero cognoſcendo, & contemplando. Oſeæ vi. 3. „ Sciemus, (*d*) ſequemurque „te. “

Sequebantur autem iſti duo diſcipuli: quia plus præ ceteris diligebant Chriſtum. Unde primi venerunt ad monumentum, infra xx. & quia eos adinvicem maior vis dilectionis uni-

(a) *Al. omittitur* ipſe. (b) *Al.* illum. (c) *Al.* ad mandatum. (d) *Al.* ſequimur te.

uniebat: unde ſæpe in Evangelio ſimul innguntur, & in Act. Apoſt. (VIII. 14.) dicitur, quod „ miſerunt ad illos Petrum, & „ Ioannem.“ Et iterum (III. 1.) „ Petrus & „ Ioannes aſcenderunt in templum ad ho- „ ram orationis nonam.“

(d) Hic ponitur quomodo Petrus introivit quantum ad ordinem: & primo quomodo Ioannes præceſſit; ſecundo quomodo Petrum introduxit, ibi, *Exivit ergo diſcipulus alius &c.* Ordo autem fuit talis, quia Ioannes primo intravit cum Ieſu. Et huius ratio erat, qnia *erat notus pontifici, & Petrus ſtabat ad oſtium atrii foris.* Et licet Ioannes piſcator fuiſſet, & iuvenis vocatus a Chriſto, erat tamen notus pontifici: vel quia pater Ioannis ei ſervus erat, vel aliquis ex conſanguineis ſuis: nec hoc poſuit Ioannes propter ſui iactantiam, ſed propter humilitatem, ne hoc quod primo intravit quam Petrus cnm Ieſu in atrium Pontificis, & non Petrus, magis virtuti ſuæ, & maioritati quam notitiæ aſcribatur: & ideo dicit: *Diſcipulus autem ille*, ſcilicet Ioannes, *erat notus pontifici*; & ideo intravit cum Ieſu in atrium pontificis, ubi Chriſtus erat dnctus. *Petrus autem ſtabat*, quaſi præſagiens futuram negationem. Pſalm. XXX. 13. „ Qui videbant me, foras fugerunt a „ me.“

Myſtice autem Ioannes intrat cum Ieſu, quia vita contemplativa eſt ei familiaris. Sap. VIII. 16. „ Intrans in domum meam, conquie- „ ſcam cum illa.“ Sed Petrus (a) ſtat foris, quia activa vita circa exteriora occupatur. Luc. X. 39. „ Maria ſedens ſecus pedes Do- „ mini audiebat verbum illius. Martha autem „ ſatagebat circa frequens miniſterium.“

(e) Hic oſtenditur quomodo Petrus Ioannis interventu introductus eſt, quia ille *alius diſcipulus*, ſcilicet Ioannes, *erat notus pontifici, & dixit oſtiaria*, ut eum iotroduceret, *& introduxit Petrum.* Per quod myſtice datur intelligi quod per contemplativam introducitur ad Chriſtum activa vita: ſicut enim ratio inferior dirigitur per ſuperiorem, ita activa per contemplativam. Pſal. XLII. 3. „ Emitte lucem „ tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxe- „ runt, & adduxerunt in montem ſanctum „ tuum, & in tabernacula tua.“

(f) Hic ponitur Petri negatio: & primo ponitur motivum negatioois, ſeu occaſio; ſecundo ponitur ipſa negatio, ibi, *Dicit ille, Non ſum*; tertio negationis confirmatio, ibi, *Stabant autem ſervi, & miniſtri ad prunas.* Occaſio autem negationis, & motivum fuit Petro ancillæ interrogatio: unde dicit: *Dixit Petro ancilla oſtiaria: Numquid & tu ex diſcipulis eius es?* Dicit autem, *Et tu*, quia ſciebat Ioannem Chriſti eſſe diſcipulum, & tamen propter familiaritatem nil dicit ei. Apparet autem in hoc infirmitas Petri pro tempore illo, quia ex debili occaſione motus eſt ad negandum: & hoc ex duobus. Primo ex ipſa perſona interrogante, quia non armatus miles, non admirandus pontifex; ſed mulier, & ancilla oſtiaria interrogavit. Secundo ex forma interrogationis: quia non dicit: Numquid ex diſcipulis es proditoris iſtius? per quod videbatur magis ex compaſſione loqui. Unde & ex hoc percipitur quod „ Verbo „ Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris „ eius omnis virtus eorum:“ Pſal. XXXII. 6. quia qui ad vocem ancillæ Chriſtum negavit, poſtmodum nomen Chriſti coram principibus ſacerdotum confitetur, & prædicat. Actor. IV.

(g) Negatio Petri ponitur cum dicit: *Dicit ille, Non ſum.* In quo debemus advertere, ſecundum Auguſtinum, non ſolum ab eo negari Chriſtum, qui dicit eum non eſſe Chriſtum, ſed ab eo etiam qui negat ſe eſſe Chriſtianum. Nil autem aliud iſto modo negavit Petrus, quam ſe eſſe Chriſtianum. Ideo autem Dominus Petrum negare permiſit, quia voluit ut ipſe, qui præponendus erat toti Eccleſiæ, infirmis, & peccantibus magis compateretur, expertus in ſeipſo infirmitatem peccati. Hebr. IV. 15. „ Non habemus Pontificem „ qui non poſſit compati infirmitatibus no- „ ſtris, tentatum per omnia abſque pecca- „ to:“ verum eſt de Chriſto; ſed de Petro poteſt dici etiam cum peccato. Quidam tamen quamdam inanem gratiam appropriantes Petro, dicunt, quod non timore negavit, ſed amore, volens ſemper eſſe cum Chriſto, & ſequi continue: noverat enim quod ſi fateretur ſe eſſe de Chriſti diſcipulis, fuiſſet ſeparatus a Chriſto, & expulſus. Sed hoc non conſonat dictis Domini: qnia non ideo negavit, quia noluit a Chriſto ſeparari, ſed quia noluit pro Chriſto animam ponere. Supra enim (XIII. 37.) cum dixiſſet, *Animam meam pro te ponam*; reſpondit Ieſus: *Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi: non cantabit gallus antequam ter me neges.*

(h) Confirmatio negationis ponitur ibi, *Stabant autem ſervi, & miniſtri ad prunas ... erat autem cum eis & Petrus*; quaſi ut magis videretur non eſſe eius diſcipulus. Nam Petrus ad hoc quod non videretnr ex diſcipulis, poſuit ſe inter miniſtros, & ſervos ſtantes ad prunas, quia frigus erat, ſicut quandoque in æquinoctio hiemali in martio con-

(a) *Al.* ſtans.

tingit: in quo Petrus non bene conſideravit, quod dicitur in Pſal. xvII. 26. „ Cum ſancto „ ſanctus eris. .... & cum perverſo perver- „ teris. “ Ipſum etiam tempus congruit conditioni mentis eius, in qua refriguerat caritas. Matth. xxiv. 12. „ Refrigeſcet caritas „ multorum, quoniam abundavit iniquitas. “

(i) *Pontifex ergo interrogavit Ieſum*. Ubi primo ponitur examinatio; ſecundo Chriſti reſponſio, ibi, *Reſpondit ei Ieſus*; tertio reſponſionis reprehenſio, ibi, *Hæc autem cum dixiſſet &c.* Duo autem imponebantur Chriſto a Iudæis, ſcilicet falſa doctrina, & nova. Marc. I. 27. „ Quæ eſt hæc nova doctrina? “ Secundo ſeditio, & attractio hominum ad ſe. Luc. xxIII. 5. „ Commovit populum per univerſam „ Iudæam, incipiens a Galilæa uſque huc. “ Et ideo de iſtis duobus eum examinat. Primo quidem *de diſcipulis eius*, quos videbat ſeduxiſſe; ſecundo *de doctrina eius*, quaſi notans eam falſitatis.

(k) Hic ponitur reſponſio Domini. Et primo ponit ſuæ doctrinæ modum; ſecundo requirit aliorum teſtimonium, ibi, *Quid me interrogas?* Circa primum duo facit. Primo doctrinæ manifeſtationem proponit; ſecundo eam exponit. Dicit ergo: *Ego palam locutus ſum mundo*.

Sed contra. Supra xvI. 25. dicit: *Venit hora, quando non in proverbiis, ſed palam de Patre annuntiabo vobis*. Si ergo diſcipulis nondum palam locutus fuerat, quomodo palam locutus eſt (a) mundo? Reſponſio. Dicendum, quod diſcipulis nondum loquebatur palam, quia excellentes ſententias proponebat; mundo autem locutus eſt palam, quia publice prædicabat: unde hoc exponit dicens: *Ego ſemper docui in templo, & ſynagogis*.

Sed contra. Matth. xvI. dicitur, quod diſcipulis multa ſeorſum ſine parabolis proponebat. Sed ad hoc eſt triplex reſponſio. Una, quia quod duodecim diſcipulis dicebat, non reputabatur in occulto dici. Alia eſt, quia non proponebat ea diſcipulis intentione occultandi. Tertio, ſi fiat vis in verbo, quia Dominus hic loquitur de doctrina quam populo tradidit, quam non propoſuit eis in conventiculis, ſed in locis publicis. Pſal. xxxIx. 10. „ Annuntiavi iuſtitiam tuam in eccleſia „ magna. “ Eſaiæ xlv. 19. „ Non fui locu- „ tus in abſcondito, in loco terræ tenebro- „ ſo. “

(l) Et ad hoc exigit aliorum teſtimonium, dicens: *Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus ſum ipſis*: & primo remittit eos ad teſtimonium aliorum; ſecundo oſtendit quorum teſtimonium requirat; tertio rationem eorum aſſignat. Quantum ad primum dicit: *Quid me interrogas?* quaſi dicat: Per alios potes hoc ſcire. Et ideo quantum ad ſecundum ſubdit: *Interroga eos qui audierunt*. Nam, ut Matth. xxII. 15. dicitur, „ miſerunt ad Ieſum pharisæi, ut „ caperent eum in ſermone: “ qui tamen contra eum nihil invenire potuerunt. Et ideo remittit eum ad eos. Et rationem huius ſubdit: *Ecce hi ſciunt quid dixerim ego*: de quibus poſſunt teſtimonium perhibere.

L E C T I O IV.

(a) HAEc autem cum dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes pontifici?

(b) Reſpondit ei Ieſus: Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene, quid me cædis?

(c) Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

(d) Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe.

(e) Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcipulis eius es? Negavit ille, & dixit, Non ſum. Dixit ei unus ex ſervis pontificis cognatus eius cuius Petrus abſcidit auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus;

(f) Et ſtatim gallus cantavit.

(a) POſita Domini reſponſione, hic ponitur reſponſionis reprehenſio: & primo ponitur miniſtri reprehenſio; ſecundo Domini ſatisfactio, ibi, *Reſpondit ei Ieſus &c.* Miniſter autem reprehendit reſponſionem Domini, primo quidem facto, quia dedit ei alapam ad improperium: unde dicit: *Hæc cum dixiſſet*, ſcilicet Ieſus, *unus aſſiſtens miniſtrorum*, ſcilicet pontificis, *dedit ei alapam*. Quod quidem non caſu contigit, ſed longe ante, & multipliciter fuerat prophetatum. Eſa. L. 6. „ Dedi corpus meum percutientibus, & „ ge-

(a) *Al.* in mundo.

„ genas meas vellentibus . " Thren. III. 30. „ Dabit (a) percutienti ſe maxillam , ſaturabitur opprobriis. " Mich. V. I. „ In virga percutient maxillam Iudicis Iſrael. " Secundo reprehendit verbo, dicens : *Sic reſpondes pontifici?* In quo datur intelligi quod Annas pontifex erat , & nondum miſſus erat ad Caipham : unde Luc. III. 2. hos duos pontifices commemorat: „ Sub principibus (inquit) ſacerdotum Anna , & Caipha . " Sed dicuntur duo pontifices, quia alternis vicibus pontificatum ſibi vendicabant; ſed illo anno Annas erat princeps ſacerdotum. Motus eſt autem miniſter ad percutiendum Ieſum ex hoc ſcilicet quia cum audientium eum interpellaſſet teſtimonium, ſupra VII. 46. cum pontifices miſiſſent miniſtros ut caperent eum, ipſi capti ad verba Ieſu redierunt dicentes , quia *numquam ſic locutus eſt homo ſicut hic homo* . Volens ergo hic ſe excuſare quod non eſſet de illis , percuſſit eum . Sed Chriſtum male reſpondiſſe pontifici ex hoc coniecit , quia per hoc quod dixit, *Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt* , videbatur notaſſe pontificem de imprudenti interrogatione , cum tamen ſcriptum ſit Exod. XXII. 28. „ Principem „ populi tui ne maledicas. "

(b) Conſequenter Ieſus rationabiliter excuſat ſe, cum dicit: *Si male locutus ſum*, reſpondens pontifici, *teſtimonium perhibe de malo* ; quaſi dicat : Si habes ex his quæ a me prolata ſunt unde me poſſis reprehendere , oſtende quod male dixerim: quia „ in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum: " Deut. XIX. 15. *Si autem bene* , ideſt ſi nequis hoc oſtendere, *quid me cadis?* ideſt , quid in me ſuris? Vel hoc poteſt referri ad hoc quod dixit ſupra: *Interroga eos qui audierunt quid locutus ſum ipſis* : ut ſit ſenſus : *Si male locutus ſum* , in ſynagoga , & in templo , quod non debui, *teſtimonium perhibe de malo* , quod dixi coram principe ſacerdotum. Sed hoc non potuiſſet miniſter oſtendere . *Si autem bene*, ſcilicet docui, *quid me cadis?* quaſi dicat , iniuſtum eſt. Hier. XVIII. 28. „ Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam „ animæ meæ? "

Sed hic eſt quæſtio: quia Matth. V. 39. Dominus præcipit diſcipulis ſuis : „ Si quis te „ percuſſerit in dexteram maxillam , præbe „ ei & alteram . " De Chriſto autem dicitur Act. I. I. „ Cœpit Ieſus facere, & docere . " Debuit ergo facere quod docuit . Sed hoc non fecit; (b) immo , quod contrarium videtur, ſe excuſavit.

Reſponſio. Dicendum , ſecundum Auguſtinum, quod dicta, & præcepta ſacræ Scripturæ ex factis ſanctorum interpretari poſſunt , (c) & intelliguntur; cum idem Spiritus ſanctus qui inſpiravit Prophetis , & aliis ſacræ Scripturæ (d) auctoribus, moverit ſanctos ad opus. Nam, ſicut II. Petr. I. 21. dicitur, „ Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei „ homines . " Ita Rom. VIII. 14. dicitur: „ Qui „ ſpiritu Dei aguntur , hi ſunt filii Dei. " Sic ſacra Scriptura intelligenda eſt ſecundum quod Chriſtus , & alii ſancti ſervaverunt . Chriſtus autem non præbuit iſti aliam maxillam: nec Paulus, Actor. XX. Unde non eſt intelligendum quod Chriſtus mandaſſet quod præberent maxillam aliam corporalem ad litteram ei qui percutit unam; ſed hoc debet intelligi quantum ad præparationem animi , quod ſi neceſſe fuerit, ita debet eſſe diſpoſitus ut non turbetur animo contra percutientem, ſed paratus ſit ſimile, & etiam amplius ſuſtinere. Et hoc Dominus ſervavit, qui corpus ſuum præbuit occiſioni. Sic ergo excuſatio Dominis utilis fuit ad noſtram inſtructionem .

(c) Hic oſtenditur quomodo a pontifice mittitur ad alium pontificem . Et primo ponitur Ieſu miſſio , ſecundo completur Petri negatio, ibi , *Erat autem Simon Petrus ſtans , & calefaciens ſe* . Dicit ergo: *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem*, ad quem a principio ducebatur ; ſed cauſa quare prius declinaverat illuc, expreſſa eſt ſupra . Sed attende Annæ nequitiam : quia cum debuiſſet eum abſolvere , utpote ſine culpa exiſtentem, tamen eum ligatum miſit.

(d) Hic agitur de ſecunda negatione Petri, & tertia : & primo ponitur negationis occaſio; ſecundo Petri duplex negatio , ibi , *Dixerunt ergo ei &c.* tertio ponitur ſigni verborum Chriſti adimpletio, ibi, *Et ſtatim gallus cantavit &c.* Occaſio autem ſecundæ negationis Petri fuit mora cum miniſtris pontificis ſtantibus ad ignem. Nam Chryſoſtomus dicit : „ Recedente Chriſto ad Caipham , Petrus adhuc cum miniſtris remanſit . " Sic enim abſorptus erat a peccato poſt negationem , ut qui prius ſervidus erat , iam non videbatur curare de Chriſto . Hier. VIII. 6. „ Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci? " Et ideo dicit: *Erat autem Simon Petrus adhuc ſtans , & calefaciens ſe* ; quamvis Chriſtus receſſerit inde, immemor eius quod dicitur in Pſalm. I. „ Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum. " Sed hæc expoſitio ſtare non poteſt : quia ſic ſequeretur quod ſecunda , & ter-

Nnnnn 2

(a) *Al.* „ percutientibus maxillam. " (b) *Al.* immo contrarium, ut videtur ſe excuſare. (c) *Al.* dicit & intelliguntur. (d) *Al.* latoribus.

tertia negatio ſacta fuiſſet in abſentia Chriſti; qnod eſt contra illud quod dieitur Luc. XXII. quod poſt tertiam negationem Petri converſns Dominus reſpexit Petrum. Et ideo Augnſtinus aliter exponens, dicit, quod Evangeliſta loquitur per recapitulationem more ſno, ut oſtendat continuationem, & ordinem rei. Dixerat enim ſupra (hoc cap.) quod *ſtabant ſervi, & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe*. Et *Petrus erat cum eis ſtans, & calefaciens ſe*: & poſtea interpoſuit de cxaminatione Chriſti a pontifice: & poſtmodum, ut continuet ſeriem, reſumit quaſi eadem verba, dieens: *Erat autem Simon Petrus ſtans*, ante ſcilicet quam Chriſtus mitteretur ad Caipham.

(e) Deinde ponitur duplex negatio Petri, cum dicit: *Dixerunt ego ei: Numquid & tu ex diſcipnlis eius es?* Et circa utrumque ponuntur duo, ſcilicet negationis occaſio, ideſt interrogatio, & ipſa negatio.

Sed hic occurrit duplex quæſtio litteralis. Nam Matth. XXVI. 17. loquens de ſecunda negatione dicit: „ Exeunte antem illo ianuam „ vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant „ ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Et „ iterum (a) negavit cum iuramento.“ Et ſic videtur hic duplex contrarietas. Quia Ioannes dixit Petrum negaſſe, eo ſtante ad ſocum, Matthæus autem eo exeunte domum. Alia contrarietas eſt: quia ſecundum Matthæum interrogatur ab alia ancilla, ſecundum Ioannem ab aliis, ſcilicet multis: unde dicit: *Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcipulis eius es?* Item etiam ſecundum Lucam ſolum ab una interrogatur: unde Luc. XXII. 59. dicitur: „ Et intervallo facto quaſi horæ „ unius, alius quidam affirmabat, dicens: „ Vere & hic cum illo erat.“

Reſponſio. Dicendum, quod quando Petrus primo negavit, ſurrexit, & exivit ianuam, & eo exeunte alia ancilla interrogavit eum. Vel dixit aliis, quia de illis erat, ſicut refert Matthæus. Et ſic negavit ſecundo. Et poſtmodum rediit Petrus ut excuſaret ſe de hoc, etiam & ſedit cum aliis, quo ſedente ibi, alii qui audierunt ab ancilla, iterum interrogaverunt eum, ut dicit Matthæus. Vel unus primo, ut dicitur hic, & poſtea alii multi. Et ſic negavit tertio. Unde ſubditur de tertia negatione: *Dixit unus ex ſervis pontificis cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam*. Iſte tertius teſtimonium perhibuit, qnia de viſu: unde dicit: *Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo Petrus*, facto intervallo horæ nnius, *negavit*, tertio. Nec refert ſi alii Evangeliſtæ dicunt tertiam interrogationem factam a pluribus; Ioannes vero factam ab uno. Potuit enim fieri ut iſte, qui magis certus erat, interrogaret, & alios ad interrogandum incitaret. Multa enim circa hæc verba dicta ſnnt a circumſtantibus, quorum unum commemorat Evangeliſta nnus, & alius aliud, cum non eſſet eorum principalis intentio ad hoc; ſed ad commemorandum verba Petri, & oſtendendum veritatem eius quod Dominus dixerat Petro: unde in verbis Petri omnes eonveniunt. Num. XXIV. 13. „ Quicquid Dominus dixerit, hæc loquar.“

(f) Conſequenter agit de ſigno commemorationis Chriſti: unde dicit: *Et ſtatim gallus cantavit*, motus virtute divina, ut medici eſſet completa prædictio, & ægroti convicta præſumptio.

LECTIO V.

(a) ADducunt ergo Ieſum a Caipha in prætorium. Erat autem mane, & ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha.

(b) Exivit ergo Pilatns ad cos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc? Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.

(c) Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum.

(d) Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam.

(e) Ut ſermo Ieſu impleretur, quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.

(a) HIc agitur de aſſignatione Chriſti Gentilibns. Et primo dicit Evangeliſta quomodo aſſignatur præſidi; ſecundo cauſa eius a præſide examinatur, ibi, *Et dixit: Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc?* tertio qnomodo eius innocentia decla-

ra-

(a) *Al.* iuravit.

ratur, ibi, *Et hæc cum dixiſſet, iterum exivit.* Circa primum tria facit. Primo deſcribit aſſignationis locum; ſecundo tempus; tertio modum. Locus quidem, quia in prætorium: unde dicit: *Adducunt autem Ieſum a Caipha in prætorium*, quod eſt locus iudicii. Unde & in exercitu ubi erat tabernaculum principis, conſuevit prætorium appellari: unde hic domus præſidis prætorium appellatur.

Sed (a) quomodo ducitur ad Caipham in prætorium? Ad quod dicendum, quod poteſt dici, quod Caiphas prævenerat in domum Pilati, ut eum informaret de facto Ieſu ſibi præſentandi: unde eo exeunte cum Pilato in prætorium, aſſignatus eſt ei Ieſus. Vel poteſt dici, quod cum Caiphas eſſet princeps ſacerdotum, habebat ſpatioſas domos, ita quod in aliqua parte earum etiam præſes hoſpitaretur: & ſic eſt ſenſus: *Adducunt Ieſum ad Caipham*, ſcilicet ad domum eius: & hoc *in prætorium*. Vel dicendum, quod melius in Græco habetur: *Adducunt Ieſum a Caipha in prætorium*: & ſic tollitur omnis dubitatio.

Tempus deſcribitur: *Erat autem mane:* nam tanta erat eorum nequitia, ut nulla interponeretur mora quin occidendum traderent Pilato. Mich. II. 1. „ Væ qui cogitatis inutile, „ & operamini malum in cubilibus veſtris. „ In luce matutina faciunt illud, quoniam „ contra Deum eſt manus eorum. “ Iob XXIV. 14. „ Mane primo ſurgit homicida, interficit „ egenum, & pauperem. “

Sed ex hoc quæſtio gravis inſurgit. Nam tres alii Evangeliſtæ dicunt, quod circa principium noctis Dominus fuit flagellatus in domo Caiphæ, & examinatus ab eo, cum dixit (Luc. XXII. 66.) „ Dic nobis ſi tu es Chri„ ſtus: “ & ſummo mane ductus eſt ad Pilatum. Ioannes vero dicit, quod ductus eſt ad Caipham. Ad quod dicendum, quod ſi volumus ſalvare litteram noſtram, quod Caiphas primo vidit eum cum eſſet in domo Annæ de nocte, & tunc potuit examinari ab eo.

Sed adhuc dubium remanet de (b) hoc quod dicunt, quod fuit flagellatus in domo Caiphæ. Quod totum ſolvitur ſecundum illud quod habetur in Græco, ſcilicet quod *ducunt eum a Caipha in prætorium*: quia ſecundum hoc a domo Annæ fuit de nocte adductus ad domum Caiphæ, ubi flagellatus, & examinatus fuit, & de mane fuit a Caipha ductus in prætorium.

Ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha. Ubi primo deſignatur eorum vana ſuperſtitio, quia non introierunt in prætorium; ſecundo Pilati ad eos reverentia, quia exivit eis obviam.

Sed hoc quod dicit quantum ad primum, quod non introierunt ut non contaminarentur, habet dubitationem. Dicunt enim alii Evangeliſtæ, quod Chriſtus captus fuit in ſero in die cœnæ; & tunc erat paſcha. Luc. XXII. 15. „ Deſiderio deſideravi, hoc paſcha „ manducare vobiſcum. “ Et de mane in craſtino fuit ductus ad prætorium. Quomodo ergo *ut manducarent paſcha*, cum eſſet in craſtino paſchæ? Sed ad hoc quidam moderni Græci dicunt, quod hoc factum fuit decima quarta luna, & crucifixus eo die quo Iudæi celebrabant paſcha, dicentes, quod Chriſtus una die prævenit paſcha, ſciens ſibi imminere occiſionem in paſcha Iudæorum. Unde celebravit paſcha decimatertia luna ad veſperam. Et hoc dicunt, quia in lege præceptum eſt, quod a quartadecima luna primi menſis uſque ad vigeſimum primum diem menſis, non inveniatur fermentatum apud Iudæos. Unde dicunt, quod Chriſtus conſecravit de fermentato corpus ſuum.

Sed hoc ſtare non poteſt propter duo. Primo quia numquam invenitur in veteri teſtamento, quod alicui liceret prævenire celebrationem paſchæ; ſed ſi haberet impedimentum, liceret differre uſque ad alium menſem. Num. IX. 10. „ Homo, qui fuerit immundus ſuper anima, „ aut in via procul in gente veſtra, faciat „ phaſe Domino, menſe ſecundo, quartade„ cima die menſis ad veſperam. “ Cum ergo Chriſtus nil prætermiſerit de obſervantiis legis, falſum dicunt, eum paſcha præveniſſe. Secundo quia Marc. XIV. expreſſe habetur, quod Chriſtus venit die azymorum quando neceſſe erat occidi paſcha, & Matthæus dicit (XXVI. 17.) quod „ primo die azymorum „ acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: „ Ubi vis paremus tibi comedere paſcha? “ Non ergo dicendum eſt quod Chriſtus prævenit paſcha. Et ideo Chryſoſtomus aliter dicit, ſcilicet quod Chriſtus legem per omnia implens, ſuo tempore paſcha celebravit, ſcilicet quartadecima luna ad veſperam; ſed Iudæi ſic intenti erant ad Chriſti occiſionem quod non celebraverunt paſcha die ſuo, ſed in ſequenti die, ſcilicet luna decimaquinta. Unde de hoc dicit: *Ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha*, quod præcedenti die omiſerunt. Sed nec hoc ſtare poteſt: quia Num. IX. dicitur, quod ſi quis propter impedimenta non poteſt celebrare paſcha decimaquarta luna primi menſis, celebret illud non ſequenti die, ſed luna decimaquarta menſis ſe-

(a) *Al. omittitur* Sed. (b) *Al.* de hoc quod fuit flagellatus.

ſecundi. Et ideo dicendum eſt, ſecundum Hieronymum, & Auguſtinum, & alios doctores Latinos, quod decimaquarta luna eſt principium ſolemnitatis; ſed paſcha non dicitur ſolum veſpera, ſed totum tempus ſeptem dierum, per quod comedebant azyma, quæ debebant manducari a mundis. Unde quia Iudæi alieni iudicis prætorio immunditiam contrahebant, ideo non introierunt in prætorium, *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha*, ideſt panes azymorum.

Sed attende impiam cæcitatem, quia timebant contaminari de homine gentili; ſed ſanguinem Dei & hominis effundere non timebant. Eſa. xlix. 17. „ Venerunt ſtructores tui „ deſtruentes te, & diſſipantes a te ex„ ibunt. "

(b) Conſequenter ponitur Pilati ad eos reverentia, cum dicit: *Exivit ergo Pilatus ad eos foras*; & tunc Chriſtum ab eis oblatum ſuſcepit; *& dixit*: *Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc*? Ubi ponitur Chriſti examinatio: & primo quomodo examinatur a Pilato coram accuſatoribus; ſecundo quomodo a ſe, ibi, *Introivit ergo &c.* Circa primum duo facit. Primo ponit Pilati examinationem; ſecundo liberalem eius conceſſionem, ibi, *Accipite eum vos &c.* Circa primum primo ponitur eius examinatio; ſecundo malitioſa Iudæorum reſponſio. Pilatus ergo videns eum ligatum, & a tot ductum ad damnandum, dicit: *Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc? Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*; quaſi dicerent: Nos examinavimus eum, & iam condemnatum tradidimus eum tibi iam puniendum; quaſi Pilato ſufficeret eorum indicium. Sed falſum dicunt, dicentes eum eſſe malefactorem: quia, ut dicitur Actor. x. 38. „ pertranſiit benefaciendo, & ſanando o„ mnes (a) oppreſſos a diabolo. " Sed faciunt ſecundum illud Pſal. xxxiv. 12. „ Retri„ buebant mihi mala pro bonis. "

Sed contra hoc eſt quod dicitur Luc. xxiii. 5. quod imponebant Chriſto multa crimina, unde dicebant: „ Commovit populum per u„ niverſam Iudæam, incipiens a Galilæa uſ„ que huc; " hic autem nullum. Reſpondeo dicendum, quod multa verba dixerunt Iudæi tunc Pilato, ut Auguſtinus dicit; ſed potuit eſſe quod primo hoc quod hic oſtendit Ioannes, & poſtea fuit quod dicit Lucas.

(c) Conſequenter ponitur liberalis conceſſio Pilati, cum dicit: *Accipite eum vos*: & primo ponitur Pilati conceſſio; ſecundo Iudæorum recuſatio, ibi, *Dixerunt ergo ei Iudæi*; tertio recuſationis ratio, ibi, *Ut ſermo Ieſu impleretur*. Dicit ergo: *Accipite eum vos*, volens eis præſtare gratiam. Sic & (b) Felix dixit Paulo: „ Si velis iudicari apud Iudæos: " Actor. xxiv. Vel hoc dixit arguens eos: nam ipſi examinaverant, & condemnaverant: unde volebat quod qui condemnaverant eum maleſactorem, darent ſententiam: quia, ut dicitur Actor. xxv. 16. „ non eſt conſuetudo Ro„ manis damnare aliquem hominem, priuſ„ quam is qui accuſatur præſentes habeat ac„ cuſatores, locumque defendendi accipiat ad „ abluenda peccata. " Et ſic eſt ſenſus: Noſtrum iudicium petitis; ſed *vos eum accipite, & damnate ſecundum legem veſtram*: ego autem nequaquam talis iudex efficiar.

(d) Sed Iudæorum recuſatio ponitur conſequenter ibi, *Dixerunt ergo ei Iudæi*: *Nobis non licet interficere quemquam*.

Sed contra. Exod. xxii. 18. dicitur: „ Maleficos non patieris vivere. " Ieſum autem maleficum reputabant. Sed, ſecundum Auguſtinum, dicunt: *Nobis non licet interficere quemquam*, in die feſto, alio autem tempore ſic. Vel, ſecundum Chryſoſtomum, Iudæi arriſerunt multum de poteſtate: quia iudicium de peccato contra rempublicam non pertinebat ad eos; ipſi autem potiſſime intendebant condemnare eum de hoc quod erat contra rempublicam. Infra xix. 12. *Omnis qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari*. Unde dicunt: *Nobis non licet interficere quemquam*, ſcilicet qui facit contra rempublicam; quamvis liceret pro aliquo peccato legis, cuius iudicium reſervatum eis erat. Vel aliter dicendum, quod aliquid non licet alicui, vel quia eſt divina lege prohibitum; & hoc modo non erat eis prohibitum: vel quia prohibitum erat eis lege humana; & hoc modo non licebat eis interficere quemquam, quia iam reſidebat hæc poteſtas apud præſidem.

Sed tunc remanet quæſtio: quia lapidaverunt Stephanum, Actor. vii. Sed ad hoc reſpondet Chryſoſtomus, quod Iudæis conceſſum erat a Romanis quod uterentur legibus ſuis: unde quia pœna lapidationis erat inflicta per legem, ideo conceſſa erat eis a Romanis. Sed mors crucis in lege exprobrabilis erat. Deut. xxi. 23. „ Maledictus omnis qui pependit in „ ligno. " Et ideo hoc genus mortis non erat eis ſervatum. Iudæi autem ex ſua malitia non erant contenti ſi Chriſtum lapidarent; ſed volebant eum morte turpiſſima condemnare, ut dicitur Sap. ii. Et ideo nunc dicunt: *Non licet nobis interficere quemquam*, ſcilicet morte crucis. Vel dicendum, quod Stephanus

(a) *Al.* oppreſſiones. (b) *Forte* Feſtus, Actor. xxv. 9. & 10.

nus fuit lapidatus in magiſtratus mutatione : & tunc multa illicita uſurpantur , quæ non fierent in proceſſu temporis.

(e) Ratio recuſationis ſubditur cum dicit : *Ut ſermo Ieſu impleretur* : ut ly *ut* non referatur ad intentionem Iudæorum , ſed ad diſpoſitionem divinæ providentiæ. Ieſus enim dixit, Matth. xx. quod occidendus erat a Gentibus, & crucifigendus, traditus tamen a Iudæis. Et ideo ut iſtud impleretur , ipſi noluerunt eum iudicare, & occidere.

LECTIO VI.

(a) INtroivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Ieſum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum?

(b) Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

(c) Reſpondit Pilatus: Numquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid feciſti?

(d) Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo.

(e) Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis.

(f) Nunc autem regnum meum non eſt hinc.

(g) Dixit ei itaque Pilatus: Ergo Rex es tu?

(h) Reſpondit Ieſus: Tu dicis quia Rex ſum ego.

(i) Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.

(k) Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.

(l) Dixit ei Pilatus, Quid eſt veritas?

(m) Et cum hoc dixiſſet, iterum exivit ad Iudæos , & dixit eis : Ego nullam invenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo ut unum dimittam vobis in paſcha : vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum ? Clamaverunt rurſum omnes dicentes : Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

(a) SUpra poſita eſt examinatio qua Pilatus examinavit Chriſtum coram accuſatoribus; hic autem ponit Evangeliſta quomodo Pilatus examinavit Chriſtum apud ſeipſum. Et primo Evangeliſta agit de interrogatione Pilati examinantis; ſecundo de reſponſione Chriſti examinati, ibi, *Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Circa primum duo facit. Primo proponit Pilati interrogationem; ſecundo interrogationis cauſam, ſeu examinationem, ibi, *Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis*? Circa primum ſciendum, quod Pilatus ut iuſtus iudex, & omnia exquiſite pertractans, non ſtatim acquievit accuſationi pontificis. Exod. XXIII.2. „Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec „in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies." Sed *introivit iterum in prætorium, & vocavit Ieſum*, ſcilicet ſeorſum, eo quod magnam de eo habebat ſuſpicionem. Ideo autem Chriſtum ad ſe vocavit, ut exquiſitius omnia rimaretur, & Chriſtus quietius reſponderet, amoto ſtrepitu Iudæorum. Iob XXIX. 16. „Cauſam quam „ignorabam, diligentiſſime inveſtigabam." Et tunc dixit ei : *Tu es Rex Iudæorum*? Ex quo patet, ut Lucas refert XXII. (*a*) quod Iudæi hoc crimen ei impoſuerunt ; licet Ioannes dicat tantum : *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*. Et multa alia crimina ei obiecerunt; ſed hoc magis tetigit cor Pilati, & ideo de hoc ſolo eum interrogat. Matth. XII. 34. „Ex abundantia cordis „os loquitur."

(b) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Ieſus &c.* ponitur interrogationis examinatio : & primo ponitur Chriſti interrogatio; ſecundo Pilati reſponſio, ibi, *Numquid ego Iudæus ſum*? Dixit ergo : *Reſpondit Ieſus*, verſa vice interrogando: *A temetipſo hoc dicis*? Ubi ſciendum eſt, quod duplici ex cauſa homo interrogat. Quandoque ut ſciat rem quam prius ignorabat; & ſic diſcipulus interrogat magiſtrum: quandoque interrogat de re ſcita, ut ſciat reſponſionem de quo interrogat ; & ſic magiſter interrogat diſcipulum. Sed Dominus ſciebat & id de quo ipſe interrogabat, & illud quod reſponſurus erat ; & ideo non inter-

ter-

(a) *Al. deeſt* quod.

terrogabat quaſi ignorans: quia ,, omnla nu- ,, da, & aperta ſunt oculis eius: " Hebr. iv. 13. ſed interrogat ut ſciamus quam opinionem habebant Iudæi, & Gentiles, ac ſimul de illo regno inſtruamur.

(c) Conſequenter cum diclt, *Reſpendit Pilatus &c.* ponitur reſponſio Pilati. Sed quare ſic reſpondet? Ideo ſcilicet quia Dominus quæſivit ab eo, an a ſemetipſo hoc dixiſſet. Et ideo Pilatus oſtendit quod non pertinebat ad eum quærere an eſſet Rex Iudæorum, ſed potius ad Iudæos, quorum ſe Regem dicebat; dans per hoc intelligere quod ab aliis hoc ſibi dicebatur. Et ideo ſubdit: *Gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi*, hanc ſcilicet accuſationem adverſum te dicentes. Et dicit, *Gens tua*, quia ex Iudæis, ſecundum hominem, natus erat. Hier. xx. 10. ,, Audivi ,, enim contumelias multorum, & terrores ,, in circuitu, Perſequimini eum, ab omni- ,, bus viris qui erant pacifici mei. Michçæ vii. 6. ,, Inimici hominis, domeſtici eius." Et dicit, *Pontifices*, quia quanto maiores erant in poteſtate, tanto potiores in crimine. I. Eſdræ ix. 2. ,, Manus principum, & magi- ,, ſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima." Hierem. v. 5. ,, Ibo ad optimates, & loquar ,, eis: ipſi eoim cognoverunt vias Domini, ,, & iudicium Dei ſui: & ecce magis hi con- ,, fregerunt iugum, ruperunt vincula." Si ergo ipſi tradiderunt te mihi, *quid feciſti?* quaſi dicat: Non eſt credeodum, quod tradidiſſent te mihi oiſi pro magna cauſa.

(d) Hic ponitur reſponſio Chriſti. Et primo removet ſuſpicionis de regno ſuo falſitatem; ſecundo aſtruit veritatem, ibi, *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu?* Circa primum duo facit. Primo excludit falſam ſuſpicionem; ſecuodo adhibet ſigoi probationem, ibi, *Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis.* Falſam ſuſpicionem removet, dicens: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quod male intelligentes Manichæi, dicebant eſſe duos Deos, & duo regna; ſcilicet Deum bonum, qui habet regnum ſuum in regione lucis; & Deum malum, qui habet regnum ſuum in regione tenebrarum; & hanc dicebaot eſſe hunc mundum, quia omnia corporalia dicebant eſſe tenebras. Et ſecundum hoc ſenſus eſt: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; quaſi dicat: Dominus Pater, qui bonus eſt, & ego non habemus regnum in regiooe tenebrarum.

Sed contra hoc eſt quod dicitur in Pſal. xlvi. 8. ,, Quoniam Rex omois terræ Deus." Et iterum (Pſalm. cxxxiv. 6.) ,, Omoia quæ- ,, cumque voluit Dominus fecit in cælo, & ,, in terra." Et ideo dicendum, quod hoc dixit Chriſtus propter Pilatum, qui credebat Chriſtum affectare regnum terrenum, quo corporaliter, ſicut & homines terreni, regnaret; & per hoc eſſet morte plectendus, quod illicitum affectaverit regnum.

Scieodum eſt autem, quod regnum quandoque dicitur ille populus qui regnat, quandoque ipſa regia poteſtas. Primo ergo modo accipiendo regnum exponit Auguſtinus, & dicit: *Regnum meum*, ideſt fideles mei: Apoc. v. 10. ,, Feciſti nos Deo noſtro regnum: " *non eſt de hoc mundo.* Non dicit: Non eſt in hoc mundo: ſupra xvii. 11. *Et hi in mundo ſunt*: ſed *Non eſt de hoc mundo*, per affectum, & imitationem, ereptus quidem per gratiæ electiooem. Sic enim nos Deus eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum caritatis ſuæ. Chryſoſtomus autem exponit accipiendo regnum ſecuodo modo, & dicit: *Regnum meum*, ideſt poteſtas mea, & auctoritas, qua Rex ſum, *non eſt de hoc mundo*; ideſt, non habet originem ex cauſis mundanis, & electione hominum, ſed aliunde, ſcilicet ab ipſo Patre. Dan. vii. 14. ,, Poteſtas eius, pot- ,, eſtas æterna quæ non auferetur, & re- ,, gnum eius quod noo corrumpetur."

(e) Hic adhibet ſigna evidentia ad probandum quod regnum eius non eſt de hoc mundo: & primo ponit ſignum; ſecuodo cooncludit intentum, ibi, *Nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Circa primum ſciendum eſt, quod qui habet regnum terrenum, ſive iuſte, ſive violenter, oportet quod habeat ſocios, & miniſtros, per quos in poteſtate fulciatur. Cuius ratio eſt, quia noo eſt potens per ſeipſum, ſed per miniſtros ſuos. II. Reg. iii. 1. ,, Facta eſt longa concertatio inter domum ,, Saul & inter domum David: David profi- ,, ciſcens, & ſemper ſeipſo robuſtior, domus ,, autem Saul decreſcens quotidie." Sed Rex ſupernus, quia poteos eſt per ſeipſum, ſervis ſuis potentiam tribuit; ideo oon indiget ad regnum ſuum miniſtris. Et ideo dicit, quod regnum ſuum non eſt de hoc mundo: quia *ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri utique mei decertarent, ut non traderer Iudæis.* Unde & Petrus volens decertare pro Chriſto, oon advertebat ſe de hoc mundo non eſſe: ſupra eodem. Habebat tamen Dominus alios miniſtros, ſcilicet Angelos, qui potuiſſent eum eripere de maoibus Iudæorum; ſed Domious eripi ooluit. Matth. xxvi. 53. ,, Ao oon ,, poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit ,, mihi pluſquam duodecim legiones Angelo- ,, rum?

(f) *Nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Scilicet quia non quærit tales miniſtros, concludit quod *regnum ſuum non eſt hinc*; ideſt,

non

non habet principium de hoc mundo; eſt tamen hic, quia ubiqne eſt: “ attingit enim a „ fine uſque ad finem ſortiter, & diſponit o„ mnia ſuaviter: Sap. VIII. 1. Pſal. II. 8. „ Poſtula a me, & dabo tibi Gentes heredi„ tatem tuam, & poſſeſſionem tuam termi„ nos terræ. “ Dan. VII. 14. „ Dedit pot„ eſtatem, & honorem, & regnum, & omnes „ populi, tribus, & linguæ ſervient ei. “

(g) Hic Dominus manifeſtat veritatem de regno ſuo quod ſit. Et primo ponitur manifeſtationis occaſio; ſecundo ipſa manifeſtatio, ibi, *Reſpondit ei Ieſus &c.* tertio manifeſtationis effectus, ibi, *Dixit ei Pilatus, Quid eſt veritas?* Circa primum ſciendum, quod Pilatus ex ſupradictis verbis Domini, intelligens quod regnum quaſi carnale, & longinquum eſſet de partibus illis: I.Corinth. II. 14. „ Ani„ malis homo non percipit ea quæ ſunt ſpi„ ritus Dei: “ anhelavit ad veritatem ſciendam: & ideo inquit dicens: *Ergo Rex es tu?* Scilicet & Dominus.

(h) Conſequenter reſpondens dicit: *Tu dicis quia Rex ſum ego*. Ubi primo ſe eſſe confitetur Regem; ſecundo ſui regni oſtendit rationem, ibi, *Ego in hoc natus ſum .... ut teſtimoninm perhibeam veritati*: tertio inſinuat ſuper quos regnat, ibi, *Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam*. Circa primum ſciendum eſt, quod Dominus ad quæſtionem reſpondens de regno, ita reſponſionem ſuam temperavit ut nec manifeſte confiteretur ſe eſſe Regem, cum Rex non eſſet eo modo quo Pilatus intelligebat; nec negaret, cum ſpiritualiter eſſet Rex Regum. Dicit ergo: *Tu dicis quia Rex ſum ego*, ſcilicet carnaliter, ſecundum quem modum Rex non ſum, ſed alio modo Rex ſum ego. Eſa. XXXII. 1. „ Ec„ ce in iuſtitia regnabit Rex, principes in „ judicio præerunt. “

(i) Modum autem & rationem regni ſui oſtendit dicens: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimoninm perhibeam veritati*: quod dupliciter exponitur. Uno modo, ſecundum Auguſtinum, ut regnum Chriſti ſint fideles, ſicut dictum eſt ſupra: & ſic Chriſtus ſuper fideles regnat; & ad hoc venit in mundum ut congregans ſibi fideles, regnum ſibi acquirat. Luc. XIX. 12. „ Homo „ quidam nobilis abiit in regionem longin„ quam accipere ſibi regnum. “ Et ſic eſt ſenſus: *Ego in hoc*, ideſt ad hoc, *natus ſum*, nativitate ſcilicet carnali. Et hoc exponit dicens: *Et ad hoc veni in mundum*, carnaliter naſcendo: ſic enim venit in mundum: Galat. IV. 4. „ Miſit Deus Filium ſuum in mun„ dum: “ *ut teſtimonium perhibeam veritati*, ſcilicet mihi, qui ſum veritas: ſupra VII. *Et ſi teſtimoninm perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum*: ſupra VIII. 14. Et inquantum manifeſto me veritatem, intantum regnum mihi paro. Hoc enim non poteſt fieri niſi per manifeſtationem veritatis, quam manifeſtationem non decebat fieri niſi per me, qui ſum lux. Supra I. 18. *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Hebr. II. 3. „ Quæ cum „ initium accepiſſet enarrandi per Dominum, „ ab eis qui audierunt, confirmata eſt, con„ teſtante Deo ſignis, & portentis, & variis „ virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributioni„ bus. “

Alio modo exponit Chryſoſtomus ſic: Tu quæris ſi Rex ego ſum; & ego dico quod ſic, ſed poteſtate divina, quia *in hoc natus ſum*, neceſſitate æterna a Patre, ſicut Deus ex Deo, ita Rex ex Rege. Pſal. II. 6. „ Ego „ autem conſtitutus ſum Rex. “ Et ſubdit: „ Ego hodie genui te. “ Sed quod addit, *Et ad hoc veni in mundum*, non ponitur expoſitive, ſed intelligitur de nativitate temporali; quaſi diceret: Etſi ſum Rex æternus, tamen ad hoc veni in mundum, *ut teſtimonium perhibeam veritati*, (a) mihi ſcilicet, quod ſum Rex a Deo Patre.

(k) Hic oſtendit ſuper quos regnet. Ubi notandum, quod ſupra X. dixit ſe paſtorem, & ſubditos dixit oves, quod idem eſt quod hic dicit ſe Regem, & ſubditos regnum: quia eadem eſt proportio Regis ad ſubditos, & paſtoris ad oves, & ſicut paſtor paſcit oves: Ezech. XXXIV. 2. „ Nonne greges paſcuntur a „ paſtoribus: “ ita & Rex ſuſtentat ſubditos. Et ſpecialiter inter alia dixit (ibid. 27.) *Oves meæ vocem meam audiunt*: unde & hic dicit: *Qui eſt ex veritate, audit vocem meam*, non ſolum exterius, ſed credendo interius, & amando, ac opere implendo. Supra VI. 45. *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Sed unde hoc homini ut audiat vocem meam? Inde ſcilicet quia *eſt ex veritate*, quæ eſt Deus.

Sed cum omnes ſint ex Deo, omnes ſunt ex veritate, & audiunt vocem eius. Reſpondeo dicendum, quod aliqui ſunt ex Deo per creationem, & ſic omnes ſunt a Deo. Dicuntur etiam aliqui eſſe a Deo per affectum, & imitationem: unde ſupra VIII. 47. dicitur: *Ex Deo non eſtis*, ſcilicet ſecundum affectum, ſed per creationem eſtis. Ille e[illegible]dit vocem credendo, & amando, [illegible] ſcilicet *eſt ex veritate*; ideſt, qui accepit [illegible] munus ut veritatem amet.

(a) Al. hinc.

Sed attende, quod non dicit: Omnis qui audit vocem, eſt ex veritate: quia ſequeretur quod ideo eſſemus ex veritate, quia credimus; cum tamen ideo credamus, quia ſumus ex veritate, inquantum ſcilicet accepimus donum Dei, per quod credimus, & amamus veritatem. Epheſ. II. 8. „ Gratia „ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: „ Dei enim donum eſt. “ Phil. I. 29. „ Vo- „ bis datum eſt non ſolum ut in eum cre- „ datis, ſed etiam ut pro illo patiamini. “

(l) Ponit reſponſionis effectum, in quo datur intelligi quod Pilatus pro pulſa ſuſpicione regni terreni, ac intelligens Chriſtum Regem eſſe in doctrina veritatis, cupit veritatem ſcire, ac effici de regno eius: unde dicit: *Quid eſt veritas*? non quærens quæ ſit diffinitio veritatis, ſed quid eſſet veritas, cuius virtute de regno eius efficeretur, dans per hoc intelligere, quod veritas mundo incognita erat, & fere ab omnibus evanuerat, dum increduli eſſent. Eſa. LIX. 14. „ Cor- „ ruit veritas in plateis, & æquitas non po- „ tuit ingredi. “ Pſal. XI. 2. „ Diminutæ „ ſunt veritates a filiis hominum. “ Sed Pilatus reſponſionem non expectavit.

Et ideo quantum ad hanc quæſtionem ſciendum eſt, quod duplicem veritatem invenimus in Evangelio: unam increatam, & facientem; & hæc eſt Chriſtus: ſupra XIV. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*: aliam factam: ſupra I. 17. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Veritas enim de ſui ratione importat commenſurationem rei ad intellectum. Intellectus autem dupliciter comparatur ad res. Quia quidam ut menſura rerum exiſtens, ille ſcilicet qui eſt cauſa rerum; quidam autem menſuratus a re, ille ſcilicet cuius cognitio cauſatur a re. Non igitur eſt veritas in intellectu divino, quia ipſe adæquatur rebus, ſed quia res ipſi divino intellectui adæquantur. Sed in intellectu noſtro ideo eſt veritas, quia ita intelligit res ut res ſe habent. Et ſic veritas increata, & intellectus divinus eſt veritas non menſurata, nec facta, ſed veritas menſurans, & faciens duplicem veritatem: unam ſcilicet in ipſis rebus inquantum facit eas ſecundum quod ſunt in intellectu divino; & aliam quam facit in animabus noſtris, quæ eſt veritas menſurata tantum, & non menſurans. Et inde eſt quod veritas increata intellectus divini appropriatur Filio, qui eſt ipſa conceptio divini intellectus, & Dei Verbum. Veritas enim conceptionem intellectus conſequitur.

(m) Deinde cum dicit, *Et cum hoc dixiſſet, iterum exivit ad Iudæos*, agit de ſententia Pilati in Chriſtum: & primo declarat eius innocentiam; ſecundo intentat (*a*) impendere miſericordiam, ibi, *Eſt autem conſuetudo ut unum dimittam vobis in paſcha*. Sciendum eſt autem circa primum, quod Pilatus, ut dicit Auguſtinus, volebat libenter Chriſtum liberare; & dum quæſiviſſet a Chriſto, *Quid eſt veritas*? ſubito venit illi in mentem quomodo per quamdam conſuetudinem Chriſtum liberare poterat, qua ſolet eis dimitti unus in paſcha: & ideo reſponſionem non expectans, totaliter contulit ſe ad hoc procurandum: & ideo dicit, *Et cum hoc dixiſſet*. Audiebat Iudæorum tumultum; & credens ſe illum poſſe compeſcere, & poſtmodum quietius difficilis quæſtionis reſponſionem audire, *iterum exivit ad Iudæos*, & proponens Chriſti innocentiam, *dixit eis*: *Ego nullam invenio in eo cauſam*, ſcilicet mortis. I. Pet. II. 22. „ Qui „ peccatum non fecit. “ Et tamen ſi eſſent aliqua in eo, ego, apud quem reſidet poteſtas, & præcipue iudicandi de his quæ contra Regem fiunt, volo eum liberare, & abſolvere: unde dicit: *Eſt autem conſuetudo ut unum dimittam vobis in paſcha*. Ubi primo offert Chriſti abſolutionem; ſecundo ponit Evangeliſta Iudæorum reſponſionem. Sciendum eſt autem, quod hanc conſuetudinem introduxit Pilatus, vel alii præſides Romanorum, ob favorem populi. Et ideo ſecundum hanc conſuetudinem volens eum dimittere, dicit: *Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum*? Non dicit hoc quaſi invenerit eum culpabilem de regno Iudæorum, (*b*) ſed ut exaggeraret ipſorum malitiam; (*c*) quaſi dicat: Etſi ſit Rex Iudeorum, quod ad vos iudicare non pertinet, ſed ad me; tamen, ſi vultis, dimittam eum vobis. Sed ipſi Iudæi *clamaverunt rurſum omnes dicentes*: *Non hunc, ſed Barabbam*. Et ut Iudæorum malitiam oſtendat, ſtatim ſubdit eius, quem liberari petebant, crimen, dicens: *Erat autem Barabbas latro*. Eſa. I. 23. „ Prin- „ cipes tui infideles, ſocii furum. “ In hoc impletur illud Hier. XII. 5. „ Facta eſt mihi „ hereditas mea quaſi leo in ſilva. “ Act. III. 14. „ Iuſtum & ſanctum negaſtis, & pe- „ tiſtis virum homicidam donari vobis. “

(a) *Al.* impedire. (b) *Al.* ſed exaggeraret: *item* ſed ut exaggravaret. (c) *Al.* quaſi ſit Rex &c. *item* quaſi etſi ſit.

CAPITIS DECIMINONI

LECTIO I.

(a) TUnc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit.

(b) Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum; & veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Iudæorum:

(c) Et dabant ei alapas.

(a) SUpra proſecutus eſt Evangeliſta de his quæ Chriſtus paſſus eſt a Iudæis; hic proſequitur de his quæ ſpecialiter paſſus eſt a Gentilibus: a quibus quidem tria paſſus eſt, ſecundum quod ipſe prædixerat, Matth. xx. & Luc. XVIII. 32. „ Tradetur enim Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & „ crucifigendum &c. “ Primo ergo Evangeliſta agit de Chriſti flagellatione; ſecundo de eius illuſione, ibi, *Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius*; tertio de eius crucifixione, ibi, *Exivit iterum Pilatus &c.* Dicit ergo: *Tunc ergo*, ideſt poſt clamorem omnium, *apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit*, non quidem propriis manibus, ſed per milites: & hoc ideo ut Iudæi ſatiati eius iniuriis, mitigarentur, & uſque ad eius mortem ſævire deſiſterent. Naturale eſt enim ut ira quieſcat, ſi videat eum contra quem iraſcitur, humiliatum, & punitum, ut dicit Philoſophus in Rech. Quod quidem verum eſt in ira quæ quærit nocumentum proximi cum menſura, ſed non in odio, quod totaliter quærit exitium eius qui habetur odio. Eccli. XII. 16. „ Inimicus ſi invenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine. “ Iſti autem ex odio movebantur ad Chriſtum, & ideo flagellatio non ſufficiebat. Pſal. lXXII. 14. „ Fui flagellatus tota die. “ Eſa. l. 6. „ Dedi corpus „ meum percutientibus.

Sed numquid hæc intentio Pilatum excuſat a flagellatione? Non quidem, quia in omnibus quæ ſunt per ſe mala, nullum eorum poteſt fieri totaliter bonum per bonam intentionem; affligere autem innocentem, & præcipue Dei Filium, eſt maxime per ſe malum; & ideo nulla intentione excuſari poteſt.

(b) Hic agitur de illuſione: & primo quantum ad falſos honores quos ei exhibuerunt; ſecundo quantum ad vera opprobria quæ ei intulerunt, ibi, *Et dabant ei alapas &c.* Exhibebant autem ei falſos honores, vocantes eum Regem, per quod alludebant accuſationi Iudæorum, qui dicebant quod ipſe faciebat ſe Regem Iudæorum. Et ideo triplicem honorem Regis ſibi exhibebant, ſed falſum. Primo quidem quantum ad illuſoriam coronam; ſecundo quantum ad illuſoriam veſtem; tertio quantum ad illuſoriam ſalutationem. Illudunt ergo ei quantum ad coronam, quia Reges conſueverunt auro coronari. Eccli. XLV. 14. „ Corona aurea ſuper caput eius. “ Unde & de eo in Pſal. xx. 4. dicitur: „ Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. “ Sed *milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt ſupra caput eius*, illius ſcilicet qui ſuis eſt corona gloriæ. Eſa. XXVIII. 15. „ In die illa erit (a) Dominus exercituum corona gloriæ, & ſceptrum exultationis reſiduo populi ſui. “ Et convenienter de ſpinis: quia per eas removit ſpinas peccatorum, quæ pungunt remorſu conſcientiæ: Hier. IV. 3. „ Novate vobis novale, & „ nolite ſerere ſuper ſpinas: “ & ſpinas pœnalitatum quæ affligunt: Gen. III. 18. „ Spinas & tribulos germinabit tibi &c. “

Sed numquid hoc factum eſt mandato præſidis? Chryſoſtomus dicit, quod non; ſed milites pecunia corrupti hoc ad gratiam Iudaicam faciebant. Auguſtinus autem dicit hoc eſſe factum mandato, vel permiſſione præſidis, ut ſcilicet magis Iudæorum odia ſaturarentur, & facilius eum eriperet. “

Secundo illudunt ei quantum ad veſtem: unde ſequitur: *Et veſte purpurea circumdederunt eum*, quæ erat indicium regiæ dignitatis apud Romanos. Unde. I. Mach. VIII. dicitur, quod tempore illo quando Romani conſules dominabantur, corona, aut purpura utebantur. Per hoc autem quod purpura circumdederunt eum, impletur illud Eſa. LXIII. 2. „ Quare „ ergo rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? “ Simul autem & per hoc ſignificatur paſſio martyrum, qua totum corpus Chriſti, ideſt Eccleſia, rubricatur.

Tertio illudunt ei quantum ad ſalutationem:

(a) *Al.* domus.

nem: unde venientes ad eum dicebant: *Ave Rex Iudæorum*. Conſuetudo autem tunc erat, ſicut & modo eſt, ut homines euntes ad Regem, eum ſalutarent. II. Reg. XVI. 16. Chuſi vadens ad Abſalonem, dixit: „(a) Salve Rex, „ ſalve Rex. “ Myſtice autem illi illuſorie Chriſtum ſalutant qui eum confitentur ore, factis autem negant, I. Tim. I. Matth. VII. 21. „ Non omnis qui dicit mihi, Domi„ ne Domine, intrabit in regnum cælo„ rum. “

(e) Conſequenter opprobria quæ ei intulerunt dicit: *Et dabant ei alapas*: & hoc ideo, ut ipſo opere oſtenderent illuſorium eſſe quod ei talem honorem exhibebant. Eſa. L. 6. „ Ge„ nas meas dedi vellentibus. “ Mich. V. 1. „ Percuſſerunt maxillam Principis Iſrael. “

LECTIO II.

(a) EXivit ergo iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoſcatis quia nullam invenio in eo cauſam. Exivit ergo Ieſus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum. Et dixit eis, Ecce homo.

(b) Cum ergo vidiſſent eum pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

(c) Dixit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam.

(d) Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.

(e) Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dixit ad Ieſum: Unde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Dixit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus: Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.

(a) HIc agit Evangeliſta de Chriſti crucifixione: & primo ponit ipſam crucifixionem; ſecundo addit de eius morte, ibi, *Poſtea ſciens Ieſus quia omnia conſummata ſunt &c.* tertio de ſepultura, ibi, *Poſt hæc rogavit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa &c.* Circa crucifixionem primo ponit Pilati, & Iudæorum diſceptationem; ſecundo Chriſti condemnationem, ibi, *Pilatus autem cum hoc audiſſet, magis timuit*; tertio ponit ſententiæ executionem, ibi, *Susceperunt autem Ieſum*. Diſceptabat autem Pilatus cum Iudæis, volens liberare Chriſtum. Et ideo primo ponit quomodo nititur eum liberare, ipſum Iudæis oſtendendo; ſecundo eius innocentiam allegando, ibi, *Dixit eis Pilatus: Accipite eum vos &c.* Circa primum duo facit. Primo ponit demonſtrationem; ſecundo demonſtrationis effectum, ibi, *Cum ergo vidiſſent eum pontifices &c.* Circa primum tria ponuntur. Primo Pilati demonſtrantis intentio, quæ erat eum liberare: unde dicit: *Exivit ergo iterum Pilatus*, ſcilicet a prætorio, *& dixit eis*, ſcilicet Iudæis expectantibus: *Ecce adduco eum vobis foras*; & hoc ideo *ut cognoſcatis quia nullam invenio in eo cauſam*, ſcilicet mortis. Quare ergo turpiter tractaſti, impie Pilate, ſine cauſa? Scilicet ne Iudæi credant quod ob favorem eum dimittam. Qualis enim favor præſtatur ei cui tot inferuntur flagella? Vel ideo ut hæc eius ludibria inimici libentiſſime viderent, & ulterius ſanguinem non ſitirent; quaſi dicat: Si reus eſſet mortis, ita condemnarem eum ſicut flagellavi. Fortaſſis tamen aliqua levia fecit contra legem, propter quæ flagellationem tantum promeruit, non autem mortem. Secundo ponitur Chriſti manifeſtatio, & hoc facto: unde dicit: *Exivit ergo Ieſus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum &c.* In illo habitu illum oſtendit in quo a miniſtris illuditur, ut ſaltem quieſcant dum ad eos exit, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio. Pſal. LXVIII. 8. „ Quoniam propter te „ ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem „ meam. “ In quo inſtruimur ut opprobria omnia propter nomen Ieſu Chriſti parati ſimus ſuſtinere. Eſa. LI. 7. „ Nolite timere oppro„ bria hominum, & blaſphemias eorum ne „ me-

(a) *Al.* „ Salve Rex Saule. “

;„ metuatis. “ Tertio ponitur demonſtrationis explicatio; & hoc per verba Pilati : unde dixit eis, *Ecce homo*, quaſi deſpective loquendo, quod aliquis ſic deſpectus vellet ſibi uſurpare regnum. Ecce de quali homine creditis hæc, ut ſecundum hoc conveniat ei illud Pſal. xxi. 7. „ Ego ſum vermis, & non „ homo. “ Si ergo Regi invidetis, iam parcite: quia deiectum videtis . „ Fervet ignominia, frigeſcat invidia: “ ut dicit Auguſtinus.

(b) Hic ponitur demonſtrationis Chriſti effectus in Iudæis: quia quantumcumque viderent eum deiectum: & deſoiatum, & flagellatum, eorum invidia non frigeſcit, ſed ardecit potius, & creſcit. Unde *eum vidiſſent eum*, adductum foras, *pontifices, & miniſtri, clamabant: Crucifige, crucifige eum*. Ingeminant propter deſidetii vehementiam. Nec ſunt contenti quacumque morte, ſed turpiſſimam expetunt, ſcilicet crucis. Sap. ii. 20. „ Morte „ turpiſſima condemnemus eum. “ Et dicit, *Cum vidiſſent eum*, quia ex aſpectu eius qui habebatur odio, magis commovetur, & inflammatur cor odientis contra eum. Sap. ii. 15. „ Gravis eſt nobis etiam ad viden„ dum. “

(c) Hic oſtendit Evangeliſta quomodo Pilatus nititut liberare Chriſtum, eius innocentiam allegando. Ex quo orta eſt controverſia: quia primo Pilatus allegat Chriſti innocentiam; ſecundo Iudæi replicant culpam, ibi, *Nos legem habemus &c.* Quantum ad primum, *dixit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite*; quaſi dicat: Nolo eſſe iniqnus iudex: ego non crucifigam eum; vos crucifigatis eum, ſi vultis: *ego non invenio in eo cauſam*, ſcilicet crucifigendi. Supra xiii. 30. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*. Act. iii. 13. „ Quem vos tradidiſtis, & negaſtis „ ante faciem Pilati, iudicante illo dimit„ ti. “

(d) Sed Iudæi adhuc replicant Chriſti offenſam: unde ſequitur: *Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus &c.* Videntur intellexiſſe ex reſponſione Pilati quod non erat motus contra Chriſtum ex crimine affectati regni, ex quo eredebant eius animum maxime commoveri, ut eum occideret. Et ideo quaſi hoc crimen non ſufficeret ad eius mortem, credebant Pilatum per hoc quod dixerat, *Accipite eum vos &c.* petiviſſe, ſi haberent aliud crimen ſecundum legem de qno condemnatus eſſet, & de hoc condemnarent eum: & ideo dicunt: *Secundum legem debet mori*. Et primo proponunt crimen Chriſti contra legem Iudæorum; ſecundo contra legem Romanorum, ibi, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*. Circa primum duo facit. Primo ponitur Iudæorum accuſatio contra Chriſtum; ſecundo accuſationis effectus in animo Pilati, ibi, *Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit*. Crimen quod imponebatur Chriſto contra legem Iudæorum erat, quia *Filium Dei ſe fecit*: ex quo reputabant eum reum mortis. Supra v. 18. *Propterea quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*, Et ſupra x. 33. dicit: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum*. Et ubique dicunt, Filium Dei ſe facit; quaſi non ſit. Sed hoc non eſt contra legem, ut probavit eis ſupra x. 34. per illud Pſal. lxxxi. 6. „ Ego dixi, Dii e„ ſtis. “ Si enim alii homines, qui ſunt filii adoptivi, abſque blaſphemia filios Dei ſe dicunt; quanto magis Chriſtus, qui eſt Filius Dei per naturam? Sed quia non intelligebant æternam generationem, ideo eum & falſum, & blaſphemum reputabant, pro quorum quolibet quis reatum mortis incurrebat.

(e) Conſequenter cum dicit, *Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit*, ponit accuſationis effectum in animo Pilati: & primo effectum timoris: unde dicit: *Cum audiſſet hunc ſermonem*, ſcilicet quod Filium Dei ſe faceret, *magis timuit*, cogitans ne verum eſſet, & perperam ageret, ſi inique procederet contra eum. Per quod dabatur intelligi quod Gentiles audita proditione Filii Dei, timuerunt. Habac. iii. 1. „ Domine audivi „ auditum tuum, & timui. “ Secundo ponit effectum dubitationis, & inquiſitionis: unde ſequitur: *Et ingreſſus eſt in prætorium iterum, & dixit ad Ieſum &c.* Et primo ponitur Pilati inquiſitio; ſecundo taciturnitas Chriſti; tertio taciturnitatis reprehenſio. Quantum ad primum dicit: *Et ingreſſus eſt in prætorium iterum Pilatus*, ſcilicet timore concuſſus, *& dixit ad Ieſum*, quem ſecum reduxerat: *Unde es tu?* volens ſcire, utrum ſcilicet eſſet Deus divinam habens originem, vel homo terrenam. Ad quod reſponderi poteſt, quod habetur ſupra viii. 23. *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Ieſus autem*, quia noluit, *reſponſum non dedit ei*: ut oſtenderet quod nolebat per ſermones vincere, & excuſationes componere, cum ad hoc venerit ut pateretur. Simul & per hoc dedit nobis exemplum patientiæ. Et impletur quod dicitur Eſa. liii. 7. „ Quaſi agnus coram tondente ſe obmute„ ſcet, & non (a) aperiet os ſuum. “ Et dicit,

(a) *Al.* aperuit.

cit, „ Tamquam agnus, “ ut non credatur quod tacuerit ſicut male ſibi conſcius, qui de peccatis ſuis convincebatur, ſed ſicut manſuetus, ſicut qui pro peccatis alienis immolabatur. Conſequenter cum dicit: *Dixit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* ponitur quomodo Pilatus reprehendit eius taciturnitatem. Et primo facit hoc Pilatus per iactantiam ſuæ poteſtatis; ſecundo ponitur reſponſio Chriſti de poteſtate Pilati. Quia ergo Chriſtus non dedit ei reſponſum, Pilatus hic reprehendens dicit: *Mihi non loqueris &c.* in quo ſeipſum condemnavit. Si enim in poteſtate ſua totum poſitum erat, quare nullam cauſam inveniens, eum non abſolvit. Luc. XIX. 22. „ Ex ore „ tuo te iudico, ſerve nequam. “ II. Mach. VII. 16. „ Poteſtatem in homines habens, „ cum ſis corruptibilis, facis quod vis. “ Et quia ſic gloriatur de poteſtate ſua: ſecundum illud Pſal. XLVIII. 7. „ In multitudine divi„ tiarum ſuarum gloriatur: “ ideo Dominus hoc infringit, dicens: (*a*) *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*. Unde, ſicut dicit Auguſtinus, Chriſtus ubi tacet, ſicut agnus tacet; ubi loquitur, docet ſicut paſtor. Unde primo docet de ſuæ poteſtatis origine; ſecundo de ſui criminis quantitate. Quantum ad primum dicit: *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*; quaſi dicat: Si aliquam videaris habere, hanc non habes a te; ſed eſt tibi data deſuper, ideſt a Deo, a quo eſt omnis poteſtas: Rom. XIII. Et Prover. VIII. 15. „ Per me Reges regnant. “ Et dicit *ullam*, ideſt quantulamcumque habes, quia limitatam habebat ſub alia maiori, ſcilicet Cæſaris. Matth. VIII. 9. „ Ego ſum ſub pot„ eſtate conſtitutus. “ Et ideo concludit: *Propterea qui tradidit me tibi*, ſcilicet Iudas, vel principes ſacerdotum, *maius peccatum habet*. Et dicit *maius*, ut & illos qui tradiderunt, & ipſum Pilatum oſtenderet obnoxios eſſe peccato: ſed illos maiori qui ex ſe, & ex invidia eum tradiderunt; ſed iſte quod fecit, ex timore ſuperioris poteſtatis fecit. Per hoc etiam confutatur error hæreticorum dicentium omnia peccata eſſe paria, alioquin non dixiſſet Dominus, *Maius peccatum habet*. Matth. XV. 7. „ Væ autem homini illi per quem ſcan„ dalum venit. “ Effectus liberationis Chriſti ponitur cum dicit: *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum*. Sed quia, ut dictum eſt a principio, nitebatur eum dimittere, convenientius dicitur, *Exinde*, ideſt ex hac cauſa, (*b*) quod non haberet peccatum, Vel ſupra tentabat eum dimittere, ſed *exinde*, ideſt ex tunc, omnino & conſtanti animo quærebat eum dimittere.

LECTIO III.

(a) IUdæis autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. (b) Omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.

(c) Pilatus autem cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtratos, Hebraice autem Gabbatha.

(d) Erat autem paraſceve paſchæ, hora quaſi ſexta.

(e) Et dixit Iudæis: Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.

(f) Dixit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt pontifices: Non habemus Regem niſi Cæſarem.

(g) Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.

(h) Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt eum; & baiulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum.

(a) SUpra Iudæi poſuerunt crimen Chriſti contra legem: quod quia Pilatus parvipendere videbatur, utpote legi non obnoxius; ideo adhuc imponunt ei crimen contra legem Romanorum, ut magis eum urgerent ad Chriſtum occidendum. Et primo proponunt periculum Pilato imminens, ſi Chriſtum dimittat; ſecundo rationem aſſignant, ibi, *Omnis qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari*. Dicit ergo, quod poſtquam Pilatus quærebat dimittere Chriſtum, *Iudæi clamabant dicentes: Si hunc dimittis*, qui ſe Regem facit,

non

(a) Al. *Reſpondit Ieſus: Non haberes &c.* (b) *Al.* ut non.

Digitized by Google

non es amicus Cæſaris; ideſt, amicitiam eius amittes. Sæpe namque contingit quod homines de aliis ea exiſtimant quæ ipſi patiuntur. Et quia de eis dicitur ſupra XII. 43. quod *dilexerunt magis gloriam hominum, quam Dei*; ideo & de Pilato exiſtimabant quod amicitiam Cæſaris præponeret amicitiæ iuſtitiæ; quamvis contrarium ſit faciendum. Pſal. CXVII. 9. „ Bonum eſt ſperare in Domino, quam in „ principibus. “ Unde & Philoſophus veritatem cenſet præhonorati amicitiis.

(b) Rationem autem periculi imminentis ſubdunt: *Omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari*. Hæc enim eſt terrenæ poteſtatis natura quod una ſit impatiens conſortii alterius: & ideo Cæſar non patiebatur (*a*) alium dominari. Eccli. VII. 4. „ Noli „ quærere ab homine ducatum, neque a Re„ ge cathedram honoris. “

(c) Hic agit Evangeliſta de condemnatione Chriſti: circa quam tria tangit. Primo quidem locum; ſecundo tempus, ibi, *Erat autem paraſceve &c.* tertio modum, ibi, *Et dixit Iudæis*. Quantum ad primum primo ponit condemnationis motivum, dicens: *Cum audiſſet Pilatus hos ſermones, magis timuit*: non enim ſic potuit contemnere Cæſarem auctorem poteſtatis ſuæ, quemadmodum legem gentis alienæ: & ideo dicit: *Et adduxit foras Ieſum*. Sed fruſtra propter eos movetur, quia non erat talis. Non enim a purpura, non a diademate, non a ſceptro, non a curru, non a militibus quos Chriſtus haberet, credere poterat quod regnum affectaret. Ipſe ſemper ſolus cum diſcipulis ſedebat, pauper in cibo, (*b*) habitu, & habitatione. Sed, ut dicitur Proverb. XXVIII. 1. „ fugit impius ne„ mine perſequente. “ Pſal. LII. 7. „ Trepi„ daverunt timore ubi non erat timor. “ Ezech. II. 6. „ Tu ergo ne timeas eos, ne„ que ſermones eorum metuas.... & vultus „ eorum ne formides. “ Secundo ponit locum, dicens: *Et ſedit pro tribunali*. Tribunal ſedes eſt iudicis, ſicut ſolium Regis, & cathedra magiſtri. Prov. XX. 8. „ Rex qui ſe„ det in ſolio iudicii, diſſipat omne malum „ intuitu ſuo. “ Et ideo dicitur tribunal, quia apud Romanos tribuni cauſas particulares decernebant, dicti a tribus quibus præponebantur. Et dicitur *pro tribunali*, ideſt ante tribunal: nam apud Græcos hæc præpoſitio *pro* idem eſt quod in Latino *ante*, vel *in*. Et hoc tribunal erat in loco qui dicitur Lithoſtratos, ideſt ſtratura lapidum. Lithos enim in Græco idem eſt quod lapis: nam locus ubi Pilatus pro tribunali ſedebat, pavimentatus erat lapidibus diverſis. Et idem locus Hebraice dicitur Gabbatha, ideſt collis, ſive ſublimitas ex coacervatione lapidum.

(d) Tempus autem condemnationis deſcribit dicens: *Erat autem paraſceve*, ideſt præparatio paſchæ, *hora quaſi ſexta*. Sciendum eſt autem, quod apud Iudæos dies ſabbati quantum ad aliquid ſolemnior erat qualibet alia feſtivitate, inquantum ſcilicet ob reverentiam illius diei non præparabant ipſo die ſibi cibaria, ſed in ſexta feria præcedenti: unde ſexta feria huius temporis ex hoc paraſceve dicebatur. Et hoc ortum habet ex hoc quod Exod. XVI. dicitur quod in ſabbato non colligerent manna, ſed in ſexta feria colligerent duplum; in quo nulli feſtivitati deferebant. Unde licet præſens ſexta feria ſolemnis eſſet apud eos, tamen in ea pro ſequenti die ſabbati cibaria præparabant.

Sed addit: *Erat autem hora quaſi ſexta*: contra quod eſt quod dicitur Marc. XV. 25. „ Erat autem hora tertia, & crucifixerunt „ eum. “ Sed conſtat quod ante ſedit pro tribunali quam Chriſtus fuerit crucifixus. Sed ad hoc eſt duplex reſponſio, ſecundum Auguſtinum. Prima, & melior eſt, quod Chriſtus dupliciter fuit crucifixus. Primo linguis, & vocibus Iudæorum dicentium, *Crucifige, crucifige eum*; ſecundo manibus militum, qui eum crucifixerunt. Unde Iudæi, quia crucifixionem volebant imponere Gentilibus; Marcus, qui Evangelium ſcripſit Gentibus, ipſam impoſuit Iudæis, dicens, quod tunc Chriſtum crucifixerunt quando Iudæi clamaverunt, *Crucifige, crucifige eum*: quod fuit in hora tertia. Ioannes vero, qui ſequitur ordinem temporis, dicit: *Erat quaſi hora ſexta*: nam quando Chriſtus fuit in cruce, iam erat in fine horæ quintæ, & in principio horæ ſextæ, in qua factæ ſunt tenebræ per tres horas, ſcilicet uſque ad horam nonam. Unde quia hora ſexta nondum inchoata erat, ideo dicit, *Quaſi hora ſexta*. Secunda reſponſio eſt, quia paraſceve dicitur præparatio paſchæ; paſcha autem noſtrum Chriſtus eſt (*c*) immolatus: unde præparatio paraſceve eſt præparatio immolationis Chriſti: cuius erat hora ſexta, & non diei, quia principium huius præparationis fuit hora noctis nona, quando Chriſto capto dicebant (Matth. XXVI. 66.) „ Reus eſt „ mortis. “ Unde ſi tribus reliquis horis noctis addamus tres horas diei, quando Chriſtus crucifixus fuit, manifeſtum eſt quod ſexta hora paraſceve, ideſt præparationis, crucifixus fuit, licet hora diei eſſet tertia, ut dicit Marcus. Et certe congruit quod in ſexta hora

(a) *Al.* alteri. (b) *Al. deeſt* habitu. (c) *Al.* immortalis.

ra crucifigeretur: quia per crucem reparavit hominem ſexta die conditum, & ſexta ætate.

(e) Modum autem, & ordinem condemnationis deſcribit, dicens: *Et dixit Iudæis: Ecce Rex veſter &c.* Ubi notandum, quod adhuc Pilatus volebat liberare eum, quamvis eum Cæſaris timor urgeret. Et ideo primo ponitur Pilati conatus ad Chriſtum liberandum; ſecundo ſubditur eius conſenſus ad eum crucifigendum, ibi, *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur*. Circa primum primo ponitur Pilati conatus; ſecundo malitia Iudæorum, ibi, *Illi autem clamabant*. Dicit ergo, quod poſtquam ſedit pro tribunali, *dixit Iudæis*, quaſi cum quadam indignatione: *Ecce Rex veſter*; quaſi dicat: Mirum eſt quod hunc formidatis habere Regem, ſic humiliatum, & abiectum. Regnum non niſi divites, & fortes affectant; hic autem non eſt talis: quia, ut dicitur in Pſal. lxxxvii.16. „ Pauper ſum „ ego, & in laboribus. " Sed nec hæc Iudæorum molliunt malitiam. Innumerabili odio affecti *clamabant*, & abundantiam malitiæ ingeminando: *Tolle, tolle, crucifige eum*: ſimul etiam per hoc inſinuantes, quod nec eum videre poterant. Iob xxi. 14. „ Dixerunt „ Deo: Recede a nobis, ſcientiam viarum „ tuarum nolumus. " Sap. ii. 15. „ Gravis „ eſt etiam ad videndum. " Et ideo ſubdunt: „ Morte turpiſſima condemnemus eum: " quod idem eſt quod *crucifige eum*.

(f) Hic oſtenditur quomodo Pilatus nititur eum liberare per Iudæorum opprobrium. Et primo ponitur Pilati conatus dicentis: *Regem veſtrum crucifigam?* quaſi dicat: Si non movemini ab eius humilitate, debet vos movere veſtrum opprobrium, quod eum crucifigam qui regnum veſtrum affectavit: quod valde ignominioſum eſt, ſi ab extraneis fiat. Secundo ponitur Iudæorum pertinacia: unde dicit: *Reſponderunt pontifices: Non habemus Regem niſi Cæſarem*: in quo ſeipſos ſervituti perpetuæ ſubmiſerunt renuentes Chriſti dominium: & ideo uſque in hodiernum diem alieni a Chriſto, effecti ſunt ſervi Cæſaris, & poteſtatis terrenæ. I. Reg. viii. 7. „ Non te „ abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. " Hier. ii. 13. „ Dereliquerunt me fontem „ aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, quæ „ continere non valent aquas. "

(g) Conſequenter ponitur conſenſus Pilati ad occidendum Chriſtum: unde dicit: *Tunc ergo tradidit eis*, ſcilicet Iudæis, quod ſic ſubiecti erant poteſtati Romanorum, & voluntati eorum, *illum, ut crucifigeretur*: contra conſilium Exod. xxiii. 2. „ Ne ſequaris turbam „ ad faciendum malum. " Iob ix. 24. „ Terra data eſt in manus impii. " Hier. xii. 7. „ Dedi dilectam animam meam in manus „ inimicorum eius. "

(h) Hic agit Evangeliſta de crucifixione Chriſti. Et primo ponitur crucis ignominia; ſecundo narrat crucifixionis conſequentia, ibi, *Scripſit autem & titulum Pilatus*. Ignominiam autem crucis deſcribit quantum ad crucifigentium conditionem, quantum ad deducendi modum, quantum ad locum, & quantum ad comitatum. Conditio quidem crucifigentium deſcribitur, quia milites: unde dicit: *Suſceperunt autem Ieſum &c.* Milites quidem facto: nam ſequitur: *Milites ergo, cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius*: Iudæi vero voto: quia ipſi fecerunt, & quicquid factum eſt extorſerunt. Per quod ſignatur quod Iudæi amittere debebant utilitatem crucis Chriſti, & Gentiles eam conſequi. Matth. xxi. 43. „ Auferetur a vobis regnum Dei, „ & dabitur genti facienti fructus eius. " Modus autem ducendi ignominioſus fuit: unde dicit: *Et baiulans ſibi crucem*: nam mors crucis ignominioſa erat: unde Deut. xxi.23. dicitur: „ Maledictus omnis qui pendet in „ ligno. " Et ideo crucis lignum tamquam profanum vitantes, & nec tangere volentes, crucem Ieſu condemnato Ieſu imponunt. Unde dicit: *Et baiulans ſibi crucem*.

Sed contra. Matth. 27. dicitur quod angariaverunt quemdam Simonem venientem de villa, ut portaret crucem. Reſponſio. Dicendum, quod Chriſtus eam portavit a principio; ſed dum incederet, invenerunt illum ad votum. Nec hoc vacat a myſterio: quia ipſe primus paſſionem crucis ſuſtinuit, & poſtmodum alii, & maxime advenæ Gentiles, eum imitando. I. Petri ii. 21. „ Chriſtus „ paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum. " Matth. xvi. 24. „ Si quis vult „ venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. " Sed hoc quod Chriſtus crucem ſibi portavit, etſi impiis & infidelibus ſit grande ludibrium, fidelibus tamen & piis eſt grande myſterium. I. Corinth. i. 18. „ Verbum crucis pereuntibus „ quidem eſt ſtultitia, his autem qui ſalvi „ fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt. " Portat Chriſtus crucem ut Rex ſceptrum in ſignum gloriæ quæ eſt (a) univerſale rerum omnium dominium. Pſal. xcv. 9. „ Dominus „ regnabit a ligno. " Eſai. ix. 6. „ Et factus eſt principatus ſuper humerum eius, „ & vocabitur admirabilis, conſiliarius, Deus „ fortis

(a) Al. utile.

Digitized by Google

„ fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. “ Portat eam ut victor trophæum ſuæ victoriæ. Coloſs. II. 15. „ Expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, „ palam triumphans illos in ſemetipſo. “ Item ut doctor portat candelabrum, in quo ponenda erat lucerna ſuæ doctrinæ: quia verbum crucis fidelibus eſt virtus Dei. Luc. XI. 33. „ Nemo accendit lucernam, & ponit eam „ ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut qui „ ingrediuntur, lumen videant. “

Locus autem paſſionis ignominioſus quantum ad duo: & quia erat extra civitatem: unde dicit: *Exivit in eum qui dicitur calvariæ locus*, extra ſcilicet mœnia civitatis. Hebr. ult. XIII. „ Propter quod Ieſus, ut ſanctificaret „ per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. “ Et hoc propter duo. Primo ut oſtenderet virtutem paſſionis ſuæ non eſſe includendam inter terminos gentis Iudaicæ; ſecundo ut oſtendat quod quicumque conſequi volunt paſſionis fructum, exire debent mundum, ſaltem affectu. Unde ibidem ſtatim ſubdit Apoſtolus: „ Exeamus igitur ad „ eum extra caſtra. “ Secundo quia erat infimus: unde dicit: *In eum qui dicitur calvariæ locus*. Pſal. LXXXVII. 5. „ AEſtimatus ſum cum „ deſcendentibus in lacum. “ Et quidem quidam, ſecundum Chryſoſtomum, dicunt quod in illo loco, qui calvariæ dicebatur, Adam mortuus fuit, & ſepultus: unde *calvaria* (a) dicebatur a calvaria primi hominis, ut ſicut mors ibi regnavit, ita illic Chriſtus trophæum ſtatueret. Sed, ut Hieronymus dicit, favorabilis eſt huiuſmodi interpretatio, & muleens aures populi, non tamen vera: quia Adam ſepultus eſt in Ebron. Ioſue XIV. 15. „ Adam maximus inter enacim ſitus eſt. “ Et ideo dicendum, quod ex Hieruſalem foras portam locus erat in quo truncabantur capita damnatorum: unde huius locus calvariæ nomen ſumpſit propter damnatorum, ſeu collatorum decalvata capita ibi iacentia. Comitatus autem, & ſocietas paſſionis ignominiam indicant: quia *cum eo alios duos crucifixerunt*, ſcilicet latrones, ut dicitur Luc. XXIII. Et dicit, *Hinc & hinc*; ideſt, unum ad dexteram, & alium ad ſiniſtram; *medium autem Ieſum*.

Sed attende, quod Chriſtus etiam in paſſione medius ſtat. Sed hoc quantum ad intentionem Iudæorum factum eſt ei ad ignominiam, ut ſcilicet cauſa mortis eius ſimilis iudicaretur cauſæ mortis latronum. Eſai. LIII. 12. „ Et cum iniquis deputatus eſt. “ Sed ſi ad myſterium attendatur, hoc ad claritatem Chriſti pertinet: nam per hoc oſtenditur quod Chriſtus per paſſionem merebatur iudiciariam poteſtatem. Iob XXXVI. 17. „ Cauſa tua quaſi „ impii iudicata eſt; ſed iudicium, cauſamque recipies. “ Medium autem tenere proprium eſt iudicis: unde, & ſecundum Philoſophum, ire ad iudicem eſt ire ad medium. Et ideo medius ponitur, & unus a dextris, & alius a ſiniſtris: quia in iudicio ſtatuet quidem oves a dextris, hædos autem a ſiniſtris. Unde latro a dextris qui credidit liberatur, & alter a ſiniſtris qui inſultat eſt condemnatus.

L E C T I O I V.

(a) SCripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.

(b) Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus eſt Ieſus. Et erat ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine.

(c) Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum; ſed, Quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.

(d) Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem)

(e) Et tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.

(f) Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam; ſed ſortiamur de illa cuius ſit.

(g) Ut Scriptura impleretur dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

(h) Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.

(a) *Al.* dicebant.

(i) Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.
(k) Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.
(l) Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.

(a) POſtquam Evangeliſta egit de Chriſti crucifixione, hic agit de conſequentibus ipſam: & primo de his quæ ſequuntur crucifixionem quantum ad Pilatum; ſecundo quantum ad milites, ibi, *Milites ergo, cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius*; tertio quantum ad amicos aſtantes, ibi, *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius &c.* Ponuntur autem tria pertinentia ad Pilatum, ſcilicet tituli (a) inſcriptio, tituli lectio, tituli conſervatio. Quantum ad primum duo ponuntur. Primo inſcriptio tituli: unde dicit: *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem*. Et hoc ſatis convenienter, ut ſaltem per hoc vindicaret ſe de Iudæis, oſtendens ipſorum malitiam, dum in Regem ſuum inſurrexerunt. Sed tamen convenit myſterio: quia ſicut in triumphis in trophæo titulus ponebatur victoriam oſtendens, per hoc quod homines memoriam ſui celebrare volebant: Gen. XI. 4. „ Celebremus nomen noſtrum „ antequam dividamur in univerſas terras: " (b) ita titulum cruci inſcribi diſpoſuit, ut paſſio eius in memoria haberetur. Thren. III. 19. „ Recordare paupertatis meæ, & tranſ„ greſſionis meæ, abſinthii, & fellis. " Secundo ponitur tenor tituli: *Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Quæ quidem tria verba ſatis conveniunt ad crucis myſterium: nam hoc quod dicit, *Ieſus*, qui ſalvator interpretatur, convenit ad virtutem crucis, per quam nobis facta eſt ſalus. Matth. I. 21. „ Vocabis nomen eius Ieſum: „ ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a „ peccatis eorum. " Hoc vero quod dicit, *Nazarenus*, quod interpretatur floridus, pertinet ad patientis innocentiam. Cant. II. 1. „ Ego flos campi, & lilium convallium. " Eſai. XI. 1. „ Et flos de radice eius aſcen„ det. " (c) Hoc vero quod dicit, *Rex Iudæorum*, pertinet ad poteſtatem, & dominium quod ex paſſione promeruit. Philip. II. 9. „ Propter quod & Deus illum exaltavit. " Hier. XXIII. 5. „ Regnabit Dominus, & ſa„ piens erit. " Eſai. IX. 7. „ Super ſolium „ David, & ſuper regnum eius ſedebit. "

Sed cum ipſe ſit per crucem non ſolum Rex Iudæorum, ſed etiam Gentium: unde in Pſal. VI. cum dixiſſet verſ. 6. „ Ego autem conſtitutus „ ſum Rex ab eo, " ſubdit 8. „ Poſtula „ a me, & dabo tibi Gentes hereditatem „ tuam: " quare ergo ſcripſit: *Rex Iudæorum* tantum? Reſponſio. Dicendum, quod Gentiles intromiſſi ſunt in pinguedinem olivæ ſicut oleaſter, Rom. XI. & ſicut oleaſter particeps ſit pinguedinis olivæ, non autem oliva ſit particeps amaritudinis oleaſtri; ita ipſi Gentiles ad fidem converſi ſpiritualiter Iudæi conſitentes dicuntur effecti, non circumciſione carnis, ſed ſpiritus: & ideo per hoc quod dicitur, *Rex Iudæorum*, intelliguntur etiam Gentiles converſi.

(b) Conſequenter cum dicit, *Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt*, agitur de tituli lectione: & primo ponitur tituli lectio: quia *hunc titulum multi legerunt Iudæorum*: per quod ſignatur quod plures ſalvantur per fidem, paſſionem Chriſti legendo, quam eorum qui viderunt. Infra penult. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis*. Secundo ponitur legendi facultas; & hæc eſt duplex. Una eſt ex loci propinquitate: *quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus eſt Ieſus*, ad quem multi confluebant: alia ex ſcripturæ multiplicitate, quia *erat ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine*: ut nullus ignoraret: & quia tres linguæ præ ceteris eminebant. Hebræa quidem propter unius Dei cultum; Græca propter ſapientiam; Latina propter Romanorum potentiam. Unde hæ tres gentes ſibi dignitatem vendicant in cruce Chriſti, ut dicit Auguſtinus: in quo ſignatur quod per crucem Chriſti ſubiugari debebant, & converti devoti, & religioſi, qui ſignantur per Hebræam linguam; ſapientes, qui per Græcam; potentes, qui per Latinam. Vel per Hebræam ſignificabatur quod Chriſtus dominari debebat theologicæ Philoſophiæ, quæ ſignificatur per Hebræam, quia Iudæis eſt tradita divinarum rerum cognitio: per Græcam vero Philoſophiæ naturali, & philoſophicæ: nam Græci erga naturalinm ſpeculationem inſudaverunt: per Latinam vero Philoſophiæ practicæ, quia apud Romanos maxime viguit ſcientia moralis: ut ſic in captivitatem redigantur omnes intellectus in obſequium Chriſti, ut dicitur II. Corinth. X.

(c) Conſervatio autem tituli ponitur cum dicitur: *Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum &c.* Et primo ponitur Iudæorum conatus ad titu-

(a) *Al.* deſcriptio. (b) *Al.* & ſic. (c) *Al.* Per hoc.

titulum deſtruendum: unde *dicebant Pilato pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum; ſed Quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum*. Nam in hoc oſtenditur Chriſti præconium, & Iudæorum opprobrium, quod ponitur Rex Iudæorum: nam contumelioſum eſt Iudæis quod Regem ſuum ſecerunt crucifigi. Sed ſi poneretur, *Quia dixit, Rex ſum Iudæorum*, hoc redundaſſet in Chriſti improperium, & indicaſſet eius culpam; & hoc ipſi intendebant, ut ſcilicet crucifixo auferrent famam, cui iam vivo abſtulerunt vitam. Pſal. lxviii. 13. „ Adverſum me loquebantur qui ſedebant in „ porta. “ Secundo ponitur Pilati conſtantia ad titulum conſervandum: quia Pilatus volens eis ignominiam facere, noluit mutare ſententiam: unde ſequitur: *Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi*: Quod non caſu factum eſt; ſed diu ante a Deo diſpoſitum, & prophetatum. Nam quidam Pſalmi ſic intitulantur: „ Ne „ diſperdas, David in tituli inſcriptionem. “ Qui quidem Pſal. lviii. maxime pertinet ad paſſionem: ſicut eſt „ Eripe me de inimicis meis: “ & duo præcedentes: „ Miſerere mei Deus, mi„ ſerere mei, quoniam in te confidit anima „ mea: “ & „ Si vere utique iuſtitiam lo„ quimini. “ Et ideo ſtulte clamabant pontifices: quia ſicut non poteſt corrumpi quod veritas dixit, ita non poteſt deleri quod Pilatus ſcripſit. Ideo enim Pilatus, *Quod ſcripſi, ſcripſi*, dixit, quia Dominus quod dixit, dixit, ut dicit Auguſtinus.

(d) Deinde cum dicit, *Milites ergo, cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius*, ponit conſequentia ad crucifixionem quantum ad milites: & primo ponit aliarum veſtium partitionem; ſecundo tunicæ inconſutilis ſortitionem, ibi, *Et tunicam*; tertio inducit propheticam prænuntiationem, ibi, *Ut Scriptura impleretur*. Dicit ergo *Milites ergo, cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius*. Ex quo duo colligere poſſumus: ſcilicet mortis Chriſti abiectionem, per hoc quod denudaverunt eum, quod abiectis perſonis tantum fieri conſuevit; ſecundo militum rapacitatem: quia *acceperunt veſtimenta, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem*. Hoc enim genus hominum rapaciſſimum eſt: ideo Ioannes Baptiſta dixit eis: „ Neminem con„ cutiatis .... & contenti eſtote ſtipendiis „ veſtris: “ Luc. iii. 14. & Iob xxiv. 7. „ Nudos dimittunt homines, veſtimenta tol„ lentes. “

(e) Quantum ad ſecundum dicit, *Et tunicam*. Et primo ponitur tunicæ deſcriptio; ſecundo eius ſortitio, ibi, *Et dixerunt, Non ſcindamus eam*. Dicit ergo, *Et tunicam*, ſcilicet acceperunt ſimul cum illis. *Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum*. Dicit autem, quod erat inconſutilis, ut oſtendat rationem indiviſionis. Ex quo, ut quidam dicunt, pretioſitas tunicæ poteſt convinci. Chryſoſtomus vero e contrario dicit, quod hoc dicens Evangeliſta, occulte veſtis vilitatem inſinuat. Nam in Palæſtina eſt quoddam genus veſtium propter pauperes ex multis pannis contextum quaſi unus pannus ſuper alium. II. Corinth. viii. 9. „ Scimus enim „ gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: quia „ cum dives eſſet in omnibus, propter nos „ egenus factus eſt. “

Myſtice autem poteſt referri ad corpus Chriſti myſticum, & ſic veſtimenta dividuntur in quatuor partes: quia Eccleſia per quatuor partes mundi diffuſa eſt. Eſa. xlix. 18. „ Vivo ego, dicit Dominus: quia his omni„ bus velut ornamento veſtieris, & circum„ dabis tibi eos quaſi ſponſa. “ Tunica inconſutilis quæ non dividitur, ſignificat caritatem: quia aliæ virtutes non ſunt ſecundum ſe unitæ, ſed per aliud uniuntur, inquantum omnes conveniunt in fine ultimo, cui coniungitur ſola caritas. (a) Nam etſi fides finem ultimum demonſtret, ſpes in ipſum tendere faciat, tamen ſola caritas coniungit. Coloſs. iii. 14. „ Super omnia autem carita„ tem habentes, quæ eſt vinculum perfectio„ nis. “ Quæ dicitur eſſe deſuper contexta, quia caritas eſt ſuper omnes alias virtutes. I. Corinth. xii. 31. „ Adhuc excellentiorem „ viam vobis demonſtro. “ Epheſ. iii. 19. „ Scire etiam ſupereminentem caritatem „ ſcientiæ Chriſti, ut impleamini in omnem „ plenitudinem Dei. “ Vel quia caritas non eſt nobis a nobiſmetipſis, ſed a Spiritu ſancto. Rom. v. 5. „ Caritas Dei diffuſa eſt in „ cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui „ datus eſt nobis. “ Poteſt etiam hoc referri ad corpus Chriſti verum; & ſic eſt deſuper contexta: quia formatum eſt corpus Chriſti, virtute ſuperiori, ſcilicet Spiritus ſancti. Matth. i. 20. „ Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. “

(f) Sortitio tunicæ ponitur cum dicit: *Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam; ſed ſortiamur de illa cuius ſit*. Eſt enim quædam ſors divinatoria; & hæc, quia neceſſitatem non habet, eſt illicita: eſt & alia diviſoria; & hæc in rebus mundanis eſt licita, ſed non in ſpiritualibus: ut ſcilicet quæ homines arbitrio ſuo dividere non valent, committunt arbitrio, & conſilio divino. Proverb. xvi. 33. „ Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino „ temperantur. “ Et eiuſdem xviii. 18. „ Contradictiones comprimit ſors, & inter „ potentes quoque diiudicat. “

Sed contra videtur quod Matth. v. xxvii. di-

(a) *Al.* Nam ſi fides finem ultimum demonſtraret.

citur, quod miſerunt ſortes ſuper veſtimenta ſua. Reſponſio. Dicendum, quod Matthæus non dicit, quod ſuper omnes mitterent ſortes, ſed dum dividerent alias, miſerunt ſortem, (a) ſcilicet ſuper tunicam. Præterea Marcus adhuc magis urget dicens (xv. 24.) „ Sortes miſerunt quis quid tolleret: " ergo ſuper omnes portiones. Reſponſio. Dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod ſic intelligenda ſunt verba Marci, & exponenda. Miſerunt ſortes ſuper eis, ideſt ſuper aliquo eorum: quis quid; ideſt, quis eorum tolleret tunicam.

(g) Conſequenter ponit Scripturæ vaticinium, cum dicit: *Ut Scriptura impleretur*. Et primo ponitur prophetica prænuntiatio: in quo notatur Prophetæ diligentia, dum etiam ventura quædam accidentia quæ ſuper Chriſtum fienda erant, prænuntiavit. Patet etiam quod non a caſu prædicta contigerunt: & ideo dixit: *Ut Scriptura impleretur*, conſecutive ſcilicet, quæ dixit in Pſal. xxi. 19. *Partiti ſunt veſtimenta mea* (non dicit veſtem, quia plures erant) *& in veſtem meam*, ideſt ſuper tunicam, *miſerunt ſortem*. Secundo ponitur prophetiæ adimpletio: quia *milites quidem hæc fecerunt*: per quod datur intelligi quod Scriptura divina etiam in minimo impletur. Matth. v. 18. „ Iota unum, aut unus „ apex non præteribit a lege donec omnia „ fiant. " Luc. ult. 44. „ Oportet impleri „ omnia quæ ſcripta ſunt in Lege, & Pro„ phetis, & Pſalmis de me. "

(h) Deinde cum dicit, *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius &c.* ponitur conſequens tertium quantum ad amicos; & primo ponitur aſtantium mulierum præſentia; ſecundo Chriſti de matre ſolicita diligentia, ibi, *Cum ergo vidiſſet matrem &c.* tertio prompta diſcipuli obedientia, ibi, *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*. Mulieres autem aſtantes iuxta crucem (b) deſcribuntur tres, ſcilicet *Mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene*.

Sed notandum, quod cum alii Evangeliſtæ mentionem faciant de multis mulieribus Chriſto aſtantibus, nullus facit mentionem de Beata Virgine, excepto Ioanne: unde ex utrorumque narratione duplex incurrit dubitatio. Prima, quia Matthæus, & Marcus dicunt, quia mulieres ſtabant a longe; Ioannes vero, quod iuxta crucem. Ad hoc dici poſset, quod aliæ erant mulieres quas commemorant Matthæus, & Marcus, & aliæ quas commemorat Ioannes. Sed huic repugnat quod Maria Magdalena connumeratur inter mulieres quas Matthæus, & Marcus commemorant, & etiam Ioannes. Et ideo dicendum, quod eædem mulieres intelligendæ ſunt iſtæ, & illæ; nec eſt in hoc contradictio. Nam iuxta, & a longe relative dicuntur, & nihil prohibet aliquod quodammodo dici longe, & quodammodo dici iuxta. Iuxta quidem fuiſſe dicit, quia in conſpectu eius erant; ſed longe, (c) quia inter ipſum & mulieres erant intermedii. Vel poteſt dici, quod a principio crucifixionis ſtabant iuxta eum, ita quod eis loqui poterat; ſed poſtmodum ſupervenientе multitudine irridentium, ſecedentes longe ſteterunt. Unde Ioannes narrat quod primo fuit; alii quod poſtea.

Secunda quæſtio eſt, quia Ioannes commemorat Mariam Cleophæ; ſed Matthæus, & Marcus loco eius Mariam Iacobi, quæ dicebatur Alphæi. Sed ad hoc dicendum eſt, quod eadem eſt Maria Cleophæ, quam nominat Ioannes, cum ea Alphæi, quam nominat Matthæus. Habuit enim duos viros, ſcilicet Alphæum, & Cleopham. Vel poteſt dici, quod Cleophas fuit pater eius.

Quod autem & mulieres ſtabant iuxta crucem, & diſcipuli eo relicto fugerant, mulierum commendat (d) devotam conſtantiam. Iob xix. 20. „ Pelli meæ, conſumptis carnibus, „ adhæſit os meum: " quaſi ſcilicet diſcipuli, qui per carnem ſignificantur, receſſerant, & mulieres, quæ per pellem intelliguntur, adhæſerunt.

(i) Conſequenter ponitur ſolicitudo eius ad matrem, ibi, *Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem &c.* Et primo ponitur ſolicitudo quantum ad curam diſcipuli, quam matri impoſuit; ſecundo quantum ad curam matris, quam diſcipulo commiſit, ibi, *Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua*. Quantum ad primum dicit: *Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus;* quaſi dicat: Uſque modo curam tui habui, & memor tui, tibi iſtum derelinquo. In quo dignitas Ioannis oſtenditur.

Sed attende, quod ſupra ii. 3. quando mater dixit, *Vinum non habent &c.* dicit: *Nondum venit hora mea*, ſcilicet paſſionis, qua patiar, ſecundum illud quod a te ſuſcepi: cum autem venerit hora illa tunc recognoſcam. Unde & modo eam recognoſcit matrem. Facere autem miracula non convenit mihi ſecundum quod a te ſuſcepi; ſed ſecundum quod habeo a Patre paternam generationem, ſcilicet ſecundum quod ſum Deus.

Et nota, ſecundum Auguſtinum, quod Chriſtus

(a) *Al.* ſcilicet tunicam. (b) *Al.* deſcribuntur tres, Mater Ieſu: unde dicit: *Mater eius &c.* (c) *Al* quia mulieres erant intermedii. (d) *Al. omittitur* devotam.

ſtus in cruce pendens ſe habuit ſicut magiſter in cathedra. Unde & docet nos parentibus exiſtentibus in neceſſitate ſubvenire, & de eis curam habere, ut dicitur Exod. xx. 12. „ Honora patrem tuum, & matrem tuam. “ Et I. Tim. v. 8. „ Si quis ſuorum, & maxime „ domeſticorum, curam non habet, non ha„ bet fidem, & eſt infideli deterior. “

Sed contra eſt quod dicitur Luc. xiv. 26. „ Si quis venit ad me, & non odit patrem „ ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, ad„ huc autem & animam ſuam; non poteſt „ meus eſſe diſcipulus. “ Reſponſio. Dicendum, quod ſicut Dominus præcipit parentes odiri, ſic & animam noſtram, in qua præcepit naturam diligere, & odire iniquitatem, & quod avertit a Deo. Et (a) ſic parentes ſuſtentare debemus, diligere, & revereri, quantum ad naturam; ſed odire quantum ad vitia, & ad id quo nos avertunt a Deo.

(k) Quantum ad ſecundum, *dicit diſcipulo*: *Ecce mater tua*: ut ſcilicet iſte tantum ſerviret ut filius matri; iſta illum diligeret ut filium mater.

(l) Conſequenter cum dicit, *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*, ponitur diſcipuli obedientia. Et ſecundum Bedam, oportet dici, *In ſuam*; & ſic eſt ſenſus: *Accepit eam*, ſcilicet matrem Ieſu, *diſcipulus*, ſcilicet Ioannes, *in ſuam*, matrem videlicet. Sed, ſecundum Auguſtinum, etiam ut habetur in Græco, debet dici, *In ſua*: non quidem prædia, quia de illis erat qui dixerant (Matth. xix. 27.) „ Ecce nos reliquimus omnia: “ nam Matth. iv. dicitur, quod Iacobus, & Ioannes relictis omnibus ſecuti ſunt Ieſum: ſed *in ſua*, ſcilicet officia, quibus ei diligenter, & reverenter obſequebatur.

LECTIO V.

(a) POſtea ſciens Ieſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit, Sitio. Vas autem erat poſitum aceto plenum. Illi ergo ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius.

(b) Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit, Conſummatum eſt.

(c) Et inclinato capite, tradidit ſpiritum.

(d) Iudæi ergo quoniam paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; ſed unus militum lancea latus eius aperuit; & continuo exivit ſanguis, & aqua.

(e) Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius, & ille ſcit quia vera dicit, ut & vos credatis.

(f) Facta ſunt enim hæc ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

(a) POſtquam egit de crucifixione, & conſequentibus eam, hic narrat venerandam Chriſti mortem: & primo ponit moriendi opportunitatem; ſecundo deſcribit mortem, ibi, *Et inclinato capite, tradidit ſpiritum*; tertio exprimit mortui vulnerationem, ibi, *Iudæi ergo, quoniam paraſceve erat... rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura*. Opportunitas autem moriendi oſtenditur in hoc quod iam *omnia conſummata ſunt*. Unde circa conſummationem primo præmittitur ſcientia Chriſti de ipſa conſummatione; ſecundo conſummatur id quod conſummandum reſtabat, ibi, *Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum &c.* Dicit ergo quantum ad primum: *Poſtea*, ideſt poſt omnia quæ præmiſſa ſunt, *ſciens Ieſus quia conſummata ſunt omnia*, quæ Prophetæ, & lex prædixerant de eo. Luc. ult. 44. „ Oportet impleri „ omnia quæ ſcripta ſunt in Lege, & Prophe„ tis, & Pſalmis de me. “ Pſal. cxviii. 96. „ O„ mnis conſummationis vidi finem. “ Sed quia adhuc aliud in Scriptura prædicta conſummandum erat, ideo ſubdit: *Ut conſummaretur Scriptura, dixit, Sitio*. Et primo ponitur verbum Chriſti quod protulit; ſecundo opportunitas implendi quod petiit; tertio adminiſtratio eius quod noluit. Dicit ergo: *Ut conſummaretur Scriptura*. Ubi ſciendum eſt, quod ly *ut* non ponitur cauſative, ſed conſecutive. Non enim ideo petiit *ut Scriptura*, veteris

(a) *Al.* ſicut.

ris teſtamenti, *conſummaretur*; ſed ideo ſunt dicta, quia conſummanda erant per Chriſtum. Si enim dicamus, quod Chriſtus ideo hoc fecit, quia Scripturæ hoc prædixerunt, ſequeretur quod novum teſtamentum eſſet propter vetus, & eius impletionem; cum tamen ſit e converſo. Sic ergo ideo prædicta ſunt, quia implenda erant per Chriſtum. Per hoc vero quod dicit, *Sitio*, oſtendit mortem ſuam eſſe veram, non phantaſticam. Item oſtenditur eius ardens deſiderium de ſalute generis humani. I. Tim. II. 4. „ Vult omnes homines ſalvos fie„ ri. “ Luc. XIX. 10. „ Venit Filius hominis „ quærere, & ſalvum facere quod perierat. Vehemens (*a*) autem deſiderium conſuevimus exprimere per ſitim. Pſal. XLI. 3. „ Siti„ vit anima mea ad Deum vivum. “ Opportunitas implendi quod periit, oſtenditur ex hoc quod *vas poſitum erat aceto plenum*. Per hoc igitur vas Iudæorum ſynagoga ſignificatur, quæ a vino Patriarcharum, & Prophetarum degeneraverat in acetum, ideſt in malitiam, & crudelitatem pontificum. Miniſtratio autem ponitur: quia *illi ſpongiam plenam aceto obtulerunt ori eius*.

Ex quo oritur quæſtio litteralis, quomodo ſcilicet obtulerunt ſpongiam ori Chriſti in altum pendentis. Sed hoc ſolvitur Matth. XXVII. quia impoſuerunt eam arundini. Vel, ſecundum quoſdam, impoſuerunt hyſſopo, quæ magna erat. Unde & a Matthæo arundo vocatur.

Myſtice autem per hæc tria ſignantur tria mala quæ in Iudæis erant, ſcilicet invidia per acetum, doloſitas per ſpongiæ concavitatem, malitia per amaritudinem hyſſopi. Vel hyſſopus ſignificat humilitatem Chriſti, quæ eſt herba mundans pectus, quod præcipue per humilitatem mundatur. Pſal. L. 9 „ Aſperges me „ Domine hyſſopo, & mundabor. “

(b) Finalis conſummatio ponitur cum dicit: *Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit, Conſummatum eſt*: quod poteſt referri vel ad conſummationem mortis: Hebr. II. 10. „ De„ cebat in gloriam auctorem ſalutis eorum „ per paſſionem conſummari: “ item ad conſummationem ſanctificationis, quæ eſt per paſſionem, & crucem eius: Hebr. X. 14. „ Una „ enim oblatione conſummavit in ſempiter„ num ſanctificatos: “ vel ad conſummationem Scripturarum: Luc. XVIII. 31. „ Conſum„ mabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Pro„ phetas de Filio hominis. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Et inclinato capite, tradidit ſpiritum*, deſcribit Evangeliſta mortem Chriſti. Et primo ponitur cauſa mortis: quia *inclinato capite*. Non enim eſt intelligendum: quia tradidit ſpiritum, ideo inclinavit caput; ſed e converſo: nam inclinatio capitis obedientiam deſignat, pro qua mortem ſuſtinuit. Phil. II. 8. „ Factus eſt ob„ ediens uſque ad mortem. “ Secundo ponitur morientis poteſtas: quia *tradidit ſpiritum*, ſcilicet propria poteſtate. Supra X. 18. *Nemo tollit a me animam meam; ſed ego pono eam a meipſo*. Nam, ut Auguſtinus dicit, nullus ſic habet in poteſtate dormire cum velit, ſicut Chriſtus mori cum voluit.

Sed attendendum, quod ex hoc quod *tradidit ſpiritum*, aliqui dicunt in homine eſſe duas animas, ſcilicet intellectualem, quam vocant ſpiritum, & aliam animalem, puta vegetativam, & ſenſitivam, quæ corpus animat, & præcipue anima dicitur. Unde dicunt, quod Chriſtus tradidit ſolum animam intellectualem. Sed hoc eſt falſum: tum quia duas eſſe animas in homine inter errores computatur in Libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus: tum quia ſi tradidiſſet ſpiritum, remanente adhuc anima, non fuiſſet mortuus. Quia ergo nihil eſt aliud ſpiritus in homine quam anima, dicendum, quod *tradidit ſpiritum*, ideſt animam. Per quod etiam excluditur error quorumdam dicentium, animas hominum mortuorum non ire ſtatim poſt mortem ad paradiſum, vel infernum, ſeu purgatorium; ſed in tumulis uſque ad diem iudicii remanere. Nam Dominus ſtatim tradidit ſpiritum Patri: per quod datur intelligi, quod „ iuſtorum animæ in manu Dei ſunt: “ Sap. III. 2.

(d) Hic ponitur vulneratio corporis Chriſti: & primo ponitur narratio vulnerationis; ſecundo narrationis certitudo, ibi, *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit*. Circa primum tria facit. Primo ponitur conatus Iudæorum, & intentio; ſecundo impletio conatus quantum ad partem; tertio quomodo hoc impletur in Chriſto. Dicitur ergo quantum ad primum, quod *Iudæi, quoniam paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora ſabbato ..... rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur*. Sciendum eſt enim, quod, ſicut habetur Deut. XXI. præceptum eſt in lege, quod cadavera ſuſpenſorum propter delicta, non dimitterentur ſuſpenſa uſque mane, ne pollueretur terra, & etiam ad delendam ignominiam eorum qui ſuſpendebantur: nam huius mors turpiſſima reputabatur. Unde dicitur ibidem (23.) „ Maledictus omnis qui „ pendet in ligno, “ ſcilicet maledictione pœ„ næ. “ Licet autem huius pœnæ infligendæ

(a) *Al. omittitur* autem.

dæ iam non eſſet in Iudæorum poteſtate, tamen quod in eis erat, facere nitebantur. Et ideo quia paraſceve erat, ut corpus Chriſti, & etiam aliorum non remanerent in cruce in die ſabbati, qui valde ſolemnis erat, & propter ipſum ſabbatum, & feſtum azymorum, *rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur*. Hi quidem in parvis diligentes ſunt ad ſervandam legem; ſed in magnis contempſerunt. Matth. xxiii. 24. „ Excolantes culicem, camelum autem glutientes. “ Quomodo autem hoc in parte impleatur ſubdit: *Venerunt ergo milites, & primi quidem*, ſcilicet latronis, *fregerunt crura*, ad quem primo venerunt, *& alterius qui crucifixus eſt cum eo*, ſcilicet Ieſu: in quo eorum crudelitas oſtenditur. Mich. iii. 3. „ Carnem populi mei comederunt. “

Sed quid eſt quod ſubdit, *Ad Ieſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura?* Nonne in medio crucifixus erat? Reſponſio. Dicendum, quod duorum militum ſinguli ad ſingulum latronem confringendum venerunt: quibus confractis, unus ab uno, & alius ab alio, ad Ieſum venerunt. Unde inde ſignatur occaſio vulnerandi, quia cum vidiſſent eum iam mortuum, *non fregerunt eius crura*.

Sed ut certificarentur de morte, *unus militum lancea latus eius aperuit*. Et ſignanter dicit, *Aperuit*, non Vulneravit: quia per hoc latus, aperitur nobis oſtium vitæ æternæ. Apoc. iv. 1. „ Poſt hoc vidi oſtium apertum. “ Hoc eſt oſtium in latere arcæ, per quod intrant animalia diluvio non peritura: Geneſ. vii. Sed hoc oſtium eſt cauſa ſalutis: unde *continuo exivit ſanguis, & aqua*: quod eſt valde miraculoſum, ut de corpore mortui, in quo eſt congelatus ſanguis, ſanguis exeat. Sed ſi quis dicat, quod hoc contigit propter calorem aliquem qui adhuc in corpore remanſerat; fluxus autem aquæ inficiari non poteſt, quin miraculoſus exiſtat, cum aqua exiens puriſſima fuerit. Quod quidem factum eſt ut Chriſtus oſtenderet id quod erat, ſcilicet verus homo. In homine enim eſt duplex compoſitio: una ſcilicet ex elementis, alia ex humoribus. Unum elementorum eſt aqua; inter humores autem præcipuus eſt ſanguis. Item hoc factum eſt ad oſtendendum quod per paſſionem Chriſti plenam ablutionem conſequimur, a peccatis ſcilicet, & maculis. A peccatis quidem per ſanguinem, qui eſt pretium noſtræ redemptionis: I. Petr. i. 18. „ Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione; ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati, & immaculati Chriſti: “ a maculis vero per aquam quæ eſt lavacrum noſtræ regenerationis: Ezech. xxxvi. 25. „ Effundam ſuper vos aquam mundam; & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. “ Zach. xiii. 1. „ Erit fons patens domui David, & habitatoribus Hieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. “ Et ideo hæc duo ſpecialiter pertinent ad duo ſacramenta: aqua ad ſacramentum baptiſmi, ad euchariſtiam ſanguis. Vel utrumque pertinet ad euchariſtiam: quia in ſacramento euchariſtiæ miſcetur aqua cum vino; quamvis aqua non ſit de ſubſtantia ſacramenti. Competit etiam hoc figuræ: quia ſicut de latere Chriſti dormientis in cruce fluxit ſanguis, & aqua, quibus conſecratur Eccleſia; ita de latere Adæ dormientis formata eſt mulier, quæ ipſam Eccleſiam præfigurabat.

(e) Hic ponitur certitudo narrationis: & primo ex apoſtolico teſtimonio; ſecundo ex Scripturæ vaticinio, ibi, *Facta ſunt enim hæc ut Scriptura impleretur*. Circa primum tria facit. Primo deſcribit teſtis idoneitatem: quia *qui vidit, teſtimonium perhibuit*, hoc eſt ipſe Ioannes. I. Ioan. i. 3. „ Quod vidimus, & audivimus, annuntiamus vobis. “ Secundo aſtruit teſtimonii veritatem, quia *verum eſt teſtimonium eius*. Rom. ix. 1. „ Veritatem dico, non mentior. “ Supra viii. 32. *Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Tertio expoſcit fidem: *Et ille ſcit quia vera dicit, ut & vos credatis*. Infra xx. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis &c.*

(f) Et non ſolum ex teſtimonio Apoſtolico certificatur, ſed additur vaticinium Scripturæ: unde dicit: *Facta ſunt enim hæc ut Scriptura impleretur*: ut ly *ut* accipiatur conſecutive, ſicut iam dictum eſt ſupra. Et ponit duas auctoritates veteris teſtamenti. Unam quæ refertur ad hoc quod dicit, *Non fregerunt eius crura &c.* & habetur Exod. xii. 46. *Os non comminuetis ex eo*, ſcilicet agno paſchali qui præfigurabat Chriſtum. Quia, ut dicitur I. Corinth. v. 7. „ paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. “ Ideo a Deo ordinatum eſt ut non comminuerentur oſſa agni paſchalis, ut daretur intelligi quod fortitudo veri agni, & incontaminati Ieſu Chriſti nullo modo erat commovenda per paſſionem. Unde Iudæi putabant per paſſionem virtutem doctrinæ Chriſti deſtruere; ſed potius corroborata eſt. I. Corinth. i. 18. „ Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt; ſed nobis virtus Dei eſt. “ Ideo ſupra viii. 28. dixit: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum*. Secunda auctoritas refertur ad hoc quod dicit, *Lancea latus eius aperuit*; & habetur Zach. xii, 10. *Videbunt in quem transfixe-*

runt;

runt: ubi noſtra littera habet: „ Aſpicient „ ad me, quem confixerunt. “ Unde ſi nos coniungimus verbum Prophetæ, manifeſtum eſt quod Chriſtus crucifixus, eſt Deus. Nam quod Propheta dicit in perſona Dei, Evangeliſta attribuit Chriſto. *Videbunt*, inquit, ad iudicium venientem: Apoc. I. Vel aſpicient converſi per fidem &c.

LECTIO VI.

(a) POſt hæc autem rogavit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa (eo quod eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum) ut tolleret corpus Ieſu: & permiſit Pilatus.

(b) Venit ergo, & tulit corpus Ieſu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum.

(c) Acceperunt autem corpus Ieſu, & ligaverunt eum linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.

(d) Erat autem in loco ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat.

(e) Ibi ergo propter paraſceven Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.

(a) POſtquam Evangeliſta egit de crucifixione, & morte, hic agit de ſepultura Chriſti: & primo ponitur facultas & licentia ſepeliendi; ſecundo ſtudium corporis procurandi, ibi, *Venit ergo, & tulit corpus Ieſu*, tertio ponitur locus ſepulturæ, ibi, *Erat autem in loco ubi crucifixus eſt, hortus &c.* quarto ponitur ipſa ſepultura, ibi, *Ibi ergo ..... poſuerunt Ieſum*. Dicit ergo: *Poſt hac*, ſcilicet paſſionem, & mortem, *rogavit Pilatum Ioſeph ab Arimathaa*: quod idem eſt quod Ramatha, ut habetur I. Reg. I. *eo quod eſſet diſcipulus Ieſu*: non de duodecim, ſed de multis aliis credentibus: quia omnes credentes a principio diſcipuli vocabantur. Erat autem *occultus propter metum Iudaorum*, ſicut & multi alii; ſed ante paſſionem. Supra XII. 42. *Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum; ſed propter phariſaos non confitebantur, ut de ſynagoga non eiicerentur*. Unde patet quod ubi diſcipuli amiſerunt fiduciam poſt paſſionem latentes, hic aſſumpſit fiduciam publice obſequendo. Hic, inquam, *rogavit Pilatum, ut tolleret corpus Ieſu*, de cruce ſcilicet, & ſepeliret: quia, ſecundum leges humanas, corpora damnatorum non debebant ſine licentia ſepeliri. *Et permiſit Pilatus*: quia Ioſeph nobilis erat, & ſibi familiaris. Unde Marc. penult. dicitur, quod erat decurio.

(b) Quantum ad ſecundum dicit: *Venit ergo, & tulit corpus Ieſu*: ubi agitur de ſtudio corporis procurandi. Et primo ponitur materia corporis procurandi; ſecundo ponitur ipſa procuratio, ibi, *Acceperunt autem corpus Ieſu*. Materia corporis procurandi fuit mixtura myrrhæ, & aloes, quam Nicodemus in magna quantitate procuravit. Et ideo de duobus mentionem facit. Primo de Ioſeph, qui tulit corpus; ſecundo de Nicodemo, qui tulit aromata. Hic autem Nicodemus fuit qui venit ad Ieſum nocte, ſcilicet ante paſſionem, ut habetur ſupra III. Et hoc ideo commemorat, quia de Ioſeph dixerat, quod occultus erat propter metum Iudæorum, ut oſtendat quod etiam hic, qui occultus erat diſcipulus, nunc factus eſt publicus, ſed nondum habens veram fidem de reſurrectione: quia attulit myrrham, & aloes, quaſi corpus eius muniri a corruptione indigeret: de quo Scriptura dicit (Pſal. XV. 10.) „ Non dabis „ Sanctum tuum videre corruptionem. “

Myſtice autem datur per hoc intelligi quod Chriſtum crucifixum debemus in corde noſtro recondere cum amaritudine pœnitentiæ, & compaſſionis. Cant. V. 5. „ Manus meæ diſtillaverunt myrrham. “

(c) Habita ergo præparationis materia, ponitur ipſa præparatio: unde dicit: *Acceperunt autem corpus Ieſu &c.* Ubi oritur dubitatio: quia Ioannes dicit, quod *ligaverunt illud linteis*; cum Matth. XXVII. dicatur, quod involverunt illud ſindone. Reſpondeo dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod Matthæus dicit unam ſindonem tantum: quia non facit mentionem niſi de Ioſeph; & hic unam portavit. Sed quia ſolus Ioannes mentionem facit de Nicodemo, ideo dicit, *Linteis*, quia Nicodemus aliam portavit. Vel dicendum, quod linteum dicimus omnem pannum de lino factum. Corpus autem Chriſti involutum fuit faſciis, ſicut etiam de Lazaro legitur, quia ſic erat Iudæis mos ſepelire. Erat etiam

po-

poſitum ſudarium ad caput: & ideo omnia complectens Ioannes, dicit, *Linteis*. Per hoc vero quod aromatibus eum condiunt, admonemur in huius pietatis officiis morem cuiuſlibet gentis eſſe ſervandum.

(d) Locus ſepulturæ deſignatur conſequenter cum dicit: *Erat autem in loco ubi crucifixus eſt, hortus &c.* Ubi notandum, quod Chriſtus in horto captus, & in horto paſſus, & in horto ſepultus fuit: ad deſignandum quod per ſuæ paſſionis virtutem liberamur a peccato, quod Adam in horto deliciarum commiſit, & quod per eum Eccleſia conſecratur, quæ eſt ſicut hortus concluſus. *Et in hoc horto erat monumentum novum*. Eſt autem duplex ratio quare in ſepulcro novo voluit ſepeliri. Una litteralis, ne alia corpora quæ ibi fuiſſent, reſurrexiſſe crederentur, & non Chriſtus: vel omnia æquali virtute. Alia ratio eſt, quia qui eſt de Virgine intacta natus, congrue fuit in ſepulcro novo ſepultus: ut ſicut in utero Mariæ nemo ante eum nemo poſt eum fuit, ita & in hoc monumento. Similiter ut daretur intelligi quod reconditur per fidem in animo innovato. Epheſ. III. 17. „ Habitare etiam Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. "

(e) Conſequenter cum dicit, *Ibi ergo propter paraſceven Iudæorum .... poſuerunt Ieſum*, ponitur ſepultura. *Ibi ergo*, ideſt in monumento novo, *propter paraſceven Iudæorum*, quia iam veſpere appropinquabat, quando propter ſabbatum nihil operari licebat. Nam circa horam nonam expiravit, & propter procurationem ſepulturæ, & rerum quæ neceſſariæ erant, fere dies uſque ad veſperam decurſus erat. Et *quia monumentum erat iuxta locum*, ubi erat crucifixus, *poſuerunt ibi Ieſum*.

CAPITIS VIGESIMI

LECTIO I.

(a) UNa autem ſabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum a monumento.

(b) Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum quem amabat Ieſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum.

(c) Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introivit.

(d) Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum.

(e) Tunc ergo introivit & ille diſcipulus qui venerat primus ad monumentum:

(f) Et vidit, & credidit: nondum enim ſciebant Scripturam, quia oporteret eum a mortuis reſurgere.

(a) ENarratis myſteriis paſſionis Chriſti, hic Evangeliſta manifeſtat eius reſurrectionem: & primo manifeſtat quomodo reſurrectio Chriſti manifeſtata eſt mulieribus; ſecundo quomodo manifeſtata eſt diſcipulis, ibi, *Cum ergo ſero eſſet die illo &c.* Manifeſtata eſt reſurrectio Chriſti mulieribus quodam ordine. Primo quantum ad monumenti apertionem; ſecundo quantum ad Angeli apparitionem, ibi, *Abierunt ergo iterum &c.* tertio quantum ad Chriſti viſionem, ibi, *Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum*. Circa primum primo ponitur mulieris viſio; ſecundo rei viſæ denuntiatio, ibi, *Cucurrit ergo &c.* tertio rei denuntiatæ inquiſitio, ibi, *Exiit ergo Petrus &c.* Circa primum quatuor conſideranda occurrunt. Primo ſcilicet viſionis tempus, quia *una ſabbati*, ſcilicet prima feria. Nam apud Iudæos dies ſabbati ſolemnior habebatur, & ideo ab eo omnis alius dies denominabatur: unde dicebant prima ſabbati, ſecunda ſabbati &c. Unde & Matth. XXVIII. 1. dicit, „ Prima ſabbati. " Sed Ioannes dicit: *Una ſabbati*, propter my-

myſterium, quia in hac die, in qua reſurrectio facta eſt, inchoavit quaſi quædam nova creatura. Pſal. CIII. 30. „ Emitte ſpiritum „ tuum, & creabuntur, & renovabis faciem „ terræ. “ Gal. VI. 15. „ In Chriſto Ieſu „ neque circumciſio aliquid valet, neque præ„ putium, ſed nova creatura. “ Moyſes autem in principio Gen. de prima die non dicit, Factus eſt dies primus, ſed dies unus. Ideo Evangeliſta ad ipſam renovationem inſinuandam utitur verbo Moyſi. Item quia in hac die inchoabatur dies æternitatis, quæ eſt una non habens interpolationem noctis, quia ſol qui eam facit, non occidit. Apoc. XXI. 23. „ Ci„ vitas illa non eget ſole, neque luna ut lu„ ceant in eam: nam claritas Dei illumina„ bit illam, & lucerna eius eſt agnus. “ Zach. ult. 7. „ Erit dies una, quæ nota „ eſt Domino, non dies, neque nox; & in „ tempore veſperi erit lux. “ Secundo ponitur perſona videns, quia *Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.*

Sed hic eſt dubium: quia in Marc. XVI. 1. dicitur: „ Maria Magdalene, & Iacobi, & „ Salome. “ Et Matth. ult. connumeratur etiam alia Maria. Reſponſio. Dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod Maria Magdalena ferventior, & devotior erat ad Chriſtum aliis mulieribus: unde Luc. VII. 47. dicitur: „ Di„ miſſa ſunt ei peccata multa, quoniam di„ lexit multum. “ Et ideo eam Evangeliſta ſpecialius nominat. Et inde eſt quod prius ei apparuit Dominus, Marc. ult. Sap. VI. 14. „ Præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, ut „ illis ſe prior oſtendat. “

Tertio ponitur hora, ſeu qualitas temporis, quia *mane, cum adhuc tenebræ eſſent*. Luc. XXIII. dicitur, quod mulieres quæ cum Ieſu venerunt de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus Ieſu, & revertentes paraverunt aromata, & unguenta, & ſabbato quidem ſiluerunt ſecundum mandatum. Et ideo ſtatim tranſacto ſabbato ante lucem primæ ſabbati venit ad monumentum: nam nimius ardor amoris eam ſollicitabat. Cant. VIII. 6. „ Lampades eius „ lampades ignis atque flammarum, “ ſcilicet caritatis.

Sed hic eſt quæſtio litteralis: quia, ut dicitur Marc. ult. II. „ valde mane orto iam „ ſole. “ Quid igitur dicit Evangeliſta, *Cum adhuc tenebræ eſſent?* Reſponſio. Dicendum, quod hoc quod dicit Marcus intelligitur de aurora: unde orto iam ſole: non quod ſupra terram appareret; ſed appropinquaret ad noſtras regiones.

Quarto quid videt: quia *vidit revolutum lapidem*: quod erat ſignum vel quod aliquis Chriſtum abſtulerit, vel quod reſurrexerit. Et, ſicut dicitur Matth. ult. II. „ Angelus Do„ mini deſcendit de cælo: “ quod non eſt intelligendum quod ante lapis eſſet revolutus quam Chriſtus reſurgeret, ſed poſt: nam Chriſtus exivit de clauſo utero virginis nondum glorioſum corpus habens: non eſt (a) ergo mirum ſi cum corpore glorioſo exivit de ſepulcro. Nam lapis eſt revolutus, ut videntes ibi Chriſtum non eſſe, facilius crederent eius reſurrectionem.

(b) Conſequenter cum dicit, *Cucurrit ergo ad Simonem Petrum*, ponitur rei viſæ denuntiatio. Ex nimio enim amore non diſtulit nuntiare diſcipulis quod vidit; ſed *cucurrit, & venit ad Simonem Petrum, & alium diſcipulum quem diligebat Ieſus*. IV. Reg. VII. 9. „ Hæc dies boni nuntii eſt: ſi tacueri„ mus, & noluerimus nuntiare uſque ma„ ne, ſceleris arguemur. “ Sic qui audit verba Dei, debet feſtinus aliis dicere. Apoc. ult. 17. „ Qui audit dicat, Veni. “ Sed ad illos venit qui præcipui erant, & Chriſtum ferventius diligebant, ut aut ſecum quærerent, aut ſecum dolerent. *Et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento.* Viſo enim ſepulcro vacuo, nondum habens in corde quod Chriſtus reſurrexerit, dicit: *Et neſcimus ubi poſuerunt eum.* Ubi dat intelligere quod non ſola fuerit ad monumentum, & quod adhuc de reſurrectione dubitaret. Et ideo Evangeliſta non ſine cauſa dixit, *Cum adhuc tenebræ eſſent*; per qualitatem temporis, qualitatem mentis, in qua dubitationis tenebræ erant, deſignans. Pſal. LXXXI. 5. „ Neſcierunt, ne„ que intellexerunt: in tenebris ambulant. “ Sed attende, quod in Græcis codicibus habetur, *Dominum meum*, ad deſignandum propenſiorem caritatem, & famulatus affectum. Pſal. LXXII. 25. „ Quid mihi eſt in cælo, „ & a te quid volui ſuper terram? Defecit „ caro mea, & cor meum; Deus cordis „ mei, & pars mea Deus in æternum. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus*, ponitur denuntiatæ rei inquiſitio: & primo ponitur quærentium ſtudium ad inquirendum; & hoc per exitum, dum dicit: *Exiit ergo Petrus, & alius diſcipulus*. Qui enim ſcrutari vult myſteria Chriſti, debet exire quodammodo a ſe, & a carnali conſuetudine. Cant. III. II. „ Egredimini, „ & videte, filiæ Sion, Regem Salomonem. “ Secundo ponitur inquiſitionis ordo, ſeu modus. Et primo quantum ad curſum, quia *currebant duo ſimul*, qui præ ceteris Chriſtum di-

(b) *Al. deeſt* ergo.

diligebant. Pſal. cxviii. 32. „ Viam mandatorum tuorum cucurri. “ I. Corinth. ix. 24. „ Sic currite ut comprehendatis. “ Secundo quantum ad adventum, quia *& ille alius diſcipulus praecucurrit citius Petro*. Ubi primo ponitur quomodo Ioannes prævenit; ſecundo quomodo Petrus eum ſequitur, ibi, *Venit ergo Simon Petrus ſequens eum*.

Sed nota, quod non ſine cauſa Evangeliſta etiam particularia diligenter enarrat. Nam iſtis duobus diſcipulis, populus duplex, Iudæorum ſcilicet, & Gentilium deſignatur. Quia licet Iudæi (*a*) prius habuerint cognitionem unius veri Dei, tamen quantum ad ſtatum mundi, populus Gentium eſt antiquior: quia ex Gentilibus proceſſerunt etiam Iudæi. Geneſ. xii. 1. „ Egredere de terra tua, & de „ cognatione tua. “ Iſti ſimul currebant vel decurſum huius mundi, Iudæi per litteram legis, Gentiles per legem naturæ: vel ſimul currunt naturali deſiderio ad beatitudinem, & veritatis cognitionem, quam omnes homines natura ſcire deſiderant. *Sed ille alius diſcipulus*, ſcilicet minor, *praecucurrit citius Petro*: quia Gentiles ad cognitionem veritatis tardius venerunt quam Iudæi: quia quondam Deus erat tantum in Iudæa notus: unde dicunt, Pſalm. cxlvii. 20. „ Non fecit taliter „ omni nationi. “ *Et venit prior ad monumentum*: quia prius conſideravit myſteria Chriſti, & prius Iudæis de Chriſto (*b*) facta eſt promiſſio. Rom. ix. 4. „ Quorum eſt adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, „ & legislatio, & obſequium, & promiſſa, „ quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem &c. “

Et cum ſe inclinaſſet, vidit linteamina poſita, non tamen introivit. Et cum ſe inclinaſſet, ſcilicet ſub iugo legis: Exod. xxiv. 7. „ Omne quæcumque præcepit Dominus, faciemus: “ *vidit linteamina poſita*, ſcilicet figuras quaſdam omnium myſteriorum. II. Corinth. iii. 14. „ Uſque in hodiernum diem „ idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum. “ *Non tamen introivit*: quia non pervenit ad veritatis cognitionem dum in mortuum credere noluit. Et hoc dicitur Luc. xv. de fratre maiore, qui audiens ſimphoniam, & tripudia fratri reverteuri facta, noluit intrare; cum tamen introitum promittat David, dicens Pſal. xlii. 4. „ Introibo ad altare Dei. “

(*d*) Hic agitur de perventione Petri. Et ſecundum litteram, quod ſimul currebant, ſignum erat ferventis devotionis; ſed Ioannes citius pervenit, quia iunior erat ſene Petro. Sed ſecundum myſterium, Petrus Ioannem ſequitur: quia Gentiles ad Chriſtum converſi non erant congregandi in aliam Eccleſiam ab Eccleſia Iudæorum; ſed inſerendi in præcedentem olivam, & Eccleſiam: Rom. xi. Et ideo Apoſtolus I. Theſſ. ii. 14. commendans eos, dicit: „ Vos autem fratres facti eſtis imitatores Eccleſiarum quæ ſunt in Iudæa in „ Chriſto Ieſu. “

Tertio ponitur ordo inquiſitionis, quantum ad eorum ingreſſum, quia *introivit in monumentum*. Et primo ponitur quomodo Petrus intravit primo; ſecundo quomodo Ioannes, ibi, *Tunc ergo introivit in monumentum*. Dicit ergo, quod Petrus introivit in monumentum: & quidem, ſecundum litteram, Ioannes, qui primo pervenit, non intravit propter reverentiam Petri, cui priorem ingreſſum ſervabat. Sed ſecundum myſterium, ſignatur quod populus Iudæorum, qui primo myſteria incarnationis audivit, poſterius ad fidem convertitur quam populus Gentium. Rom. ix. 30. „ Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, „ apprehenderunt iuſtitiam ..... Iſrael vero „ ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ „ non pervenit. “ *Et vidit*, ſcilicet Petrus, *poſita linteamina*. Ioannes vidit ſola linteamina quæ Petrus ſimiliter vidit: quia non reprobamus vetus teſtamentum: nam (Luc. ult. 45.) „ aperuit eis ſenſum, ut intelligerent „ Scripturas. “ Sed adhuc ulterius vidit *ſudarium quod fuerat ſuper caput eius*. I. Corinth. xi. 3. „ Caput Chriſti Deus. “ Videre ergo ſudarium quod fuerat ſuper caput Ieſu, eſt habere fidem divinitatis Chriſti, quam Iudæi acceptare noluerunt. Quod quidem ſudarium deſcribitur & *ſeparatum* ab aliis & *involutum*, & *in unum locum*: quia divinitas Chriſti occulta eſt, & ſeparata ab omni creatura propter ſui excellentiam. Rom. ix. 5. „ Qui „ eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, „ amen. “ Eſa. xlv. 15. „ Vere tu es Deus „ abſconditus. “ Involutum vidit quaſi in modum circuli: quia lintei quando involvuntur nec initium, nec finis in eis aſpicitur: celſitudo divinitatis eſt, quæ nec cœpit eſſe, nec deſinit. Heb. ult. viii. „ Ieſus Chriſtus „ heri, & hodie, ipſe & in ſæcula. “ Pſal. ci. 28. „ Tu autem idem ipſe es, & anni „ tui non deficient. “ Sed in unum locum viderunt, quia Deus non habitat ubi eſt ſciſſura mentium; ſed illi eius merentur gratiam qui ſunt unum per caritatem. Pſalm. lxxv. 3. „ In pace factus eſt locus eius. “ I. Corinth. xiv. 33. „ Non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. “ Vel aliter per ſudarium

(a) *Al.* proprius. (b) *Al.* omittitur facta.

quo laborantium ſudor detergi ſolet, intelligi poteſt labor Dei, qui etſi quietus ſemper permaneat, tamen ſe laborare denuntiat, dum duras hominum pravitates portat. Eſa. I. 14. „ Facta ſunt mihi moleſta, laboravi „ ſuſtinens. “ Et præcipue hunc laborem pertulit Chriſtus in humanitate aſſumpta. Thren. III. 30. „ Dabit percutienti ſe ma„ xillam, ſaturabitur opprobriis. “ Hoc igitur ſudarium longe ſeorſum invenitur, quia ipſa Redemptoris noſtri paſſio longe eſt a noſtra paſſione diſiuncta. Nam per linteamina, quæ ita ſe habent ad membra ſicut ſudarium ad caput, intelliguntur paſſiones ſanctorum, a quibus ſudarium ſeorſum, ſcilicet paſſio Chriſti: quoniam ipſe ſine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus. I. Pet. III. 18. „ Chriſtus mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.“ Ipſe ſponte morti ſuccumbere voluit. Supra X. 18. *Nemo tollit a me animam meam; ſed ego pono eam a meipſo*. Epheſ. V. 2. „ Dilexit „ nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. “ Sed ſancti ad mortem vadunt inviti. Infra ult. 18. *Alius te cinget, & ducet quo tu non vis.*

Sed quare Evangeliſta ſic diligenter omnia narrat? Ad quod dicendum, ſecundum Chryſoſtomum, ut excluderet falſam opinionem a Iudæis divulgatam, quod corpus Chriſti furtim ſublatum eſſet, ut habetur Matth. ult. Nam ſi hoe modo aliqui tranſtuliſſent illud, non utique eum denudaſſent, præcipue cum oportuiſſet eos feſtinanter hoc facere propter præſentiam cuſtodum: neque etiam fuiſſent ita ſoliciti ut levarent ſudarium, & involverent, & ſeorſum in unum locum ponerent; ſed ea ſimpliciter ut contigiſſet, ſuſcepto corpore, dimiſiſſent. Huius etiam rei cauſa permiſit quod ſepultus fuit cum myrrha, & aloe, quæ conglutinant corpori linteamina, ita quod non potuiſſent tam cito a corpore ſeparari.

(e) Conſequenter cum dicit, *Tunc ergo introivit & ille diſcipulus qui venerat primus ad monumentum*, agit de introitu Ioannis: non enim foris remanſit, ſed poſt Petrum intravit: quia in fine mundi ad (*a*) receptionis fidem etiam Iudæi colligentur. Rom. XI. 25. „ Ex parte cæcitas contigit in Iſrael donec „ plenitudo gentium ſubintraret; & ſic omnis „ Iſrael ſalvus fieret. “ Eſa. X. 22. „ Reli„ quiæ ſalvæ fient. “

Vel aliter, ſecundum myſterium, per iſtos duos diſcipulos duo genera hominum deſignantur: ſcilicet vacantes contemplationi veritatis, & hi ſignantur per Ioannem; & inſiſtentes obedientiæ mandatorum, qui ſignantur per Petrum: unde Simon obediens interpretatur. Contingit autem plerumque quod prius perveniat ad cognitionem myſteriorum Chriſti contemplativus, ſua docibilitate, ſed non intrat: quia quandoque præcedit intellectus, & ſequitur tardus, aut nullus affectus. Sed activus inſtantia fervoris, & ſedulitate, etſi tardus intelligat: Pſal. CXVIII. 104. „ A „ mandatis tuis intellexi: “ tamen citius intrat: ita ut qui fuerunt poſteriores in perveniendo, fiant priores in cognoſcendo. Matth. XX. 16. „ Erunt primi noviſſimi, & „ noviſſimi primi. “

(f) Conſequenter cum dicit, *Et vidit, & credidit*, ponitur effectus inquiſitionis. Et in primo aſpectu poſſet talem ſenſum habere, quod *vidit*, illa ſcilicet, *& credidit*, quod Chriſtus reſurrexerit. Sed, ſecundum Auguſtinum, hoc non poteſt ſtare: quia ſequitur: *Nondum enim ſciebant Scripturam &c.* Ideo dicendum, quod *vidit*, vacuum monumentum, *& credidit*, his quæ dixerat mulier, ſcilicet quod aliqui Dominum aſporraſſent: & tunc ſequitur: *Nondum enim ſciebant Scripturam*: quia nondum eis erat apertus ſenſus, ut intelligerent Scripturas: Luc. ult.

Sed nonne Chriſtus paſſionem, & reſurrectionem eius prædixit? Matth. XX. 19. „ Et „ tertia die reſurget. “ Reſpondeo dicendum, quod quadam conſuetudine audiendi ab eo parabolas, multa quæ eis aperte dicebat, non intelligebant, & aliquid aliud eum ſignificare credebant. Vel, ſecundum Chryſoſtomum, *vidit*, linteamina poſita ſic ordinata, quod non fuiſſet factum, ſi corpus furtim fuiſset ſublatum, *& credidit*, ſcilicet vera fide, quod Chriſtus a morte reſurrexerit. Et tunc hoc quod ſequitur, *Nondum enim ſciebant Scripturam*, refertur ad hoc quod dicit, *Vidit, & credidit*; quaſi diceret: Antequam videret non ſciebat Scripturam, *quia oportebat eum a mortuis reſurgere*; ſed quando vidit, credidit quod a mortuis reſurrexiſſet.

(a) *Forte reſurrectionis: vel receptionem fidei.*

LE-

LECTIO II.

(a) ABierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos ; Maria autem ſtabat ad monumentum foris , plorans . Dum ergo fleret , inclinavit ſe , & proſpexit in monumentum :

(b) Et vidit duos Angelos in albis ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes , ubi poſitum erat corpus Ieſu.

(c) Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.

(a) POſito quomodo Maria Magdalena venit ad aſpiciendam ſepulcri apertionem, hic Evangeliſta oſtendit quomodo pervenit ad Angelorum viſionem. Et primo ponitur devotio ; ſecundo inſinuatur Angelorum viſio, ibi, *Vidit duos Angelos &c.* tertio deſcribitur Angelorum allocutio, ibi, *Dicunt ei illi &c.* Devotio autem mulieris, qnæ meruit Angelorum viſionem, commendatur ex tribus. Primo quidem ex eius (*a*) conſtantia, quam commendabilem reddidit primo diſcipulorum receſſus : qnia *abierunt ergo iterum diſcipuli* , nondum ſcientes Scripturam , *quia oporteret eum a mortuis reſurgere* , *ad ſemetipſos* , ideſt ubi (*b*) habitabant , & unde ad monumentum cucurrerant. Adhuc enim ex timore diſperſi non ſimul manebant. Zach. XIII. 7. „ Percutiam paſtorem, & diſpergentur o„ ves gregis. “ Thren. IV. 1. „ Diſperſi ſunt „ lapides ſanctuarii in capite omnium pla„ tearum . “ Secundo conſtans eius mora : quia *Maria ſtabat ad monumentum foris , plorans*. Nam diſcipulis recedentibus, infirmiorem ſexnm fortior, & ferventior in eodem loco (*c*) figebat affectus.

Sed hic eſt qnæſtio, quia Marc. ult. dicitur , quod mulieres egreſſæ ſunt de monumento : ergo fuerunt intus . Ut quid ergo tunc dicit Ioannes, *Stabat foris* ? Reſponſio . Dicendum, quod monumentum Chriſti erat exciſum in lapide, & circa ipſum erat clauſura horti, ſicut ſupra habitum eſt. Quandoque ergo monumentum vocant Evangeliſtæ ſolum locum ubi corpns reconditum fuit , quandoque totum illud quod clauſum erat. Cum ergo dicitur, quod ingreſſæ ſunt monumentum , intelligeodum de tota clauſura horti ; ſed hoc quod dicitur , *Stabat foris* , intelligendum eſt de illo ſaxei ſepulcri loco, ſed tamen intra illud ſpatium quod iam ingreſſæ fuerant , ubi ſtabat propter amoris conſtantiam, qnæ mentem (*d*) eius accenderat. I. Cor. XV. 58. „ Sta„ biles eſtote , & immobiles , abundantes in „ opere Domini ſemper . “ Pſal. CXXI. 2. „ Stantes erant pedes noſtri. “

Secundo commendatur eius devotio ex lacrymarum affluentia, quia *plorans*. Thren. I. 2. „ Plorans ploravit in nocte . “ Eſt autem duplex lacrymarum gemitus: ſcillcet compunctionis ad peccata abluenda : Pſalm. VI. 7. „ Lacrymis meis ſtratum meum rigavi : “ & devotionis ad cæleſtia deſideranda: Pſal. CXXV. 6. „ Euntes ibant, & flebant mittentes ſe„ mina (*e*) ſua, “ ideſt properantes ad cæleſtia. Sed Maria Magdalena lacrymis quidem compunctionis abundavit tempore ſuæ converſionis , quando quæ fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem lavit lacrymis maculas criminis . Luc. VII. 47. „ Dimiſſa ſunt ei pec„ cata multa , quoniam dilexit multum . “ Abundavit etiam lacrymis devotionis in Chriſti paſſione, & reſurrectione, ut habetur hic. Tertio commendatur eius devotio ex inquiſitionis diligentia: Unde dicit: *Dum ergo fleret , inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum*. Fletus eoim iſte ex deſiderio amoris proveniebat. Natura enim amoris eſt quod velit dilectum præſentem habere ; & ſi hoc non poteſt in re, ſaltem eius præſentiam habet in cognitione . Matth. VI. 21. „ Ubi eſt theſaurus „ tuus, ibi eſt & cor tuum . “ Amare ergo flebat Maria, quia oculi qui Dominum quæſierant, & non invenerant , lacrymis vacabant , amplius dolens quod ablatus fuit de monumento: quoniam (*f*) magiſtri tanti, cuius vita ſubtracta fuerat , memoria remanebat: & ideo quia eum habere non poterat , volens ſaltem videre locum ubi poſitus fuerat, *inclinavit ſe , & proſpexit in monumentum* . In quo datur intelligi quod in mortem Chriſti debemus proſpicere cum humilitate cordis . Matth. XI. 25. „ Abſcondiſti hæc a ſapienti„ bus, & prudentibus, & revelaſti ea par„ vulis. “ *Et proſpexit* , ut daret exemplum continue oculis mentis mortem Chriſti proſpicere: quia amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit , cnius vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis. Heb. XII. 2. „ Aſpicientes in au„ ctorem fidei , & conſummatorem Ieſum , „ qui, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem „ con-

(a) *Al.* inſtantia. (b) *Al.* habitant. (c) *Al.* fiebat. (d) *Al.* deeſt eius. (e) *Al.* omittitur ſua. (f) *Al.* magiſter.

„ confuſione contempta. “ *Inclinavit* autem *ſe*, *& proſpexit*: quia caritas Chriſti eam urgebat. II. Corinth. v. 14. „ Caritas Chriſti urget nos. “ Vel potius, ſecundum Auguſtinum, divino inſtinctu in animo eius factum eſt ut perſpiceret, & altius aliquid videret, ſcilicet Angelos. Rom. VIII. 14. „ Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. “

(b) Conſequenter cum dicit, *Et vidit duos Angelos in albis ſedentes*, agit Evangeliſta de Angelorum viſione: circa quam quatuor tangit Evangeliſta. Primo quid vidit, quia *duos Angelos*, ut oſtendat quod omnes Angelorum ordines tam aſſiſtentium, quam miniſtrantium Chriſto obſequebantur. Heb. I. 6. „ Adorent eum omnes Angeli eius. “

Sed circa hoc eſt quæſtio: quia Matth. & Marc. ult. dicitur, quod Maria, & aliæ mulieres viderunt unum Angelum exiſtentem in latere monumenti; hic autem dicitur quod duos, & intus. Sed utrumque verum eſt, quia illud præceſſit quod narrant Matthæus, & Marcus, quando ſcilicet primo venerunt, & credentes eum ſublatum, redierunt ad diſcipulos; & iſtud quod narrat Ioannes, contigit in reditu, quando rediit cum diſcipulis, & eis recedentibus ipſa remanſit.

Secundo deſcribit habitum, quia *in albis*: per quod claritas reſurrectionis, & gloria Chriſti reſurgentis demonſtratur. Apocal. III. 4. „ Ambulabunt mecum in albis. “ Et eiuſdem XX. dicitur, quod exercitus qui eſt in cælo ſequebatur eum in veſte alba, ideſt glorioſa. Tertio deſcribit ſitum, quia *ſedentes*: per quod quies, & poteſtas Chriſti deſignatur, qui iam ab omnibus tribulationibus requieſcens regnat in carne immortali, ſedens ad dexteram Patris. Pſal. CIX. 1. „ Sede a dextris meis. “ Eſa. IX. 7. „ Super ſolium David, & ſuper regnum eius ſedebit. “ Quarto deſcribit ordinem: *Unum ad caput, & unum ad pedes*: quod poteſt referri ad tria. Primo quidem ad duo teſtamenta: Angelus enim Græce, Latine dicitur nuntius. Chriſtum autem annuntiaverant teſtamenta: quia dicitur Matth. XXI. 9. „ Turba quæ præibat, & quæ ſequebatur, clamabat: Hoſanna filio David. “ Sic ergo Angelus ſedens ad caput, ſignat vetus teſtamentum, & qui ad pedes, novum. Secundo ad prædicatores. In Chriſto enim eſt duplex natura, divina ſcilicet, & humana. Caput autem Chriſti eſt Deus, ut dicitur I. Corinth. pedes vero (*a*) humanitas. Pſal. CXXXI. 7. „ Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius. “ Qui ergo annuntiat divinitatem Chriſti, ſicut eſt illud (ſupra I.) *In principio erat Verbum*, ſedet ad caput; qui vero humanitatem annuntiat, ſicut illud (ibid. 14.) *Verbum caro factum eſt*, ſedet ad pedes. Tertio poteſt referri ad tempus annuntiationis; & ſic ſedet unus ad caput, & unus ad pedes: quia ab initio uſque ad finem mundi myſteria Chriſti ſignificabant eſſe annuntianda. I. Corinth. II. 26. „ Mortem Domini annuntiabitis donec veniat. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Dicunt ei, Mulier quid ploras?* agitur de Angelorum allocutione. Et primo ponit Angelorum interrogationem; ſecundo mulieris reſponſionem. Circa primum ſciendum eſt, quod Angeli ſcientes mulierem adhuc dubitare, quaſi a remotis incipientes, cauſam fletus exquirunt. Unde dicit: *Dicunt illi*, ſcilicet Angeli, *Quid ploras?* quaſi dicerent: Plorare noli: ſupervacuum enim eſt, quia (Pſal. XXIX. 6.) „ Ad veſperum (ſcilicet paſſionis) (*b*) demorabitur fletus, & ad matutinum (reſurrectionis) lætitia. “ Hier. XXXI. 16. „ Quieſcat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia eſt merces operi tuo. “ Ubi notandum, ſecundum Gregorium, quod ipſa ſacra eloquia quæ in nobis lacrymas amoris excitant, eaſdem lacrymas conſolantur, dum nobis Redemptoris noſtri ſpem repromittunt. Pſal. XCIII. 19. „ Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. “ Sed mulier quaſi (*c*) neſcientes eos interrogaſſe putans, non Angelos, ſed homines eſſe putat, & cauſam fletus ſui exponit, *& dicit eis*: *Tulerunt Dominum meum*, ideſt corpus Domini mei; a toto partem ſignificans: ſicut confitemur Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei ſepultum, cum eius ſola ſepulta ſit caro, quia divinitas carnem non deſeruit. *Et neſcio ubi poſuerunt [eum]*. Hoc enim erat ei cauſa deſolationis, quia neſciebat quo iret, & eum ad conſolationem ſui doloris inveniret.

Sed numquid ad conſolationem amantis eſt habere aliquid quod fuit amici? Et quidem, ſecundum Auguſtinum IV. Confeſſionum, magis pertinet ad dolorem. Unde ipſe dicit, quod fugiebat omnia loca in quibus converſatus fuerat cum amico ſuo. Et tamen Chryſoſtomus dicit, quod eſt ad conſolationem. Sed utrumque eſt verum. In omnibus enim quæ habent admixtionem gaudii, & triſtitiæ, ſpes rei deſideratæ (*d*) eſt delectabilis. Rom. XII. 12. „ Spe gaudentes, in tribulatione patientes: “ eſt etiam & triſtabilis, quia (Prov. XIII. 12.) „ ſpes quæ differtur, „ af-

(a) *Al.* humanitatis. (b) *Al.* demonſtrabitur. (c) *Al.* neſciens. (d) *Al.* & delectabilis.

Digitized by Google

„ affligit animam: “ ſed non ſecundum eamdem rationem: nam inquantum per ſpem repræſentatur res amata ut poſſibilis conſequi, cauſat gaudium; inquantum autem ſeparat actu, abſens (a) contriſtatur. Et ſic eſt in iſto loco: quia res amici inquantum repræſentat amicum, amanti delectabilis eſt; inquantum vero ſubtractionem amici ad memoriam reducit, triſtitiam infert.

LECTIO III.

(a) HAEc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat quia Ieſus eſt.

(b) Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras? Quid quæris?

(c) Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dixit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam.

(d) Dicit ei Ieſus, Maria. Converſa illa dixit ei, Rabboni: quod dicitur magiſter.

(e) Dicit ei Ieſus: Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum.

(f) Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Venit Maria Magdalene annuntians diſcipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

(a) HIc ponitur quomodo mulier iſta pervenit ad Chriſti viſionem: & primo agitur de Chriſti viſione; ſecundo de eius a muliere cognitione, ibi, *Dixit ei Ieſus, Noli me tangere &c.* Circa primum primo ponit Chriſti viſionem; ſecundo eius allocutionem, ibi, *Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras?* Dicit ergo quantum ad primum: *Hæc cum dixiſſet*, ſcilicet Maria Magdalena ad Angelum, *converſa eſt retrorſum*.

Sed quærit Chryſoſtomus: Mulier quæ loquebatur cum Angelis, quos ſaltem venerandos viros putabat, quare non expectabat eorum reſponſum de hoc quod dixit; ſed retrorſum convertitur? Reſponſio. Dicendum, quod cum mulier Angelis reſpondiſſet, Chriſtus advenit, cui Angeli reverentiam exhibentes aſſurrexerunt: quod videns mulier admirans reſpexit retro, ut ſciret ad quid aſſurrexiſſent. Unde & Lucas ult. Angelos ſtantes viſos eſſe commemorat: & ſic retrorſum ad aſpiciendum converſa, *vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat quia Ieſus eſt*: videbat enim eum in ſpecie non glorioſum, quem Angeli glorioſum videntes honorabant. Oſtenditur etiam per hoc, quod ſi aliquis Chriſtum videre deſiderat, (b) oportet quod ad eum convertatur. Zach. I. 3. „ Convertimini ad me, „ ait Dominus exercituum, & convertar ad „ vos. “ Illi ad eum videndum perveniunt qui ſe totaliter in eum per amorem convertunt. Sap. VI. 14. „ Præoccupat eos qui ſe „ concupiſcunt. “

Myſtice autem per hoc ſignatur quod hæc mulier per infidelitatem ad Chriſtum verterat dorſum; ſed quando animum eius ad cognoſcendum convertit, retrorſum converſa eſt.

Sed quare eum non agnoſcebat, cum idem ipſe eſſet? Dicendum, quod hoc erat vel quia (c) quem mortuum viderat, reſurrexiſſe non credebat, vel quia tenebantur oculi eius ne eum agnoſceret, ut dicitur de duobus diſcipulis euntibus in Emaus, Luc. ult.

(b) Allocutio Chriſti ponitur cum dicit: *Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras?* Et primo ponitur Chriſti interrogatio; ſecundo mulieris reſponſio. Circa primum ſciendum eſt, quod mulier iſta paulatim proficit: nam Angeli cauſam ploratus exquirunt; ſed Chriſtus quid quærat, interrogat. Nam ploratus ex deſiderio inquiſitionis cauſabatur. Quem quærit enim interrogat, ut augeatur deſiderium, quatenus cum nominaret quem quæreret, in amorem eius ardentius æſtuaret, & ſic ſemper quæreret. Pſal. CIV. 4. „ Quærite fa„ ciem eius ſemper. “ Prov. IV. 18. „ Iuſto„ rum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, „ & creſcit uſque ad perfectum diem. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dixit ei &c.* ponitur reſponſio mulieris: & ponitur primo opinio quam de interrogante habebat; ſecundo ponuntur verba reſponſionis. Opinabatur autem illa quod *hortulanus eſſet*. Sciebat enim quod exterriti cuſtodes propter terræmotum, & aſpe-

(a) *Al.* contriſtat. (b) *Al.* oportet ut ad eum perveniat, quod ſe totaliter in eum per amorem convertat. Sap. VI. 14. „ Præoccupat eos qui ſe concupiſcunt. “ Zach. I. „ Convertimini ad me &c. “ (c) *Al. deeſt* quem.

ſpectum Angelorum, iam fugerant, & nullum (*a*) circa loca illa occupari niſi eum qui eorum cultor eſſet. Et, ut Gregorius dicit, „ hæc mulier errando non erravit, dum Chri„ ſtum hortulanum credidit: quia in eius pe„ ctore per amoris ſui vim ſemina virtutis „ plantabat. “ Eccli. XXIV. 42. „ Dixi: Ri„ gabo hortum meum plantationum, & in„ ebriabo parati mei fructum. “ *Et dixit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi*: dominum enim vocat ut benevolentiam captet.

Sed cum iſte de novo veniſſet, nec ei dixerat quem quærebat, quare dixit, *Si tu ſuſtuliſti eum*? Quem eum? Sed dicendum, quod vis amoris hoc agere ſolet in amato ut quod ipſe ſemper cogitat, nullum alium credat ignorare. Unde Luc. ult. 17. cum quæreret Dominus, „ Qui ſunt hi ſermones quos con„ fertis ad invicem? dixerunt: “ Tu ſolus per„ egrinus es in Hieruſalem? &c. “

Sed quid dicit: *Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam*? Mirabilis mulieris audacia, quam mortui non terret aſpectus; & cuius valitudo ad grave mortui funus tollendum plus intentat quam poſſit. Sed hoc eſt quod dicitur I. Corinth. XIII. 7. „ Caritas omnia (*b*) ſperat. “ Ideo autem eum accipere volebat, ne Iudæi in corpus ſævirent exanime; & ideo volebat in alium locum incognitum illud tranſportare.

(d) Conſequenter cum dicit, *Dicit ei Ieſus, Maria &c.* agit de recognitione Chriſti a muliere. Et primo ponitur vocatio, cum dicit, *Maria*, quam ſupra alloquens, mulierem quaſi nomine communi (*c*) vocaverat. Sed hic proprio nomine vocatur *Maria*, ut deſignet ſpecialem notitiam quam habet ad ſanctos: Pſal. CXLVI. 4. „ Qui numerat multitudinem ſtel„ larum, & omnibus eis nomina vocat: “ Exod. XXXIII. 12. „ Novi te ex nomi„ ne: “ & ut oſtendat quod licet quadam generali motione omnes res moveantur (*d*) a Deo, ſpecialiter tamen ad hominis iuſtificationem neceſſaria eſt gratia ſpecialis. Effectus (*e*) vocationis ponitur cum dicit: *Converſa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magiſter*.

Sed numquid non reſpiciebat ad Chriſtum qui eam vocaverat? Reſpondeo dicendum, ſecundum Auguſtinum, quod hoc referendum eſt ad interiorem (*f*) diſpoſitionem mentis: nam prius, cum corpore converſa fuit, putavit Chriſtum eſſe quod non erat, ſcilicet hortulanum; nunc autem corde convertitur, dum quod erat agnovit. Vel dicendum, quod, ut dictum eſt, credebat eum eſſe aliquem alium hominem. Unde dum ſibi loqueretur ſolicita de eo quod gerebat in corde, non enim reſpicit, ſed circumquaque, ſi aliquod ſignum videret ſepulti. Et ideo Chriſtus revocans eam, ex proprio nomine vocavit dicens, *Maria*; quaſi dicat: Quo reſpicis? Recognoſce eum a quo recognoſceris. Et ideo ſtatim vocata ex nomine recognovit auctorem, dicens: *Rabboni, quod dicitur magiſter*: ſic enim eum conſueverat vocare. In quo datur intelligi, quod vocatio Chriſti eſt cauſa iuſtificationis noſtræ, & confeſſionis veræ.

(e) Conſequenter cum dicit, *Dicit ei Ieſus, Noli me tangere*, oſtendit Evangeliſta quomodo Maria inſtruitur a Chriſto: & primo ponit unam inſtructionem (*g*) prohibitivam, ſecundo aliam affirmativam, ibi, *Vade autem ad fratres meos*. Circa primum duo facit. Primo ponit prohibitionem; ſecundo aſſignat eius rationem. Admonet quidem Chriſtus Mariam ne eum tangat, dicens: *Noli me tangere*. Et ſi non legatur hic quod mulier vellet eum tangere, datur ex hoc intelligi, ſecundum Gregorium, quod Maria ad pedes proſtrata amplecti voluit eius veſtigia quem recognovit. Sed ſubditur pro ratione: *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum*: per quod videtur quod Dominus poſt reſurrectionem noluit tangi ab hominibus antequam aſcenderet: cuius contrarium habetur Luc. ult. 39. „ Palpate, & „ videte quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non „ habet. “ Et ſi dicas eum a diſcipulis ſe tangi voluiſſe, non autem a mulieribus; hoc non poteſt ſtare: quia Matth. ult. dicitur de Magdalena, & aliis mulieribus, quia acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius. Intelligendum eſt ergo, ſecundum litteram, quod mulier hæc bis vidit Angelos in hoc itinere. Primo quidem ſimul cum aliis mulieribus vidit (*h*) unum Angelum ſedentem ſuper lapidem, ut dicitur Matth. XXVIII. & Marc. XVI. Secundo vero in reditu vidit duos Angelos intus in monumento, ſicut dicit Ioannes. Similiter etiam in hoc eodem itinere bis vidit Chriſtum. Primo quidem in horto, quando æſtimavit eum hortulanum, ut ſupra habitum eſt; ſecundo in via, quando currebat cum aliis annuntiare diſcipulis quæ viderat, ut magis firmarentur in fide reſurrectionis: & tunc acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, ut (*i*) dicunt Matthæus, & Marcus.

Eſt autem duplex ratio myſtica quare tangi noluit. Una quia hæc mulier ſignificabat Eccleſiam Gentium, quæ Chriſtum non erat tactura per fidem, niſi cum aſcendiſſet ad Patrem. Pſal. VII. 8. „ Synagoga populorum „ cir-

(a) *Al.* etiam loca illa. (b) *Al.* ſuperat. (c) *Al.* vocaverat, *Maria*. (d) *Al.* omittitur a Deo. (e) *Al.* notionis. (f) *Al.* reſponſionem. (g) *Al.* prohibitam. (h) *Al.* deeſt unum. (i) *Al.* dicitur.

„ circumdabit te: propter hanc in altum re„ gredere." Alia ratio eſt, quia, ſecundum Auguſtinum (a) I. de Trinit. cap. ix. tactus facit quaſi finem cognitionis. Quando enim videmus rem, utcumque eam cognoſcimus; ſed per tactum conſummatam cognitionem de ea habemus. Mulier autem hæc aliquam fidem habebat de Chriſto ſicut de ſancto viro, unde & magiſtrum eum vocabat: nec dum ad hoc pervenerat ut cognoſceret eum æqualem Patri, & unum cum Deo; & ideo dicit: *Noli me tangere*; ideſt, non conſtituas finem tuæ notionis in eo quod credis de me. *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, ſcilicet in corde tuo, quia non credis me eſſe unum cum eo; quod tamen poſtea credidit. Nam in eius intimis ſenſibus quodammodo Chriſtus aſcendit ad Patrem, qui ſic in ea profecerat ut Patri cognoſcat æqualem. Vel dicendum, ſecundum Chryſoſtomum, quod hæc mulier videns Chriſtum ſurrexiſſe, credidit quod eſſet in eadem qualitate in qua fuerat prius, habens mortalem vitam: unde & volebat cum eo eſſe, ſicut ante paſſionem, & præ gaudio nihil magnum excogitabat; quamvis caro Chriſti multo melior facta fuerit reſurgendo. Et ideo ab hac intelligentia eam revocare volens, dicit: *Noli me tangere*; quaſi dicat: Non putes me de cetero habere vitam mortalem, & vobiſcum eo modo converſari quo primo. II. Cor. v. 16. „ Et ſi novimus ſecundum car„ nem Chriſtum, ſed iam nunc non novimus." Et hoc eſt quod ſubdit: *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum*. Et tunc non eſt monitionis ratio, ſed tacitæ quæſtionis reſponſio; quaſi dicat: Etſi videas me hic manentem, non eſt propter hoc quod non habeam glorioſam carnem; ſed *quia nondum aſcendi ad Patrem meum*. Voluit enim priuſquam aſcenderet, fidem reſurrectionis, & ſuæ divinitatis firmare in cordibus Apoſtolorum.

(f) Deinde ponit inſtructionem affirmativam, dicens: *Vade autem ad fratres meos*, ſcilicet Apoſtolos, qui ſunt fratres per conformitatem naturæ: Hebr. ii. 17. „ Debuit „ per omnia fratribus aſſimilari: " & per adoptionem gratiæ, quia eius Patris ſunt filii adoptivi, cuius ipſe eſt filius naturalis. Ubi notandum eſt triplex privilegium, quod Magdalenæ eſt collatum. Primo quidem propheticum, per hoc quod meruit Angelos videre: Propheta enim eſt medius inter Angelos & populum. Secundo Angelorum faſtigium, per hoc quod vidit Chriſtum, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Tertio officium apoſtolicum; immo facta eſt Apoſtolorum Apoſtola, per hoc quod ei committitur ut reſurrectionem dominicam diſcipulis annuntiet: ut ſicut mulier viro primo nuntiavit verba mortis, ita & mulier primo nuntiaret verba vitæ. *Et dic eis*: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*. Supra xvi. 5. *Vado ad eum qui me miſit*. Epheſ. iv. 10. „ Qui deſcendit „ ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœ„ los."

Sed ex hoc Arrius ſumit ſui erroris fulcimentum: quia per hoc quod dicit, *Patrem meum, & Patrem veſtrum*, concludere voluit quod eodem modo Deus ſit Pater Filii, ſicut eſt noſter Pater; & Deus Filii ſicut Deus noſter. Sed contra hoc dicendum, quod hæc verba qua intentione dicantur apparet ex circumſtantiis loquendi. Dicit enim ſupra: *Vade ad fratres meos &c.* hos autem fratres habet Chriſtus ſecundum quod homo; & ſecundum hoc Chriſtus eſt ſubiectus Patri, ſicut creatura creatori: nam ipſum corpus Chriſti creatura quædam eſt. Vel aliter, ſecundum Auguſtinum, Chriſtus hic loquitur de ſe ſecundum utramque naturam: quia quod dicit, *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*, pertinet ad divinam naturam, ſecundum quam habet Patrem Deum connaturalem, cui eſt æqualis: & ſic intelligendum eſt aliter *meum*, & aliter *veſtrum*: natura *meum*, gratia *veſtrum*; quaſi, hoc quod eſtis filii adoptivi per gratiam, per me habetis. Galat. iv. 4. „ Miſit Deus Filium ſuum ..... ut ado„ ptionem filiorum Dei reciperemus." Rom. viii. 29. „ Quos præſcivit conformes fieri „ imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus „ in multis fratribus." Quod addit, *Deum meum, & Deum veſtrum*, refertur ad humanam naturam, ſecundum quam habet Deum gubernatorem; & ſic dicit: *Deum meum*, ſub quo ego homo ſum, *& Deum veſtrum*, inter quos & ipſum mediator ſum: quia per ipſum habemus Deum nobis placatum, & ſic Deum noſtrum. Rom. v. 1. „ Iuſtificati igitur ex fide, „ pacem habeamus per Dominum noſtrum Ie„ ſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum „ in gratiam in qua ſtamus, & gloriamur in „ ſpe gloriæ filiorum Dei." II. Cor. v. 19. „ Deus erat in Chriſto mundum reconcilians „ ſibi."

Promptitudo obedientiæ Mariæ ponitur cum dicit: *Venit Maria Magdalena annuntians, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi*. *Venit*, de loco ubi erat horti ſpatium ante lapidem monumenti, *annuntians diſcipulis*. I. Cor. xi. 23. „ Ego enim accepi a Domino quod & „ tradidi vobis." Eſa. xxi. 10. „ Quæ audivi a Domino Deo exercituum, domus „ Iſrael, annuntiavi vobis."

(a) Al. in Libr. de Civitat. Dei.

LECTIO IV.

(a) CUm ergo ſero eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum:

(b) Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus.

(c) Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino.

(d) Dixit ergo eis iterum: Pax vobis; Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.

(e) Hæc cum dixiſſet inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

(a) POſitis apparitionibus Chriſti factis mulieribus, in parte iſta agit Evangeliſta de apparitionibus factis Apoſtolis: & primo de apparitione qua ſimul omnibus in Hieruſalem apparuit, excepto Thoma; ſecundo de ea quæ facta eſt, Thoma præſente, ibi, *Et poſt dies octo &c.* tertio de ea quæ facta eſt quibuſdam ſpecialiter iuxta mare, XXI. capitulo, *Poſtea manifeſtavit ſe &c.* (a) Circa primum duo ponuntur. Primo Domini apparitio; ſecundo diſcipulornm dubitatio, ibi, *Thomas autem &c.* Circa primum tria ponuntur. Primo Domini apparitio; ſecundo officii iniunctio, ibi, *Dixit eis, Pax vobis &c.* tertio ſpiritualis muneris collatio, ibi, *Hac cum dixiſſet, inſufflavit &c.* Circa primum tria facit. Primo ponit apparitionis circumſtantias; ſecundo apparitionis continentiam, ibi, *Venit Ieſus &c.* tertio apparitionis conſequentia, ibi, *Gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino.* Deſcribit ergo apparitionem dominicam diſcipulis a quatuor circumſtantiis. Primo quidem ex horæ deſcriptione, quia *cum ſero eſſet*; ſecundo ex diei deſignatione, quia *die illa*; tertio ex loci conditione, quia *cum fores eſſent clauſa*; quarto ex diſcipulorum diſpoſitione, quia *erant congregati propter metum Iudaorum*. Fuit ergo hora apparitionis ſerotina: cuius duplex eſt ratio litteralis. Una quia voluit ſimul apparere omnibus; & ideo præſtolatus eſt uſque in ſero, ut qui diſperſi erant de die, ſimul convenirent in ſero: nam de nocte ſimul erant. Alia ratio eſt, quia Dominus eis apparuit ut conſortaret eos. Illam ergo elegit horam qua magis ſtupentes confortatione indigebant: hæc eſt ſero. Pſal. XLV. 2. „ Adiutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. “ Eſt etiam ratio myſtica, quia ſcilicet Dominus in fine mundi apparebit fidelibus, quando media nocte clamor fiet: ecce ſponſus venit redditurus eis mercedem ſuam: Matth. XX. 8. „ Cum ſero factum „ eſſet, dixit dominus vineæ procuratori ſuo: „ Voca operarios, & redde eis mercedem. “

Dies apparitionis fuit ipſamet dies reſurrectionis, quia *die illa una ſabbatorum*, ſcilicet dies dominica, de qua dictum eſt (ſupra hoc cap.) *Una autem ſabbati.* Quare autem dicatur *una ſabbatorum*, iam dictum eſt.

Poteſt autem ex Evangeliis colligi, Dominum quinquies iſto die apparuiſſe. Bis ſcilicet mulieribus, ſemel Magdalenæ ſoli, de qua immediate ſupra, & iterum ſimul cum aliis mulieribus revertentibus; & tunc acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius. Tertio vero apparuit duobus diſcipulis ipſo die euntibus in Emaus, Luc. ult. Quarto autem Simoni Petro. Sed quando, & quomodo, & ubi, non exprimitur, niſi tantum quod apparuit. Luc. ult. 34. „ Surrexit Dominus vere, & „ apparuit Simoni. “ Quinto apparuit omnibus ſimul congregatis de ſero, ut habetur hic. Et ideo cantatur: „ Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in „ ea: Pſal. CXVII. 24. Per hoc autem datur intelligi, quod in die communnis reſurrectionis apparebit manifeſte omnibus mulieribus, peccatoribus, peregrinis, Apoſtolis, & apoſtolicis viris: quia „ videbit eum omnis ocu„ lus, & qui eum pupugerunt: “ Apocal. I. 7.

Conditio autem loci deſcribitur per clauſuram dubia, & timida: quia *fores eſſent clauſa*: ad litteram propter tarditatem, quia nox erat, & *propter metum Iudaorum*; ſed ex parte Chriſti, clauſuræ cauſa fuit ut manifeſtaret eis virtutem ſuæ poteſtatis intrandi ad eos ianuis clauſis.

Sciendum eſt autem circa hoc, quod ſecundum quoſdam intrare ianuis clauſis eſt de proprietate corporis glorioſi, quod dicunt per quamdam conditionem ſibi inhærentem poſſe eſſe cum alio corpore ſimul in eodem loco, inquantum eſt glorioſum: & hoc factum eſſe, & fieri poſſe ſine miraculo. Sed hoc non poteſt ſtare, quia quod corpus humanum non glorificatum, non poſſit ſimul cum alio corpore eſſe, ineſt ſibi ex natura. Oportet ergo

quod

(a) *Al. omittitur totum quod ſequitur uſque ad* Circa primum tria ponuntur.

quod ſi corpus glorificatum dicatur habere in ſe proprietatem aliquam inhærentem, quod poſſit ſimul cum alio corpore eſſe in eodem loco, quod excludatur ab eo illa proprietas qua nunc impeditur ne ſimul cum alio poſſit eſſe. Hæc autem proprietas nullo modo eſt ſeparabilis, vel deſtructibilis a corpore, cum non ſit (*a*) mathematica corpulentia, ut ipſi dicunt, ſed ipſę dimenſiones corporis quanti, quibus proprie accidit ſitus. Unde Philoſophus arguit contra (*b*) ponentes ideas, & materias, & quod dato etiam quod vacuum eſſet totum ſpatium ſuper terram, adhuc corpus ſenſibile non poſſet eſſe ſimul cum illis, propter dimenſiones quantitatis. Per nullam autem proprietatem corporis glorioſi poſſent removeri dimenſiones a corpore, natura corporis remanente. Et ideo dicendum eſt, quod hoc miraculoſe Chriſtus fecit virtute ſuæ divinitatis, & quandocumque in ſanctis ſimile contingeret, miraculoſum eſſet, & (*c*) per novum miraculum fit. Et hoc expreſſe dicunt Auguſtinus, & Gregorius. Dicit enim Auguſtinum: „ Quæris quomodo per oſtia clauſa „ intrare potuit? Si comprehendis modum, „ non eſt miraculum. Ubi deficit ratio, ibi „ eſt fidei ædificatio. " Et ſubdit: „ Ille „ quippe non eis apertis intrare potuit, quo „ naſcente virginitas matris inviolata permanſit. " Sicut ergo ortus eius ex virgine matre virtute ſuæ divinitatis miraculoſus fuit, ſic introitus iſte. Myſtice autem per hoc datur intelligi quod Chriſtus nobis apparet quando fores, ideſt ſenſus exteriores ſunt clauſi in oratione: Matth. VI. 6. „ Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum: " & in fine mundi, quando quæ paratæ erunt, intrabunt ad nuptias, & poſtea claudetur ianua, ut habetur Matth. XXV.

Diſpoſitio diſcipulorum deſcribitur imitanda, quia *congregati erant*: quod quidem non vacat a myſterio. Chriſtus enim ad congregatos venit, Spiritus ſanctus ad congregatos deſcendit: quia Chriſtus, & Spiritus ſanctus non niſi in caritate congregatis adſunt. Matth. XVIII. 20. „ Ubicumque fuerint duo „ vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum „ in medio eorum. "

(b) Hic ponitur ipſa apparitio Chriſti quantum ad tria. Primo quantum ad Chriſti præſentiam quam exhibuit; ſecundo quantum ad ſalutationem quam eis protulit; tertio quantum ad ſui certam manifeſtationem, quam eis oſtendit. Præſentiam autem ſuam exhibuit eis Chriſtus abſque omni dubio: quia *venit, & ſtetit in medio diſcipulorum*. Venit quidem perſonaliter ipſe idem, ſicut eis promiſerat ſupra XIV. 28. *Vado, & venio ad vos*. Sed *ſtetit in medio*, ut omnes certitudinaliter agnoſcerent. Unde arguuntur Iudæi qui eum non cognoverunt. Supra I. 26. *Medium autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis*. Item *ſtetit in medio* diſcipulorum, ut oſtendat conformitatem humanæ naturæ quam habet ad eos. Eccli. L. 13. „ Circa illum corona fratrum, „ quaſi plantatio cedri in monte Libano. " Item *ſtetis in medio*, per condeſcenſionem, quia inter eos converſatus eſt ſicut unus ex eis. Eccli. XXXII. 1. „ Rectorem te poſuerunt? „ Noli extolli, eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Luc. XXII. 27. „ Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat. " Item ad deſignandum quod nos debemus eſſe in medio virtutis. Eſa. XXX. 21. „ Hæc eſt via: „ ambulate in ea, neque declinetis ad dexteram, „ neque ad ſiniſtram. "Qui enim excedit in plus, divertit ad dexteram; qui autem deficit in minus, vadit ad ſiniſtram. Salutationis autem verba eis protulit, dicens, *Pax vobis*. Sed hæc fuit neceſſaria: erat enim eorum pax multipliciter perturbata, & quantum ad Deum, contra quem quidam peccaverunt negando, quidam fugiendo. Matth. XXVI. 31. „ Omnes vos ſcandalum patiemini in me in „ iſta nocte: ſcriptum eſt enim: Percutiam „ paſtorem, & diſpergentur oves gregis. " Et contra hoc propoſuit eis pacem reconciliationis ad Deum: Rom. V. 10. „ Reconciliati ſumus Deo per mortem Filii eius? " hanc enim per paſſionem fecit. Item quantum ad ſeipſos: quia triſtes erant, & in fide dubii; & hanc etiam pacem factam propoſuit. Pſal. CXVIII. 165. „ Pax multa diligentibus legem tuam. " Item quantum ad exteriores: quia a Iudæis perſecutiones (*d*) patiebantur; & contra hoc dicit eis, *Pax vobis*, contra Iudæorum ſcilicet perſecutiones. Supra XIV. 27. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Certam autem ſui manifeſtationem oſtendit eis per manus, & latus: unde ſequitur: *Hæc cum dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus*: quia in eis ſpecialiter remanſerunt ſigna paſſionis ſuæ. " Luc. ult. 39. „ Videte manus meas, & pedes meos, quia „ ego ipſe ſum. " Sic & in gloria ſe oſtendet. Supra XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*: & infra (verſ. 21.) *Manifeſtabo ei meipſum*.

(c) Hic ponitur apparitionis effectus, qui eſt gaudium in cordibus diſcipulorum de viſione Domini, quam promiſerat eis ſupra XVI.

(a) *Al.* deeſt mathematica. (b) *Al.* ponentes ideas, & quod data etiam quod vacuum eſſet totum ſuper terram &c. (c) *Al.* propter. (d) *Al.* perſequebantur.

22. *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum*. Sed hoc gaudium implebitur in patria, ſcilicet bonis, ex aperta viſione Dei. Eſa. ult. 14. „ Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt. “

(d) Iniungit Apoſtolis officium: & primo præmittit pacis vinculum; ſecundo iniungit officium, ibi, *Sicut miſit me Pater &c. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis*. Hoc dixit eis contra perturbationem duplicem: nam contra perturbationem præſentem a Iudæis, dixit eis primo, *Pax vobis*; ſed contra conturbationem ſactam a Gentibus, *dixit eis iterum, Pax vobis*. Supra XVI. 33. *In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem*. Nam ad Gentes mittendi erant: & ideo ſtatim ſubditur iniunctio officii: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: in quo oſtendit ſe mediatorem inter Deum & homines. I. Timoth. II. 5. „ Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus &c. “ Hoc erat ad conſolationem diſcipulorum, qui cognoſcentes auctoritatem Chriſti, ſciebant eum mittere ipſos auctoritate divina. Item conſiderantes dignitatem propriam, ſcilicet quod habebant officium proprium (*a*) Apoſtolorum: Apoſtolus enim idem eſt quod miſſus. Dicit ergo: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; ideſt, ſicut Pater diligens me miſit in mundum ad paſſionem tolerandam pro ſalute fidelium: ſupra III. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*: ita ego diligens vos, mitto vos ad tribulationes ſuſtinendas pro nomine meo. Matth. X. 16. „ Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. “ Secundo datur eis idoneitas officii per dationem Spiritus ſancti. II. Cor. III. 6. „ Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu. “

(e) Unde ſequitur: *Hæc cum dixiſſet, inſufflavit &c.* Et circa hanc dationem primo præmittit dationis ſignum, quod eſt inſufflatio: unde dicit, *Inſufflavit*. Simile habetur Gen. II. 7. „ Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, “ quod primus homo depravavit, ſcilicet vitæ naturalis: ſed hoc Chriſtus reparavit, dando Spiritum ſanctum. Nec eſt intelligendum quod (*b*) huiuſmodi flatus Chriſti fuerit Spiritus ſanctus, ſed ſignum eius. Unde Auguſtinus dicit IV. de Trinitate: „ Flatus ille corporeus ſubſtantia Spiritus ſancti non fuit; ſed demonſtratio per congruam ſignificationem (*c*) non tantum a Patre, ſed etiam a Filio procedere Spiritum ſanctum. “

Notandum autem, quod ſuper Chriſtum Spiritus ſanctus miſſus eſt primo quidem in columbæ ſpecie in baptiſmo, ſupra III. & in ſpecie nubis in transfiguratione, Matth. XVII. Cuius ratio eſt, quia gratia Chriſti, quæ datur per Spiritum ſanctum, derivanda erat ad nos per propagationem gratiæ in ſacramentis; & ſic deſcendit in ſpecie columbæ in baptiſmo, quæ eſt animal fecundum: & per doctrinam; & ſic deſcendit in nube lucida. Unde & ibi oſtenditur doctor: unde dicit (ibid. 5.) „ Ipſum audite. “ Super Apoſtolos autem primo deſcendit in flatu, ad deſignandam propagationem gratiæ in ſacramentis, cuius ipſi miniſtri erant: unde dicit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Matth. ult. 19. „ Euntes ergo baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. “ Secundo vero in igneis linguis ad ſignificandam propagationem gratiæ per doctrinam. Unde dicit Act. II. quod poſtquam repleti ſunt (*d*) Spiritu ſancto, ſtatim cœperunt loqui.

Secundo ponit dationis verba, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum*.

Sed numquid hic acceperunt Spiritum ſanctum? Videtur quod non: quia cum nondum aſcendiſſet in altum, non debuit dona dare hominibus. Et quidem, ſecundum Chryſoſtomum, quidam dicunt, quod Chriſtus non dedit eis hic Spiritum ſanctum; ſed præparavit eos ad dationem futuram in Pentecoſte. Et moventur ad hoc, quia Daniel. X. dicitur, quod non potuit ſuſtinere viſionem Angeli: unde iſti niſi præparati (*e*) non potuiſſent ſuſtinere Spiritus ſancti adventum. Sed tamen ipſe Chryſoſtomus dicit: „ Spiritus ſanctus datus fuit diſcipulis non communiter ad omnia; ſed ad aliquem effectum, “ ſcilicet ad dimittendum peccata: ſicut Matth. X. ad faciendum miracula. Auguſtinus autem, & Gregorius dicunt, quod Spiritus ſanctus habet duo præcepta dilectionis, ſcilicet Dei, & proximi: & ideo primo datus fuit in terra ad deſignandum præceptum dilectionis proximi; ſecundo de cælo ad deſignandum præceptum dilectionis Dei.

Tertio ponitur dationis fructus: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: quod conveniens effectus eſt Spiritus ſancti, ſcilicet remiſſio peccatorum: nam ipſe caritas eſt, & per eum nobis datur caritas. Rom. V. 5. „ Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. “ Remiſſio autem peccatorum non fit niſi per caritatem. Quia (Prov. X. 12.

„ uni-

(a) *Al.* Apoſtolicum. (b) *Al.* huius. (c) *Al.* non tamen. (d) *Al.* Sapientiæ. (e) *Al.* deeſt non.

„ univerſa delicta operit caritas. " I. Petri IV. 8. „ Caritas operit multitudinem peccatorum.

Hic ergo primo quæritur de hoc quod dicit, *Quorum remiſeritis peccata*; cum ſolus Deus peccata remittat. Ad hoc aliqui dicunt, quod ſolus Deus culpam; ſed ſacerdos abſolvit tantum a reatu pœnæ, & denuntiat eum abſolutum a macula culpæ. Sed hoc non eſt verum: nam ſacramentum pœnitentiæ, cum ſit ſacramentum novæ legis, confert gratiam, ſicut & in baptiſmo confertur; ſed in baptiſmo ſacerdos baptizat inſtrumentaliter, & tamen confert gratiam: ergo ſimiliter in ſacramento pœnitentiæ ſacramentaliter, & miniſterialiter abſolvit a pœna, & culpa, inquantum dat ſacramentum in quo peccata dimittuntur. Quod autem dicitur, quod ſolus Deus peccata dimittit, verum eſt auctoritate. Sic etiam ſolus Deus baptizat; ſed ſacerdos miniſterio, ut dictum eſt.

Item quæritur de hoc quod dicit: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Videtur ergo quod qui non habet Spiritum ſanctum non poſſit peccata dimittere. Ad quod dicendum, quod ſi remiſſio peccatorum eſſet proprium opus ſacerdotis, ideſt quod ex ſua virtute hoc faceret; non utique poſſet ſanctificare niſi ſanctus. Remiſſio autem peccatorum eſt proprium opus Dei, qui propria virtute & auctoritate peccata dimittit; ſacerdotis autem non eſt niſi ſicut inſtrumenti. Sicut ergo dominus per ſervum & miniſtrum ſuum, ſive ſit bonus, ſive malus, poteſt facere voluntatem ſuam ad exequendum aliqua; ita & Dominus per miniſtros, etiam ſi mali ſint, poteſt ſacramenta conferre, in quibus datur gratia.

Item quæritur de hoc quod dicitur: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Ad quod dicendum eſt, quod, ſicut dictum eſt, ſacerdos in ſacramentis agit ſicut miniſter Dei. I. Corinth. IV. 1. „ Sic nos exiſtimet homo, „ ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores my- „ ſteriorum Dei. " Eodem ergo modo quo Deus remittit, & retinet peccata, ſimul & ſacerdos. Remittit autem Deus peccata largiendo gratiam; ſed dicitur retinere non largiendo eam propter impedimentum ex parte recipientis: ſic & miniſter remittit peccata, inquantum impendit ſacramentum Eccleſiæ; & retinet, inquantum aliquos indignos oſtendit ſacramentorum receptione.

LECTIO V.

(a) THomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Ieſus.

(b) Dixerunt ergo ei alii diſcipuli, Vidimus Dominum.

(c) Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

(a) POſita Salvatoris apparitione, hic agit Evangeliſta de diſcipuli dubitatione. Et primo ponitur diſcipuli abſentia; ſecundo ponitur ſibi facta denuntiatio, ibi, *Dixerunt ergo ei alii diſcipuli, Vidimus Dominum*; tertio obſtinata eius dubitatio, ibi, *Ille autem dixit &c.* Abſens autem diſcipulus deſcribitur primo ex nomine, quia *Thomas*, qui interpretatur abyſsus, ſive geminus. In abyſſo autem duo ſunt, ſcilicet profunditas, & obſcuritas. Abyſſus ergo Thomas (a) propter obſcuritatem infidelitatis, quam habet ex ſe. Item abyſſus ex profunditate miſerationis, quam habet a Chriſto: unde de hoc dicitur in Pſal. XLI. 8. „ Abyſſus" profunditatis, ſcilicet Chriſtus, „ abyſſum " obſcuritatis, ſcilicet Thomam, „ invocat" miſerando; & „ abyſſus " obſtinationis, ſcilicet Thomas, „ abyſſum " profunditatis, ſcilicet Chriſtum, „ invocat " confitendo. Secundo ex dignitate, quia *unus ex duodecim*, non quod tunc duodecim eſſent, quia iam Iudas interierat, Matth. XXVII. ſed dicitur unus de duodecim, quia erat electus ad eam dignitatem quam Deus ſacraverat duodenario numero. Luc. VI. 13. „ Elegit duodecim, quos Apoſtolos nomina- „ vit. " Et hunc numerum Deus voluit ſemper eſſe integrum. Tertio ex interpretatione: *Qui dicitur Didymus*. Thomas enim eſt nomen Syrum, vel Hebræum, & habet duas interpretationes, ſcilicet geminus, & abyſſus. Geminus autem Latine, Græce dicitur Didymus: & ideo quia Ioannes in Græco ſcripſit Evangelium, poſuit *Didymus*. Dicitur autem geminus, quia forte fuit de tribu Benia-

(a) *Al. deeſt* propter.

niamin, in qua aliqui vocabantur gemini; vel etiam omnes. Vel poteſt hoc referri ad eius dubitationem: quia qui certus eſt, firmatus eſt in unam partem, ſed qui dubitat accipit unam partem cum formidine alterius. Iſte ergo Thomas *non erat cum eis*, ſcilicet diſcipulis, *quando venit Ieſus*: tardius enim rediit quam alii qui de die diſperſi erant; & ſic amiſit ſolatium dominicæ viſionis, pacis eulogium, & ſancti Spiritus afflatum. Inſtruimur autem per hoc a ſocietate ſeparari non debere. Hebr. x. 25. „ Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut eſt conſuetudinis quibuſdam." Sed, ut Gregorius dicit, non hoc caſu, ſed divina geſtum eſt voluntate, ut electus diſcipulus tunc deeſſet, ſed divinæ pietatis diſpenſatione, ut ſcilicet diſcipulus dubitans dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Unde in hoc apparent potiſſima ſigna altiſſimæ pietatis Dei. Et primo in hoc quod intantum diligit genus humanum, quod aliquando permittit aliquas tribulationes fieri electis ſuis, ut inde aliquod bonum humano generi proveniat. Propter hoc enim Apoſtolos, Prophetas, & ſanctos Martyres permiſit affligi. Oſeæ vi. 5. „ Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei." II. Corinth. i. 6. „ Sive tribulamur pro veſtra exhortatione, & ſalute, ſive conſolamur pro veſtra conſolatione, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum quas & nos patimur." Sed, quod adhuc mirabilius eſt, permittit aliquem ſanctum labi in peccatum propter inſtructionem: ut quid enim permiſit aliquos ſanctos, & iuſtos viros graviter peccaſſe (ſicut quod David adulter fuit, & homicida) niſi quod ex hoc inſtructi cautiores ſimus, & humiliores? ut qui exiſtimat ſtare, videat ne cadat; & qui cecidit, (*a*) adiiciat ut reſurgat. Unde Ambroſius dixit Theodoſio Imperatori: „ Secutus es errantem, ſequi ſtudeas pœnitentem." Et ideo dicit Gregorius, quod plus profuit nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium diſcipulorum.

(b) Conſequenter cum dicit, *Dixerunt ergo ei alii diſcipuli, Vidimus Dominum*, ponit denuntiationem. Quia ſtatim non venit Thomas, *dixerunt autem ei alii diſcipuli, Vidimus Dominum*. Et hoc eſt ex ordinatione divina, ut quod unus accipit a Deo, communicet aliis. I. Petr. iv. 10. „ Unuſquiſque gratiam quam accepit, in alterutrum illam adminiſtrantes." Et Eſai. xxii. 10. „ Quæ audivi a Domino exercituum Deo Iſrael, annuntiavi vobis." Geneſ. xxxii. 30. „ Vidi Dominum, & ſalva facta eſt anima mea."

(c) Conſequenter cum dicit, *Ille autem dixit eis &c.* ponitur obſtinata Thomæ dubitatio. Et quidem ſatis fuiſſet excuſabilis, quod non ſtatim credidit: quia, ut dicitur Eccli. xix. 4. „ qui cito credit, levis eſt corde." Sed multum inveſtigare, præſertim ubi de ſecretis Dei agitur, groſſities mentis eſt. Proverb. xxv. 27. „ Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum; ſic qui perſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur a gloria." Eccli. iii. 22. „ Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed quæ præcepit Deus tibi, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus." Circa Thomam conſiderandum eſt, quod durus fuit ad credendum, & irrationabilis ad petendum. Durus quidem, quia noluit credere niſi ſenſibili argumento, & non tamen unius ſenſus, ſed duorum, ſcilicet viſus, quia *niſi videro in manibus eius fixuram clavorum*; & tactus, *& mittam manum meam in latus eius, non credam*. Irrationabilis vero fuit, quia petebat vulnera videre ad comprobationem fidei; cum maius videret, ſcilicet totius hominis reſuſcitati reparationem. Et licet hoc Thomas propter ſui dubietatem diceret, tamen hoc divinitus factum eſt propter noſtram utilitatem, & ædificationem. Certum eſt enim quod qui ſe totum hominem reparavit reſurgendo, potuit etiam vulnerum cicatrices extergere; ſed ſervatæ ſunt propter noſtram utilitatem.

LECTIO VI.

(a) ET poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.

(b) Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.

(c) Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

(d) Dixit ei Ieſus: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti.

(e) Beati

(a) *Al.* alliciat.

Digitized by Google

(e) Beati qui non viderunt, & crediderunt.

(f) Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis quia Ieſus Chriſtus eſt Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.

(a) Hic agitur de ſecunda apparitione dominica, qua apparuit omnibus diſcipulis præſente Thoma. Et primo ponit Chriſti apparitionem; ſecundo diſcipuli confirmationem, ibi, *Deinde dixit Thomæ &c.* tertio eorum quæ dicta ſunt in Evangelio, recapitulationem, ibi, *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus &c.* Circa primum tria facit. Primo deſcribit apparitionis tempus; ſecundo manifeſtat perſonas quibus apparuit; tertio modum apparitionis oſtendit. Tempus quidem, quia *poſt dies octo*, ſcilicet a die reſurrectionis dominicæ, in cuius ſero facta fuit prima apparitio. Cuius quidem una ratio litteralis eſt, ut oſtenderet etiam Evangeliſta quod licet Chriſtus pluries apparuiſſet diſcipulis, non tamen continue converſatus eſt cum eis, cum non ad eumdem vivendi modum ſurrexerit, ſicut nec nos ad eamdem vitam reſurgemus. Iob XIV. 14. „ Cunctis „ diebus quibus nunc milito, expecto do- „ nec veniat immutatio mea. “ Secundo ut Thomas interim audiens a diſcipulis apparitionem præcedentem, accendatur ad maius deſiderium, & fidelior fieret ad credendum. Alia ratio myſtica eſt, (a) qua huiuſmodi apparitio illam deſignat quia nobis apparebit in gloria. I. Ioan. III. 2. „ Cum apparuerit, „ ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum „ ſicuti eſt. “ Quæ quidem apparitio erit in octava ætate reſurgentium. Quibus autem apparuit oſtendit ſubdens: *Iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis*. Ubi notandum, quod Thomas ſolus hac apparitione indigebat; non tamen ei ſingulariter Dominus apparuit, ſed in congregatione exiſtenti, ad deſignandum quod ſingularitates non ſunt multum Deo acceptæ, ſed hi qui in communitate caritatis exiſtunt. Matth. XVIII. 20. „ Ubi fuerint duo vel tres congregati in „ nomine meo, ibi ſum in medio eorum. “ Similiter etiam hi quibus nunc apparet non ſunt collecti ſimul unum, ſic nec in ipſa apparitione ſimul in omnes fuerunt; ſed in futura ſimul omnes erunt, ita quod nullus deerit. Matth. XXIV. 28. „ Ubi fuerit corpus „ illic congregabuntur & aquilæ. “ Et infra (verſ. 31.) „ Mittet Angelos ſuos cum „ tuba, & voce magna, & congregabunt „ electos eius a quatuor ventis a ſummis cæ- „ lorum uſque ad terminos eorum. “ Modum autem apparendi oſtendit dicens: *Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis*: quod ſupra eſt expoſitum. Nihilominus tamen ponit circa hoc tria: nam primo ponit modum veniendi, quia *ianuis clauſis*, quod miraculoſe factum eſt, ut dicit Auguſtinus, ea virtute qua ſuper mare ſiccis pedibus ambulavit; ſecundo modum ſtandi, quia *in medio*, ut ab omnibus videretur; & decebat ut in medio ſtaret; tertio modum loquendi, quia *Pax vobis*, ſcilicet reconciliationis, quam annuntiavit factam ad Deum. Rom. V. 10. „ Reconciliati ſumus Deo per „ mortem Filii eius. “ Coloſſ. I. 20. „ Pa- „ cificans per ſanguinem crucis eius ſive quæ „ in cælis, ſive quæ in terris ſunt. “ Item æternitatis, & immortalitatis futuram, quam promiſit eis (b) habendam. Pſal. CXLVII. 14. „ Qui poſuit fines tuos pacem. “ Item caritatis, & unitatis, quam præcepit eis ſervandam. Marc. IX. 49. „ Pacem habe- „ te inter vos. “

(b) Hic ponitur confirmatio, & revocatio diſcipuli dubitantis: in quo apparet ſecundum ſignum divinæ pietatis, quod electis ſuis in caſu cito ſubvenit, licet cadant. Cadunt enim electi aliquando, ſicut & reprobi; ſed differenter: quia reprobi franguntur; electis vero cito Dominus ſupponit manum ſuam, ut reſurgant. Pſal. XXXVI. 24. „ Cum „ ceciderit iuſtus, non collidetur, quia Do- „ minus ſupponit manum ſuam. “ Item (Pſal. XCIII. 18.) „ Si dicebam, Motus eſt pes meus; „ miſericordia tua, Domine, adiuvabat me. “ Et ideo ſtatim ſupponit Thomæ lapſo manum, ita ut cum diceret, *Niſi videro non credam*, revocat dicens: *Infer digitum tuum huc*. Et circa hoc tria ponuntur. Primo cicatricum exhibitio; ſecundo Thomæ confeſſio, ibi, *Reſpondit Thomas &c.* tertio tarditatis eius reprehenſio, ibi, *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti*. Notandum autem circa primum, quod Thomas petiit conditiones ut crederet, ſcilicet videre, & palpare cicatrices, ut dictum eſt; & ſi hoc ſibi fieret, promiſit ſe crediturum. Et ideo Dominus, cum hæc diceret, præſentia ſuæ divinitatis aſſiſtens, ſervatis illis conditionibus revocat eum. Unde primo exhibet conditionem; ſecundo petit promiſſi ſolutio-

(a) *Al.* huius. (b) *Al.* habituram.

lutionem, ibi, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Conditio fuit palpare cicatrices, & ideo dicit: *Infer digitum tuum.*

Sed hic oritur dubitatio : quia in corporibus glorificatis nullus poteſt eſſe defectus ; cicatrices autem ſunt defectus quidam : quomodo ergo fuerunt in corpore Chriſti ? Ad hoc reſpondet Auguſtinus in Libro de Symbolo, ſic dicens : „ Poſſet autem de corpore ſuſcitato, „ & glorificato omnem maculam cuiuslibet „ cicatricis in ſuo corpore abſtergere ; ſed „ ſciebat quare cicatrices in ſuo corpore ſer- „ varet. Primo quidem ut demonſtraret Tho- „ mæ non credenti, niſi tangeret, & vide- „ ret ; deinde vero ad exprobrandum infide- „ libus & peccatoribus in iudicio . Non ut „ eis dicat ſicut Thomæ : Quia vidiſti me , „ credidiſti : ſed ut convincens eos dicat : „ Ecce hominem quem crucifixiſtis : videte „ vulnera quæ infixiſtis , agnoſcite latus „ quod pupugiſtis : quoniam & propter vos „ apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis. “

Iuxta hoc etiam quæritur , utrum in corporibus martyrum remaneant veſtigia vulnerum ? Sed ad hoc ſimiliter reſpondet Auguſtinus XXII. de Civitate Dei, quod remanebunt quidem, non ad turpitudinem, ſed ad immenſum decorem , ſic dicens : „ Non hoc in eis „ deformitas , ſed dignitas erit ; & quidem „ in corpore, non corporis, ſed virtutis pul- „ chritudo fulgebit . Nec ideo tamen ſi ali- „ qua martyribus amputata , vel ablata ſunt „ membra , ſine ipſis membris erunt in re- „ ſurrectione mortuorum: quibus dictum eſt : „ Capillus de capite veſtro non peribit : ſed „ ubi membra , ut præciderentur percuſſa „ ſunt, vel ſecta, ibi cicatrices ; ſed in eiſ- „ dem membris redditis , non perditis appa- „ rebunt . “

Sed, ſecundum Gregorium , cum quod incorruptibile eſt, palpari non poſſit , quomodo Dominus corpus ſuum, quod incorruptibile erat, palpandum præbuit ? Rom. VI. 9. „ Chri- „ ſtus reſurgens ex mortuis iam non mori- „ tur . “ Unde hac ratione motus Entiches hæreticus dixit , quod corpus Chriſti, & corpora omnium reſurgentium non erunt palpabilia , ſed ſubtilia , & ſpiritualia ad modum venti , & ſpirituum . Sed quia hoc eſt contra illud quod Dominus dicit Luc. ult. 39. „ Palpate , & videte quia ſpiritus carnem , „ & oſſa non habet : “ incorruptibilem ergo, & palpabilem ſe Dominus demonſtravit , ut oſtenderet corpus ſuum eſſe poſt reſurrectionem eiuſdem naturæ, quod fuerat corruptibile, & induerat incorruptionem, I. Corinth. XV. & alterius gloriæ : quia quod craſſum , & ignobile fuerat , ſurrexit in gloria , & ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ.

Sed addit: *Et vide manus*, quæ pependerunt in cruce , *& mitte in latus* , lancea perforatum , & cognoſce me illum eumdem eſſe qui pependit in cruce . Myſtice autem per digitum diſcretio deſignatur, per manus opus noſtrum. Monet ergo & digitum, & manus in latus ſuum mittere, ut quicquid nobis eſt diſcretionis , & operis , in Chriſti ſervitium expendamus. Galat. ult. 14. „ Mihi autem ab- „ ſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ie- „ ſu Chriſti. “ Et petit promiſſi ſolutionem, dicens: *Et noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Apocal. II. 10. „ Eſto fidelis uſque ad mortem. “

(c) Conſequenter cum dicit, *Reſpondit Thomas &c.* ponitur Thomæ confeſſio: ubi apparet quod ſtatim factus eſt Thomas bonus Theologus , veram fidem confitendo : quia humanitatis Chriſti , cum dicit, *Dominus meus* . Sic enim vocabant eum ante paſſionem . Supra XIII. 13. *Vos vocatis me, Magiſter , & Domine* . Item divinitatis: quia *Deus meus* . Ante enim non vocabant eum Deum, niſi quando Petrus dixit Matth. XVI. 16. „ Tu es Chriſtus Fi- „ lius Dei vivi . “ I. Ioan. ult. 20. „ Hic „ eſt verus Deus, & vita æterna . “ Pſalm. CXVII. 28. „ Deus meus , & confitebor ti- „ bi . “

(d) Tarditatem autem Thomæ Dominus arguit dicens: *Quia vidiſti me, Thoma , credidiſti*: & primo reprehendit eius tarditatem ; ſecundo commendat aliorum ad credendum facilitatem , ibi , *Beati qui non viderunt , & crediderunt* . Dicit ergo: *Quia vidiſti me* .

Ubi eſt una dubitatio , quia cum fides ſit ſubſtantia ſperandarum rerum , argumentum non apparentium, ut dicitur Hebr. XI. quomodo hic (a) Dominus dicit : *Quia vidiſti me , credidiſti?* Sed dicendum quod aliud vidit, & aliud credidit . Vidit hominem , & cicatrices , & ex hoc credidit divinitatem reſurgentis.

Sed ſecunda dubitatio eſt, quia Thomæ petenti , *Niſi videro, & tetigero* , Deus utrumque exhibuit , ſcilicet tactum , & viſum : ergo debuit dicere, quia vidiſti, & tetigiſti, credidiſti . Reſpondeo dicendum, ſecundum Auguſtinum , quod ſenſu viſus utimur pro quolibet ſenſu : dicimus enim: Vide quomodo calet, quomodo ſonat , quomodo ſapit , quomodo redolet . Dicit ergo : *Infer digitum tuum huc , & vide*, non quod in digito ſit viſus; ſed dicitur quaſi, Tange , & experire ; ita & hic, *Quia vidiſti me*; ideſt, quia expertus es etiam

per

(a) *Al.* Dominus Chriſtus.

by Google

per tactum. Vel dicendum, quod Thomas videns vulnera, & cicatrices confuſus eſt in ſeipſo, & antequam poneret digitum, credidit, & dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Sed tamen Gregorius dicit, quod tetigit, & ad viſum confeſſus eſt.

(e) Conſequenter cum dicit, *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, commendat facilitatem aliorum ad credendum; & hoc ſpecialiter ad nos pertinet. Utitur autem præterito pro futuro propter certitudinem.

Sed contra hoc Luc. x. 23. dicitur: „ Beati „ oculi qui viderunt quæ vos videtis. “ Ergo magis beati qui viderunt quam qui non viderunt. Reſpondeo, quod duplex eſt beatitudo. Una eſt rei, quæ conſiſtit in munere divino, de quo quanto alicui plus conceditur, tanto beatior eſt; & ſic quantum ad hoc beati (a) ſunt oculi qui vident, quia hoc eſt munus gratiæ. Alia eſt beatitudo ſpei, quæ conſiſtit in merito: unde ſecundum hanc tanto quis eſt beatior, quanto poteſt plus mereri. Plus autem meretur qui credit, & non vidit, quam qui videns credit.

(f) Hic ponitur epilogus: & primo ponitur inſufficientia huius ſcripturæ; ſecundo eius utilitas, ibi, *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis &c.* Inſufficientia quidem apparet, quia multa & alia fecit Ieſus ſigna, & facta quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Iob xxvi. 14. „ Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum „ eius: & cum vix parvam ſtillam ſermonis „ eius audierimus, quis poterit tonitruum „ magnitudinis illius intueri? “ Eccli. xliii. 36. „ Multa ſunt abſcondita maiora his: pau„ ca enim videmus eius. “ Sed ſecundum Chryſoſtomum, hoc ideo dicit, quia pauciora miracula narrat Ioannes quam alii Evangeliſtæ. Et ideo ne videretur ea negare, dicit hoc; & ideo ſpecialiter ſubdit: *Quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* Vel hoc refertur ad paſſionem, & reſurrectionem; quaſi, multa oſtenſiva ſuæ reſurrectionis poſt reſurrectionem fecit in conſpectu diſcipulorum, quæ non oſtendit aliis. Actor. x. 40. „ Dedit eum „ manifeſtum fieri non omni populo, ſed te„ ſtibus præordinatis a Deo. “ Ponitur & huius utilitas, quia effectus fidei: quia *hæc ſcripta ſunt ut credatis quia Ieſus Chriſtus eſt Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Ad hoc enim eſt tota Scriptura novi, & veteris teſtamenti. Pſal. xxxix. 9. „ In capite libri ſcriptum eſt de me. “ Supra v. 39. *Scrutamini Scripturas ..... quoniam ipſæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Item fructus vitæ, quia *ut credentes vitam habeatis*: hic vitam iuſtitiæ, quæ habetur per fidem: Habac. ii. 4. „ Iuſtus autem meus ex „ fide vivit: “ & in futuro vitam (b) ſpeciei, quæ habetur per gloriam; & *in nomine eius*, ſcilicet Chriſti. Actor. iv. 12. „ Non eſt „ aliud nomen ſub cælo in quo oporteat nos „ ſalvos fieri. “

CAPITIS VIGESIMIPRIMI

LECTIO I.

(a) POſtea manifeſtavit ſe iterum Ieſus diſcipulis ad mare Tiberiadis.

(b) Manifeſtavit autem ſic. Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex diſcipulis eius duo.

(c) Dixit eis Simon Petrus, Vado piſcari. Dicunt ei, Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim, & illa nocte nihil prendiderunt.

(d) Mane autem facto, ſtetit Ieſus in littore, non tamen cognoverunt diſcipuli quia Ieſus eſt.

(e) Dixit ergo eis Ieſus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei, Non. Dixit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.

(a) *Al. omittitur* ſunt. (b) *Al.* ſpei.

Digitized by Google

(a) POſitis duabus apparitionibus Chriſti ad diſcipulos, hic ponit Evangeliſta tertiam apparitionem. Et ſi ordinem, & finem harum apparitionum conſideremus, patet quod in prima oſtendit ſuæ divinitatis auctoritatem, Spiritum ſanctum ibi inſufflando; in ſecunda perſonæ identitatem, cicatrices oſtendendo; in tertia naturæ reſurgentis veritatem, cum eis eomedendo. Dividitur autem hæc pars in duas. In prima oſtendit quid communiter diſcipulis pluribus Dominus exhibuit; in ſecunda quid ſpecialiter duobus prædilectis, ibi, *Cum ergo prandiſſent &c.* Circa primum primo ponitur apparitionis titulus; ſecundo apparitionis modus, ibi, *Manifeſtavit autem ſic*; tertio apparitionis epilogus, ibi, *Hoc iam tertio manifeſtatus eſt Ieſus*. In titulo autem tria deſignantur, ſcilicet tempus, modus, & locus. Tempus quidem, quia *poſtea*, ideſt poſt prædicta; quod ſignanter dicit, quia, ut dictum eſt, non continue erat cum eis, ſed per vices eis apparebat. Cuius ratio eſt, quia non ſurrexerat ad eamdem vitam, ſed ad glorioſam, in qua ſunt Angeli, & erunt beati. Dan. II. II. „ Exceptis diis „ (ideſt Angelis) quorum converſatio non „ eſt cum hominibus. "

Sed cum ſupra fecerit quamdam concluſionem, dicens, *Hæc autem ſcripta ſunt*; quare addit hic hanc narrationem? Ad hæc Auguſtinus aſſignat rationem myſticam. Per hanc enim apparitionem ſignificatur gloria futuræ vitæ, quando nobis apparebit ſicut eſt. Et ideo poſt finem hanc poſuit ut faceret evidentiorem locum quo illam daret intelligi.

Modum vero ponit, quia *manifeſtavit ſe iterum Ieſus ad mare Tiberiadis*. In natura enim corporis glorioſi eſt, (*a*) & virtute, ut poſſit videri, & non videri, ſicut vult, a corpore non glorioſo; & ideo dicit, *Manifeſtavit*; ideſt, ſe viſibilem præbuit. (*b*) Id hoc etiam modo dicitur apparere, quod idem eſt quod manifeſtari. Actor. I. 3. „ Per dies qua„ draginta apparens eis. " Nam, ut Ambroſius dicit, id apparet in cuius poteſtate eſt videri, & non videri. Locus autem eſt *ad mare Tiberiadis*, quod eſt mare Galilææ; ſed Tiberiadis dicitur a Tiberiade civitate ædificata in honorem Tiberii Cæſaris. Ponit autem hoc Evangeliſta primo quidem ut oſtendat completam eſſe promiſſionem factam diſcipulis, Matth. XXVIII. 7. „ Præcedet vos in „ Galilæam. " Secundo ut oſtendat quoniam Dominus plurimum timorem de cordibus diſcipulorum abſtulerat, ut de reliquo iam non in domo manerent incluſi; ſed longe procedunt uſque in Galilæam.

(b) Conſequenter cum dicit, *Manifeſtavit autem ſic*, ponitur ipſa apparitio: & primo ponuntur perſonæ quibus facta eſt; ſecundo ipſarum perſonarum officium, ibi, *Dixit eis Simon Petrus &c.* tertio apparitionis modus, ibi, *Mane autem facto ſtetit Ieſus in littore*, Perſonæ autem quibus ſe manifeſtavit, ſunt ſeptem; unde dicit: *Erant autem ſimul Simon Petrus*, qui negaverat, *& Thomas, qui dicitur Didymus*, qui in prima apparitione non fuerat, *& Nathanael, qui erat a Cana Galilææ*, qui, ut creditur, frater Philippi erat, de quo ſupra II. *& filii Zebedæi*, ſcilicet Iacobus, & Ioannes, *& alii ex diſcipulis eius duo*, qui non expreſſe nominantur. Per hunc autem numerum myſtice ſignificatur futuræ gloriæ apparitio, quæ erit poſt ſeptimam ætatem, ſcilicet in octava, quæ eſt reſurgentium. Eſa. ult. 23. „ Erit menſis ex menſe, „ & ſabbatum ex ſabbato; & veniet omnis „ caro ut adoret coram facie mea. „

(c) Officium autem quo occupati erant, eſt piſcationis: unde dicit: *Dixit eis Simon Petrus, Vado piſcari*. Et primo ponitur Petri invitatio ad hoc officium; ſecundo aliorum aſſenſus; tertio officii executio. Invitat quidem ad officium, dicens, *Vado piſcari*: per quod quidem myſtice ſignificatur prædicationis officium. Matth. IV. 19. „ Faciam vos fie„ ri piſcatores hominum. " Sic ergo dixit Petrus, *Vado piſcari*: per quod myſtice ſignificatur quod alios aſſumit in partem ſuæ ſolicitudinis, & prædicationis. Exod. XVIII. 22. „ Levius tibi ſit partito in alios (*c*) onere. "

Sed contra. Luc. IX. 62. „ Nemo mit„ tens manum ſuam ad aratrum, & reſpi„ ciens retro, aptus eſt regno Dei. " Conſtat autem quod Petrus dimiſerat piſcationem: quomodo ergo rediit, & (*d*) reſpexit retro? Reſponſio, ſecundum Auguſtinum. Si rediiſſet ad officium piſcationis ante reſurrectionem Chriſti, & vulnerum inſpectionem, putaremus eum ex deſperatione hoc feciſſe. Nunc vero poſt eum ſibi de ſepulcro redditum vivum, poſt inſpecta vulnerum loca, & acceptum eius inſufflatione Spiritum ſanctum, facti ſunt ſicut fuerant piſcium piſcatores. Per quod datur intelligi quod prædicator poteſt ex arte ſua licita victum neceſſarium quærere, ſui apoſtolatus integritate ſervata, ſi aliunde non habeat. Si enim beatus Paulus, ut alios non gravaret, artem quam non noverat, didicit, ut ſibi neceſſarium acquireret victum; quanto magis Petrus de arte ſua licita potuit hoc facere?

Sed dicit, quod hoc eſt faciendum quando non habet aliunde. Sed conſtat quod ſe ſem-

per

(a) *Al.* & virtutis. (b) *Al.* In hoc. (c) *Al.* honore. (d) *Al.* reſpexerat.

per habet, & habuit, quia Dominus promiſit dicens (Matth. vi. 33.) „Quærite primum „ regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vo„ bis,“ ſcilicet neceſſaria. Ad quod dicendum eſt, quod verum eſt quod adiiciuntur, ſed nobis cooperantibus: & ideo Dominus Petro cooperante hoc implevit. Nam quis alius piſces qui caperentur appoſuit niſi ipſe Dominus?

Sed notandum, ſecundum Gregorium, quod duplex eſt officium. Unum quod occupat mentem, & impedit ſpiritualia; & ad tale officium non eſt redeundum, nec eo procurandum victum; ſicut eſt vectigal, & huiuſmodi. Unde Matthæum non legimus rediiſſe ad telonium. Eſt autem & aliud quod ſine peccato, & mentis occupatione exerceri poteſt, ſicut eſt officium piſcationis huiuſmodi: & ideo hoc negotium poſt converſionem repetere, culpa non fuit.

Aſſenſus autem aliorum ponitur cum dicit: *Venimus & nos tecum*: in quo datur exemplum prædicatoribus, & prælatis (*a*) cohortandi ſe mutuo ad converſionem. Prov. xviii. 19. „Frater qui iuvatur a fratre quaſi „ (*b*) civitas firma.“ Eccli. l. 13. „Circa il„ lum corona fratrum quaſi plantatio cedri „ in monte Libano.“ Executio vero officii ponitur cum dicit: *Exierunt, & aſcenderunt in navim, & illa nocte nihil prendiderunt*. Et tangit tria quæ debent facere prædicatores. Primo quidem exire a peccatorum converſatione. II. Corinth. vi. 17. „Exite de medio „ eorum (ſcilicet Chaldæorum) & ſeparami„ ni, dicit Dominus, & immundum ne te„ tigeritis; & ego recipiam vos.“ A carnalium affectione. Gen. xii. 1. „Egredere de „ terra tua, & de cognatione tua, & de „ domo patris tui.“ Et a quietis contemplatione. Cant. vii. 11. „Egrediamur in a„ grum, commoremur in vineis: mane ſurga„ mus ad vineas &c.“ Secundo debent aſcendere in navem, ideſt proficere in caritate unitatis Eccleſiæ, quæ dicitur navis. I. Petr. iii. 20. In diebus Noe cum fabricaretur ar„ ca, in qua pauci, ideſt octo animæ ſalvæ „ factæ ſunt per aquam.“ Item in navi crucis, aſſumendo carnis mortificationem. Gal. ult. 14. „Mihi abſit gloriari niſi in cruce Do„ mini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi „ mundus crucifixus eſt, & ego mundo.“ Sap. xiv. 7. „Benedictum lignum per quod fit „ iuſtitia.“ Tertio totalis de adiutorio Chriſti fiducia: unde tota *nocte illa nihil prendiderunt*; quia quamdiu deeſt auxilium divinum, & interior prædicator, fruſtra laborat lingua prædicatoris; ſed tunc capiunt quando venit lux corda illuminans. Pſal. xlii. 3. „Emitte lu„ cem tuam, & veritatem tuam.“ Unde hoc modo nox dicitur carentia divini auxilii. Ioan. ix. 4. *Venit nox quando nemo poteſt operari*. Vel in *nocte*, ideſt in veteri teſtamento, *nihil prendiderunt*: quia non potuerunt gentes ad fidem (*c*) adducere. Rom. xiii. 12. „Nox „ præceſſit.“ Secundum autem Auguſtinum, de nocte piſcabantur: quia adhuc timidi erant.

(d) Modus (*d*) autem apparitionis, & ordo ponitur cum dicit: *Mane autem iam facto ſtetit Ieſus in littore*: & primo exhibet corporalem inſpectionem; ſecundo ſui cognitionem, ibi, *Pueri, numquid pulmentarium habetis*? tertio familiarem comeſtionem, ibi, *Dixit eis Ieſus: Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc*. Dicit ergo, *Mane autem iam facto*. Myſtice autem per mane intelligitur gloria reſurrectionis. Pſal. xxix. 6. „Ad veſperum „ demorabitur fletus, & ad matutinum læ„ titia.“ Item ſtatus vitæ æternæ. Pſal. v. 5. „Mane aſtabo tibi, & videbo.“

Sed cum ante paſſionem in ſimili miraculo non ſteterit in littore, ſed in navi; quare poſt paſſionem in littore ſtat? Cuius ratio eſt, quia mare commotionem præſentis ſæculi ſignificat; littus autem eſt terminus maris. Hier. xxii. 5. „Poſuit arenam terminum „ mari, præceptum ſempiternum, quod non „ præteribit.“ Chriſtus autem ante paſſionem in mare ſtetit, quia corpus mortale habebat; ſed poſt reſurrectionem iam corruptionem carnis exceſſerat; ideo in littore ſtetit.

Ex (*e*) ignorantia diſcipulorum eſt, quia *non cognoverunt eum, quia Ieſus eſt*. Per quod datur intelligi, quod in mari huius fluctuationis non poſſumus Chriſti ſecreta cognoſcere. Eſa. lxiv. 4. „Oculus non vidit, Deus, „ abſque te quæ præparaſti expectantibus „ te.“

(e) Conſequenter cum dicit, *Dixit ergo eis Ieſus &c.* inducit eos ad cognitionem ſuam. Et primo ponitur reductio ad ſui cognitionem; ſecundo ordo, ibi, *Dixit ergo diſcipulus ille quem diligebat Ieſus &c.* Circa primum tria facit. Primo ponitur Domini inquiſitio de plumento, dicentis: *Pueri, Numquid pulmentarium habetis*? Credebant enim diſcipuli quod non eſſet Chriſtus, ſed aliquis piſcium emptor; & ideo loquitur eis ut emptor. Myſtice autem a nobis pulmentum petit, unde reficiatur, quod eſt obedientia mandatorum Dei. Supra iv. 34. *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem eius qui miſit me, ut perficiam*

(a) *Al.* ſummopere ad converſionem peccatorum laborare. (b) *Al.* unitas. (c) *Al.* avertere. (d) *Al.* Modus autem apparitioni ponitur. (e) *Al.* Vel ignorantia.

opus eius. *Reſponderunt ei*, ſcilicet diſcipuli, *Non*, ſcilicet a nobis ipſis. Rom. VII. 18. „ Nam velle adiacet mihi, perficere autem „ bonum non invenio. “ Secundo mandatum: *Mittite in dexteram navigii rete*.

Sed Luc. v. ſimile habetur factum, non tamen præcepit eis ut mitterent ad dexteram, ſicut hic. Cuius ratio eſt, quia per hanc ſignificatur piſcatio per quam prædeſtinati trahuntur ad vitam æternam, ad quam non introducuntur niſi filii dexteræ. Prov. IV. 27. „ Vias quæ a dextris ſunt novit Dominus; „ perverſæ autem ſunt quæ a ſiniſtris ſunt. “ Pſal. CXVII. 16. „ Dextera Domini fecit vir„ tutem. “ In alia autem piſcatione ſignificabatur vocatio ad præſentem Eccleſiam; & ideo indifferenter ex omni parte mittitur rete, quia capiuntur, & trahuntur ad ipſum de ſingulis. Luc. XIV. 21. „ Exi cito in plateas, & vicos. “

Conſequenter ponitur obedientia diſcipulorum, cum dicit, *Miſerunt ergo rete*; & effectus obedientiæ, quia *iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium*, ideſt ſalvandorum. Gen. XXII. 18. „ Benedicentur „ in ſemine tuo omnes gentes, quia obediſti „ voci meæ. “ Apoc. IX. 7. „ Vidi turbam „ magnam, quam dinumerare nemo poterat. “ Differt autem hæc piſcatio ab illa de Luca, quia in illa rumpitur rete: ſic Eccleſia ſciſſuras patitur per diſſenſiones, & hæreſes. In iſta autem non rumpitur rete, quia in futura vita nulla erit ſciſſura. Item in illa piſces trahuntur ad navem. In iſta autem ad littus, quia ſancti qui ſunt in illa gloria, occulti ſunt nobis. Pſal. XXX. 21. „ Abſcondes „ eos in abſcondito faciei tuæ a conturbatio„ ne hominum. “

LECTIO IV.

(a) DIxit ergo diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, Petro, Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alii autem diſcipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium.

(b) Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem.

(c) Dixit eis Ieſus: Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.

(d) Dixit eis Ieſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum, Tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt.

(e) Et venit Ieſus, & accepit panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter.

(f) Hoc iam tertio manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cum ſurrexiſſet a mortuis.

(a) POſita inductione ad cognoſcendum Chriſtum, quæ fuit multitudo piſcium captorum, eis a Chriſto præſtita, hic conſequenter ponitur ordo recognitionis: & primo ponit quomodo in ea ſe habuit Ioannes; ſecundo quomodo ſe habuit Petrus; tertio quomodo ſe habuerunt alii diſcipuli. Ioannes autem ut perſpicax in cognoſcendo, ſtatim Chriſtum cognovit; & ideo dixit Petro quem præ ceteris diligebat, & etiam quia prior erat inter alios, *Dominus eſt*, motus ad hoc ex captura piſcium. Pſal. LXXX. 10. „ Tu dominaris poteſtati maris. “ Et alibi CXXXIV. 6. „ Omnia quæcumque voluit, „ Dominus fecit in cælo, & in terra, in ma„ ri, & in omnibus abyſſis. “ Dixit autem, *Dominus eſt*, quia iſto nomine ſoliti erant vocare eum. Supra XIII. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine*. Petrus vero ponitur fervens ad conſequendum, cuius fervor apparet primo quantum ad promptitudinem: unde dicit: *Simon Petrus, cum audiſſet quia Dominus eſt, ſuccinxit ſe, (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alii autem diſcipuli navigio venerunt*. Simon Petrus cum audiſſet non diſtulit, ſed ſtatim præparat ſe ad eundum. Eccli. VIII. 5. „ Ne tardes converti ad Domi„ num, neque differas de die in diem. “ Secundo quantum ad reverentiam eius ad Chriſtum: quia noluit nudus præ pudore accedere; ſed *tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus*, & propter caliditatem terræ, & propter expeditionem operis. Et per hoc datur intelligi quod venientes ad Chriſtum debent exuere veterem hominem, & induere novum qui ſecundum Deum creatus eſt in fide. Apoc. III. 5. „ Qui vicerit, veſtietur ſic ve„ ſtimentis albis, & non delebo nomen eius „ de

Digitized by Google

„ de libro vitæ. “ Tertio quantum ad eius ſecuritatem: quia ex nimia dilectione noluit cum navi ire, quia retardabatur; ſed *miſit ſe in mare*, ut citius perveniret ad Chriſtum.

Myſtice autem per mare ſignatur tribulatio præſentis ſæculi. Unde illi qui deſiderant pervenire ad Chriſtum, in mare ſe mittunt, non refugiunt tribulationes huius mundi. Actor. XIV. 21. „ Per multas tribulatio„ nes oportet intrare nos in regnum Dei.“ Eccli. II. 1. „ Fili accedens ad ſervitutem „ Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præ„ para animam tuam ad tentationem. “ Petrus autem miſit ſe in mare, & tamen illæſus pervenit ad Chriſtum: quia inter tribulationes ſecurus, & illæſus Chriſti ſervus evadit. Sap. XIV. 3. „ Dediſti in mari viam, „ & inter fluctus ſemitam firmiſſimam. “ Et, ut Chryſoſtomus dicit, ponitur hic optime conditio Ioannis, & Petri: quia Ioannes altior intellectu, Petrus ferventior affectu. Alii autem diſcipuli navigaverunt. Unde primo ponit quid fecerunt, quia *navigio venerunt*, quia minus ferventes Petro. Navigium ſignificat Eccleſiam. Sap. XIV.6.„ Spes „ orbis terrarum ad ratem confugiens remiſit „ ſæculo ſemen nativitatis. “ Et per hanc ſignatur Eccleſia, ut habetur I. Pet. III. *Alii vero navigio venerunt*, ideſt protecti ſocietate Eccleſiæ, quæ eſt terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Pſal. XXX. 21. „ Proteges eos „ in tabernaculo tuo a contradictione lin„ guarum. “ Secundo aſſignat rationem prædictorum cum dicit: *Non enim longe erant a terra, ſed quaſi cubitis ducentis, trahentes rete piſcium*. Quod poteſt eſſe ratio quare Petrus ſe miſit in mare, ſcilicet quia prope terram erat; vel quare iſti cito pervenerunt. Et quidem non longe erant, quia Eccleſia non longe eſt a terra viventium: eſt enim „ domus „ Dei, & porta cæli: “ Gen. XXVIII. 17. & terram illam ſancti quotidie contemplantur. II. Corinth. IV. 18. „ Non contemplantibus „ nobis quæ videntur, ſed quæ non viden„ tur. Philip. III. 20. „ Noſtra converſatio „ in cælis eſt. “ Et dicit, *Cubitis ducentis*: quod idem ſignificant duæ naves, Luc. V. ſcilicet duos populos: de quibus electi trahuntur ad vitam æternam. Epheſ. II. 15. „ Ut „ duos condat in ſemetipſo in unum novum „ hominem, faciens pacem, & reconcilians „ ambos in uno corpore Deo. “ Rete autem quo piſces trahuntur eſt doctrina fidei, qua quidem Deus trahit inſpirando interius: ſupra VI. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: & Apoſtoli exhortando, ut hic.

(b) Hic ponitur quomodo Chriſtus ſuis diſcipulis exhibet familiare convivium: & primo convivii præparatio; ſecundo Chriſti ad convivium invitatio, ibi, *Dixit eis Ieſus: Venite, & prandete*; tertio ipſa convivii refectio, ibi, *Venit Ieſus, & accepit panem &c.* Præparatio convivii deſcribitur primo quantum ad ea quæ a Chriſto præparata ſunt; ſecundo quantum ad ea quæ a diſcipulis ſunt allata, ibi, *Dixit eis Ieſus: Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc*. A Chriſto autem ſunt præparata tria. Primo piſcis, & panis: unde dicit: *Ut ergo deſcenderunt de navi in terram, viderunt prunas*, quas Chriſtus ſua poteſtate creaverat ex nihilo, vel ex aliqua præiacente materia formaverat.

Sed ſupra VI. pavit turbam de panibus multiplicatis; hic autem poſt paſſionem ſuam miraculoſe de novo creat, vel format: quia iam non eſt tempus infirmitatis oſtendendæ, ſed poteſtatis manifeſtandæ. Nam id quod ſupra fecit ante paſsionem, fuit condeſcenſionis, quia ſi voluiſset, potuiſſet de novo creare, vel formare.

Per hoc autem datur intelligi quod in convivio ſpirituali præparatur a Chriſto aliquid. Et ſi quidem convivium hoc ſumatur allegorice pro convivio Eccleſiæ, ſic Chriſtus iſta tria præparat: ſcilicet prunas caritatis: Proverb. XXV. 21. „ Hæc autem faciens, carbo„ nes ignis congeres ſuper caput eius. “ Ezech. X. 2. „ Imple manum tuam prunis i„ gnis.“ Has prunas Chriſtus de cælo portavit ad terras. Supra XIII. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. Item Luc. XII.49.„ Ignem veni mittere in teram.“ Item præparat piſcem, ſuppoſitis prunis, qui eſt Chriſtus: nam piſcis aſſus, eſt Chriſtus paſſus, qui ſuper prunas ponitur, quando ex incendio caritatis ad nos immolatur in cruce. Epheſ. V. 2. „ Obtulit ſemetipſum pro „ nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odo„ rem ſuavitatis. “ Item ibidem 1. „ Eſtote „ imitatores Dei ſicut filii cariſſimi, & am„ bulate in dilectione, ſicut & Chriſtus di„ lexit nos. “ Item præparat panes quibus reficitur, qui eſt ipſe. Nam inquantum Chriſtus latet per ſuam divinitatem, dicitur piſcis, cuius proprietas eſt latere ſub aquis: Eſa XLV. 15. „ Vere tu es Deus abſcondi„ tus: “ ſed inquantum nos reficit per doctrinam, & etiam dat nobis corpus ſuum in cibum, vere panis eſt. Supra IX. 6. *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi*. Eſa. XXX. 23. „ Panis frugum terræ tuæ erit uberrimus & „ pinguis. “ Sed ad hoc convivium debet afferri aliquid ex parte miniſtrorum Eccleſiæ, ſed tamen nihil, niſi præexiſtat nobis a Deo.

(c) Quid

Digitized by Google

(c) Quid autem afferatur, ſubdit: *Dixit eis Ieſus: Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc*. Et primo ponitur mandatum Domini; ſecundo executio diſcipuli. Præcipit autem ut afferant de piſcibus ab eis captis; quaſi diceret: Ego dedi donum caritatis, aſſavi corpus in cruce, & propoſui vobis panem doctrinæ, ex quo perficitur, & roboratur Eccleſia: veſtrum eſt ut vos alios capiatis; & iſti ſunt qui convertuntur ad prædicationem Apoſtolorum. Pſal. xxviii. 1. „ Afferte Domino filii Dei. “ Eſa. ult. 20. „ Adducetis omnes fratres veſtros de cunctis geutibus donum Domiuo. “

Si autem hoc convivium ſumatur pro convivio morali, ſic Chriſtus ad couvivium animæ præparat primum prunas caritatis. Rom. v. 5. „ Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. “ Luc. xii. 49. „ Ignem veni mittere in terram. “ Item piſcem, ideſt fidem abſconditam, cum ſit de non apparentibus, Heb. xi. Item panem, ideſt ſolidam doctrinam. Heb. xiv. 5. „ Perfectorum autem eſt ſolidus cibus. “ Ad quod convivium ex parte noſtra requiritur ut bene utamur gratia nobis conceſſa. I. Corinth. x. 14. „ Gratia Dei ſum id quod ſum; & gratia in me vacua non fuit. “ Unde præcipit: *Afferte de piſcibus*; ideſt, portetis veſtra bona opera, vobis data. Matth. v. 16. „ Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona. “ Et ideo conſequenter ponitur executio diſcipuli, ſcilicet Petri, qui ferventior erat: unde dicit: *Aſcendit autem Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus*. Aſcendit in gubernaculum Eccleſiæ. Cant. vii. 8. „ (*a*) Aſcendam, “ in ſtatum perfectionis. Pſal. lxxxiii. 7. „ Aſcenſiones io corde ſuo diſpoſuit. “ *Et traxit rete in terram*: quia ipſi ſancta Eccleſia eſt commiſſa, & ipſi ſpecialiter dicitur: *Paſce oves meas*: infra eodem. Quod ergo tunc Chriſtus aperit in voce dicens, *Paſce oves meas*, hoc ipſe nunc præfigurat in opere: nam ipſe piſces ad ſoliditatem littoris protrahit, quia ſtabilitatem æternæ patriæ fidelibus oſtendit. Sed dicit, *Rete plenum magnis piſcibus*: quia „ quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & magnificavit: “ Rom. viii. 30. Et Eccli. xliv. 3. „ Homines magni virtute, & prudentia ſua præditi, annuntiantes in Prophetis dignitatem, & imperaotes in præſeuti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſſima verba. “ In alia autem piſcatione non additur (*b*) numerus ſicut hic: fuerunt enim centum quinquaginta tres. Quia in vocatione ad præſentem Eccleſiam trahuntur boni & mali, ut dicitur Eccle. 1. 15. „ Stultorum infinitus eſt numerus. “ Unde Geneſ. xxii. 17. dicitur Abrahæ de illa vocatione: „ Erit ſemen tuum ſicut arena quæ eſt in littore maris, “ quæ ponitur in malam partem. Sed de iſta dicitur (Gen. xv. 5.) „ Inſpice ſtellas, & numera eas, ſi potes. “ Hi enim numerautur a Deo quaſi habiti in pretio. Pſal. cxlvi. 4. „ Qui numerat multitudinem ſtellarum. “

Sed numquid uon plures ſalvabuntur quam ceutum quinquaginta tres? Imo plures; ſed hic numerus aliquid myſtice ſignat. Nullus enim poteſt ad patriam venire niſi per obſervantiam Decalogi; nec hoc obſervari poteſt niſi per ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti: de quo Eſa. xi. 2. „ Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus couſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini. “ Sanctificatio autem primo legitur facta in ſeptimo die. Geneſ. ii. 3. „ Benedicens diei ſeptimo, ſanctificavit illum. “ Decem autem & ſeptem faciunt ſeptemdecim. Si ergo numeretur tali ordiue progreſſionis, ut primo accipias unum, & duo quæ faciunt tria, & tria quæ faciunt ſex, & quatuor quæ faciunt decem, & decem & quinque quæ faciunt quiodecim, & ſic deinceps addeudo numerum qui ſequitur uſque ad decem & ſeptem, numero coniuncto, habebis centum quiuquaginta tres. Vel aliter. Hi diſcipuli quibus Chriſtus apparuit eraut ſeptem. Multiplicando autem ſeptem per ſeptem (quæ ſuut dona Spiritus ſancti) fiunt quadraginta novem: quibus addas unum ad ſignificandum unitatis perſectionem, in qua eſſe debent filii Dei, qui ſpiritu Dei aguntur, fiunt quinquaginta: quibus triplicatis, & iterum additis tribus ad ſignificandum fidem Trinitatis, quæ in confeſſione cordis, & oris, & operis conſiſtit, fiunt centum quinqnaginta tres. Quia qui ſuut perfecti ſeptem donis Spiritus ſancti, & uniti in fide Trinitatis perveoiunt ad Patrem.

Sed dicit, *Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete*; in alia autem dicitur quod rumpebatur: quia in præſenti Eccleſia, quæ per illam ſignificatur, ſunt multæ ſciſſuræ ſchiſmatum, hæreſum, ſeditionum; ſed totaliter non rumpitur: quia „ ego vobiſcum ſum uſqne ad conſummationem ſæculi: “ Matth. ult. Sed iu futura patria quæ ſignificatur per iſtam,

ideſt

(a) Ibi: „ Aſcendam in palmam. “ (b) *Al.* murmur.

Digitized by Google

ideſt in illa pace ſanctorum, nulla erunt ſchiſmata. Pſal. xlvii. 14. „ Qui poſuit fines tuos „ pacem. “

(d) Conſequenter cum dicit, *Dixit eis Ieſus: Venite, prandete*, ponitur invitatio ad convivium præparatum: & primo ponitur Chriſti invitatio; ſecundo diſcipulorum in convivio diſpoſitio, ibi, *Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum*. Invitat autem ad convivium Chriſtus interius inſpirando per ſeipſum, dicens: *Venite, prandete*: Matth. xi. 28. „ Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos: “ Cant. v. 1. „ Comedite amici, bibite, & inebriamini „ cariſſimi: “ & exterius docendo, & exhortando per alios: Luc. xiv. 16. „ Homo quidam fecit cœnam magnam..... & miſit „ ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis „ ut venirent. “ Diſpoſitio diſcipulorum ponitur cum dicit: *Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum*: quod, ſecundum Auguſtinum, deſignat diſcipulorum de reſurrectione Chriſti certitudinem: quia ſcilicet ita certi erant quod Chriſtus eſſet, quod nullus diſcumbentium auſus eſt dubitare an ipſe eſſet. Et quia interrogatio eſt ſignum dubitationis, nullus audebat eum interrogare, *Tu quis es*? Supra xvi. 23. *In illo die me non interrogabitis quicquam*. Secundum Chryſoſtomum, ſignificat maiorem ſolito reverentiam diſcipulorum ad Chriſtum. Libenter interrogaſſent eum; ſed Chriſtus apparuit eis in quodam magnifico aſpectu, & mirabili gloria, ita ut non auderent eum interrogare præ ſtupore, & reverentia. Et hoc ſpecialiter detinebat eos ab interrogando, quia ſciebant *quoniam Dominus eſt*.

(e) Conſequenter cum dicit, *Et venit Ieſus, & accepit panem, & dabat eis*, ponitur ipſa refectio, quam habuerunt ipſo manducante. Pſal. cxliv. 16. „ Aperis tu manum „ tuam, & imples omne animal benedictio„ ne. “ Ipſe eſt enim qui dat eſcam illorum in tempore opportuno.

Sed numquid Chriſtus comedit cum eis? Dicendum quod ſic, licet hic non exprimatur. Luc. ult. expreſſe dicitur, quod comedit cum eis. Et Act. 1. 4. dicitur: „ Et conveſcens „ præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcede„ rent. “

Sed numquid fuit vera comeſtio? Reſponſio. Dicendum ad hoc, quod aliquis actus dicitur eſſe verus dupliciter; ſcilicet veritate ſignificationis, & veritate ſpeciei. Veritate quidem ſignificationis verum eſt actus qui configuratur rei ſignificatæ: ſicut ſi volo aliquid ſignificare (a) per orationem, & illud quod ſignifico eſt verum, & concordat rei ſignificatæ, (b) ſic oratio eſt vera veritate ſignificationis, licet non ſpeciei: ſicut hoc quod dixit Chriſtus (ſupra xv. 1.) *Ego ſum vitis vera*, verum eſt; licet non ſit vitis vera ſecundum ſpeciem vitis, (c) ſed tantum ſecundum quod vitis ſignificat. Secundum veritatem ſpeciei dicitur aliquid verum quod habet quæ pertinent ad ſpeciei veritatem. Huiuſmodi autem ſunt principia ſpeciei, non autem effectus eius conſequentes: ſicut locutio hæc, Homo eſt animal, primo modo vera eſt, quia verum ſignificat; ſed veritate ſpeciei non eſt vera, niſi formetur ab ore animalis loquentis organis debitis. Nec requiritur (d) ad eius veritatem effectus locutionis; puta quod audiatur, & huiuſmodi. Sic ergo dicendum eſt de comeſtione, quod aliqua eſt de veritate ſignificationis tantum, ſicut comeſtio Angelorum, quia in Angelis non ſunt membra ordinata ad comeſtionem; ſed verum eſt illud quod ipſi per hoc ſignificabant, ſcilicet deſiderium quod habebant de ſalute hominum. Comeſtio autem Chriſti poſt reſurrectionem vera fuit & veritate ſignificationis, quia ad hoc fiebat ut oſtenderet ſe habere naturam humanam, quam in veritate habebat, & veritate ſpeciei, quia habebat inſtrumenta propria ad comeſtionem. Sed tamen effectus conſequentes comeſtionem non erant ibi: quia cibus non fuit converſus in comedentem, cum haberet corpus glorificatum, & incorruptibile; ſed reſolutus fuit virtute divina in præiacentem materiam. Huiuſmodi autem effectus nihil faciunt ad veritatem ſpeciei, ut dictum eſt.

(f) Conſequenter cum dicit, *Hoc iam tertio manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis*, epilogat apparitiones. Et ſecundum Auguſtinum, ſi hoc quod dicitur, *Iam tertio*, referatur ad vices, non eſt verum: quia, ut dictum eſt, primo die apparuit quinque vicibus. Poſtea quidem octavo die quando Thomas erat cum eis: ſupra xx. ſecundo iuxta mare, ut hic; tertio in monte Galilææ, ut habetur Matth. ult. quarto recumbentibus: Marc. ult. quinto ipſo die aſcenſionis, quando videntibus illis elevatus eſt: Act. 1. Quamquam pluribus aliis vicibus apparuit eis per dies quadraginta, licet non ſit ſcriptum. Eſt ergo, *Hoc iam tertio*, referendum ad dies quibus apparuit: quia prima die apparuit ipſo die reſurrectionis; ſecunda die in octava ipſius reſurrectionis, ſupra xx. *Et poſt dies octo*; & tertia die apparuit hic. Vel dicendum, quod etiam referen-

(a) *Al.* per rationem. (b) *Al.* ſic omnino eſt vera veritate ſignificationis ſpeciei; ſic hoc &c. (c) *Al.* *omittitur* ſed tantum. (d) *Al.* ad eius effectus locutionis.

rendo ad vices ſalvatur veritas dicti: quia non legitur quod multis diſcipulis ſimul congregatis apparuit, niſi primo de ſero, cum fores eſſent clauſæ &c. & ſecundo poſt octo dies, quando erant diſcipuli congregati; & tertio hic: unde ſignanter dicit: *Manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis.*

LECTIO III.

(a) CUm ergo prandiſſent, dixit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis, diligis me plus his?

(b) Dixit ei. Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.

(c) Dixit ei: Paſce agnos meos.

(d) Dixit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dixit ei iterum: Paſce agnos meos. Dixit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei: Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oves meas.

(a) SUpra poſuit Evangeliſta quid Dominus diſcipulis communiter exhibuit; hic oſtendit quid ſpecialiter duobus prædilectis: & primo ponit quid exhibuit Petro; ſecundo quid exhibuit Ioanni, ibi, *Converſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus*. Circa primum duo facit. Primo iniungit ſibi paſtorale officium; ſecundo prænuntiat ſibi paſſionis martyrium, ibi, *Amen amen dico tibi &c.* Paſtorale autem officium iniungit, examinatione præmiſſa: & ideo qui ad hoc officium aſſumuntur, primo examinantur. I. Tim. v. 22. „ Manus nemini cito impoſue„ ris. " Sed ter examinat eum: & ideo ſecundum hoc, pars iſta dividitur in tres partes ſecundum tres examinationes. Partes patent. In prima autem primo ponitur quæſtio Domini; ſecundo reſponſio Petri, ibi, *Dixit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te*; tertio iniunctio officii, ibi, *Dixit ei: Paſce oves meas.* Circa primum tria conſideranda occurrunt. Primo ordo examinationis; ſecundo modus allocutionis; tertio de quo eſt examinatio. Ordo quidem, quia *cum prandiſſent*: in quo ſignatur ſpirituale convivium, in quo etiam (a) ſimul cum corpore anima per ſpiritualia dona reficitur. Apoc. III. 20. „ Intrabo ad „ eum, & cœnabo cum illo. " Et ideo conveniens eſt ut qui ad hoc aſſumitur officium, primo ſit iſto felici convivio refectus: alias enim ipſi famelici quomodo alios reficere poſſent? Hierem. XXXI. 14. „ Inebriabo animas „ ſacerdotum pinguedine: " illa, inquam, de qua in Pſal. LXII. 6. dicitur: „ Sicut adi„ pe & pinguedine repleatur anima mea. " Modus autem allocutionis ponitur cum dicit: *Dixit Simoni Petro*: ubi tria ponuntur quæ neceſſaria ſunt prælato. Obedientia, cum dixit, *Simoni*, qui interpretatur obediens, quæ eſt prælatis neceſſaria: nam qui neſcit ſuperioribus obedire, inferioribus neſcit imperare. Prov. XXI. 28. „ Vir obediens loque„ tur victorias &c. " Item ſcientia, cum dixit, *etro*, qui interpretatur agnoſcens: quod neceſſarium eſt prælato, quia ponitur ut ſpeculator; qui autem cæcus eſt, malus ſpeculator eſt. Eſa. LVI. 10. „ Speculatores eius „ omnes cæci. " Oſeæ IV. 6. „ Quia tu „ ſcientiam repuliſti, repellam te ego, ne ſa„ cerdotio fungaris mihi. " Item gratia, cum dicit, *Ioannis*, id eſt filius Ioannis: & hæc eſt, neceſſaria prælatis, quia ſine ea nihil habent. I. Corinth. XV. 10. „ Gratia Dei ſum id quod „ ſum. Gal. II. 9. „ Cum cognoviſſent gra„ tiam Dei, quæ data eſt mihi, Petrus, Ia„ cobus, & Ioannes, qui videbantur columnæ „ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ „ ſocietatis. " Examinatio autem eſt de dilectione: *Diligis me*, inquit, *plus his*? Et hoc quidem ſatis convenienter. Petrus prius in peccatum ceciderat, ut patet ſupra; nec idoneus erat ut præferretur, niſi prius eius culpa aboleretur: quod non fit niſi per caritatem. I. Pet. IV. 8. „ Caritas operit multitu„ dinem peccatorum. " Prov. X. 12. „ Uni„ verſa delicta operit caritas. " Et ideo oportuit ut per examinationem manifeſtaretur eius caritas, non ſibi qui ſcrutatur renes, & corda, ſed aliis: & ideo non quaſi ignorans dicit: *Diligis me plus his*? Sed quia, ut dicitur I. Ioan. IV. 18. „ perfecta caritas foras „ mittit timorem. " Inde eſt (b) quod Petro, qui cum Dominus moreretur, timuit, & negavit, reſurgens Dominus amorem inſeruit, & fugavit timorem. Ideo qui tunc negavit timens mori, reſurgente Domino nil ti-

(a) *Al.* Simul cum anima (b) *Al.* quod Petrus, qui cum Dominus moreretur timuit, & negavit. Et reſurgens Dominus &c. *Item*: Sed reſurgens Dominus &c.

Digitized by Google

timuit. Quid enim timeret, cum iam mortem mortuam reperiret? Congruit etiam hæc examinatio officio. Multi enim paſtorale officium aſſumentes, utuntur eo ſicut ſeipſos amantes. II. Tim. III. I. „ Inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes. " Et qui non amat Dominum, non eſt idoneus prælatus; ſed magis ille qui non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, & hoc amore eius. II. Corinth. v. 14. „ Caritas Chriſti urget nos. " Congruit etiam officio quantum ad utilitatem proximorum: ex abundantia enim caritatis eſt quod aliqui diligentes interdum quietem propriæ contemplationis intermittant, ut procurent proximorum utilitatem. Cum enim Apoſtolus diceret, Rom. VIII. 39. „ Certus ſum enim, quod neque mors poterit nos ſeparare a caritate Dei; " ſubdit (IX. 3.) „ Optabam ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis. " Et ideo neceſſaria eſt examinatio de dilectione ad prælatum. Addit autem, *Plus his*, quia, ut etiam ex Philoſopho habetur in Politica ſua, naturali ordine ille qui præ ſidet, & gubernat, debet excellentior eſſe: unde dicit, quod ſicut anima ſe habet ad corpus quod regit, & ratio ad inferiores, ſimiliter etiam homo ad animalia bruta; ſic ſe debet habere prælatus ad ſubditos. (*a*) Unde, ſecundum Gregorium, talis debet eſſe vita paſtoris quod in comparatione eius ſubditi ſint ſicut ſunt animalia ad comparationem ſui paſtoris. Et ideo dicit, *Plus his*, quia quanto plus diligit, tanto maior eſt. I. Reg. x. 24. „ Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis ei in omni populo. "

Sed numquid neceſſarium eſt in electione ſemper eligere ſimpliciter meliorem, etſi iura determinent quod ſufficit bonum eligere? Ad quod dicendum, quod duplici diſtinctione opus eſt. Nam aliquid ſufficit ſecundum iudicium humanum, quod tamen non ſufficit ſecundum iudicium divinum. Secundum iudicium humanum ſufficit illud de quo homo non poteſt accuſari, nec eius electio improbatur. Conſtat autem difficile eſſe fieri electiones, ſi poſſent reprobari ex hoc quod alius melior eſt quam ille qui electus eſt. Unde ſufficit ſecundum iudicium humanum, ut habetur in Decretali, quod electio ſit recta, & eligatur idoneus. Secundum vero iudicium divinum, & conſcientiam, neceſſarium eſt eligere meliorem. Sed tamen aliquis dicitur melior ſimpliciter; & ſic ille dicitur melior qui eſt ſanctior: ſanctitas enim facit bonum; ſed non eſt melior quantum ad Eccleſiam. Et quo ad hoc aliquis eſt melior, inquantum eſt (*b*) litteratior, competentior, & diſcretior, & magis concorditer eligitur. Sed ſi, ceteris paribus, quæ ſunt ad utilitatem Eccleſiæ, & melioritatem quantum ad hoc, aliquis minus bonum ſimpliciter præeligat alicui, peccat, quia de neceſſitate aliquid eum movet ad hoc. Aut ergo hoc pertinet ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ, aut ad aliquid privatum. Si quidem utilitas Eccleſiæ, & honor Dei movet eum; hoc bonum intelligitur in conditione electi, & facit meliorem quantum ad hoc. Si vero aliquid privatum, puta affectio carnalis, ſpes beneficii, & commodi temporalis, eſt fraudulenta electio, & acceptio perſonarum.

(b) Hic ponitur reſponſio Petri, ex qua evidens ſignum correctionis de ſua negatione apparet, & quod prædeſtinati ſemper corriguntur in melius, ſi quando labantur. Nam antequam negaret, Petrus ſuperbivit contra ceteros Apoſtolos, dicens (Matth. XXVI. 33.) „ Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ego numquam in te ſcandalizabor. " Item contra Dominum, quia Domino dicente, „ Ter me negabis, " ille ſubdit: „ Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. " Sed modo de propriis viribus victus, non audet confiteri ſuum amorem, niſi ſub teſtimonio, & proteſtatione Domini, humilians ſe Chriſto, & dicens: *Domine, tu ſcis quia amo te*. Iob XVI. 20. „ Ecce in cælo eſt teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. " Item humilians ſe Apoſtolis, non dicit, Plus his; ſed ſimpliciter, *Amo te*. In quo inſtruimur quia non debemus nos aliis præponere; ſed alios nobis. Philip. II. 3. „ Sed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. "

Notandum etiam, ſecundum Auguſtinum, quod Domino quærente, *Diligis me*, non reſpondit Petrus, Diligo, ſed *Amo te*; quaſi idem ſit amor, & dilectio. Quod eſt verum ſecundum rem; ſed differunt ſecundum nomen: amor enim eſt motus appetitus, & ſi quidem reguletur appetitus ratione, ſic eſt amor voluntatis, qui proprie eſt dilectio, quia ſequitur electionem, & inde eſt quod bruta proprie non dicuntur diligere; ſi vero motus non reguletur ratione, dicitur amor.

(c) Hic iam examinato Petro, iniungit ei officium, dicens: *Paſce agnos meos*, ideſt fideles meos, a me agno agnos vocatos: ſupra I. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi:* ut ſic non poſſit dici Chriſtianus qui dicit ſe non eſſe ſub cura iſtius paſtoris, ſcilicet Petri. Ezech. XXXVII. 24. „ Paſtor unus

(a) *Al.* Vel. (b) *Al.* liberatior.

„ erat omnium veſtrum. “ Oſeæ 1. 11. „ Ponent ſibi caput unum. “ Congrue autem hoc officium, omnibus intermiſſis, Petro commiſit, qui, ſecundum Chryſoſtomum, eximius Apoſtolorum erat, & os diſcipulorum, & vertex collegii.

(d) Hic ponitur ſecunda examinatio. Ut autem non repetantur pluries eadem verba, nota, quod ter dicit, *Paſce oves meas*: quia ter debet paſcere. Scilicet doctrinæ verbo: Hier. III. 15. „ Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, qui paſcent vos ſcientia, „ & doctrina. “ Item vitæ exemplo: I. Tim. IV. 12. „ Exemplum eſto fidelium in verbo, „ in converſatione, in caritate, in fide, in „ caſtitate. Hier. 34. „ In montibus Iſrael (id- „ eſt in ſublimitate magnorum virorum) „ erunt paſcua veſtra. “ Item temporali ſubſidio: Ezech. XXXIV. 2. „ Væ paſtoribus „ Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne „ greges paſcuntur a paſtoribus? “

Sed attende, quod tertia vice dicit ei, *Paſce oves meas*. Cuius ratio eſt, quia in Eccleſia ſunt tria genera hominum, ſcilicet incipientium, proficientium, & perfectorum. Et primi quidem duo ſunt agni, quaſi adhuc imperfecti; alii autem ſicut perfecti dicuntur oves. Pſal. CXIII. 4. „ Montes (ſcilicet per- „ fecti) exultaverunt ut arietes, & colles „ (ideſt alii) ſicut agni ovium. “ Et inde eſt quod omnes prælati debent cuſtodire ſubditos ut oves Chriſti, & non proprias. Sed heu, quia, ut dicit Auguſtinus in ſermone paſchali, „ extiterunt quidam ſervi infideles, „ qui dimiſerunt gregem Chriſti, & furtis ſuis „ peculia gregem ſibi fecerunt, & audis eos „ dicere: Ove meæ ſunt illæ. Quid quæris „ oves meas? Non te inveniam ad oves meas. „ Sed ſi nos dicamus meas, & illi dicunt „ ſuas; perdidit Chriſtus oves ſuas. “

Notandum etiam, quod ſicut ter iniungit, ita ter examinat. Primo quidem quia ter eum negaverat; & „ ideo exigitur trina confeſ- „ ſio, ne minus amori lingua ſerviat quam „ timori, (a) & plus vocis elicuiſſe videa- „ tur mors imminens, quam vita præſens: “ ut dicit Auguſtinus. Secundo quia Petrus tenebatur Chriſtum ex triplici cauſa diligere, Primo ex peccato dimiſſo: Luc. VII. 42. „ Cui plus dimittitur, plus diligit. “ Secundo ex honore promiſſo, quia magnum; ſcilicet „ ſuper hanc petram ædificabo Eccle- „ ſiam meam: “ Matth. XVI. 18. Tertio ex officio commiſſo, ut hic, cum commiſit ſibi curam Eccleſiæ; vel cum dicit, *Paſce*: propter hoc quod Dominus præcepit, Deuter. VI. 5. „ Diliges Dominum Deum tuum ex to- „ to corde tuo (ut ſcilicet totam intentio- „ nem tuam ad Deum dirigas) ex tota a- „ nima (ſcilicet ut tua voluntas tota in „ Deum per amorem quieſcat) & ex tota „ (b) fortitudine tua, “ ut tota executio operum tuorum Deo ſerviat.

Notandum etiam, quod Petrus tertio interrogatus, contriſtatus eſt. Quia cum ante paſſionem prompte aſſereret Chriſtum diligere, reprehenſus fuit a Domino, ut dictum eſt. Videns ergo quod toties de dilectione interrogatur, timet ne reprehendatur a Domino, & contriſtatur: & ideo dicit: *Tu omnia noſti; tu ſcis quia amo te*; quaſi dicat: Ego diligo te, quantum mihi videtur: ſed tu omnia noſti, & forte ſcis an aliquid aliud debeat contingere. Et ideo Petro ſic humiliato fit finalis commiſſio Eccleſiæ. Et ſecundum quemdam Doctorem Græcum, dicitur, quod ideo ter interrogantur baptizandi in baptiſmo.

LECTIO IV.

(a) AMen amen dico tibi, cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.

(b) Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.

(a) SUpra commiſit Dominus Petro paſtorale officium; hic prænuntiat ſibi paſſionis martyrium; & ſatis convenienter: nam ad bonum paſtorem pertinet ut pro ovibus ſuis animam ponat: ſupra X. Petro autem non fuit datum ut pro Chriſto iuvenis animam poneret; ſed ut ſenex pro ovibus: & hoc ei prænuntiat. In hac autem prænuntiatione Dominus primo commemorat conditionem vitæ præteritæ; ſecundo prænuntiat perfectionem vitæ futuræ, ibi, *Cum autem ſenueris, extendes manus tuas*; tertio Evangeliſta exponit verba Domini, ibi, *Hoc autem dixit ſignificans qua morte clari-*

(a) *Al.* & plus votis licuiſſe. (b) *Al.* formidine.

clarificaturus eſſet Deum. Conditio autem Petri præterita fuit cum defectu: quia in ſua iuventute nimis præſumptuoſus fuit, & propriæ voluntatis: hoc eſt enim proprium iuvenum, ut dicit Philoſophus in ſua Rhetorica. Unde Eccle. xi. 9. quaſi obiurgando dicitur: „ Lætare iuvenis in adoleſcentia tua, „ & in bono ſit cor tuum in diebus iuven„ tutis, & ambula in viis cordis tui. “ Et ideo Dominus hoc ſignificans dicit: *Cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas*. Et dicit, *Cingebas te*, ideſt ab aliquibus illicitis, & ſuperfluis cohibebas te; quaſi tuo arbitrio non paſſus quod ab aliquo cohibereris; & etiam inde eſt quod in proceſſu bonorum operum ſemper vis eſſe pro me in periculis. Non tamen datum eſt tibi quod iuvenis pro me patiaris; ſed *cum ſenueris*, implebo tuum deſiderium, ut quæ non es paſſus iuvenis, patiaris ſenex: quia *extendes manus tuas & alius te cinget*. Mirabilis prænuntiatio. Totum tempus, & paſſionem exponit. Nam poſt tempus quo iſta ſunt dicta uſque ad tempus mortis Petri fluxerunt fere triginta ſeptem anni: unde patet quod ſatis ſenex erat. Dicit autem, ſecundum Chryſoſtomum, *Cum autem ſenueris*, quia aliter in humanis aliter in divinis: in humanis enim negotiis iuvenes ſunt utiles, ſenes vero inutiles, ſed in divinis virtus non tollitur propter ſenectutem; immo aliquando magis roboratur. Pſal. xci. 11. „ Senectus mea in miſericordia u„ beri. “ Deut. xxxiii. 25. „ Sicut dies iu„ ventutis tuæ, ita & ſenectus tua. “ Sed hoc intelligendum eſt in his qui in iuventute ſua in bono (*a*) exercitantur, ut Tullius dicit. Sed qui in iuventute ſua dant ſe inertiæ, non multum, vel nihil valent ſenes. Intelligitur etiam per hoc, ut dicit Origenes ſuper illud Matth. xxv. 19. „ Poſt multum „ vero temporis reverſus, “ quod raro inveniuntur utiles rectores, & doctores Eccleſiæ parvo tempore vivere: & inducit exemplum de Paulo, qui, ut legitur Act. vii. 9. erat adoleſcens: & poſtea ſcribit ad Philemonem 9. „ Cum es talis, „ ut Paulus ſenex. “ Et huiuſmodi ratio eſt, quia cum pauci inveniantur ad hoc idonei, quando aliqui inveniuntur tales, (*b*) conſervantur a Domino ut diutius vivant. Item exponit paſſionis modum, quia *extendes manus tuas*: nam Petrus crucifixus fuit; ſed non cum clavis, ſed cum funibus, ut diutius viveret. Et hoc Chriſtus vocat cincturam. Sunt autem tria in paſſione ſanctorum conſideranda. (*c*) Primo motus naturalis affectionis: nam inter animam & corpus eſt adeo naturalis amor quod numquam vellet anima a corpore ſeparari, nec e converſo. II. Corinth. v. 4. „ No„ lumus expoliari, ſed ſupervestiri. “ Matth. xxvi. 38. „ Triſtis eſt anima mea uſque ad „ mortem. “ Et ideo dicit: *Quo tu non vis*, ſcilicet naturæ inſtinctu, qui ſic eſt naturalis ut nec ipſa ſenectus potuerit eum auferre Petro. Sed deſiderium gratiæ hoc minuit: unde ad Phil. i. 23. „ Cupio diſſolvi, & eſ„ ſe cum Chriſto. “ II. Corinth. v. 8. „ Audemus autem, & bonam voluntatem ha„ bemus magis peregrinari a corpore, & „ præſentes eſſe ad Deum. “ Secundo diverſitas intentionis perſecutorum ab intentione ſanctorum: *Et ducet quo tu non vis*. Tertio quod debemus prompti eſſe ad patiendum, non tamen occidere nos: unde dicit: *Extendes manus tuas*. Et hoc patet de Petro: quia cum populus vellet ſuſcitare ſeditionem contra Neronem, & eruere Petrum, ipſe repreſſit. I. Petr. ii. 21. „ Chriſtus paſſus eſt „ pro nobis, vobis relinquens exemplum. “ Sed notandum, quod hoc quod dicit, *Ducet*, debet præcedere hoc quod dicit, *Alius cinget te*: quaſi dicat: *Cinget*, quia *ducet te quo non vis*. Sed ne credatur hoc quaſi vane dictum, ſcriptum eſt poſt mortem Petri. Nam Petrus occiſus fuit tempore Neronis; ſed Ioannes hoc Evangelium ſcripſit poſtquam revocatus eſt ab exilio, ad quod relegatus fuerat tempore Domitiani, inter quem, & Neronem fuerunt plures alii Imperatores.

(b) Et ideo exponit hoc quaſi adhuc futurum, dicens: *Hoc autem dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum*: mors enim ſanctorum via eſt ad gloriam Chriſti. Phil. i. 20. „ Magnificabitur Chriſtus in corpore meo. “ I. Pet. iv. 15. „ Nemo veſtrum patiatur qua„ ſi fur, aut homicida.... Si autem ut Chri„ ſtianus, non erubeſcat; glorificet autem „ Deum in iſto nomine. “ Ex hoc enim oſtenditur magnitudo Domini quod pro eius veritate, & fide ſancti exponunt ſe morti.

LECTIO V.

(a) ET cum hoc dixiſſet, dixit ei, Sequere me.
(b) Converſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus ſequentem,

(a) Al. excitantur. (b) Al. obſervantur. (c) Al. Scilicet motus.

qui, & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te?

(c) Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dixit Ieſu: Domine, hic autem quid?

(d) Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam: quid ad te? Tu me ſequere.

(e) Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Ieſus, Non moritur; ſed, Sic eum volo manere donec veniam: quid ad te?

(a) POſtquam propoſuit Evangeliſta quid Dominus exhibuit Petro, hic narrat quid exhibuit Ioanni, ſcilicet ſibi ipſi. Et primo ponitur commendatio diſcipuli; ſecundo commendatio ſui Evangelii, ibi, *Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus*. Circa primum primo ponitur commendationis occaſio; ſecundo ſubditur ipſius diſcipuli commendatio, ibi, *Converſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus*. Occaſio autem commendationis Ioannis fuit invitatio Chriſti invitantis Petrum ad ſequendum: quia *cum hæc dixiſſet*, ſcilicet de officio, & martyrio, *dixit*, Ieſus Petro, *Sequere me*, ſecundum Auguſtinum, quantum ad martyrium, patiendo ſcilicet pro me: quia non ſufficit qualitercumque pati, ſed ſolum ſequendo Chriſtum, ideſt propter ipſum. Luc. VI. 22. „ Beati eritis „ cum vos oderint homines propter Filium „ hominis. " I. Pet. II. 21. „ Chriſtus paſ„ ſus eſt pro nobis, vobis relinquens exem„ plum. " Sed cum alii multi qui ibi aderant paſſi fuerint propter Chriſtum, & præcipue Iacobus, qui prius occiſus fuit: Actor. XII. 2. „ Occidit autem Iacobum fratrem Io„ annis gladio: " quare ſpecialiter Petro dicitur, *Sequere me?* Ideo ſcilicet, ſecundum Auguſtinum, quia non ſolum mortem paſſus eſt pro Chriſto, ſed etiam in ſpecie mortis, ſcilicet crucis, ſecutus eſt Chriſtum. Matth. XVI. 24. „ Si quis vult poſt me venire, ab„ neget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & „ ſequatur me. " Vel, ſecundum Chryſoſtomum, dicitur, *Sequere me*, in prælationis officio; quaſi dicat: Sicut habeo a Deo Patre curam Eccleſiæ: Pſal. II. 8. „ Poſtula a me, „ & dabo tibi gentes hereditatem tuam: " ita tu loco mei ſis ſuper totam Eccleſiam.

Sed quare poſt Chriſtum Iacobus habuit primatum in Hieruſalem poſt aſcenſionis Chriſti? Ad quod dicendum, quod habuit quidem ſpecialem loci illius; Petrus autem univerſale dominium totius Eccleſiæ fidelium.

(b) Hic ponitur (*a*) commendatio Ioannis: & primo quantum ad præterita; ſecundo quantum ad futura, ibi, *Hunc ergo cum vidiſſet &c.* Commendatur Ioannes quantum ad præterita ex triplici privilegio. Primo ſpecialis dilectionis Chriſti: unde dicit: *Converſus Petrus*, qui iam ſequi etiam (*b*) ſpecialiter corporaliter inceperat Ieſum, *vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus*: in quo datur intelligi quod Petrus iam paſtor effectus, ad curam aliorum intendebat. Luc. XXII. 32. „ Et tu aliquando converſus confirma fra„ tres tuos. " Diligebat autem Ioannem Ieſus non excluſis aliis: quia ſupra XV. 9. dixit: *Sicut dilexit me Pater & ego dilexi vos*: ſed eum ſpeciali dilectione præ ceteris dilexit; & hoc propter tria. Primo propter intellectus eius perſpicacitatem: magiſtri enim ſpecialiter diligunt intelligentes diſcipulos. Proverb. XIV. 35. „ Acceptus eſt Regi mini„ ſter intelligens. " Secundo propter munditiæ puritatem, quia virgo fuit. Prov. XXII. 11. „ Qui diligit cordis munditiam, propter „ gratiam labiorum habebit amicum Regem. " Tertio propter teneram ætatem: pueris enim, & deficientibus, magis compatimur, & ſigna familiaritatis oſtendimus: ſic & Chriſtus Ioanni iuveni converſo. Oſeæ XI. I. „ Puer „ Iſrael, & dilexi eum. " In quo datur intelligi quod Deus ſpecialiter diligit illos qui a iuventute ſerviunt ei. Mich. VII. I. „ Præ„ coquas ficus deſideravit anima mea. "

Sed contra. Prov. VIII. 17. „ Ego diligen„ tes me diligo. " Sed Petrus diligebat plus Chriſtum: ſupra: *Diligis me plus his?* Ergo Chriſtus plus debuit Petrum diligere, quam Ioannem. Reſponſio. Poſſet dici, quod Ioannes quia plus dilectus, fuit felicior, ſed Petrus quia plus diligens, fuit melior. Sed hoc eſſet contra iuſtitiam. Et ideo hoc refertur ad myſterium: nam per hos duos duplex vita ſignificatur, ſcilicet activa, & contemplativa; & utriuſque finis, & obiectum eſt Chriſtus. Sed vita activa, quæ ſignatur per Petrum, plus diligit Deum quam vita contemplativa, quæ ſignificatur per Ioannem: quia magis ſentit præſentis vitæ anguſtias, & æſtuantius ab eis liberari deſiderat, & ad Deum ire. Contemplativam vero vitam Deus plus diligit, quia eam magis conſervat: non enim ſimul finitur cum vita corporis, ſicut vita activa. Pſal. LXXXVI. 2. „ Diligit Domi„ nus portas Sion ſuper omnia tabernacula „ Iacob. "

Sed aliqui ſecundum litteram hoc ſolvere volentes diſtinguunt in Chriſto duplicem dilectionem, ſecundum duplicem voluntatem, di-

(a) *Al.* commemoratio. (b) *Al. deeſt* ſpecialiter.

divinam ſcilicet, & humanam; & dicunt quod Chriſtus dilexit plus Petrum dilectione divina, Ioannem vero plus dilectione humana. Sed contra hoc eſt quod voluntas humana in Chriſto totaliter conformis erat voluntati divinæ: unde quem plus diligebat voluntate divina, plus etiam dilexit voluntate humana. Dicendum ergo, quod illum plus diligebat cui magis bonum volebat. Petrum autem plus diligebat ad hoc ut faceret eum magis ſuum dilectorem; Ioannem autem diligebat ad aliud, ſcilicet ad perſpicacitatem intellectus. Eccli. xv. 5. „ Implevit eum Do„ minus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus. “ Et ſecundum hoc Petrus eſt melior, quia caritas ſupereminet ſcientiæ: I. Cor. xiii. Ioannes vero melior ſecundum perſpicacitatem intellectus. Sed merita ipſorum ponderare ſolius Dei eſt. Prov. xvi. 2. „ Spirituum „ ponderator eſt Dominus. “ Et ideo alii dicunt, & melius, quod Petrus plus dilexit Chriſtum in membris, & ſic etiam ſuit plus a Chriſto dilectus, & ideo ei Eccleſiam commendavit; Ioannes vero plus Chriſtum in ſeipſo, & ſic ab eo plus fuit dilectus, unde ei matrem commendavit. Vel dicendum, quod Petrus dilexit Chriſtum quantum ad promptitudinem, & fervorem; Ioannes vero plus fuit dilectus quantum ad familiaritatis indicia, quæ ei Chriſtus magis demonſtrabat propter eius iuventutem, & puritatem.

Et ideo conſequenter cum ſubiungit, *Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius*, commendatur ex ſecundo privilegio, ſcilicet ſpecialis familiaritatis ad Chriſtum: & hoc eſt ſupra expoſitum.

Tertio commendatur ex privilegio ſpecialis fiduciæ quam habebat de Chriſto, ita ut confidentius præ omnibus aliis eum interrogaret: unde dicit (ſupra xiii. 25.) *Et dixit ei: Domine, quis eſt qui tradet te*? quod ſimiliter expoſitum eſt. Cauſam autem quare Ioannes commemorat huiuſmodi privilegia ſua, dixit Chryſoſtomus eſſe ad commendationem Petri. Poſſet enim credi quod Petrus propter hoc quod Chriſtum negaverat, non fuiſſet admiſſus ad priſtinam familiaritatem: & ideo ut hoc excludat, oſtendit quod ad maiorem admiſſus eſt. Qui in cœna non audebat interrogare, ſed Ioanni interrogationem commiſit, poſt paſſionem fratrum præpoſitura committitur, & non ſolum pro ſe interrogat, ſed pro Ioanne. In quo datur intelligi, quod lapſi in peccatum quandoque in maiorem gratiam reſurgunt. Baruch iv. 28. „ Sic„ ut enim fuit ſenſus veſter ut erraretis a „ Deo, decies tantum iterum convertentes „ requiretis eum. “

(c) Et ideo ſtatim Evangeliſta primo ſubdit interrogationem, dicens: *Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dixit Ieſu: Hic autem quid*? Ubi ponitur commendatio Ioannis quantum ad futura: & primo ponitur interrogatio Petri; ſecundo reſponſio Chriſti, ibi, *Dixit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam*; tertio ponitur intellectus huius reſponſionis, ibi, *Exivit ergo ſermo inter fratres &c.* Sciendum eſt autem circa primum, quod Domino dicente Petro, *Sequere me*, Petrus greſſu corporali cœpit eum ſequi, & Ioannes etiam ſecum, quem videns Petrus ſequentem interrogat pro eo Chriſtum, dicens: *Hic autem quid*? quaſi dicat: Ecce ego ſequor te in paſſione; ſed hic numquid morietur? de quo etiam Ioannes interrogaſſet; ſed non (*a*) audebat. Secundum autem Chryſoſtomum, Petrus non intendebat quærere de paſſione, ſed de prælatione. Petrus enim ſuper omnes alios condiſcipulos diligebat Ioannem, & ſemper leguntur eſſe ſimul & in Evangelio, & Act. iii. & ideo volebat eum habere ſocium in officio prædicationis per orbem: unde dicit, *Hic autem quid*? ſupple faciet. Veniat mecum.

(d) Conſequenter ponitur reſponſio Chriſti, cum dicit: *Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam*. Sed ſciendum, quod in Græco non habetur *ſic*, ſed *ſi eum volo manere &c.* Sed non multum refert: qualitercumque enim dicatur, occurrit a principio ſenſus ille horum verborum, qui ipſis Apoſtolis viſus eſt, ſcilicet quod non moritur. Dicit enim: *Sic eum volo manere donec veniam*; quaſi dicat: Non morietur uſque ad adventum meum. Sed hoc excluditur per hoc quod ſubditur: *Et non dixit Ieſus, quia non moritur; ſed, Sic eum volo manere donec veniam: quid ad te*? Sed quidam hunc ſenſum ſuſtinere volentes dicunt, quod Ioannes hoc ſubdit, non ut excluderet prædictum intellectum, ſed ut oſtenderet quod Dominus hunc intellectum per hæc verba non expreſſit, ſed per illa tantum, *Sic eum volo manere*. Et propter hoc dicunt, quod Ioannes nondum eſt mortuus. Sed diverſimode opinatum eſt de eius ſepultura. Verum eſt enim, ſecundum omnes, quod ſepulcrum intravit, & adhuc illud apparet. Quidam autem dicunt, quod ſepulcrum vivens intravit, & divina virtute exivit translatus ad locum Enoch & Eliæ, ubi reſervatur uſque ad finem mundi. Et ſecundum hoc exponitur ſic: *Sic eum*, vivum, *volo manere*, uſque ad finem mundi; & tunc pro me patietur martyrium ab Antichriſto cum illis duobus. Nam inconveniens eſt quod non

mo,

(a) Al. audiebat.

moriatur: quicquid enim oritur, moritur. Heb. IX. 27. „ Statutum eſt (a) omnibus hominibus ſemel mori. “ Alii vero dicunt, quod ſepulcrum ſuum, quod eſt apud Epheſum, vivens intravit, & in eo adhuc vivit dormiens donec veniat Chriſtus; habentes in argumentum huiuſmodi, quod illic terra ſurſum quaſi ebulliens ſcaturit; quod eius anhelitu fieri dicunt. Sed hoc excludit Auguſtinus dicens, quod minus eſt ſi dormiens vivit, quam ſi viveret beatus. Cur ergo Chriſtus diſcipulo quem præ ceteris diligebat, pro magno munere longum donaſſet ſomnum, & privaſſet eum tanto bono, pro quo Apoſtolus cupiebat diſſolvi, & cum Chriſto eſſe? Phil. I. Et ideo non eſt hoc credendum; ſed quod mortuus fuit, & reſurrexit etiam in corpore. Et huiuſmodi ſignum eſt, quia corpus eius non invenitur, & ſic beatus manet cum Chriſto, ſecundum quod invitavit eum, Apoc. ult. 20. „ Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum: Etiam (b) venio cito. “ Eſt ergo exponendum myſtice, ſecundum Auguſtinum, ut intelligatur per hoc quod dicit, *Manere*, ideſt permanere, ſive expectare, ſecundum illud Luc. XXIV. 49. „ Manete in civitate donec induamini virtute ex alto. “ Et ſic Dominus de Ioanne, ideſt de vita contemplativa: (c) dicit: *Sic eum volo manere*, ideſt expectare, *donec veniam*, vel in fine mundi, vel in morte cuiuslibet contemplativi: quia contemplativa hic inchoata non perficitur; ſed inchoata manet, & expectat donec Chriſtus veniat, perficienda cum venerit. Apoc. VI. 11. „ Dictum eſt illis ut requieſcerent tempus adhuc modicum donec compleatur numerus conſervorum eorum. “ Luc. X. 43. „ Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. “ Prov. III. 16. „ Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius divitiæ, & gloria. “ Sed activa vita perfecta, & informata eius paſſionis exemplo (d) interim ſequitur Chriſtum, patiendo pro eo. Sed, ſecundum Chryſoſtomum, legitur ſic: *Sic eum volo manere*, ideſt remanere in Iudæa, & in hac terra ad prædicandum, & te volo me ſequi habendo ſolicitudinem totius orbis, & patiendo pro me; & hoc *donec veniam*, ad delendum Iudæos. *Quid ad te?* quaſi dicat: meum eſt ordinare. Nam, ſicut habetur in hiſtoriis, Ioannes non receſſit de Iudæa uſque ad tempus quo Veſpaſianus veniens in Iudæam cepit Hieruſalem; & tunc inde diſcedens venit ad Aſiam. Vel, ſecundum Hieronymum, *tu me ſequere*, ideſt per paſſionem, & *ſic*, ſcilicet Ioannem, *volo manere*, abſque paſſione martyrii, & mortis, *donec veniam*, ad vocandum eum ad me. Supra XIV. 3. „ Iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum. “ *Quid ad te?* ſcilicet de hoc privilegio. Unde in legenda beati Ioannis dicitur, quod cum nonaginta eſſet annorum, apparuit ei Dominus Ieſus Chriſtus, & invitavit eum ad convivium (e) ſuum.

(c) Conſequenter cum dicit, *Exiit ergo ſermo iſte inter fratres quia diſcipulus ille non moritur*, ponitur quomodo diſcipuli prædicta verba Domini intellexerunt, ſcilicet quod non moreretur: & hoc eſt quod dicit: *Exiit ſermo*, ideſt vulgatum eſt, *inter fratres*, ideſt inter diſcipulos: Pſal. CXXXII. 1. „ Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in unum: “ *quod diſcipulus ille*, ſcilicet Ioannes, *non moritur*. Sed hunc intellectum corrigit, dicens: *Et non dixit Ieſus, Non moritur*. Matth. XV. 16. „ Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? “ Alia omnia expoſita ſunt.

LECTIO VI.

(a) HIc eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc. (b) Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.
(c) Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.

(a) HIc ponitur ultima pars Evangelii, quæ eſt quaſi epilogus: & primo ponitur commendatio Evangelii; ſecundo ſuperexceſſus rei quæ in Evangelio narratur, ibi, *Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus*. Evangelium autem commendatur dupliciter. Primo quidem ex auctore; ſecundo vero ex veritate, ibi, *Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius*. Circa auctorem tria ponit. Primo eius auctoritatis privilegium: quia *hic eſt diſcipulus ille*: ſupple replicando prædilectus, familiaris, fideliter interrogans, & cui datum eſt ut ſic maneat donec veniam: quæ omnia ad auctoritatis privilegium ſpectant. Dicitur Ioannes ſpecialiter prædilectus propter ſpecialitatem caritatis. Supra XIII. 35.

In

(a) *Al. deeſt* omnibus. (b) *Al.* veniam. (c) *Al. omittitur* dicit. (d) *Al.* & ideo ſequitur. (e) *Al. deeſt* ſuum.

Digitized by Google

In hoc cognoſcent omnes quod mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem. De dilectione autem fraterna nullus Apoſtolorum tantum loquitur quantum ipſe in Epiſtolis ſuis. Legitur etiam de eo, quod iam ſenex effectus portabatur ad Eccleſiam a diſcipulis ſuis, ut inſtrueret fideles; quibus dicebat hoc tantum: Filioli, diligatis invicem. Et in hoc eſt perfectio diſciplinæ chriſtianæ. Secundo propter eius officium, quod eſt perhibere teſtimonium: unde dicit: *Et teſtimonium perhibet de his*. Hoc eſt proprium Apoſtolorum officium. Actor. I. 8. „ Eritis mihi teſtes. " Eſa. XLIV. 8. „ Vos teſtes mei, dicit Dominus. " Tertio ſubdit eius ſtudium, cum dicit, *Et ſcripſit hæc*: qui enim ex officio Apoſtolatus præſentibus teſtificatus eſt de geſtis Chriſti, ipſemet ex ſtudio, prædicta geſta ad utilitatem futurorum, & abſentium ſcripſit. Eſa. VIII. I. „ Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis: Velociter ſpolia detrahe, cito prædare. " Eccli. XXXVIII. 25. „ Sapientiam ſcribet in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet; qua ſapientia replebitur. " Datum eſt enim ipſi Ioanni ut viveret uſque ad tempus quo Eccleſia in pace erat; & tunc hæc omnia ſcripſit. Sed ideo addit hoc, ne videatur hoc Evangelium propter hoc quod ſcriptum fuerat poſt mortem omnium Apoſtolorum, & alia Evangelia approbata fuerant ab eis, & ſpecialiter illud Matthæi, minoris eſſe auctoritatis quam alia tria Evangelia.

(b) Hic ponitur veritas Evangelii. Et loquitur in perſona totius Eccleſiæ a qua receptum eſt hoc Evangelium. Prov. VIII. 7. „ Veritatem meditabitur guttur meum. " Notandum autem, quod cum multi ſcriberent de (a) catholica veritate, hæc eſt differentia: quia illi qui ſcripſerunt canonicam Scripturam, ſicut Evangeliſtæ, & Apoſtoli, & alii huiuſmodi, ita conſtanter eam aſſerunt quod nihil dubitandum relinquunt. Et ideo dicit: *Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius*. Gal. I. 9. „ Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. " Cuius ratio eſt, quia ſola canonica Scriptura eſt regula fidei. Alii autem ſic ediſſerunt de veritate, quod nolunt ſibi credi niſi in his quæ vera dicunt.

(c) Hic ponitur inſufficientia ſcripturæ ſuæ quantum ad rem quam ſcribit: ut quaſi removeat quod hæc ſcripſit, quaſi volens præſtare gratiam dilectori ſuo: quia non ſolum iſta fecit, ſed etiam *multa alia quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*. Hoc autem quod ſequitur, *Quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum poſſe capere eos qui ſcribendi ſunt, libros*, poteſt dupliciter exponi. Uno modo, ut *capere* referatur ad capacitatem intellectus; quaſi dicat: Tot poſſent dici de Chriſto quod nec mundus caperet eos libros qui de his ſcriberentur. Supra XVI. 12. *Multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo*, ideſt capere. Alio modo, ut ſit locutio hiperbolica: & ſignificat exceſſum operum Chriſti.

Sed quid eſt hoc quod dicit? Præmiſit enim: *Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius*: & ſtatim ſubdit hiperbolicam locutionem. Sed, ſecundum Auguſtinum, ſacra Scriptura utitur quibuſdam figuratis locutionibus: ſicut (Eſa. VI. I.) „ Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum: " & tamen non ſunt falſæ: ita quando in ſacra Scriptura eſt aliqua locutio hiperbolica. Non enim eſt intentio dicentis ut credatur quod dicit, ſed quod intendit ſignificare, ſcilicet exceſſum operum Chriſti. Hoc tamen non fit quando aliquid quod erat obſcurum, vel dubium exponitur; ſed quando id quod eſt apertum, augetur, vel attenuatur; puta, cum quis volens copiam alicuius rei commendare, dicit: Hoc ſufficit centum perſonis, vel mille. Volens autem vituperare dicit: Hoc vix ſufficeret tribus. Nec tamen falſum dicit, quia ſic verba rem quæ indicatur excedunt, ut oſtendatur quod non intendit mentiri; ſed oſtendere eſſe parum, vel multum. Vel poteſt referri ad virtutem Chriſti, qui ſigna faciebat: ut fiat vis in hoc quod dicit, *Per ſingula*. Scribere enim per ſingula, ſigna, & dicta Ieſu Chriſti, eſt dictorum ſingulorum, & factorum enucleare virtutem. Verba autem, & facta Chriſti ſunt etiam Dei. Si quis autem vellet eorum rationem per ſingula ſcribere, vel narrare, nullo modo poſſet; immo etiam nec totus mundus hoc poteſt. Infinita enim verba hominum non poſſunt attingere unum Dei verbum. A principio enim Eccleſiæ ſemper ſcripta ſunt de Chriſto, nec tamen ſufficienter; immo ſi duraret mundus per centum millia annorum, poſſent libri fieri de Chriſto, nec ad perfectionem per ſingula, facta, & dicta ſua enuclearentur. Eccle. ult. 12. „ Faciendi plures libros nullus eſt finis. " Pſalm. XXXIX. 6. „ Annuntiavi, (b) & locutus ſum; multiplicati ſunt ſuper numerum. "

(a) *Al.* canonica. (b) *Al. deeſt* & locutus ſum.

F I N I S.

MONITUM TYPOGRAPHI.

NE lectionum variarum, ut aiunt, quin etiam quamplurium quæ mendo certe laborant, difficultatem lectoribus afferat frequentia, ac moleſtiam ingerat, ſi textui, ut duobus præcedentibus in Tomis factum eſt, ſolis ipſæ diſtinctæ cruculis, inſerantur, mutato conſilio, doctis viris admonentibus, in inferiorem paginarum oram reiectæ ſunt, alphabeticis notis adhibitis, quæ proprium indigitant cuiuſque locum. Editionis noſtræ integritati ſatis ſuperque hoc modo conſultum arbitror, dum vetus lectio vel erronea ſervatur, ne cui locus ambigendi ſit nos quidpiam voluiſſe immutare. Haud ſane ſpernendam præterea curam reputo qua nunc primum uti cœpimus, Scripturarum ſententias ſuis etiam verſiculis diſtinguentes, ut cuique perfacillimum ſit, cum libuerit, innumera pene loca ſacrorum eloquiorum invenire, quæ ab Angelico Doctore in his quæ elucubravit Commentariis & afferuntur, & illuſtrantur. Unum illud poſtremo loco monendum, Scripturarum libros numeris Romanis maioribus, capita minoribus eiſdem, commata demum Arabicis, ut vulgo dicimus, indicari. Exempli loco ſit illud quod pag. 2. lin. 27. occurrit. I. Reg. XIII. 14. ubi legendum: Libro primo Regum, capite tertiodecimo, verſiculo decimo quarto. Commodis vero, ſtudiiſque tuis dum allaboro, operam meam qualemcumque, Lector humaniſſime, æqui bonique conſule.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005658915 Google